PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD USQUE INNOCENTII III TEMPORA FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA: ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR: CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

UNIVERSITÉ DE LILLE BIBLIOTHÈQUE

SERIES PRIMA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD GREGORIUM MAGNUM.

ACCURANTE J.-P. MIGNE, Cursuum Completorum IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIÆ TOMUS IX.

HILARII TOMUS PRIOR.

PARISIIS, EXCUDEBAT VRAYET,

IN VIA DICTA D'AMBOISE, PRÈS LA BARRIÈRE D'ENFER, OU PETIT-MONTROUGE.

1844.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Succursale, au Petit-Montrouge, de l'imprimerie de
Vrayet de Surcy, rue de Sèvres, 57, à Paris.

SANCTI

HILARII

PICTAVIENSIS EPISCOPI

OPERA OMNIA

JUXTA EDITIONEM MONACHORUM ORDINIS

SANCTI BENEDICTI

E CONGREGATIONE S. MAURI

ET OMNES ALIAS INTER SE COLLATAS,

REPRODUCTA, EMENDATA, SINGULARITER AUCTA.

TOMUS I.

ARCHIEPISCOPALIS INSULENSIS CATHOL.

PARISIIS, EXCUDEBAT VRAYET,
IN VIA DICTA D'AMBOISE, PRES LA BARRIERE D'ENFER,
OU PETIT-MONTROUGE.

1844.

ELENCHUS

OPERUM QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

Præfatio editionis Maffei. . . . . col. I–XII
Epistola nuncupatoria. 9
Præfatio generalis. 11
Vita S. Hilarii ex ipsius scriptis potissimum collecta. 125
Vita ejusdem auctore S. Hieronymo. 184
Vita ejusdem a Fortunato scripta. . . . . *Ibid.*
De translatione S. Hilarii Petri Damiani sermo. 199
Selecta veterum testimonia de S. Hilario. 203
Notitia litteraria in S. Hilarium. 207
Syllabus manuscriptorum necnon editorum codicum ad quos exacta et emendata sunt S. Hilarii opera. 219
Admonitio in commentarium subsequentem. 221
Sancti Hilarii tractatus super psalmos. 231
Commentarius in psalmos XV, XXI, XLI. 890
Commentarius in Evangelium Matthæi. 917

Tomi septimi col. 200, post extremam notam supple sequentia, quæ excidere, ita ut sic phrasis ultima restituatur : *Viden' utriusque operis auctorem nostrum Lactantium? An ovum ovo similius esse potest?*

— col. 335, lin. 17 : *Cruterum ;* leg. *Grulerum.*
— col. 390, lin. 5 ab infra : *quot;* leg. *quod.*
— col. 467, lin. 56 ab infra : *Suotonio ;* leg. *Suetonio.*
— col. 478, lin. ult. : *exibet ;* leg. *exhibet.*
— col. 501, lin. 6 ab infra : *Januam ;* leg. *Janum.*
— col. 502, lin. 25 : *strunta;* leg. *structa.*
— col. 567, lin. 5 : *liv.;* leg. *Liv.*
— col. 620, lin. 13 : *sive;* leg. *five.*
— col. 635, lin. 38 : *Chriti;* leg. *Christi.*
— col. 652, lin. 25 : *againsi ;* leg. *against.*
— col. 656, lin. 27 ab infra : *thei had;* leg. *they had.*
— col. eadem, lin 28 ab infra : *thei ave ;* leg. *they have.*
— col. 674, lin. 19 : *utpon ;* leg. *upon.*
— col. 682, lin. 11 : *auspicioux ;* leg. *auspicious.*
— col. eadem, lin 15 ab infra : *eighth;* leg. *eight.*
— col. 686, lin. 14 : *Cuards;* leg. *Guards.*
— col. 688, lin. 18 ab infra : *amond ;* leg. *among.*
— col. 693, lin. 24 : *fornitght ;* leg. *fortnight.*
— col. 696, lin. 3 : *presbyteris ;* leg. *presbyters.*
— col. 698, lin. 36 : *if;* leg. *of.*
— col. 699, lin. 29 ab infra : *wero ;* leg. *were.*
— col. 703, lin. 26 : *Wold ;* leg. *World.* — *subduer;* leg. *subdued.*
— col. eadem, lin. 36 : *Gunditur ;* leg. *Funditur.*
— col. 707, lin. 46 : *roud ;* leg. *round.*
— col. 708, lin. 12 : *Mippodrome;* leg. *Hippodrome.*
— col. 744, lin. 22 ab infra : *Gentill.;* leg. *Genethl.*
— col. 769, lin. 43 : *causis ;* leg. *cautis.*
— col. 789, lin. 16 ab infra : *bis ;* leg. *his.*
— col. 800, lin. 8 ab infra : *uviddow;* leg. *widow.*— *Maximians ;* leg. *Maximian's.*
— col. eadem, lin. 9 ab infra : *Empres ;* leg. *Emperess.*
— col. 802, lin. 15 : *Magno ;* leg. *Magne.*
— col. 808, lin. 20 : *fet up;* leg. *set up.*
— col. 813, lin. 37 : *fith ;* leg. *fifth.*
— col. eadem, lin. 57 : *signi ;* leg. *sign.*
— col. 815, lin. 4 ab infra : *Maxentius es ;* leg. *Maxentius's.* — *Maximin;* leg. *Maximin's.*
— col. 818, lin. 10 ab infra : *hald ;* leg. *had.*
— col. 825, lin. 16 ab infra : *souldiers;* leg. *soldiers.*
— col. eadem, lin. 26 ab infra : *fer ;* leg. *for.*
— col. 833, lin. 18 ab infra : *hurch ;* leg. *church.*
— col. 835, lin. 9 ab infra : *oder ;* leg. *order.*
— col. 837, lin. 4 ab infra : *monethe;* leg. *months*

Tomi octavi col. 392, lin. 17 : *depe-;* leg. *depereat.*
— col. 1355, lin. 33 : *cum ;* leg. *eum.*
— col. eadem, lin. 35 : *scripsisse eis, ut cum excubet ;* leg. *scripsisse, ut cum eis excubet.*

EDITIONIS MAFFEI PRÆFATIO.

Cum deprehensum nuper sit S. Hilarii Pictavien- A sis opera in quam multis bibliothecis desiderari, venalia vero in Italia universa vix reperiri, præstantissimus Canonicorum Veronensium cœtus, atque adeo ejus Archipresbyter Joannes Franciscus Musellius, studiorum fautor acerrimus, piarumque ac eximiarum rerum perpetuus auctor, vetustissimis etiam Capitularibus codicibus novam editionem aut augeri, aut magnopere illustrari posse sperantes, ut præclarissimi Patris scripta in hac civitate typis denuo traderentur, constituere. Cum vero eam mihi curam demandare placuisset, viderem, ne quid editio hæc detrimenti caperet; quin si anteriores omnes novo accedente studio, atque iteratis curis supergredi nobis liceret, ut id nequaquam prætermitteretur; ad postremam præcipue, quæ a Benedictinis Maurinæ B congregationis Monachis elaborata est, ne dum inspiciendam, sed quantum ingenii mei tenuitas ferebat, excutiendam etiam ac pensitandam me contuli. Verumtamen illam tam docte, tam diligenter, tam studiose confectam, numerisque omnibus absolutam percipere mihi visus sum, ut ab ea recedendum minime existimarim, et piaculi loco duxerim intermiscere quidquam, laudatæque eorum editorum industriæ quomodocumque manus inferre. Auctor propterea fui, ut Parisina plane editio recuderetur; simul tamen, quod unice nobis superest, quicquid ad eam ornandam ex mss. codicibus nostris erui posset, excerperetur diligentissime atque in publicum bonum emitteretur. Neque enim assentiri profecto possem, ut in hac urbe quoque mos arriperetur eorum typo- C graphorum, qui lucrum papyraceis mercibus aucupaturi, de atramento ac de chartarum plaustris unice sunt solliciti, remque librariam e litteratis hominibus pendere ignorantes, editiones alibi factas nullo studio recudunt, consilio nullo. Ii scilicet ne de præfatiuncula addenda cogitant quidem, nedum illustrari novis curis, atque augeri veterum Scriptorum Opera satagant; quin cum duo aut tria, titulum exhibentes, de suo proferre verba cogantur, illa ipsimet adjungunt, atque solœco aliquo, si Deo placet, vel lepida quadam ridiculave formula libri frontem insigniunt quandoque ac distinguunt. Deplorandum hoc, et fatale propemodum Italico nomini malum haud ita profecto glisceret, modo qui libros delectu nullo, et audito tantum Auctorum nomine statim redimunt, D sibi caverent aliquantisper, nec quod inconsulto et imperite in hoc genere peragitur, eadem comitate exciperent, ac quod studiose atque utiliter elaboratur.

Jam vero cum duo præcipue in Capitularibus scriniis S. Hilarii codices habeantur, quibus non multas velim ex istius modi reliquiis, quacumque tandem in Bibliotheca superantibus anteponas. eorum descriptionem, ut eruditi seculi genio morem geram, exhibere pergo. Alter ex illis opus continet de Trinitate. Liber est maximi moduli, singularem tum litterarum, tum membranæ magnificentiam ostentans, figura quadrata, lævi charta ac plerumque subtili, atramento in flavum vergente, scriptura bifida, atque a temporis injuriis intacta: oris late circumalbicantibus. Integræ paginæ exemplar vides.

Eadem manus, nihil prorsus ab hac amplitudine et scripturæ majestate deflectens, perstat usque ad extremum. Sub finem tres aut quatuor desiderantur chartæ, quapropter nec librarii, nec temporis superest nota; sed quinto aut sexto seculo exaratum codicem indicia persuadent omnia. Antiquitatis gloriam minime ergo codex noster percelebri illi concedit, qui in Archivo Vaticanæ Basilicæ custoditur, et velut unice vetustissimus ad hanc diem deprædicatus est: quod enim eum P. Mabillonius dixerit, scriptum esse *sub finem seculi quarti aut ineunte quinto*, quæ verba P. Cutantius repetit in præfatione, id mero et involuntario lapsu viris doctissimis excidisse patet, cum ad annum decimum et quingentesimum ejusdem collationem revocent: quo constat, *sub finem seculi quinti, aut ineunte sexto* (*Re Dipl. lib.* v, *pag.* 350), enuntiandum fuisse. Verum suspicari me vehementer, hallucinationis, aut erroris quidpiam in judicio de eo codice ad hanc diem lato subesse, aclatitare, nequaquam dissimulo. Quamvis enim e Mabilloniano specimine eximia libri vetustas appareat, non ejusmodi apparet tamen, quæ secundum observationes communiter adhibitas usque eo revocari possit. Testes appello, quicumque in priscis perquirendis codicibus, ac terendis minime perfunctoriam posuerint operam. Liber siquidem de quo agimus ea scriptura constat, in quam sequiori ævo sensim deflexit Romanorum uncialis, solo N majorem ac priscam formam retinente. Illo scribendi genere multi multis in locis reperiuntur codices, quorum quempiam nemo umquam fuit qui in tantam vetustatem assereret. At de adscripta epocha quid dicemus? hæc scilicet haberi dicuntur ad calcem: *Contuli in nomine Domini Jesu Christi aput Kasulis constitutus anno quartodecimo Trasamundi regis*: quæ quidem verba *inscriptionem cujusdam studiosi* Mabillonius appellat; vere autem ab illo adjecta sunt, qui codicem, ut mos erat, contulit atque emendavit. Sic ad calcem Virgilii Medicei adnotavit Rufius Apronianus: *Legi et distincxi*, etc., deinde, *Distincxi emendans*, etc. Cum ergo in Hilariani codicis subscriptione annum quartumdecimum *Trasamundi Regis* legerit Holstenius, anno saltem Christi DX scriptum fuisse omnes subinde assensi sunt. Hæc nihilominus opinio multum infirmetur necesse est, ubi animadvertamus verbum

illud, prout in specimine repræsentatur, nec pro *Trasamundi*, nec pro *Trasamund* legi posse; ubi enim *m*? ubi *a* duplex? ubi *u*? vereor ergo ne aliud quoddam ibi latitet nomen; circa illud vero, qui codicem non viderim, divinationibus parco. Dictio quoque, quam pro *Putzalis* accepit Holstenius, et pro *Kasulis* Mabillonius habet, de Casula explicans Byzacenæ provinciæ civitate, valde in ambiguo est; neque enim primam litteram, ut ibi effingitur, pro Kappa recipient diplomaticorum hominum filii; et mirum videri possit, Augustini, Cypriani, Tertulliani in Africa scripta exemplaria non haberi, haberi autem Hilarii Pictaviensis.

At de his quidquid unicuique libet credatur, neque enim quidquam præfracte statuo, neque aliud in præsentia ad rem pertinet nostram, nisi ut ex utriusque speciminis collatione vetustatis laude Veronensem codicem anteferendum esse, doctus lector agnoscat. Quod si vetustate nequaquam præcelleret, satis præcellit emendatione ac fide; menda siquidem in Vaticano abundare monuit Cutantius, cum in Veronensi perraro occurrant, ita ut paragrammatis minus contaminatos codices paucos viderim. Priscæ etiam orthographiæ commendatur usu; propterea ubi exempli gratia in editis *attingimus* (hujus editionis col. 54), in ms. est *adtingimus;* ubi c. 225, *ut id de quo agitur assequatur;* in ms. *adsequamur :* quibus lectionibus sensus quoque restituitur. Plura in Auctores veteres invecta sunt ænigmata, quod librarii vulgarem pronuntiandi mollitiem sequentes, a recta hac scribendi norma deflexerint. Quis explicet, exempli gratia, Horatii versum illum, ut communiter legitur?

Cum ridentibus arrident, cum flentibus adsunt.

At cui constet scripsisse Poetam *adrident*, intelligit statim, respondens verbum esse *adflent*, quo reposito optime procedit sententia. Nolim tamen urgeatur hæc regula usquequaque, ita ut etiam *exsilium* scribere teneamur, quamvis quibusdam e veteribus Grammaticis edicentibus. Ita quidem in postrema S. Hilarii editione factum est, libris tamen nostris vetustissimis minime suffragantibus. Archaismum sapit in codice nostro *thensaurus* quoque non una vice; ut in compari alio mox enarrando tractatus in Psalmos complectente, *formonsa sum;* nam et in Virgilio Medicco *Formonsum Pastor* animadvertere memini. Mirum est quam ad deformandas cujusvis linguæ dictiones perpetuo propensum, in pugnantes invicem corruptiones feratur vulgus; nam qui *n* perperam intrudentes *thensaurum* et *formonsum* enuntiabant, iidem alia efferentes verba, eam litteram injuria extrudebant; cujusmodi elocutionis vestigia in Vespasiani numismate animadvertebam nuper, *Roma Resurges* præferente pro *Resurgens;* quin *freques* pro *frequens* et alia id genus non in Mss. tantum, sed et in quibusvis monumentis persæpe occurrunt. At dolendum summopere primam æque ac postremam chartam malo quodam fato a codice nostro abscissas fuisse; ita ut nec Auctoris nomen, quod qui in dubium revocaret non defuit, nec Operis inscriptio appareat, quæ diversimode prolata est. Utrum itidem libris XII ille de fide Orientalium adjungeretur, ex quo Cassiodorius *tredecim libros beati Hilarii de sancta Trinitate* memoravit, ex Ms. mutilatione ignoramus. Libri in capita videntur dividi, sed admodum prolixa. Quæ afferuntur auctoritates versibus arctioribus indigitantur : verba si quæ fuerant omissa, minuto charactere superaddita visuntur, at ejusdem ubique figuræ ac majoris formæ.

Cum multis abhinc annis (neque enim ἐχθεσινὸς, aut hornus hic labor est) in hunc præclarum codicem primo incidissem, impetu quodam ad decantatum libri secundi, capite in postrema editione vigesimo septimo, inspiciendum locum me contuli : ex eo siquidem acerrimæ cum octavo ac nono seculo contentiones, tum eo maxime tempore iteratæ inter eruditos viros fervebant disceptationes. Censebam equidem eam controversiæ partem, quæ ex antiquis codicibus pendet, hoc potissimum supra cæteros antiquo atque eximio codice diremptum iri : sed mirum, in hoc quoque quod nos ancipites adhuc relinquat, me deprehendisse. Quæstionis caput est, utrum in fine prædicti capitis legendum sit, *dum carnis humilitas adoratur*, an vero, *dum carnis humilitas adoptatur;* cumque discrepent eo loco non excusi tantum, sed et scripti libri, utra præferenda sit lectio, utra ab auctore ipso defluxerit. Id quidem tot concertationibus nequaquam disquirendum erat, cum ab utraque lectione sensus fluat orthodoxus : patet enim verbum *adoptatur* de humanitate intelligendum esse a Filio adsumpta, non a Patre adoptata. Historiæ tamen intererat, ut præcipue quod ad Felicem Orgelitanum Episcopum spectat, facti veritas detegeretur : huic exponendo supersedeo, cum satis innotescat, et a recentibus Scriptoribus fuse atque eleganter proponatur discutiaturque. Ego quid codex noster ferat bona fide exhibebo.

Primum igitur pro comperto habeatur in hoc libro ADORATUR scriptum esse, nullo abrasionis vestigio, nulla superinductionis suspicione : at cum post eam dictionem a capite resumatur versus, in vacuo quod remanet spatio, sive eadem, sive paulo posteriori manu, ADOPTATUR adjectum fuisse. Priori verbo nulla quidem irrogata est contumelia, sed lineolis superpositis, atque R in superiori margine adscripto, indicatur de more, adjectam dictionem anteriori substituendam esse, in aliis tamen codicibus certius adhuc testimonium requirendum. Id in hoc libro, ut et in aliis, ad dubia loca græce etiam quandoque innuitur, pro R *require*, Z adposito, hoc est, ζήτει. In verbo *adoptatur* eadem litterarum figura, idem prorsus atramenti color; at levi cultello fuisse olim apparet, qui litteras, et superpositas lineolas abducere tentarit, ac delere. Quæ quidem omnia in has conjecturas me pertrahunt. Liquido primum, nullaque hæsitatione exaravit librarius *adoratur;* at sive ab ipso alia postmodum exemplaria inspiciente, sive ab alio quopiam *adoptatur* additum est, et simul ut *adoratur* expunge-

retur monitum. Alter exinde accessit, cui secunda lectio non probabatur; propterea verbum *adoptatur* conatus est auferre, abrasionis nubeculis id satis testantibus. Colligi hinc potest, libenter quidem *adoratur* lectum olim fuisse, de ea tamen lectione antiquitus quoque, et multo ante Felicem Orgelitanum dubitatum esse. Neque hunc codicem unum ex iis esse, quibus Felix, vel ejus fautores manus injecerint, suspicari possumus, cum *adoratur* minime abrasum sit. Hinc et in Vaticano codice, ut audio, controversa dictio a secundo calamo immutationem est passa. Ex eo accidit ut *adoratur* legerint Hincmarus atque Alcuinus, *adoptatur* vero Agobardus Lugdunensis; qui Felicem confutans, atque omnia quæ præcesserant probe callens, ab omni fraude sibi satis cavisse credendus est. Satis ergo verisimile apparet, lectionem *adoptatur* a Felice non primo excogitatam, sed in aliquo codice inventam esse; cumque sibi propitiam, ac ut accidere solet præjudicio quodam occupatis, errori suo faventem male reputaret, in Aquisgranenses codices dolose induxisse : Forte etiam lectionem illam odio deinde habuerunt Catholici ex hoc ipso, quem Felix illi superstruere errorem conatus est; *adoptionis* cæteroquin voce satis ipsis suspecta post Arianam hæresim. *Non per adoptionem hæc facta sunt, absit* : ita in Capitulari alio Concilium Ephesinum continente codice ea verba S. Athanasii in Epistola ad Epictetum latine redduntur : οὐ θέσει δὲ ταῦτα ἐγένετο, μὴ γένοιτο : quæ in Conciliis edita versio prave contorquet. Cassiodorius in Psalm. I, *propter humilitatem carnis adsumptæ*. Hinc Alcuinus Felici : *tu omnino perversissime dicis adoptatur* : quamvis non ea perversa essent verba, sed interpretatio. Hæc autem omnia, ut constet, quam ab antiquo, et cur is locus dupliciter in libris describeretur. Cæterum quomodo Hilarius ipse scripserit, mihi quidem facile cognitu videtur omnino; contextum enim percurrentibus statim patebit vocem *adoratur* oratoriæ elegantiæ, quam Auctor ibi sectatur, minime convenire. *Parit Virgo, partus a Deo est; infans vagit, laudantes Angeli audiuntur; panni sordent, Deus adoratur : ita potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoratur*. Neque apte immediata orationis membra bis eodem verbo clauduntur, neque mirificum illud, quod ex oppositis aucupatur Hilarius, oritur ullo modo, si dignitatem non amittat, qui adoratur; oritur autem optime, si dignitatem non amittat, qui carnis humilitatem adoptat. Cur vero Felix criminationem falsi veteri aliquo prolato codice *adoptatur* exhibente non repulerit, vel invidiam saltem non minuerit, profecto non intelligo. Eodem certe sensu Hilarius in expositione Psalmi CXXVII protulit *per adoptionem* corporis : frustra vero legendum esse *per adeptionem*, quamvis Erasmiana editione suffragante, vir ingeniosus conjiciebat (*De vett. Hærr.*, etc., *p.* 460); nam *adoptionem* præfert præstantissimus omnium Capituli nostri liber alter, cujus jam relationem ingredimur.

Paucos quidem ex Ecclesiasticis præsertim manuscriptos codices reperias, qui cum hoc antiquitate certent, facieque ipsa ac conspectu majoris vetustatis aucupentur fidem. S. Hilarii Tractatus in Psalmos complectitur, quorum rara admodum occurrunt scripta exemplaria. Illos in IX, XIII et XCI in ms. Vaticano unice ad hanc diem repertos comprobat noster, qui pariter recenset. Libri forma media et oblonga, ne quadrata unice in pretio sit : membrana ubi inoffensa, candida est, adeoque subtilis ac tenuis, ut quædam folia tactum effugere videantur : atramentum xerampelinum est, et subalbicans : scriptura in duas columnas discreta, ut in specimine conspicis diligenter quidem effecto, nec tamen codicis faciem, ac litterarum elegantiam satis exprimente.

Ubi Græca incidunt verba, accentibus ac spiritibus nullis effinguntur. Quæcumque sive ex aliis Psalmis, sive aliunde sumpta afferantur, seponuntur ut in exemplo, priori etiam versu rubricato. Rubricata autem verba auri olim superinducti alicubi vestigia retinent. Scriptionis species Virgilium Mediceum (parum feliciter ab editis speciminibus repræsentatum) in eo præcipue refert, quod litteræ mediocris pariter sint magnitudinis, et calamo subtiliori exaratæ : quod P et Q descendant numquam, neque infra protendantur; et quod in T transversa linea vix appareat, ut etiam in G et in L inferiores ductus. Cæterum noster magis affabre, distincteque ac æqualiter descriptus est : ne quid a recta linea in versibus exarandis manus deflecteret, calami via stylo designata visitur. Ab emendatione quoque generatim laudandus liber : quamobrem librarii jure merito in hominum memoriam nomen revocabimus, quod præter morem, ubi minus exspectandum erat, incurrimus : in alphabetico scilicet Psalmo CXVIII, post illa, *Littera IIII explicit, incipit Littera V feliciter*, exiguis, sed majusculæ pariter, ut vocamus, figuræ characteribus legitur inferius : *Scribit antiquarius Eutalius* NT ita colligantur N, quod compendii genus veterum lapidum usum sapit. In eodem Psalmo post litteram decimam, intra circulum Christi monogramma in apice præ se ferentem : *Scribtori vita, legenti doctrina.*

Antiquariorum munus, quorum frequens apud veteres mentio, Valentis lex anno CCCLXXII lata probe describit. *Antiquarios ad bibliothecæ codices componendos, vel pro vetustate reparandos, quatuor Græcos et tres Latinos scribendi peritos legi jubemus* (*C. Th. de Antiqu. l.* II). Isidorus ita dictos putat, quia *tantummodo vetera* scriberent (*Orig. lib.* VI), sed repugnat Euthalii nostri auctoritas, qui se antiquarium vocat, Hilarii nequaquam tunc vetustos, sed forte calentes adhuc commentarios transcribens. Ego inter librarios eo præsertim nomine donatos opinor, qui non cursoriis, seu celeribus, quæ barbaris nominibus non sine miro et universali errore designari solent, sed majoribus, accurateque effictis litteris, ac diligentia singulari codices construere profiterentur. Græcum vocabulum docet καλλιγράφος, siquidem *Antiquarius* redditur in veteribus Glossis. Præcepit Imperator Constantinus epistola a Theodorito in Ecclesiastica Historia (*lib.* I, *c.* 16) re-

lata, ut ad multarum Urbis suæ Ecclesiarum usum sacrarum Scripturarum quinquaginta membranei codices conficerentur ὑπὸ τεχνιτῶν καλλιγράφων, καὶ ἀκριβῶς τὴν τέχνην ἐπισταμένων, *ab artificibus pulchre scribentibus, atque artem perfecte callentibus* : vertit Epiphanius Scholasticus in Tripartita, *ab artificibus antiquariis, et perfecte artem scientibus* (*lib.* II, *c.* 6). Propterea Augustinus in Sermone de Verbis Domini : *Qui videt litteras in codice optime scripto, et non novit legere, laudat antiquarii manum, admirans apicum pulchritudinem.* Id autem nominis sequiori ævo librariis majoris formæ litteris codices effingentibus adhæsisse puto, quod antiquos imitantes primævam litterarum figuram servarent : neque enim prima aut secunda linguæ Latinæ ætate ea significatione, sed pro antiquitatis cultore antiquarius usurpabatur : propterea auctor Dialogi de Oratoribus : *criminabimur te antiquariis ;* et in eodem libro : *nec quemquam adeo antiquarium puto*, etc. Vocem eodem sensu adhibent Juvenalis ac Suetonius. Cæterum antiquarium nostrum, quamvis Græcum nomen præ se ferentem, Græcum fuisse nequaquam suspicemur, cum Latinis libris operam daret, et pro *Euthalio* (ab εὐθαλεῖν siquidem deducitur) *Eutalium* scriberet.

In vacuo, quod remanserat, spatio ad finem Psalmi CXXI diverso prorsus scribendi genere, et recentiori atramento verba hæc posterior manus adposuit quasi ludibunda: *In nomine Domini Ihum Xpi Ariperto Rege fuit vera justitia et sincera.....* Deinde, *Builius Abbas de Monastirium sci Thome Apostoli cuit vocapolo est Pineolo.* S. Thomæ Templum, et Conventus, quem modo PP. Carmelitæ possident, ad pontem est situs *Pignolo* usque in hanc diem nuncupatum. Monasterium ibi fuisse, et Monachos cum Abbate suo commoratos olim esse noverat nemo. Linguæ Italicæ quam proxime ab ea usque ætate præluderetur vides ; quod enim nunc *Abate del Monasterio* dicimus, *Abbas de Monastirium* vulgariter scribebatur ; cumque *um* in *o* popularis pronuntiatio sæpe converteret, ut item e mss. didici, et hic etiam apparet (*vocapolo* enim pro *vocabulum* est), a vulgari lingua verba parum deflectunt. Sub Rege Ariperto scriptum codicem ex hac nota non defuere qui arguerent ; at litterarum forma, ipsaque hujus adjectionis facies, satis ostendunt multo recentiorem fuisse ; et profecto nisi liber hic utriusque Ariperti ævum longe antevertat, conjecturis fidendum nullis, atque indiciis quibuscumque tutioribus in posterum valedicendum : neque enim ad ipsum codicem, vel ad ejus amanuensem ea referuntur verba, sed ut e loco et modo prorsus constat, sive Builii Abbatis, sive otiosi cujuspiam lusus fuit vacuo illo spatio abutentis, quod in plerisque etiam impressis libris occurrere aliquando solet. Alios contra audivi, eo quod nigrescat horum verborum, fere ut in hodiernis scripturis, atramentum, recenter addita fuisse perperam existimantes : ita nimirum in errorem proni perpetuo sunt, quicumque non omnia pensitant, et uno tantum argumento ducti in his rebus calculum ponunt.

Jam vero ut quidquid ad detergendum atque amplificandum Hilarium conferre utrique codices possent, ob oculos haberetur, Joseph Blanchinius, Veronensis Ecclesiæ Canonicus, ac Bibliothecarius, maximæ spei juvenis, percelebrisque patrui condignus hæres, cum Benedictina editione solidos contulit, et variantes lectiones omnes summa diligentia ac fide adnotavit distincte, atque ordinatim congessit. Multum etiam operæ in iis erudite posuerunt Sacerdos eximius Dominicus Vallarsius, nec non P. Alexander Bonifacius ex Oratorii Congregatione, quæ magno et pietatis et litterarum bono paucis abhinc annis in hac civitate coaluit. Varietates autem nostras, ut a cæteris, quæ supponuntur textui, facilius secernantur, numericis designamus notis : neque tamen universas omnino exhibuimus ; quid enim utilitatis ubi patens error in codicem irrepserit, vel ubi res nihili moneantur? Adscribentur quidem aliquando, etiamsi a præcedente editore recensitæ item fuerint, ut constet, quibusnam e diversis lectionibus tam insignium membranarum calculus accedat. In textum ea tantum recepimus, quæ illum omnino resarcire, vel tuto restituere pateat ; quod locis pluribus, præcipue tractatuum in Psalmos, præstare contigit : prioribus tamen lectionibus perpetuo adpositis, ut integrum unicuique liberumque judicium sit. Idem prorsus, cum Cassiodorii Complexiones primo emitterem, præstiti, ex quarum Præfatione, ut de consilio in hac etiam recensione adhibito satis constet, duo liceat verba transcribere : *Emendationum, quas raro adhibui, ubi operæ pretium sit, admonebo, ut et ipsæ ab aliis emendari possint : hoc si præstitissent transactis temporibus Critici, veterum scripta aliquanto melius pernosceremus ; innumeros enim locos ex arbitrio reficientes, antiquorum codicum lectiones nobis subduxerunt.* Exiles autem ac minutas quandoque animadversiones culpandas in his rebus non esse, vel contemnendas, Hilarius ipse, quem *doctissimum Patrem* Cassiodorius nuncupat, docet ; Arianam enim impietatem increpat, quæ *se ad fraudem syllabæ adjectione, quæ in libris non exstat, instruxit.*

Ego quidem tum ex omnium congerie, quæ mihi exhibendæ viderentur, varietates excerpseram, tum adnotatiunculas quasdam, paucis tamen locis, adjeceram : verumtamen cum acciderit me, antequam prælo singula traderentur, peregre exire et impressionis tempore abesse, autographas, quas dederam schedas, qui operis et emendationi præerant ob implexam scripturam nequaquam assequentes, quædam omittere coacti sunt, quædam aliquanto immutare. Id vero etiamsi parum referat, sunt qui me adigant, ut ex prætermissis aut interpolatis hic sequentes exhibeam. Adscripseram ergo.

Col. 15, 1. Priore Veronensis libri quaternione abscisso, variantium lectionum prima occurrit *tenet* pro *tenuit ;* ut habetur paulo ante : *Quartus liber auspicatur.* Ab iis verbis sub finem paragraphi decimi *a suis non receptum* nunc ms. incipit.

C. 17, 2. *Piæ doctrinæ* in textum receperam, subtus monens : *ita ms. noster, ubi in anteriori editione*

pietati doctrinæ, n. 6, *divinitatem*, nihil addens ; n. 7, A *in anteriori natum et ex Deo.*

C. 19, 1. Liber noster : *necesse est in professione absoluta adversandi calumnia videatur*. Aliquanto melius quam in Erasmiana cæterisve : *et cesset*, etc. Plane, ut opinor, restituemus locum, si legamus : *at necesse est*, etc., *calumnia caveatur*.

C. 21, 1. In anteriori pro *ab eo*, ut legit Erasmus quoque, habebatur *aut illud*, quod sententiæ non quadrat.

C. 32, 7. *Quæcumque habet Pater dedit Filio :* exhibentur verba hæc in editis, sed in ms. nostro non apparent, nec unde eruta fuerint reperire est.

C. 34, 9. *Manibus lino occupatis, pedibus limo oblitis* in textum admiseram : at *ignarus* inter variantes recensebam.

C. 35, 3. Veronensis liber : *et sumet sibimet quod liberum est* : nam si verbum a tempore liberatur, videtur consequi sumpturum sibi quod liberum est, hoc est nemini obtemperaturum. Quod statim diluitur Apostoli verbis subjunctis, itemque, quoniam *qui abest a tempore non abest ab auctore*. Ita Ms. nos- B ter, ubi anterior editio, *qui abest a cognitionis tempore*. Habetur etiam in codice *erans*, loco τοῦ *qui erat*.

C. 39, 1. *Odiosa* inserueram textui, ita præferente ms., et quia *otiosa* profecto non erat fraudulentia hæreticorum *undique circumstrepentium*.

C. 59, 1. Adjecimus e libro nostro : habet Erasmus quoque, 1 Cor. xv, 8 : *visus est et mihi*.

C. 63, 2. *Salutaris tui*.

C. 165, 2. *Deus* addidimus, nec ex conjectura tantum, sed codicis nostri auctoritate cæteris vetustioris : in Græco textu quoque ὁ ἀληθινὸς θεός.

C. 169, 1. *Se carere synagogam :* in hoc siquidem codice *caret Patrem*, *careat virtutem ;* ad psalmum LXVI *substantiam non carebunt ;* e Græcorum usu, apud quos τί ὑστερῶ ; Latine quoque Plautus in Curc. *id quod amo, careo*.

C. 243, 2. Abest *æternam* a nostro quoque.

C. 246, *Christi* secundis curis.

C. 251, 1. Omnis plenitudo divinitatis, πᾶν τὸ C πλήρωμα. Sic et infra : *omnis vero corporaliter plenitudo divinitatis*.

C. 271, 3. *In eo*. Exinde *irreligiosi unionis ;* ubi conjectura firmatur doctissimi editoris Benedictini ad n. 36 libri octavi suspicantis, unionis nomen masculini generis Hilario fuisse. Ejusdem generis fuit id nominis apud omnes cum pro margarita adhibitum est.

C. 284, 5. *Ecferret*. Aliis etiam in locis *ecferre* pro *efferre*.

C. 296, 5. *Mandando* pro *manendo*.

C. 385, 1. *Præ participes tuos*. In altero tractatus in Psalmos complectente codice : *præ consortes tuos*. Animadversum est a nobis, sub finem præfationis ad Cassiodorii Complexiones Florentiæ vulgatas, in hujusmodi barbarismos indoctos amanuenses ex communis sermonis consuetudine aliquando incurrisse ; quapropter Trimalchionem et socios, ut etiam a plebeia locutione ridiculum aucupetur, ita sermocinantes inducit Petronius Arbiter : *scimus te præ litteras fatuum esse*.

C. 420, 6. *nisi ex utroque consistit*. D

C. 440, 1. *Solus hic itaque* : neque ultra procedit Capitularis codex postrema charta diminutus. Nihil attinet monere, verba quædam addi aliquando, et subjici, quorum mihi non est laus inroganda, variantesque aliquas in diligentiæ fidem exhiberi, quas ego transmiseram : veluti *genum* pro *genu*, *precem eguit* pro *prece eguit*, *saltim* pro *saltem :* similiter *profane*, ubi recte in editis *profanæ*, *far*, ubi triticum in *farinam* comminutum, *figens*, ubi *fingens*, *neque*, ubi *nempe*, *exteriorque*, ubi *eritque*, *crura vulnera*, ubi erat *cruda*. Multo minus variatum est circa Tractatus in Psalmos, præcipue ubi aliquid addideram, aut adnotaram, cum nitidior esse autographi exemplaris scriptura. Hæc tamen sunt omissa.

C. 24, 6. Abest *Cœlestis*, ut etiam a Græcis pluribus.

C. 26, 4. *Non mutilentur :* aliquanto melior lectio, sed adhuc mutilata.

C. 27, 3. In judicio.

C. 39, 2. In Ms. *jus libertatis ;* exinde *artatum est*. Cum *i* littera puncto superposito nequaquam a librariis distingueretur, ambigua persæpe erat lectio. *Vis ac potestas* non defuere qui pariter legerent, ubi *jus ac potestas* scripserunt Jurisconsulti. Hinc utrum *Liutprandum* scribamus, an *Luitprandum* nescimus.

C. 40, 6. *Convertimini*. Codex Psalmorum Veronensis Capituli præstantissimus, *convertamini*.

C. 64, 1. In anteriori editione, *quotiens qui titulos habent*. Cæterum huic codici solemne est *quotiensque* exhibere pro *quotiescumque*.

C. 68, 4. In ms. *civitate eversa :* primam dictionem respuimus, secundam amplectimur ; ita paulo ante *eversam* præfert liber. Rectam hic Benedictini editoris lectionem *captivitas apellitur* confirmat codex ; a Græco enim verbo est, ἀπέλλω, *excludo*, *rejicio ;* quamvis auctorem alterum, qui Latine usus sit, non meminerim : haud feliciter conjecerant, qui *appellatur* substituebant.

C. 68, 5. *Psalmus David* XIIII, ut scribebant veteres, non *Psalmus* XIV. Sic infra : *explicit Psalmus* XIIII, *incipit Psalmus* LI.

C. 73, 3. *Alia* pro *alta* reposuimus ex codice, et ex verborum contextu.

C. 74, 5. *Quod per superiora confirmat*, *Propheta subjecit dicens*.

C. 78, 1. *In finem intellectus illi David, cum venit Doec Idumæus, et adnuntiavit Saul, et dixit ei : Venit David in domum Abimelech*. Abimelech constanter in libro nostro veterrimo, Septuaginta pariter Ἀβιμέλεχ scripsere. Hebraicus textus *Achimelech :* cujus diversitatis ratio est, quod in antiquis Hebræorum libris nomen hoc non scriberetur per *heth*, seu *cheth* dicamus, אחימלך ut in recentioribus, sed per *caph ;* quæ littera כ cum maximam habeat similitudinem cum ב, facillima fuit earum commutatio. Hoc autem certo comperi e veteri Auctore Breviarii in Psalmos D. Hieronymo olim adscripti, sic enim ad hunc locum : *In Regnorum libro, et in ipso Hebraico Psalterio Abimelech scriptum est ; sed quoniam* beth *et* caph *apud Hebræos litteræ modico apice distinguuntur, ideo error facilius obrepsit*.

C. 107, 4. Præter ea quæ afferuntur, addideram : *Verbum habent Sedulius ac Tertullianus*. Ut hic *salvifica* pro *salvum me fac*, ita alibi *lucificat*, et in Psal. CXLV, legit Hilarius *Dominus sapientificat cæcos*, ubi Vulgata *illuminat*. Hodiernas lectiones et D. Hieronymi emendationibus accessisse, illas ab Italica versione Hilarium arripuisse, vix ambigam.

127, 1. Tractatus in hunc atque in subsequentem liber noster non habet, sed ad præcedentis calcem : *explicit Psalmus* LIIII, *incipit Psalmus* LVII.

C. 152, in 2, *immutantur*.

155, 1. *et paravit eum, et in eo paravit*, plane cum græco καὶ ἡτοίμασεν αὐτὸ, καὶ ἐν αὐτῷ ἡτοίμασεν.

C. 247, 2. *quo a Zabulo tentatur*. Ita scribitur in codice, atque ita passim occurrit in mss. *Zaboli debellatorem* præfert idem liber sub finem Sermonis in Psal. LXIII. *Zabuli progeniem*, *Zabuli potestatem*, *ut tentaretur a Zabulo*, legimus in Hilarii Commentario in Matth. apud Erasmum, Guil. Cave de Script. Eccl. in Commodiano *Zabulus*, *Zacones* pro *Diacones*, vocabula putat Afrorum propria : sed revera nec vocabula hæc sunt diversa, nec longius derivata ; sed ut ita aliquando scriberentur, mollities quædam prolationis effecit, quam in hodiernis Græcis animadverti sæpius ζ pro δ enuntiantibus, et ζιὰ pro διά. Quam autem ab antiquo iis obtinuerit sonus, veteres libri testantur *Zabulum* sæpe, ut vidimus, præferentes ; et mire confirmat Photius, ubi animadvertit Philostorgium in Ecclesiastica Historia *Nadiandum* pro *Nazianzo* scripsisse : Ναδιανδὸν δὲ καὶ Ναζιανζὸν ἐξωνομάζει.

C. 256, 4. Locus Isaiæ respicitur LIII, 5, *pro nobis dolet, et nos æstimavimus eum in doloribus esse*.

C 256, 5. *in Cœlis*, ut in Græco.

C. 285, 1. *Nihil hic adnotaveram.*
C. 329, 1. *Oleum exultationis.*
C. 367, 5. *Inlicita est.*
C. 385, 5. *Expetitur.*
C. 395, 2. *Mannam matutinam*, paulo infra *Cœlestem mannam* : ita Hilarius *Pascham*, etc., ut Erasmus animadvertit in præfatione.
C. 400, 6. In ms. *iniqui*, ut in Romano Psalterio : nec alio sensu Hieronymus *persequutores sceleris*, id est, *scelesti* ; nam et Plautus *flagitii persequentem* dixit pro flagitii amatore, seu flagitioso.
C. 450, 3. In anteriori editione erat *mentis*, quam dictionem Erasmiana non habet, nec liber noster.
C. 517, 1. Hic loci deserit nos sub tot seculorum pondere fatiscens codex, postremis chartis prorsus exesis aut misere discerptis.

Exegi monimentum febre molestius, in ipso scribendi æstu subtus addideram, Horatianum versum paulo detorquens ; ac si gratularer mihi, quod eo tamdem labore levatus essem : varias siquidem lectiones invicem conferre, fugientes litteras persequi, codicum apices captare ; et cum miris librariorum sphalmatis confligere, res est incredibilis molestiæ plena, et undequaque periculis circumsepta. Ipsas præcedentis editoris eruditas adnotationes cum percurrerem, aliqua Parisini quamvis diligentissimi typographi menda nostro ostendebam ; ut ab iis sibi caveret ; velut pag. 175, ubi Tullii locus affertur negante adverbio prætermisso : modo autem id quidem typographum nostrum, pag. 197, reposuisse video, sed dictionem aliam præterisse : legi enim debet ; *quod qui dubitat, haud sane intelligo, cur non idem, Sol sit, an nullus sit, dubitare possit.*

Verumtamen præter diversas hic et sub textu prolatas lectiones, aliquos ex Hilarii tractatibus in Psalmos retinet codex noster multoties, nec paucis dictionibus, vel uno tantum aut altero versu ab editis recedentes. Eos, ut jacent, diligenter exscriptos conjunctim adponimus et exhibemus : errores tantum quosdam sustulimus ; et dictiones *profeta*, *filosofus*, *centensimus*, etc., ad communem usum traduximus. Varietatis ratio in eo præcipue vertitur, ut multo breviores hi nostri sint, pluresve qua periodos, qua integras paginas sive scriptus liber resecet, sive vulgati interserant. Quodnam de hujusmodi differentia judicium ferendum sit doctus Lector statuet. Cogitaveram prius, num ex ore pronuntiantis exceptos notarius vocis celeritatem haud assequens decurtatos dedisset ; ut quamdam Cæsaris orationem, quæ circumferebatur, existimabat Augustus *ab actuariis exceptam male subsequentibus verba dicentis* (*Suet. Cæs.* c. 55). At obstat consequentia sermonis, et addita etiam interdum verba, ac mutatus non infrequenter orationis contextus : ubi enim exempli causa in editis : *Annum benignitatis Dei ex propheticis atque Apostolicis doctrinis cognovimus* (*Ad psal.* LXV) ; et post aliqua : *Namque bonitatis Domini hic annus est, quo erunt indefessa illa benignæ retributionis tempora auspicanda. Hujus igitur anni Dei benedicet coronam jucundissimus et suavissimus visitatæ terræ inebriatæque fructus. Hæc enim Christi est, depulsa corporum nostrorum corruptione, et perempta mortis potestate, victoria :* in ms. legitur : *Annum æterni et beati illius seculi sine dubio declarat, quia bonitatis Domini hic annus est. Hujus anni benedicitur corona, visitata enim terra jucundissimus annus et suavissimus erit ; hæc enim Christi est potestate victoria.* Magis consentaneum est, Hilarium ipsum ita primitus elucubrasse, deinde auxisse novis curis, et in ampliorem formam redegisse. Forte Sermones ad populum habendos ita prius exaravit, quos exinde in Commentarios transfudit. Propterea in Psal. LXV illa omnia ms. transilit, quæ ad Græcitatem pertinent, et e Græci textus lectione deducuntur. Nec tamen in hac conjectura satis acquiescimus : nimis enim manca plerumque expositio est, pluresque Psalmorum versiculos præterit, quos interpretem in iis quæ desunt attigisse, aliquando sententia demonstrat. Quædam etiam addunB tur, quæ Hilarii non videntur, ut ad Psal. LXIV, n. 4, *Ecclesia nondum Christi adventu inluminata, fuit aliquando vanis superstitionibus obnoxia, cum præcepta gentilia*, etc. Hoc in editis de humani generis universitate profertur, quam Ecclesiæ nomine nunquam indigitavit Auctor noster. Neque illud ab eo esse crediderim in Psal. CXXIV. *Hoc loco* in circuitu populi *Evangelium significat.* Nec loca desunt minus opportune mutilata, et minus eleganter connexa. Suspicari ergo quisquam possit ab alia manu has epitomas processisse, et in proprium usum ita ab aliquo hos commentarios conversos. Quin et illa aliquando suspicio incessit ; num in commentarios, quos habemus, extranei quicquam et alieni insinuatum fuerit ; C velut quæ in expositione Psal. LXV a Græcarum dictionum proprietate ac vi derivantur : Hilarius siquidem *Græcarum litterarum quamdam* tantum *aurulam* cœperat, si Hieronymo fides in Epistola ad Marcellam ; quam suspicionem tamen rem perpendentes rejecimus. Verum de his eruditorum hominum judicium esto.

Ipso initio aliquid deesse, spatio relicto librarius innuit : hinc est, quod a versiculo septimo expositio incipiat. Sub finem quoque Psal. CXXXII mutilatum dignosces. Ubi in editis col. editionis nostræ 488 : *Accinctio potentiæ ei quod indigebat corpori coaptatur. Non enim virtus accingitur, sed in virtute Dei potentia homo quem Dominus assumpsit accingitur :* multo melius explicatur in ms. *Non enim virtus accingitur, sed* D *in virtute Dei potentia hominis ; id est, ei corporis quod deerat coaptatur. Ejus ergo hominis potentia, quem Deus adsumpsit, accingitur in virtute.* Jam vero nihil ultra te moramur, amice Lector, et ipsos, ut in codice apparent, Tractatus, sive sermones, aut sermonum adumbrationes mavis, tibi ob oculos sistimus.

INCIPIT PSALMUS LXIII.

IN FINEM PSALMUS DAVID.

Exaudi, Deus, orationem meam, dum deprecor ad te : a timore inimici erue animam meam. Scrutati sunt iniquitates, defecerunt scrutantes scrutinio. Spiritus enim Prophetalis, qui per David loquebatur, audiens omnia et sciens universa, hoc in loco non solum Judæorum malignam conspirationem, verum etiam

Philosophorum inanem scientiam, et Hæreticorum perversam contumaciam pronuntiat aliquando deficere : in hoc capitulo ostenditur, cum dicit :

Perscrutati sunt iniquitates,
Defecerunt scrutantes scrutinio.

Omnium ergo malorum hominum ingenia deficiunt, ut ostendit Propheta. Philosophus enim mundi dominatum impugnat, nunc aquis, nunc terræ, nunc cœlo Dei nomen indulgens; Hæreticus autem doctrinam fidei mentitur : contra quos omnes pervigili cura, et assidua ad Dominum oratione pugnavit. Ob hoc igitur Propheta dixit : *Exaudi, Deus, orationem meam, dum deprecor ad te.*

Vigilandum ergo in oratione Dei est, ut cum fatigari anima in pressuris cœperit, Deus semper oratus exaudiat, nosque ab his quæ timemus eripiat; in sequenti enim ait :

A timore inimici eripe animam meam.

Deus enim non tunc tantum orandus est, cum quæ timentur evenerint. Semper itaque indefessis precibus orandus est, ut nos a timore eorum, quorum dominatum timemus, eripiat. Propheta ergo, non ignarus quæ eventura sint, imminentibus semper tribulationibus anxius, et ad omnem timorem inimici sollicitius, Deum orat ob ea quæ timet, ut cum in tribulatione fuerit exaudiatur; neque enim Dei misericordiam metus noster, sed fides promeretur; et adjecit :

Protexisti me a conventu malignantium, a multitudine operantium iniquitatem; qui exacuerunt ut gladium linguas suas, intenderunt arcum, rem amaram, ut sagittent in obscuro immaculatum.

Sed arcus homicidæ lingua semper intentus est, et acumen gladii linguæ ejus præsto est; volant enim lethales ejus sagittæ, et non dubium est, quid efficiant, hoc enim quærunt, ut sagittent in obscuro immaculatum : hunc enim quærit malignus interficere immaculatum, cui per Baptismum facta remissio est veterum criminum, nondum tamen doctrinis spiritalibus eruditum, sed simplicem, et ex novæ nativitatis infantia tenerum, quærit intento arcu per rerum ignorantiam vulnerare : ait enim :

Subito sagittabunt eum, et non timebunt.

Naturam simplicem et immaculatam, hanc enim fallere quærunt, huic occultos laqueos prætendunt, ut per latentes insidias interficiant innocentem; sequitur enim :

Firmaverunt sibi verbum malum, disputaverunt, ut absconderent laqueos, dixerunt : Quis videbit eos?

Semper enim ex se adversus fidem præsto sunt; et ideo dictum est : *Absconderunt laqueos, et dixerunt : Quis videbit eos?* Si Hæreticus pervertere fidem tentet, incredibile est quantis eam ingeniis subvertere contendat. Si spem æternitatis nostræ philosophia impugnet, mirum in modum omne bonum præsentis vitæ ponit in corpore, ita ut ingenii sui virtute cœlestis institutio subrui possit. Uterque ergo scrutantes deficiunt pro eodem Propheta : *Defecerunt scrutantes scrutinio.* Sed quid ad Deum humana perversitas? quid adversus opificem operis ingenium? licet omnibus argumentis ad evertendam veritatem ingenium suum ostendat, deficiet tamen adversus veritatem adsertio falsitatis : atque ideo subsequitur :

Perscrutati sunt iniquitates, defecerunt scrutantes scrutinio.

Exquirant licet omnia naturalium causarum secreta, in ipsa tamen operis sui intentione deficiunt, doctrinis spiritalibus refutati. Qui enim..... omnia docent audient a nobis æternæ virtutis Deum. Jam si fidem Hæreticus destruere tentet, Dei Filium semper fuisse cognoscet, nullo a Patre intervallo temporis separatum. Cognoscet ipsum esse virtutem, sapientiam Dei, hominis conditorem; hunc prima mundi crimina diluvio abluisse, hunc Moyseo legem dedisse, hunc in Prophetis fuisse, hunc per carnis infirmitatem carnis gloriam renovasse. Deficient igitur adversum ista scrutantes. Post hæc ait :

Accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus.

Per virtutem enim doctrinæ Dei eruditur, et cui in altum cor sit, ad Deum, hæc divinæ operationis præconia proferentur; ita ut eorum ipsorum, qui hæc audiant, confessione laudetur; hoc est ergo : *Accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus.* Cognita enim scrutantium defectione, et accedente homine cordis alti, magnificentia Dei agnoscitur : nam quis non magnificabit Deum, quem mundi hujus cognoverit conditorem? quis non metuet, quem judicem sciet? quis non renasci in innocentiam cupiat, cum peccati remissionem per novam nativitatem accipiat? quis jam renatus peccare non desinat, et in innocentia parvuli permanere, cum talium sciat regnum esse cœlorum? Hæc professio nostra scrutantium ingenia debilitat; hæc doctrinæ specula, quæ parvulorum sagittæ sunt, stultas disputationes vulnerant; annuntiatis enim operibus Dei, tunc incipient facta ejus intelligi, tunc in his lætabitur Justus, tunc cum omnes recti corde laudabunt. In his est lætitia Sanctorum, in his spes firmissima; ob hæc Deum qui recto sunt corde laudabunt, scientes esse remissorem peccatorum, mortis peremptorem, Zaboli debellatorem, Deum et Dominum nostrum Jesum Christum, qui est benedictus in secula seculorum.

INCIPIT PSALMUS LXIV.

IN FINEM PSALMUS DAVID.

Te decet hymnus, Deus, in Sion, et tibi reddetur votum in Jerusalem.

Hic psalmus proprie in finem et congregationem gentium, quæ Deum laudaturæ sunt, dictus est : in exordio autem ejus secundum consuetudinem suam propheta orationem omnem ad Dominum dirigit.

Te decet, Domine, hymnus, Deus, in Sion, et tibi reddetur votum in Jerusalem.

Sion quidem mons est adjacens Jerusalem : sed hoc loco montis nomen et urbis Ecclesiam significat, quæ corpus est Christi Domini nostri, ipso dicente : *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus.* Hymnus ergo hic Deo condecet, qui sit in Ecclesia, spiritali cantico innocens, et Dei laudibus dulcis : quia subsequitur :

Exaudi orationem meam; ad te omnis caro veniet.

Non enim dicit *meam*, ut dicentis persona posset intelligi : licet enim multi hoc, tanquam deesset, addiderunt, non tamen in authenticis exstat : Propheta enim non suo sensu, sed inspiratus hæc loquitur, et subjecit : *Omnis caro ad te veniet.* Ecclesia enim nondum Christi adventu inluminata, fuit aliquando vanis superstitionibus obnoxia, cum præcepta gentilia omnes homines ad studium impietatis imbuerent, Deum in lignis et lapidibus prædicando. Sciens autem antiqua crimina sua Deo propitianda, *veniet ergo omnis caro ad eum* : ait dicens :

Verba iniquorum prævaluerunt super nos, et impietatibus nostris tu propitiaberis.

Nam quantum prosit errorem gentilem reliquisse, doctrinam impiam sprevisse, ostendit inferius, dicens :

Beatus quem elegisti et adsumpsisti, ut inhabitet in tabernaculis tuis.

Omnis siquidem caro veniet ad Deum, id est, ex omni hominum genere congregabuntur. Sed beatus est ille, quisque fuerit electus; multi enim secundum Evangelium vocati sunt, sed pauci electi. Electi autem sunt nuptiali veste, sed et puro atque integro novæ nativitatis corpore splendidi. Qui autem electus est, scire nos convenit ob quam rem fuerit electus, ad id scilicet quod insequitur : *ut inhabitet in tabernaculis Dei.* Omnis ergo perfectio bonorum in requie (suppl. *habitationis*) cœlestis est : multas enim mansiones Dominus in cœlis esse testatur; sed Patrem orat in Evangelio, ut Apostoli ubi et ipse sit maneant, dicens : *Pater, quos mihi dedisti volo, ut ubi ego sum, ibi sint mecum* (*Jo.* XVII, 4). Ex plurimis ergo

mansionibus Apostolis suis eam, quæ sibi est propria, communicat. Scit autem propheta, quanta beatitudo sit in tabernaculis Dei. Alio loco dicit : *Concupivit et deficit anima mea in atria Domini* (*Psal.* LXXXIII, 3) ; postea autem cum fuerit electus, hoc sequitur :

Replebimur in bonis domus tuæ; sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate.

Quæ autem sint bona domus possumus agnoscere; Ecclesiæ scilicet munera, quæ et secundum multitudinem fructus Christus indulsit, quia et ipsa secundum Apostolum domus Dei est. Hæc ergo Ecclesia habet tricenum, sexagenum, centenum fructum. His ergo bonis domus Dei replebitur, quæ interim per divisionem bonorum adornatur, sicut scriptum est : *Huic ergo dabitur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alii fides in eodem spiritu, alii dona curationum, alii genera linguarum, alii interpretatio linguarum* (I. *Corin.* XII, 8). Verum sunt et alia plena domus Dei munera, *quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus his qui diligunt eum* (II, 9). Ideo insequitur psalmus dicendo : *Sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate.* Omnium namque credentium corpora templum Dei esse apostolus docet dicens : *An nescitis quod templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis templum Dei corruperit, corrumpet et hunc Deus; templum enim Dei sanctum est, quod estis vos* (III, 16). Ornandum est ergo hoc Dei templum in sanctitate atque justitia, orationibus atque operationibus, ut bonis domus Dei repleatur, ut sanctum et mirabile templum illius simus. Insequitur post hæc psalmus dicens :

Exaudi nos, Deus, salutaris noster, spes omnium finium terræ, et in mari longe.

Omnium itaque spes Christus est in mari atque in terris. Itaque cur in eo omnium spes sit in consequentibus docet dicens :

Præparans montes in virtute tua, accinctus potentia, et conturbans fundum maris, sonum fluctuum ejus.

Hoc loco non ad terrenorum montium naturam sermo iste extenditur, sed qui isti sint montes alius propheta ostendit : *Audite, populi omnes, et attendat terra, et omnes habitantes in ea : et erit vobis Dominus Deus in testimonio, Dominus Deus de domo sancta sua. Propter quod ecce Deus descendet de loco suo, et descendet super excelsa terræ, et conteret montes subtus se, et valles liquescent tanquam cera a facie ignis propter impietatem Jacob* (*Mich.* I, 2).

Nam et in alio psalmo ita scriptum ostenditur : *Commota est et contremuit terra, et fundamenta montium conturbata sunt et commota sunt, quoniam iratus est eis Deus. Ascendit fumus ab ira ejus, et ignis a facie ejus exardescet, et carbones accensi sunt ab eo, et inclinavit cœlum, et descendit, et caligo sub pedibus ejus. Misit sagittas, et dissipavit eos, et fulgura multiplicavit et conturbavit eos* (*Ps.* XVII, 8). In his, quantum lectio docet, adventum Domini de cœlo per prophetam Spiritus Sanctus ostendit, metum terræ, montium trepidationem; ob id quia iratus sit eis Deus, fumo de ira ejus exorto, ignem deinceps de conspectu ejus accendendo. Fumus qui ascendit præteriti temporis res est : in igne, quia facie ejus exardescit, futuri temporis significatio continetur. Hos ergo montes sagittæ dissipabunt, et fulgura multiplicata conturbant; omnem scilicet supereminentem virtutem. Quicumque se contra Deum exaltatus offeret, iræ Dei subditus erit; descendens igitur Deus Verbum assumptum sibi hominem potentia accingens, primum hæc summa montium depressit, Diaboli scilicet excellentiam protrivit, quem pœnæ judicii præparavit. Servavit ideo hanc propheta rationem, dicens :

Præparans montes in virtute tua, accinctus potentia. Non enim virtus accingitur, sed in virtute Dei potentia hominis, id est, ei corporis quod deerat coaptatur. Ejus ergo hominis potentia, quem Deus adsumpsit, accingitur in virtute. Dehinc ait :

Qui conturbat fundum maris, sonum fluctuum ejus. Conturbat autem non mare, sed maris fundum; mare autem, ut est in alio psalmo, prophetiæ sermo incurrit, et seculum nuncupatur, sicut ait : *Hoc mare magnum et spatiosum; ibi* requiescet Draco, *quem figurasti ad inludendum illum* (*Ps.* CIII, 25). Montes igitur, id est, adversarii omnes, pœnæ judicii præparantur, et maris fundamenta turbabuntur. In horum enim fiducia sæculum consistebat; turbato enim Diabolo omnia erroris sui ministeria turbabuntur. Recordemur autem murmura, et bacchantium fremitus, omnium denique profanorum cærimoniorum cantu mundum aliquando sonuisse : nunc vero Domino Christo prædicando, silere omnia, et trepidare, cum Antistites templorum insanientes fidelium virtuti subjiciuntur, cum justorum verbis torquentur, laniantur, uruntur, puniuntur. Per hæc itaque jam judicio præparantur, et præparatio ista quid proficiat agnosce.

Turbabuntur, inquit, *gentes, et timebunt :* videntes itaque Deos suos mutos, et ad impositionem manuum nostrarum vocibus ingementes : sed post turbationem gentium et hi timebunt, qui inhabitant fines. Finis autem postremum tempus est, in quo res ipsa deficit: videamus ergo, hi qui fines habitant, cur timebunt, et unde illis metus ingruat; sequitur namque : *Et timebunt a signis tuis.* Metus ergo omnis a signis est : sed quæ hæc erunt signa? *Exitus matutini et vespere delectabis :* nam post conturbati maris fundum, maximum Dei signum est dies in orationibus. Inchoatur hymnis Dei dies : cluditur secundum quod dictum est : *Elevatio manuum sacrificium vespertinum* (*Ps.* CXL, 11). Succedit et hoc sequens signum.

Visitasti terram, et inebriasti eam. Visitavit autem Deus terram, id est, humani generis nativitatem, eamque visitatam per Spiritum sanctum inebriavit. Multiplicata muneribus Dei dives efficitur, Apostolo dicente : *In omnibus ditati estis in ipso omni verbo et scientia* (I *Cor.* I, 5). His enim bonis replemur quotidie, atque ebrii sumus; et unde sit iste ebrietatis fructus in sequentibus ait :

Flumen Dei repletum est aqua. Nam in Evangelio sic ait : *Qui crediderit in me, sicut scriptum est flumina de ventre ejus exient* (*Jo.* VII, 38). Hoc ergo dicebat de Spiritu Sancto, quem accepturi erant credentes in eum. Hoc ergo flumen Dei aqua repletur, Spiritus enim Sancti muneribus inundatur; et in nos ex illo vitæ fonte fluvius Dei aqua repletus infunditur. Habemus etiam et cibum paratum : quis hic cibus est, videamus. Ut autem hæc omnia futuri temporis doceret esse, ait :

Rivos ejus inebria, multiplica generationes ejus; in stillicidiis ejus lætabitur cum exorietur.

Terra autem visitata inebriata est; et quomodo nunc rivi ejus inebriantur? inebriamur autem ipsi cum Spiritum Sanctum accipimus. Dehinc orat propheta, ut hos eosdem rivos inebriet, ut generationes nostræ multiplicentur, ut terra scilicet bona secundum Evangelii comparationem verbi semen excipiens, fructu tricesimo, et sexagesimo, et centesimo ditescat : id est, ut post Baptismi gaudium subeat in nos sacramenti intelligentia, prophetiæ scientia, sermo sapientiæ, sanationum charismata, et dæmonia subjecta sint nobis. Hæc enim nos tanquam stillicidia penetrant, quæ paulatim cœpta fructum multiplicem exuberant : in his igitur stillicidiis cum exorietur terra, lætabitur, sed stillicidia multiplicantur ut rivi sint, rivi autem inebriantur ut flumina sint. Post ista insequitur psalmus dicendo :

Benedices Domino coronam anni benignitatis tuæ.

Annum æterni et beati illius seculi sine dubio declarat, quia bonitatis Domini hic annus est. Hujus anni benedicitur corona, visitata enim terra jucundissimus annus, et suavissimus erit : hæc enim Christi est potestate victoria; hæc corona Domini flore benedicta est, Sanctorum suorum choro gloriosus. Tunc ubertate campi replebuntur, tunc deserti fines pinguescent, tunc colles exsultatione accingentur, tunc arietes ovium induentur : tunc enim retributionis est tempus; in campis enim quorum culturæ usus est, ea quæ sub lege et

cultura Dei fuerint opera, ubertatem consequentur. Ubi autem fines deserti pinguescent, Ecclesiæ, quæ deserta fuit, populus repromissionis fructu iterum ditatur. In collibus vero exsultatione accinctis gloriosa martyrum gaudia nuntiantur; hi enim sunt hominibus cæteris altiores. Cum autem arietes ovium induentur, patriarcharum, et prophetarum, et Apostolorum æterna illa et beata vestis, qui duces sancti gregis sunt, ostenditur. Hoc ergo indumento arietes ovium induentur, et hoc gloriosæ immortalitatis habitu vestiuntur.

Et convalles, inquit, abundabunt frumento : humiliores scilicet, atque operis boni homines fructum vitæ sortientur, non enim ubertatem replebuntur, ut campi, neque exsultatione accingentur, ut montes, sed frumento tantum abundabunt; id est vivendi substantia non carebunt : hi enim campi, hæc deserta, hi colles, isti arietes, hæc convallia *clamabunt*, et *hymnum dicent*, et ob hæc diversa retributionum præmia indefessis maximis vocibus Dei potentiam prædicabunt.

INCIPIT PSALMUS LXV.

Jubilate Deo, omnis terra, Psalmum dicite nomini ejus.

Primum ergo jubilandum Deo præmonet, secundum psallendum nomini ejus, dehinc dandam gloriam laudationi ejus; tunc dices Domino Deo, *quam terribilia sunt opera tua:* postremo confitendum, *In multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.* Sed ad rationem, atque ordinem hujus sermonis necessarium est id, quod difficultatem affert, paucis absolvere. In latinis codicibus ita legimus :

Jubilate Deo, omnis terra.

Sed quantum ad eloquii nostri consuetudinem pertinet, jubilum pastoralis agrestisque vocis sonum nuncupamus, cum in solitudinibus aut respondens, aut requirens ductæ in longum sonus vocis auditur. In Græcis vero libris, qui ex Hebraico proximi sunt, significationem ejusmodi habet ALALAGMUS, quem Latini jubilum ponunt : significat vocem exercitus præliantis (*al.* proterentis), aut in concursu *propter rem* hostem, aut successum victoriæ exsultationis voce testantis. Vox autem exsultationis dissentit a jubilo. Positi igitur et nos sumus in vitæ istius præliis, et in hoc carnis et sanguinis nostri certamine, adversum Diabolum, exercitusque ejus armis spiritalibus dimicantes : propter quod monemur Deo in voce exsultationis jubilare. Ferendus est ergo confessionis nostræ sermone omnis profanus auditor, et adversum Diabolum, armaque ejus, orationum nostrarum sonitu certandum est, et belli nostri victoriam exsultationis voce monstranda est.

Audiat orantis populi vocem quis, extra Ecclesiam spectans celebres hymnorum sonitus cum devota responsione confessionis accipiat : necesse est terreni omnem adversantem, cum audiat victrices voces nostras exsultationis gloria personare : *Date gloriam laudationi ejus :* tali enim laudatione cum gentes opera nostra contuentur, Patrem nostrum, qui in cœlis est, magnificabunt, et dabunt nomini ejus gloriam.

Dicite Deo : Quam terribilia sunt opera tua!

Quis enim non trepidet ad majestatem ejus qui secula instituerit, mundum condiderit, tempora per vices dimensus sit, cœlum astris ornaverit, terram fructibus repleverit, mare obicibus concluserit, hominem, ut his aut uteretur, aut dominaretur, elegerit? Per hæc omnia virtutis signa potestatis ejus æternitas noscitur, ista enim terribile nomen conditoris efficiunt : horum igitur operum conditor esse Deus, a nobis prædicandus est, et a cæteris confitendus.

In multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.

Ex multitudine scilicet virtutis Dei falsorum in diis nominum vana efficiuntur, et quia mentientur inimici, quid a cunctis fieri oporteat, docetur ita : *Omnis terra adorent tibi, et psallent tibi :* Psalmum dicant nomini tuo, Altissime. *Venite,* inquit, *et videte opera Dei.*

Invitantis verbum est, doctrinam enim Dei tanquam in vicinio collocatam posuit. *Et cum venisset,* inquit, *evangelizavit pacem his qui de longe, et pacem his qui de prope* (*Ephes.* II, 17). Ex lege enim multi tanquam de prope manentes crediderunt; ex gentibus autem longe positis Prophetæ prædicatio omnes ad Dei opera contuenda advocat : sed non ea opera, quæ cunctorum oculis subjecta sunt, cœli, aeris, terræ ac maris : hæc enim omnes contuentur : sed ea quæ fidelium tantum studio comperta sunt cum ingenti et admirabili virtute Pharaonem pro impietatis suæ meritis in exemplum humani timoris oppressit; cum mare siccatum est; cum Jordane populus pedibus egressus est : ad hujus igitur Dei opera contuenda Propheta gentes advocat, dicens :

Venite, et videte opera Domini, terribilis in consiliis super filios hominum. Qui convertit mare in aridam, in flumine pertransibunt pede. Sed quid ad universæ terræ salutem proficit? Videamus quid nobis tanto postea gentis Jordanes tunc arefactus impertit, hujus enim aquis primum peccatorum ablutio Joanne pœnitentiam prædicante donata est : per hunc enim fluvium in repromissionis terram populo iter fuerat; nunc quoque per eum via nobis cœlestis regni demonstratur, aquis ipsis Baptismo Domini consecratis. Ubi *lætabimur in ipso,* Propheta subjecit, dicens :

Qui dominabitur in potentia sua in æternum.

Unigenitus enim Dei filius, et si regnavit semper, non tamen semper regnavit in corpore : nam hoc loco tempus illud ostenditur, quo glorificato in gloriam Dei corpori et nomen Dei donatur, et regnum.

Quoniam probasti nos, Deus, igne nos examinasti, sicut igne examinatur argentum.

Comparationis similitudo est : examinandi argenti illa sola ratio est, ut sordes, quæ ex prima terræ materie adhæserint, decoquantur; et si ex alterius metalli natura admixta fuerint, purgentur.

Deus itaque credentes in se, non tanquam ignarus examinat, sed secundum Apostolum tentationibus probationem affert. Sic itaque examinantur credentes, ut igne purgati, et admixtione vitiorum carnalium defæcati, splendeant, examinante innocentiæ claritate. Tentationum autem genera, et diversas Martyrum victorias contuentes scimus quibus modis animæ ponantur in vitam. Alii in vinculis carceris gloriantur, alii cæsi in verberibus gratulantur, alii potestati desecanda felicium capitum colla submittunt; plures in exstructos rogos currunt, et trepidantibus pœnæ ministris ignem saltu devotæ festinationis insiliunt; alii in profundum demergentes, non in aquas necaturas, sed in refrigerium æternum Beatitudinis decidunt, toto ipso corpore Deo hostiam tanquam holocausta præbentes.

Percurrit ergo per hæc passionum genera ex persona Apostolorum et Martyrum propheticus sermo dicens :

Igne nos examinasti, sicut igne examinatur argentum : induxisti nos in laqueum, id est in custodiæ catenas : *posuisti tribulationes in dorsum nostrum,* pœnas scilicet verberum, quibus Apostolus Petrus gaudet, et Paulus exsultat : *imposuisti homines super capita nostra : transivimus per ignem et aquam.* Non in his dissolvitur, sed in aliud per illa transducitur, cum dicit : *Transivimus per ignem et aquam;* et ubi transducatur, Propheta non ignorat dicens : *Induxisti nos in refrigerium.* Resurrectionis scilicet diem significat, in qua post mortis istius tempus non fletur, non peccatur, et vivitur.

Introibo in domum tuam in holocaustis; reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea.

Hæc ergo sunt in tribulatione primum Martyrum vota; tunc deinde, ut ex nobis *holocausta medullata* consumment. Induti sunt arietes ovium : hic enim arietes cum incenso ovium Martyres intelliguntur

tamquam principes gregum. Non solum autem arietes cum incenso offerentur, sed etiam boves offerentur cum hircis; id est contumacis naturæ pecora ad culturam Dei domantur, qui sub momento temporis eruditi sint. Non ergo de pecudibus hæc loquitur, sed in bobus Ecclesiæ hominis figura monstratur : illos scilicet, quos persecutionis tempestas in Martyrum gloriam generavit. Scimus enim plures per ignorantiam exemplo Martyrum ad martyrium cucurrisse, fidei martyrio gloriam consecutos; qualis fuit ille unus de latronibus, qui cum Domino crucifixus in ipsa sua damnatione Deum confessus est, dicens : *Memento mei, Domine, cum veneris in regnum tuum* (*Luc.* XXIII, 42). Cui ita responsum a Deo est : *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.* Postea enim quam personam Apostolorum, Martyrum, Prophetarum Spiritus prophetalis ostenderat, quibus modis animæ essent in vita, eloquitur dicens :

Quanta fecit animæ meæ.

Hanc enim animam posuit in vitam, hanc in refrigerium induxit, hæc in holocaustis domum Dei introivit. Meruit ergo bona anima, quæ ad Deum ore clamavit, non in lingua, sed *sub lingua* : in occultis scilicet lingua Deum confessa est, propter quod ex Martyrum persona dictum est :

Injustitiam si conspexi in corde meo, non exaudiat Deus. Propterea exaudivit me Deus, intendit voci orationis meæ.

In corde suo nullum scilicet vitium contrahens; hic enim dignus fuit audiri. In vita ejus anima posita est : pedes ejus non commoti sunt, et in refrigerium inductus est, et domum Dei introivit, et quæ distinxerat labiis vota persolvit, dicendo :

Benedictus Deus qui non amovit deprecationem meam et misericordiam suam a me. Laudem Deo cœptam in exordio Psalmi, in fine confessus est Deum, cui gloria est in secula seculorum.

INCIPIT PSALMUS CXIX.
Canticum graduum.

Ad te, Domine, cum tribularer clamavi, et exaudisti me.

Psalmorum tituli, ut in Psalmis ostenditur, habent suas proprias significationes, rationem et argumenta scriptorum, quæ subjacent, brevissime continentes : de quibus nunc non est necesse tractare. Tunc enim id fieri oportet, cum Psalmus unusquisque tractabitur : Nunc vero Canticum graduum attingimus, quorum continua et æqualis inscriptio est. In plerisque autem Psalmis multa secundum historiam, et ordinem in superscriptionibus eorum esse indita legimus : ut cum fugit David a facie filii sui Absalon, cum mutavit vultum suum coram Abimelech, cum post Bersabee a Nathan Propheta monetur, et in reliquis sicubi gestorum veritas ipsis Psalmorum titulis continetur. Sed meminisse nos oportet, ejusdem Psalmos non idcirco omnes corporaliter intelligendos; quin potius oportet nos spiritalem intelligentiam sub hac gestarum rerum commemoratione suscitari. Ergo si secundum titulos superscriptos in hoc Psalmo, aliquid de historia contineat, videndum est. In Esaiæ enim libro, orante Ezechia, signum ei positum est in gradibus prorogatæ salutis. Erant autem in domo ejus gradus decem, quos sol ultra temporis sui cursum lumine suo accedente conscendit, rursumque die mortis ejusdem temporis sui lumine decedente descendit. Sed nulla ad psalmos historiæ similitudo est. Hoc tamen quod Ezechiæ datum est signum, manifeste ostendit Dei lumen his, quibus pro meritis futuræ vitæ beatitudo impertitur, accedere; illis vero quibus sit negata, discedere. Esse autem in templo gradus quindecim, historia nobis locuta est, dispositosque ordines consistere, quibus quædam quasi dignitas in antecedentibus obtineretur : ut Levitici primum consisterent, post Israelitæ, tunc Proselyti, et deinceps alii. Psalmi enim non sui tantum temporis res nuntiant, quibus scripti sunt; sed universis, qui in vitam venirent, Dei sermo consuluit. Hos ergo gradus Cantici quæramus, per quos ascendere ad loca, quæ sunt Sanctorum, possimus. Arduus enim usque in ea, et angusti itineris ascensus est. Ideo ait David Propheta :

Ad te, Domine, cum tribularer clamavi, et exaudisti me. Cum enim quis *deprecans juste clamet ad Dominum;* audiet continuo dicentem sibi : ecce adsum. Et quia adest, iterum rogandus est :

Domine, libera animam meam a labiis iniquis et a lingua dolosa. Dolosa autem lingua opus est fallax, quod per vitæ temporalis spem deducit in mortem. Hæreticorum quoque ista mendacia sunt, aliter omnia tradere et docere, quam scripta sunt. Ab his igitur per Dei misericordiam orantes liberamur : et inter eorum tribulationes, clamantes ad Deum exaudiemur. Sub hoc subsequitur.

Quid detur tibi, et quid apponatur tibi ad linguam dolosam? id est quid tibi adversus falsitatem ejus præsidii afferatur? responsum est : *Sagittæ potentes acutæ in carbonibus desolatoriis.* Sagittam autem ipsum Dominum nuncupatum Esaias ostendit, hoc modo dicens : *Posuit me ut sagittam electam, et in pharetra sua abscondit me, et ait, Grande tibi est hoc, vocari te puerum meum* (*Is.* XLIX, 2). Sint ergo hæ sagittæ utrumque in modum exspectatæ, vel in pœnam iniquorum, vel in sanctorum corporum peccatum vulnerantes : sitque vel devastans carbo, vel purgans, purgat autem ad perfectam innocentiam confitentes.

Heu me! quod incolatus meus prolongatus est. Post enim sagittas Domini, et illos carbones desolatorios beati illius regni gloriam desiderat. Neque solum desiderat, sed omnes moras odit dicendo :

Heu me! quod incolatus meus prolongatus est! Tale hoc dictum est, ut cum in Evangelio petimus : *Adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua* (*Matt.* VI, 10). In hoc igitur corpore positus prophetæ spiritus, nimium sibi prolixum incolatum queritur hic, festinans peregrinari a terrenis, et incolare cœlestia; ut derelictis præsentibus, consequatur invisibilia et æterna : ideoque ait :

Heu me! quod incolatus meus prolongatus est : habitavi cum inhabitantibus Cedar. Cedar gens est Ismaelitarum deserta incolens, cujus fines usque Medos et Persas proferuntur. Cedar enim Ismael filius fuit, Genesi testante : *Primitivus,* inquit, *Ismael Naveoth, et Cedar* (*Par.* I, 29). Hi sunt nunc Saraceni nuncupati. Qui ergo Psalmos istos terreno ingenio intelligendos putaverunt, id volunt ex persona populi captivi Prophetam conquestum fuisse, quod in habitaculis Cedar longus illi populo fuerit incolatus. Sed virtutem verbi non sic intelligere debemus : Cedar enim secundum Hebraicam linguam, ut nobiscum pronuntiatur, obscuratio est. Meminit hujus tabernaculi sponsa illa in Canticis canticorum dicens : *Nigra sum, et formosa sum filia Hierusalem, sicut Tabernaculum Cedar.*

Propheta ergo, quia iniquorum consortium et habitationem eorum in obscuratis odiret, ideo ait :

Multum incola fuit anima mea; cum his qui oderant pacem, eram pacificus, cum loquebar illis impugnabant me gratis.

Erat quidem propheta pacificus cum pacis inimicis; sed prædicationem ipsius oderant; et a doctrina Dei commovebantur. Hos ergo modestia sua Propheta in pace cohibebat : ideoque prædicare pacem propheta non desinit; sed pacis prædicatorem inimici pacis impugnant.

INCIPIT PSALMUS CXX.
CANTICUM GRADUUM.

Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.

Humanæ mentis natura ea est, ut si cogitatione aliquid contemplemur, talis se nobis unaquæque species exhibeat, qualem eam et cogitando formemus. Quoquo enim mentis nostræ oculos intenderimus, id ipsum in quod fixi sunt referunt ad sensum. Levavit ergo in montes Propheta oculos : quosnam oculos?

nempe de quibus scriptum est : *Revela oculos meos, et cognoscam mirabilia de lege tua* (CXVIII, 18). Non ergo in id revelandi sunt oculi, quod cernebatur, sed ad id quod intelligi optatur in lege. Mentis oculos Propheta elevavit in montes : quosnam in montes ? non illos utique, quos aspectus videt humanus, sed montes accipimus prophéticos libros ex terra in altum elevatos, per quos sit in superiora conscensus. Poterimus autem et montes intelligere evangelica mysteria, et Cœlorum virtutes, et potestates, quorum ministerio nobis ad cœlum præstatur ascensus. In hos igitur montes propheta oculos cordis elevans, et in his igitur intelligentiæ suæ lumen intendens, totum id quod cogitatione viderat, mente continuit, sciens unde venturum esset auxilium, et dicens :

Unde veniet auxilium mihi. Statimque sibi beata confessione respondet : *Auxilium meum a Domino, qui fecit cœlum et terram.* Hæc felix fides, hæc vera confessio est, hæc spes æternæ cœlestis benedictionis digna muneribus. Tum dicit :

Auxilium meum a Domino, qui fecit cœlum et terram : ideoque ait : *Intende in commotionem pedem tuum, neque dormiet qui custodit te.*

Pes est pars corporis, omne corpus in res agendas efficiendasque circumferens. Sub pedis nomine motus mentis nostræ incessusque significat, et in Evangeliis Dominus pedes alios significans, pedem dextrum scandalizantem jussit abscidi dicens : *Et si pes tuus dexter scandalizat te, abscinde eum* (*Marc.* IX, 44). Ergo ut oculi mentis, ita et pedes intelligendi sunt, habentes in se et intelligentiæ visum, et voluntatis motionem. Et subjecit : *Neque dormiet qui custodit te.*

Domino itaque manente in nobis, pervigil custodia, et indefessa munitio est. Verum si per teporem fidei dormiamus, dormit et ipse nobiscum ; non enim in Deo somnus est, cujus Angeli et nomine, et natura vigilantes sunt ; sed quia secundum fidem nostram aut vigilantem aut dormientem Dei auxilium nobiscum aut vigilabit, aut dormiet ; idcirco Dominus frequenter et vigilans significatur, et dormiens.

Dominus protectio tua super manum dextræ tuæ.

Semper Scriptura dextram partem optimam atque utillimam demonstrat, manum vero effectum omnis operis accipimus, unde illud etiam sic dictum est per Prophetam : *Libera me de ore leonis, et de manu canis unicam meam* (*Ps.* XXI, 21). Liberari se ab operibus malitiæ deprecatur : idcirco *super manum dexteræ* custodia Dei vigilatura promittitur, ut illibata in nobis bonæ voluntatis opera perseverent, quibus manentibus in nobis æterni illius et beati temporis regno detersa omni infirmitate utemur. Nam et hoc nobis quod sequitur Prophetiæ spiritus pollicetur dicens :

Per diem sol non uret te, neque luna per noctem.

Spiritus enim prophetalis novit illam beatitudinem temporum, in qua a nobis omnis demutatio corporeæ infirmitatis abscedet ; in qua non frigus, non calor, non nox, sed æterna dies, et beata temperies sit, justitiæ in nos sole dominante, cujus temporis requiem jam in eremo Dominus præformans, populo suo diurnum calorem in columna nubis, et nocturnum frigus ac tenebras in columna ignis temperabat. In hac igitur æternorum temporum custodia quisque Domini custodiam promeruit, permanebit, ne gelu lunæ et calore solis uratur ; sed seculi hujus injuriis liberatus in æterno, et beato regno corporis sui sumat solidam immutabilemque naturam. Sequitur deinde :

Dominus custodiet te ab omni malo.

Fidelem animum ab omni malo Dominus custodit, id est ne eum Diabolus corrumpat, ne fur obrepat, ne lupus laceret, ne leo vastet. Hæc enim sunt Diaboli ministeria vitiis consumere, blandimentis subrepere, obtrectationibus lacerare, et tota virtutis suæ potestate vastare. Ab hoc igitur omni malo exspectanda custodia est : idcirco consequitur :

Custodiet animam tuam Dominus. Ne quid tot malis in eam sit potestatis.

Dominus custodiet exitum tuum et introitum tuum, ex-hoc nunc et usque in seculum.

Cum enim exeuntes de corpore ad introitum illum regni cœlestis per custodiam Domini fideles omnes reservabuntur, in sinu scilicet interim Abrahæ collocati ; quo usque introeundi rursum in regnum cœlorum tempus adveniat. Custodiet Dominus exitum, custodiet introitum : ipse est enim, qui ait : *Ego sum janua* ; et, *nemo vadit ad patrem, nisi per me* (*Joan.* X, 7 ; XIV, 6). Ipse est Dominus Jesus Christus qui est benedictus in secula.

INCIPIT PSALMUS CXXI.

FELICITER CANTICUM GRADUUM.

Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi : in domum Domini ibimus.

Qui spe cœlestis desiderii tenetur, nihil obscuritatis in hoc spiritus Psalmo habebit : namque cum se meminerit scriptum cohæredem, et similem Angelis, ex resurrectione renovandum, futurumque incolam civitatis cœlestis vivis lapidibus exstructæ, de qua Paulus memorat : *Jam non estis advenæ, neque peregrini, sed estis cives Sanctorum, et domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum* (*Eph.* II, 19) : cumque legerit ea, quæ nunc sunt, ex parte adnuntiata ab Angelis formata in lege, exposita a Prophetis, prædicata ab Apostolis ; tunc ipse sibi necessario proclamabit, exemplo Prophetæ dicens :

Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi. Sed quæ sunt illa quæ dicta sunt, in quibus lætitia suscepta est ? nempe id quod sequitur :

In domum Domini ibimus.

Ergo quia hæc antea dicta sunt, propterea lætatur, gaudetur, quod eundum in domum Domini sit. Quæ autem sit domus Domini, in alio Psalmo declarat, dicens : *Quoniam elegit Dominus Sion, prælegit eam in habitationem sibi. Hæc requies mea in secula seculorum, hic habitabo quoniam prælegi eam* (*Psal.* CXXXI, 13). Non utique hanc terrenam, quæ prophetas occidit et lapidavit ; sed illam liberam et cœlestem Hierusalem. Ne forte quis ignoret in vanum nos in eam domum ituros, subjecit dicens :

Stantes erant pedes nostri in atriis Hierusalem : Non incerta nuntiant, non incognita pollicentur. Hanc domum desiderabilem et dilectam a multis agnovimus. Nam in alio psalmo ait :

Unam petii a Deo, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ (*Ps.* XXVI, 4). Hæc domus desiderabilis est, fundamento duodecim vivarum gemmarum esse vivos lapides exstructos, excisos : primum id opus ædificationis est a Moyse in lege, a prophetis in passionibus suis, ab Apostolis in martyriis. Ii ædificatores, hæc civitas, hic stantes sunt pedes Sanctorum, cujus domus custodes sunt Apostoli, quibus datæ sunt claves, sicuti dictum est : *Vobis dabo claves regni cœlorum.* Hæc est *Hierusalem, quæ ædificatur ut civitas :* ædificatur enim usque ad diem consummationis, donec intret in eam plenitudo gentium, *cujus participatio est in ipsum.* Quicumque enim se a cœtu Sanctorum et ab Ecclesiæ corpore separant, participationem sanctæ istius domus non habebunt. Quia participatio civitatis hujus in ipsum est : omnes enim, qui uno animo sunt, in ea erunt :

Ascenderunt tribus tribus Domini Sunt enim qui non sunt Domini, quibus dictum est : *Vos estis filii Diaboli.* Tribus ergo, quæ sunt Domini, ascendent, id est qui secundum testimonium Dei intrant in sanctam civitatem.

Ad confitendum, inquit, *nomini ejus.* Sed confessio ista judicium est. Judicatur enim per eos, quibus dictum est : *sedebitis super duodecim tribunalia, judicantes duodecim tribus Israel.* Non solum hi judicabunt, sed et Regina Austri et ipsa judicabit, et Ninivitæ condemnabunt ; quia hi pœnitentiam prædicante Jona propheta egerunt, et Regina Austri ex ultimis terræ partibus veniens sapientiam Solomo-

nis audivit : in qua regina Ecclesiæ figura est, quæ peregrina et incognita pœnitentiæ credidit, et sapientiam desideravit audire.

Quia illic sederunt sedes in judicium, sedes super domum David. Sicut enim in cæteris locis nomen Dei ex corpore est ; nunc quoque Scriptura ipsum Deum David nuncupat, nomen ei ex parente carnis assumens.

Rogate quæ ad pacem sunt Hierusalem. Rogate non orandi, sed interrogandi sermo est : pacem discere in voluntate est audientium. Cum enim de pace ejus interrogaverint, tunc lætabuntur, tunc confidenter dicere poterunt : *in domum Dei ibimus.* Dehinc sequitur : *pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis.* Pax atque virtus domus hujus invicem connexa sunt sibi. Sed in omni genere civitatis nihil neque firmius, neque utilius, neque excelsius turribus est. Nam cum de pace virtutis memoria esset, abundantiam beatitudinis perfectæ civitatis hujus principibus populorum, tamquam firmissimis et gravissimis deputavit, dicens :

Et abundantia in turribus tuis : Per quod intelligitur, abundantiam hanc non promiscuam omnibus esse ; sed Fidelium tantum, et Sanctorum virorum, qui cæteris velut turribus ædificiorum emineant ; id est Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres ; de quibus Dominus in Evangelio ait : *Pater, pro his te rogo, ut omnes unum simus* (*Jo.* XVII, 21) : hic est Dominus noster Jesus Christus, qui est benedictus in secula.

INCIPIT PSALMUS CXXIV.

FELICITER CANTICUM GRADUUM.

Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion non commovetur in æternum ; qui habitat in Hierusalem, montes in circuitu ejus, et Dominus in circuitu populi sui.

Est enim mons Sion civitati Hierusalem imminens : est autem eadem civitas ita posita, ut circa ipsam plures sint montes. Qui ergo confidit in Domino, illum profectum habebit, ut sit sicut mons Sion. Non enim Hierusalem ipsa sanctificationem habitantibus afferebat, ut habitatio ejus firmata esset æterna : cum exinde sacrilegia, cædes prophetarum, judicium mortis in Deum, fuga Apostolorum, Crucis scandalum sit. Habitantes autem in eam quoties captivi? quoties perempti? ad ultimum civitas eadem funditus diruta est. Hierusalem itaque eversa populi ejus exstincti sunt : hodie in ea non Sacerdos, non Propheta, non princeps. Et quomodo habitatio ejus non commovebitur in æternum? et Dominus in circuitu populi ejus? sed quia in hoc monte fructus Prophetiæ nullus est, quid in monte intelligi oporteat Esaias docet, montem Domini excelsum significans ad quem gentes venturæ essent. *Ecce mitto in fundamenta Sion lapidem præclarum, electum, angularem, pretiosum ; et qui credit in eum non confundetur* (*Es.* XXVIII, 16). Hoc in loco fundamentum Christum significat ; per quem beata illa Ecclesia intelligi videtur, quam Apostolus alio nomine Hierusalem nuncupat dicens : *Quæ nunc est Hierusalem serviens cum filiis suis* (*Gal.* IV, 25) : ea autem quæ sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater nostra. Habemus ergo montem Sion Domini, habemus et civitatem Dei Hierusalem : et nomen montis interpretatio est speculatio. Sequamur ergo Apostolum, sequamur Evangelium, sequamur Prophetas. Confidamus in Domino, qui mons dictus est : habitemus nunc in Ecclesia Hierusalem, quæ non movetur in æternum.

Et Dominus in circuitu populi sui ex hoc et usque in seculum. Hoc in loco *in circuitu populi* Evangelium significat. Namque cum ad Moysem Dominus dixisset : *Ecce angelus meus antecedet te ;* ille respondit : *Nisi tu mecum ambules, ne me expellas hinc* (*Ex.* XXXII ; 34. XXXIII, 15). Bonum quidem præsidium Angeli, sed melius Domini : multis enim anima nostra laqueis appetitur, multis adversus nos armis dimicatur. Sciens ergo Dominus non adversus carnem et sanguinem nobis pugnam esse, sed adversus mundi hujus potestatem, ait Evangelia consummans : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque in consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20).

Qui non relinquit virgam peccatorum super sortem justorum ; ut non extendant justi in iniquitate manus suas.

In virga potestatem intelligi convenit. Virgam accepit Moyses, qua posset facere signa : fuit et virga Aaron, fuit et virga Pharao, fuit et virga Nabuchodonosor. Ergo in circuitu nos Deus custodit ; ne super sortem nostram peccatorum virga derelinquatur. Veniunt quidem tribulationes, sed non permanent : veniunt persecutiones, sed non persistunt. Non enim super sortem nostram peccatoris virga derelinquitur ; Dominus namque in circuitu populi sui est in æternum. Quam autem retributionem a Deo mereatur is, qui ab omni iniquitate manus suas abstineat, insequitur dicens :

Benefac, Domine, bonis et rectis corde.

Nam retributio ut bonis, ita et malis non deest ; sicut subsequitur :

Declinantes autem ad obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem. Qui enim operatur iniquitatem, legis alienus est : qui autem declinat ex lege, transgressor est legis. Ab his ergo mens nostra alienanda est, ne adducatur homo cum operantibus iniquitatem. Qui enim ista universa observaverit homo pacificus, non derelinquit super se virgam peccatoris ; sed fide perfecta permanet in æternum : et audiet pro meritis sibi dici : *Pax super Israel.* Ille est enim pax nostra, qui fecit utraque unum, Dominus noster Jesus Christus, qui est benedictus in secula.

INCIPIT PSALMUS CXXXII.

Ecce quam bonum est et jucundum habitare fratres in unum.

Bonum et jucundum est in unum habitare fratres. Cum in unum habitant, conventu Ecclesiæ congregantur : cum fratres nuncupantur unicæ voluntatis charitate concordes sunt. Ad primam enim Apostolorum prædicationem hoc magnum præceptum fuisse legimus quod dicitur : *Erat enim omnium credentium cor, et anima una* (*Act.* IV, 32). Hoc itaque populo Dei congruit, sub uno Patre fratres esse, sub uno Spiritu unum esse, sub una domo unanimes incedere, sub uno corpore unius corporis membra esse. Jucundum et bonum est habitare fratres in unum. Comparationem vero hujus boni jucundique Propheta constituit, dicens :

Sicut unguentum de capite, quod descendit in barbam, Aaron, quod descendit in oram vestimenti ejus. Aaron unguentum, compositio fuit ex odoribus, unde unguitur in sacerdotem. Hanc consecrationem primum Sacerdoti suo Deo esse complacuit. Dominum quoque nostrum invisibiliter unctum esse a consortibus suis. Unctio ista terrena non est : non cornu, ut reges unguebantur, sed oleo lætitiæ unctus est. Denique post hanc unctionem Aaron.....

EPISTOLA NUNCUPATORIA

EDITIONIS BENEDICTINÆ

EMINENTISSIMI D. D. CÆSARI ESTRÆO S. R. E. CARDINALI.

Inter præcipuos studiorum nostrorum, immo et A totius Congregationis nostræ patronos ac fautores, cum te jam dudum in primis suspiciamus, EMINENTISSIME DOMINE; nemini mirum videri debet, quod S. Hilarii Opera, quæ novis recognita curis, et pro modulo a nobis illustrata in lucem denuo prodeunt, Eminentiæ tuæ nuncupemus et offeramus. Nam post tot honorifica testimonia, quibus non modo universum cœtum nostrum, verum etiam quorumdam e sodalibus nostris, tum in sanctorum Patrum scriptis recensendis, tum in eruendis venerandæ antiquitatis monumentis labores summis Pontificibus, sacro Collegio, totique Romanæ curiæ approbare dignatus es; sane committendum non erat, ut tam propensa in nos benevolentia et humanitas debita grati animi testificatione fraudaretur. Quod repugnante æquitate ne B eveniret, nihil opportunius aptiusque nobis succurrere poterat, quam nova hæc magni Hilarii Operum editio, quæ, si quidem præsentium ac futurorum hominum oculis indigna non erit, beneficentiam istam reddet immortalem.

Neque vero tam bonum et idoneum pro nobis vadem, uti speramus, recusare volueris, EMINENTISSIME DOMINE, utpote qui et solvendo non impar sit, et futurus debitor minime morosus et ingratus, qualem certe vel optare potuisses. Si enim generis claritatem quæris, eximius ipse inclytæ gentis Estrææ splendor: fuit ille, quod ex Fortunato discimus, *inter Gallicanas familias lampade nobilitatis non obscurus* (Fortunat. lib. I Vit. S. Hilarii; Hier. præf. in lib. II Comm. ad Gal.). Si candorem, si generosum pectus, quæ sunt C animi tui dotes, amas: idem erat *gratia generositatis et nitore pectoris ornatus*. At fortasse eloquentiam, vir ipse eloquentissimus, ulterius cupis: *Rhodanum eloquentiæ* eum vocat Hieronymus. Placet libertas dicendi, qualem in Romanis illis comitiis sæpius exhibuisti? Nemo Hilario in dicendo liberior aut constantior, vel Constantio Augusto teste. Denique si fidei catholicæ amorem ardentissimum probas, ut certe probare te demonstrant, quæ ad detegendam et in ipsomet ortu suo configendam nefariam hæresim cum Eminentissimis collegis tuis nuper præstitisti: fuit Hilarius religionis columna quæ nutantem fulsit Ecclesiam, ejusdemque beneficio *Gallia monstra non habuit, hæresis periculo ab ipso liberata*: qui *permensus est orbem terrarum malo perfidiæ infectum, ut cunctos* D *ad emendationem et pœnitentiam revocaret*. Unde ab eo quæsitum in concilio Seleuciensi, *quæ esset Gallorum fides*, ibique *in spectaculum mundi productus est*: Tu vero in Europæ theatrum identidem productus, Gallicanæ Ecclesiæ fidem ac Regni jura, primum quidem in prolusionibus istis publicis, quibus ad lauream doctoralem te disponebas, quam edito singulari eruditionis specimine, anno ætatis vigesimo primo nondum absoluto, summo omnium plausu assecutus es; deinde in variis actionibus tanto studio, tanta felicitate ac dexteritate asseruisti, ut nulla vel repentina occasio te umquam imparatum invenerit, nulla, quantumvis difficilis et ardua, turbatum te et anxium effecerit.

Jam vero quanta reverentia Magnum Gallicanæ ecclesiæ Præsulem, pervigilem atque indefessum domus Dei speculatorem suspicies, cum tu ipse ecclesiæ Laudunensi, meritorum magis quam ætatis habita ratione, nominante rege præfectus, assiduus in lustrationibus parochiarum, sedulus in celebrandis ordinationibus, frequens in administrando populis tuis confirmationis sacramento, quorum numerum pene incredibilem sacra unctione tinxisti, quibus senectus et invaletudo decessoris tui hoc beneficium negaverant; imperatis per universam diœcesim de rerum ecclesiasticarum usu atque doctrina certo tempore recurrentibus colloquiis, clero ad exactiorem disciplinam revocando, erecto a fundamentis seminario, fundato in commodum egenorum utriusque sexus, puerorum, senum, invalidorum, tam urbis, quam universæ diœcesis xenodochio, monitis, adhortationibus, edictis abunde ostenderis, quid deceat ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei, quos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei? Cum autem Romam evocatus, ac sacro Cardinalium cœtui adscriptus, C Ecclesiæ et regni negotia per plures annos sustineres; ne tot recte instituta in diœcesi Laudunensi longiori absentia deterrerentur, annuente rege, ex tua gente tibi successorem delegisti, qui quæ a te optime præstita ac stabilita fuerant, non modo servare, sed et consummare posset, consiliorum tuorum non solum particeps, sed æmulus, qua in re nequaquam te divina bonitas destituit, aut fefellit eventus. Ad hæc cum jam plurimas Galliarum diœceses exortæ dissensiones invasissent, et ipsimet episcopi in adversas partes distrahendi viderentur; a studio partium alienus, veritatis et subjectionis amans, ea æquitate, ea prudentia ecclesiæ Laudunensi prospexisti, ut pacata semper et ab his procellis libera tutaque exstiterit. Nec privatæ tantum ecclesiæ tuæ tranquillitati studuisti, verum dum de componendo tanto negotio, sedandisque contentionibus, quæ in apertam discordiam erumpere potuissent, ageretur; accersitus a rege, Pontifici gratus, nemini suspectus, quis nescit quam egregie, quam feliciter laborasti in restituenda Ecclesiæ Gallicanæ pace, quæ viget adhuc, et tam altas

radices egit, ut victuram semper, duraturamque speremus?

Et quid mirum, si tanta facilitate res maximas fidei tuæ commissas geris, qui ab illustrissimo parente, in Romana legatione res Gallicas fortiter agente, fueris ad difficiliora negotia sermonibus et exemplis pene adhuc puer informatus! Scilicet, quod ex summo genere, pacis bellique muneribus clarissimo, ortus es, et quod in urbe Roma educatus, hæc te et ad purpuram, et ad magna quæque gerenda natum portendebant.

Quam non vanum omen fuerit, testantur variæ, quas in Germania, Lusitania atque Italia, præsertim vero in ipsa urbe Roma gessisti legationes, quibus tanta diligentia perfunctus es solus, ut nulli umquam negotio defueris; tanta religione ac charitate cum aliis ut laudis æmulatione ne latum quidem unguem ab officii sedulitate deflexeris. Sed, quod in ecclesiastico viro summopere laudandum est, gravissimis licet immersus negotiis, amorem quem in litteras et in litteratos juvenis conceperas, ætate progrediente non minore studio retinuisti; et sicut illas neglexisti numquam, ita hos singulari semper benevolentia es complexus.

Quid dicam regias affinitates, quas dum regni commodis inservis, Estrææ genti tot olim titulis decoratæ adjunxisti? Verum ad laudum tuarum cumulum sufficit regis omnium maximi tam benigne, tam strenue, tam constanter impensum pro obtinenda tibi purpura patrocinium: cujus adeo excelsum et honorificum de te judicium, purpuræ ipsi non impar, insigni fidei et subjectionis exemplo confirmasti, cum oblatam dignitatem ea conditione quæ mandatis regiis minus consona videbatur, pari constantia recusasti. Non ignota loquimur. Vivunt adhuc tam splendidi facinoris præclari testes, ejusque memoria vigebit semper apud posteros. Non miramur itaque si te factorum gloria ubique sequitur, quæ utinam sic ad posteros pertingat, ut inscribatur æternæ illi memoriæ, cui nihil perit: quemadmodum Hilarii fama, non contenta Galliæ terminis, exteras etiam nationes, immo et cælos ipsos implevit, meritorum gratia percurrente, idque efficiente, ut in utroque orbe sanctissimi *Pontificis gloria militaret*.

Dum in hæc vota desinimus, modestiæ consulimus tuæ, EMINENTISSIME ECCLESIÆ PRINCEPS, quæ nec se immodicis patitur onerari præconiis, nec cum Magno Hilario conferri. In eo siquidem multa suspicis imitatione, immo et admiratione digna, zelum pro catholica veritate et pro justitia intrepidum, fortes pro religione apologias, diuturnum exilium, aliaque præclara facta, quæ gloriosum Christi Confessoris titulum ipsi compararunt: quod unum sane quibusvis elogiis illustrius merito existimas.

Tanti Doctoris ac Pontificis Opera tuis auspiciis, VIR EMINENTISSIME, dum committimus, non Hilario ipsi, sed nobis, studiisque nostris patrocinium ex te conquirimus: quod cum antehac immeritis præstiteris, in posterum, uti ex tua benignitate sperare licet, Hilario suffragante non denegabis. Nos vero gratias tibi habebimus immortales, quod tam facile te exorari patiaris; gratiam singularem Hilario, cujus beneficio effectum est, ne simus ingrati: eritque hæc ejus Operum editio perenne observantiæ in te nostræ, adeoque grati animi monumentum. Ita vovent

Eminentiæ tuæ

Addictissimi et obsequentissimi

Monachi Benedictini Congregat. S. Mauri.

PRÆFATIO GENERALIS.

Ecclesiam sincere diligere, et inclytum illius defensorem Hilarium summa observantia non colere difficillimum est. Dum viveret, nescio quas gravitatis simul et benignitatis notas præ se ferebat, ut cum catholicorum dux, hæreticorumque terror esset, utrorumque tamen non admirationem solum, sed et reverentiam sibi conciliarit. Eum quidem nonnulli per fraudem oppugnare, at coram illi resistere nemo umquam ausus est. Illorum dolis ab Occidente divulsus, non tam huic parti ereptus visus est, quam Orienti datus, ut nulla pars orbis illius lumine non frueretur. Tum enim Occidentis ecclesiæ consilia ipsius exquirere non desierunt, ut eorum sapientia regerentur, et ipsi morem gerere Orientis episcopi paulatim assueverunt. Quocirca tenebricosa hæresis, quæ in iis regionibus principatum tenebat, tanti sideris accessum sustinere diutius non valens, sibique aut cedendum, aut Hilarium e finibus illis exturbandum esse prospiciens, cum nova splendore Galliis reddidit, cujus lucem extinguere se posse arbitrabatur. Inculpatum virum, in quem adversarii, calumniandi arte pollentes, non potuerunt tunc quidquam excogitare criminis, quo ipsum perderent! Felix culpa unica ei objecta, quod hæresis eo præsente nulla pace frui nihilque moliri sineretur! Et vero reditu ipsius in nihilum cessit, quidquid ante in Italia, Illyrico, Gallia tentaverat: et *apud omnes constitit, unius Hilarii beneficio nostras* (nominatim) *Gallias a piaculo hæresis liberatas*. (*Sulp. Sev. lib.* II *Hist. sac.*)

2. Hæc et alia fortissimi confessoris gesta qui probe consideraverit, facile assentietur eum Ecclesiæ datum, ne portæ inferni adversus illam prævalerent: neque inficias ibit, summa cum veneratione a catholicis excipiendam esse doctrinam ejus, qui hæreticis adeo reformidandus fuerit. Jam vero ut in eam quisque commodius utiliusque incumberet, opellam *nos-*

tram, quam in aliorum Patrum editione nonnulli favore assensuque suo sese approbare testati sunt, ad scripta ipsius recognoscenda non recusavimus. Et certe hoc ei officium plurimis nos titulis debere confitemur. Cum enim eum cum omnibus Ecclesiæ alumnis veneremur ut patrem ac magistrum, et nominatim cum Gallis ut Galliarum nostrarum decus et ornamentum amplexemur; eo tamen nomine nobis singulariter carus esse debet, quod prima in Galliis jecerit monasteriorum fundamenta. Demum si non quod nostra, sed quod Ecclesiæ refert, respiciamus; quis neget tanto pluris ejus interesse, ut pura ac sincera habeat Hilarii scripta, quanto majoris sunt ad fidem illius adstruendam auctoritatis? Nam cum Ecclesia fidem suam a Christo et Apostolis teneat, illi eo graviores sunt testes, quo apostolicis temporibus viciniores. Neque multos e latinis Patribus recensere est, qui ætate Hilarium præcedant. Nam post Tertullianum, Lactantium atque Cyprianum, vix unum reperias alicujus nominis eo antiquiorem. Ille vero toi fere præcones habet, quot nobis post ipsum præstitit Deus fidei Doctores.

3. Primum a toto Concilio Parisiensi *fidelis Dominici nominis prædicator* cognominatus, subinde ab Augustino audiit *Ecclesiæ catholicæ adversus hæreticos acerrimus defensor : catholicus et insignis Ecclesiæ catholicæ doctor, et non mediocris auctoritatis in tractatione Scripturarum et in assertione fidei vir.* (*August. lib.* I *cont. Julian. cap.* 3; *lib.* II, *c.* 7; *et lib.* VI, *de Trin., c.* 10). Tum a Cassiano (*lib.* VII *de Inc. c.* 2; *lib.* X, *c.* 5; *lib.* I, *c.* 4) laudatus est ut *Magister Ecclesiarum*, et a Facundo Hermian. nunc ut *Arianorum potentissimus atque acerrimus expugnator*, nunc ut *doctissimus antistes et fortissimus confessor*. Sed elogia cætera superat illud, quo eum Facundus (*Lib. contra Mocianum*) idem vocat *prudentem ac moderatum Ecclesiæ gubernatorem* : quasi qui non unius, sed totius Ecclesiæ susceptisset prudenterque moderatus esset gubernaculum. Apud Hieronymum autem, ut cæteros interim sileamus, quantæ auctoritatis fuit? Ille se satis purgatum putat, ubi ostenderit sibi præluxisse Hilarii exemplum : *Sic hoc crimen est*, inquit epist. 75, *arguatur et confessor Hilarius* : et epist. 62 : *Hoc non solus ego feci, sed et confessor Hilarius*; ac demum epist. 101, cum ipsi suppeteret unde se multorum exemplo tueretur, unum hoc protulit : *Sufficit in præsenti nominasse Hilarium confessorem.*

4. Ipsi etiam Græci, in laudandis Latinis quamvis parcissimi, ab illius tamen laude minime abstinuerunt. Eum cum ob sanctitatem vitæ, tum ob doctrinæ atque eloquentiæ præstantiam egregie commendant Socrates lib. III, c. 10; Sozomenus lib. III, c. 14 et 15, necnon lib. V, c. 13. Nicephorus Callixti lib. X, cap. 17. Ipsius etiam testimoniis dicta sua firmant Theodoretus Dial. 2; Ephrem. Theopolit. apud Photium page 807, ubi *Gabalitarum episcopus* falso nuncupatur. Quin et Chalcedonense concilium non modo act. I, pag. 310, et act. II, pag. 340, inter eos illum recenset, ex quorum doctrina exponendum esset fidei de Incarnationis mysterio decretum : sed et Act. II, p. 357, primo loco ponit quæ ex scriptis illius excerpta sunt. Nunc quid in illorum variis editionibus præstitum sit videamus.

I. *De variis Operum S. Hilarii editionibus.*

5. Ex Roberti Fortunati Macloviensis ad Badii editionem præfatione accipimus, libros de Trinitate, ad Constantium, contra Constantium, contra Auxentium et de Synodis, primum Georgii Cribelli presbyteri opera in lucem prodiisse; tum Commentarios in Psalmorum explanationem a Johanne Solido Cracovio, adhortante Jacobo Fabro Stapulensi, e situ et squallore fuisse redemptos; ac tandem anno 1510 Badium Ascensium, cum a Guillelmo Parvo regiæ confessionis auditore Tractatus in Matthæum una cum epistola ad Apram e sancti Benigni Divionensis cœnobio erutos accepisset, eosdem cum prædictis Hilarii Operibus prælo suo Parisiis subjecisse ac divulgasse. Optandum fuerat, ut quemadmodum a suppositiliis pura, ita et a mendis innumeris castigata prodiisset hæc editio.

6. Tredecim post annis Erasmus ad libros potissimum de Trinitate castigandos animum appulit : Tractatus alios ut plurimum aut neglexit prorsus, aut propter veterum codicum penuriam emendare non valuit; laudem tamen suo ex labore relaturus, si se a declamatoria præfatione abstinuisset, quæ et sacræ inquisitioni Romanæ, et Parisiensi (1) Theologiæ Facultati censuris digna merito visa est. In hac quippe, ut Gillotii verbis utamur, *vanissimis contumeliosisque digressionibus, quas gratiosis excusationibus involvit*, plurima Hilarii dicta gestaque sinistram in partem sic interpretatur, ut videatur ex liberiori quadam carpendi sanctum virum licentia gloriam sibi facere voluisse. Modo enim Arianos excusat, quo pium Præsulem acrius mordeat : modo quæ virtutem in eo spirant, vitio tribuit. Ubi ille summæ moderationis suæ fidem hinc facere conatur, quod per totum exsilii tempus nihil contra Arianas partes famosum aut scripserit aut dixerit; eam etiam fingit Erasmus tam diuturni silentii causam, *quod in tanto mundi dissidio nonnihil ambigeret illius animus quæ vera fides esset* (*Lib.* VI *de Trin.*, *n.* 21). Quasi vero de fide vel minimum dubitasse credendus sit, qui se pro ipsa tuenda commori posse, nec ab ea posse ulla ratione divelli et dixit et vere se dixisse tam longo tamque diuturno exsilio ac multis aliis præclare gestis evidentissime comprobavit. Quid illud, quod cum sola Christi causa, ut silentium rumperet, permotum se testatur Hilarius (*In Constant.*, *n.* 2 et 3), Erasmus vult hoc factum esse exsilii impatientia? His aliisque indicavit, numquam sibi satis notum fuisse fortissimi confessoris animum, seque illius Opera, in quibus intrepidam fidei suæ constantiam ubique graphice consignavit,

(1) *Recenseturinter libros censura notatos ab anno* 1544 *ad an.* 1556.

festinanti animo attigisse. Hinc non satis accuratus lectionum delectus, sæpe etiam neglectus. Hinc præpropera illius de doctoris nostri scriptis, doctrina, gestis, moribus, et plerumque falsa judicia. Hominis multis occupati lubenter excusamus lapsus, ultro etiam silentio premeremus, nisi natæ inde quædam opiniones Hilario contumeliosæ plurimorum animis altius insedissent. Quamquam nemo eum facile excusatum habeat, quod in dicenda de rebus gravissimis sententia tam facilis tamque præceps fuerit. Quis enim eum non damnet, quod quidquid Hieronymus contra Hilarium diaconum Luciferianum scribit, ad Hilarium Pictavensem episcopum referat, licet postmodum fateatur se incertum esse, an adversus ipsum Hieronymi dicta intelligenda sint? Ut enim mittamus quod non admodum abstrusa erat hujus rei perceptio, certe ab incerto in catholicum Ecclesiæ doctorem ac defensorem præfractæ hæresis suspicio nullo pacto injicienda erat. Hanc Erasmi editionem anno 1525 Basileæ typis suis adornavit Frobenius : apud quem, adjecto *de Patris et Filii unitate* pseudo-Tractatu, anno 1535 recusa est.

7. Erasmi tamen laborem plurimum laudavit Ludovicus Miræus, ipse diligentia vicit. Nam scriptis exemplaribus accurate collatis, quidquid in eis a Frobeniana editione diversum nactus est, non minore cura notavit. Plurimos codices *miræ antiquitatis* se contulisse testatur, unos nominat Victorinos, qui certe antiquitatis titulo a multis longe superantur. Ex eadem S. Victoris bibliotheca eruit librum de essentia Patris et Filii, duas ad Augustinum epistolas, ac Metrum in Genesim : quæ cum genuinis Hilarii Operibus anno 1544 Parisiis apud viduam Carolam Guillar excudi curavit.

8. Hæc Miræi editio omnium, quæ ante et post prodiere, licet nostro judicio castigatior, ita tamen rara est, ut lustratis pluribus Parisinis bibliothecis, eam detegere nos posse jam desperaremus, cum in magno Carmelitarum Conventu offendimus. Et ea quidem neglecta, immo nec memorata, Hilarii lucubrationes, quales ab Erasmo prodierant, tertio Basileæ apud Frobenium anno 1550, vulgatæ sunt *vigilantissime et ad plura exemplaria per D. Martinum Lypsium collata et recognita*. Neque neganda est in mendis typicis emaculandis Lypsii vigilantia : sed in conquirendis ac recensendis mss. curam posuisse videtur longe minorem, quam in excogitandis conjecturis, in quibus non semper, immo raro felix fuit.

9. Nemini hactenus venerat in mentem, ut vitam Hilarii Operibus ipsius præmitteret. Primus hoc opus suscepit Johannes Jac. Grinæus, quod anno 1570 Eusebio Episcopo Basileæ in fronte lucubrationum sancti Doctoris edendum tradidit. At quam jejuna, arida, imperfecta ac falsa est illius narratio! Tempora vix usquam recte assignat, plurima omittit Hilarii gesta, falsa aliunde adsciscit, et in nascentis hæreseos gratiam aliquot adjungit fabellas valde puériles. Hæc porro vita ex iis potissimum conflata est, quæ adversus Hilarium diaconum baptisma hæreticorum non recipientem Hieronymus dialogo contra Lucifer. scripsit. Animadvertit quidem Grinæus objectari sibi posse, eum ibi ab Hieronymo Hilarium notari, qui in diaconi munere defunctus ad episcopatum numquam pervenerit : sed brevis ei succurrit expeditaque responsio, mendum in Hieronymi libros irrepsisse. Non levioris momenti est, quod in eadem vita asserit, *quosdam ex D. Hilarii collegio sodales, sive Canonicos quos vocant, extitisse qui dicerent, licere ipsis honorabile conjugium contrahere ex instituto Hilarii, qui legem de cœlibatu suis minime scripsisset*, tam gravis assertionis audi lepidam probationem, *ut mihi narravit vir clarissimus Gasparus Hervagius J. U. consultissimus et amicus meus*. Quibus ineptiis confutandis, aliisque referendis supersedemus.

10. Ut primum hujusmodi vitam, eique adhærentem Erasmi præfationem perlegit Gillotius, utrumque opus, ut sanctissimo præsuli contumeliosum, ac pietati catholicæ valde noxium, a christianis lectoribus abjiciendum judicavit. Ipse melioris voti compos commentationem eis substituit, in qua primum veniunt quæ ad Hilarii historiam spectant, ex illius aliorumque veterum scriptis collecta ; tum de ipsius stylo et scriptis disserit; ac postremo locos suspectos notat, et quantum potest benigne interpretatur : opus pro illa ætate exquisitum et laude dignum, quamvis permulta in eo reperire sit, quæ historiæ jam limatiori atque accuratiori assuefactos nonnihil offendant. Commentationi huic Hilarii aliquot elogia, ac vitam per Hieronymum ex lib. de Script. eccl. per Fortunatum et Gregorium Turon. necnon Petri Damiani de translatione S. Hilarii Sermonem adjecit : libros autem de essentia, ac de unitate Patris et Filii, centonibus dumtaxat ex quibus constant notatis, suppressit. Ac demum in indicandis plerisque Scripturarum locis suam probavit diligentiam : at illibatum prorsus reliquit Hilarii textum in quem etiam incuria Nivellii, qui hanc editionem an. 1572 typis elegantibus sed manu minus accurata adornavit, menda irrepserunt non pauca.

11. Tandem ut puriora et limpidiora Rhodani hujus latinæ eloquentiæ fluenta laberentur, anno 1605, animum adjecere typographi Parisienses; a quibus quid eo in negotio præstitum sit, nunc audiamus. *Primum*, inquiunt, *ab eo qui prælegere preloque adornare libros excudendos solet, Hilarii Opera curavimus cum optimis quibusque mss. codicibus conferri : quos benigne nobis ac liberaliter locupletissimis suis bibliothecis viri clarissimi atque eruditissimi suppeditarunt, ad libros de Trinitate Nicolaus Faber, ad Tractatus in Psalmos Jacobus Bongarsius, ad Commentarios in Matthæum recensendos Paulus Petaveus Senator Parisiensis. Deinde vero cum adscriptis ad oram marginis variis lectionibus suam nobis operam vir quidam doctissimus non denegasset, ut earum delectu habito, quæ jam receptis præferendæ viderentur, reliquas expungeret ; visum est etiam ab altero impetrandum, ut*

eas, quæ in superioribus editionibus toleratæ fuerant, sub libri calcem colligeret : ne forte a te illæ quoque desiderarentur, sive quod earum verbis alibi citata testimonia quædam possent occurrere, sive quod utrum his novis posthabendæ fuerint, judicio tuo velles expendi. Adjecimus præterea Fragmenta ex opere historico, quæ an. 1598 (apud Ambrosium Drouar Nicolai Fabri opera) *v. c. P. Pitheus publici juris fecit, et exscriptos ex iisdem mss. libris Tractatus in Psalmos* 13, 14, 149 et 150.

12. Post tot tamque variorum hominum in hac editione impensos labores, non multo tamen puriora prodierunt disertissimi Doctoris scripta. Qui enim variis lectionibus seligendis operam suam commodavit, sive judicii fuerit non admodum exquisiti, sive, ut sæpe fit in iis quæ alieno nomine laborantur, hoc perfunctorie obierit, sæpe numero mutavit quæ retinenda fuerant, et contra quæ fuissent mutanda retinuit. Hinc qui in editione anni 1631 variantes lectiones, quæ primum ad calcem conjectæ fuerant, propriis locis aptavit atque ad marginem adscripsit, eas revocavit non semel, quæ in prioribus editionibus obtinuerant. Sed et Parisienses typographi, qui quid artis suæ non erat aliunde mendicarunt, ita neglexerunt quod erat industriæ suæ, ut eorum editioni, præ multitudine mendorum, facile anteferendæ videantur Basileenses. Illa Coloniæ Agrippinæ an. 1617, ac rursum Parisiis an. 1631 et 1652, recusa est.

13. Vel ex hac simplici expositione liquet, nihil unquam in edendis Hilarii scriptis præstitum fuisse, quod omnibus numeris suis absolutum esset. Badii namque editio mendis scatet innumeris. Erasmus præter libros de Trinitate vix alios ad mss. fidem recognovit, et eos quidem non magno examine adhibito correxit. Eo diligentior Miræus nec magnam mss. copiam nec in omnes Hilarii Tractatus habuit, et pluscuium credidit præcessoris sui ingenio et conjecturis. Novas deinde dum ex proprio excogitat Martinus Lypsius, singulos Hilarii libros pluribus in locis contaminat, quam castigat. Hunc tamen maxime secuti sunt, qui Parisiensibus typographis operam suam contulerunt : post quos easdem lucubrationes nemo amplius limandas suscepit.

II. *De codicibus mss.*

14. Non ab eo solum tempore, ex quo excogitata est ars typographica, sed et superioribus sæculis identidem extiterunt, qui in recognoscendis Hilarii Operibus industriam suam probarent. Ob reconditiores autem illius sensus effectum est, ut interdum viri illi substituerent proprios, verbis obscuris, quæ non satis assequebantur, alia superaddentes planiora, quæ deinde in exemplis recentioribus sola obtinere consueverunt. Hujus rei exemplum suppeditat codex olim Floriacensis, nunc Colbertinæ bibliothecæ not. 194, ex antiquissimo Carnutensis ecclesiæ ms. ab annis circiter 700 descriptus, in quo eæ tantum variantur lectiones, quæ in Carnutensi secundis curis adtextæ sunt, quamvis primæ ut plurimum sint meliores. Studiosorum opera magis comparet in exemplari olim Aquisgranensis, post Corbeiensis, nunc Germanensis bibliothecæ : ex quo cum plura postmodum descripta sint exempla, priores lectiones ubique posthabitæ sunt, immo locum cesserunt secundis. Quocirca non ex uno alterove codice, si præsertim recentiores fuerint, sincera exprimi potuerunt Hilarii scripta

15. Nullus desiderari posse videtur antiquior, quam qui in archivo Vaticanæ ecclesiæ asservatur. Nam ut Mabillonii nostri lib. de re Diplomatica tab. 6, verba hic adscribamus : « Scriptus est codex, si priora folia recentioris scripturæ excipias, sub finem sæculi quarti, aut ineunte quinto, ut intelligitur ex adjuncta (ad calcem libri in Constantium) inscriptione cujusdam studiosi, quam sic reddo : *Contuli in nomine Domini Jesu Christi aput Kasulis constitutus anno quarto-decimo Trasamundi regis.* Qui catalogum archivi prædicti ordinavit, pro *aput Kasulis*, legit *Putzalis : quod est in Africa*, inquit, *in regione Numidiæ seu Barbariæ. Vulgo appellatur Putrazzio, situm inter Tunetum et arcem Goletæ.* Si recte apices codicis assequor, non dubito esse legendum, *apud Kasulis*, quæ urbs erat provinciæ Bisacenæ, Antonio *Casula* dicta : cujus Episcopus Quintianus legitur in Notitia Africæ, *Quintianus Casulis-carianensis.* Facilis quippe est *d* in *t* permutatio, qualis est in vocibus *haut*, *set*, aliisque similibus, quæ in mss. codicibus non raro occurrit. Holstenius ad oram hujusce adnotationis manu sua scripsit, annum quartum-decimum Trasamundi regis convenire anno Christi DX. » Hactenus Mabillonius. Sed in antiquo codice non negandum est menda esse antiqua, quæ quod Hieronymus epist. 28 ad Lucinium monet, in mentem revocant : *Opuscula mea ad describendum hominibus tuis dedi, et descripta vidi in chartaceis codicibus, ac frequenter monui ut conferrent diligentius et emendarent. Ego enim tanta volumina præ frequentia commeantium et peregrinorum turbis relegere non potui. Unde si paragrammata repereris, vel minus aliqua descripta sunt, quæ sensum legentis impediant; non mihi debes imputare, sed tuis, et imperitiæ notariorum, librariorumque incuriæ : qui scribunt non quod inveniunt, sed quod intelligunt; et dum alienos errores emendare nituntur, ostendunt suos.* Eam ob rem codicis hujus antiquitati nihil inconsulte tribuimus, ea tantum ei concessa veneratione, ut lectiones prope omnes, in quibus a cæteris discrepet, diligenter annotaremus. Has a Johanne Baptista Bandinio Vaticanæ basilicæ Canonico, cum novam Hilarii editionem pararet, collectas, nobis descripserunt Fratres nostri qui Romæ versantur, et nonnulla Opera per se accurate recognoscentes laudati Canonici diligentiam probaverunt.

16. Post codicem sancti Petri antiquitate secundus est, sed propter sinceritatem facile primus, olim abbatiæ sancti Dionysii juxta Parisios, nunc Colbertinæ bibliothecæ ms. 825 quem cum aliis bene multis humanissime nobis suppeditavit numquam satis pro sua comitate laudandus Stephanus Baluzius eidem biblio-

thecæ præfectus. Porro quamvis non careat hic codex mendis, quæ imperitis exscriptoribus non raro accidunt; nullum tamen habet, quod a sciolis immissum suspiceris. Hoc in eo ms. notatu dignum, quod cum ad calcem cujusque libri subjiciatur Hilarii nomen, nusquam occurrat nisi nudum et honorifico quolibet titulo destitutum, v. g. *Explicit Hilari liber primus*, *Explicit Hilari liber secundus*, nusquam *sancti:* quo tamen titulo cum ab Hieronymo, Augustino et aliis, tum in laudato Vaticanæ basilicæ exemplari, insignitur. Quod argumento est, eum vel ex ipso Hilarii autographo, vel ex alio exemplari, quod Hilario adhuc superstite scriptum fuerit, summa fide fuisse exscriptum.

17. Longum esset, forsitan et supervacaneum, de cæteris mss. singillatim disserere. Hoc certe asserere liceat, nihil nos non egisse, quo plures ac præstantiores compararemus, neque etiam labori pepercisse vel tempori, ut quid in iis, quid in vulgatis præponderaret, dijudicaremus. Et ad libros quidem de Trinitate nihil nobis amplius desiderandum videri, confirmavit codex insignis ecclesiæ S. Martini Turonensis ab annis circiter mille descriptus: ex quo cum variæ lectiones, libris illis jam paratis et castigatis sed nondum prelo subjectis, missæ essent, ne una quidem inventa est prius vulgatis præferenda, quam non jam ex aliis revocassemus.

18. Quanto autem studio mss. copiam ubique conquisierimus, testes sunt Germani, Britanni, atque Itali, quorum opera exterarum illarum regionum bibliothecas lustravimus. Quod nobis censuimus præstandum, non tantum ut edita Hilarii scripta pristinæ integritati suæ restituere, sed et e latebris eruere nondum edita valeremus. Latere enim multa certissimum est. Et psalmos quidem si non omnes, certe multo plures, quam quorum Tractatus exstant, enarratos ab eo fuisse speciali in eosdem Tractatus præfatione evincetur. Cassianus præterea et Alcuinus proœmium ipsius laudant in Matthæi Commentarium. Et ab Hieronymo in serie Operum Hilarii recensentur *liber ad præfectum Salustium sive contra Dioscorum*, *liber hymnorum*, *et mysteriorum alius*, *liber adversus Ursacium et Valentem*, *Tractatus in Job*, *quos de græco Origenis ad sensum transtulit*, *epistolæ ad diversos*, et, ut a nonnullis audierat, *in Cantica Canticorum*. Libri adversus Ursacium et Valentem supersunt tantum fragmento: cæterorum nihil, aut prope nihil. Sed de singulis nonnulla observare juverit, quo valeat quisque vel oblata dignoscere, vel respuere falso Hilarii nomine personata.

III. *De Hilarii Operibus quæ exciderunt.*

19. Qualis Hilarii ad Salustium liber, cujusve conditionis Dioscorus fuerit, Hieronymus epist. 84, ad Magnum, explicat his verbis: *Brevi libello*, *quem scripsit contra Dioscorum medicum*, *quid in litteris posset ostendit*. Quibus si addideris quod de Salustio narrat Theodoretus lib. III Hist. Eccl. c. 11, eum, ethnicum licet, Julianum tamen a cruciandis Christianis quantum in se erat deterruisse, ac tandem hoc ei arte et industria persuasisse, quod primum verbis non valuerat; facile assentieris, hunc librum minime inscribendum esse *adversus Salustium;* ut in vulgatis Hieronymi obtinet, sed, ut in exemplari Corbeiensi litteris Merovingicis scripto, *ad Salustium;* ad quem ut natura mitem et humanum confugerit Hilarius adversus nequitiam Dioscori, qui forsitan crudelior Juliani jussa propensius exsequeretur. Hinc quoque conficitur, eumdem libellum Juliano rerum potiente scriptum esse.

20. Illius autem Hymni qua de re tractaverint, breviter perstringit Concilium Toletanum IV, can. 13, ubi ait: *Nonnulli hymni humano studio in laudem Dei, atque Apostolorum et Martyrum triumphos compositi esse noscuntur, sicut hi quos beatissimi doctores Hilarius atque Ambrosius ediderunt.* De iisdem Hieronymus præfat. in lib. II, Comm. ad Gal. hoc unum indicat, quod *Hilarius latinæ eloquentiæ Rhodanus, Gallus ipse, et Pictavis genitus, in hymnorum carmine Gallos indociles vocet.* Sed cum Isidorus Hispal. lib. I Off. eccl. c. 6, hoc ei laudis tribuit, quod *hymnorum carmine claruit primus*, in unos Latinos respexisse intelligendus est. Nam et in hoc genere longe ante Hilarium claruerunt Ascetæ illi, de quibus Eusebius lib. II Hist. cap. 17, hæc ex Philone describit: *Non solum contemplationi vacant; sed etiam cantica hymnosque ad laudem Dei componunt omni metrorum ac modulationum genere.* Arianis quoque ab ipso ortu suo solemnem fuisse hymnorum cantum testis est percelebris illa Arii Thalia, in qua Athanasius Or. I cont. Arian., pag. 310, Arium pervesa sua commenta inseruisse memorat. Magistrum imitati discipuli hymnos apte ad suam hæresim compositos alternatim cecinerunt. Quod cum Arcadio imperante, Gainæ potentia freti, publice ac summa cum licentia præstarent; veritus Chrysostomus, ne quis ex simplicioribus, hujusmodi canticis, ab Ecclesia abstraheretur, quosdam ex catholica plebe eis opposuit, qui majore cum pompa et apparatu hymnos decantando Arianorum studium superarent. Socratis ac Sozomeni, a quibus hæc accepimus (*Socrat. lib.* VI, *c.* 8, *et Sozom. lib.* VIII, *cap.* 8), si expendantur verba, publicarum supplicationum seu processionum consuetudo, in festis ac Dominicis diebus usitata, hinc nata esse facile existimabitur. Quamquam hujusmodi ritum jam veterem appellat Ambrosius epist. nunc 40, ad Theodos., n° 16, ubi Monachis a Valentinianis prohibitum esse memorat *iter*, *quo psalmos canentes ex consuetudine usque veteri pergebant ad celebritatem Machabæorum Martyrum.* His obiter observatis, ut ad Hilarium revertamur, forte etiam ipse inter Arianos relegatus, cum hymnorum usum, quo illi ad hæresim suam insinuandam abutebantur, ad veram fidem ac pietatem animis fidelium injiciendam et fovendam commodissimum judicaret, ad hymnos scribendos animum adjecit.

21. Eorum saltem nonnullos in ecclesiastica officia susceptos esse valde probabile est. Erasmus hymnos

de S. Johanne Baptista et de Cruce Hilarii esse conjectat: sed hujus conjecturæ suæ nullam affert probationem, et hymnos de Cruce nominatim constat esse Fortunati. Hymnum *Gloria in excelsis* ab illo auctum et consummatum esse tradunt Alcuinus vulgatus lib. de div. Off. c. 40, Remigius Autiss. lib. I, de celebr. Missæ, Hugo Vict. lib. II de Sacram. p. 9, c. 9, et Honorius Augustodun. lib. I, de gemma animæ, c. 87, idque a pluribus ita existimari fatetur Innocentius, III lib. II myst. Missæ c. 20, quamvis ipse Telesphoro hanc gloriam tribuat. Et quidem ut hymnus angelicus in missa caneretur, a Telesphoro Papa institutum esse scripserunt Anastasius Biblioth. in ejus vita, Valafridus Strabo de Rebus eccl. c. 22, Amalarius Fortunatus, lib. III de Off. eccl., c. 8, et vulgatus Alcuinus de div. Off. c. 59. Sed cum præcedentibus absque negotio ea ratione conciliari queunt, ut Telesphorus quidem verba Angelorum in missa cani instituerit; quomodo re vera in Liturgia S. Jacobi ter dicuntur; sed reliqua auctorem habuerint Hilarium. Neque contra priorem opinionem quidquam conficitur, ut ex libro Athanasii de Virginitate, in quo hymnus hic integer memoratur, aut ex lib. VII Constit. Apost. c. 47, ubi exstat ex solido descriptus. Hinc enim constat pluribus postmodum auctum esse, illum autem Athanasii esse minime liquet. Sed neque adest auctoritas satis antiqua, qua Hilario eum hymnum adscribamus, quem concilium Toletanum IV, can. 15, indefinite tradit ab ecclesiasticis auctoribus esse compositum. Ejusdem hymni, non autem auctoris, mentio habetur in Regula S. Cæsarii Arelat. c. 21.

22. De auctore hymni *Te Deum* non minus diversæ sunt sententiæ. Qui illum ab aliquo S. P. N. Benedicti discipulo compositum existimavit, quia in illius Regula c. 9, præceptum est ut singulis Dominicis canetur, refutatur ex Cæsarii Benedicto æqualis, immo etiam paulo superioris, Regula, in qua idem hymnus cap. 21, memoratur. Quæ autem Ambrosium et Augustinum auctores illius facit vulgi opinio, solo nititur pseudo-Dacii Chronico lib. I, c. 10. Eumdem in ms. ante annos 400, exarato vidimus uni Ambrosio adscriptum, Smaragdo in Regulam Bened. c. 11 suffragante, ubi hymnum eum vocat Ambrosianum. At Abbo Floriacensis epistola in ms. Pithœano relicta, in qua nonnullas explicat grammaticæ regulas, rem veluti notam et constantem ponit illius parentem esse Hilarium nostrum. *In Dei palinodia*, inquit, *quam composuit Hilarius Pictavensis episcopus, non juxta quorumdam imperitorum errorem* SUSCEPISTI, *sed potius* SUSCEPTURUS *legendum*: TU AD LIBERANDUM SUSCEPTURUS HOMINEM, etc.

23. Ex libro Mysteriorum nihil nobis superest nisi titulus ab Hieronymo indicatus. Quamquam quod de hymnis diximus, id de hoc libro æque conjectare licet, eum Officiis ecclesiasticis immixtum esse. Usu enim venit, ut cum in dies augeantur ecclesiasticorum officiorum solemnia, illius nomen diu retinere nequeant, a quo ordinata sint; sed Ecclesiæ, quæ pro temporibus ac locis per suos singula disponit, temperat, perficit, propria evadant. Hujus rei celebre exemplum præstat Gregorii Sacramentarium, quod in usus suos ita accommodarunt singulæ ecclesiæ, ut vix unum reperias exemplar, quod Gregorio adscribere ex solido valeas.

24. Epistolas Hilarii in unum quoddam volumen collectas fuisse sonant verba Sulpicii Severi, dum lib. II Osium centenario majorem lapsum esse testatus, subjicit, *ut sanctus Hilarius in epistolis refert.* Nonnulla adhuc in Operibus illius remanent vestigia, ex quibus deprehendere est quando, ad quos, quibus de rebus scripserit. Qui illum decreti anno 355 edit auctorem esse concesserit, quo se cum Gallicanis episcopis a Saturnini, Ursacii et Valentis communione separavit, uti lib. in Constantium n° 2 declarat, non inficias ierit eumdem statim sancti confessoribus hoc suum decretum significasse, quod eorum auctoritate confirmandum dereliquerat. Apertius lib. de Synodis n° 1 memorat, se ex eo tempore, quo in exilium pulsus est, de diversis Romanorum provinciarum urbibus plures misisse litteras, quibus Occidentales de Orientalium ecclesiarum statu, et de progressu Arianæ hæreseos certiores faciebat. Eisdem, uti concilium Parisiense Fragm. II, n° 4, testatur, anno 360 ineunte nuntiavit, qui Orientales cum legatis Arimino Constantinopolim reversis se gessissent. Ex qua qualicumque notitia concludi merito potest, eum toties catholicis scripsisse, quoties aliquid accidit, quod ut Ecclesiæ notum esset, interesse judicarit. Catholicæ sunt enim et catholicis ac totis Ecclesiis, non privatis personis inscriptæ pleræque Hilarii epistolæ. Libros quidem appellare placuit illius cum de Synodis ac fide Orientalium, tum contra Constantium, nec non contra Auxentium Opera; sed proprie tamen epistolæ sunt ad Ecclesias missæ. Ita et cum diversas de diversis provinciarum Romanarum partibus se scripsisse dicat; nullius tamen audis nomen episcopi, ad quem privatim litteras suas miserit. Totum quoque concilium Parisiense, non singularis episcopus, sibi ab illo nuntiatum esse rescribit, quid cum Orientalibus ageretur. Non est tamen negandum quod superius ab Hieronymo audiimus, eum etiam ad diversos scripsisse. Et certe libri de Synodis Apologiam, e mss. nunc primum erutam, non sine epistola ad Luciferum Calaritanum missam esse probabile est. Nisi forte in ea figuratus sit sermo semel atque iterum ad Luciferum conversus.

25. His omnibus operibus celebriores sunt tractatus in Job, Augustini et Hieronymi testimoniis toties commendati. Illos desiderio conquisivimus eo majori, quo facilius est eorum veritatem vel ex Augustini loco lib. II contra Julian. c. 8 dijudicare. Ex hac una nota reprobatur eorum opinio, quos Possevinus in Apparatu sacro ad verbum *Hilarius* observat dubitasse, num illius sint tres libri in Job apud Origenem vulgati cum præfatione cujus initium *Peritorum mos est medicorum*. Quamvis enim in ms. monasterii

Padolironensis inscribantur libri *quos de græco in latinum Hilarius episcopus vertit;* in eis tamen non occurrunt verba ab Augustino ex Hilarii in Job Tractatibus allata. Sed neque ii libri, ut Mabillonius in Itin. Ital. p. 208 admonuit, tanti doctoris venam aut genium sapiunt. Longe minus consentiunt cum illius fide. Eorum enim auctorem Ario adhæsisse, vir illustris. Daniel Huetius in Append. lib. III Origenian. n. 2 hinc probat, quod in eis homousion rejiciatur, ac laudibus celebretur Lucinianus, cujus se discipulos esse primi Ariani gloriabantur. Unde Arius ipse apud Theodoretum lib. I Hist. eccl. c. 5 ad Eusebium Nicomediensem scribens, *Collucianistam* eum vocat. Forte etiam Licinianus (qui *Carthaginis Spatariæ* episcopus ab Isidoro de Script. eccl. appellatur), falsa inscriptione deceptus fuerat, cum ad Gregorium Papam scribit (*Spicileg.* VII, p. 369) : *Habemus sane libellos sex sancti Hilarii episcopi Pictavensis, quos de græco Origenis in latinum vertit. Sed non omnia secundum ordinem libri sancti Job exposuit.* Siquidem Hieronymus nusquam *Hilarii in Job libellos* commemorat, sed lib. de Script. eccl. *Tractatus in Job,* Apologia autem adversus Rufinum, epist. 101 ad Pammachium, et alibi *homilias in Job;* quo etiam nomine citantur ab Augustino contra Julianum. Alia sese offert de sinceritate libellorum eorum, quos Licinianus habuit, dubitandi ratio : sed eam infra commodius expendemus. Hoc Hilarii opus ad exsilium ipsius referre licet. Exsuli enim convenientissima erat libri hujus tractatio, in quo nobis rarissimum patientiæ exemplum Deus exposuit.

26. Aliud Hilarii opus notatur in vulgata Hieronymi epist. 50 ad Pammachium, ubi, recensitis Patribus qui de numero impari tractaverunt, subjicitur : *Quorum Hilarius de Septenario, id est, impari numero disserens, quæ et quanta dixerit, ad Fortunatum liber illius testimonio est.* Cypriani ad Fortunatum de exhortatione martyrii librum cap. 11 hoc loco ab Hieronymo indicari non dubium est : quem propterea Marianus Hilario adjudicandum omnino arbitratur, sed frustra. Nam non modo libri illius stilus Cypriani genio longe magis consentaneus est quam Hilarii; sed et pluribus optimæ notæ mss. ad prædictum Hieronymi locum exactis, ne in uno quidem occurrit *quorum Hilarius*, sed in omnibus magno consensu *quorum Cyprianus.* Quod vero Marianus asserit, Hilario amicum fuisse Fortunatum, haud facile approbaret : sed si approbaret, quid quæso inde conficeretur?

27. Probabilior esset ambigendi ratio, an Hilarius in epistolas Pauli scripserit. Nam concilium Hispalense II, can. 12, illius ex epistolæ ad Timotheum explicatione verba sic laudat : *Sanctus ergo Hilarius in explicatione epistolæ ad Timotheum sic loquitur : Nam et cum dicit Scriptura*, etc. Nostrum porro Hilarium omnino sapit fragmentum illud, quod cum aliis ad calcem operum illius edendum curabimus. Alium quoque sancti Hilarii nomine locum Augustinus lib. IV contra duas epist. Pelag. c. 4 affert, quo A Pauli verba Rom. v, 12 explicantur : *Sic sanctus Hilarius intellexit : In quo omnes peccaverunt. Ait enim : In quo, id est, in Adam omnes peccaverunt.* Quæ verba quia occurrunt in Commentariis Ambrosii nomine vulgatis, qui ab Hilarii nostri stilo longe abhorrent; multi existimant Augustinum Hilarii nomine deceptum, eosque Commentarios Hilario diacono Luciferani schismatis fautori esse adscribendos. Sed hi non facile se expediunt, cum eorum auctorem Romano Pontifici communione conjunctum esse, et errores refutasse rebaptizantium, Hilarium vero diaconum, Hieronymi dial. contra Lucif. testimonio, in errore et schismate perseverasse objicitur. Sed deceptus sit Augustinus, necne; neque ex ipsius, neque ex Hispalensis concilii testimonio necessario concluditur, Hilarium in Pauli epistolas edidisse Commentarios; sed tantum in Operibus, quorum jacturam novimus ac dolemus, quosdam ex eis locos exposuisse. Quamquam Hispalensis concilii verba aliud quid sonare fatendum est.

28. Hæc de perditis Hilarii operibus duximus præloquenda, tum ut ad ea quæritanda quisque excitetur, tum ut discat non omni titulo credere. Exstat in ms. Colbertino 5079 sermo inscriptus, *S. Hilarii Pictavensis de arbore in qua erat notitia sciendi boni et mali.* Hilarianum nihil habens præter nomen tituo prænotatum. Neque magis cum illius locutione consentit homilia in initium Matthæi ipsi in Vaticano ms. 1267 adscripta cum hoc initio : *Satis anxie, sedulisque trepidanter, cur sanctissimus Matthæus tali usus sit principio, exponere aggredior;* quæque claudiur his verbis : *Quatenus autem excitata sit hæc generatio per Apostolos, satis ut opinor in quæstione generationum discussum est et ostensum.* Non repetimus quod de libris in Job eidem perperam inscriptis observatum est.

29. Qui tot tanti viri Opera perierint, si quis miretur; præter communem temporis omnia conterentis atque consumentis rationem, in mentem veniunt et aliæ duæ prima quidem, quod Origenis, cujus odiosum nomen fuit ac doctrina damnata, et imitator audierit et interpres. Neque alia videtur causa, cur plures Psalmorum Tractatus interciderint, cæterorum rara inveniantur exemplaria, et homiliarum in Job nulla. Certe cum hoc ipsius Opus apud se esse existimaret Licinianus, quam non magni, et cur non magni penderet, declarat his verbis : *Satis miror hominem doctissimum et sanctum, ut de stellis Origenis nænias transferret.* Nimirum non attenderunt boni illi viri, quod de Hilarii in Origene imitando religione Hieronymus passim, sed conceptis verbis epist. 62 ad Theophilum ait, *Noxia quæque detruncans, utilia transtulit.* Quocirca quod de Hieronymo ipso Rufinus in libros Periarchon asserit : *Cum aliquanta offendicula inveniantur in græco* (Origenis), *ita elimavit omnia atque purgavit, ut nihil in illis, quod a fide nostra discrepet, latinus lector inveniat;* id ipsum commode dixeris de Hilario : præsertim cum Hieronymus in hac interpretandi ratione illius se imitatorem ubique

profiteatur : *Hoc non solus ego feci*, inquit epist. 62, sed *et confessor Hilarius fecit.* Ita autem persuasum ei erat, illius scripta ab Origenis erratis esse pura, ut cum epist. 7, ad Lætam sanctos Patres a filia ipsius sic legi jubeat, *ut magis judicet quam sequatur;* excipiat tamen Hilarii libros, quos *inoffenso decurrat pede.* Eos vero potissimum ab iis quæ de stellis somniaverat Origenes, purgatos esse plane conficitur ex epistola Hieronymi 75 in qua ubi defendit se, ad imitationem eorum quæ Hilarius homiliis in Job gesserat, transtulisse quæ bona sunt, et mala vel amputasse vel correxisse vel tacuisse; Vigilantio statim exprobrat, quod Origenis in Job Tractatus descriptos habeat, *in quibus contra diabolum et de stellis cœloque disputans, quædam locutus est quæ Ecclesia non recipit.* Hinc non frustra monuimus num. 25 maxime ambiguum esse, an Licinianus in genuinum Hilarii in Job Opus inciderit. Quatenus autem Origenis imitator fuerit, commodius in fronte Tractatuum ipsius in Psalmos exponemus.

30. Altera ratio, cur non eo quo meruerant studio excepta conservataque sint Hilarii scripta, ex eorum obscuritate peti potest, quæ nonnullam incautis aliquando præ se ferat erroris speciem. Profecto si multos offendissent Johannis cujusdam similes, nihil eorum ad nos pervenisset, nisi nudi tituli, aut certe fragmenta, quæ Hieronymi, Augustini, Leones, Theodoreti, concilia Calchedonense, Hispalense, etc., nobis transmiserunt. Johannis hujus apud Philippum bonæ Spei Ordinis Præmonstratensis Abbatem, pag. 94, de libris Hilarii de Trinitate verba ea sunt : *Etsi in multis bene sentit de consubstantialitate et personarum discretione; quoniam nulla falsa est doctrina, quæ non aliqua vera intermisceat : tamen in pluribus scrupulosissime disputat, in quibusdam etiam errorem pertinaciter prædicat; ut merito propter hoc ab his qui ruminant prorsus respuendus sit.* Tum pag. 95 illius in Matthæum Commentarios non minori contemptu respuit. *Abundant enim*, inquit, *simplices libri*; *ut jure scrupulosi propter offensam debeant evitari.* Quod si valeret, de magna sacrarum litterarum parte prorsus actum esset.

31. Neque vera hominis quamvis amici iniquam adeo sententiam probare umquam potuit Abbas æquior longe atque sapientior. *Numquid*, ait epist. 6, *etiam debent, quæ scrupulosa et subtilia sunt evitari; vel forte lecta, et non intellecta, inconsulto judicio reprobari, eisque pro vitio ipsa scrupulositas et subtilitas imputari; et non inde multo potius multoque reverentius honorari?* Ipse epist. 5, ingenue confessus sese in iis libris quamplura invenisse, quæ non caperet *vel ob obscuritatem sermonis, vel ob mendositatem codicis;* ac rursum in alia incidisse, *quæ propter sui aliquantulam novitatem non satis placuerunt* : primum a sententia ferenda sese sustinuit, *ne*, inquit, *temere damnans ea in quibus cæcitas mea offendit, jure perdam cætera quæ meus intellectus utcumque comprehendit* : tum quæ percipere primum non valuerat, attentiori lectione se assecutum esse declarat in hunc modum : *Ea ipsa igitur diligentius relegens, tandem mihi visus sum invenire, cujusmodi sensum videretur illorum obscuritas operire.* Si eo animo, quo laudatus ille Philippus, Hilarium legissent Centuriatores, Erasmus, Scultetus, eorumque similes; eadem ratione dubio procul evanuissent errores ac nævi, quos in illo deprehendisse sibi videbantur. Nos vero quam circumspecte singula omnia illius dicta expenderimus, quidve præstiterimus lectoris sublevandi gratia, nunc est aperiendum, post quam de obscuritatis illius causis nonnihil disseruerimus.

IV. *Unde obscurus sit Hilarii sermo. Quid in hac editione præstitum.*

32. Hilariani sermonis obscuritas non uno ex capite ortum habet. Eam Hieronymus Gallicano genio videtur asdcribere. Quamvis enim epist. 4, ad Rusticum, Gallorum sermoni *ubertatem* tribuat ac *nitorem* : de eorum tamen, ac nominatim Hilarii stilo scribit epist. 13 ad Paulinum : *Sanctus Hilarius Gallicano attollitur cothurno : et cum Græciæ floribus adornetur, longis interdum periodis involvitur, et a lectione simpliciorum fratrum procul est.* Et si periodi longæ, densæ tamen sunt sententiæ, frequentes eclipses, et ubi vox aliqua duabus phrasibus repetenda esset, ea inter utramque ita collocatur, ut respondeat utrique. Sic ingenium facile ac fecundum festinat parere, quod ubertim animo concepit. Lectori etiam interdum incommodæ sunt nonnullæ verborum metatheses, dum quæ ex natura sermonis cohærere proximis verbis deberent, ad ea quæ longius distant, sæpe sint referenda. Rarius, sed tamen nonnumquam negliguntur grammaticæ leges.

33. Obscuritatem quoque parit rerum, de quibus Hilarius disserit, sublimitas. Fere enim totus est aut in reconditioribus Scripturarum sensibus eruendis, aut in asserenda Patris et Filii tum consubstantialitate, tum discretione : quo nihil abstrusius, sublimius nihil cogitari potest.

34. His accedit quod in iis, quæ tractat, Latinorum nemo quem imitaretur, ei præiverit. Ex omnium quippe consensu gladium adversus Arianos strinxit Latinorum primus, immo bellum eis primus indixit : ut merito Hieronymus adversus Rufin. lib. II, eum appellarit *contra Arianos latini sermonis tubam.* Primum etiam ex Latinis hymnorum scriptorem eum fuisse, supra ex Isidoro probatum est. Eos quoque Scripturæ libros, quos exponendos suscepit, a nullo ante ipsum Latino, saltem quod sciret, explanatos esse hoc indicio est, quod Matthæum explicans, Orationem Dominicam quia a Tertulliano et Cypriano expositam rescisset, consulto præterierit. Demum sub finem libri de Synodis non sine modesta quadam præfatione fatetur, se in eo opere locutum esse *de rebus absconditis et usque ad hanc ætatem suam intentatis et tacitis.* Jam vero cum ad res divinas, de quibus loquendum ei erat, nondum satis accommodatæ essent latinæ voces, in idoneis quæritandis tanto magis laboravit, quanto latina lingua angustior et minus copiosa

erat quam græca. Hinc enim frequentem tunc temporis fuisse jurgiorum causam Gregorius Naz. Or. 21, n. 46, tradit διὰ στενότητα τῆς παρὰ τοῖς Ἰταλοῖς γλώττης καὶ ὀνομάτων πενίαν.

35. Gregorius idem Or. 26, n. 2, notat triplex imminere de Deo loquentibus periculum, in mente scilicet, in sermone, in auditu : *Nam et res divinas*, inquit, *mente consequi arduum, et verbis explicare perdifficile, et purgatas aures nancisci majoris laboris et difficultatis.* Triplex illud periculum sensit ac timuit Hilarius. Unde lib. II, n. 2, vicem suam dolet, quod *hæreticorum blasphemantium vitio illicita agere, ardua scandere, ineffabilia eloqui, inconcessa præsumere* compellatur : *ut quæ contineri religione mentium oportuisset, in periculum humani eloquii proferantur.* Tum vero num. 5, animi sensa propria explicare non valentis æstum et anxietatem declarat his verbis : *Mihi certe his respondenti in curis æstus est, in sensu labes est, in intelligentia stupor est; in sermone autem non jam infirmitatem, sed silentium confitebor : cum*, inquit, lib. de Synod. n. 5 : *difficillimum sit, sensum ipsum propriæ meæ fidei secundum intelligentiæ interioris affectum loquendo proferre.* Demum ab auditu sibi timet, dum libri ejusdem num. 65, ait : *Mementote, non sensum mihi deesse, sed verba. Arguam forte in eo naturam meam, non tamen arguam voluntatem; et ignosco naturæ, si loqui de quod vult non potest.* Conscius enim sibi, quod in rebus divinis *verborum adhuc significatio angustior quam intelligentia sit*, tanto magis formidabat ne aures offenderet, quanto minus tum de vi cujusque vocis inter homines convenerat; cum plerumque, ut loquitur ipse lib. de Synod. n. 8, *ignorata verborum opinione* plurimum inter se digladiarentur. Quippe, inquit Gregorius Naz. Or. 21, n. 97, *cum exigua res quotidie accederet, quæ molestiam afferret; eo tandem res adducta est, ut periculum esset ne orbis terrarum fines una cum syllabis abrumperentur.*

36. Quocirca verba de Deo facturus, ut sibi recte sentiendi ac loquendi difficultas complanaretur, ipsius opem supplex implorabat. *Exposui, Carissimi*, inquit lib. de Synod. n. 65, *quantum humani sermonis consuetudo patiebatur, et Dominus mihi semper ut ipse scit a me oratus indulsit, communis fidei conscientiam.* Ita etiam quo facilius cogitata ipsius ab aliis percipérentur, ea variis modis explanabat : ut si cui una ratione obscura essent, ea altera fierent apertiora. Quam ob rem eloquentiæ suæ vires exserens, de Deo quam alte sentiret, insignibus speciminibus sæpe numero comprobavit. *Non enim*, inquit ibid. n. 62, *infinitus et immensus Deus brevibus humani sermonis eloquiis intelligi potuit, vel defendi : fallit enim plerumque audientes et docentes brevitas sermonum.* Cum igitur Hilarius, veritus ne falleret brevitate, sermonis copiam sectatus esset; lectorem jure ac merito admonet lib. de Synod. n. 6, ne de se *ante sermonis consummationem per litterarum exordia existimet judicandum.*

37. Quam precem cum num. 66 repetat, rursumque inculcet Fragm. I, num. 7, nemo negaverit ei concedendum, quod in aliorum Patrum lectione etiam observandum Eulogius Alexandrinus apud Photium cod. 215, præcipit : *Oportet igitur sanctorum, qui certis temporibus Ecclesiæ doctores exstiterunt, doctrinam integre perlegere, et non ex parte illorum proferre sententias, indeque de tota eorum mente non sine periculo conjecturam facere.... quando quidem ex uno aliquo dicto, sive epistola, sive lucubratione, tota scriptoris pietas ostendi non potest.* Præterea verba illius non semper ad nostros loquendi modos sunt exigenda. Eorum enim plurimi, quos postea, Augustino præsertim doctore, invexit usus aut comprobavit; Hilarii ævo aut inauditi erant, aut nondum satis recepti : ut merito dixerit cum Ambrosio epist. 48, ad Sabin. num. 4 : *Verbum si offendero, virtutem professionis interrogato.* Si, inquit idem num. 6, *verba movent, non præjudicant fidei. Etenim sermonem mens non dubia obumbrat, et defendit a lapsu.* Ita fiet, ut neminem offendat *personæ* vox eo sensu accepta, quo nunc *naturæ* vocabulum; aut cum *uti Deo* pro *frui Deo* occurret; et alia hujusmodi quæ recensere longum esset. Postremo quia in Latinis non habuit quos in rebus a se tractandis imitaretur; ad mentem Græcorum, quorum ei lectio familiaris erat, multa eum expressisse advertendum est. Ex qua, sicut et ex superiori observatione conficitur, illius sermonem cum Græcis, aut certe Latinis Patribus qui eum præcesserunt, non cum iis qui eum secuti sunt, esse comparandum. Quod si præstitissent, qui plures in eo opiniones ac dicendi modos singulares notarunt, in nullo fere eum singulariter aut sensisse aut locutum esse deprehendissent.

38. Quanto difficiliora hactenus judicata sunt Hilarii scripta, tanto operosius enitendum duximus, ut ea difficultas sublevaretur. Hujus rei gratia singulas singulis operibus præmisimus admonitiones aut præfationes, in quibus quidquid ad operis occasionem, tempus, scopum, veritatem et alia id genus spectat, pro nostra virili parte explicuimus. His interdum subnexa est totius operis synopsis : quod præsertim ad libros de Trinitate visum est quodam modo necessarium. Tum ut lector in assequendis Hilarii sensis minus laboraret, præcipua ipsius argumenta, quantum per oram libri licuit, brevibus summariis comprehendere curavimus. Ut autem haberet, ubi periodorum longitudine fatigatus requiesceret, tractatus singuli varios in numeros sunt distincti. Ea quoque ratione citationum commoditati consultum est, ne paucos versus recognoscere volentibus toti libri essent pervolvendi.

39. Sed in redintegrando textu, ex cujus depravatione obscuritas ut plurimum creabatur, nostra potissimum cura ac studium fuit. Et si autem quam plurima, nihil tamen nisi prævia diligenti ac morosa consideratione immutatum. Qua in re maxime spectavimus scriptorum codicum in unam lectionem conspirantium antiquitatem, sinceritatem, multitudinem, si præsertim alias in mendosis locis dissiderent. Nam conciliare solet veritas, quos falsitas dissidentes fa-

cit. Sicut autem mss. antiquitatem ex scriptura et charactere perspeximus, ita ex constantia quadam in retinendis iis loquendi modis, qui in aliis exemplaribus ob singularitatem sæpe mutati sunt, eorum probavimus sinceritatem. Ad horum veritatem ita scrupulose expressimus omnia, ut ex iis etiam verborum ordinem revocaverimus. Si quid vero castigatum quod non oportebat, nihil tamen ereptum lectori : qui ad oram libri, quidquid in prioribus editionibus, quidquid in mss. occurrit, quod alicujus momenti sit, pro libito seligendum inveniet.

40. Importunæ quidem sunt, et ab auctore intentionem lectoris nonnihil abducunt notalæ frequentes. Sed plerique rescire cupiunt, quo jure quave auctoritate mutatum sit, quod prius obtinebat : et nullus est, cui si placeant sola auctoris verba, notas seorsim ab iis positas non sit liberum præterire. Ita etiam ubi quædam notata sunt, quæ minoris momenti videbuntur; hoc paucis præstitum est, et in eorum gratiam, qui in doctore Ecclesiæ antiquo ac difficili, et de re in qua ex verbis inordinate prolatis sæpe incurritur hæresis tractanti, nihil negligendum ducunt. In aliis majoris momenti locis mutationes factas non sola mss. auctoritate, sed et quam paucioribus verbis licuit, ratione est demonstratum. Quod faciendum præsertim censuimus, quoties qui Hilarium antea recognoverunt, a vero illius sensu aberrantes, falsas substituerunt lectiones, quæ quamdam veritatis speciem præ se ferrent. Iisdem notis illustrantur et explicantur locutiones inusitatæ, implexæ phrases, sententiæ singulares. Hilarii enim scripta non tantum a mendis pura et integra, sed et lectu faciliora exhibere fuit animus : et locorum nonnullorum sensum non sine labore assecuti, nostri officii existimavimus esse, ut aliis hic labor levaretur. Eamdem ob causam ex eruditorum operibus eligere non gravati sumus, si quid ad gestorum, quæ Hilarius attingit, notitiam faciliorem conduceret. Denique quæ in eo pugnantia, quæ suspecta videbantur, componere et ab omni errore vindicare studuimus, non vanis aut aliunde accersitis rationibus, sed ex ipsiusmet verbis. Illos enim locos, aut ex adjunctis expendentes, aut comparantes cum clarioribus, deprehendimus quam jure Hilarius, de locutione non ita, ut de fide sua securus, monuerit atque enixe rogaverit, ne de ipso ante absolutum sermonem judicaretur. Quosdam ex illis celebriores atque difficiliores ab ipso exordio tractare juverit : quo cum commodius quam in oram conferre liceat, quidquid in unam eamdemque rem diversis locis dixerit ; ex mutua plurium locorum collatione vera illius sententia manifestius apparebit. Et certe visum est expedire, ut tanti viri scripta non prius offerrentur, quam præcipuæ suspicionum nebulæ prorsus fuissent dissipatæ. In his disputationibus aliorum etiam Patrum dicta interdum adteximus; quo Hilarius non modo secum, sed et cum veteribus consentire demonstretur. A mysteriis Christi exordium fiat, quorum primum sese offert ipsius de sacra Virgine conceptio, de qua nonnulla A receptæ Ecclesiæ fidei adversa scripsisse arguitur.

§ I. — DE CONCEPTIONE CHRISTI SANA SANCTI HILARII FIDES DEMONSTRATUR.

41. Præpositus Johannes apud Philippum Bonæ Spei abbatem repetitis epistolis contendit, Hilarium in lib. x de Trinit. asserere *Dominum nostrum corporis initium non accepisse ex Maria, sed quasi ex Spiritu sancto : cum e contra*, inquit, *Ecclesia catholica teneat, quia in illa conceptione Domini Jesu Spiritus sanctus non fuerit causa materialis, sed efficiens; caro autem sacræ Virginis fuerit causa materialis.* Quocirca, si non fallitur Johannes, duplex Hilarii in explicanda Christi conceptione error fuit : unus, quod Mariam carnis illius causam materialem negaverit B exstitisse; alter quod Christum ex Spiritus sancti substantia carnem suam sumpsisse crediderit. Ex quo sequitur, ut in absurdam illam opinionem abierit, quæ aliquandiu inter Corinthios pervagata, Athanasii ad Epictetum epistola acriter exagitata est, qua nimirum carnem Christi divinæ naturæ consubstantialem esse disputabant.

42. Levioris forte momenti videretur illa Johannis censura, utpote hominis *multis occupati*, et cui cum *vix spatium cogitandi, nedum scribendi* suppeteret, deerat unde sententiam satis gravem dixisse judicaretur. Verum hanc falsam aut temerariam quis sibi persuadeat, cum in Erasmi præfatione legerit : *Libro tertio, sed magis libro decimo, sic loquitur de corpore Christi, ut sentire videatur : Mariam virginem, præter* C *concipiendi, gestandi et pariendi ministerium, nihil addidisse de suo*; præsertim suffragante Sculteto ac dicente, *Sentire videtur, Christum non accepisse carnem a beata Virgine :* non enim hic Hilarii scripta aut ex parte aut celeriter percurrisse existimatur.

43. Audiet igitur catholicus Præsul impietatis ejus auctor, quam ubi ab Eutyche prædicari resciit S. Leo, ut veritatis omnium nostrorum mysteriorum peremptricem exhorruit. Si enim sensit Hilarius, *Christum non accepisse carnem a beata Virgine;* nihil novi docuit Eutyches cum dixit : *Corpus Domini, quod ex Maria factum est, non esse nostræ substantiæ, neque humanæ conspersionis; sed humanum quidem illud vocari, non tamen nobis consubstantiale, neque genetricis ejus secundum carnem.* Hanc tamen doctri- D nam Flavianus apud Leonem editionis novæ p. 474, veluti novam et impiam denuntiat. Leo ipse ad Julianum Coensem epist. alias 11, nunc 25, non modo significat, Eutychen *Unigenitum Dei filium sic de utero B. Virginis prædicare natum, ut humani quidem corporis speciem gesserit, sed humanæ carnis veritas Verbo unita non fuerit;* sed et hanc sententiam prodigium appellat falsitatis, unde innumera opinionum monstra nascantur, ac restaurentur errores Valentini, Manichæi, Apollinaris, quorum nullus in Christo humanæ carnis credidit veritatem. Qua utique non recepta, fides nostra de unigeniti Dei passione, morte, resurrectione, etc., abnuitur. Non immerito itaque eidem papæ absurda adeo visa est hæc opinio, ut

epist. alias 13, nunc 27, ad Pulcheriam c. 4 scribat, eam nonnisi imperitiæ partum esse potuisse, longeque ab eo Eutychen futurum fuisse alienum : *Si Symboli plenitudinem puro et simplici voluisset corde concipere. Non enim*, inquit paulo superius, *de portiuncula fidei nostræ, quæ minus lucide declarata sit, quæritur : sed hoc stultissima resultatio audet incessere, quod Dominus noster in Ecclesia neminem sexus utriusque voluit ignorare.*

44. Ex his aliisque Leonis verbis, quibus Eutychianæ impietatis stoliditatem frequens arguit, satis apparet temeritas eorum, qui doctrinæ tam insulsæ suspicionem in sanctissimum et non imperitum Ecclesiæ doctorem injicere non timuerunt. Huic in Hilarium contumeliæ locum nullum permiserat Chalcedonense Concilium, cum act. 1 illum cum paucis aliis Patribus recensuit, ex quorum doctrina condendum esset fidei adversus Eutychen de Incarnationis mysterio decretum. Sed et postea Philippus Bonæ Spei Ordinis Præmonstratensis abbas sancto confessori ab amico illatam injuriam tribus epistolis ita propulsavit, ut ille confiteri tandem sit coactus, hæc Hilarii lib. x de Trin., n. 17, *Hominem enim dicens* (Apostolus) *nativitatem ex Virgine docuit, quæ officio usa materno, sexus sui naturam in conceptu et partu hominis exsecuta est*, in eum, qui Christum ex Maria corporis initium accepisse negaret, minime quadrare. Ea tamen est vis præjudicatæ opinionis, ea hominum philautia, ut Johannes Hilarium pugnantia, quam se temeraria locutum, respondere maluerit.

45. Itaque cum apud æquiores uno alterove testimonio, quo Hilarius Christum ex Mariæ Virginis carne suam sumpsisse dilucide planeque doceat, in promptu esset fidem illius ab omni suspicione vindicare : pluribus tamen hoc præstandum duximus, tum ut magis perspicuum sit quam constans fuerit illius doctrina ; tum ut ab hoc initio intelligat quisque, quanti faciendum sit eorum judicium, qui in Hilario nævos numerant potius, quam probant. Neque satis erit ipsius de conceptione Christi fidem sanam et orthodoxam demonstrare : insuper et unde Johanni ex Spiritu sancto velut ex causa materiali carnem Christi conceptam opinari, et unde eam ex Mariæ carne assumptam negare cum eidem Johanni, tum Erasmo et Sculteto visus sit, aperiendum erit et explanandum.

I. *Carnem Christi ex Mariæ carne susceptam passim Hilarius docuit.*

46. Hæreticos, qui carnem Christi ex Maria conceptam negarunt, simul omnes repellit uno Tractatu Psal. CXXXVIII, cum non tantum ait num. 2 : *Quæcumque homini illi, quem* ex utero *sanctæ Virginis assumpsit, et in quo se nasci hominem qui Deus erat voluit, apta et congrua esse videbuntur, cum debita cœlesti* hoc est divinæ *naturæ suæ dignitate tractentur :* sed et addit num. 3 : *Non alienæ aut simulatæ naturæ hominem assumpsit.* Illi quippe aut Christum carnis speciem, non veritatem gestasse, aut corpus ipsius de cœlo esse advectum, aut certe illud per Mariam potius transisse, quam ex ea acceptum esse volunt. At vero primæ sententiæ repugnat, quod caro Christi *non simulatæ naturæ ;* alteri, quod *non alienæ ;* postremæ, quod *in utero et ex utero sanctæ Virginis assumpta* affirmatur.

47. Sed ex libro x de Trinitate, unde præsertim ortæ dicuntur suspiciones, eas amovere juverit. Quid autem sibi vult illud num. 17 : *Quæ* (B. Virgo) *officio usa materno sexus sui naturam in conceptu et partu hominis exsecuta est*, nisi beatam Virginem in conceptu corporis Christi de carne sua suppeditasse, quod suppeditare solent aliæ matres? Hoc ipsum num. 15 disertius eloquitur, ubi in conceptu Christi Verbum quidem, quod *Spiritus* vocabulo intelligendum mox ostendemus, per virtutem suam supplevisse officium viri, sed Virginem nihilo minus matris munus implevisse declarat his verbis : *Virgo enim non nisi ex suo sancto Spiritu genuit quod genuit : et quamvis tantum ad nativitatem carnis* ex se daret, *quantum ex se feminæ edendorum corporum susceptis originibus impenderent, non tamen Jesus Christus per humanæ conceptionis coaluit naturam.* Quid est *ex se daret*, nisi ex sua carne? Hinc et mox subjicit, *Tenuit in hominis nativitate quod matris est ;* et paulo ante legere est, *Quod si assumpta per se sibi* ex Virgine *carne*, etc., necnon cap. XVI in Matth., num. 8 : *Humanæ salutis causa Christus in corpore est quod assumpsit ex homine.*

48. Eam ob causam Christi corpus modo *assumptam ex Virgine carnem*, modo *nostræ carnis* aut *nostri corporis carnem* nuncupare solet : ut cum in Psalm. 65, n. 12, ait : *In æternam gloriam ejus* assumptæ ex Virgine carnis *natura transfertur ;* et lib. I de Trin., n. 11 : *Ac ne Verbum caro factum aut aliud esset quam Deus Verbum, aut non* nostri corporis caro *esset, habitavit in nobis* (quasi in nostris) : *ut dum habitat, non aliud quam Deus maneret ; dum autem habitat in nobis, non aliud quam* nostræ carnis *Deus caro factus esset : quia* inquit lib. II, n. 16, *per id quod in nobis habitat Verbum caro factum, Deus est in nostri corporis veritate.*

49. Qui plura volet, audiat lib. IX, num. 7, dicentem : Corporis nostri *natus homo, secundum consuetudinem naturæ nostræ locutus est ;* et in Psalm. CXVIII, lit. 14, n. 8 : *Unigenitus igitur Dei filius* naturæ nostræ sibi ex Virgine corpus *assumens*, etc. Cumque rursum in Psal. LXVIII, n. 13, legerit, Christum *in sanguine corporis nostri* omnia reconciliasse ; fateatur necesse est, Hilarium vix potuisse planius se ab iis alienum ostendere, qui Christum ex Maria nihil accepisse sentirent.

50. Neque vero tantum ex Maria, sed ex Mariæ parentibus carnem Christi procreatam asseruit : adeo ut Christus in Psal. LXVII, n. 28, *de Judæ frutice futurus*, et in Psal. LXVIII, n. 19, *ex utero David* prædicetur. Unde in Psal. CXVIII, lit. 5, n. 5, David commendat, uti *dignum cujus filius Jesus Christus esset.* Et cum in Psal. CXXXI, n. 2, ut et alibi, Christum se

nomine *David* sæpe significare doceat, hanc unam reddit causam, quod ex ipsius genere natus sit : *Qui*, inquit, *nomen parentis secundum originem carnis accepit, nomen sumens ejus cujus ex genere sumebat et corpus*. Immo scribit ex ipsa gente Moab per Ruth Salvatoris nostri carnem acceptam ; ideoque cruditatem atque impuritatem illius, prius quam assumeretur, per varias generationes, veluti per ollam, decoctam fuisse atque mundatam. *Quia*, inquit in Psal. LIX, n. 11, *non solum ex hac generatione sanctorum, sed etiam ex peccatorum origine huic Dei Sancto carnis nostræ ineunda esset susceptio, quia in similitudinem carnis peccati Deus Filium suum misit, idcirco Moab olla spei ejus est*. Tum memorata gentis Moab maledictione, ejusque per varias generationes purgatione, subjicit : *Sanctusque hic ex Juda et Moab originem sumens, decocta tamquam per ollam carnis cruditate, in speciem cibi significatur æterni*, cum caro ejus vere *cibus vitæ sit*. Qui autem Sanctus Dei Dominus noster ex Juda et Moab sumit originem, si ex Maria nihil acceperit? Altius etiam in Psal. LXVIII. Christi ortum ducit Hilarius. Nam et num. 25, *naturam corporis primi Adam* ab eo assumptam affirmat ; et num. 10, homines vocat ipsius *secundum carnem consanguineos*.

51. Adeo sensit Hilarius carnem Christi ex Adam ac posteris peccatoribus propagatam, ut eam et *carnem peccati*, et *peccatum* vocitare non dubitet. *Carnem enim peccati*, inquit lib. I de Trin. n. 13, *recepit, ut assumptione carnis nostræ delicta donaret, dum ejus fit particeps assumptione, non crimine*. Et alii quidem Patres Christum peccatum factum esse sic interpretantur, quod factus sit hostia pro peccato. At ille Christi corpus *peccati nostri corpus* et *peccatum* non tam inde dici intellexit, quod immolatum sit pro peccato, quam quia ex peccatoribus est procreatum. Eam ob causam lib. IX de Trin. n. 13 in illud Pauli : *Quod enim mortuus est peccato*, subjicit, *mortem peccato, id est, corpori nostro adscribens* : et paulo post, *Qui peccati nostri corpus assumens, totus jam Deo vivit*. Eodem respectu dixit Tertullianus : *Defendimus autem non carnem peccati evacuatam esse in Christo, sed peccatum carnis ; non materiam, sed naturam ; non substantiam, sed culpam*. Sic et Gregorius Naz. Or. 51, n. 18, auctor est, quod a Christo assumpta sit *caro damnata*. Nec secum pugnat Hilarius, cum de eadem Christi carne lib. X de Trin. n. 25 dicit : *Neque caro illa caro peccati, sed similitudo carnis peccati* : quam enim hic carnem peccati negat, ut ostendat a dominantibus carnis nostræ vitiis immunem, illic sane et recte affirmat, ut carnis ab hominibus acceptæ probet veritatem.

52. Si ad argumenta veniamus, quibus sancti Patres carnis nostræ veritatem in Christo exstitisse approbarunt, eadem ab Hilario non minus dilucide illustrata fuisse convincemur. Eo præsertim adversus hæreticos nititur Irenæus lib. III, c. 32, quod Christus vere cognominari filius hominis non potuerit, nisi ab homine vere acceperit substantiam corporis : *Si*, inquit, *non accepit ab homine substantiam carnis, neque homo factus est, neque Filius hominis*. Idem argumentum adversus Eutychen urget Ferrandus diaconus epist. ad Anatolium. At vero Hilarius nihil frequentius inculcat, quam ut Christum et filium Dei et filium hominis esse meminerimus. Unum e sexcentis locum seligimus de libro decimo petitum, qui unus idoneus erat omnes suspicionum nebulas eo ex libro conceptas dimovere. Sic porro habet num. 15 : *Quomodo filius Dei hominis filius erit natus, vel manens in Dei forma formam servi acceperit, si non potente Verbo Deo ex se et carnem intra virginem assumere, et carni animam tribuere, homo Christus Jesus ad redemptionem animæ nostræ et corporis nostri perfectus est natus ; et corpus quidem ita assumserit, ut id ex Virgine conceptum formam eum servi esse effecerit*, etc. Hoc quippe loco contendit, Christum falso filium hominis nuncupandum iri, primo nisi *homo perfectus* sit, ex anima scilicet et corpore nostro; deinde nisi hoc non ex quavis assumptione, sed ex nativitate obtineat ut perfectus homo *natus sit* ; ac demum quasi hoc dixisse non sufficeret, vult corpus ita ab eo assumptum esse, *ut id ex Virgine conceptum sit*.

53. Præterea cum Christum asserens perfectum hominem natum esse, adjicit *ad redemptionem animæ nostræ et corporis nostri*, alteram attingit rationem, ut vulgo utuntur Patres adversus hæreticos, qui Christo negarunt humanæ naturæ integritatem. *Nam*, ut ait Gregorius Naz. Or. 51, n. 13, *quod assumptum non est, curationis est expers : quod autem Deo unitum est, hoc quoque salutem consequitur. Si dimidia tantum ex parte Adamus lapsus sit, dimidiatum quoque sit quod assumptum est et salutem consequitur*. Sic Fulgentius lib. I ad Trasimundum c. 13 : *Quod si totus* (homo) *tenebatur captivitatis vinculo, totus eguit Liberatoris auxilio. Si autem totum debuit liberare pietas, totum debuit suscipere majestas*. Neque, puto, sine causa rursum Hilarius in Matth. cap. X, n. 18, Christum non simpliciter hominis redemptorem nuncupat, sed *corporis et animæ redemptorem*.

54. Haud absimili ratione adversus Apellem, qui corpus Domini ex siderea materia, non ex materna substantia constare contendebat, Tertullianus de resurrect. carnis n. 2 concludit, vanam esse spem resurrectionis, si Dominus matris substantiam non accepit : *Sequitur* enim, inquit, *ut salutem ejus substantiæ excludant, cujus Christum consortem negant*. Quo spectat illud Irenæi lib. V, c. 1 : *Vani igitur, qui a Valentino sunt hoc dogmatizantes* (Christum nihil ex Maria accepisse) *uti excludant salutem carnis*. At vero Hilarius, ob illud Christi nobiscum consortium, nobis resurrectionem non tantum sperandam, sed jam aliqua ratione indultam esse confirmat; ut carnem nostram jam in eo excitatam contemplemur, *in quo*, inquit in Psal. CXXIV, n. 4, *nosmetipsos per assumptionem carnis nostræ corporisque speculamur. In eo enim sumus resurrectionem nostram resurrectione nostri in eo corporis speculantes*.

55. Redire placet ad epistolam 25 Leonis jam superius laudatam? Illic porro Eutyches Christum me-

diatorem negare sic arguitur, quasi hoc ei auferat nomen, quisquis ipsi matris substantiam denegat. Ita et Fulgentius lib. I ad Trasim. c. 15 docet Christum Dei hominumque mediatorem in cassum cognominari, nisi in se ut totum verumque Deum de Deo natum, ita totum verumque de homine natum hominem contineat. Eamdem quoque Christi nuncupationem cum sæpius explicet Hilarius, numquam aliter explicat, quam quod et ex nobis carnem, et ex Deo habens divinitatem, Deum hominemque in se uno conjungat. Unde in Psal. LXVII, n. 37, intuens in illud Christi mediatoris officium, nos in unitatem Paternæ majestatis assumendos prædicat, *dum* nimirum *et in eo per naturam Pater est, et ille rursum per societatem carnis in nobis est.*

56. Multa alia argumenta suppeditat liber de Trinitate decimus, in quo cum Hilarius a num. 16, ac deinceps data opera refellat hæreticos, qui aut humanam Christi naturam ante quam assumeretur præexstitisse, aut corpus ejus de cœlis advectum esse asserebant, ad verba symboli, *Qui conceptus est de Spiritu Sancto et natus ex Maria virgine*, fidem suam constanter exigit. Juxta quæ totam disputationem concludit in hunc modum : *Genuit etenim* (Virgo) EX SE *corpus; sed quod conceptum esset ex* SPIRITU; *habens, quidem in se sui corporis veritatem, sed non habens naturæ infirmitatem.* Quæ cum ita sint, nemo non mirabitur, qui nonnullis visus sit sentire, *Christum non accepisse carnem a beata Virgine.* Unde hoc illis in mentem venerit, nunc expendendum.

II. *Spiritus sancti vocabulo quid dixerit Hilarius a censoribus suis non intellectus est.*

57. Hinc profecto Johanni errandi nata est occasio, quod cum lib. x de Trin. aliisque locis corpus Christi a Spiritu sancto non modo formatum, sed etiam assumptum legeret; Spiritus sancti nomine, more nostro tertiam sanctissime Trinitatis personam significari existimarit, cum intelligeret Hilarius secundam. Certe his lib. II, n. 27, verbis, *Spiritus sanctus de super veniens... naturæ se humanæ carnis immiscuit*, non sentit, ut Johannes animo sibi finxit, Spiritum sanctum carnis a Verbo assumptæ fuisse causam materialem, sed Verbum ipsum sibi naturam humanam intime conjunxisse. Hæc enim Angeli ad B. Virginem verba, *Spiritus sanctus superveniet in te* perinde ei sunt ac, Verbum et Sapientia Patris descendet in te, et ex te corpus sibi coaptabit.

58. Neque inaudita aut ei singularis videri debet hæc interpretatio. Eadem quippe Angeli verba non alio modo interpretatur Tertullianus contra Praxeam n. 26. Nec alio spectat illud ejusdem lib. de Carne Christi, n. 18 : *Sic denique homo cum Deo, dum caro hominis cum Spiritu Dei.* Ea ipsa loquendi ratione Lactantius, lib. IV, c. 12, Verbi in uterum Virginis descensum enuntiat, cum ait : *Descendens itaque de cœlo sanctus ille Spiritus, sanctam Virginem, cujus utero se insinuaret, elegit.* His adjungere licet Pastorem lib. III Similit. 5, ubi hæc de corpore Christi habet : *Hoc ergo corpus, in quod inductus est Spiritus Sanctus* : maxime cum ibidem paulo ante præmiserit, *Filius autem Spiritus Sanctus est.* Neque aliter intelligendum videbitur illud Irenæi lib. v, c. 1, *Spiritus Sanctus advenit in Mariam*, ibi expensum fuerit quod proxime subjicit, *Verbum Patris et Spiritus Dei adunitus antiquæ substantiæ plasmationis Adæ viventem et perfectum effecit hominem.* Apertior est Justini sententia Apolog. 2, ubi primum Filium vim ac virtutem Dei esse declarat his verbis : *Prima autem vis ac virtus secundum Deum omnium parentem ac Dominum Filius etiam Verbum est, quod quodam modo caro factum homo factus est* : quibus post pauca subnectit, *Dei vis ad Virginem adveniens, ei obumbravit, fecitque ut Virgo gravida esset* : demum utramque propositionem conjungens concludit, *Spiritum ergo vimque Dei nefas est aliud intelligi* (Luca, I, 36) *nisi Verbum, quod etiam primigenium est, sicuti Moyses propheta quem diximus indicavit : atque hic suo ad Virginem adventu et adumbratione, non concubitu, sed vi eam gravidam effecit.*

59. Quid de Cypriano sentiemus? Modo quidem lib. de Idol. vanit. legere est, *Hic in Virginem illabitur, carnem Spiritu sancto cooperante induitur* : sed horum loco antiquus optime notæ codex Germanensis præ se fert, *Hic in Virgine labitur, carne Spiritus sanctus induitur*, eamque lectionem se in quatuor ms. nactum esse Pamelius testatur. Quæ sane corruptionis eo minus suspecta est, quo magis ab usitato nostro loquendi more aliena. Cypriani verbis ita emendatis suffragatur antiquus auctor, quem ab Augustino epist. 148, n. 10, Gregorii sancti episcopi Orientalis nomine laudari valde probabile est. Hic porro apud Ambrosium in append. tom. II, novæ edit. p. 354 habet : *Cum illapsus est in Mariam, cum Virginis uterum opplevit, aliud utique ex illa, quam quod venerat, natum est.* Planius autem, pag. 356, : *Spiritus Dei veniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit te. Propterea quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Vides ergo ipsum Spiritum, id est Filium Dei, venisse ad Virginem, et inde Dei et hominis filium processisse.*

60. Si Athanasium in eadem verba evangelica eodem sensu accepta respexisse intelligas, haud difficulter assequaris cur lib. de incarn. p. 72 dicat : *Ideoque cum primum ad nos accederet, ex Virgine sibi ipsi corpus formavit : ut nobis non tenue argumentum suæ divinitatis exhiberet, eum, qui hoc sibi corpus formaverat, aliorum quoque conditorem et formatorem esse.* Nam cum Patres a nobis prænominati verbis Angeli ad Virginem declarari existiment primum filii Dei ad nos adventum, ut in Virgine et ex Virgine corpus sibi formaret; hinc recte colligitur, eum corporum nostrorum conditorem ac proinde Deum esse, quem Evangelia nobis significant proprii corporis sui formatorem. Sin alio respexit; unde quæso ei constitit, filium Dei, cum ad nos primum accessit, corpus sibi formasse; ut exinde eum cætera corpora pariter condidisse ac Deum esse conficeret? Certe Athanasius Verbum aliquando in Scripturis Spiritus sancti

vocabulo significari non dubitavit ; cum epist. 4 ad Serap. t. I, p. 970, blasphemiam in Spiritum Sanctum eam esse interpretetur, quæ Christi negel divinitatem.

61. His accedit Rufinus in expositione Symboli : qui licet priora hæc verba, *Spiritus Sanctus superveniet in te*, de tertia sanctæ Trinitatis persona dicta esse nostro more intelligat, subsequentibus tamen Filium indicari arbitratur : *Quæ est autem*, inquit, *Virtus Altissimi, nisi ipse Christus, qui est Dei virtus et Dei sapientia ?* Maximinus quoque teste Augustino, quamvis dissentiente, priora illa verba ad Spiritum sanctum, ad Verbum autem postrema referebat. *Asserere*, ait Augustinus lib. II contra eumdem Maximinum c. 17, n. 2, *conabaris, Spiritum Sanctum præcessisse, ut mandaret et sanctificaret virginem Mariam, ac deinde veniret Virtus Altissimi, hoc est Sapientia Dei, quod est Christus ; et ipsa, sicut scriptum est, ædificaret sibi domum, hoc est, ipsa sibi crearet carnem, non Spiritus Sanctus.*

62. Si quæras unde Hilarius cum antiquis Patribus in eum intelligendi modum conspirarit ; non deerit responsio. Ac primo quidem nemo in veterum lectione versatus inficias ierit, *Spiritus*, aut *Spiritus Sancti*, vocabulum apud eos non singulare esse unius personæ nomen, sed commune totius naturæ divinæ, quod Patri, Filio ac Spiritui sancto indifferenter ab illis attribuatur? Hujus rei passim occurrunt exempla in epistola Barnabæ, c. 9 ; apud Pastorem, lib. III Simil., 5; apud Ireneum, lib. V, c. 1. Hanc vocem Theophilus Antioch. ad Autolic. veluti Filii propriam recenset in hunc modum : *Verbum operum suorum administrum* (Pater) *adhibuit, ac per ipsum universa molitus est. Hoc appellatur principium, quoniam principatum ac dominationem habet in omnia quæ per ipsum fabricata sunt. Hoc igitur cum sit Spiritus Dei, et principium, et sapientia, et virtus Altissimi, labebatur in prophetas.* Vox eadem naturam divinam sonat in his Athenagoræ pag. 10 : *Cum Pater et Filius unum sint, ita ut Filius sit in Patre, et Pater in Filio unitate et potentia spiritus :* vel cum Tertullianus contra Praxeam n. 27, ait : *Dicentes Filium carnem esse, id est hominem, id est Jesum ; patrem autem spiritum, id est Deum.* Eodem intellectu loquitur Clemens epist. 2, c. 9 : *Jesus Christus Dominus noster, qui nos servavit, cum primum esset Spiritus, caro factus est.* Quo spectat illud Augustini epist. 140, ad Honoratum, n. 11 : *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis : reddite vicem, et efficimini spiritus, et habitate in illo.*

63. Longe magis ad rem nostram facit hæc Athanasii regula (*Epist. ad Serap. p.* 980) : *In evangelico sermone, ut sæpe memini, cum diceret* (Christus) *se filium hominis esse, eo ipso humanitatem suam præ se fert ; quemadmodum ubi de Spiritu mentionem facit, suum ille Spiritum sanctum esse declarat in quo omnia faciebat. Spiritus enim est*, inquit lib. de Incarn. Christi, *Verbum Deus.* Sic qui apud eumdem auctor est lib. de communi essentia Patris et Filii et Spiritus sancti : *Deitatem ergo Verbi ipse Christus Spiritum sanctum appellat, et vicissim humanitatem suam filium hominis appellavit.* Hinc Gregorius Nazianz. Or. 42, n. 19 : Christum exsistere docet *unum ex duobus contrariis, carne nimirum et Spiritu, quorum alterum deitatem dedit, alterum accepit.* Habes et in Commentario olim Ambrosio adscripto in Rom. I, 3 : *Eum, qui erat Dei filius secundum Spiritum sanctum ; id est secundum Deum, quia Deus spiritus est, et sine dubio sanctus est, factum dicit juxta carnem Dei Filium ex semine David,* et in Tractatu de fide orthodoxa apud eumdem Ambrosium, *Cum hominem induere dignatus est Christus, non labem æternitati intulit, ut Spiritum in carnem mutaret.* Ad Hilarium nostrum ut redeamus, mittimus quod cum nos in Christo Deum et hominem, ille Spiritum et hominem distinguere soleat : *ut manens*, inquit lib. IX de Trin. n. 14, *Spiritus Christus, idem Christus homo esset.* Sed tacendum non est, quod ipse data opera lib. VIII, n. 25, exemplis e Scriptura adductis demonstrat, *Spiritus* vocem Patri, Filio et Spiritui sancto esse communem. Unde apparet, cur illa tam ipsi quam cæteris Patribus ad divinitatem significandam familiaris fuerit.

64. Quod cum ita esset, cui ex tribus personis aptius congueret illud Angeli, *Spiritus Sanctus superveniet in te*, ex adjunctis dijudicandum fuit. Subjunxit vero Angelus, *Et virtus Altissimi obumbravit tibi* : unde facile oborta est cogitatio, totum illius de Dei Filio esse sermonem. Nam et Filium Dei virtutem Apostolus I Cor. I, 24, cognominat, et ei Altissimi virtutem esse proprium videtur, per quem Pater, qui Altissimus est, universa condidit.

65. Intellectum hunc non mediocriter confirmabat prophetia Salomonis, Prov. IX, 1 : *Sapientia ædificavit sibi domum* : quam cum de Verbi corporatione vulgo interpretentur Patres, unum illud proferre satis erit e celebri Leonis ad Flavianum epistola : *Ædificante sibi Sapientia domum Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, hoc est in ea carne quam assumpsit in homine.* Hilarius vero prophetiæ hujus auctoritate convictus adeo fuit, Filium ipsum sibi corpus formasse atque coaptasse, ut propter eam ambigere se dicat an Christus secundum formam servi formatus a Patre dici possit : *Et nescio, an quod formatus in forma servi est, referri possit ad Patrem, ut formatus ab ipso sit : Sapientia enim ipsa ædificavit sibi domum, ut habitaret in nobis.* Non sic tamen intelligenda est hæc illius dubitatio, quasi Christi corpus Patris ac Spiritus sancti opus esse non sentiat ; sed quod illud a Filio propria quadam ratione, quæ in Patrem aut Spiritum Sanctum non conveniat, conditum ac formatum esse opinetur : eum omnino ad modum, quo Sapientiæ cognomen uni Filio attribuimus, licet unam esse credamus Patris, Filii et Spiritus Sancti sapientiam. Alias enim omne Filii opus, opus Patris esse tanto fidei studio propugnat, ut eum inseparabilia Trinitatis opera credidisse nullum dubium sit.

66. At quovis loco permotus sit Hilarius, ut Spiritum in Virginem supervenientem Filium intelligeret ; constat certe, ei conceptionem Christi ex Virgine tractanti synonymas fuisse *Spiritus* ac *Verbi* voces.

Quod si quis per se experiri volet, conferat vicinos unius ejusdemque libri x locos : et ubi num. 15 legerit, Christo *omnis causa nascendi invecta per Spiritum ;* quid hoc sibi velit declarabit illud num. 16 : *Caro non aliunde originem sumpserat quam ex verbo.* Rursum si moveatur quod ibid. habet : *Virgo enim non nisi ex suo Sancto Spiritu genuit quod genuit*, et quod num. 17, asserat filii hominis *originem ex supervenientis in Virginem Sancti Spiritus aditu ;* scrupulum levabit num. 18, ubi de Christo affirmat, *Ipse enim corporis sui origo est*, utpote, inquit, *in formam corporis nostri virtutis suæ potestate subsistens* ; vel cum post pauca prædicat, nostris eum carere vitiis, *per virtutem profectæ ex se originis.*

67. Neque hic silendum est Philippi ad Johannem responsum. Cum enim in illis Hilarii lib. II de Trin., *Spiritus Sanctus..... naturæ se humanæ carnis immiscuit*, hic blasphemiam cogitaret ; prudenter epist. 5 respondit Abbas longe sapientior : *Cum ergo dicitur vel Virgo de Spiritu concepisse, vel Christus carnis originem accepisse, non intelligitur quod divina substantia in carnem transierit, vel conceptionis hujus causa materialis exstiterit ; sed adventus ejus in Virginem et mira operatio designatur, per quam Virgo generat, et Christus generatur.* Recte quidem ille, si tamen in his, *adventus ejus in Virginem*, Verbi, et non Spiritus Sancti adventum intellexit.

68. In enucleanda *Spiritus sancti* voce forte jam longius oratio processit. Sed cum heterodoxus nostra ætate celebratissimus, primos Ecclesiæ Patres in multis errasse, ac nominatim Filium et Spiritum Sanctum solere confundere asseruerit ; nostris observationibus nonnihil necessario adjiciendum est, ne quis iis confirmari putet tam imprudentem illius assertionem. Aliud certe est primos Patres ad enuntiandam secundam ac tertiam Trinitatis personam eo vocabulo indifferenter uti, quod temporis processu tertiæ proprium factum est : aliud, eos personales utriusque proprietates confundere. Decursis quidem aliquot sæculis tertiæ personæ proprium habitum est *Spiritus sancti* vocabulum, quod primis audierat toti Trinitati commune : at nusquam apud Patres reperire est confusas et non distinctas Filii et Spiritus Sancti personas ; ut, verbi gratia, illud Evangelii, *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* interpretantes, Filium et Spiritum Sanctum confuderint, nec subsistendi ratione distinxerint. Quod autem hæc *Spiritus Sanctus superveniet in te*, et alia hujusmodi, quæ nunc ad Spiritum Sanctum referuntur, retulerint ad Filium ; citra errorem et absque ullo fidei periculo factum est. Iis enim verbis aut persona quæ corpus a Verbo assumtum condidit, aut quæ illud assumsit significatur : si quæ condidit, integra erit fides ad quamlibet referantur ; sin autem quæ assumpsit, ad Hilarii aliorumque Patrum interpretationem erit redeundum. Itaque absque ulla divinarum personarum confusione dixit Hilarius, *Dei Spiritum Dei virtutem, Dei sapientiam, Dei Filium et unigenitum Deum, ad remissionem peccati condemnationemque peccati legis, hominem natum esse :* cum variis illis cognominibus unicum Dei Filium intellexerit. Submoto igitur hoc scrupulo, qui Johanni scandalo maximo fuerat, quid alios etiam moverit, ut Hilarium sensisse dicerent, Christum ex Maria nihil accepisse, paucis expediamus.

III. *Aliquot loci, in quibus Hilarius Christi carnem ex matre sumptam negare visus est, explanantur.*

69. Cum nulla esset de Christi ex carne Virginis generatione controversia, non multum laboravit Hilarius, ut eam comprobaret. Immo cum hanc ultro concederent adversarii, atque ex ejus humilitate Christi divinitatem extenuare et infirmare contenderent ; hoc ei maxime enitendum erat, ut in Christo, præter humanam naturam, etiam divinam esse demonstraret ; argumentumque dilueret, quod ex humili illius de Maria generatione conficiebatur. Quod ut præstet, ostendit Mariam virginem nequaquam virtute naturali, sed præter legem communem, Christum peperisse ; sanctum vero Spiritum, hoc est ipsummet Dei Filium, in eam supervenientem, divina virtute sua corpus suum ex virginis carne efformasse atque assumsisse.

70. Qui hæc observaverit, illud libri x, n. 16, quod Johannem tantopere commovit : *Non enim* (Erasmus obnitentibus mss. addidit *ex se*) *corpori Maria originem dedit*, nullo negotio percipiet ita dictum, quod videlicet Maria corpori Christi originem atque principium naturali sua virtute non dederit : *ut quia*, inquit Leo laudata ad Flavianum epistola c. 2, *conceptus Virginis divini fuerit operis, non de natura concipientis fuerit caro concepti.* Nec cum Johanne Hilarium secum pugnantem censebit, sed in conceptione Christi quid Dei, quid matris sit accurate distinguentem suspiciet, cum post allata verba : *Non enim Maria corpori originem dedit*, continuo legerit, *licet ad incrementa partumque corporis omne quod sexus sui est, præstiterit.* Aut si hæc pugnant, pugnet et illud Leonis mox memorato loco, ubi ipsam Hilarii sententiam aliis dumtaxat verbis videtur exprimere : *Fecunditatem enim Virgini Spiritus sanctus dedit, veritas autem corporis sumpta de corpore est ;* pugnet et quod Gregorius Naz. Or. 36, n. 93, scribit, Mariam esse Christi matrem *juxta legem et non juxta legem generationis*, νόμῳ καὶ οὐ νόμῳ γεννήσεως ; vel quod epist. 1, ad Cledonium, defendit, Christum scilicet in Maria *divino modo, quia absque viri opera, et humano, quia procreationis lege, formatum esse ;* secum denique pugnet hæc de mirabili ejusdem Virginis conceptione Tertulliani sententia, *Peperit, et non peperit : peperit enim, quæ ex sua carne ; et non peperit, quæ non ex viri semine*, sed ex Verbi virtute. Certe cum in Virgine numquam conceptum fuisset Christi corpus, nisi superveniens in eam Spiritus fecunditatem ei præstitisset ; non ipsa Virgo, sed Spiritus dicendus est corpori Christi originem præbuisse. Recte igitur dixit Hilarius num. 16 : *Non enim corpori Maria originem præbuit :* nec minus vere num. 18 subjecit, *Ipse enim corporis sui origo est.*

71. Ut probet Scultetus, videri Hilarium Christi ex

Maria carnem negasse, hunc unum ex lib. x, allegat locum, *Hominis habitus est, origo non hominis* : quem in toto libro frustra quæsivimus. Verba tamen modo explicata num. 16 : *Non enim Maria corpori originem dedit*, eum indicare voluisse suspicamur : quibus connexuerit hæc num. 25 : *Non fuit habitus ille tamquam hominis, sed ut hominis... dum et habitus carnis in nativitatis est veritate.* Ut igitur nihil novi affert, ita nihil novi hinc a nobis desideratur. Tantum notanda hominis in verbis Patrum referendis fides, et quædam ad labefactandam eorum fidei famam propensio. Nam in solo numero 25 unde assuit verba : *Hominis habitus est*, Hilarius Christum ob veram ex homine nativitatem verum hominem esse ter diversis modis repetit : et hoc ipsum in numero subsequenti non semel inculcat. At vero nativitatem eam veram non esse, quæ propriam ejus ex quo ortum habet, substantiam non acceperit, quanto studio ubique defendit?

72. Ab illo autem divino Spiritu, cujus virtute Virgo concepit, Hilarius, lib. x, n. 55, conceptionem Christi spiritalem cognominat : *Dum et corpus illud corporis veritas est, quod generatur ex Virgine ; et extra corporis nostri infirmitatem est, quod spiritalis conceptionis sumpsit exordium.* Eamdem ob causam caro Christi a Tertulliano (*l. de carne Christi, n.* 19), *spiritalis* nuncupatur : et ipsismet *conceptionis spiritalis* vocabulis Leo papa, Serm. 5 de Nat. Dom. c. 5, utitur.

73. Idem Christi corpus *cœleste* vocant alii *propter cœlestem unionem, commixtis videlicet ut naturis, ita etiam nominibus, atque ob arctissimam conjunctionem inter se vicissim commeantibus*, ut loquitur Gregorius Naz., Or. 51, n. 12, concinente Augustino (*lib. contra Serm. Arianorum, c.* 8), cujus verba sic describit S. Leo epist. ad Flavian., c. 5 : *Propter hanc unitatem personæ in utraque natura intelligendam, et Filius hominis legitur descendisse de cœlo, cum Filius Dei carnem de ea Virgine de qua est natus, assumpserit.* At Hilarius denominationis hujus rationem ex eo maxime explicat, quod sacrum illud corpus Verbi opus sit de cœlo descendentis. *Caro illa*, inquit, lib. x, n. 23, *id est panis ille de cœlis est*, et num. 18, *ut per hoc, quod descendens de cœlis panis est, non ex humana conceptione* (sed de Spiritu e cœlis superveniente), *origo esse corporis existimaretur ; dum cœleste esse corpus ostenditur.* Quanquam cum inter conditionem corporis, et ejus assumptionem nullum intervallum constituat, sed unum et idem esse innuat momentum quo *Spiritus sanctus desuper veniens Virginis interiora sanctificavit* et quo *naturæ se humanæ carnis admiscuit, et id quod alienum a se erat, vi sua ac potestate præsumpsit* (*lib.* II, *de Trin., n.* 26), ipsius interpretatio non multum abest ab explicatione cæterorum : insuper et confirmat, quod communi fide receptum, Leo in eadem epistola Augustinum ex eodem loco rursum imitatus sic enuntiat : *Natura nostra non sic assumpta est, ut prius creata, post assumeretur, sed ut ipsa assumptione crearetur.*

74. Erasmum præterea movit illud libro III, n. 19 : *Et certe non suscepit* (Maria) *quod edidit, sed caro carnem sine elementorum nostrorum pudore provexit.* Nullus enim in toto libro tertius alius locus est, qui suspicioni ipsius faveat. At vero si obscura sunt postrema verba, lucem præferunt prima. Si enim Maria aliunde *non suscepit quod edidit*, necesse est ut propriam ipsa substantiam subministraverit. Quid est igitur elementorum nostrorum pudor, sine quo carnem Christi provexit? Hoc ipsum, quod Gregorius Naz., Or. 55, n. 26, in communi hominum generatione dictu pudendum significat, cum ait : *Haud magna esset hæc generatio* (Verbi), *si a te percipi posset ; quippe qui nec tuam quidem noris, aut certe exigua quadam ex parte perceperis, quantumque te dicere pudeat.* Nec aliud sibi vult apud Hilarium, carnem Christi *sine elementorum nostrorum pudore* provectam esse, quam quod apud Leonem, Serm. 5 de Nat. Dom., c. 4, *conceptui spiritali nulla fuisse terreni seminis mixta contagia.* Mentem ipse suam absque ulla ambiguitate aperit lib. XII de Trin., n. 50, ubi quæstione instituta cur Christum factum ex muliere Apostolus dixerit, acute respondet, eum *non extra rationem factum de muliere locutum esse, quem natum sciebat, frequenterque dixisset ut et nativitas veritatem generationis ostenderet, et factura unius ex uno nativitatem protestaretur ; quia humanæ permixtionis conceptum facturæ nomen excluderet, cum factus esse ex Virgine disceretur, qui natus magis esse non ambigebatur.* Qua, quæso, ratione planius potuit Christi ex Virgine singularis conceptionis modus ita explicari, ut et ipsius ex vera matre vera nativitas assereretur? Cui non perspicuum est, Hilarium, dum libro III elementorum nostrorum pudorem a conceptione Christi removet, non maternæ carnis substantiam, sed tantum *humanæ permixtionis conceptum* negare, et adstruere *unius ex uno nativitatem.*

75. Igitur id ei omnino sunt *elementa nostra*, quod initia nostra : neque his verbis tam rei conceptæ substantiam, quam modum quo concipitur explicat. Quod illustrat numerus 55, lib. VI de Trin. ubi ineffabilem æternæ generationis modum non ad nostram nascendi rationem cogitandum esse sic admonemur : *Non enim per consuetudinem humani partus Deus ex Deo nascitur, neque per elementa originis nostræ ut homo ex homine propellitur.* Hinc et id diluitur, quod Joannes, ut ex epistola Hunaldi apud laudatum Philippum, pag. 97, apparet. ex lib. x de Trin., n. 55 objiciebat : *Quia quamvis forma nostri corporis esset in Domino, non tamen in vitiosæ infirmitatis nostræ esset corpore, qui non esset in origine, quod ex conceptu Spiritus sancti Virgo progenuit : quod licet sexus sui officio genuerit, tamen non terrenæ conceptionis genuit elementis. Genuit etenim ex se corpus, sed quod conceptum esset ex Spiritu ; habens quidem in se sui corporis veritatem, sed non habens naturæ infirmitatem : dum et corpus illud corporis veritas est, quod generatur ex Virgine ; et extra corporis nostri infirmitatem est, quod spiritalis conceptionis sumpsit exordium.* Nemo forte non mirabitur imprudentiam, ne iniquitatem dicam, censorum Hilarii ; qui nè unum quidem locum reprehendere valuerunt, in quo non disertis verbis assere-

ret aliud, quam quod eum opinari voluerunt. Quid enim magis iniquum, ut altius dicta non repetamus, quam carpere quod postremo loco dicitur : *Non terrenæ conceptionis genuit elementis*; nec curare, aut non attendere quæ proxime præcedunt, *quod sexus sui officio genuerit*, aut quæ statim subjunguntur : *Genuit etenim ex se corpus?* At eamdem iniquitatem longe antea passus est Cyrillus. Quippe epist. ad Joannem pag. 106, tom. v queritur, se ab adversariis insimulatum, quasi *sanctum Christi corpus non ex sancta Virgine sumptum* diceret : *Cum*, inquit, *intelligere oportuisset, universum fere certamen pro fide a nobis esse susceptum, quod sanctam Virginem Dei genitricem esse constanter affirmamus. At si sanctum corpus nostri omnium Salvatoris Christi non ex Virgine natum, sed e cœlo allatum asserimus; quomodo illam Dei genitricem esse intelligemus?*

§ II. — DE NATURALI HOMINUM UNITATE CUM CHRISTO, EOQUE MEDIANTE CUM PATRE : UBI ET VERA HILARII DE EUCHARISTIÆ SACRAMENTO FIDES A FALSIS SCULTETI INTERPRETATIONIBUS VINDICATUR.

76. Inter sententias Hilarii sibi suspectas Erasmus in præfatione sua recenset, quod *cum alias, tum in libro de Trinitate octavo, magna contentione defendit, nos quoque cum Patre et Filio unum esse natura, non adoptione, neque consensu.* Qua in censura dupliciter potissimum peccat, primo quod non attendens quid Hilarius *natura unum* definiat, de his vocabulis ex nostro usu dijudicet : deinde quod qua ratione cum Patre, qua cum Filio nos natura unum senserit, non distinguat. Sed cum Hilarius nos cum Filio natura unum eo maxime probet, quod ipsammet carnis nostræ naturam assumpserit; qui hæc illius sententia Erasmo perspecta esse potuit, cui visus est carnis nostræ substantiam Christo denegare? Hinc nemo non videt, quam cum superiore connexa sit hæc disputatio. Quam autem sit necessaria, hinc probatur, quod qui ignoraverit Hilarii ea de re sententiam, toto lib. VIII de Trinit. aliisque passim locis plurimum laboret necesse est. Hunc autem laborem nonnullis levare non illibenter suscipimus.

77. Primum igitur observare juverit Hilarium non una ratione nos cum Patre et Filio, sed proxime cum Filio, eoque tantum mediante cum Patre natura unum dicere, quod ex sequentibus perspicuum fiet. Deinde cum ex hominum arbitrio pendeant nominum definitiones, qui *unum natura* definiat attendendum est. Hæc autem vocabula latius apud eum quam apud nos patere hinc manifestum est, quod lib. VIII, n. 9, generatim dicat : *Qui per rem eamdem unum sunt, natura unum sunt, non tantum voluntate.* Ex quo concludit num. 7, fideles, qui per fidem quæ una est unum sunt, non solo consensu unum esse. *Si ergo*, inquit, *per fidem, id est, per fidei unius naturam unum omnes erant; quomodo non naturalem in his intelligis unitatem, qui per naturam unius fidei unum sunt?* Rursum naturalem eorumdem unitatem num. 8 confirmat, quod his unum Christum indutis baptisma sit unum. *Quod unum sunt in tanta gentium, conditionum, sexuum diversitate, numquid ex assensu voluntatis est, aut ex sacramenti unitate; quia his et baptisma sit unum, et unum Christum induti omnes sunt?* Sic num. 9, et rigantem et plantantem ex eo unum esse concludit, *quia ipsi in uno baptismo renati, una unius regenerantis baptismi dispensatio sint;* et paulo post, *quia et ipsa res eadem effecti sunt, ut ejusdem rei et efficientiæ sint ministri;* quasi diceret : Ideo unum sunt qui rigat et qui plantat, quia ad unum effectum, ad unum scilicet baptisma conferendum, unum instrumentum sunt. Demum num. 12 natura eos unum esse innuit, qui honore uno potiuntur, quia *honor naturæ aut species sit aut dignitas.* Sed in quo nos cum Christo natura unum voluerit, propius dispiciamus.

78. Vir non minus ob acumen ingenii quam ob pietatem suspiciendus, nexum illum naturalem, quo nos Hilarius cum Christo devinciri vult, intelligendum putat Spiritum Dei, qui Christianarum animarum velut anima sit, vitam eis tribuens ac motum; ut fideles omnes a beato Petro *unanimes* non immerito sint appellati. Hinc quippe fit, ut quemadmodum singula cujusque hominis membra cum anima ad conficiendum unum corpus, ita singuli fideles cum Spiritu Christi ad componendum unum Christi corpus, quod est Ecclesia, naturali nexu devinciantur. Cui interpretationi favet, quod proxime ex lib. VIII de Trin. relatum est, omnes in quantalibet diversitate natura unum esse, *quia unum Christum induti omnes sunt.* Neque alio sensu Gregorius Naz. Or. 26, n. 17, cum præmisisset, alios in Ecclesia esse qui dominentur et præsint, alios qui pareant ac regantur; subjicit, *Fiunt tamen utrique unum in unum Christum ab eodem Spiritu constricti et compacti*, ἀμφότερα ἓν εἰς ἕνα Χριστὸν ὑπὸ τοῦ αὐτοῦ συναρμολογούμενα καὶ συντιθέμενα πνεύματος. Quo spectat illud Augustini serm. 268, n. 2 : *Quod est spiritus noster, id est anima nostra, ad membra nostra, hoc Spiritus sanctus ad membra Christi, ad corpus Christi, quod est Ecclesia*, et Serm. 267, n. 4 : *Hoc agit Spiritus sanctus in tota Ecclesia, quod agit anima in omnibus membris unius corporis.*

79. Minus tamen ad Spiritum, quam ad corpus Christi rationem habet Hilarius, cum naturalem illam hominum cum Christo unitatem considerat. Ac sicut triplex quodam modo Christi corpus est, naturale videlicet, quod sumpsit ex Virgine; sacramentale, quod nobis in Eucharistia reliquit; et gloriosum, quod in cœlum revexit : ita ex triplici illo capite nos cum Christo natura unum esse ostendit, dum et ille naturam nostram assumit in Incarnatione, et nos veram illius carnem recipimus in sacramento Eucharistiæ, ac demum eamdem, quam a Patre accepit, gloriam nobis retribuit in corporum reparatione. De triplici illa unitate singillatim agendum.

I. *Unitas hominum cum Christo ob naturam illorum ab eo assumptam.*

80. Philosophi veteres, Tullio teste lib. I, Quæst.

Acad., *hominem esse censebant, quasi partem quamdam civitatis et universi generis humani, eumque esse conjunctum cum hominibus humana quadam societate.* Haud procul ab hac eorum sententia abest Hilarius : cum in Psal. LIV, n. 9, de Christi corporatione ait *Universitatis nostræ caro est factus*; et in Psal. LI, n. 16 : *Ut et Filius hominis esset Filius Dei, naturam in se universæ carnis assumpsit, per quam effectus vera vitis, genus in se universæ propaginis tenet*; et num. 17 : *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, naturam scilicet in se totius humani generis assumens.* Pluribus aliis locis idipsum significat; sed luculentum est illud cap. 4 in Matt. num. 12, ubi civitatem supra montem positam, carnem a Filio Dei assumptam interpretatur in hunc modum : *Civitatem carnem quam assumpserat nuncupat; quia ut civitas ex varietate ac multitudine consistit habitantium; ita in eo, per naturam suscepti corporis, quædam universi generis humani congregatio continetur. Atque ita et ille ex nostra in se congregatione fit civitas, et nos per consortium carnis suæ sumus civitatis habitatio.* Haud absimili ratione Gregorius Nyss. initio tom. II in I Cor. XV, 8, de Christo loquitur : *Corpus ejus omnis est natura humana, cui est admixtus.* Ita et Cyprianus in Dominic. Orat. de eodem Domino nostro dicit : *Ipse in uno omnes portavit : secum*, inquit Augustinus in Ps. LXXXV. n. 1, *Nos faciens unum hominem, caput et corpus.* Quibus plane consentit Athanasius, Or. 4 cont. Ar., ubi hæc Christi verba : *Ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me et ego in te*, sic interpretatur : *Uti tanquam* omnes a me gestati, *omnes unum sint corpus, et unus spiritus, et in virum perfectum occurrant.* Quid aliud sibi vult quod ait Cyrillus Alexand. Dial. 1, p. 407 : *Nos quotquot homines sumus, naturali vinculo in identitatem esse constrictos.* Leonem quoque, Ambrosium ac vulgatum Titum Bostrensem eadem loquendi ratione usos esse ostendemus lib. II de Trin., p. 800, n. g.

81. Ob has locutiones videri possent sancti illi Patres existimasse, non singularem, sed universam generis humani naturam a Christo fuisse assumptam. Hoc tamen potius senserint, eum naturæ unius ac singularis susceptione universam in ea tenuisse. Non obscura est ea de re Hilarii sententia, cum lib. II de Trin., n. 25, ait : *Nos eguimus ut Deo caro fieret, id est, assumptione*, carnis unius *interna universæ carnis incoleret.* Neque vero hoc uni Christo privilegium tribuit, ut in eo omnes existant. Idipsum et de Adam et de Abraham affirmat : de Adam quidem cap. 8 in Matth. n. 5 : *In Adam uno peccata universis gentibus remittuntur;* de Abraham vero cap. 18, n. 6 : *In uno enim Abraham omnes sumus, et per nos, qui unum omnes sumus, cœlestis gloriæ numerus explendus est.* Ex quo perspicuum est, eos omnes, qui naturæ humanæ consortes sunt, Hilarii aliorumque Patrum sententia, naturali unitate esse conjunctos. Et uniuntur, quidem in illa massa, ex qua omnes omnino originem habent, et ex qua Christus ipse carnis suæ substantiam sumere non recusavit.

82. Non aliud sibi vult Præsul noster, cum l. VIII, ad hæreticos, qui nullam nobis cum Christo nisi consensus unitatem recipiebant, sermonem sic convertit n. 13 : *Interrogo utrumne per naturæ veritatem hodie Christus in nobis sit :* ac deinde prosequitur, *Si enim vere Verbum caro factum est... quomodo non naturaliter manere in nobis credendus est, qui et naturam carnis nostræ jam inseparabilem sibi homo natus assumpsit ?* Juxta hæc Ambrosius lib. IV de Fide, c. 10 : *Sicut unitatem fateor esse vitæ cœlestis in Patre et Filio per divinæ unitatem substantiæ : ita vel divinæ naturæ, vel Dominicæ Incarnationis excepto privilegio, societatem nobiscum vitæ spiritalis in Filio esse profiteor per humanæ unitatem naturæ : Qualis enim cœlestis, tales et cœlestes. Denique sicut in illo sedemus ad dexteram patris, non quia cum ipso sedemus, sed quia sedemus in Christi corpore; sicut, inquam, sedemus, in Christo per corporis unitatem, ita et in Christo vivimus per corporis unitatem.* Vide ejusdem epistolam 76 ad Iræneum, n. 8.

83. Ob naturalem illam humani generis cum carne a Christo assumpta unitatem Hilarius in Psal. LI, num. 16 et 17 docet, toti humanæ naturæ factum esse jus ad regnum Dei ; a quo nemo cadat, nisi aut per infidelitatem aut per sterilitatem a Christo, in quo jam velut insitus est, eradicetur, *non prohibitus unquam inesse, quia per naturæ assumptionem incola sit receptus, sed ob infidelitatis crimen naturæ consortio indignus existens.* Sic et in Psal. CXLIII, n. 18, salutem carnis suæ in contemplatione resurrectionis Christi gentes jam intueri scribit. *In eo enim*, inquit in Psal. CXXIV, num. 4, *sumus, resurrectionem nostram resurrectione nostri in eo corporis speculantes.* Ex quibus confirmatur, quod superiori disputatione satis superque demonstratum putamus, quam non negarit Hilarius Christum ex Mariæ substantia carnem assumpsisse cum homines Christo natura unitos ideo affirmarit, quod eam ipsam susceperit carnis naturam atque substantiam qua constamus. Cum autem naturalis hujus unitatis gloriam nulli homini neget ; patet quod diximus minus eum ad spiritum Christi, quo soli fideles ac boni cum Deo uniuntur, quam ad corpus illius respexisse.

II. *Hominum cum Christo unitas ob carnem illius in Eucharistia perceptam.*

84. Alter ejusdem unitatis explicandæ modus petitur ex communione carnis Christi, quam in Eucharistiæ sacramento percipimus. Neque hoc alterum argumentum a priore separat Hilarius ; sed utroque in unum composito, nostram cum Christo naturalem unitatem sic declarat (lib. VIII, n. 13) : *Si enim vere Verbum caro factum est, et nos vere Verbum carnem cibo Dominico sumimus, quo modo non naturaliter manere in nobis existimandus est qui et naturam carnis nostræ jam inseparabilem sibi homo natus assumpsit, et naturam carnis suæ ad naturam æternitatis, sub sacramento communicandæ carnis, admiscuit ?*

85. Mirum quantum se torqueat Sculletus in analysi hujus loci, ut propositi argumenti vim elidat. Nam

quæ de communicatione carnis Christi in Eucharistiæ sacramento perspicua sunt, dum detorquere conatur ad gloriæ ipsius consortium, ita intricatus est illius sermo, ut vel ex perplexa illa dicendi ratione appareat interpretationis falsitas : sic enim verba allata explicat : *Natura humana in Christo divinitati juncta est hac ratione summe mystica, ut ipsa Christi caro nobis quoque communicetur, id est, ut natura unum simus cum illa, participes immortalitatis et gloriæ resurrectionis qua illa fruitur. Hoc sibi volunt verba Hilarii : cum ait* : Naturam carnis ad naturam æternitatis admiscuit ; *addit*, sub sacramento nobis communicatæ carnis, *ubi non de symbolo cœnæ loquitur ; aliter enim vocabulo* sacramenti *utitur Hilarius : sed docet humilitate Filii Dei assumentis carnem nostram commendari nobis sacramentum, id est, arcanum illud, quod et naturam suam nobis communicarit, ut immortales etiam nos efficiamur.*

86. Plura adversus tortuosam hanc, infidelem et ineptam interpretationem retorquere in promptu est. Ac primo quidem nullum in exposito loco *de Filii humilitate* verbum reperit. Deinde verbum *communicatæ* loco *communicandæ* substituit contra fidem omnium codicum sive scriptorum, sive excussorum. Sed et qua fronte negat Hilarium de Eucharistia locutum esse, quia ille *sacramenti* voce, non id quod vulgo solet, sed arcanum quid significet ? Nonne initio lib. II baptismus *sacramentum salutis humanæ* appellatur? An in hoc ipso lib. VIII *sacramenti* vox aliud sonat quam apud nos, ubi ait : *Quod unum sunt in tanta gentium, sexum diversitate, numquid ex assensu voluntatis est, aut ex sacramenti unitate, quia his et baptisma sit unum ?* Quid vero secundum Scultetum, sibi volet illud n. 15 Christum, cum ipsius sanguinem bibimus et manducavimus carnem, *in nobis per sacramentorum inesse mysterium*, nisi Christum in nobis inesse per mysteriorum mysterium ? Ac ne plura huc congeramus, consulat Scultetus Tract. Psal. CXXXI, n. 23, audiatque ibi cœlestem Jerusalem definiri *concordem fidelium cœtum, et sanctificatas sacramentis Ecclesiæ animas.*

87. Præterea ludit et illudit Scultetus in verbo *æternitatis*. Nam cum æternitatem natura divina sola proprio sibi jure vindicet, uti cap. 25 in Matth. n. 5, docetur, hanc ab Hilario *æternam* vel *æternitatem* simpliciter appellari aut non advertit, aut dissimulavit. Certe cum adversus hæreticos, qui mœstitudinem in Deum propter se cadere posse asserebant, cap. 31 in Matth. n. 2, ait : *Ac si æternitas naturam fragilitatis acceperit*, et postea, *ac si æternitas demutata in metum*, etc., an aliud sonat *æternitas*, quam quod *divinitas ?* Quis etiam neget, his Fragmenti II, n. 32, verbis : *Idcirco immutabilis et inconvertibilis filius Dei, ut in assumptione hominis corruptioni potius gloriam intulerit, quam labem æternitati ;* divinitatem *æternitatis* vocabulo enuntiatam esse ? nihil enim his fere aliud significatur, quam quod illis lib. 9. de Trin. num. 4 : *Contumeliæ suæ voluntas, nostra provectio est, dum nec amittit ille quod Deus est, et homini acquirit ut Deus sit*, Verbo scilicet assumptione carnis nostræ nihil periisse, nobis autem plurimum gloriæ accessisse. Quod illustrant hæc antiqui auctoris verba lib. de fide orthodoxa apud Ambrosium in Append. tom. II, c. 8 : *Cum hominem induere dignatus est, non labem æternitati intulit, ut Spiritum in carnem mutaret*, etc. Cum igitur Hilarius divinam naturam verbo *æternitatis significare soleat ;* dum loco laudato, *lib.* VIII, ait : *Naturam carnis suæ ad naturam æternitatis admiscuit*, simplex ac germanus sensus est : Non nudam et a Verbo absolutam carnis suæ naturam sub sacramento Eucharistiæ reliquit, sed divinitati suæ admixtam atque conjunctam, ut communicando carnem, divinitatis suæ consortes nos efficeret.

88. His verbis ita intellectis, plana est Hilarii demonstratio. Si enim vere nobis præstatur natura carnis Christi, substantialiter unita Verbo, quod cum Patre natura unum est, sequitur ut nos cum Christo, eoque mediante cum Patre naturaliter unum simus : quod probandum susceperat. Unde duæ illæ superius allatæ propositiones : *Si vere nos Verbum carnem cibo dominico sumimus ;* et : *Si naturam carnis suæ ad naturam æternitatis sub sacramento communicandæ carnis admiscuit*, hoc tantum differunt, quod prima sacramenti Eucharistici naturam simul et perceptionem sonet, altera vero naturam duntaxat et institutionem. Intellectum eumdem confirmat quod conclusionis in modum subjicit : *Si vere igitur carnem corporis nostri Christus assumpsit, et vere homo ille, qui ex Maria natus fuit, Christus* (hoc est, *Deus*) *est, nosque vere sub mysterio carnem corporis sui sumimus* (et per hoc unum erimus, quia Pater in eo est et ille in nobis) : *quomodo voluntatis unitas asseritur ; cum naturalis per sacramentum proprietas, perfectæ sacramentum sit unitatis ?* Quid enim hoc sibi vult, nisi quod cum illius, qui vere Deus est, veram carnem sumimus, habemus unde cum Patre copulemur : quia per veram Christi carnem nobis impertitam in eo sumus, qui per naturam divinitatis in Deo Patre sit. Sicque *naturalis per sacramentum proprietas perfectæ sacramentum est unitatis :* hoc est, propria carnis Christi natura, per sacramentum Eucharistiæ nobis præstita, vinculum est perfectæ inter nos, Christum ac Patrem unitatis.

89. Frustra igitur tergiversatus est Scultetus : frustra eum sermonem, in quo se Hilarius de nostra cum Deo per Eucharistiam communione loqui, tot tamque diversis modis declarat, *non de symbolo cœnæ*, sed de quodam gloriæ consortio dictum esse contendit. Neque vero in coacta illa interpretatione constare ipse sibi potuit. Ubi enim locum attigit proxime allatum, *nosque vere sub mysterio carnem corporis sui sumimus ;* concedit tandem etiam superiorem, *vere nos verbum carnem cibo dominico sumimus*, dictum esse de sacramento cœnæ. In hoc enim altero se habere putat unde fucum ac fumum faciat, quia in eo adjectum reperit *sub mysterio*. Quasi vero nudam et crudam Christi carnem, et non sub mysticis speciebus velatam in hoc sacramento nos accipere Ecclesia

unquam docuerit aut crediderit. Sed si placet in uno loco *sub mysterio ;* placeat in utroque *vere carnem sumimus :* placeat in primo *vere Verbum carnem sumimus*, hoc est eam ipsam carnem, quam Verbum ex Maria jam sibi inseparabilem assumpsit. Certe qui totum Hilarii locum expendet, illum crédidisse non inficias ierit, nos in Eucharistiæ perceptione Christi carnem tam vere sumere quam vere in temporaria generatione sua assumpsit ille nostram, et quam vere in æterna accepit substantiam Patris.

90. Immo cum hoc postremum, de quo litigabant Ariani, persuadere conetur ex ea ratione, qua carnem Christi in hoc sacramento accipimus., apud illos in confesso fuerit necesse est, nos in Eucharistia percipienda veram carnis Christi naturam percipere. Quippe ex evangelicis hisce verbis, *sicut misit me vivens Pater, et ego vivo per Patrem ; et qui manducaverit carnem meam et ipse vivet per me*, concludit, *vivit ergo per Patrem; et quo modo per Patrem vivit, eodem modo nos per carnem ejus vivimus.* Postea instat : *Si ergo nos naturaliter secundum carnem per eum vivimus, id est naturam carnis suæ adepti ; quomodo non naturaliter secundum Spiritum* (id est, secundum divinitatem) *in se Patrem habeat, cum vivat ipse per Patrem.* Tum prosequitur : *Per Patrem autem vivit, dum nativitas non alienam ei intulit diversamque naturam*, etc. Quod ex instituta comparatione nequaquam conficeretur, si carnis Christi solam figuram, vel etiam diversam et alienam substantiam acciperemus. Sed de nostro cur hic quidquam adjiciamus; cum quid Hilarius intelligat, *naturaliter secundum carnem per eum vivimus*, continuo interpretetur, *id est, naturam carnis suæ adepti ?* An ullus hic figuræ intelligendæ locus ? Quæ porro figuræ carnis cum *carnis natura* consensio ?

91. At si cui necdum satis probata perspectaque fuerit Hilarii sententia, expendat et illud ejusdem loci, *hæc ergo vitæ nostræ causa est, quod in nobis carnalibus manentem per carnem Christum habemus : victuris nobis per eum ea conditione, qua vivit ille per Patrem.* Quæ est enim ea conditio, qua Filius per Patrem vivat? Nulla profecto alia, nisi quod veram et non figuratam accipiat ipsius substantiam. Aut igitur vera Christi caro in Eucharistiæ sacramento accepta nobis per eum vivendi causa futura est, aut non victuri sumus ea conditione, qua vivit ille per Patrem. Deinde spiritalem dumtaxat manducationem quis hic cogitet, ubi *in nobis carnalibus manentem per carnem Christum habemus?* Quid est *per carnem*, nisi non modo secundum spiritum, sed et secundum ipsammet carnis substantiam, seu non spiritaliter tantum, sed et carnaliter ? Neque vero hoc ipsum vocabulum prætermisit. Nam hæreticos, qui nullam nobis cum Patre et Filio naturalem unitatem concedebant, cum sugillasset his verbis, *quasi nulla per sacramentum carnis et sanguinis naturalis communionis proprietas indulgeretur*, confirmat subinde, veram ac naturalem unitatem *permanentem in nobis carnaliter Filium* in hoc sacramento indulgeri.

92. Hanc autem carnalem, ut ita dicam, Christi præsentiam non in nobis tantum, seu non in solo usu ponit Hilarius : si quidem absolute et ante omnem usum carnis et sanguinis veritatem sic asserit ; *de veritate carnis et sanguinis non relictus est ambigendi locus ; nunc enim et Domini professione, et fide nostra vere caro est, et vere sanguis* : ac deinde sacramenti hujus usum et effectum declarat his verbis, *et hæc hausta atque accepta id efficiunt, ut et nos in Christo, et Christus in nobis sit.* Præterea non esse ambigendum dicit de veritate carnis et sanguinis, postquam Christus professione sua hoc testatum fecit : atqui ante usum Christus professus est : *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus.* Quid ? cum superius memorat a Christo naturam carnis suæ ad naturam divinitatis, *sub sacramento communicandæ carnis* admixtam ; nonne satis indicat et carnis et divinitatis, etiam ante quam communicatur caro, et dum adhuc est *communicanda*, adesse præsentiam ? Legit quidem ibi Scultetus *sub sacramento communicatæ carnis*, sed mala fide, uti jam monuimus. Denique hoc ipsum confirmari potest ex verbis lib. in Constant. n. 11, ubi deplorans Hilarius quæ ab impiis Constantii satellitibus Tolosæ gesta fuerant, ait : *Diacones plumbo elisi, et in ipsum, ut sanctissimi mecum intelligunt in ipsum Christum manus missæ.* Ut enim his verbis, *in ipsum Christum*, Eucharistiam intelligamus, facit intercedens admonitiuncula, *ut sanctissimi mecum intelligunt :* quæ quidem hic perinde est, atque alii Patribus, quoties de hoc sacramento ad cautelam paulo obscurius loquuntur, usitata formula *norunt fideles.* Eucharistia igitur ipse est Christus : Christus autem ita, ut impiorum manus in eum potuerint mitti, ac missæ re ipsa fuerint. Porro non missæ fuerunt in Sacramenti usu : relinquitur itaque ut etiam ante usum Christus in illo fuerit.

93. Vidit quidem Hilarius, huic nostræ de veritate carnis Christi in Eucharistia fidei sensus humanamque sapientiam repugnare. Verum iis quantumvis obstrepentibus sapienter occurrit ac silentium prorsus indicit his verbis : *Non est humano aut sæculi sensu in Dei rebus loquendum : neque per violentam atque imprudentem prædicationem, cœlestium dictorum sanitati extorquenda perversitas est. Quæ scripta sunt legamus*, etc. Legimus autem Christum nobis corpus suum tradidisse. Non est igitur audiendum quidquid reclamet infirma hominum ratio. *Nunc enim ipsius Domini professione et fide nostra vere caro est, et vere sanguis est.* At quomodo unum et idem corpus potest esse simul in tot tamque dissitis locis? respondet tibi Hilarius : Quod Christus affirmavit, *anne hoc veritas non est ? Contingat plane his verum non esse, qui Christum Jesum verum esse Deum denegant*, hoc est qui Christum negant esse omnipotentem, aut præstare posse, quod præstare se dicit. Hoc tutum est ipsius in rebus credita difficilibus confugium. Quamvis non assequatur quomodo filius ex Patris substantia genitus sit, qui januis clausis ad discipulos ingressus sit Christus, aut qua ratione veram nobis car-

nem suam sub mysticis speciebus porrigat nunquam tamen vel minimum de dictis Domini dubitat quem certo scit plura posse, quam valeat humana ratio comprehendere. Hujus fidei suæ exemplum denuo præbet, cum alium a duobus præcedentibus explicat nostræ unitatis modum : qui nunc paucis est perstringendus. Ante tamen non videtur silendum, etiam Cyrillum Alexandr., dial. 1, p. 407, exemplo Eucharistiæ uti ; ut eos refellat qui non aliam inter nos putant nisi voluntatis consensionem. *Concorporei enim*, inquit, *facti sumus in Christo, una carne pasti, et uno Spiritu obsignati : et cum Christus sit indivisibilis (neutiquam enim divisus est), unum omnes sumus in ipso. Ideoque ad Patrem dicebat, ut unum sint, sicut et nos unum sumus. Vide enim ut in Christo et sancto Spiritu omnes unum sumus tum secundum corpus, tum secundum spiritum.*

III. *Unitas Christi et hominum. Qui Christus nos cum Patre unum esse efficiat.*

94. Tertius unitatis modus, quem Hilarius primum tractat, futuram spectat vitam. Quam enim unitatem suis precatur Christus his verbis, *Ut sint unum, sicut nos unum sumus*, intelligendam putat ex his subsequentibus, *Et ego honorem, quem dedisti mihi, do eis* : ut tum futuri sint unum, cum gloriæ illius, quam a Patre accepit, participes efficientur. *Omnes*, inquit lib. VIII, n. 12, *qui credituri in eum sunt, unum cum Patre et Filio erunt. Et quomodo erunt, mox docemur : Et ego honorem, quem dedisti mihi, dedi eis. Et nunc interrogo, utrum id ipsum sit honor, quod voluntas ; cum voluntas motus mentis sit, at vero honor naturæ aut species aut dignitas.* Ex quo postea concludit : *Jam igitur unum sunt omnes* (Pater, Filius, fideles) *in honore : quia non alius quam qui* (a Patre) *acceptus est, honor datus est* (a Filio fidelibus) ; *neque ob aliud datus est, quam ut unum omnes essent.* Unde fit ut *credentes omnes honor Filii ad unitatem Paterni honoris assumat.* Quamvis autem de hac unitate sibi a Christo promissa certum se dicat per fidem ; ipsius tamen rationem nondum se probe scire fatetur ibidem subjiciens, *Fidem teneo, atque causam unitatis accipio : sed nondum apprehendo rationem, quomodo datus honor unum omnes esse perficiat.*

95. Triplicem illum unitatis modum paucis complectitur num. 16, ubi et causam exponit, ob quam ea de re disputarit. *Hæc autem idcirco a nobis commorata sunt : quia voluntatis tantum inter Patrem et Filium unitatem mentientes, unitatis nostræ ad Deum utebantur exemplo* (en causa :) *tanquam nobis ad Filium, et per Filium ad Patrem, obsequio tantum ac voluntate religionis unitis, nulla per sacramentum carnis et sanguinis naturalis communionis proprietas indulgeretur ; cum et per honorem nobis datum Filii* (hic est primus gradus unitionis cum Christo, gloria communis), *et permanentem in nobis carnaliter Filium* (secundus, caro illius nobis in Eucharistia data), *et in eo nobis corporaliter et inseparabiliter unitis* (tertius, caro nostra ab eo assumpta et nunquam dimissa), *mysterium veræ ac naturalis unitatis sit prædicandum.* Hac nostra cum Christo naturæ unitate ita explicata, non erat unde Erasmo oboriretur ulla errati suspicio.

96. Sed neque magis suspectum est, quod nos etiam cum Patre natura unum asserit. Non enim hoc probat, nisi Christo intercedente ac fungente mediatoris officio. Nam cum carnis Christi et nostræ sit una substantia, Verbi autem carnem nostram habentis et Patris una natura, fit ut conjuncti naturaliter cum Christo, cum Patre pariter conjungamur, cum quo ille naturaliter conjunctus est. *Ita enim*, inquit num. 13, *omnes unum sumus, quia et in Christo Pater, et Christus in nobis.* Luculentius autem num. 13, sententiam suam sic explicat : *Si voluntatis tantum unitatem intelligi vellet, cur gradum quemdam atque ordinem consummandæ unitatis exposuit* (Joan. XIV, 19) *nisi ut cum ille in Patre per naturam divinitatis esset ; nos contra in eo per corporalem ejus nativitatem, et ille rursum in nobis per sacramentorum inesse mysterium crederetur : ac sic perfecta per Mediatorem unitas doceretur, cum nobis in se manentibus ipse maneret in Patre, et in Patre manens maneret in nobis ; et ita ad unitatem Patris proficeremus, cum qui in eo naturaliter secundum nativitatem inest, nos quoque in eo naturaliter inessemus, ipso in nobis naturaliter permanente?*

97. In hac hominum cum Deo unitate commendanda cum Hilario consentiunt et alii Patres, Gregorius Nyss. de verbis I Cor. XV, 8, tom. II, ubi dicit : *Ex omni autem humana natura, cui admixta fuit divinitas, veluti primitiæ conspersionis is qui in Christo est homo constitit, per quem divinitati universa adnata et admixta sunt* : tum mediatoris officium ea ratione a Christo impleri docet, *quod omnes sibi univerit.* Præclara sunt hæc Paulini Nolani epist. alias 33 verba : *Per Christum Deo juncti et insiti sumus, ut Dei arrhabonem teneamus in terra nostra Spiritum sanctum quem dedit nobis, et nostri pignus habeamus in Deo carnem Christi : quia intervallum istud immensum, quo a divinis mortalia disparantur, medio et inter utraque communi interventu suo, velut quodam ut sic dixerim ponte, continuat ; ut cujus tramite terrena cœlestibus conferantur.* Quærit Cyrillus Alexandrinus, dial. de Trinit., *An eam solam ob causam unigenitus mediator esse censebitur, quod peccatum, quod nos a Dei charitate et consortio arcebat, procul repulit ;* respondetque, *aliam præterea ei rationem arcanam et mysticam ad meditationis nomen et rem suppetere.* Quod mysterium sic postea exponit : *Mediator igitur hoc pacto etiam censetur esse, ea, quæ natura multum dissita et immenso disjunguntur intervallo, deitatem nimirum et humanitatem, conjuncta et unita ostendens in seipso, et nos per seipsum Deo et Patri conjungens. Ejusdem enim est cum Deo naturæ ; quia ex ipso est et in ipso : et ejusdem quoque nobiscum est naturæ ; nam ex nobis etiam est et in nobis.*

§ III. — AN HILARIUS CHRISTUM ESURIENDI, TIMENDI, DOLENDI, ALIISQUE HUMANIS AFFECTIBUS OBNOXIUM NEGARIT.

98. Quid Hilarius de Christi passione senserit, cele-

bris adeo in dies evadit controversia, ut hanc nobis illibatam præterire nullo pacto liceat. In hac porro causa nec illi defuere olim, neque etiamnum desunt et accusatores, et patroni: quorum alii eum affirmant sensisse Christum omnino tristitiæ, metus, doloris, aliarumque hujusmodi affectionum expertem, alii negant.

I. *Præcipui Hilarii in hac causa reprehensores, ac defensores.*

99. Primus inter veteres Claudianus Mamertus lib. II de statu animæ, c. 9, in Hilarii scriptis duo ut veris adversa animadvertit: *unum, quod nihil incorporeum creatum dixit: aliud, quod nihil doloris Christum in passione sensisse* (supple *dixit*) additque: *Cujus si vera passio non fuit, redemptio quoque nostra vera esse non potuit.* Reprehensionis hujus primæ parti suus infra erit locus: postremam expendere nunc sufficiat.

100. Multis post sæculis Berengarius, veritus haud dubie ne suum ipsius de Eucharistia commentum Hilarianæ auctoritatis pondere opprimeretur, eam ut declinaret, tanti viri famam labefactare conatus est, ac nequiter, Lanfranco teste epist. 50 divulgare, quod *in tractatu fidei perversa senserit, et in libro de divina Trinitate improbabiles sententias de Domino Jesu Christo protulerit.* Non ita multo post idem ille Johannes, qui Hilarium de conceptione Christi male sensisse pertinaciter voluit, epistolis iisdem non minus præfracte contendit, ipsius de passione Christi opinionem a recta fide abhorrere. Ea quoque in re Baronius ad annum 563, n. 4, minus circumspecte, quam solet, de Hilario loquitur, cum scribit eum ab Aphthardocitis instauratum esse errorem qui in Hilario jam damnatus fuerat; ac præter Claudiani Mamerti judicium, nullam affert damnationis hujus auctoritatem. Neque illi in hac causa parcunt Erasmus atque Scultetus. Plures alii etsi non aperte sanctum Præsulem damnant, eum tamen aut frigide defendunt, aut in eorum propendent sententiam, qui illum errasse opinantur. Mediam nonnulli sententiam ineunt qui cum confiteantur eum libris de Trinitate prava et a recta fide aliena docuisse, hoc erratum posterioribus scriptis ab ipso castigatum ac retractatum esse existimant.

101. Non minus celebres fuere, qui venerandi doctoris fidem adversus reprehensores vindicarunt. Ac primo quidem uni Claudiano Mamerto opponere licet quotquot Ecclesiæ patres Hilarium laudarunt. Hoc jam eleganter præstitit Lanfrancus epist. 50, ubi Berengarii censuram eo maxime argumento repellit, quod *quisquis Hilario alicujus hæreseos notam imponit, multos orthodoxos principes, qui magnis eum laudibus extulerunt, ejusdem erroris macula involvit.* Ut enim postea subjicit, *Gelasius Papa in decretis suis libros ejus inter catholicas scripturas enumerat... ejus auctoritas in sacris canonibus* (puta in concil. Chalcedon. act. II; Tolet. IV, c. 10; Hispal. II, c. 12, etc.) *decentissime memoratur, recipitur, et laudatur: sanctus Augustinus in libro* VI *de Trinitate, cap.* 10, *excellenti eum laude extollit... B. Hieronymus* (Vid. Epist. 7, ad Lætam) *quantis eum omnesque libros ejus in quibusdam suis præconiis effert, epistolari brevitate comprehendi non potest: cæteri sacræ religionis doctores, quicumque de eo aliquid locuti sunt, ab horum sententia in hac parte non dissenserunt.* Tum iis qui in lectione sanctorum Patrum sententias difficiles offensuri essent, egregiam hanc regulam proponit: *Tutius igitur est lectori in difficillimis sanctorum Patrum sententiis quas ingenii sui imbecillitas capere non potest, interrogato quod nescit, dicere se nescire, quam pertinaci arrogantia, et arroganti pertinacia, non sine sua et aliorum pernicie fidei contraria definire; præsertim si talis persona sit, quæ vel scientia litterarum, vel probitate morum, vel potius utraque parte, auctoritatis pondus præ se genere videatur.*

102. Similem superius a Philippo abbate audivimus: quam ipse secutus non eam esse Hilarii doctrinam, quam illi affingebat præpositus Johannes, tribus epistolis constanter propugnavit. Sed cum præpositus pertinaciter repugnaret, motæ litis arbiter quæsitus est Hunaldus: qui quidem utrumque ita conatus est conciliare, ut Hilarii fidem suspectam haberi nullo pacto permiserit. Hæc Hunaldi sententia cum tribus Joannis epistolis exstat ad calcem epistolarum Philippi abbatis.

103. Non longe postea sancti Thomas III p., q. 15, a. 5 et 6, ac Bonaventura 3 Sent. dist. 16, Magistrum imitati, pariter operam navarunt, ut catholici præsulis dicta catholice intelligerentur; diluerunt objecta, et quæ nonnullam erroris speciem præ se ferre videbantur, sanæ fidei reddiderunt. Prolixitatis vitandæ gratia referre supersedemus, quæ in hac causa eruditi illi viri Lanfrancus, Philippus Lombardus, Thomas, Bonaventura aliique plurimi adversariis responderint, ut ex ipsis Hilarii dictis genuinos illius sensus exploremus. Quod sane nec paucis expediri poterit: quamvis præconcepta multorum opinio everti aut saltem debilitari valeat, ubi eis demonstratum fuerit quod sequenti propositione aggredimur.

II. *Quam multa Hilarius docuerit objecto sibi errori adversa.*

104. Hoc in eum querelarum caput est, quod timorem, tristitiam aliasque ejusmodi affectiones, ac præsertim dolorem in Christum nequaquam cecidisse existimarit. Quid autem errori huic tam adversum tamque contrarium, quam ut omnes nostræ affectiones atque infirmitates a Christo susceptæ prædicentur? Atqui in Psal. LIII, n. 4, docet Christum ita orationem temperasse, *ut qui omnia secundum hominem passus est, omnia secundum hominem et loquatur; et quorum infirmitates portavit, eorum ad Deum deprecetur eloquio.* Quid est *omnia secundum hominem passus est*, nisi omnia quæ homines pati solent? Sæpe enim apud eum particulæ *secundum* ea vis est, ut idem sonet quod *more;* nec dubium sit, quin hic *secundum hominem* perinde accipiendum sit, ac more cæterorum hominum. Dictus ipse suum num. 7, sic enucleatius exponit: *Ut absolutissimum nobis humanæ*

humilitatis esset exemplum, omnia quæ hominum sunt et oravit, et passus est. Et ex communi nostra infirmitate salutem sibi est deprecatus a Patre; ut nativitatem (id est naturam) *nostram cum ipsis infirmitatis nostræ iniisse intelligeretur officiis. Hinc illud est, quod esurivit, sitivit, dormivit, lassatus fuit, impiorum cœtus fugit, mœstus fuit, et flevit, et passus, et mortuus est.* An hæc omnia, quæ sine aliquo doloris sensu aut animæ cruciatu nemo experitur, Christum aliter expertum esse intellexit? Falso igitur asseruerit, *omnia quæ hominum sunt* passum eum esse. Deinde si famem, sitim, lassitudinem, fletum solius carnis dixeris, non animæ esse passionem, num etiam mœstitiam? At vero hanc num. 8, non in carne, sed in anima Christi positam se intelligere declarat his verbis, *Potentes animam ejus exquirunt, quæ frequenter in Evangeliis tristis et mœsta est.*

105. Neque quisquam inficias ierit, anxietatem animæ esse propriam affectionem. Ab Hilario tamen in Psal. CXXXIX, num. 2, Christus prædicatur *ex infirmitate corporis anxius*: et hoc quidem, uti declarat in Psal. CXLI, num. 1 *non ob naturalem* (Verbo) *quasi passionis metum, sed affectum hominis quem gerebat ostendens... ut ipse non simulatus, sed verus homo posset intelligi.* Ex quo id etiam conficitur, verum et non simulatum fuisse illum Christi metum, quem, ut verus et non simulatus homo posset intelligi, susceperit. Cur autem naturalis negetur, dicetur infra copiose. Eumdem humanæ mentis affectum de Christo planius affirmat in Psal. CXXXIX, num. 11, ubi cum quæsisset, unde unius ejusdemque Christi oratio sit cum trepidatione simul et securitate; reponit, *Hoc autem ab eo dici ex ratione poterit, qui gerens hominis Deique naturam, habeat et ex hominis infirmitate trepidationis affectum, et ex conscientia divinitatis fiduciam securitatis.* His accedit illud Tract. Psal. LIV, n. 6: *Et hæc quidem in eum omnia, quæ nostræ necessitatis sunt, irruerunt; sed ab eo naturæ suæ virtute suscepta sunt, dum mortem nostram potens non mori, etiam timorem in se mortis ingruentem non renuit.* Multa hic locus continet notatu digna. Primo enim hæc dixit Hilarius ad enarranda psalmi verba: *Cor meum conturbatum est in me, et formido mortis cecidit super me, timor et tremor venit super me*, quæ de Christo interpretari non dubitat. Deinde quasi non satis sit cordis turbationem, timorem ac tremorem Christo attribuisse; etiam generatim de eo pronuntiat, *Pati omnia in se ipso constituit;* et mox, *Omnibus quæ infirma sunt, perfunctus;* et continuo, *Universa quæ mortis nostræ sunt ac timoris pertulit.* Tum attingit causam cur omnia passus sit, quod nimirum non propter se hæc pertulerit, sed ut *humanæ salutis sacramenta perficeret.* Post rationem, qua sit passus, sic explicat, 1° ut cum *difficillimum hominis infirmitatis sit, intra seipsum perturbationes mentis commotionesque cohibere, ut non erumpant*, Christus eas intra se cohibuerit, ac proinde dominus earum fuerit; 2° ut quia *divinitatis suæ non est abolita natura, omnibus quæ infirma sunt salva majestatis suæ dignitate perfunctus sit;* ex quo sequitur A postremo, ut *universa quæ* in assumpta carne *pertulit* in Dei assumentis personam *inciderent potius, quam inessent* in propria illius natura. In quibus summatim habetur prope tota Hilarii de passione Christi doctrina, a catholica fide nihil dissonans.

106. Forte adhuc de dolore Christi, unde major est controversia, perspicuam exspectas sententiam. Habes in Psal. LXVIII, n. 23, et perspicuam et disertam: *Percussus ergo est Dominus peccata nostra suscipiens et pro nobis dolens;* et paulo post: *Hunc igitur ita a Deo percussum persecuti sunt, super dolorem vulnerum, dolorem persecutionis hujus addentes. Pro nobis enim secundum prophetam dolet.* Rursum altera non minus evidens occurret num. 25, ubi Hilarius primum asserit, Verbi assumentis naturam formæ servilis assumptione abolitam non esse; adeo ut *quod assumptum est, non proprietas interior sit, sed exterior accessio.* Tum hoc dictum suum confirmat ex verbis psalmi: *Pauper et dolens sum ego, et salus vultis tui, Deus, suscepit me:* quæ quidem sic enarrat, *Pauper est, qui secundum Apostolum, cum esset omnium dives, seipsum ut nos ditesceremus paupertavit: dolens est qui secundum prophetam pro nobis dolet. Sed hunc pauperem ac dolentem salus ea, quæ vultus Dei est, suscepit.* Paucis subinde explicat, quomodo qui imago, vultus ac forma Dei est, homini illi pauperi ac dolenti, quem assumpsit, salutem in se impertierit. Agnoscit itaque laudatis psalmi verbis duplicem Christi naturam significari, divinamque adeo non defecisse, ut humanæ salutem et gloriam præstiterit, et id quidem post quam paupertatem ac dolorem experta est.

107. Neque hic omittendum, quod enarrans Psal. LVII, n. 5, habet: *Peccatorum autem vim et dolorem significari neminimus in spina, cum dicitur: In ærumnam incidi, dum configitur spina: quia usque ad mortem humiliatus* (Christus,) *de peccato condemnavi peccatum in carne, velut cum spina configitur.* Cum enim in spina dolorem asserat significari, et unicum de Christi passione testimonium in hujus rei probationem afferre satis habeat, palam facit se ne quidem ambigere, quin Christus in passione non sine doloris sensu fuerit. Certe si Christum sensit doloris expertem; aut ad Christum referre non debuit: *In ærumnam incidi, dum configitur spina,* aut frustra eo loco commotus est, ut peccatorum vim et dolorem in spina significari admoneret. Sed quam a Christo dolorem non removerit, rursum fidem faciunt hæc Tract. Psal. LXVIII, n. 1: *Universarum itaque humanarum passionum sorte perfunctus, secundum susceptas infirmitates nostras loquitur: et dolet ipse quidem extra necessitatem et timoris positus et doloris; sed his se tamen quæ suscepit accommodans: ut qui carnis nostræ homo natus esset, et dolorum nostrorum querelis et infirmitatis precatione loqueretur.*

108. Cum tot locis evidens sit, Hilarium Christo claris ac disertis verbis attribuisse famem, sitim, mœrorem atque tristitiam, trepidationis affectum, timorem mortis, dolorem, omnes denique humanæ

infirmitatis affectiones ac passiones : cur hæc ei negare a nonnullis existimatus est! cur de illius opinione anceps etiamnum est plurimorum sententia? Testis est S. Bonaventura lib. III Sent., dist. 16, q. 1, a. 1, quosdam dicere, eum priorem suam sententiam retractasse, seseque audiisse nominatim *Parisiensem episcopum* (Guillelmum) *referre, se librum illius retractationis vidisse et perlegisse.* Hunc porro retractationis librum Dionysius Petavius lib. x, de Incarn., cap 5, suspicatur ipsius esse in Psalmos Commentarium. Fatetur enim, in eo ac præsertim Tract. Psal. LXVIII multa esse ei errori contraria : a quo alias, maximeque libris de Trinitate, purgari eum non posse arbitratur. Maneat interim, Hilarium Commentario in Psalmos, quem libris de Trinitate posteriorem confitemur ac demonstraturi sumus, non modo non sensisse Christum tristitiæ, metus ac doloris expertem, sed huic etiam errori multa contraria docuisse : num vero eidem opinioni æque contraria libris de Trinitate tradiderit, nunc exquiramus.

III. *In libris Hilarii de Trinitate multa sunt Christi indolentiæ contraria.*

109. Inficiandum non est iis, qui Christi indolentiam ab Hilario propugnatam volunt, in libro 10 adesse plurima, quæ ipsorum opinioni faveant. Quid enim aliud sonare videatur hoc num. 23 quod in Christum quamvis ictus aut vulnus inciderent, *afferrent hæc quidem impetum passionis, non tamen dolorem passionis inferrent?* Id porro cum illustratur similitudine teli in aquam aut ignem aut aerem immissi, quod quamvis a natura habeat ut et foret et pungat et vulneret, nec forat tamen, nec pungit, nec vulnerat, quia de natura non sit aut aquæ forari, aut aeris pungi, aut ignis vulnerari ; præconcepta ex prioribus verbis opinio mirum in modum confirmatur. Aliter autem sentientibus non levius negotium facessit illud num. 15 quo negatur Christus *dolorem corporis nostri* sensisse, quia non humano more, sed ex virtute Spiritus sancti et Virgine conceptus ac natus sit : adeo ut vere quidem in forma servi exstiterit ob carnem ex Virgine assumptam, sed ob spiritalem conceptionem (*num.* 25) *a peccatis et vitiis humani corporis liber* fuerit.

110. Et quidem delibatis prioribus hujus libri paginis ab ipso sanctum virum vindicandi proposito pœne absterriti sumus, satius ducentes cedere, quam apertæ contradicere veritati. At cum assensum, ipsius præcepto admoniti, ad finem usque libri sustinuissemus, ex dictis posterioribus affulsit lux, qua priorum caligo depelleretur. Quamquam neque de ipso libri 10 initio male existimandi locus ullus fuerat, si indubitata fuissent postrema hæc libri 9 verba : *Sicuti neque cum secundum hominem aut flet, aut dormit, aut tristis est; Deus obnoxius esse aut lacrymis, aut timori, aut somno est confitendus; sed salva Unigeniti in se veritate, secundum carnis infirmitatem, fletum, somnum, sitim, lassitudinem, metum* (supple *passus esse :*) *pari necesse est secundum hominem natura diei atque horæ professus esse intelligatur inscientiam.* In his enim veluti certum et quod extra controversiam sit, ponitur Christum ut hominem expertum esse metum, tristitiam, etc., quamvis ea ut Deus nescierit : unde hoc quod obscurius esset conficitur, eum pari ratione ut hominem professum esse se nescire diem judicii, quamvis eam non ignoraverit ut Deus. Quo posito, catholica fides adstruitur, ac præcluditur omnis de libro subsequente male judicandi occasio. At vero hæc Hilarii esse nemo hactenus dubitavit : nulli igitur idonea fuit causa de fidei illius sinceritate dubitandi. Sed hanc nunc ex certioribus demonstremus.

111. Primum occurrit illud lib. III, num. 10 : *A cunis et infantia usque ad consummatum venerat virum : per somnum, famem, sitim, lassitudinem, lacrymas hominem egerat*, etc. Deinde, lib. VI, n. 25, Christum corpoream humilitatem suam non solum non siluisse, sed et sæpe numero declarasse cum Hilarius multis exemplis probet, hoc etiam refert illius dictum, *Nunc anima mea turbata est.* Sensit igitur animam Christi turbari potuisse, ac re ipsa fuisse turbatam : adeoque passionis motum in animam illius æque ac in carnem incidere potuisse.

112. Quod autem libro decimo in eadem prorsus sententia steterit, vel ex n. 24 et 66 manifestum est. Ac tristitiam quidem a Christo susceptam esse frequens in eo docet. *Qui ergo*, inquit num. 36, *non propter mortem, sed usque ad mortem tristis est, quærendum est unde sit tristis.* Et mox : *Adeo autem non propter mortem suscepta tristitia est, ut sit destituta per mortem :* quod et repetit num. 39. Sic num. 63 docet, *Christum non sibi flere, sed nobis; ut assumpti hominis veritatem ipse quoque affectus humanæ consuetudinis susceptus protestaretur.* Si plura cupis, habes num. 42 : *Nec propter mortem timet, qui usque ad mortem anxius est;* num. 54 : *Vagit infans;* n. 55 : *Vere Jesum Christum flesse non dubium;* n. 56 : *qui et flevit et doluit.* Hoc autem eo magis notandum, quod eo loci verum Christi fletum, proindeque verum dolorem propugnet. Denique num. 67 generatim audies, *Passus quidem est unigenitus Deus quæ homines pati possunt.*

113. Neque etiam quatenus a Christo arceret timorem, tristitiam, dolorem, ambigi permisit, cum num. 48 iis quæ ad humanam ipsius naturam, et quæ ad divinam pertinerent, diffuse enumeratis concludit eum *secundum hominem pro nobis infirma omnia pati, sed secundum Deum in his omnibus triumphare.* Ea ipsa distinctione rursum utens num. 62, ait : *Habes in conquerente ad mortem se relictum esse, quia homo est : habes eum, qui moritur, profitentem se in paradiso regnare, quia Deus est.*

114. Sensim sine sensu labitur et ruit conjectura eorum, qui Hilarium ab infirmitatis nostræ affectionibus divinam humanamque Christi naturam eximere, eo argumento confirmare se putant, quod cum adhibita duplicis hujus naturæ distinctione ab objectis sese expedire facile potuisset, aliam tamen viam

inierit, et ad alia confugerit responsionum præsidia. Certe distinctionis hujus quam non negligens fuerit, rursum testis erit Tractatus psalmi LV, num. 2, ubi sermonem ita sibi temperandum proponit, *ut quia* (Christus) *infirmitates omnium portavit, et peccatorum nostrorum frequenter et voce sit usus et lacrymis; extra contumeliam Dei sit et affectus et sermo qui hominis est.* Ibi quippe in Christo secernuntur Deus et homo: et cum in homine hominis infirmi non tantum *sermo*, sed et *affectus* fuisse concedatur, hoc *extra contumeliam Dei* intelligendum esse admonemur. Ita et commentariis in Matthæum, quos ante libros de Trinitate scriptos esse prope certum est, in Christo carnis infirmitatem a Verbi virtute distinguit: sicque veram illius esuritionem fuisse concedit secundum infirmitatem carnis, ut non obrepserit illa, nisi quantum Verbi virtus voluerit ac permiserit. *Igitur*, inquit cap. 3, n. 2, *cum esuriit Dominus, non mediæ subrepsit operatio, sed Virtus illa quadraginta dierum non mota jejunio, naturæ suæ hominem dereliquit. Non enim erat a Deo diabolus, sed a carne vincendus: quam utique tentare non ausus fuisset, nisi in ea per esuritionis infirmitatem quæ sunt hominis recognovisset.* Et num. 3: *Eam ergo in tentando conditionem operis proposuit, per quam et in Deo, ex demutatione lapidum in panes, virtutem potestatis agnosceret; et in homine, oblectamento cibi, patientiam esuritionis illuderet.* Adeo novit in Christo distinguere quæ Dei quæque hominis sunt, ut cum in ipso adstruat virtutem, quæ famem arcere valeat; ultro etiam confiteatur infirmitatem, quæ esuritioni permissa sit ita veræ, ut propter hanc ei *patientiæ* meritum attribuat.

115. Sed et cum Hilarius passim ac nominatim lib. XI, n. 6, observet hunc errorum omnium, quos refutandos suscepit, fontem esse, quod adversarii *dispensationem assumpti corporis rapiunt ad contumeliam divinitatis, et impietatis causas arripiunt de salutis nostræ sacramento;* atque cum illis ita agendum, ut distinctis iis quæ Dei essent, *et quæ essent temporum ac mysteriorum, nec contumeliam divinitas susciperet, nec dispensatio afferret errorem;* eaque ratione omnia eorum objecta dilui, seque superioribus libris diluisse admoneat: mirari satis non possumus unde hanc respondendi rationem dictus sit neglexisse. An quod ei uni non hæret; aut saltem illam non satis frequens inculcat? At Arianis Christi divinitatem ob ea quæ passus est negantibus, num fecisset satis, si hæc in humanam, non in divinam illius naturam cecidisse dumtaxat respondisset? annon visus esset principium, ut loquuntur, petere? Non tantum dicendum, sed et demonstrandum ei erat, præter naturam infirmam nostræque similem, aliam in Christo esse longe potiorem, infirmitatis prorsus nesciam, incorruptibilem, immutabilem, cujus potestati nihil non cederet. Hoc tum opus, hic labor erat. Is etiam est totius libri X scopus, ex cujus potissimum cognitione pendet intelligentia eorum, ob quæ catholicus Præsul in erroris suspicionem venit. Ut autem A manifestior fiat, de hæreticis illis, qui passam esse volunt Christi divinitatem, quosque ideo Theopaschitas vocant, nonnihil hic necessario præloquendum.

IV. *De hæresi quæ Christi divinitatem passam esse asserebat.*

116. Post Philastrium Brixiensem Augustinus ad Quodvultdeum hæres. 73 quamdam hæresim tacitis illius auctoribus commemorat, quæ *in Christo divinitatem doluisse, cum figeretur caro ejus in cruce, asserebat.* Hanc Romanum concilium sub Damaso epist. ad Paulinum Antioch. apud Theodoret. lib. V Hist. eccl. c. 11, configit his verbis: *Si quis dixerit in crucis passione dolorem sustinuisse Filium divinitate ipsa, et non carne animaque rationali quam assumpsit in forma* B *servi, ut Scriptura sacra loquitur, anathema.* Hinc forte mos antiquus obtinuit, ut episcopus ordinandus interrogaretur: *Credis filium Dei impassibilem et immortalem divinitate, sed in humanitate pro nobis et pro salute nostra passum vera carnis passione?* Certe Pelagius apud Augustinum Append. Serm. 236, n. 5, in confessione fidei ad Apostolicam sedem missa eumdem errorem verbis conceptis damnat.

117. Apollinarium hæresis hujus assertorem fuisse tradit Gregorius Nazianz. Or. 46 testaturque sibi in manibus exstare libellum ipsius, in quo *ipsum unigenitum Deum omnium judicem, vitæ auctorem, mortis extinctorem, mortalem esse docet ac probare nititur,* C *propriaque sua divinitate passum esse, atque in triduana illa corporis morte divinitatem quoque simul cum corpore mortuam fuisse, sicque rursus Patris opera a morte ad vitam revocatam.* Gregorio plane suffragatur Leo papa epist. alias 73, nunc 97, c. 2. Ab ea tamen apud Leontium adversus fraudes Apollinarist. sese alienum probat Apollinarius, ubi ei anathema dicit, *qui non dicit carnem* (Christi) *ex Maria, et qui dicit eam carnem esse naturæ non creatæ et homousion Deo, immo et qui dicit divinitatem esse passibilem, et ex ipsa esse passiones animæ:* vel cum epistolam Athanasii ad Epictetum ad eumdem errorem comprimendum scriptam suo calculo sic comprobat: *Epistolam vero domini mei Corinthum missam vehementer approbavimus: eorum autem, qui dicunt carnem Deo consubstantialem magnam insaniam damnavimus.* Quamquam hæ videri possunt D aut falsæ, aut potius hæretici inconstantis epistolæ. Neque enim Apollinarium ejusque discipulos sibi constitisse Gregorius Nazianz. monet: ac sub finem Or. 52 demonstrat, eos modo diversas Christi naturas distinguere, modo nolle distingui. Similem in Apollinarii doctrina inconstantiam notat Theodoretus lib. V Hist. eccl., c. 3, citatus a Liberato, c. 3.

118. Quamvis autem Apollinarius ægre admodum a prava Theopaschitarum opinione purgetur, primum tamen illius auctorem eum non fuisse fidem faciunt Concilii Sirmiensis anni 351, canones 11 et 12. *Si quis Verbum in carnem translatum putet, vel demutationem sustinuisse accipiendo carnem, anathema sit. Si quis unicum Dei filium crucifixum audiens, dealitatem ejus corruptionem vel passibilitatem* (πάθος) *aut de-*

mutationem vel interfectionem sustinuisse dicat, anathema sit. Non enim ante annum 360 hæreticus audire cœpit Apollinarius.

119. Et vero qui contra illum scripserunt, Liberatus, cap. 3, Gregorius Naz. Or. 51, Athanasius sub finem lib. de salutari adventu J. C. eum non ut commenti hujus parentem, sed ut imitatorem Arianorum tradidere. Et ex verbis quidem Phœbadii Agennensis apparet, Potamium blasphemiæ ejusdem fuisse doctorem. Item si epistolæ synodi Sardicensis, ea parte qua apud Theodoretum prolixior est, habenda fides; abdicati sunt Ursacius et Valens, quod *Verbum et Spiritum crucifixum, vulneratum, et mortuum esse, et resurrexisse* asseruerint. Eusebium quoque Pamphili Theopaschitarum vesania imbutum esse scribit Baronius ad an. 324, n. 109 et 110. At quod ad hujus rei probationem ex ipsius ad Constantiam epistola affert, nihil evincit. Immo aliud eum sensisse, ex libro ejusdem IV Dem. Evang., c. 13, commodius confeceris. Neque vero hic error erat omnium qui Ario favebant communis, sed insignium quorumdam Arianorum et maxime Anomœorum proprius.

120. Perfidi illi Christi hostes ut pravam illam doctrinam facilius tuerentur, commenti sunt corpus solum sine anima a verbo assumptum esse. Quod enim hoc commentum Apollinarius non finxerit primus, sed ab Arianis acceperit, testis est Theodoretus sub Dialogi II initium, ubi ait, *Arius et Eunomius creatam volunt Unigeniti divinitatem : solum corpus assumpsisse dicunt.* Neque Augustinum fugit hæc Arianorum opinio, quam aliis minus notam existimavit : sic porro habet lib. de hæres. c. 19 : *In eo autem, quod Christum sine anima carnem accepisse arbitrantur Ariani, minus noti sunt, nec adversus eos ab aliquo inveni de hac re fuisse certatum. Sed hoc verum esse et Epiphanius* (hær. 69, num. 49 et 50, et in Ancorato, n. 33) *non tacuit, et ego ex eorum quibusdam scriptis et collocutionibus certissime comperi.* Nihilo tamen minus hoc alii plures comperere. Athanasius hanc eorum sententiam sub initium libri de salutari adventu aperte sic prodit : *Arius carnem solam ad occultationem deitatis confitetur : et pro nostro interiori homine, id est anima, Verbum dicit in carne fuisse, passionisque sensum et ab inferis resurrectionem divinitati audens adscribere.* Ea quoque in re Eustathio Antiocheno, Gregorio Nazianz. Phœbadio probe noti fuere Ariani.

121. Illi ab Apollinaristis hoc tantum dissidebant, quod primarium apud Apollinaristas decretum esset, Verbum sine anima corpus assumpsisse; Ariani vero id ipsum tantum secundario docerent, ut palmaris eorum sententia de infirma Verbi divinitate obtineret. Discrimen hoc inter utrosque nonnihil tangit Athanasius sub finem lib. de salutari adventu J. C. ubi eos, qui Verbum vices animæ supplevisse sentiebant, refellens ait : *Ita futurum est, ut vulneratio corporis passio ipsius Verbi habeatur. Hinc enim proficiscitur quod Deum passum esse asseveratis. Congrua vox, et quæ optime vos deceat et quæ cum Arianis pulcherrime convenerit. Idem enim ipsi in suis dogmatibus statuunt.* Sed Arianorum in asserenda corporis inanimi susceptione consilium Eustathius Antiochenus apud Theodoretum dial. 3, planius retegit, dum quærit : *Cur magni faciunt ostendere Christum corpus inanimum suscepisse?* ac respondet ut si possint id aliquibus persuadere, *tunc affectionum mutationes divino* ipsius *Spiritui tribuentes, facilius persuadeant, ex immutabili natura genitum non esse quod mutabile est.* Sic Gregorius Naz. Or. 51, n. 13, testatur, Christum ab illis inanimatum hominem prædicari, *ut passionem divinitati tribuant, tamquam videlicet quod movet, idem quoque patiatur.* Et Leontius de Sectis, act. III : *Idcirco Arianum dogma Christi corpus inanimum esse tradebat, ut humiles hujusmodi voces Christo non ut homini attribueremus, sed ut Deo filio; deque ipsius sententia Filius Patre minor deprehenderetur.* Eodem spectant quæ Phœbadius Agenn. Hilario æqualis de epistola ab oriente et occidente (sive ut conjectura est, ad orientem ex occidente) transmissa habet : *Unus vestrum asserit, carne et Spiritu Christi coagulatis per sanguinem Mariæ et in unum corpus redactis, passibilem Deum factum.* Neque enim necesse est moneamus, *Spiritus* nomine hic veterum more naturam divinam intelligi. Quod autem hæc non unius, sed plurium sententia sit, subinde significat his verbis : *Vos quidquid de homine ejus dictum est, Deo applicatis : ut Deus ipse hominis imbecillitate societur*, forte *saucietur*. Hi Deum more animæ ac vice animæ cum carne ex Maria accepta conjunctum sentientes, sic eum passibilem factum cogitare potuerunt, quomodo anima, in quam ex se corporibus nulla potestas est, ex carnis societate passioni fit obnoxia. Sed maneat Arianos sensisse, quod *Deus Verbum*, ut loquitur Hilarius lib. X, de Trin., n. 50, *in animam defecerit;* hocque eos ideo sensisse, ut Christum secundum naturam divinam esuritioni, timori, tristitiæ, dolori subjicerent.

122. Quod licet jam satis superque constet, hujus tamen rei veritatem ex schismaticorum quorumdam adversus Cyrillum contumeliose debacchantium juverit (*Epist. ad Rufum T.* 3, *Conc. Labb., p.* 739) illustrare mendaciis. Paulo quidem longius est eorum testimonium : sed ad rem multum facit. *Docet,* aiunt de Cyrillo, *divinitatem unigeniti filii Dei passam esse, non autem humanitatem : cum divinitas inhabitans passiones corporis quasi proprii sibi attribuerit, et tamen in propria natura nihil ipsa pateretur. Addit præterea, ex divinitate et humanitate unam factam esse naturam... Ad hæc eos exsecratur, qui evangelicas apostolicasque voces de Christo Domino distinguunt, ut humiles quidem ad humanitatem, divinas vero ad Christi divinitatem referant. Quod Ariani et Eunomiani sentientes, humilesque dispensationis voces ad divinitatem referentes, Deum Verbum creaturam et facturam, alteriusque substantiæ et Patri inæqualem esse affirmare non dubitarunt. Quæ vero blasphemia ex hisce principiis consequatur, quivis facile intelligit. Nam et naturarum inducitur confusio, et Deo Verbo attribuitur illud : Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me? et illud : Pater*

mi, si possibile est, transeat a me calix iste : rursum fames, sitis, angelica confortatio, etc. *Quæ perspicuæ cum Arii et Eunomii impietate congruere facile quis viderit.* His ita præmissis, quid Hilarius, libro x de Trinit., sibi proponat quæve ei sententia sit, facilius deprehendetur.

V. *Hilarius de Christi tristitia, metu, dolore, etc., contra hæreticos qui ea Verbo tribuebant, disputat. Qui eis resistat.*

123. In duobus præcipue locis Hilarius metum, dolorem, tristitiam, aliasque humanæ infirmitatis affectiones removere a Christo videtur, in Matthæum videlicet cap. 31, et libro de Trinitate decimo. At utrobique contra hæreticos, qui hæc ad ipsius divinitatem referebant, eum confligere minime obscurum est. Quippe in Matthæum statim ab initio cap 31, declarat, sibi cum iis rem esse, quorum *ea opinio est, quod cadere propter se mœstitudo in Deum potuerit, eumque futuræ passionis metus fregerit, quia dixerit: Tristis est*, etc., *quique volunt ex infirmitate corporis ærumnam Spiritui adhærere.* Neque adversarios alios toto libro x de Trinitate sibi debellandos proponit. Nam cum doctrinam toti sectæ communem superioribus libris expugnasset, jam in hoc aggreditur non quod Ariani omnes, sed quod plerique eorum in Christum magis impii defendebant : quorum argumenta prius quam sibi opponat, sic num. 9, exponit placita : *Volunt enim plerique eorum non in natura eum impassibilis Dei fuisse; ut qui timuit et doluit, non fuerit in ea potestatis securitate quæ non timet, vel in ea Spiritus incorruptione quæ non dolet, sed inferioris a Deo patre naturæ, et humanæ passionis trepidaverit metu, et ad corporalis pœnæ congemuerit atrocitatem.* Tum eorum subnectit objecta, quæ libro toti materiam præbent. Atqui hæreticos hujusmodi oppugnare, Christum secundum humanam naturam passum fuisse propugnare est. *Cum enim*, inquit Gregorius Nyss. Or. 5, contra Eunom. relatus a Theodoreto, dial. 3, *duplex ex ambigua sit opinio, divinitasne, an humanitas passa sit; unius rejectio alterius erit confirmatio.*

124. Hilarium autem ab una Christi divinitate nostras infirmitates rejecisse inde perspicuum est, quod ubi dixit hæreticos velle ex assumptione corporis ærumnam adhærere divinitati, eos sugillat his verbis : *Ac si virtutem illam incorruptæ substantiæ imbecillitatis suæ sorte assumptio carnis infecerit, et æternitas naturam fragilitatis acceperit. Quæ si ad metum tristis est, si ad dolorem infirma, si ad mortem trepida, jam et corruptioni subdita erit* (cap. 31 in Matth. n. 2). Tum Deum corruptionis aut demutationis prorsus expertem esse ostendit : at de homine nihil omnino cogitat. Imo se eamdem humanæ Christi naturæ prærogativam tribuere nolle satis indicat, dum hanc Arianorum doctrinam fatetur ei opinioni consentaneam esse, qua filium Dei creatum et non æternum credunt. *Sed eorum*, inquit *(num. 5)*, *omnis hic sensus est, ut opinentur metum mortis in Dei filium incidisse, qui asserunt non de æternitate esse prolatum, neque de infinitate paternæ substantiæ exstitisse, sed ex nullo per eum qui eum creavit effectum; ut assumptus ex nihilo sit, et cœptus ex opere, et confirmatus in tempore : et ideo in eo doloris anxietas, ideo Spiritus passio cum corporis passione.* Unde sicut illi creatam sibi finxerant Unigeniti divinitatem, eam consequenter passam et crucifixam abstruebant; ita ipse ubi eam increatam demonstravit et æternam, longe efficacius concludit: *Mori igitur nihil in Deo potuit, neque ex se metus Deo ullus est.* Cur, quæso, addidit *ex se :* nisi quia ex parte hominis, cui Deus in Christo conjunctus est, et metum et mortem Deo esse potuisse non ambigeret?

125. Adeo non ambigebat, ac rem Scripturis ita constantem et evidentem existimabat, ut huic probandæ non immoratus, statim ad hujusmodi affectionum causas explorandas prosilierit; sic enim prosequitur : *Quia mœstum fuisse Dominum legimus, causas mœstitudinis reperiamus.* Quibus perquisitis subjicit (*num. 4*) : *Tristis ergo est usque ad mortem. Non itaque mors, sed tempus mortis in metu est.* Rei autem, quæ non est, causæ a nemine sano requiruntur. De Commentario in Matthæum hæc pauca sufficiant.

126. Quod vero in unos illos divinitatis Verbi temeratores intendatur decimus de Trinitate liber, præterea quæ diximus, Hilarius ipse in hujus libri argumento initio Operis sui præposito satis declarat (*lib.* I, *n.* 31 *et* 32), in hunc modum : *Quia ex passionis* (Christi) *genere et professione quædam, per stultæ intelligentiæ sensum, ad contumeliam divinæ in Domino Jesu Christo naturæ virtutisque rapuerunt; ea ipsa demonstranda fuerunt ab his impiissime intellecta.* Hic igitur unus est libri x scopus, ut hæretici, qui Christi in passione sua gesta dictaque ad divinæ ipsius naturæ contumeliam rapuerunt, convincantur ea impiissime intellexisse. Quatenus autem ea impiissime intellexerint, apertius subinde significat : quod nimirum *divinæ professionis naturæque immemores, ad argumentum impietatis suæ, dispensationis gesta et dicta tenuerunt*, quæ verba si cui ambigua sunt, conferat cum his lib. IX, num. 5 : *Hinc itaque fallendi simplices atque ignorantes hæreticis occasio est, ut quæ ab eo secundum hominem dicta sunt, dicta esse secundum naturæ divinæ infirmitatem mentiantur.* Unde hoc confici potest argumentum : Profitetur Hilarius se libro x, cum hæreticis disputaturum, qui quæ dispensationis dicta gestaque sint, in Deum cadere velint; atque hæretici, cum quibus ei disceptatio est, rapiunt quidquid de Christi timore, tristitia, dolore est scriptum, ut eum infirmum Deum ostendant : concedit igitur ea omnia, quæ de Christi timore, tristitia, dolore scripta sunt, dispensationis dicta gestaque esse, hoc est, in hominem a Verbo assumptum cadere. Sed ad librum ipsum veniamus.

127. Quemadmodum Hilarius in eo a prædictis hæreticis mentis aciem non deflectit; ita neque debet lector ab eorum sententiis animum avertere. Variæ quidem sunt, sed quæ ad duas commode revocentur. Verbum enim alii ita cum carne confundunt, ut ex

eorum sententia (*num.* 50) *de se defecerit Deus Verbum, dum corpus officio animæ vivificat;* alii ita ab homine dividunt, ut sicut *in prophetis Spiritus prophetiæ, ita in Jesu Verbum Dei fuerit.*

128. Qui in hæc attenderit, non laborabit in plurimis locis, in quibus sæpe negare videtur Hilarius, quod demonstrare dumtaxat vult ex adversariorum placitis explicari nullo pacto posse. Neque latebit, cur, v. g. num. 10, prius quam objecta diluat, adversarios aggrediatur his verbis : *Et interrogo eos, qui hoc ita existimant, an ratione subsistat, ut mori timuerit, qui omnem ab Apostolis terrorem mortis appellens ad gloriam eos sit martyrii adhortatus... tum deinde quem dolorem mortis timeret, potestatis suæ libertate moriturus?* Hoc enim argumenti genere, quod in eo libro frequens est, veluti gladio ancipiti fodiuntur sententiarum etiamsi adversarum patroni : cum neutris succurrat, unde Christi virtutem simul cum infirmitate componant. Certe dum num. 55 et 56, hæreticos illos hac ratione persequitur; ipsum fletus Christi veritatem prorsus respuisse crederes, nisi et ad calcem num. 55 adjecisset; *Et tamen vere Jesum Christum flesse non dubium est,* et num. 56 sic clausisset : *Non est vivificaturi flere, nec glorificandi dolere : et tamen vivificat, qui et flevit, et doluit.*

129. Illa autem argumentandi ratione eo usus est libentius, quo magis idonea erat ad arrogantiam eorum retundendam, qui omnia se Christi mysteria comprehendere jactitantes, ea pro libito definiebant. Quod enim Athanasius in exitu libri de salutari adventu J. C. obscurius dicit : *Stolidi, qui divinitati ejus passionem adscribunt, aut humanitati ejus fidem non habent, aut qui unum in duo separant, aut qui carnis ejus dimensionem conantur facere, et quantum et quomodo præter sacras Scripturas definiunt;* illustratur ex hoc Hilarii libro decimo, cujus postrema pars tota in iis coercendis occupatur, qui aliam sibi de Christo scientiam usurpant, quam quæ Scripturis revelata est.

130. Neque tantum os iniqua loquentium obstruere contentus, post quam illos quæstione n. 10, proposita nonnihil torsit, ad ipsorum opiniones funditus evertendas convertitur, jactatque fundamenta, quibus veritas adstruatur. Quippe continuo singularem Christi ortum conceptumque considerans, ipsum verum Deum hominemque perfectum ostendit, naturis ita distinctis, ut Verbi virtus ac natura a se non defecerit; ita unitis, ut non sit alius filius Dei, alius hominis filius. Quorsum, quæso, ad removendam a Christo passionum nostrarum ignominiam, naturarum in eo distinctio conjunctioque asseratur? Ne nobis excidat, illum eis resistere hæreticis, quos Phœbadius alloquens ait : *Non distinguentes Dominicæ potentiæ duplicem statum in sua unumquemque proprietate distantem, quidquid de homine ipsius dictum est, Deo applicatis, ut ipse Deus homini imbecillitate societur. Et idcirco duplicem hunc statum non conjunctum, sed confusum vultis videri ;* et aliquanto post : *Non ergo sit Spiritus caro, nec caro Spiritus, quod isti volunt egregii doctores, ut factus sit scilicet Dominus et Deus noster ex hac substantiarum permixtione passibilis :* quorum patronus apud Theodoretum dialogi 3 initio primum affirmat, *Christus ideo carnem assumpsit, ut id quod erat impatibile passionem sustineret ;* ac deinde ab Orthodoxo interrogatus, *Cujus existimanda est lassitudo? divinitatis, an corporis?* respondet : *Non audeo unita dividere. Orthodoxus : Divinæ igitur, ut apparet, naturæ lassitudinem tribuis. Eranistes : Sic mihi videtur.* Hæc quippe non oblitus, facile deprehendet, naturarum in uno Christo distinctionem conjunctionemque eam tantum ob causam ab Hilario tam operose explicari, ut hinc rationem redat, cur Deo impatibili attribuantur passiones, quæ in unam hominis naturam proprie cadant. Dum igitur Christum Deum ex passionibus corporis nullum doloris sensum percepisse adversus hæreticos illos propugnat, perinde est ac si diceret : Vos Christum ea naturæ proprietate destituitis quæ pati nesciat, quia Verbum vel confunditis cum carne, vel ab ea separatis : sed falsa est vestra opinio ; etsi enim cum corpore ita conjunctum est, ut ei attribuantur passiones hominis, et propter hoc putetur dolere; adeo tamen inconfusum perseverat, ut cum corpus eas excipiat passiones, ex quibus per se sequatur dolor, eo in propriam ipsius naturam effectu careant. Hæc explicatio, quam nunc argumento probabili præstamus, sed ex postremis libri paginis certa ratione licebit demonstrare, toto libro intelligendo non parum conducet.

131. Negotium tamen facessit, quod eo loci de singulari Christi conceptione ita disserit, ut non divinam tantum unigeniti Dei naturam, sed et corpus ipsius a communi passionum nostrarum lege eximere videatur. Et his quidem primum adeo sumus commoti, ut ab eo vindicando nos pœne absterritos jam fassi simus. Verum hæreticorum contra quos congreditur sententias relegentes, deprehendimus Christum ab iis prædicari merum hominem, qui *quia et corpus et anima Adæ in peccato fuit, carnem quoque Adæ atque animam acceperit,* et *in cujus animam* DOMINANS *metus tristitiæ imminentis inciderit,* etc. Nec deinceps latuit, quam salva et integra fide suum etiam corpori Christi privilegium tueatur.

132. Cum enim tantum ob originis peccatum metus, tristitia, dolor nostri dominantur : Christum etiam secundum hominem dominantibus illis perturbationibus obnoxium non fuisse recte defendit, quem ex conceptionis modo demonstrat ab originis nostræ vitiis absolutum. Hinc quod ait num. 27 : *An in corpore ejus infirmitas fuit, ad cujus occursum consternata persequentium agmina conciderunt?* intelleximus ex proxime subnexis, *Quam igitur infirmitatem* DOMINATAM *hujus corpori credis, cujus tantam habuit natura virtutem?* ut non omnem a Christi corpore infirmitatem removerit (alias pugnaret ipse secum), sed tantum dominantem.

133. Eodem spectat illud num. 24 : *Assumpta caro, id est totus homo, passionum est permissa naturis ; nec*

tamen ita permissa, *ut passionum conficeretur injuriis* : quasi diceret, Assumptus homo tum secundum corpus, tum secundum animam passionibus nostris permissus est quatenus naturales sunt, non quatenus injuriosæ atque contumeliosæ. Porro homini naturale est, ut cum patitur corpus, anima motu aliquo moveatur : at quod motum illum, quoties vult, comprimere non valeat, injuriosum ei, utpote peccati pœna, atque contumeliosum est. Eo pacto licuit num. 15 negare quod Christus *senserit dolorem corporis nostri;* ac num. 47 dicere : *Et pro nobis dolet, et non doloris nostri dolet sensu.* Noster quippe dolor necessario nos pungit, nobisque invitis et reluctantibus dominatur ; ipsius vero voluntarius omnino fuit ac sponte assumptus. Oblatus enim quando voluit, ut pro potestate animam posuit, ita et assumpsit dolorem. Imo si vera est Augustini definitio, qui sponte patitur, dolere negandus est. *Dolor* enim *carnis*, uti definit lib. XIV de Civit. Dei, cap. 15, *tantummodo offensio est animæ ex carne, et quædam ab ejus passione dissensio : sicut animæ dolor, quæ tristitia nuncupatur, dissensio ab his rebus quæ nobis nolentibus accidunt.* His ita intellectis, nulla errati vel levis suspicio remanebit in iis, quæ Hilarius in commendanda singulari Christi conceptione edisserit. Inde enim merito probat, Deum hominem assumpsisse, et assumendo a se non defecisse; ac proinde esse aliquid in Christo, quod expers sit infirmitatis nostræ. Neque minus congruenter fidei nostræ demonstrat, Christum etiam secundum hominem, cum ex Verbi virtute et non nostro concipiendi modo originem habeat, passionibus nostris obnoxium non fuisse, quamvis eis se sponte permiserit.

134. In hoc potissimum de singulari Christi conceptione argumento versatur usque ad num. 26. Tum redit ratio, qua primum usus est, quæque in toto libro principatum obtinet : qua nimirum hæreticis aut nullam aut exinanitam esse Christi divinitatem affirmantibus ostendit, in omnibus ipsius gestis ac dictis, etiam quibus hominem se et infirmum significat, quamdam aliam internosci naturam, quæ omnem a se infirmitatem depellere, et nullam non valeat exserere virtutem. Ut enim observat, dum nascitur, ortum ducit ex virgine et Spiritu sancto ; dum esurit, solo jussu arefacit arborem; flumina ex se præbet aquæ vivæ, etiam dum sitit; corpus gerit, et calcat undas; flet, et tamen gaudet de Lazari morte; moritur, at nemo ei aufert animam, sed ipse tradit, ejusque resumendæ potestatem habet. Alia hujusmodi passim dispersa legere est : ex quibus hic seligimus, quæ num. 67 pressius et conclusionis in modum sic habet: *Natus ex Virgine Christus est ; sed secundum Scripturas conceptus de Spiritu sancto est. Flevit Christus ; sed secundum Scripturas, ut in eo quod flevit, gratulatus sit. Et esurivit Christus ; sed secundum Scripturas sine cibo in non habentem fructus arborem Deus operatus est. Passus Christus est ; sed secundum Scripturas tunc a dextris Virtutis sessurus est. Derelinqui se ad mortem questus est ; sed secundum Scripturas tunc confessorem suum secum in regno paradisi recepit. Mortuus est; sed secundum Scripturas resurgens a dextris Domini Dominus assedit* (*Vide similia apud Gregorium Naz. Orat.* 35, *p.* 575).

135. His autem in locis sic verba sua format, ut cum eas in Christo infirmitates et affectiones neget, quæ hominem dedeceant Deo substantialiter sociatum, earum tamen in eo veritatem fuisse sæpius confirmet : adeo ut prædicti numeri 67, hoc sit exordium : *Passus quidem est unigenitus Deus quæ homines pati possunt.* Quod rursum evidens est ex iis quæ n. 55 et 56 de Christi fletu habet. Sæpe etiam ex adjunctis intelligitur, eum ab una illa natura, cujus virtus prorsus divina est, omnem infirmitatis notam removere : ut v. g. cum ait num. 34 : *Non habet hunc metus corporalis, penetrantem quidem inferos, sed ubique naturæ virtute distentum ;* et num. 44 : *Non est itaque in ea natura, quæ supra hominem est, humanæ trepidationis anxietas.*

136. Verum ex iis locis, in quibus tristitiæ, timoris, ac doloris Christi causas aut exquirit aut explicat, longe certius persuademur, eum ab humana Mediatoris ac Redemptoris nostri natura harum affectionum dedecus tantum, non veritatem auferre. In hoc porro situm erat illud dedecus, ut aut propter se doleret, aut dolore dominante conficeretur. Sane, ut jam observatum, procul abest quis ut tristem aut dolentem neget, de quo quærit unde tristis sit aut unde doleat. Ne vero singularis videretur hæc illius in hisce causis explicandis sententia; huc referenda essent verba Ambrosii tum lib. x, in Luc. n. 57 et 61, tum lib. II, de Fide, c. 7, n. 54; Augustini in Psal. XL, n. 6; Hieronymi in Matthæum c. 26, a Beda in eumdem locum exscripti. Sed quod Augustinus loco memorato habet, conferat cui libuerit cum libro Hilarii x, n. 10, verba autem Ambrosii, Hieronymi, Bedæ cum num. 57 ejusdem libri, necnon cum cap. 31 in Matth. Interim ad finem dicti libri x expendendum properemus.

137. Tandem ubi hæreticis in unam Christi infirmitatem respicientibus, multimodam illius virtutem objecit, eosque convicit, nihil in sua ipsorum fide suppetere, unde in dictis gestisque tam diversis se extricent ; expeditam eis viam aperit in Ecclesiæ fide, quæ cum distinctas in una Christi persona naturas confiteatur, in componenda rerum tam contrariarum pugna non laborat. *Unus enim*, inquit num. 62, *atque idem est Dominus Jesus Christus Verbum caro factum, seipsum per hæc universa significans : qui dum ad mortem derelinqui se significat, homo est; dum vero homo est, in paradiso Deus regnet*, etc. Et in exitu ejusdem numeri : *Habemus in sacramento Filii hominis et Filii Dei et mori regnantem, et regnare morientem.* Et deinceps ad finem usque totus est in commendanda et exponenda hac Ecclesiæ fide. Unde liquet quorsum primis libri sui paginis hæreticos adorsus sit, qui naturas Christi aut confundebant, aut dividebant : scilicet ut convulsis eorum præsidiis, fundamenta jaceret catholicæ fidei, qua cum Deus ob conjunctionem cum homine vere

passus et crucifixus dicatur, passus tamen creditur salva et integra divinitatis suæ natura. Illinc doctrina illius sanæ et orthodoxæ fidei prorsus consentanea approbatur. Quod ut planius fiat, vocabulorum nonnullorum vis est expendenda.

VI. *Quid Hilario sit passio seu pati, quid Christus, quid Christi natura aut virtus.*

138. Non ambigue explicat ipse libro de Synodis n° 49. quid passionis nomine sibi velit, dum ad Sirmiensis concilii canonem XII, subjicit: *Absolute ostenditur, cur Verbum, licet caro factum sit, non tamen translatum fuerit in carnem. Cum enim hæc passionum genera infirmitatem carnis afficiant, Deus tamen Verbum caro factus non potuit a se demutabilis esse patiendo. Non enim idipsum est pati, et demutari: quia omnem carnem passio cujusque generis demutet sensu, dolore, tolerantia. Verbum autem quod caro factum est, licet se passioni subdiderit, non tamen demutatum est passibilitate patiendi. Nam pati potuit, et passibile esse non potuit: quia passibilitas naturæ infirmis significatio est; passio autem est eorum quæ sint illata perpessiō: quæ quia indemutabilis Deus est, cum tamen Verbum caro factum sit, habuerunt in eo passionis materiam sine passibilitatis infirmitate. Manet itaque indemutabilis etiam in passione natura: quia auctori suo indifferens et impassibilis essentiæ nata substantia est.*

139. An hic Verbum pati potuisse confessus, passibile non fuisse congruenter dixerit, non est instituæ quæstionis. Forte ad hunc loquendi modum coactus est, quo omnem hæreticis aditum præcluderet, qui Verbum assumptione carnis in propria substantia sua patibile factum esse sentiebant. At vero cum ex arbitrio pendeant nominum definitiones, nihil est discriminis, ubi singula distincte explicata sunt. Neque obscurum est, passionem id ab eo vocari, quod Verbum denominet passum, passibilitatem vero, quod ipsammet Verbi naturam afficiat ac demutet. Quo posito, Verbum ex passione carnis patibile nequaquam fuisse recte negat. At hoc impassibilitatis privilegium uni Verbo se vindicare satis significat, dum illud ipsi ea una ratione tuetur, quod natura illius indemutabilis sit. Imo cum concedit, *quia omnem carnem passio cujusque generis demutet sensu, dolore, tolerantia*, fateturque Verbum, quod caro factum est, se subdidisse passioni; fatetur Christum, secundum assumptum hominem, demutatum esse *sensu, dolore, tolerantia*. Sicut enim Verbum carnem factum cum dicit, totum hominem a Verbo assumptum intelligit; ita intelligit totum hominem a Verbo subditum esse passioni, cum Verbum carnem factum dicit sese passioni subdidisse. *Assumpta caro*, inquit lib. X, de Trin. n. 24, *id est totus homo, passionum est permissa naturis.*

140. Si attenderis deinde quid *Christus* apud Hilarium sonet, eum hoc vocabulo simpliciter posito solam Verbi naturam intelligere ac significare solere animadvertes. Hujus rei perspicuum est exemplum in his lib. IX de Trin., n. 14: *Evacuatio eo proficit, ut proficiat forma servi, non ut Christus, qui in forma Dei erat,* CHRISTUS *esse non maneat; cum formam servi non nisi* CHRISTUS *acceperit.* Plura huc referre esset supervacaneum, cum quisque hoc per se præstare jam monitus valeat.

141. Hac loquendi ratione ideo forsitan usus est, quod *Christus* personæ nomen est, neque alia in eo persona est nisi Verbi. Vel etiam ad tuendam Christi divinitatem totus intentus, nihil in eo intueri solebat libentius, quam quod in ipso divinum est. Unde dulce *Christi* nomen Deum ipsi sapiebat, Deum resonabat. Qua in opinione non mediocriter confirmamur his ejusdem libri n. 5, verbis: *Hinc itaque fallendi simplices atque ignorantes hæreticis occasio est, ut quæ ab eo secundum hominem dicta sunt, dicta esse secundum naturæ divinæ infirmitatem mentiantur: et quia unus atque idem est loquens omnia quæ loquatur,* DE SE IPSO *eum locutum esse contendant.* Cur, quæso, ea quæ a Christo secundum hominem a se assumptum dicta sunt, ab eo dicta esse *de se ipso* neget? Non ideo sane quia Verbi hominisque assumpti non unam personam sentiat, cum hinc ab hæreticis fallendi ansam arripi conqueratur: sed potius quia assumptum, ac proinde velut adventitium et extraneum, in Christo spectet, quidquid in eum non convenit ut Verbum ac Deus est. In hoc loquendi modo Ambrosium consentientem habet. Quippe in Lucam, lib. X, n. 61, hæc Christi verba, *Tristis est anima mea*, et *Turbata est anima mea* perpendens ait: *Non ergo suscipiens, sed suscepta turbatur. Anima enim passionibus obnoxia, divinitas libera. Denique Spiritus promptus, caro autem infirma. Tristis autem est, non* IPSE, *sed anima.* Cum utroque facit Augustinus cum pluribus locis, tum maxime in Psal. XXXVII, n. 14, ubi habet: *Non enim* SE IPSE *Christus demonstravit in terra, sed demonstravit carnem suam.* Ita Justinus apologiæ I, initio, Christi et Jesu nomina distinguenda esse, et hoc ad carnem, illud vero ad divinitatem referendum tradit: *Filius Dei*, inquit, *qui solus proprie dicitur filius*, CHRISTUS *quidem ex eo, quod per illum Deus omnia conformaverit atque ornaverit appellatur....* JESUS *vero et hominis et Servatoris nomen et designationem habet.*

142. Ex hac observatione sequitur, ut quod Hilarius de Christo simpliciter affirmat vel negat, ad divinam ipsius naturam ut plurimum referendum sit. Si autem huic quod de passionis vocabulo proxime observatum est adjunxeris; haud ægre audies Christum habuisse corpus ad patiendum, ac passum esse, sed naturam non habuisse ad dolendum. His enim verbis nihil tibi occurret aliud, nisi Verbum in Christo capax quidem esse passionis, si quidem carnem patibilem assumpsit; sed non capax esse doloris, cum in naturam ejus nequaquam cadat demutatio.

143. Interdum etiam reminisci juverit, solo carnis vel corporis nomine totam naturam humanam, divinam vero spiritus aut æternitatis vocabulis sæpe significari.

144. Longe majoris momenti est vocis *naturæ* notitia. Hujus intelligentiam ad assequenda Hilarii dicta

necessariam esse advertit Hunaldus apud Philippum bonæ Spei abbatem, sed ipse non satis perfectam habuit. Porro naturam Christi dispensationi et assumptæ infirmitati, sicut naturalia illius attributa assumptis, ab Hilario constanter opponi pluribus exemplis liquet. Hinc lib. IX, n. 35, omnia Christi prænomina et cognomina in *naturalia* et *assumpta* partitur. Et lib. X, defendens Christum in forma Dei simul et in forma servi esse, quo discrimine utramque illam formam in se contineat, sic aperit n. 22: *In forma enim servi est, qui et in forma Dei est: et cum hoc* NATURÆ, *illud vero* DISPENSATIONIS *sit*, etc. Rursum n. 65: *Habens in se uno eodemque, per* DISPENSATIONEM *atque* NATURAM, *in Dei forma et in forma servi*, etc.; n. 66: *Qui cum* EX DISPENSATIONE *homo esset, maneret tamen* EX NATURA *Deus*; et mox: *Ut cum infirmitas esset ex forma servi, et* NATURA *maneret ex forma Dei.*

145. Hæc si observasset Erasmus, cum in Psal. LXVIII, offendit n. 9: *Non fuit ergo in unigenito Deo* NATURALIS *infirmitas, sed* ASSUMPTA, et n. 18: *Cunctæ nostræ, quæ in eo fuerunt, infirmitates non* NATURALES *sunt, sed* ASSUMPTÆ; minime reclamasset: *Quomodo non naturales ei qui naturam assumpsit?* Intellexisset quippe eas non homini assumpto, sed Verbo assumenti negari naturales; ideoque vocari assumptas, quia eas, naturam carnis assumendo, in se assumpserit, a quibus antea ex natura sua alienus erat. Ut enim ait Augustinus in Psal. XCIII, n. 19: Deus unigenitus *tristitiam sic assumpsit, quomodo carnem. Atqui*, ut loquitur Hilarius noster in Psal. LXVIII, n. 9, *alienum a natura sua corpus assumpsit.* Unde et in epistola Dionysio Alexandrino adscripta tom. I Concil., pag. 854, Christus non natura homo, sed natura Deus, οὐ φύσει ἄνθρωπος, ἀλλὰ φύσει θεός asseritur: et Cyrillus, lib. XI, in Joan., cap. 12, naturam humanam ad Deum Verbum σχετικῶς, non φυσικῶς ascendisse docet; quia nimirum ex se et ex suapte conditione non habeat, ut cum Deo unum sit. Tristitia igitur aliæque infirmitates nostræ a natura Christi alienæ fuerunt, et consequenter ei non naturales. Non naturales, inquam, non naturæ mortali, sed naturæ a qua ei virtus fuit resurgendi. Quod Hilarius in Psal. LIII, n. 7, declarat, ubi cum præmisisset, *Omnia, quæ hominum sunt, et oravit et passus est... hinc est quod esurivit, sitivit*, etc., subjicit, *Et ut his omnibus* NON NATURA, SED EX ASSUMPTIONE *subjectus esse posset intelligi, perfunctus his omnibus resurrexit.*

146. Neque obscurum est, cur ea usus sit loquendi ratione. Quod enim superius de vi vocis *Christi* est observatum, longe hic majorem locum habet. Et quidem cum una in Christo Verbi persona sit, cujus propria natura divina est, cuique humana, quamvis per conjunctionem substantialem, tamen per voluntariam assumptionem accessit; cur hanc non liceat velut extraneam respicere? Si autem Christo velut quid extraneum est assumptus homo; pariter extraneum ei erit quidquid in hominem assumptum conveniet. Quocirca cum in Psal. CXXXIX, num. 2, dicat: *Quod enim Deus est, naturæ suæ est, quod autem homo fuit, naturæ nostræ assumptio est;* cumque in Psal. LXVIII, n. 25, hoc dictum, quod *neque formæ servilis assumptio tanquam genuinæ originis conditionisque natura est*, ea ratione probet, quia *id, quod assumptum est, non proprietas interior sit, sed exterior accessio:* consentanea sibi loquitur lib. IX de Trin. n. 7, cum res hominis assumpti *res naturæ nostræ*, res autem divinas *naturæ suæ* vocat in hunc modum: *Homo natus secundum consuetudinem naturæ nostræ locutus est. Nam tametsi in partu et passione et morte* NATURÆ NOSTRÆ *res peregerit; res tamen ipsas omnes virtute* NATURÆ SUÆ *gessit, dum sibi ipse origo nascendi est, dum pati vult quod eum pati non licet, dum moritur qui vivit.*

147. Jam itaque perspicuum est, qui salva fide dixerit in Psal. CXXXVIII, n. 3: *Assumptio autem infirmitatis non fecit infirmum; quia aliud est naturam esse, aliud assumpsisse naturam: et extra generis necessitatem voluntatis accessio est.* Neque magis suspectum est illud Tract. Psal. LIV, num. 6: *Universa, quæ mortis nostræ sunt ac timoris, ita pertulit, ut in eum inciderent hæc potius, quam inessent, dum infirmitas nostra magis est, quam naturalis in Deo est.* Incidunt quippe infirmitates nostræ in personam divinam, cui attribuuntur; sed in propria illius natura non insunt: dum illis ea subjacet natura, quæ de nobis assumpta est. Facilius quoque jam assentietur quisque, Hilarium in iis locis, in quibus Christum omnino a nostris infirmitatibus eximere videbatur, tantum naturam illius propriam, non eam quam a nobis suscepit, ab iis vindicare. Quod ut magis ac magis exploratum sit, quæ ab eo *virtutis* vocabulo vis atribuatur, nunc considerandum.

148. Nihil apud veteres usitatius esse, quam ut virtutis voce Christi divinitatem enuntient, vel ea sola testimonia, quæ ex ipsis Theodoretus ad calcem dialogi 3 adversus Theopaschitas collegit, amplam fidem faciunt. Quibus addimus unum illud Ambrosii lib. II de Fide, cap. 7, n. 56: Christus *ut homo turbatur: non turbatur ejus virtus, non turbatur ejus divinitas; sed turbatur anima, turbatur secundum humanæ fragilitatis assumptionem.* Ad Hilarium vero quod attinet, quamvis hac voce, cum de Christo ei sermo est, sæpius utatur, non occurrit tamen animo, utrum eam usquam non ad divinitatem ipsius referat. Hanc eo vocabulo perspicue significat in Psal. II, n. 25, dum ait: *Non idcirco non Dei Filius, quia et hominis est filius. Non enim cum divinitatis decessione fit humilitatis accessio: nec per consortium infirmitatis contumeliam* VIRTUS *excepit; quippe cum infirmitas honore sit donata* VIRTUTIS. Nec minus clare cap. 9 in Matth. num. 7, habes: *Assumptio corporis non naturam* VIRTUTIS *inclusit: sed ad redemptionem suam, fragilitatem corporis* VIRTUS *assumpsit.* Huic loco similis est alter Tract. Psal. 143, num. 7, quo Verbi exinanitio sic exponitur: *Neque* VIRTUS *in humilitatem sese licet cohibens defecit ex sese, et humilitas cohibita in sese Virtute suscepta, cum quod non erat esse cœpit, profectum ejus quæ a se non defecerat Virtutis accepit.* Ita

lib. x de Trin. num. 16 : *Verbi virtus, non corporalibus modis manens, nec deerat unde descenderat.* Sed ad rem nostram propius pertinet, quod ibid. n. 66, enarrans illud Pauli : *Etsi crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei*, virtutem Christi divinam naturam, infirmitatem vero humanam ejusdem naturam interpretatur in hunc modum : *Eumdem ex infirmitate crucifixum ait* (Paulus), *qui ex virtute Dei viveret : ut cum infirmitas esset ex forma servi, et natura maneret ex Dei forma, non ambiguum esset in quo sacramento* (id est in qua natura) *et passus esset, et viveret; ut cum in eodem esset et* INFIRMITAS *ad passionem, et ad vitam Dei* VIRTUS, *non alius ac divisus a se esset, qui et pateretur et viveret.* Quæ cum ita sint, quid vetat, quo minus in his lib. x, num. 48 : *Succumbere ergo tibi videtur* VIRTUS *ista vulneris clavo, et ad ictum compungendi exterrita demutasse se in naturam dolendi*, solam Verbi naturam a dolore eximi intelligamus? Imo quis ea verba aliter intelligenda censeat?

149. Neque solum vox *virtus*, aut *virtus Dei*, sed etiam *virtus corporis* apud Hilarium ad Verbi naturam attinet; adeo ut libris de Trinit. *virtus corporis* perinde ei sit, ac in Matth., cap. 9, num. 7, *potestas intra corpus manens*, aut cap. 8, n. 7, *ipse in corpore positus.* Certe Verbum homini conjunctum virtutem corporis nuncupare ei licuit : tum quia assumpta caro ex ipsius præsentia ac societate mutuata est quidquid potentiæ obtinuit, tum quia specialiter sensit, uti § 1 fuse demonstratum est, ex Verbi virtute conceptum esse corpus, quod ex Virgine suscepit.

150. Accepta hac notione, tota dirimitur controversia, quæ maxima nata est ex verbis lib. x, n. 25 : *Passus quidem est Dominus Jesus Christus, dum cæditur, dum suspenditur, dum crucifigitur, dum moritur : sed in corpus Domini irruens passio nec non fuit passio, nec tamen naturam passionis exseruit, dum et pœnali ministerio desævit, et* VIRTUS CORPORIS *sine sensu pœnæ vim pœne in se desævientis excepit.* Si enim ibi *virtus corporis* intelligitur Verbum quod corpus assumpsit, hæc sibi volent, passionem scilicet, qua cæsus est Christus, et veram fuisse, et non veram : veram quidem in corpus ipsius, seu in hominem ab eo assumptum, quem proinde demutarit *dolore, sensu, tolerantia*, ut jam num. 139 observatum ; non veram autem in Verbum carni conjunctum, in quod mox dicto demutationis effectu caruerit. Nulla igitur hinc discep-tandi causa, cum nemo catholicus ambigat, quin Filius Dei, postquam factus est filius hominis, sine sensu pœnæ vim pœnæ in se desævientis exceperit, hoc est, dictus sit pati, quod in carne absque ulla sui demutatione perpessus sit.

151. At quod allato loco *virtus corporis* Verbum intelligatur, non ambiget, qui cum eo contulerit hoc Tract. Psal. LIV, num. 6 : *Et hæc quidem in eum omnia, quæ nostræ necessitatis sunt, irruerunt; sed ab eo* NATURÆ SUÆ VIRTUTE *suscepta sunt, dum mortem nostram, potens non mori, etiam* TIMOREM *in se mortis ingruentem* non *renuit :* vel illud lib. x de Trin. num. 47 : *Passus igitur unigenitus Deus est omnes incurrentes in se passionum nostrarum infirmitates, sed passus* VIRTUTE NATURÆ SUÆ, *ut et virtute naturæ suæ natus est : neque enim cum natus sit, non tenuit omnipotentiæ suæ in nativitate naturam.* Et post pauca, pro *virtute naturæ suæ*, ait *virtute corporis sui*, puta, *secundum quod ita ex infirmitate corporis nostri passus in corpore est, ut passiones corporis nostri*, CORPORIS SUI VIRTUTE *susciperet.* Quod in Psal. CLXI, n. 8, brevius ac clarius sic elocutus est : *Licet se passioni daret, non tamen* VIRTUS ÆTERNA *dolorem passionis exciperet.* Unde liquet virtutem corporis, virtutem naturæ suæ, et Virtutem æternam Hilario synonyma fuisse, iisque significari verbum, a quo homo cum iis quæ hominis sunt, absque ulla sui demutatione, susceptus est.

152. Verbum quoque carnem factum *virtutem corporis* et *virtutem in corpore* ab Hippolyto appellatum esse apud Theodoretum ad calcem dialogi *Impatibilis* legimus : *Corpus*, inquit, *quamvis humano more mortuum, magnam in se vitæ virtutem habet. Quæ enim ex mortuis corporibus non profluunt, ex illo manarunt : sanguis et aqua : ut sciremus quantum ad vitam valeat* VIRTUS *quæ in corpore habitavit.* Item ait : *Non confringitur os sancti agni, ostendente figura passionem non attingere* VIRTUTEM. *Corporis enim virtus sunt ossa :* et ideo Verbum adumbrant, quod assumpti corporis virtus est.

153. Sed ad superiorem libri x de Trinit. locum illustrandum nullus aptior est, quam qui in Psal. LIII, num. 12, habetur. Ex hoc enim evidenter patebit, quam in illo *virtus corporis* perinde Hilario fuerit atque *natura divinitatis.* Nec ingratum erit ab ipsomet audire, non quid recens de Domini passione senserit, sed quid de ea semper prædicarit ; ut illuc provocentur, qui eum libris de Trinitate errasse, sed postmodum Tractatibus in psalmos errorem retractasse sentiunt. Porro in eo loco brevem totius doctrinæ suæ de Christi passione summam sic complexus est : *Quod autem* (spectat) *et in crucem actum unigenitum Dei filium, et morte damnatum eum, qui nativitate, quæ sibi ex æterno patre est naturalis, æternus sit ; frequenter imo* SEMPER *prædicamus, non ex naturæ necessitate potius, quam ex sacramento humanæ salutis passioni fuisse subditum, et voluisse se magis passioni subjici, quam coactum. Et quanquam passio illa non fuerit conditionis et generis, quia indemutabilem* DEI NATURAM *nulla vis injuriosæ perturbationis offenderet : tamen suscepta voluntarie est, officio quidem ipsa satisfactura pœnali, non tamen pœnæ sensu læsura patientem : non quod illa lædendi non habuerit pro ipsa passionis qualitate naturam; sed quod dolorem* DIVINITATIS NATURA *non sentit. Passus ergo est Deus; quia se subjecit voluntarius passioni : sed suscipiens naturales ingruentium in se passionum* (quibus dolorem patientibus necesse est inferri) *virtutes, ipse tamen a naturæ suæ virtute non excidit ut doleret.* Jam vero hæc confer cum verbis num. 25, lib. x de Trin. quæ hactenus multis difficilia, pluribus autem suspecta visa sunt : nec ulla occurret nisi in verborum sonis discrepantia. In uno siquidem loco Christus dicitur *pas-*

sus, in altero *passioni subditus;* in hoc *cum pœnali officio*, in illo cum *pœnali ministerio*, in utroque *sine pœnæ sensu*, in utroque ipsi passionis qualitati non-negata lædendi natura : in utroque etiam statim subjicitur ratio cur hæc naturali effectu destituta sit, libro quidem de Trinit. obscurius, quod *Virtus corporis vim pœnæ in se desœvientis excepit;* manifestius autem in Psalmos, *quod dolorem divinitatis natura non sentit*, et quod *passus Deus a naturæ suæ virtute non excidit ut doleret*. Sed hinc discutitur caligo, quæ illinc inducebatur.

154. Aptissime deinde virtus illa Verbi, qua carnis passiones absque ulla sui demutatione excepit, teli in aquam aut ignem aut aerem immissi comparatione illustratur. Quemadmodum enim telum, cum ex natura sua pungere, forare, vulnerare idoneum sit, his tamen effectibus in hæc elementa immissum caret, quia illa eos in se minime recipiant : sic et quia in divina natura nullus patet dolori locus, in Christi divinitatem ad irritum cadit passio, per se inferendo dolori nata.

155. Aliis etiam similitudinibus eamdem fidei nostræ veritatem explicant et confirmant alii Hilario nostro æquales aut etiam superiores. Solis similitudine utitur Eustathius Antiochenus apud Theodoretum, dial. 3 : *Si autem*, inquit, *sol cujus corpus cerni et sensu percipi potest, tot tantasque ubique terrarum ferens contumelias, non mutat ordinem, nec ictum ullum parvum magnumve sentit : incorpoream existimamus pollui Sapientiam, et mutare naturam, si ejus templum cruci affigatur, aut destructionem sustineat, aut vulnera excipiat, aut corruptionem admittat? Sed templum quidem patitur : labis autem expers substantia omni ex parte impollutam retinet dignitatem.* Eamdem comparationem ob eamdem causam adhibet Eusebius Pamphili, lib. IV Dem. Evang. c. 13. Se quoque hac in parte Arianis non sociatum esse ostendit Eusebius Emesenus, cum in laudato Theodoreti opere ait : *Si dixero camelum volare, vos protinus absurdum dicitis; quia naturæ non convenit : et recte facitis. Si dixero homines in mari habitare, non toleratis : et recte facitis; natura enim non patitur. Ita si dixero quod illa potentia quæ est ante sæcula, et natura sua incorporea, et dignitate impatibilis, et apud Patrem, et ad dexteram et in gloria; si dixero naturam illam incorpoream pati, nonne aures vestras obturatis?* etc. His perspectis, cui jam persuasum non erit, Hilarium in unos respexisse Theopaschitas, et unam Verbi naturam a dolore immunem demonstrare voluisse, cum lib. X teli comparationem instituit? Si quod aliud privilegium in eodem loco aliisve carni assumptæ attribuere videatur; eo redit, ut hoc tantum velit quod in memorato Tractatu Psal. LIII, n. 12, docet, Christum scilicet etiam secundum carnem *voluisse se magis passioni subjici, quam coactum*. Nulli itaque ambiguum esse jam debet, quin et de Hilario vera sit hæc Theodoreti ex Gregorio Nyss. descripta sententia : *Cum duplex et ambigua sit opinio, divinitasne, an humanitas passa sit, unius rejectio erit alterius confirmatio*. Sed ut argumenta, quibus hoc demonstratum est, recolere quisque facilius valeat; præcipua paucis sunt perstringenda.

VII. *Synopsis argumentorum, quibus Hilarius de passione Christi recte sensisse approbatur.*

156. Primo ante Claudianum Mamertum nullus, post hunc primus Berengarius eum reprehendit quod passionum Christi veritatem negaret. Contra a nominatissimis quibusque doctoribus sacrisque Conciliis ut venerandus et catholicus doctor et acerrimus fidei defensor semper audiit. At si in ea fuisset sententia ita singulari, ut nullum ejus vestigium in ætatis illius scriptoribus deprehendere sit, imo quæ fidei omnium consensu receptæ repugnet; tot eum laudibus minime celebrassent. Longe minus ei pepercissent hæretici, qui cum adversantes sibi catholicos alios confictis hæresibus calumniisque infamare pro nihilo ducerent, ipsius tamen integritatem auctoritatemque semper summopere reformidarunt.

Deinde Aphthardocitis, qui Justiniano regnante ac favente errorem Hilario a nonnullis adscriptum defendebant, nunquam venit in mentem, ut sententiam suam tanti viri nomine munirent, cujus jampridem apud Græcos celebria erant scripta.

3° Huic errori re vera minime favet, quod ait lib. X, n. 24 : *Assumpta caro, id est totus homo, passionum naturis permissa est.*

4° Eidem passim adversatur, qui non solum constanter docet Christum gessisse, dixisse ac passum esse quæcumque hominum sunt; sed et eum sitim, esuriem, tristitiam ac timorem suscepisse, necnon anxium et turbatum fuisse, flevisse ac doluisse variis in locis confitetur.

5° Omnes illas hominum affectiones vere a Christo susceptas esse adeo persuasum ei erat, ut in earum causis explicandis studium et operam collocarit, probaritque illum eas non sua, sed nostra causa, et ut hæreticos carnis ab ipso assumptæ veritatem negantes mendacii convinceret, perpessum esse.

6° Cum lib. I de Trinit. n. 32 declaret, se librum decimum instituisse adversus hæreticos, *qui divinæ professionis naturæque immemores, ad impietatis suæ argumentum dispensationis gesta dictaque tenuerunt*, hoc est, ut planius loquitur lib. IX, n. 5, qui *quæ ab eo* (Christo) *secundum hominem dicta sunt, dicta esse secundum naturæ divinæ infirmitatem mentiuntur :* contuendum est quænam illa sint, quæ, lib. X, adversus Christi divinitatem hæretici objiciant. Atqui quæ de Christi tristitia, timore, dolore sunt dicta, objiciunt. Ultro igitur concedit Hilarius, ea de ipso secundum hominem vere dicta esse.

7° Ne hanc ignoremus instituti sui rationem, libri XI initio (*num.* 6) pro more suo memorans quid superiore confecerit, confirmat sese in decimo adversus hæreticos disputasse, qui *dispensationem assumpti corporis rapiunt ad contumeliam divinitatis; et impietatis causas arripiunt de salutis nostræ sacramento : qui si apostolicæ fidei tenaces essent, intelligerent eum, qui in forma Dei esset, assumpsisse formam servi, neque formam servi assumerent ad formæ Dei dehonesta-*

tem. Hæc igitur una ei de hæreticis querela est, non quod infirmitates nostras Christo attribuant, sed quod formam Dei et formam servi distinguere nescientes, quæ assumpti hominis sunt ad formam Dei referant. In libro autem decimo ad contumeliam divinitatis rapiunt quidquid de Christi tristitia, dolore, timore scriptum est. Ea ergo, ex Hilarii sententia, assumpti corporis fuerunt.

8° Si expendantur hæreticorum, quos lib. x refellit, sententiæ, qui nimirum Christum dividerent, aut cum carne Verbum confunderent; si rursum attendatur quorsum institutæ tot quæstiones, et cur naturarum in uno eodemque Christo distinctio tam operose inculcata : non latebit, omnia prudentissimi doctoris argumenta eo spectare, ut multis hæreticos convincat, diversa Christi gesta dictaque ex sua ipsorum opinione explicari omnino non posse, convictosque sensim perducat ad Ecclesiæ fidem, quæ unam Christi personam duasque naturas confitens, habet unde in uno eodemque virtutis simul et infirmitatis evidentia signa componat. Scopum hunc sibi in superioribus fuisse num. 60, ac deinceps aperte significat.

157. Hanc itaque Ecclesiæ fidem, qua Christus *omnibus quæ infirma sunt salva majestatis suæ dignitate perfunctus* creditur, unice propugnat, dum acriter persequitur hæresim, quæ ex doloribus carnis assumptæ infirmitatem Dei assumentis adstruebat. Hanc non semel notat prænuntiatam Isaiæ verbis : *Pro nobis dolet et nos existimavimus eum in doloribus esse:* quasi diceret : Pro nobis dolet secundum naturam a nobis in tempore assumptam, et nos existimavimus eum secundum potiorem sui naturam quam ante tempora obtinet, in doloribus esse. Non aliud sonat illud Tract. Psal. LXVIII, num. 25 : *Hunc igitur ita a Deo percussum persecuti sunt, super* DOLOREM *vulnerum* DOLOREM *persecutionis hujus addentes. Pro nobis enim secundum prophetam dolet, et idcirco est esse in doloribus æstimatus.* Ex quo commode intelligitur hoc lib. x de Trin. n. 46 : *Fallitur ergo humanæ æstimationis opinio, putans eum dolere quod patitur.* Quod illustratur ex Tract. Psal. CXXXVIII, n. 3, ubi præmissis verbis Isaiæ : *Infirmitates nostras portavit*, proxime subjicit : *Et ne quid in impassibilem atque indemutabilem divinitatem infirmitatis incidere existimaretur; adjecit* (Isaias). *Et nos putabamus eum in doloribus esse. Suscepit ergo infirmitates, quia homo nascitur; et putatur dolere quia patitur : caret vero doloribus ipse, quia Deus est.* Cui enim Hilarius hic non videatur priora Isaiæ verba : *Pro nobis dolet*, etc., de Christi carne dici concedere; tantumque contendere, quod subnexis præmonstrata sit perversa eorum arguendi ratio, qui assumptæ carnis infirmitates in Verbi assumentis divinitatem rejicerent ? Eorumdem sophismata rursum in Psal. LXVIII, n. 12, sic notat : Christus *flet interdum, et ingemiscit*, et tristis est (secundum humanam naturam) : *et id ipsum ad infirmitatis tribuitur exemplum* contra divinam.

158. Quia vero ii ipsi perturbationes humanas in Christum non secus ac in nos incidisse, ejusque *dominatas* esse jactitabant; ostendendum ei fuit, Christum eis ex se minime obnoxium fuisse, ac susceptarum infirmitatum semper extitisse dominum. Primum præstat fuse exposita originis illius sanctitate : alterum autem ex virtute gestorum demonstrat; quippe quibus Christus omnem a se infirmitatem arcere se potuisse non obscure significarit.

159. Itaque ut tam longam disputationem paucis comprehendamus, Hilarius contra hæreticos disputans, qui unam Christi cæterorumque hominum in passione conditionem fuisse sentiebant, infirmitates illius a nostris quadruplici ratione differre ostendit. Nostræ quippe cum sint coactæ, ex merito nostro nos afficiant, nostri dominentur, nec quidquam in nobis sit, quod non eis subjaceat; demonstrat infirmitates Christi esse voluntarias, et propter nos non propter se ab eo susceptas, ad nutum illius voluntatemque temperatas esse, neque eam naturam quam æterna nativitate habuit, sed eam tantum quam ex temporaria assumptione suscepit, attingere. Ad hæc quatuor Christi privilegia vindicanda revocatur, quidquid Hilarius de Servatoris nostri passione edisserit.

§ IV. DE MORTE CHRISTI.

An Hilarius, moriente Christo, Verbum a carne secessisse senserit.

160. Vix emersimus salebroso loco, cum ecce incidimus in alium. Christi enim mysteria prosequentibus proxime post passionem sese offert mors ejus. Multos autem offendit, quod in hæc Christi morituri verba, *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti ?* subjecit Hilarius (*cap.* 33, *in Matth. n.* 6) : *Clamor vero ad Deum corporis vox est recedentis a se divinitatis contestata dissidium :* quasi nimirum Verbum, antequam moreretur Christus, a corpore quod assumpserat discessisse diceret.

161. Illis resistere primum nobis non erat animus; cum salva et integra veritate, a qua recedere nunquam tutum est, id fieri non posse videretur. Id tum nobis dumtaxat ducebamus præstandum, ut sententiam illam neque ei singularem, neque cum hæreticis communem fuisse ostenderemus. Deinde vero cætera ipsius opera relegentibus, constitit eum in priore illa opinione minime perseverasse, sed oppositam in scriptis posterioribus asseruisse sententiam. Demum ubi ad hanc partem probandam ventum est, tanta animi firmitate contra eos, qui Christum etiam in morte dividebant, visus est decertare, ut cum his eum aliquando consensisse nec levis suspicio relinqueretur. Prælibatam itaque dissertationis nostræ rationem retractare non piguit, aliamque inire : in qua primum non diffitemur, allata ipsius verba non multum discrepare a verbis Patrum, quorum aliqui credi vix possunt Verbum a mortuo Christi corpore non sensisse separatum : tum ea ipsa Hilarii verba absque ulla Verbi separatione intelligi commode posse, ex aliis ipsius loquendi modis ostendimus : postremo ea non solum posse, sed et debere ita intelligi approbamus selec-

tis nonnullis sententiis, quibus contra Christi divisores vehementer adeo disputat, ut eum illorum debellatorem potius existimare deceat, quam fautorem.

I. *Qui e veteribus videantur Verbum a carne Christi mortua separatum sensisse. Qua ratione ab hæreticis dissideant.*

162. In primis occurrit quod Epiphanius hær. 69, n. 62, ad prædicta Christi verba, *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti*, respiciens ait: *Cum illa eadem humanitas cum divinitate conjuncta sic esset, ut una esset utriusque sanctitudo; et in hac illa perfectissime omnia cognosceret, utpote Deo copulata, et in unam consociata deitatem; videns divinitatem jam in procinctu quodam esse, ut sanctum corpus desereret, ex ipsius hominis Dominici persona, hoc est, humanæ naturæ a Verbo susceptæ (quippe divinitas omnia quæ ad passionis mysterium attinebant, perficere decreverat, et ad inferos cum anima descendere)... vox ad conjunctam divinitatem illa est edita, Deus, Deus meus, quare me dereliquisti?* Ita etiam Leporius in libello emendationis (cui Augustinus aliique episcopi subscripsisse se testantur epist. apud August. 219, n. 13) profitetur, Christum ideo in cruce clamasse, *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti? ut vere manifesteque Filius Dei secundum carnem se ostenderet moriturum, et velut carnis ipsius voce utens, ponens præteritum pro futuro, quia per mortem crucis necessario terrenum corpus erat a Deo pro tempore relinquendum, non solum a Deo, verum etiam ab anima sua, quæ erat unita cum Deo, hoc ipsum prius quam fieret, nobis moriens testaretur.* Et paulo post: *Divinitas cum unita sibi anima, non crucifixum hominem reliquit in pœnam, sed examinem carnem reliquit ad tempus.*

163. Cum his facere crederes Athanasium, lib. de Incarnatione Christi, pag. 75, ubi defendens indecorum fuisse ut vi morbi Christus moreretur, mortem illius eo verbo enuntiat, quod Verbi a corpore secessionem sonet. Si *ejus corpus ægritudine laborasset, et verbum ab eo dissoluto recessisset*, etc., εἰ μὲν οὖν ἦν πάλιν νοσῆσαν τὸ σῶμα, καὶ ἐπ' ὄψει πάντων διαλυθεὶς ἀπ' αὐτοῦ ὁ λόγος, etc. At lib. de salutari adventu J. C., pag. 645, de sententia sua dubitari non permittit, cum Christi mortem non vult dici *segregationem deitatis, sed corporis mortificationem; ita ut eo tempore divinitas neque corpus in monumento, neque animam in inferno destituerit*, quod et subinde demonstrat. Potiore forsitan jure ad superiorem sententiam retuleris illa Eusebii Cæsar. ad calcem, cap. 13, lib. IV Dem. Evang.: *Sic sane etiam mortuum illud Verbi corpus, ubi exiguum quiddam virtutem Verbi attigit, tum excitatum est illico ac revixit*: quasi nimirum corpus Verbo abscedente mortuum, eodemque redeunte redivivum fuisset.

164. Propius omnium Hilarii nostri verba imitatur Ambrosius, lib. X in Luc. n. 127, ubi illud Matthæi: *Clamans voce magna, emisit spiritum*, sic interpretatur: *In quo vel professio gloriosa usque ad mortem se pro nostris descendisse peccatis... vel evidens manifestatio contestantis Dei secessionem divinitatis et corporis: sic enim habes: Clamavit Jesus voce magna, dicens: Deus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti? Clamavit homo separatione divinitatis moriturus.* Posterior hæc sententia in expositione symboli apostolorum, seu tractatu de Trin. apud ipsum Ambrosium in append. tom. II, edito cap. 13 inserta est.

165. Denique cum consequens sit, ut verbum anima dissoluta a corpore disjunctum fuerit, si anima tantum mediante cum corpore fuerit conjunctum; quotquot huic opinioni favent, illi merito existimentur suffragari. Unde illud etiam consectarium est, ut si Verbum anima tantum mediante cum carne conjunctum absque ulla hæreseos nota docere licuerit, licuerit pariter dicere Verbum anima recedente a corpore secessisse.

166. Itaque hæc Christi in cruce morientis verba: *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti*, quamvis nonnullos Patres pariter cum hæreticis de Verbi a carne discessione interpretatos esse quis largiatur; non statim tamen ei concedendum est, unius ejusdemque interpretationis eamdem in utrisque fuisse rationem. Quippe hæretici Verbi divinitatem, quasi infirmam et trepidam ne sibi mors et passio sustinendæ essent, a Christo passuro discessisse somniabant: contra quos Gregorius Nazianz. Or. 36, n. 20: *Neque enim, quod quidam opinantur, ipse vel a Patre, vel a sua divinitate, quasi passionem extimescente, ob idque sese a perpetiente colligente atque contrahente, derelictus est.* Patres vero, qui cum illis consentire videntur, hanc innuunt opinionis suæ rationem, quod tantam arbitrentur divinitatis virtutem, ut mortem, quam Christus ad implendam Patris voluntatem subire decreverat, corpori cum ea conjuncto contingere nullo pacto posse existimarent. *Nam cum divinitas*, inquit loco mox memorato Ambrosius, *mortis libera sit, utique mors esse non poterat, nisi vita discederet; quia vita divinitas est.* Eadem habet auctor expositionis Symboli apud ipsum Ambrosium. Eo revocari potest quod Tertullianus, lib. contra Prax. n. 30, cum dixisset Christum tradendo spiritum obiisse, subjicit: *Spiritu enim manente in carne, caro omnino mori non potest*: si tamen ibi, ut alias solet, *Spiritus* nomine divinitatem intellexit, quod non satis liquet. At hinc evidens est, Patres hæreticosque maxime dissidere, cum hi abjectius, illi quodam modo sublimius de Christi divinitate sentientes, ejus a corpore mortuo separationem docent.

167. In hoc præterea dissentiunt, quod hæretici ante Christi mortem, imo etiam ante passionem, catholici vero in ipsa dumtaxat morte Verbum a corpore separatum prædicarint. Unde libellus Leporii supra monet, in verbis *quare me dereliquisti* positum esse *præteritum pro futuro*: et Epiphanius observat, hanc carnis vocem, non ad separatam, sed *ad conjunctam divinitatem* esse, et *cum jam in procinctu quodam esset, ut sanctum corpus desereret.* Ex quo maximum illud inter utrosque habetur discrimen quod cum illi merum hominem, isti verum Deum pro nobis passum ac mortuum esse constituant; ab his infinitum, et ab illis finitum ponatur redemptionis nostræ pretium.

168. Postremo Epiphanius, Leporius, aliique catho-

lici asserunt, Verbi cum anima Christi, etiam morte A intercedente, conjunctionem illæsam permansisse. *Ad inferos*, inquit Epiphanius, hær. 20, n. 2, *cum divinitate sua animaque descendit, captivam ducit captivitatem, ac die tertio cum sanctissimo suo corpore ad vitam excitatur. Quod quidem corpus cum divinitate sua conjunxit non amplius dissolvendum.* At hæretici totum hominem Christum a divinitate desertum ac separatum esse contenderunt. Porro memoratus auctor expositionis Symboli, dum verbis Ambrosii nonnihil adjicit, ad hæreticorum sententiam accedit : sic enim habet cap. 13 : *Hæc est beata anima, quæ in cruce ad divinitatem clamavit dicens : Deus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti?* etc. Et post pauca subjicit, *Deus ergo, qui Verbum et Spiritus est, qui ubi vult inspirat, carnem seu animam susceptam non deseruit invi-* B *tus*, etc. Neque desunt, qui allatas Patrum sententias ita interpretentur, ut eos ne a mortuo quidem Christi corpore Verbum separatum sensisse defendant. Quorum interpretationi nonnullum forte robur accedet, ubi enucleata fuerint Hilarii ea de re verba.

II. *Qui verba Hilarii de Christi derelictione fidei sint consentanea.*

169. Petrus Lombardus, lib. III Sent., dist. 21, § 1, ad superiorem Ambrosii locum respondet, hoc eum tantum voluisse, divinitatem sese a carne separasse subtrahendo protectionem, non solvendo unionem, seu *separasse se foris ut non adesset ad defensionem, sed non defuisse intus ad unionem : si enim*, inquit, *non ibi cohibuisset potentiam, sed exercuisset, non moreretur Christus.* An in Ambrosium quadret hæc interC pretatio, nunc nostra non refert : at quo minus ad Hilarii in Matthæum verba accommodetur, nihil vetat. Nam quod ibi eam Christi intellexerit derelictionem, quæ necessaria erat ut mori posset, proxime post verba, de quibus controversia est, declarat in hunc modum : *Denique cur relinquatur, exclamat dicens, Deus, Deus meus, quare me dereliquisti? Sed relinquitur, quia erat etiam morte peragendus.* Quod autem hæc illæsa Verbi et carnis substantiali unitione dixerit, illustrare est ex eodem Commentario, cap. 3, n. 2, ubi ait : *Cum esuriit, Dominus, non inediæ subrepsit operatio; sed virtus illa quadraginta dierum non mota jejunio naturæ suæ hominem dereliquit.* Nemo certe suspicetur, Hilarium hanc derelictionem, qua hominem, D ut esurire posset, naturæ suæ a Verbo derelictum esse docuit, substantiali separatione factam existimasse : quidni eadem ratione censeatur ejusdem hominis derelictionem, ut mori posset, salva et incolumi substantiali conjunctione prædicare? Huc facit, quod cum *Spiritus* nomine divinam naturam prope ubique intelligat, libro tamen X de Trin. num. 61 contendat eam his verbis : *Tradidit spiritum*, nullo pacto intelligi posse. *Nam spiritu*, inquit, *frequenter significari animam non ambiguum est vel ex hoc ipso, quod Jesus moriturus tradidit spiritum.* Quare vel *ex hoc ipso* non ambiguum est, nisi quia non ambiguum censet, solam animam, non etiam divinitatis Verbi substantiam a morientis Christi corpore recessisse?

170. Si cui hoc nondum satis perspicuum, ad objecta verba succurrit et alia responsio : quod nimirum caro divinitatis a se recedentis ideo contestata sit dissidium, quia quamvis revera non abscederet, perinde tamen nullum in ipsa ostendebat præsentiæ suæ signum, ac si nullatenus exstaret. Hanc responsionem non de nostro confinginus ipsi, sed ex similibus, Hilarii loquendi modis, et ex iis præsertim, quæ de Verbi exinanitione edisserit, accipimus. Cui enim prima ipsius in Psal. LXVIII, n. 4, verba leviter attingenti, non videatur naturam divinam carnis susceptione ita exhaustam asserere, ut propria substantia omnino careret? Primum quippe ait : *Hauriendafuit natura cœlestis, ut exinaniens se ex Dei forma in formam servi hominisque decideret : et ideo usque ad ani-* B *mam aquæ penetrant, quia ei substantia non sit infixo in limo profundi.* Tum quam illam naturam cœlestem hauriendam, quamve substantiam dixerit, quæ post carnis assumptionem *non sit*, statim aperit his verbis : *Non utique substantia ea non erat, quæ assumpta habebatur, sed quæ se ipsam inaniens hauserat.* Quid igitur? periitne divina substantia? *Nullo modo*, inquit continuo, *se carnit, qui se ipsum exinanivit evacuans : nec tamen id ipsum videbatur exstare, quod jam in aliud se evacuando concesserat.* En igitur mysterium : Verbi exinaniti substantia non ideo non est, quia defecerit; sed quia sic erat, ut non exstare videretur.

171. Quorsum autem, quave ratione substantia divina tum non exstare videretur, in Psal. CXLIII, n. 7, sic explicat : *Damnum enim ad detrimentum sui evacuatio formæ Dei nescit, assumptioni potius servili formam Dei rursus acquirens. Ita neque Virtus in humilitatem, sese licet cohibens, defecit ex sese, cum quod erat est : et humilitas cohibita in sese virtute susC cepta, cum quod non erat esse cœpit, profectum ejus quæ a se non defecerat virtutis accepit.* Planius, lib. XI de Trin., n. 48 : *In forma Dei manens formam servi assumpsit, non demutatus, sed se ipsum exinaniens, et intra se latens, et intra suam ipse vacuefactus potestatem : dum se usque ad formam temperat habitus humani, ne potentem immensamque naturam assumptæ humilitatis non ferret infirmitas; sed in tantum se virtus incircumscripta moderaretur, in quantum oporteret eam usque ad patientiam connexi sibi corporis obedire. Quod autem se ipsum intra se vacuefaciens continuit*, etc.

172. His positis, verba Hilarii in Matth. c. XXXIII, nullo negotio probantur a fide nostra minime dissidere. Qui enim in Christo, post susceptionem carnis, substantiam divinitatis ideo non esse dixit, quia quamvis integra, ita tamen abscondita intra se latebat, ut non exstare videretur : cur non existimetur divinitatem Christi etiam in morte indivisam credidisse, ideoque tantum illam dixisse recedere, quod ea tum se intra se cohiberet? Certe ut in morte longe magis quam in formæ servilis assumptione divinitas latebat, ita longe minus exstare videbatur.

173. Ad hanc Hilarii sententiam illustrandam non parum conferent hæc Leonis Papæ (*Serm.* 66, *de Pass. Dom.* 17, *c.* 2) : *Tradi Dominum passioni, tam*

fuit paternæ quam ipsius voluntatis : ut eum non solum Pater desereret, sed etiam ipse se quadam ratione desereret, non trepida discessione, sed voluntaria cessione. Continuit enim se ab impiis Crucifixi potestas ; et ut dispositione uteretur occulta, uti noluit virtute manifesta. Quibus si addas quod de ipso corporationis Christi mysterio scribit Augustinus (*Serm. nunc* 77, *n.* 11): *Deus est, et fit homo ; seponit divinitatem, id est, quodam modo sequestrat, hoc est, occultat quod suum erat, apparet quod acceperat :* nihil erit cur, in Hilariana phrasi, recedentem divinitatem non intelligas divinitatem quæ se occultet, quæque potestatem contineat, ut homo morte peragatur.

174. Præterea divinitas e loco, in quo prius cogitabatur, discedere vulgo dicitur, cum novo modo, novo ordine in alio manifestam se facit. Hinc Verbum, cum carnem suscepit, reliquisse cœlum, et in terras descendisse usitata loquendi ratione dicimus. Eo quoque respectu Augustinus in Psal. XLIV, n. 12, Patrem a Filio dimissum docet : *Dimisit enim*, inquit, *Patrem quodam modo : non omnino dimisit veluti ad separationem, sed ad susceptionem humanæ carnis.* Sic et Hilario asserere licuit divinitatem Christo moriente a carne discessisse, non quod illam omnino dimiserit veluti ad separationem, sed ad susceptionem mortis. Et vero recessit quodam modo Verbum a carne, quam hic hominum potestati dimisit, dum in inferos cum anima descendens, ibi nova potentiæ ac virtutis suæ signa exhibuit. Denique cum *dissidium* diversitatem tantum sonet, non separationem, cumque Hilarius in Psal. LXVIII, n. 4, scribat, Christum ex duabus constare substantiis *quæ natura dissident :* objecta verba : *Vox est carnis recedentis a se divinitatis contestata dissidium*, sic intelligere licet : Vox est hominis se sociatum testificantis naturæ alteri, quam recedere ideo dicit, ut eam significet a se multum dissidere, et morte sua non magis lædendam iri, quam si recessisset.

175. Nec quemquam moveat quod in Psal. LV, n. 12, ait : *Ipse huic emortuo et intra sepulcrum relicto corpori divinæ naturæ suæ tribuit consortium :* quasi Verbi consortium corpori morte sublatum, et resurrectione restitutum diceret. Non enim hic sermo est de consortio, quo corpus divinæ naturæ substantialiter conjungatur, sed quo ejus gloriæ particeps fiat, qua quamdiu mortale fuit, carebat. Hinc quippe Christum ibi commendat, quod gloriam neque aliunde expectet, neque corpori alii, quam quod mortuum fuerat, expectet. *Non extra se sunt*, inquit, *ista quæ sperat : nec laudationis vota, quæ reddet, sunt extrinsecus capessenda. Ipse enim sibi resurrectionis est dominus, ipse huic emortuo et intra sepulcrum relicto corpori divinæ naturæ suæ tribuit consortium. Neque enim ressurrecturis omnibus ab exteriore materia corpus acquiritur*, etc., quanto minus Christo? Nihil præterea occurrit apud Hilarium, unde Christum in morte divisisse judicetur. Multa contra suppetunt, quibus ab hac opinione sese procul abfuisse indicat : quod nobis restat considerandum.

A III. *Hilarius Christum nunquam dividendum esse acerrime propugnat.*

176. Mittimus 1° illud lib. VIII de Trin. n. 8 : *Quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui et naturam nostram jam inseparabilem sibi homo natus assumpsit?* quia forte erunt, qui illud *jam inseparabilem* ad id tempus referri velint quod resurrectionem excepit. Germanior tamen horum verborum sensus est, unigenitum Deum ex eo tempore quo homo natus est, naturam nostram sibi inseparabilem assumpsisse. Ea porro sic intelligenda esse confirmant, quæ lib. IX, n. 7, tradit, Deum scilicet natum esse hominem, ut homo *in æternum* in Deo maneret: maxime cum mox subjiciat : *Nascitur itaque Deus assumptioni nostræ, dum homo noster in Deo permanet ;* B hoc est, dum homo ab ipso susceptionis momento in Deo in æternum manet, nunquam ab eo separandus. Hanc enim ipse notat esse vim verbi *permaneo*, ut quod *in perpetuum mansurum est* significet. Præterea in Psal. CXXXI, num. 9, ea ratione enuntiat Christi mortem, ut verba illius Deum tum in corpore manentem sonent ; sic enim habet : *Quievit autem ille, cui mors somnus est : et id quod nobis pœnalis demutatio est, Unigenito et in corpore manenti Deo requies fuit.* Sed non uni voci pertinacius insistendum, cum res eadem totis paginis adstruatur.

177. Verum hoc lib. III, de Trin. n. 15 : *Dei Filius crucifigitur, sed in cruce hominis mortem Deus vincit ; Christus Dei Filius moritur, sed omnis caro vivificatur in Christo ; Dei Filius in inferis est, sed homo refertur* C *ad cœlum :* hoc, inquam, non tam leviter transire juverit. Hinc quippe habetur, Verbum a carne non prius, quam moreretur Christus, recessisse (si quidem *filius Dei moritur*) ; adeoque infinitum fuisse redemptionis nostræ pretium. In hac porro de Dei morte doctrina Hilarius constans adeo fuit, ut in uno numero 7, libro IX, primum dicat, *ut Deus mori vellet ;* et mox, *cum se immortalis Deus intra legem mortis habuisset ;* et in exitu, *Deo per carnem moriente.* Id ipsum in Psal. LXVII, n. 23, non una ratione declarat, atque in primis ait : *Per securitatem æternitatis mors ipsa in Deo moriente fiducia est.* Ipsum etiam *Deum mortuum* Christum vocat lib. IX de Trin. num. 54. Deinde, ut ad locum allatum redeamus, si *Dei Filius in inferis est*, sequitur ut saltem animam Christi morte intercedente D a Deo unigenito desertam ac separatam non crediderit. Sed et hinc confici potest, eum ne carnem quidem desertam sensisse, cum in Matth. dixit : *Vox est carnis*, etc. Sicut enim cum in verba Christi : *Clarifica me*, lib. III de Trin. n. 16, ait : *Hæc carnis deprecatio est ;* nomine *carnis* totum hominem ac præsertim animam intelligere non dubitatur : ita et cum ejusdem Domini nostri verba : *Deus meus, quare me dereliquisti*, enarraturus subjicit : *Vox est carnis recedentis a se divinitatis contestata dissidium ;* eodem *carnis* vocabulo hominem totum, carnem scilicet et animam, non negandus est intelligere. Atqui animam Christi etiam post mortem Verbo conjunctam docuit. Idem igitur sensit et de carne. Sed hoc planius approbemus,

178. Nullo ex loco fidem illius explorare certius valemus, quam ex quo explicat verba Christi : *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti?* In eo autem explicando totus fere versatur a n. 51 lib. x, ad 65. Inde igitur genuinæ illius sententiæ exponendæ latissimum nanciscimur campum. Ac primo quidem notatu dignum est, quod hæreticos prædicta Christi verba sibi objectantes invidioso nomine appellet *Christum tripertientes in Verbum et animam et corpus ;* ipse hujus nominis invidiam non declinaturus, si Christum unquam divisisset. Contra n. 52, fidei Ecclesiæ sese adhærere profitetur, quæ *apostolicis imbuta doctrinis novit in Christo nativitatem, sed ignorat exordium ; scit dispensationem, sed nescit divisionem... nec tripertita Christum fide scindit, cujus de super texta vestis inscissa est, ut Jesum Christum et in Verbum et in animam et in corpus incidat.* Quid porro est quod dicturus : *Scit dispensationem, sed nescit divisionem,* proxime præmittit : *Ecclesiæ fides novit in Christo nativitatem, sed ignorat exordium ;* nisi ut significet Ecclesiam non magis nosse in temporaria Christi dispensatione ullum divisionis momentum, quam in æterna illius generatione ullum existendi initium? Tum eosdem Christi divisores acrius persequens : *Si,* inquit, n. 62, *ejusdem vox atque sermo est, se derelictum conquerentis, et se regnare profitentis ; qua fidem nostram infidelitatis ratione dividimus, ut non idem in tempore eodem sit mortuus, qui et regnet?* quasi diceret, cur cum auditis a Christo, *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti,* eum dividitis, ac divinitate asseritis destitutum? Nonne ille ipse eodem tempore latroni dixit : *Hodie mecum eris in paradiso?* At dum mortuus jacebat in terris, in paradiso regnare qui potuit si divisus atque a divinitate desertus tum fuerit?

179. Eum etiam tum divisum non fuisse non semel repetit. Nam postquam num. 60, monuit distinguendas esse naturas, aliamque sepultam, aliam esse resuscitantem, ac perinde *sepultum non putare, quem resuscitasse intelligas ; resuscitasse non ambigere, quem negare non audeas non sepultum :* utramque in uno eodemque Verbo conjunctam mox inculcat. *Non enim,* inquit num. 63, *alius est moriens et regnans, neque alius est commendans spiritum et expirans, neque non unus est descendens* ad inferos, *et adscendens* ad cœlos. Et num. 64 : *Numquid divisus est Christus, ut alius sit Jesus crucifixus, alius Christus virtus et sapientia Dei?* Tum initio num. 65 : *Aliud apostolus nescit, neque aliud se scire judicat : nos autem et infirmis ingenii, et infirmioris fidei Christum Jesum scindimus, dividimus, duplicamus... Alius enim nobis Christus crucifixus, alius Dei sapientia, alius sepultus.* Et post pauca ex verbis apostoli : *Qui descendit, ipse est et qui ascendit,* sic eosdem urget Christi divisores : *Numquid descendisse ad inferos corpus quod in sepulcro jacuit dicetur? Si itaque qui descendit, ipse est et qui adscendit, et neque corpus descendisse ad inferos creditur, et resurgens ex mortuis corpus adscendisse in cœlos non ambigitur : quæ hic præter occulti sacramenti et incogniti mundo ac principibus sæculi fides relicta est? ut cum unus atque idem sit descendens et adscendens, unus quoque nobis Jesus Christus sit, et Dei Filius, et hominis Filius, et Verbum Deus, et homo caro, et passus, et mortuus, et sepultus, et resurgens, et in cœlos receptus, et sedens ad dexteram Dei ; habens in se uno eodemque, per dispensationem atque naturam, in Dei forma et in forma servi, sine aliqua sui et partitione quod homo est, et divisione quod Deus est.* Si in his omnibus Christus sine divisione : ergo in nullis eorum divisus, nec in passione, nec in morte, nec in sepulcro. Mansit ergo Verbum etiam in sepulcro cum carne conjunctum. Plura hujusmodi eodem libro continentur : sed locum indicasse sufficiat, ex eoque pauca hæc specimina in medium protulisse. Unum his adjicimus locum ex lib. IX, quem in hac disputatione præterire non licet. Nullus enim Patrum est, qui argumentum præcipuum, quo Verbum a sepulta Christi carne non divisum propugnant, disertius prosequatur, quam eo loco Hilarius. Ideo quippe, Paulino Aquileiensi auctore (lib. I *contra Felicem, apud Alcuin.*, pag. 1785), *Christus Jesus et passus et mortuus et sepultus et resurrexisse secundum Scripturas Dei Filius declaratur ;* quia a carne *nunquam post assumptionis sacramentum impassibilis et indemutabilis separata divinitas prædicatur.* Gregorius quoque Nyss. epist. ad Eustathiam et Ambrosiam, ubi Christi divinitatem simul in paradiso cum anima et cum corpore in sepulcro exstitisse asseruit, hoc dictum suum sic confirmat : *Propterea corpus ipsum* DOMINUS *appellatur ob inhærentem* (seu *insidentem*) *ipsi divinitatem.* Non alia ratione Ferrandus diac., epist. ad Severum, n. 8, primo ponit : *Totus Christus apud inferos fuit secundum animam rationalem, sed non totum ; quia caro ibi non fuit, cum qua est totum ; totus Christus in sepulcro fuit secundum carnem, sed non totum ; quia anima ibi non fuit, cum qua est totum. Verbum tamen Dei et cum anima sua apud inferos, et cum carne sua in sepulcro fuit.* Et quia Verbum cum anima apud inferos, et cum carne in sepulcro fuit, subinde declarat consequens esse, ut totus Christus apud inferos et totus in sepulcro recte dicatur, ob unitatem scilicet personæ Verbi, animæ rationalis, et carnis. Similis est Augustini sententia Tract. 69, in Joan., n. 3. Uno verbo illi maxime ex Symbolo fidei, qua carnem mortuam, sepultam, et excitatam, Christum mortuum, sepultum, et a morte ad vitam venisse confitemur, Verbum in morte Christi a carne non divisum esse propugnant. Verum qui Hilarius hoc ipsum constanter adstruat, audiamus.

180. Primum ad hæreticum conversus : *Quæro a te,* inquit num. 11, *quis sit carne se spolians, et quæ sit caro spoliata?* Mox instat : *Si enim non idem est Christus mortuus, qui est caro spoliata : carnis spoliatæ nomen ostende : et rursus naturam ejus, qui se carne spoliavit, expone. Eumdem enim esse invenio Deum Christum a mortuis excitatum.* Qui carne se spoliavit, et rursum spoliatam carnem Christum esse a mortuis excitatum. Ac tandem quæsitis ipse sa-

tisfacit in hunc modum : *Spoliata enim caro Christus est mortuus : et rursus Christum a mortuis excitans, idem Christus est carne se spolians. Naturam Dei in virtute resurrectionis intellige : dispensationem hominis in morte cognosce. Et cum sint utraque suis gesta naturis, unum tamen Christum Jesum eum memento esse, qui utrumque est.* Si unus utrumque ; etiam in morte indivisus est : neque in morte est indivisus, nisi ob insidentem carni spoliatæ divinitatem. Rursum caro spoliata et carnem excitans non unus et idem est, nisi caro spoliata sic totus Christus sit, ut carnem excitans totus est Christus. Totus autem non est, si a carne spoliata Verbum abest. Sed quid Hilarii verbis admiscemus peregrina? Ipsa per se plana sunt atque perspicua : Christum quippe in diversis naturis diversa gessisse agnoscens, cum tamen in diversis illis gestis nusquam non unum et eumdem fuisse constantissima fide profitetur, ejusque ut ante mortem, ita et in morte, et post mortem nescit omnino divisionem. Neque enim quemquam putamus fore, qui, cum superius moriens Christus *carne se spolians* ab Hilario dicatur, hoc ideo ab illo dici existimet, quod Verbum carnem exuisse et ab ea secessisse crediderit. Nam propter unitatem personæ recte dicitur Christus sese carne spoliare, qua solam animam spoliat; sicut animam dicitur ponere, cum corpus duntaxat ab illa separat.

181. Quæ cum ita sint, Hilarius non infimum inter eos locum meretur, qui Verbum a carne, quam assumpsit nunquam separatum fuisse docuerunt. Quod subinde magno consensu nobis tradiderunt sancti Patres, ac nominatim Athanasius, sub finem libri de salutari Adventu J. C.; Gregorius Nyss., epist. ad Eustath.; et Ambros., necnon Or. I, contra Eunom.; Leo Papa Serm. 65, c. 7 et 66, cap. 1; Theodoretus, lib. V Hæret. fab., cap. 15; Fulgentius, lib. III, ad Trasim. cap. 16; Ferrandus diac. et Paulinus Aquileiensis locis memoratis, Joannes Damascenus, lib. III, c. 27; Œcumenius in Coloss. II; Alcuinus, lib. III de Trin. cap. 16; Bernardus, lib. V de Consideratione, cap. 9.

§ V. DE GLORIA CHRISTI HOMINUMVE ALIORUM POST RESURECTIONEM SINGULARES LOCUTIONES EXPLICANTUR.

182. Christi passionem excipit gloria, quam a mortuis excitatus homini suo impertiit. Ac licet neminem sciamus, qui quod de Christi gloria scripsit Hilarius, nominatim reprehenderit; rem tamen lectori non ingratam nos facturos speramus, si in his præludiis pro nostro modulo illius ea de re sententiam explicemus, quam ad scripta ipsius accedenti probe perspectam esse plurimi interest. Namque ut plurimum ut decertat contra Arianos, aut adversus fraudulentas illorum artes catholicos munire nititur. Cum autem illi ad deprimendam Christi gloriam infirma ipsius dicta gestaque solerent objicere; nihil contra studioso Christi defensori solemnius fuit, quam ut ad relevandum Domini sui nomen de gloria ac potentia illius dissereret. Cæspitabit igitur singulis fere paginis, cui obscuri erunt illius de gloria Christi loquendi modi. Sæpe enim inusitatis utitur. Et eos quidem hactenus intellectos non fuisse hoc persuadet, quod qui Hilarii Opera non modo in novissimis sæculis, sed et ante annos 800 recognovere, eos potissimum corruperint locos, in quibus ille de Christi gloria uberius ac magnificentius loquitur. Alii vero scrupulosiores e regione locorum illorum, quos temerare non ausi sunt ad oram mss. annotarunt. *Caute lege.*

183. Certe si solos attendas sonos verborum, iis quæ lib. IX de Trin. n. 38 offendes, significari existimabis humanam Christi naturam ita in divinam transiisse, ut genus mutarit; et hinc una evaserit Dei et assumpti hominis natura. Idem sapiet, quod cap. 27 in Matth., n. 4, prædicat Deum et hominem in Christo *jam ambo unum.* Aliis obscurum erit quod in Psal. CXLIII, n. 7, et fragmento VI docet, servili Christi formæ per gloriam id acquisitum, ut forma Dei esset, et servilis forma esse desineret : vel quod lib. III de Trin., n. 16, scribit : *Filius nunc caro factus orabat, ut hoc Patri caro inciperet esse quod Verbum.* Neque his absona sunt isthæc Tract. Ps. LIV, num. 7: *Evolare autem ut columba festinat, id est, in spiritalem redire naturam ;* et mox : *Hoc quod nobis est mortale susceperat, ut caro factus in Spiritum evolaret.* Cui etiam non inusitatum videbitur illud Tract. Psal. LXVIII, n. 25 : *Dominus Jesus in gloria Dei Patris est, id est, susceptus homo in naturam divinitatis acceptus ?* Quid hoc lib. XI de Trin., n. 40, Deum esse omnia in omnibus, *naturæ assumpti corporis nostri natura Paternæ divinitatis invecta... ne ex parte Deus sit, sed totus Deus... nulla ex parte terreni in eo corporis residente natura ; ut ante in se duos continens, nunc Deus tantum sit : dum homo et Deus*, uti declarat n. 41, *jam Deus totum est. In se enim*, infit n. 42, *cum Deus glorificavit, id est, in ea natura qua Deus est quod est : ut sit Deus omnia in omnibus, toto jam in Deum ex ea qua homo est dispensatione mansuro.* Unde cum lib. IX, n. 6, et in Psal. CXXXVIII, n. 19, triplicem Christi statum distinguat, *ante hominem* scilicet, *in homine* et *post hominem*, hoc est, antequam susceperit carnem, quando mortalem gessit, et postquam exuit mortalitatem ; eum in medio duntaxat statu Deum et hominem confitetur, at in postremo ut in primo prædicat tantum Deum.

184. Hæc et similia Hilarii dicta facile sibi Apelles vindicabit, qui volebat, Tertulliano teste, l. de Præscript. n. 51, Christum *in resurrectione singulis quibusque elementis, quæ in descensu suo mutuata fuissent, in ascensu reddidisse ; et sic dispersis quibusque corporis sui partibus in cœlo spiritum tantum reddidisse.* Hinc duas Christi naturas, etsi non post primam carnis susceptionem, certe post resurrectionem confudisse videbitur; adeoque quædam Eutychiani commenti jecisse semina, nec alienus esse ab errore, quem Augustinus epist. 187, n. 10, cavendum monet, *ne* videlicet *ita divinitatem adstruamus hominis, ut veritatem corporis destruamus ;* quemque ut ipse caveat, præmittit : *Quemadmodum ire visus est in cœlum, id est, in eadem carnis forma atque substantia : cui pro-*

fecto immortalitatem dedit, naturam non abstulit. Cum etiam Hieronymus, proœm. in lib. XVIII Comm. Isaiæ professus: *Corpora incorrupta et immortalia resurrectura confiteor*, adjiciat, *ut mutent gloriam non substantiam;* conjectura non levis est tunc temporis fuisse, qui humanæ naturæ veritatem per resurrectionis gloriam aboleri prædicarent. Hujus erroris suspicionem Hilario haud difficulter conflabit, qui rursum hanc subjectionis Christi definitionem ex lib. XI de Trin. n. 35, ab adjunctis divulsam adducet: *Subjectio etiam ea est, quæ est ex natura in naturam concessio; dum a se quod est desinens, ei subjicitur cujus concedit in formam.* Imo qui hanc audierit, prope non ambiget eam ab Augustino, cap. 37, contra Serm. Arian. notari, ubi ait: *Quamvis non defuerint, qui illam tum Filii subjectionem ipsius humanæ formæ in divinam substantiam commutationem intelligendam putaverint: tanquam hoc rei cuique subjiciatur, quod in eam vertitur et mutatur.*

185. Verum concidet simul omnis suspicio, ubi eum carnis gloriam, illæsa ipsius veritate, prædicare ostenderimus. Et ut a subjectione exordium fiat, enarrat lib. XI duplicem esse, primam *obedientiæ et fidei*, alteram *vel concessionis vel demutationis.* Tum hanc num. 35 sic definit: *Est ex natura in naturam concessio, dum a se secundum quod est desinens, ei subjicitur cujus concedit in formam;* ut ad cautelam tamen protinus adjungat. *Desinit autem,* NON UT NON SIT, *sed ut proficiat; fitque ex demutatione subditus, in speciem suscepti alterius generis transeundo.* Ita ubi loco jam relato ex num. 40 asseruit: *Non alia subjectionis causa est, quam ut omnia in omnibus Deus sit, nulla ex parte terreni in eo corporis residente natura, ut antè in se duos continens, nunc Deus tantum sit;* pravam intelligentiam ex prioribus illis verbis nascentem enecat his posterioribus, *non abjecto corpore, sed ex subjectione translato; neque per defectionem abolito, sed ex clarificatione mutato... Subjectus vero ob id, non ut non sit, sed ut omnia in omnibus Deus sit; habens in sacramento subjectionis esse ac mancre quod non est, non habens in defectione ita se carere, ne non sit.* Sane in his Hilarius non minus circumspecte, quam Hieronymus atque Augustinus, cavit, ne de carnis Christi gloria disserens, corporis veritatem destruere videretur.

186. Rursum hanc opinionem procul a se removet, cum Christo ipsummet corpus, quod de Virgine susceperat, resumptum esse, et in illo portionem nostræ carnis, imo nostri corporis resurrectionem conspicabilem fieri asserit. Porro in psal. CXXIV, num. 4 dicit Christum per gloriam factum esse montem, *in quo nosmetipsos per assumptionem carnis nostræ corporisque speculamur. In eo enim sumus, resurrectionem nostram resurrectione nostri in eo corporis contemplantes.* Et quamvis planum sit ideo nos dici nunc in Christo esse, quia quam ex nobis in Virgine accepit carnem, eam in cœlum transtulit: hoc tamen apertius in psal. LXV, num. 12, sic enuntiat: *In æternam gloriam ejus assumptæ ex Virgine carnis natura transfertur.* Nec aliud sonat illud cap. 5 in Matth., num. 2: *Exspectatum Deo patri munus hominem, quem assumpserat* (in cœlum), *reportavit;* aut quod cap. 4, num. 14, scribit, Christum *in vitam ex morte redeuntem, consociatam Spiritus et substantiæ suæ æternitati materiem ad cœlum assumpti corporis retulisse.* Nihil amplius ad adstruendam gloriosæ carnis Christi veritatem ab Hilario videtur desiderandum, a quo Christum non modo *hominem quem assumpserat*, sed et *assumptæ ex Virgine carnis naturam*, neque solum *naturam*, sed et *materiem assumpti corporis*, et *nostram* omnium *carnem* in cœlum retulisse proxime audivimus.

187. His addimus unum illud lib. III de Trin., num. 20: *Dominus Thomæ fidem propositis conditionibus confirmaturus assistit, palpandi corporis et contrectandi vulneris obtulit facultatem: et utique qui compunctus recognoscendus est, necesse est corpus in quo est compunctus attulerit;* et mox: *Stetit namque corporeus, non simulatus aut fallax.* Atqui in eo corpore, in quo Thomæ visus est, sedet gloriosus ad dexteram Dei: uti non obscure declaratur his ejusdem libri verbis: *Hæc carnis deprecatio est, in qua eum judicii die compunctum et de cruce recognitum universi videbunt, in qua præfiguratus in monte est, in qua elevatus ad cœlos est, in qua Deo assedit a dextris, in qua visus a Paulo est, in qua honorificatus ab Stephano est.* Immo hic aperte traditur, Christum in ea ipsa carne assidere, in qua transfiguratus in monte est, et in qua ante mortem ad Patrem clamavit: *Clarifica me.* Tam veram igitur Christi carnem Hilarius sensit post perceptam gloriam, quam ante mortem.

188. Non minus luculenter mentem suam aperuit de veritate corporum, quæ cæteris hominibus per resurrectionem restituenda sunt. Namque in Psal. LV, num. 12, primum de Christo præfatus: *Ipse sibi resurrectionis est dominus, ipse huic emortuo et intra sepulcrum relicto corpori divinæ naturæ suæ tribuit consortium*, deinde de universa hominum resurrectione sermonem sic prosequitur: *Neque enim resurrecturis omnibus ab exteriore materia corpus acquiritur, neque peregrinæ originis externarumque causarum natura redhibetur; sed id ipsum in profectum æternæ claritatis emergit, fitque in eo demutatione potius, quam creatione, quod novum sit.* Apertum est et hoc Tract. Psal. II, num. 41: *Confracta reparabit, non ex alia aliqua, sed ex veteri atque ipsa originis suæ materie speciem illis complaciti sibi decoris impertiens: ut corruptibilium corporum in incorruptionis gloriam resurrectio non interitu naturam perimat, sed qualitatis conditione demutet. Non enim aliud corpus, quamvis in aliud resurget... Fit ergo demutatio, sed non affertur abolitio. Et cum id quod fuit, in id quod non fuit surgit, non amisit originem, sed profecit ad honorem.* Neque prætereundum est, quod in Psal. LXVII, num. 35, habet: *Numquid alia vox potest major esse virtutis, quam dissolutorum corporum pulverem in formam cogere solidatemque membrorum, et vitam rursum in homines animasque revocare, et corruptionem naturæ imbecillis*

naturæ cœlestis incorruptione mutare? Hæc humanæ spei vera et perfecta constantia est. In his Hilarius suspectas Origenis de nostra resurrectione sententias non minus prudenter cavet, quam in superioribus Apellis ejusque similium de gloria Christi errores.

189. Quid igitur sibi vult tam magnificis de corporum gloria loquendi modis? Nihil nostra sententia aliud, quam quod vulgo de eadem sentitur. Primo enim conceptis verbis docet, *idipsum corpus ex veteri atque ipsa originis suæ materie*, imo *ipsum dissoluti corporis pulverem in formam soliditatemque membrorum* reformandum esse; adeo ut *demutatione* potius quam *creatione* novum fiat: novum, inquam, nova *qualitatis conditione*, non naturæ interitu aut abolitione. Restat igitur inquirendum, in quo constituat hanc demutationem, ex qua nova illa ac præclara conditio consequatur. Hanc in Psal. I, num. 13, enarrat tum futuram, *cum incorruptio corruptionem, et æternitas infirmitatem, et forma Dei formam terrenæ carnis absorpserit*: seu, ut in Psal. LV, num. 12, habet, *tum cum infirmitas corporum detrahetur, id est, lapsus et lacrymæ, tum cum corruptionem incorruptio devorabit, tum cum mortem potestas immortalis absorbebit, tum cum sit Deus omnia in omnibus, tum cum lumen viventium sit in eodem viventium lumine Deo ipse* (homo) *placiturus*. Quidquid etiam alias de beatorum corporum gloria edisserit, ad eas præsertim dotes revocatur, immortalitatem scilicet, incorruptionem, et claritatis ac luminis speciem. Quibus donati, ut loquitur Tertullianus, Apologet. num. 48, *erimus iidem qui nunc, et non alii, quamvis superinduti substantia propria æternitatis*. Cum autem hæ dotes a corporis natura alienæ sint, ac naturæ spiritus magis consentaneæ, easque sola Dei natura proprio ac summo jure possideat; corpus illis circumvestitum non male affirmatur in naturam spiritus, imo in formam ac naturam Dei transisse, nulla amplius in eo residente corporis natura, hoc est, nullis omnino vitiis aut operibus (*Vid. Tertull. l.* v *contra Marcion.*, n. 104), quæ terreni corporis naturam consequuntur residentibus.

190. Beata hæc corporum demutatio ex divinæ naturæ consortio obtingit. Si enim ubi duæ naturæ conjunguntur, cedat necesse est minor majori, potentiori infirmior, et obscurior clariori; quanto magis necesse est naturæ Dei cedat consociata natura hominis? An formæ Domini forma servi, corruptio incorruptioni, aut vitæ valet resistere mortalitas? Vincit semper fortior debiliorem. Verbum quidem, etiam ante resurrectionem, humanam sibi conjunxit naturam, neque hanc tamen ei gloriam impertiit: at hoc mirabile fuit benignitatis ipsius consilium. Quod cum decrevisset, virtutem naturæ suæ, uti notat (*in Psal.* CXLIII, *n.* 7) Hilarius, ita intra se cohibere opus habuit, ut ei (*in Psal.* LXVIII, *n.* 4, *in Psal.* LV, *n.* 12) in limo carnis infixo nec divinitatis substantia esse videretur. Verum Dominus ac Redemptor noster, peractis dispensationis suæ mysteriis, tunc primum *ipse in profectum æternæ claritatis emortuo et intra sepulcrum relicto corpori divinæ naturæ tribuit consortium*, hoc est, divinum splendorem suum non amplius intra se cohibens, ejus etiam assumptum hominem participem fecit: sicque *consociatam Spiritus* (seu divinitatis) *et substantiæ suæ æternitati materiem assumpti corporis in cœlum retulit*. Continuo, ut loquitur Hilarius, fragmento 6, *homo factus est Deus. Superavit enim magnitudo Domini parvitatem servilis formæ; ita ut ipsa servilis forma cessaret esse servilis per eum Dominum qui eam assumpsit*. Qui *factus Deus* intelligitur? Eo prorsus modo, quo Verbum dicitur *caro factum*. Sicut enim Verbum caro factum est, cum intra carnis humilitatem Verbi gloria delituit; ita et homo factus est Deus, cum intra Verbi gloriam abscondita est carnis humanæ humilitas. Quanquam non desunt, qui proxima Hilarii verba ad primam carnis mortalis susceptionem referant, iisque putent rationem reddi cur propria humanæ Christi naturæ persona defuerit. At hoc illis quis concedat? Non enim ibi servili formæ deesse personam, sed ipsam formam cessare servilem esse prædicatur. Sed et qui Christum carnis mortalis susceptione *totum in forma servi* (*in Psal.* CXLIII, *n.* 10) dixit, quia nimirum forma Dei exinanita non exstare videretur nisi forma servi; procul aberat ut formam ipsius servilem tunc temporis cessasse servilem esse assereret.

191. Ea ipsa ratione, qua Christus *totus in forma servi* dicitur, dum in assumpto homine Deus est absconditus, dicitur *et totus Deus*, cum assumptus homo assumentis Dei luce et gloria infusus ac circumfusus fuit. Quamquam in utroque illo statu hoc discrimen intercedit, quod Deus absconditus in homine immutatus mansit in virtute naturæ suæ, seseque interdum per operum magnificentiam manifestum fecit: at vero homo intra Deum absconditus non manet in naturæ suæ infirmitate, sed in æternitatem, incorruptionem et gloriam, quæ naturæ divinæ propria sunt, feliciter commigrat. Hinc intelligitur, qui Deus, cum per resurrectionis gloriam omnia in omnibus futurus sit, *nulla ex parte* in eis *residente terreni corporis natura*, sed ejus loco *natura Paternæ divinitatis invecta*, id tamen futurus sit *non abjecto corpore, aut per defectionem abolito*, sed retenta *veteri atque ipsa originis suæ materia*. Nec difficilius percipitur, qui lib. de Synod. n. 48 dicatur caro assumpta etiam ante resurrectionem incœpisse esse quod Verbum; si quidem, ut ibi declaratur, jam tum habuit ut id operaretur quod Verbi est. Nec lateret illud tract. Psal. CXLIII, num. 7: *Ipsi habitui servili id donatur, ut quod erat* (Deus Verbum) *esset, in forma scilicet Dei esset;* etiamsi idipsum in Psal. CXLI, num. 8, non haberemus apertioribus verbis sic explicatum: *Hæc ei a Deo retributio est, ut ei corpori quod assumpsit, Paternæ gloriæ donetur æternitas*. Cui etiam deinceps obscurum erit quod legit, Christum ante resurrectionem *duos* intra se continere, nunc vero Deum tantum esse? Quis enim non statim advertet *duos* vocari diversas naturas naturalibus proprietatibus suis affectas? Nec majore negotio intelligetur Christus per gloriam in naturæ Paternæ rediisse unitatem, *cujus*

offensionem dispensationis novitas intulerat. Quippe unitatem offendit omne dissidium. Christus autem cujus una erat cum Patre naturalis conditio, una beatitudo, utpote qui una cum eo impassibilis, omnipotens, æternus, semper in splendore, semper in gloria et claritate; cœpit ab illo dissidere, cum carnis nostræ infirmitates assumens, factus est infirmus, passibilis, mortalis, atque despectus. Contra in unitatem pristinam secundum assumptum hominem rediisse dicitur, cum exuta mortalitate, susceptaque Dei gloria desiit esse infirmus, passibilis aliisque humanæ naturæ conditionibus obnoxius. Ex quo sequitur, ut tunc tantum Deus et homo fuerit, cum naturales Dei hominisque proprietates in se conjunctas habuit: id quod ita dictum, non quia ipsi post perceptam resurrectionis gloriam desierit esse substantia hominis; sed quia homo reputatur Deus, cum abjecta infirmitate atque obscuritate quæ naturam ipsius consequitur, gloria quæ Dei propria est ei obtigerit. Nam naturæ sicut et formæ Dei nomine Hilarius naturalem Dei gloriam, quam interdum etiam *formam gloriæ*, et *habitum naturæ potioris* absque ulla ambiguitate nuncupat, quoties de gloria ei sermo est intelligit (*Lib.* IX *de Trin. n.* 59, *et lib.* XI, *n.* 43).

192. Verbis illius sic illustratis, explanari commodius jam possunt obscuriora veterum dicta, maximeque Gregorii Nyss., tom. II, pag. 17, et Or. 4 contra Eunom., p. 584, aliisque locis, in quibus sic adstruit assumpti hominis divinitatem, ut veritatem corporis nonnihil concutere videatur. Neque vero Hilario uni singulares sunt memorati loquendi modi. Dixit et Ambrosius, lib. I de Virgin. c. 3: *Verbum caro factum est, ut caro fieret Deus*: et lib. de Fide resurrect. n. 91: *Tunc* (ante resurrectionem) *secundum carnem homo, nunc per omnia Deus; nunc enim secundum carnem jam non novimus Christum.* Quid illud Augustini in Psal. XXXV, n. 14, de ipsa etiam anima nostra: *Cum accepta fuerit illa ineffabilis lætitia, perit quodam modo mens humana, et fit divina?* Hoc ipsum egregie illustrat Bernardus, lib. de diligendo Deo, c. 10. Ibi enim prælocutus de perfecta charitate, quam in solis beatis perfectam esse postea declarat, virtutem illius ac naturam exponit in hunc modum: *Sic affici,* DEIFICARI *est. Quomodo stilla aquæ modicæ multo infusa vino deficere a se tota videtur, dum et saporem vini induit et colorem; et quomodo ferrum ignitum et candens ignis simillimum fit, pristina propriaque forma exutum; et quomodo solis luce perfusus aer in eamdem transformatur luminis claritatem, adeo ut non tam illuminatus, quam ipsum lumen esse videatur: sic omnem tunc in sanctis humanam affectionem quodam ineffabili modo necesse erit a semetipsa liquescere, atque in Dei penitus transfundi voluptatem. Alioquin quomodo omnia in omnibus erit Deus,* SI IN HOMINE DE HOMINE QUIDQUAM SUPERERIT? *Manebit substantia, sed in alia forma, alia gloria, aliaque potentia.* Eamdem hominis, ut ita dicam, deificationem Maximus Martyr, cap. 26, de Theologicis, cap. 20, divinis verbis sic expressit: *Naturam communicata sibi cognitione vacuatam homo factum Dei Verbum cognitione rursus implevit; et hanc ad immutabilitatem corroborans, non natura, sed qualitate divinam effecit, perpetuo illam proprio signans spiritu, ac tanquam aquam vini qualitate ad vim ac firmitatem temperans. Nam ideo revera factus est homo, ut gratia nos constituat deos.* Neque ignorari voluit Hilarius qua ratione corpori nostro, salva ipsius naturæ veritate, naturam divinitatis invehendam diceret. Quippe in Psal. CXVIII, lit. 17, num. 12, mentem suam explicat his verbis: *Faciem Domini ad illuminationem suam Propheta orat. Ex majestate enim et vultu videntis nos Dei lumen accipimus, et deflexus in nos misericordiæ suæ vultus ad gratiam spiritalis virtutis irradiat. Vel certe cum judicii die aderit, cum visibilis in gloria paternæ majestatis assistet; tunc nos faciei suæ lumine illuminabit. Ut enim quædam metalla atque gemmæ* NATURÆ SUÆ *fulgorem in ea, quæ sibi proxima sunt, refundunt, et æmulantem speciem ex vicina sui specie præstant; et ut Moyses ex contemplatione gloriæ Dei lumen accepit, ita ut honorem gloriæ suæ contemplari populus non posset: sic et Propheta servum se Dei confitens illuminari precatur, et conformis, secundum Apostolum, effici gloriæ Dei.*

193. Hæc qui perpenderit, nullum patietur scandalum, cum apud Hilarium variis in locis leget, Christum secundum assumptum hominem in forma, in natura, in genere naturæ, in unitate naturæ Dei per gloriam exsistere, ut in ipso Deus et homo *jam ambo unum sint;* vel quod idem est, eum per resurrectionis gloriam *nasci ad id quod ante tempora erat, sed quod in tempore totum non erat*, item, *gigni ad id quod suum fuit, gigni ad perfectum Dei filium*, et *pennas suas sumere, in Spiritum evolare, in spiritalem redire naturam, totum Deum fieri* (*In Psal.* LIV, *num.* 7; *l.* XI *de Trinit.*, n. 41). Hæc enim omnia cum tantum sonent plenam atque perfectam, quantum homini licet, cum Deo consensionem; illibata humanæ naturæ veritate ab eo dicta sunt. Hanc autem consensionem in eo præsertim constituit, ut corruptionis, mortalitatis et infirmitatis loco succedant incorruptio, immortalitas, virtus ac splendor æternæ claritatis; divinæ prorsus, non humanæ naturæ proprietates. Quas ut obtinet quisque ex naturæ divinæ consortio, ita etiam obtinuisset Christus homo statim ut a Verbo assumptus est, nisi Verbum naturæ suæ virtutem ob dispensationis mysterium cohibuisset. Sed hoc expleto, laxata (ut ita dicam) naturæ divinæ virtus humanam longe inferiorem ita superavit, ut penitus intra ipsam absorpta, hoc est, prædictis proprietatibus divinis circumvestita, nihil præ se nisi divinum tulerit. Tum cæteri homines, cum propter societatem carnis cum Christo conjuncti sint, ab eo in se ipsos circumfluentes excipient divinas illas qualitates: quibus efficietur, ut et ipsi gloriæ Christi conformes fiant, et sic Deus sit omnia in omnibus. Hæc tota est Hilarii de gloria Christi hominumque doctrina, catholicæ fidei nihil repugnans, etsi singularibus loquendi modis enuntiata.

194. Quanquam non obscure significat, sese ad hos

loquendi modos Scripturarum auctoritate impulsum, ac præsertim cum verbis Joan. XIII, 32: *Deus honorificavit eum in se*, tum his Phil. II, 11: *Dominus Jesus in gloria Dei Patris*, ex quibus lib. IX de Trin., n. 42, hoc conficit argumentum: *Quem enim in sese Pater glorificavit, in ejus gloria confitendus est: et qui in Patris gloria confitendus est, et quem in se Pater glorificavit, in his sine dubio intelligendus est esse, quibus Pater est; cum et in se eum glorificaverit, et in gloria ejus sit confitendus. Non enim hic tantummodo in gloria Dei est, sed in gloria Dei Patris est; neque glorificavit gloria exteriore, sed glorificavit* IN SESE. *In eam eum quæ sua est, gloriam resumendo, et eam gloriam quam apud eum habuit, eum et apud se glorificat et in sese.* Et quasi vim hujus sententiæ, *Deus honorificavit eum in se* nondum satis expressisset, hanc rursum, n. 42, sic explicat: *In se enim Deus glorificavit, id est, in ea natura qua Deus est quod est, ut sit Deus omnia in omnibus.* Similia sunt quæ ex aliis Joan. XVII, 3, verbis deducit in eodem lib., n. 39, ubi ait: *Glorifica vero me apud te, non idem est quod Glorifica me. Non enim semetipsum glorificari tantum ita, ut sibi aliquid sit proprium gloriæ, rogat; sed apud semetipsum Patrem glorificari ab eo precatur*, etc. Ex aliis verbis Pauli, v. g. *Resurget corpus spirituale, Absorpta est mors, ut sit Deus omnia in omnibus*, et similibus expressæ sunt Hilarii de Gloria Christi hominumve locutiones.

§ VI. DE REGNO CHRISTI A REGNO DEI PATRIS DISTINCTO.

195. Cum ad gloriam Christi pertineat regnum ipsius, sicque de eo loquatur Hilarius, ut difficultates non desint; imperfecta merito videretur superior disputatio, nisi eas consequenter in his præludiis complanare aut saltem prænonstrare conaremur. Porro Christum, pro duplici natura, duplici etiam ratione regnantem considerat. Et de divina quidem ipsius natura ubi dixit in Psal. LXV, n. 12: *Illa ut semper est dominans, ita et dominabitur semper*; n. 13, de humana subjicit: *Unigenitus Dei Filius, etsi regnavit semper, non tamen semper regnavit in corpore.* Neque de hoc sempiterno Christi regno ulla est disceptandi causa. Ubi enim Hilarius unam Dei unigeniti cum Patre gloriam, virtutem, potestatem ac naturam esse demonstrat, nullum in utriusque regno discrimen ponendum esse pro certo constituit. Instituta igitur quæstio tota est de regno, quod Christo homini in tempore obvenit. Ut autem dignoscatur quando in Scripturis de temporario Christi regno sermo sit; hanc in eodem Tractatu tradit regulam: *Ubi designati et tanquam demonstrati sæculi dominatio continetur; tempus illud ostenditur, quo glorificato in gloriam Dei corpori et nomen Dei donatur et regnum.* Unde intelligere est, Christum in corpore regnare tum cœpisse, cum in corpore gloriam accepit. De hoc Christi regno tria præsertim quærenda: primo quomodo illud Hilarius a regno Dei distinguat: deinde qui Millenariorum aliorumque eis affinium non faveat errori: postremo qua in re velit cum Dei tum Christi regna sita esse. Unde cum a recepta Ecclesiæ fide de sanctorum hinc mirantium beatitudine non alienum esse conficietur.

I. *Quomodo Hilarius regnum Christi a regno Dei distinguat.*

196. Utrumque illud regnum discernere videtur temporibus, locis, nominibus, ac beatitudinis gradu. Et Christi quidem regno non aliud attribuit tempus, quam quod a morte cujusque justi ad diem judicii excurrit. Inde autem incipit regnum Dei justis concedere. Itaque regnum Christi est in animas justorum corporibus solutas, regnum vero Dei in eosdem justos resurrectionis gloria donatos. His, ut in Psal. CXLVIII, n. 7, declarat, *non in hoc sæculo, neque in aere, sed in superioribus locis sedes beati illius regni est constituta.* At regno Christi (*puto quia solis animabus constat, quibus non congruat locus corporeus*) corporeum locum non ita diserte adscribit. Nisi forte verbis tract. psal. CXX, n. 16, quibus sancti regno Christi gaudentes traduntur *in sinu interim Abrahæ collocati, quo adire impios interjectum chaos inhibet*, corporeum locum intelligendum sentiamus. Longe magis animas corporum expertes is decet, in quo alias situm esse docet Domini regnum: ut pax et unanimitas sanctorum sit locus, in quo feliciter requiescant. *Quia*, inquit in Psal. CXLVII, n. 2: *Domini nostri regnum in pace et unanimitate sanctorum est* (et factus est in pace locus ejus); *conventus ille beatorum, qui Dei* (*rectius* Domini) *regnum est, Jerusalem tanquam civitas pacis est dictus.* Neque negaverit quisquam hæc ad regnum Christi referenda esse, cum de ea Jerusalem sint dicta, quæ per resurrectionem nondum consummata sit, de qua nimirum proxime subjicitur: *Civitatem vero hanc vivis, ut ait Apostolus, lapidibus exstructam sanctorum cœtus conformis gloriæ Dei ex resurrectione consummat.*

197. Quod ad nomina attinet, regnum Dei Patris a Filii regno duobus præsertim adjunctis distinguit: aut enim illud *cœleste* regnum, cum situm ipsius respicit, aut cum ævum, *æternum* cognominat. Quippe quod in psal. CXLIV, n. 16, et in psal. CXLVIII, n. 8, *regnum æternum*, in psal. CXX, n. 16, *regnum cœleste, regnum cœlorum, æternum et beatum regnum*, et prologo in Psalterium, n. 11, *sanctæ civitatis et cœlestis Jerusalem tempora* nuncupari audis, ad unum Dei regnum haud dubie pertinet. Regnum autem Christi quamvis pluribus ac magnificis titulis appellet, nusquam tamen cœleste aut æternum; quod quatenus non dicat, inferius explicabimus.

198. Quanquam hoc etsi nusquam regnum æternum, tamen in Psal. LVII, n. 6, *requiem æternam* vocat. *Inter hæc*, inquit, *justi cujusque, tanquam Lazari in Abrahæ sinu requiescentis, lætitia monstratur... Lætitia justi est, cum viderit vindictam; quia, peccatoribus puniendis, deductum se per Angelos in* ÆTERNAM REQUIEM *lætatur.* Et hanc quidem requiem *in Dei susceptione* sitam se sentire in psal. LIII, n. 10, sic significat: *Habeat itaque hunc innocens religio fiduciam, ut... si quando injustæ mortis vis afferatur, excedentem habitaculo corporis anima scial in Dei susceptione requiescere.* Ibi tamen mallemus *in susceptione Domini*; ut *susceptio Domini* id esset, quod *custodia Domini* in his *tract.*

Psal. CXX, n. 16: *Exeuntes autem de corpore ad introitum regni cœlestis* PER CUSTODIAM *Domini fideles reservabuntur, in sinu scilicet interim Abrahæ collocati.*

199. Ex duobus superioribus locis definire sic liceret illud Filii regnum : Requies est æterna animæ justæ, quæ excedens habitaculo corporis, in susceptione Domini requiescat : aut ex postremo, Sinus est Abrahæ, in quo fideles ad introitum regni cœlestis per custodiam Domini reservantur. Regnum idem jam ex tract. Psal. CXLVII, n. 2, vocari audivimus *conventum beatorum, sanctorum cœtum, civitatem vivis lapidibus exstructam*, quæ, quia civitas est pacis, *Jerusalem* dicta sit. Rursum in Psal. II, n. 48, *sedes beatorum*, in Psal. CXLVIII, n. 8, *sanctæ Jerusalem regnum beatum*, et in Psal. CXLI, n. 5 (*nisi forte alium senserit Hilarius locum latroni, alium cæteris justis concessum*), *terra viventium, paradisi incolatus, et regnum hæreditatis Christi* cognominatur.

200. Hinc non obscurum est, eum huic Christi regno non requiem tantum, sed et beatitudinem, lætitiam, gloriam et honorem attribuere. Quod in Psal. CXVIII, lit. 18, n. 10, confirmat, ubi de Lazari beato excessu hæc habet : *Abrahæ sinu continetur, et miseriam vitæ laboriosæ, beatæ quietis honore demutat.* Hujus tamen felicitatem regni Dei beatitudini coæquare non videtur. Nam cum prologo in Psalterium, n. 11, triplicem gradum ad salutem distinguat ; regno Christi non dat nisi secundum, et regno Dei supremum reservat. *Cum enim primus gradus sit ad salutem in novum hominem post peccatorum remissionem renasci ; sitque post pœnitentiæ confessionem regnum illud Domini in sanctæ illius civitatis Jerusalem tempora reservatum ; et postea consummata in nos cœlesti gloria in Dei Patris regnum per regnum Filii proficiamus*, etc. Rursum in Psal. LXII, n. 7, triplicem memorans vitam, in sæculo nimirum, in Abrahæ sinu, et in cœlo ; hanc quam misericordiam vocat, quia per misericordiam Dei præparatur, duabus aliis meliorem asserit : *Est enim vita post vitam, qua in Abrahæ sinibus vivendum est, in qua Dei nomen pauperis quiete benedicitur, secundum illud prophetæ. Non mortui laudabunt te, Domine, sed nos qui vivimus, benedicimus Domino. Super has igitur vitas misericordia ea est, quæ quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit, his qui Dominum diligunt præparavit.*

201. Itaque Hilarius videri aliquo modo potest regnum Christi sic spectasse veluti medium quemdam statum, miseriarum quas hic patimur expertem, sed nondum ejus consortem felicitatis, quæ nobis in cœlis promissa est. Quocirca in Psal. CXIX, num. 1, nobis de morte nostrorum non dolendum esse hinc probat, quod *nostrorum abscessio spei communis sit accelerata properatio ;* et n. 11, docet, Christi jussu *accelerationem regni cœlestis orandam* esse, cum ab eo præcipiamur ut dicamus, *Adveniat regnum tuum :* quasi spe nostra non simus potituri, nisi cum consummatis omnibus sanctis regnum Patris adveniet. Cum tamen utrumque illum locum maxime confirmet verbis Pauli, quibus dissolutionem corporis sui et Christi consortium concupiscit ; nihil inde conficitur, ut regni Christi et regni Dei diversa beatitudo demonstretur.

202. Id forte comprobabit efficacius, quod in Psal. CXLVIII, n. 8, de Christi regno ait : *Illud sanctorum est regnum, per quod regnante Domino ad beatum regnum Dei Patris adscendent ;* et mox : *Illis proprius hic hymnus est, qui per hoc sanctæ Jerusalem regnum beatum æterno regno proximi, post regnum Domini Jesu Christi, in regnum Dei Patris Domino congregante transibunt ;* et ad calcem : *Hic ergo populus est propinquans, regno Dei Patris per regnum Filii Dei proximus. Regnat itaque Dominus, traditurus Deo Patri regnum ; non regni potestate cariturus, sed nos, qui regnum ejus sumus, Deo Patri traditurus in regnum. Regni traditio, nostra provectio est ; ut qui in regno Filii erimus, in regno quoque simus et Patris : digni per id regno Patris, quia digni regno erimus et Filii ; proximi tum Patris regno, cum Filii erimus in regno.* Quis enim eos in eodem beatitudinis gradu constituat, qui Deo propinquant, et qui ad eum pervenerunt ; qui regno æterno proximi, et qui illud sunt consecuti, quibus nonnihil superest adscendendum, et qui summum beatitudinis apicem obtinuerunt? Sed in quo sita sit illa diversitas prius quam penitius investigemus, removendæ sunt nonnullæ suspiciones, quæ e verbis superioribus oriuntur.

II. *Hilarius a Millenariorum aliorumque eis affinium errore vindicatur.*

203. Cavendum in primis, ne cum Hilarius docet per regnum Filii ad regnum Patris perveniri, id eo intellectu dixisse existimetur, quo asserit Irenæus, lib. V, cap. 32, Christi regnum *esse principium incorruptelæ, per quod regnum, qui digni fuerint, paulatim assuescunt capere Deum.* Hoc quippe dixit Irenæus Papiæ ejusque sequacium chiliastarum errore imbutus : a quo sane procul est Hilarii sententia. Ille enim Domini regnum in spiritalibus deliciis constituit, puta in pace et unanimitate sanctorum, in Christi consortio et benedictione Dei ; isti in terris ac voluptatibus terrenis : ut merito Augustinus, lib. XX de Civ. Dei, c. 21, n. 2, *carnales illos mille annos* vocet, qui in carnalium rerum affluentia ponuntur. Deinde apud istos regnum Christi non adeunt sancti nisi post resurrectionem universam ; apud illum autem eo gaudet justus quisque statim post mortem. Præterea ejus opinionis, qua sanctos in regno Christi detineri dicunt, donec paulatim assuescant capere Deum, nulla est apud Hilarium vel tenuis umbra. Postremo Chiliastæ sic cognominati sunt, quod mille annorum curriculo regnum Domini in terris disterminarent : quod Hilarius nullo certo locorum aut temporum spatio definit, sed indefinite ad judicium usque protendit.

204. Neque vero in his tract. Psal. CXX, n. 16 : *Exeuntes autem de corpore ad introitum regni cœlestis per custodiam Domini reservabuntur*, id existimandus est sentire, quod Lactantius, lib. VII, c. 21, ubi habet : *Nec tamen quisquam putet animas post mortem protinus judicari. Omnes in una custodia detinentur*

donec tempus adveniat, quo maximus Judex meritorum faciat examen. Etsi enim in una *custodiæ* voce cum illo consentiat, in ea tamen intelligenda longe dissidet : cum *custodia* apud Lactantium locum quemdam clauso carceri similem sonet, apud Hilarium autem protectionem Domini, ex cujus societate sancti ab omni malo protegantur. Unde in Psal. CXIX, n. 1, docet, nihil nobis a sæculi violentia timendum, *cum Christi consortium mors acquirat.* Sed et uterque hoc maxime discrepat, quod cum Lactantio in una custodia detineantur animæ omnes, justæ et injustæ, et quidem nullo prævio judicio ; Hilario in custodia Domini reserventur unæ animæ fideles atque justæ, et, ut in Psal. LVII, n. 7, innuit, præmisso antea judicio.

205. Lactantii opinioni affinis est Tertulliani sententia (*Tertull. lib. de Anima, n.* 55), qua licet martyribus paradisum concedat, reliquas tamen animas *in recessu intimo et in ipsa terra operto et intra ipsam clauso* in diem Domini detinet. Sed hanc distinctionem ignorat Hilarius, qui non martyres solos, sed justos omnes, non in subterranea inferorum obscuritate, sed in beatæ quietis honore, Christi consortes facit.

206. Sed ne Vigilantio quidem suffragatur, quem Hieronymus (*Hieron. cont. Vigilant.*), ubi memoravit sentire, *vel in sinu Abrahæ, vel in loco refrigerii, vel subter aram Dei animas Apostolorum vel Martyrum consedisse, nec posse suis tumulis et ubi voluerint esse præsentes*, eum subinde sugillat his verbis : *Senatoriæ videlicet dignitatis sunt, ut non inter homicidas teterrimo carcere, sed in libera custodia, in fortunatorum insulis et campis Elysiis recludantur. Tu Deo leges pones? Tu Apostolis vincula injicies, ut usque ad diem judicii teneantur custodia, nec sint cum Domino suo, de quibus scriptum est, Sequuntur Agnum quocumque ierit. Si Agnus ubique ; ergo et hi, qui cum Agno sunt, ubique esse credendi sunt. Et cum diabolus et dæmones toto vagentur orbe, et celeritate nimia ubique præsentes sint : Martyres post effusionem sanguinis sui arca operientur inclusi, et inde exire non poterunt?* Et vero Hilarium cum Hieronymo potius facere quis neget? Cum eo quippe Sanctos non solum Christi comites esse asserit, sed et in Psal. CXXIV, n. 5, prædicat eosdem nostri esse tutores atque custodes. Imo lib. XI de Trin., n. 3, inter testimonia divinitatis Christi illud non silet, quod *hunc apostolorum et martyrum per virtutum operationes resonant sepulcra.* Quænam autem sanctorum tumulis ederentur virtutum operationes, lib. in Constantium n. 8, sic explicat : *Sanctus ubique beatorum martyrum sanguis exceptus est, et veneranda ossa quotidie testimonio sunt ; dum in his dæmones mugiunt, dum ægritudines depelluntur, dum admirationum opera cernuntur*, etc., ut non dubium sit, quin preces nostras coram sanctorum tumulis fusas approbarit, senseritque eos illas posse percipere, iisque perceptis ea, quibus indigemus, pro sua pietate apud Dominum nobis impetrare.

207. In quo igitur regnum Filii a regno Patris discernit? Aut quomodo ei saltem errori non favet, ob quem Marcellus olim damnatus ac depositus fuit ; cum A Christo, non secus ac ille, regnandi finem præscribere videatur? Qui etiam sibi ipse constat, cum in Psal. LXV, n. 13, docet, Christum sæculo dominaturum, *cum evacuaverit omnem principatum et potestatem*, quod non fiet nisi extremo judicio ; postquam in Psal. LX, n. 5, tradidit, eum regnaturum esse donec ponat inimicos suos sub pedibus suis, *ut tempus illud, quo eum regnare donec ponat inimicos suos sub pedibus suis oportet, a generatione usque in generationem sit comprehensum*, hoc est, ut ibidem exponit, a tempore mortalitatis nostræ ad illud, quo immortalia corpora recepturi, in æternam vitam regenerandi sumus? Qui in uno loco judicium novissimum regni Christi initium, in altero finis sine pugna intelligitur?

208. Nec pugnat ille secum, nec Marcelli errori favet. B Nam ut alibi passim, ita et in ipsummet Psalmum LXV, num. 13, Christum etiam modo regnare conceptis verbis profitetur. Neque docet eum a judicio regnaturum simpliciter, sed regnaturum solum; ut regnum ipsius, quod modo princeps mundi hujus nonnihil perturbat, tunc integrum et absolutum futurum sit, et a nulla adversa potestate distrahendum. *Tunc*, inquit, SOLUS *in virtute sua sæculo dominabitur. Nunc enim quamvis regnet, tamen princeps hujus sæculi petiit ut modo tritici Apostolos cerneret ; et sunt spiritales nequitiæ, adversum quas spiritalibus nos armis beatus Paulus instruxit.* Hinc satis significat, se non intra tempus, quod ad judicium excurrit, regnum Christi coarctare. Sed et in Psal. LX, ubi dixit : *In æterno regno consedentem oportet regnare donec ponat inimicos suos sub pedibus suis*, prudenter cavens ne cum Marcello regni finem asserere existimetur ; adjecit, *non ut rex ipse tum non sit : sed cum tradiderit regnum Deo Patri, conregnabit his ipse qui reges sunt.* Ita dum expendimus quid sit regnum Deo tradi, et quo modo Christus regno non cedat quod Patri tradiderit, sensim sine sensu discimus quid sit regnum Dei : qua parte distincte percepta, minus erit abstrusum quid Hilarius de Christi regno sentiat.

III. *In quo Hilarius situm velit regnum Dei, in quo regnum Christi.*

209. *Regnum Dei est*, ut ipse definit in Psal. II, n. 42, *ubi peccatum vincitur, ubi mors perimitur, ubi non regnat hostis.* Mors autem non perimitur nisi per D gloriosam resurrectionem, secundum illud Augustini Serm. 233, n. 5 : *Morietur et in nobis mors : sed quando? In fine sæculi, in resurrectione mortuorum.* Unde et Hilarius paulo post allata verba subjicit : *Hoc nobis erit regnum Dei, cum omnibus vitiorum nostrorum aculeis contusis labes erit corporeæ infirmitatis absorpta.* Dei igitur regnum gloria est corporis, cui mors non amplius dominatura sit, sed beata et æterna vita : adeo ut Christum Deo patri regnum tradere nihil aliud sit, quam gloriæ corporis sui nos conformes efficere. Nec latet cur hoc regnum Dei vocet, curve dicat ei a Christo tradi. Nam cum æternitas Dei propria sit, ejus proprietati nos subjicit Christus, cum æternos efficit. Hoc sensu explicans Hilarius tradi-

tionem regni, ea nihil Christo demi, sed nobis multum acquiri non immerito testatur in his lib. XI de Trin. n. 39 : *Tradet ergo regnum Deo Patri ; non ita, tanquam tradens potestate concedat, sed quod nos conformes gloriæ corporis sui facti regnum Dei erimus. Non enim ait, Tradet suum regnum ; sed, Tradet regnum, effectos nos per glorificationem corporis sui regnum Deo traditurus.* Quibus similia sunt isthæc Tract. Ps. CXLVIII, n. 8, jam superius relata : *Regnat itaque Dominus traditurus Deo patri regnum ; non regni potestate caritrus, sed nos, qui regnum ejus sumus, Deo patri traditurus in regnum. Regni traditio nostra provectio est.* Enimvero si regnum Deo tum trademur, cum gloriæ corporis Christi efficiemur conformes ; traditione illa multum accedet nobis, sed Christi regno nihil detrahetur : immo cum hanc gloriam ab eo simus mutuaturi, ei tum longe absolutius subjiciemur. Apertius et hoc approbari sic potest : Christus nos regnum tradit, cum reges efficit ; reges autem efficit, cum Dei, qui maximus est rex, hæredes ; hæredes autem Dei nos constituit, cum sui cohæredes. Neque hæc nostra sunt, sed Hilarii ipsius in Psal. II, n. 43, sic sententiam suam explicantis : *Qui hæredes Dei patris, cohæredes autem Domini nostri Jesu Christi erunt, per id quod æterno Regi cohæredes sunt, id necesse est consequantur ut reges sint.* Atqui Christo de hæreditate et gloria ipsius nihil tum peribit : nihil igitur et de regno ; sed, ut loquitur in Psal. LX, n. 5, *conregnabit ipse qui reges sunt*, cum hac scilicet speciali gloria, quod hi ab ipso habeant ut reges sint. Et tunc *quemadmodum ipse regnans in gloria corporis subjicienti sibi universa subdetur*, ita *nos gloriæ regnantis corporis sui subdemur ; ut in ea simus claritate, qua regnat in corpore : quia corpori ejus conformes erimus.*

210. Itaque cum Hilarius a millenariorum opinione longe sit alienus, cumque regnum Dei, quod sanctis tantum post resurrectionem concedit, gloriam intelligat corporis ; nihil vetat quominus sensisse existimetur, æternam beatitudinem ipsumque Dei conspectum sanctis statim a morte indulgeri. Neque aliud conficitur ex eo quod ait lib. XI de Trin. num. 59 : *Tradet autem Deo Patri regnum, et tunc quos regnum Deo tradiderit, Deum videbunt.* Inde enim non magis sequitur ut non antea viderint, quam cum in Psal. LXV, n. 13, docet Christum tunc sæculo dominaturum cum evacuaverit omnem principatum, non sequitur ut non ante dominatus sit. Idem dicendum de his tract. Psal. LXII, num. 5 : *Hoc animæ desiderium, hæc sitis spei ejus est, ut Dei sibi proveniat adspectus, ut quam primum raptus in nubibus, Deo Christo obviam elevatus appareat.* Imo ut hinc concludatur, verbis *ut Dei sibi proveniat adspectus*, judicii diem notari velut quo optatus sanctis Dei intuitus obveniat ; prius impetrandum est, hæc ad idem tempus pertinere, ad quod subsequentia, ut *quamprimum raptus in nubibus*, etc. Sed et hoc obtento, consignatam habebis diem valde in Scripturis testatam ; qua Dei conspectus universo justorum cœtui concedendus sit : at hanc beatitudinem sanctis singulis quotidie a nobis migrantibus negari indidem non habebis, aut certe qui iniqua agentes ad novissimum judicium appellat, pari jure credendus sit criminum vindictam ad illum diem prorogatam arbitrari. Si vero verborum superiorum ordine rerum ordo significetur ; sanctis ante Dei provenit adspectus, quam Christo ad judicium venienti obviam eant : adeoque ante judicium et in regno Christi faciem Dei contemplantur. Sed de illo Christi regno si quid expiscari distinctius liceat, indagemus.

211. Occurrit 1° in Psalm. II, n. 42 : *Christus regnat in nobis, cum per eum ipsi dominorum in nos jure regnamus.* Quod licet generalius dictum, et ad eos coaptari posse videatur, qui adhuc in carne degant ; quamdiu tamen nobis est non modo adversus spiritales nequitias, sed et adversus carnem et sanguinem assidua colluctatio, quis nos pleno et absoluto dominorum in nos jure regnare concedat ? Quatenus autem hoc justi per Christum obtineant, necdum exploratum.

212. Liquidius nonnihil præ se fert tractatus Psal. CXIX, n. 1, ubi Hilarius nixus apostoli verbis, *Cupio dissolvi et esse cum Christo*, disertis verbis eloquitur, quod justis *consortium Christi mors acquirat.* Neque aliunde quærendum putamus, cur regnum Christi nuncupet tempus illud quod justorum mortem excipit, quam ex illo Christi consortio quod apostolus dissoluto corpore sibi sperat. Ipsum etiam modum, quo justos carne exutos intelligat cum Christo habitare, in Psal. XCI, n. 9, aliis ejusdem apostoli verbis sic explicat : *Oportet autem cognosci quidem quomodo in requiem, quam impii non adibunt, pii et Deo subjecti poterunt introire : necesse est enim spem, quæ malis negata est, bonis relinqui. Sed si Christus Dei requies est, ergo hi, qui in Christo erunt, erunt in Dei requie. In Christo velle esse se Apostolus clamat, dicens : Sequor autem, si apprehendam in quo et apprehensus sum*, etc., et mox concludit : *Ergo per conjunctionem carnis assumptæ sumus in Christo ;* nos quidem interim fide, sancti autem, ut ita dicam, re. *Omnes enim*, inquit et in Psal. XIII, n. 4, *currimus apprehendere in quo apprehensi sumus a Christo, id est, inveniri in ejus corpore quod ex nobis ipse præsumpsit, in quo ante constitutionem mundi a Patre sumus electi, in quo reconciliati ex inimicis, et acquisiti sumus ex perditis, in quo apostolus cum damno universorum optat inveniri dicens, Et omnia arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam, et inveniar in illo.*

213. Quid, quæso, hæc sibi volunt ? Nisi nostra nos fallit opinio, Hilarius Pauli verba, *Cupio dissolvi et esse cum Christo*, ex istis ejusdem apostoli, *Sequor autem si apprehendam in quo et apprehensus sum*, interpretatus, sensit sanctos, carne deposita, carni quam Christus ex nobis assumpsit conjungi, in eaque requiescere donec proprium corpus recipiant : et hanc sanctorum in corpore Christi requiem, regnum Christi nuncupavit. Intellectum hunc confirmat quod in verba Psal. XIV : *Quis requiescet in monte sancto tuo*, sic edisserit n. 5 : *Quid sublimius Christo ? quidve excelsius Deo nostro ? Mons autem ejus est illud, quod ex homine corpus assumpsit, in quo nunc habitat et su-*

blimis et excelsus super omnem principatum et potestatem et omne nomen. Et post pauca : *Si ergo requiei nostræ spes omnis est in Christi corpore, et cum in monte sit quiescendum; montem non aliud possumus intelligere, quam corpus quod suscepit ex nobis. Ad illud enim post habitationem Ecclesiæ scanditur, in illo in Domini sublimitate requiescitur, in illo cum angelorum choris, cum et nos simus Dei civitas, sociabimur.* Illud quippe *quo post habitationem Ecclesiæ scanditur*, nihil aliud intelligere est, quam quo proxime post mortem migrant, qui in Ecclesiæ sinu et charitate obierint. Quam gratiam nobis precantur postrema hæc ejusdem Tractatus verba : *Habitantes in Ecclesia, tandem in gloria corporis Christi quiescamus.*

214. Huc referri potest quod cap. 4 in Matth. n. 3, habet : *Beati mites; quoniam ipsi hæreditabunt terram. Mitibus terræ hæreditatem pollicetur, id est, ejus corporis, quod ipse Dominus assumpsit, habitaculum.* Neque jam obscurum esse debet, quod in Psal. LXII, n. 4, memoratis nonnullis sancti viri virtutibus adjicit : *Non nisi per hæc probati* (qui fuerint), *vel assumpti habebuntur a Christo, vel ei obviam rapientur in nubibus.* Eorum enim, qui probatæ vitæ fuerint, pro diverso tempore quo hinc excesserint, merces diversa ratione enuntiatur : ut si imminente judicio obierint, cum propriis corporibus obviam Christo in nubibus rapiantur; si ante, a Christo assumpti in ejus corpore requiescant. Aut certe (quod eodem redit), sanctorum eorumdem duplex status distinguitur, ut primum post hanc vitam habeantur a Christo assumpti et in ejus corpore requiescant; ac demum judicii die, propriis corporibus receptis, obviam Christo in nubibus rapiantur. Eodem sensu in eodem loco pro diverso illo statu sancti dicuntur *apparentes Filio, vel suscepti a Filio :* puta apparentes Filio, dum ei obviam in nubibus rapiuntur; suscepti autem a Filio, dum in ipsius corpore requiescunt. Hinc in memoriam revocatur, quod supra ex tract. Psal. LIII, n. 10 audivimus, *excedentem e corporis habitaculo animam in susceptione Dei* (vel *Domini*) *requiescere*, hoc est, a Filio susceptam esse, donec recepto corpore in nubibus ei obvia appareat.

215. Hilarius quidem in Psal. LXI, n. 5, necnon in Psal. LVIII, n. 6, et alibi in unum respiciens jus, quod a Christo, ex susceptione carnis nostræ, universis hominibus factum est, ut in glorioso ejusdem corpore habitarent, generatim ait, homines in Christo coexcitatos et a dextris Dei in cœlestibus collocatos esse. At habitationis hujus gloriam eis solis, qui in Christi fide ac dilectione ad mortem usque perseverantes, ab indulto jure non ceciderint, obtingere haud ambigue in Psal. LI, n. 17, declarat his verbis : *Qui enim non manebit in Christo, regni Christi incola non erit. Non erit autem, non quod sibi non patuerit incolatus; universis enim patet ut consortes sint corporis Dei atque regni; quia Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, naturam scilicet in se totius humani generis assumens*, etc. Ex eo quippe loco observare est, 1° unum Hilario et idem esse, *regni Christi* et *corporis Christi* fieri consortem : deinde hoc ab eo inter homines qui in carne degant, et eos qui corpus exuerint, discrimen statui, quod illis ad Christi regnum patens aditus, his in eodem jam incolatus concedatur. Ex quo etiam consequitur, eorum maxime, qui ex hac vita migraverint, proprium esse ut in Christi regno habitent; quamvis alii quoque, ob indultum eis jus patentemque aditum, in corpore et perinde in regno Christi esse interdum prædicentur. Quocirca in Psal. LI, n. 19, Judæos quia a jure illo ceciderunt, et infidelitate sua aditum sibi patentem præcluserunt, *avulsos* vocat non modo *a Christi corpore*, sed et *ex illo beatitudinis regno*. Immo in Psal. CXVIII, lit. 15, n. 12, fideles, qui in peccatis demorantur, a cœlo cadere, eoque cœli peccatores esse ubi affirmavit in hunc modum : *Quisquis cœli doctrinæ et spiritalis gratiæ particeps factus, in peccato demorabitur, non terræ peccator est ille, sed cœli* : hanc dicti sui rationem subjicit : *Omnes enim credentes in se Dominus noster Jesus Christus coexcitavit et collocavit in cœlestibus : ex quibus qui decidet, tamquam cœli peccator arguitur.* Sicut igitur hæredes vocamus filios sive quibus patris obtigerit hæreditas, sive quibus tantum destinata sit; ita et Hilarius in Christi corpore ac regno habitare dixit cum eos quibus hanc gratiam meruit Christus, tum eos quibus illam concessit. At quantum distat inter hæreditatem destinatam, et acquisitam; tantum distare credidit inter homines quibus habitandi in Christi regno potestas facta est, et inter justos quibus *consortium Christi mors acquirat.*

216. An vero sancti illi, quibus nova quadam ratione *consortium Christi mors acquirit*, aliter in Christo habitent, quam quod ei per dilectionem cohærentes in beata corporis illius contemplatione conquiescant, donec propriis corporibus receptis gloriæ corporis illius conformes efficiantur, ut non explicat Hilarius, ita nec definire libet. Aliis etiam definiendum permittimus, utrum eis, præter corporum gloriam, nihil ad beatitudinem deesse senserit. Quanquam quid eis desiderandum, si Deo fruantur? Aut qui eos Deo frui non sensit, quos cum Christo et in Christo esse credidit? Ut enim ratiocinatur Gregorius, lib. IV Dial., c. 25, veritas per se testatur : *Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilæ : quia ubi ipse redemptor noster est corpore, illuc procul dubio colliguntur justorum animæ. Et Paulus : Cupio dissolvi, et esse cum Christo. Qui ergo Christum in cælo esse non dubitat, nec Pauli animam in cælo esse negat.* Hoc certe non negarit Hilarius, qui cum Christum in cœlo esse non dubitet, nihilominus ibi justos, ubi Christus est, post mortem esse affirmat. *Nam cum*, inquit lib. IX de Trin. num. 50, *Pater velit credentes in Filio vitam æternam habere, Filius vult illic ubi ipse sit esse credentes. Nisi forte cohabitare Christo non sit æternitas.* Si autem Christo cohabitare vita æterna est, æterna igitur vita potiuntur qui cum Christo sunt. Atqui ex sententia Hilarii cum Christo sunt, qui in regno ejus sunt : illi

ergo potiuntur vita æterna. Potest et illinc hoc aliud confici argumentum. Qui Christo cohabitant, illic sunt ubi Christus est : atqui Christus est in cœlis : in cœlis itaque sunt qui Christo cohabitant. Porro qui in regno Christi sunt, Christo cohabitant : illi igitur pariter sunt in cœlis.

217. Præterea eos, qui post hanc vitam Christi consortes fieri merentur, faciem Dei intueri in Psal. CXLII, num. 9, non obscure significat his verbis : *Non avertas faciem a me; et similis ero descendentibus in lacum. Lacum pœnalem inferorum locum Scriptura commemorat.... Ergo nisi facies Dei, qui utique Christus est, qui imago Dei invisibilis est, unicuique sancto adfuerit; erit illis similis, qui pœnæ inferni deputati e vita hac sine spe quietis excesserint.* Unde in Psal. CXIX, n. 4 Adam jam gloria donatum dicere non dubitat : *Adam confessus, veniæ reservatus, glorificatus in Christo est.*

218. Aliunde etiam constat, nunquam eam Hilarii sententiam fuisse, ut nulli sancto ante judicium cœlum pateret. Hujus hodieque incolas esse qui in passione Domini resurrexerint, se existimare declarat in Psal. II, n. 26. Neque eum de Domini sui benignitate tam male sensisse crediderim, ut cum in Psal. LXVII, num. 27, narret eum *Virtutibus cœlestibus animisque Sanctorum iter ejus præeuntibus* cœlum conscendisse; Christus beatos illos Sanctorum animos itineris sui comites passus, eos secum in patriam cœlestem recipere dedignatus sit. Immo etiam post Christi in cœlos adscensum, protomartyrem Stephanum eo se recepisse, ac venienti ei a Patre in primoribus cœli occursum esse innuit in Psal. LVIII, num. 6, ut ibi observabitur. Hanc quoque cæterorum Martyrum spem fuisse ut, mactatis corporibus, in cœlum evolarent, sic in Psal. LXV, num. 25, testificatur : *Per hæc igitur genera pœnarum martyres in fidei testimonium corpora sua holocausta voverunt, ut in Dei domum, id est, in cœlestis domicilii habitationem, consummatis hostiarum suarum sacrificiis introirent.* Certe si, ut ait Ambrosius, epist. 29 ad Irenæum, num. 8, *ipse est Dominus Jesus summum bonum;* ægre admodum percipi potest, quomodo ii, quibus *consortium Christi mors acquisivit*, non fruantur summo bono, aut non summe felices sint; maxime ex sententia Hilarii superiore § explicata, qua Christum etiam secundum hominem totum Deum profitetur. Et vero libro x de Trin. n. 54, latronem Christi regni, quod confessus fuerat, sic consortem facit, ut in eo non qualemcumque felicitatem, sed *consummatæ beatitudinis delicias* sit adeptus.

219. Hanc de justorum a nobis migrantium statu disputationem curiosius prosecuti, an eis cœlum continuo donari firma Ecclesiæ traditione demonstrari posset, inquisivimus. Hinc non modica parata erat dissertatio, in qua primo quid de martyribus tum quid de cæteris justis majores nostri senserint, exponebatur. Sed ne præfatio, quæ modum jam excessit, in immensum crescat, et ne extra Hilarii nostri fines excurrere videamur, eam supprimendam duximus. Si qui tamen de fide, qua cœlum a Christo apertum sanctis numquam non patere credimus, adhuc dubitant; ultro hic expendant ipsi momenta præcipua, quibus eamdem in Ecclesia semper viguisse nobis constitit. Et martyres quidem cœlo gaudere græci latinique Patres, si paucos excipias qui millenariorum errore imbuti sunt, magno consensu docent. Immo fidem nostram jam ævo suo receptam probat Irenæi atque Tertulliani labor, ut eam ex animis fidelium extorqueant. Tum sincera martyrum acta relegentes, vix unum reperient Justinum, qui non hac spe passus sit, quod moriens cœlum migraret. Hanc fidem, quam conceptis verbis plerique profitentur, sæpe Deus visis certiorem fecit. Adeo vero publica erat, ut martyres Christi de ea et a judicibus suis interrogatos, et ab ethnicis populis irrisos legamus. Nec leve ejusdem fidei testimonium est pia plebis christianæ consuetudo, qua ad martyres festinare solebant, eosque rogare, ut cum ad Deum in cœlum pervenissent, sui apud eum memores esse dignarentur. Quid eos memoremus qui martyrum acta conscripserunt, cum illos cœlo ac Deo potiri quam plurimi significent, ne unus quidem neget? Denique fidem eamdem olim in publicis Ecclesiæ precibus consignatam non negabit, qui antiquum Ordinem Romanum, aut Missale Gothicum lib. III de Liturgia Gallic. editum, necnon Sacramentarium Gallicanum, quod e ms. ante annos mille exarato tom. I Musæi italici insertum est, aliaque id genus sacræ antiquitatis monumenta consulet. Jam vero cum cœlum non sanguis noster, sed charitas aperiat; eo martyribus aperto, cæteris quoque justis patere facile comprobatur : idque revera Patrum eorumdem auctoritate et iisdem fere argumentis compertum habuimus.

§ VII. DE JUDICIO NOVISSIMO : AN ALIQUOS HILARIUS AB EO EXCLUSERIT.

220. Scripsit non ita pridem vir celeberrimus, Hilarii de judicio novissimo non ferendum esse errorem. Ac licet in quo situs sit ille error, ibi non declaret, antea tamen satis significat hanc censuram suam in id cadere, quod in Psal. I, n. 16, ait : *Cum enim dicit : « Qui credit in me non judicabitur, » excmit judicio fideles; et cum subjecit : « Qui autem non credit jam judicatus est, » non admisit ad judicium infideles;* et num. 17 : *Sed adempto in credentes non credentesque judicio, causam Dominus judicii et auctores in quos judicari necesse esset, adjecit. Sunt enim aliqui inter impios piosque qui medii sint, ex utroque admixti, neutri tamen proprie, quia in idipsum constiterint ex utroque; nec fidei admiscendi, quia sit illis aliquid infidelitatis insertum; nec infidelitati deputandi, quia aliquid habeant et fidei.* Et post pauca : *Hi ergo judicabuntur, qui neque ut pii non judicabuntur, neque jam fuerint ut impii judicati.* Quod rursum in Psal. LVII, n. 7, explicat.

221. Jam olim monuerat Origenes tom. I, edit. Huetii, p. 42, nonnullos his verbis I Psalmi : *Ideo non resur-*

gent impii in judicium, adductos esse, ut impiorum judicium negarent. *Hujus loci*, inquit, *auctoritate freti simpliciores quidam ex fidelibus, negant malos resurrectionis compotes futuros, aut Dei judicio dignandos.* Et in hunc quidem scopulum incidisse videtur Lactantius, lib. VII Div. Instit., c. 20, ubi de judicio extremo scribit : *Nec tamen universi tum a Deo judicabuntur, sed ii tantum qui sunt in Dei religione versati. Nam qui Deum non agnoverunt, quoniam sententia de his in absolutionem ferri non potest, jam judicati damnatique sunt, sanctis litteris contestantibus, non resurrecturos impios in judicium. Judicabuntur ergo qui Deum scierunt, et facinora eorum, id est, mala opera cum bonis collata ponderabuntur : ut si plura et gravia fuerint bona, justificentur ad vitam beatam ; si autem mala superaverint, condemnentur ad pœnam.* An vero in eumdem impegerit Hilarius, nunc expendendum.

222. Observandum est 1° duplex ab Hilario judicium distingui, unum scilicet in consummatione mundi, et alterum post mortem cujusque hominis. Hujus, vel etiam utriusque meminit in Psal. LVII, n. 7, ubi hæc Psalmi ejusdem verba : *Utique est Deus judicans eos in terra*, sic enarrat : *Dicens ergo homo, an fructus sit justo, non ambigitur expectare judicium, justo tamen jam in terris, quia per Angelos in Abrahæ sinum deductus sit, judicato.* Ibi quippe justum jam in terris judicatum hinc probat, quia per Angelos in sinum Abrahæ deductus sit, quod non sine prævio judicio factum est. De altero autem interpretari licet, quod adhuc exspectari prædicat. Neque solum justum, sed et infidelem ante judicium novissimum judicari in eodem loco subinde affirmat in hunc modum : *Cum ergo sanctus non judicandus sit, qui in vitam sit transiturus ex morte, et infidelis jam judicatus ad pœnam sit, intelligitur in eos reliquum esse judicium, qui pro gestorum qualitate inter peccata fidemque medii sint.* Quando autem impius *judicatus ad pœnam sit*, in Psal. II, n. 48, declarat disertis his verbis : *Non morosa hæc ira est, per quam de justa via pereunt : ne quis sibi interim in pœnæ lucro inter moras judicii blandiatur. In brevi namque exardescit ira. Excipit enim nos statim ultor infernus : et decedentes de corpore, si ita vixerimus, confestim de via recta perimus. Testes nobis evangelicus dives et pauper, quorum unum Angeli in sedibus beatorum et in Abrahæ sinu locaverunt, alium statim pœnæ regio suscepit. Adeo autem statim pœna mortuum excepit, ut etiam fratres ejus adhuc in supernis manerent. Nihil illic dilationis aut moræ est. Judicii enim dies vel beatitudinis retributio est æterna, vel pœnæ : tempus vero mortis habet interim unumquemque suis legibus, dum ad judicium unumquemque aut Abraham reservat, aut pœna.* Hunc locum ex solido describere non piguit, quo confirmetur quod superiori § diximus, nihil vetare quominus Hilarius sanctos ante judicium cœlo donatos sensisse existimetur, quamvis in Psal. CXX, n. 16 scribat, eos *ad introitum regni cœlestis per custodiam Domini reservari.* Impios enim pariter ad judicium reservari docet, quos nihilominus inferno ultore interim excipi ac puniri profitetur.

223. Deinde hoc eodem loco instituta quæstio nostra non mediocriter illustratur. Quid enim est, *Interim unumquemque ad judicium aut Abraham reservat, aut pœna?* Nonne hoc unum, et fideles nimirum, qui in Abrahæ sinu locati sunt, et impios, quos infernus ultor suscepit, novissima die de integro coram summo judice sistendos? Immo etiam hoc ipse in Psal. LV, n. 7, plane affirmavit in hunc modum : *Cum omnis caro redempta in Christo sit ut resurgat, et omnem assistere ante tribunal ejus necesse sit ; non tamen omnibus gloria et honor est promiscuus resurgendi.* Quo- circa lib. III de Trin. n. 16, verba Christi : *Clarifica me*, sic exponit ; *Hæc carnis deprecatio est, in qua eum judicii die compunctum et de cruce recognitum universi videbunt.*

224. Sicut igitur ab eo errore, quo simpliciores nonnulli malos resurrectionis compotes futuros negarunt, absolvitur Hilarius, cum omnem carnem resurrecturam affirmat ; ita et cum omnem ante tribunal Christi sistendam significat, non est implicandus cum iisdem, qui rursum malos Dei judicio non dignandos existimarunt. Quorsum enim omnis caro pro Christi tribunali sistenda, nisi ut ipsius sententiam excipiat? Hoc Hilario ita persuasum, ut de justis et impiis, quos interim ad judicium aut Abraham reservat aut pœna, loco memorato asserat, *Judicii dies beatitudinis retributio est æterna, vel pœnæ.* Quomodo porro pœnæ vel beatitudinis retributio est, nisi per sententiam condemnantis aut remunerantis? Itaque in illa die ut justos ita et iniquos sensit judicandos esse.

225. Præterea si quid ex tract. Psalmi conficitur, dicendus est non iniquos tantum, verum etiam sanctos a novissimo judicio removisse. Atqui liquet eum sanctorum neminem ab extremo judicio existimasse immunem : nam in Psal. CXVIII, lit. 3, n. 12, ne ipsam quidem excipit Dei matrem, quam tamen cæteris hominibus sanctitatis merito præcellentem satis innuit dum ait : *Si in severitatem judicii capax illa Dei Virgo ventura est, desiderare quis audebit a Deo judicari?* Perperam igitur concluditur ex tractatu I psalmi, Hilarium impios non opinatum esse judicandos. Et vero aliud omnino sonat quod cap. 5 in Matth. n. 12, scribit : *Si gentibus idcirco indulgetur æternitas, ut mox igni judicii destinentur*, etc. Deum enim legimus reddendam infidelibus æternam corporum substantiam, non ut continuo ardeant, sed *ut mox destinentur igni* ; nondum dictam, sed mox dicendam intelligimus sententiam supremi Judicis : quam insuper notat verbum subsequens, quo eos non simpliciter igni, sed *igni judicii* tradendos esse declaratur. Huc facit, quod in Psal. II, num. 44, infideles impœnitentesque Judæos a Ninivitis et regina Austri, generatimque a sanctis criminosos quosque judicandos asserit.

226. Quid igitur sibi vult, quod eos alias judicandos negat? Ut hæc componantur, verbi *judicio* du-

plex vis est distinguenda. Nam cum actum judicis sonet, spectari tamen potest judex aut ut sententiam dicens, aut ut ea de quibus sententiam dicturus est examinans. Si priore sensu hoc verbum accipias, fatetur Hilarius impios judicandos : si posteriore, negat. Sin hanc distinctionem respueris, eamdem verborum pugnam non modo in diversis locis offendes, sed et in hoc ipso lib. VI de Trin., n. 1 : *Judicaturus ipse de omnibus, et pro majestatis suæ misericordia pœnæ meritum ignoranti moderaturus errori, negantes se non judicabit utique, sed negabit.* Nam, secundum hæc, *Dominus judicaturus de omnibus*, neque tamen de omnibus est judicaturus, sed *negantes se non judicabit.*

227. Cur autem pios et impios non judicandos priore intellectu dixerit, ipse in Psal. I, num 17, declarat : *Quid enim necesse est judicare credentem? Judicium enim ex ambiguis existit : et ambiguitate adempta, judicii non desideratur examen. Ex quo ne infideles quidem necesse est judicari ; quia ambiguitas quin infideles sint non resedit :* et hoc quidem, inquit ad rem nostram cum Hilario prorsus concinens Paulinus poem. 7 :

Quoniam imminentem præferent mortis notam
Signum salutis non gerentes frontibus.

Quod non ita dictum est, quasi Deo quidquam obscurum sit. Non in Deum, sed in judicandos, aut etiam in eos, qui judicio assistent, cadit illa ambiguitas : ideoque tantum, ut cum Origene loquamur, fiet illa disquisitio, *ut eorum quæ a nobis acta sunt conscii, cur pœna vel honore afficimur, perspectum habeamus* (*Orig. edit. Huet. t.* I, *p.* 546). Neque longa erit : *Volens enim Deus*, ut ibidem docet idem Origenes, *quæcumque totius temporis decursu acta sunt, in omnium memoriam revocare, ut rerum a se bene vel male gestarum quisque conscius sit, id virtute ineffabili efficiet.* Tum ubi cuique perspecta erunt a se bene vel male gesta, iniquorum infidelitatem, incuriam et impœnitentiam judicabit condemnabitque collata eis bonorum fides, charitas et pœnitentia. Hac ratione Hilarius in Psal. II, num. 44, explicat quo pacto bonis ut terræ judices sint concedetur. Qua in re non minus a Lactantio dissidet, quam cum et malos resurrecturos et in judicium (*hoc est, ut judicentur*) resurrecturos docet.

228. Hanc illius de judicio novissimo doctrinam haud parum illustrat istud Paulini Nol. poem. 7 :

Idcirco tali dividentur ordine
Hominum per orbem dissipatorum greges,
Ut judicandi non resurgant impii,
Qui denegarunt debitum cultum Deo,
Sed puniendi : nam suum crimen videns
Non indigebit quæstione detegi,
Quoniam imminentem præferent mortis notam
Signum salutis non gerentes frontibus.
Peccator autem, et non impius tamen,
Quæ magna turba est, non resurget gloriæ,
Verum resurget deputanda examini :
Nec enim sedere cum piis judex potest
Causas suorum redditurus actuum,
Varieque gestis aut probandus, aut reus.

Itaque ut Hilarii de extremo judicio sententiam A paucis complectamur, triplex hominum status est distinguendus : justorum scilicet, qui statim a morte sua beatitudine donantur; impiorum, quos ex hac vita excedentes infernus ultor excipit; et eorum, qui inter utrosque medii, sortis suæ incerti ad judicium usque permanent. Assistent omnes pro tribunali Christi, justi quidem et impii, ut eis æterna vel beatitudinis vel pœnæ retributio confirmetur : at de iis, qui in medio statu versantur, proprie erit judicium, cum quæstione nimirum et examine. Hac sententia probe intellecta, explicari commodius potest, quod Cæsarius apud Augustinum (in Append. Serm. 77, num. 4, habet : *Ad judicium enim non veniunt, nec pagani, nec hæretici, nec Judæi : quia de ipsis scriptum est, Qui non credit, jam judicatus est.* Nec aliud fere sonat, B quod nominatim de hæreticis Firmilianus apud Cyprianum, epist. 75, loquitur : *Quos omnes manifestum est a semetipsis damnatos esse, et ante diem judicii inexcusabilem sententiam adversus semetipsos dixisse.*

229. Ad eamdem opinionem referendum videtur quod ait Cyprianus ep. 52 ad Antonianum : *Aliud est ad veniam stare, aliud ad gloriam pervenire; aliud missum in carcerem non exire inde donec solvat novissimum quadrantem, aliud statim fidei et virtutis accipere mercedem; aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emundari et purgari diu igne, aliud peccata omnia passione purgasse; aliud denique pendere in diem judicii ad sententiam Domini, aliud statim a Domino coronari.* In editis quidem legitur *pendere in die judicii* : Sed cum conjectaremus legendum esse *in diem*, con- C sulto Germanensi optimæ notæ ms. conjectura nostra confirmata est. Adeoque Cyprianus eo loco distinguit eos, qui cum non sint ita boni, ut coronari statim mereantur, pendent incerti usque in diem judicii (non ut censet Pamelius, particularis, sed generalis), donec sententia Domini pœnis aut præmiis æternis digni pronuntientur. Sic ad mentem Hilarii nitide explicantur Cypriani verba, in quibus illustrandis multi eruditi desudarunt. Hinc nullum fere dubium, quin ea non satis intellexerint, qui Cyprianum toto loco a nobis allato de solis pœnitentibus, quorum statum cum martyrum conditione conferat, locutum esse volunt. Loquitur quidem de pœnitentibus sub primis illis verbis, *Aliud est ad veniam stare* : iisque ostendit longe alio loco eos ab Ecclesia haberi, qui in D criminibus, aut qui in sanctitate vitam degerunt; adeoque peccatis per pœnitentiam habenas non laxari. Deinceps vero probat non aliter ea in re Ecclesiam se gerere, quam Dominus ipse post exactam vitam nostram sese erga nos gerit, cum aliis statim fidei et virtutis mercedem largitur, alios in carcerem mittit donec reddant novissimum quadrantem; alios, qui peccata omnia passione purgarunt, statim coronat, alios, quibus multa restant emundanda, diutino igne purgat et emundat. Hinc non frustra censuit Pamelius cum aliis bene multis, Ecclesiæ de igne purgatorio fidem eo Cypriani loco approbari. Eamdem non minus confirmant, quæ alii Patres de igne judicii tradiderunt : de quo nobis disserendum.

§ VIII. — DE IGNE JUDICII.

230. Existunt variæ de igne judicii quæstiones : 1° an eum Hilarius aliique Patres omnibus omnino subeundum senserint, 2° unde hoc senserint, 3° an crediderint sanctos ab eo pœnæ quidquam passuros, 4° an illum ignem opinati sint alium ab eo fore, quo diabolus cum suis in æternum est cruciandus, postremo an ex eorumdem opinione nemo ante judicium ejus pœna affligatur. Singulæ paucis sunt perstringendæ.

231. Ignem judicii omnibus subeundum se existimare satis indicat Hilarius in Psal. CXVIII, lit. 3, num. 12, ubi ait : *An cum ex omni otioso verbo rationem simus præstituri, diem judicii concupiscemus, in quo nobis est ille indefessus ignis subeundus, in quo subeunda sunt gravia illa expiandæ a peccatis animæ supplicia? Beatæ Mariæ animam gladius* (flammeus) *pertransibit, ut revelentur multorum cordium cogitationes : si in judicii severitatem capax illa Dei Virgo ventura est, desiderare quis audebit a Deo judicari?* quasi diceret : Si ab hoc igne ne sanctissima quidem Dei mater futura est immunis; quis ab eo se immunem fore præfidat? Cum Hilario consentiunt Origenes homil. 6 in Exod. et in Psal. XXXVI homil. 3 : Lactantius lib. VII, cap. 21 : Ambrosius in Psal. CXVIII, serm. 5, num. 14 : Paulinus Nol. epist. 28, n. 2, et Poem. 7; Cæsarius Arelat. in appendice Serm. Augustini 104, num. 4 et 8; Eligius Noviom. homil. 8. Ea demum opinio ita apud veteres recepta fuit, ut Ambrosius in Psal. CXVIII, serm. 20, num. 12, de sancto Joanne evangelista scribat : *De morte ejus aliqui dubitaverunt : de transitu per ignem dubitare non possumus.*

232. Illi in hanc opinionem abiere, adducti tum ex verbis Pauli I Cor., III, 13 : *Uniuscujusque opus quale sit ignis probabit*, tum maxime ex loco Gen. III, 24, in quo Deus, Adam et Eva e paradiso ejectis, in introitu ejus Cherubim cum gladio flammeo collocasse legitur. Unde nemini ad paradisum viam esse arbitrati sunt, nisi per flammeum illum gladium. Hoc certe non obscure innuit Ambrosius his laudati sermonis 5 verbis : *Est etiam baptismum in paradisi vestibulo, quod antea non erat; sed postea quam peccator exclusus est, cœpit esse romphæa ignea quam posuit Deus :* et serm. 20, in eumdem Psal. CXVIII, num. 14 : *Illo igitur igneo gladio iniquitas exuretur.* Quocirca Tertullianus Apologet. n. 47, paradisum definit, *locum amœnitatis recipiendis sanctorum spiritibus destinatum, maceria quadam igneæ illius zonæ a notitia orbis communis segregatum.* Huc spectat illud ejusdem lib. de Anima, num. 55 : *Nullis romphæa paradisi janitrix cedit, nisi qui in Christo decesserint.* Porro Hilarius cum quod Mariæ prædixit Simeon, *Animam tuam pertransibit gladius*, de flammeo illo gladio pertranseundo interpretaretur; inde, ob præconceptam de ejusdem Virginis præ cunctis hominibus merito ac sanctitate opinionem, non male conclusit nemini non timendum judicium, ac neminem quantalibet sanctitate præditum a gladii flammei probatione immunem fore.

233. At sicut omnes igne judicii probandos, ita non omnes ejus vim pariter sensuros esse, magno consensu prædicant : Lactantius, lib. VII, cap. 21 : *Quos autem plena et perfecta justitia incoxerit, ignem illum non sentient :* Origenes, hom. 5 in Psal. XXXVI : *Omnes nos ad illum ignem venire necesse est. Etiamsi Paulus sit aliquis vel Petrus, venit tamen ad illum ignem : sed illi tales audiunt, Etiamsi per ignem transeas, flamma non aduret te;* Ambrosius dicto sermone 20, num. 13 : *Qui habuerit hic charitatis ignem, illic ignem gladii timere non poterit :* et mox de Petro. *Sed ille*, inquit, *examinabitur ut argentum, ego examinabor ut plumbum.* Quippe, ut loquitur Paulinus epist. 28, viros illos Petri similes ignis *ut commendatos suscipiens blando lambet attactu :* et, ut habet Eligius homil. 8, *tanta facultate illi igni prævalebunt, quanta charitate fidei et dilectionis Christi in vita custodierint præcepta.* Apposite itaque a Gregorio Nazianz. sub initium Or. 26 appellatur *ignis ille postremus, quo nostra omnia expendentur, aut purgabuntur :* utpote qui cum sordes purget, expendat tantum ac probet sanctitatem. Duplicem illam hujus ignis proprietatem tangit Cæsarius in appendice Sermonum Augustini, Ser. 15, n. 4 : *Ut ergo*, inquit, *sanctum Jacob Deus noster velut aurum purgatum in judicio præsentaret, prius ab illo omnes maculas peccatorum abstersit; ut in eo ignis ille arbiter quod exureret invenire non posset :* et serm. 104 in eadem appendice num. 8 generatim ait : *Aurum, argentum, lapides pretiosos superædificantes, per ignem illum, de quo dicit Apostolus, Quia in igne Domini revelabitur, absque ulla violatione transibunt.*

234. Si autem absque ulla violatione aut mora ignem hunc transibunt, quibus nihil supererit purgandum, sequitur ut quibus plures abstergendæ erunt peccatorum maculæ, acrius vim ejus sentiant, aut etiam in eo detineantur diutius. Hoc præ cæteris docet Eusebii Gallicani homilia, quam Fausti Regiensis esse opinamur. In ea porro legere est : *Quanta fuerit peccati materia, tanta est pertranseundi mora : quantum exegerit culpa, tantum sibi ex homine vindicabit quædam flammæ rationabilis disciplina : et quantum stulta iniquitas gesserit, tantum sapiens pœna desæviet;* quæ verba rursum habes descripta in Appendice Augustini, serm. 252, n. 5.

235. Propter discretionem, qua ignis ille cum peccata puniat, reveretur sanctitatem, cognominatur a Fausto *flamma rationabilis*, et *sapiens pœna;* a Paulino epist. 28, n. 2, ut et in altera appendicis epistola ad Marcellam, *ignis sapiens;* a Cæsario Arelat. laudato serm. 15, *ignis arbiter :* quo nomine rursum donatur a Paulino Nol. poem. 7.

236. Quæ cum ita sint, ex verbis Hilarii, *Si in judicii severitatem capax illa Dei Virgo ventura est*, adversus gloriam ac sanctitatem purissimæ Dei genitricis nihil conficitur. Non enim obscure significat se Scripturæ auctoritate coactum, ut illam in judicio per gladium flammeum pertransituram confiteretur. Ex quo dum concludit, *Desiderare quis audebit a Deo judicari?* innuit neminem beatæ illi Virgini ut sancti-

tate, ita et privilegiis comparandum esse. At quæ ex lege communi per flammam pertransibit, tanto pertransibit gloriosius, quanto magis illæsa pertransibit. Si enim, ut loquitur Faustus homilia laudata, *illuc justi velut per amœnos gurgites, incendiis naturam suam mutantibus, transmeabunt, et intacta ignibus corpora ipsis honorificanda erunt pœnis, quia non sunt onerata peccatis;* quanto magis hoc de beata Virgine Hilarium sensisse existimandum est? Quod enim ipse crediderit, hominem ad eam innocentiam pervenire posse, ut ei ab illo igne nihil timendum sit, liquet ex eodem Tractatu lit. 3, n. 13, ubi notans Prophetam non judicium desiderare, sed concupiscere desiderare; desiderii hujus ratio in quo sita sit, sic explicat: *Scilicet ut in tanta innocentia maneat, ut tuto jam et sine metu judicii terrorem desideret.* Hæc observasse interat, ut piissimus Præsul intemeratæ Virginis honorem illibatum voluisse ostenderetur.

237. Minoris momenti est scire, utrum eodem igne, quo cruciandi sunt reprobi, expiandæ sint peccatorum reliquiæ. Diversum eum fore disertis verbis docet Faustus homilia laudata. Neque minus perspicua sunt hæc Ambrosii in Psal. CXVIII, serm. 3, verba: *Alius est iste ignis, quo exuruntur peccata non voluntaria, sed fortuita, quem paravit servis suis Dominus Jesus, ut eos ab ista commoratione, quæ permixta est mortuis, emundet: alius iste ignis, quem deputavit diabolo et angelis ejus.* Unde cum Hilarius judicii ignem *ignem indefessum* nuncupat, non tam ignis hujus æternitatem spectasse intelligendus est, quam naturam, qua vis ejus vel longo urendi ministerio minime debilitatur. Tertullianus vero Apologet., n. 48, de judicio agens *jugis ignis*, *ignis æterni*, et *jugis judicii* meminit: sed ibi in solos reprobos respicit.

238. Restat de expiatoriis pœnis ante judicium quæstio cæteris non levior, quæque ab Augustini ævo suos jam adversarios patiebatur; quibus ille respondet lib. XXI de Civit. Dei, c. 16: *Quisquis igitur cupit pœnas evadere sempiternas, non solum baptizetur, verum etiam justificetur in Christo; ac sic vere transeat a diabolo ad Christum. Purgatorias autem pœnas nullas futuras opinetur, nisi* (proxime) *ante illud ultimum tremendumque judicium.* Ipse autem, cum hanc eis opinionem liberam utcumque permittat, sese aliter sentire postea non dissimulat. Jam etiam nonnihil confectum est, unde Hilarii ea de re sententia explicetur. Ab eo quippe audivimus, unumquemque statim a morte judicari, ac præter omnino bonos aut omnino malos, quoddam distingui hominum genus inter utrosque medium. Singulis etiam sortem attribuit diversam: ut cum ex ipsius opinione impios statim excipiat ultor infernus, justis autem consortium Christi mors acquirat, eorum qui medii sunt judicium ad Domini diem reservetur; non quod ignoret Deus quid mereantur, sed quod altiori consilio illis non revelandum censeat. Jam vero quis neget vel ex hac Hilarii opinione consequi, ut medius ille status non leves pœnas patiatur? An levis pœna est animæ ad fruendum Deo creatæ, a consortio Christi, A quo mediante Deo potimur, retardari? Quid de illa anxietate dicam, qua interim medius ille status cruciatur, donec utrum amore an odio, pœnis inferni an cœli gaudiis dignus sit, novissimo judicio accipiat?

239. Si præterea perpendatur quod in Psal. CXXXVIII, n. 22, ait: *Humanæ ista lex est necessitatis, ut consepultis corporibus animæ ad inferos descendant;* conficietur primo, eum ab hac lege immunem sensisse neminem, maxime ubi adjecta fuerint subnexa: *quam descensionem Dominus ad consummationem veri hominis non recusavit.* Deinde facile intelligetur, ideo huic legi, quam Christus implevit ut verum hominem sese per omnia demonstraret, cæteros homines ab Hilario dici necessario obnoxios, quia omnes post mortem per ignem sunt probandi utrum Christi regno digni B sint; quemadmodum omnes omnino in die judicii, corporibus receptis, per ignem sunt transituri, antequam ad regnum Dei Patris pervehantur. Hoc concesso, non inficiandum est eos, in quibus ignis ille multa concremanda repererit, tam diu in inferis detineri et cruciari, quam diu purganda eis fuerit aliqua peccatorum macula.

240. Ne vero cuiquam ab Hilario aliena videatur hæc nostra interpretatio; Origenis, ipsi (ut notum est) familiaris, subjicienda sunt verba, quibus aperte adstruitur, quod apud illum minus explicatum est. Porro Commentariis in I Reg. XVIII, edit. Huet. pag. 36, tradit hinc longe feliciorem esse nostram, quam eorum qui ante Christum vixerunt, conditionem, quod nulli eorum, non Abrahæ, non patriarchis, non prophetis datum sit eo ubi lignum vitæ erat C prætergredi. *Nos vero*, inquit, *qui in sæculorum consummationem advenimus, habemus quid eximium ultra cæteros. Quid illud est? Si ex hac vita excesserimus boni et probi, non una nobiscum peccatorum sarcinis conductis, pertransibimus flammeum gladium, nec in locum illum, in quo, qui ante ejus adventum quieverant, Christum exspectabant, deveniemus. Pertransibimus nullo nobis a flammeo illo gladio damno illato. Uniuscujusque vero quale opus sit, ignis ipse probabit. Si alicujus opus combustum fuerit, dammum contrahet, ipse vero salvabitur sic quasi per ignem. Pertransibimus ergo*, etc. Quid clarius? Christianis ante judicium concessum est ad paradisum pervenire: eo tamen nemo pervenit nisi per gladium flammeum. Sed per D ignem illum alii pertranseunt illæsi, aliis damnum infertur.

241. Piaculares quoque flammas probat Tertullianus ad calcem libri de Anima. Ubi enim ostendit æquum esse, ut cum anima in bene aut male actis primas habeat, prima etiam, nondum recepta carne, aut plectatur aut recreetur; tandem concludit: *In summa cum carcerem illum, quem Evangelium demonstrat, inferos intelligamus; et novissimum quadrantem, modicum quodque delictum mora resurrectionis illic luendum interpretemur: nemo dubitabit animam aliquid pensare penes inferos, salva resurrectionis plenitudine per carnem quoque.* Hinc confirmatur quod superiore § observatum est in hæc Cypriani verba:

Aliud missum in carcerem non exire inde donec solvat novissimum quadrantem, aliud statim fidei et virtutis accipere mercedem; aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emundari et purgari diu igne, etc. ea nimirum non de pœnitentibus vivis, sed de fidelibus defunctis, quibus aut nihil, aut aliquid purgandum superest, dicta esse. Aliorum Patrum ea de re sententias consulto præterimus. Non enim tam animus est Ecclesiæ de purgatoriis pœnis fidem probare, quam illustrare Hilarii sententiam, eamque huic fidei consentaneam demonstrare.

§ IX. — AN HILARIUM FUGERIT RERUM SPIRITALIUM NOTITIA. QUID DE GRATIA SENSERIT.

242. Jam notavimus Hilarium a Claudiano Mamerto, lib. III de Statu animæ c. 9, reprehensum, quod nihil creatum incorporeum dixisset. Censuræ huic locum præbuere verba cap. 5 in Matth., n. 8: *Nihil est, quod non in substantia sua et creatione corporeum sit: et omnium sive in cœlo sive in terra, sive visibilium sive invisibilium elementa formata sunt. Nam et animarum species sive obtinentium corpora, sive corporibus exulantium, corpoream tamen naturæ suæ substantiam sortiuntur; quia omne quod creatum est, in aliquo sit necesse est.* Et quidem si soli in Matthæum Commentarii superessent, facile daremus illum consensisse cum Methodio apud Photium in fine cod. 234, Cassiano coll. 7, c. 13; Theophilo Alexandrino contra Anthropomorphitas apud Gennadium, ac denique Gennadio apud Augustinum de dogmatibus eccles., c. 11; qui omnes Deum solum incorporeum, cæteras vero naturas corporeas pronuntiant. At cum aliis in scriptis alias a divina naturas spiritales disertis verbis ac pluribus locis adstruat, iniquum est ex uno obscuro de vera illius sententia dijudicare. Nihilo tamen minus vix reperire est, qui Claudiani censuram emendet, nec Hilarium inter eos recenseat, qui corpoream hominis animam tradiderunt. Immo non satis claram ei fuisse rerum spiritalium notitiam nuperrime scriptum est: rectene, nunc videamus.

243. Tres tantum in rerum natura cognoscimus substantias spiritales, Deum, Angelos, hominem secundum animam. Et de Deo quidem quantam scientiam adeptus sit, testes fere sunt singulæ Operum ipsius paginæ. Quis enim de eo altius sentit, quis loquitur magnificentius? Sed et de Angelis tam multa tradit, ut vix etiamnum de iis quidquam sciatur, quod ille non clare docuerit. Sive enim eorum naturam, sive officia, sive gloriam spectemus: quam perspicua illius de singulis doctrina! Non enim eos tantum dicit *naturæ* nostra *potioris*, sed et aperte prædicat *spiritales*, *incorporales*, et ex natura sua immortales quippe qui *ex ea quam adepti sunt naturæ suæ sorte, ut sint semper accipiant* (1).

244. Quod ad ipsorum officia attinet, cum alia erga Deum, alia erga homines obeant; de utroque illo genere multa præclare sic edisserit, ut se eos incorporeos sensisse palam faciat. Certe licet quosdam *tamquam lege proprioris officii* id privilegii obtinere testetur, ut throno Dei assistant; omnes tamen repræsentat velut ex communi conditionis suæ sorte *assistentes ante claritatem Dei, throno Dei assistentes*, et *continuata voce in Dei laudibus permanentes*. Et cum eos in cœlis throno Dei semper assistere, ac beata illius visione nunquam non gaudere, propterea que *deos in cœlo* nuncupari sentiat (*In Ps.* CXVIII, *lit.* 6, *n.* 8; *in Ps.* CXXIX, *n.* 7; *in* CXXXVI, *n.* 11; *in* 132, *n.* 17); eosdem tamen ob ea, quæ Deus per illos in terris agit, hic vocat *æternas beatasque virtutes*, illic *divinorum ministeriorum auxilia*, isthic *oculos, aures, manus ac pedes Dei*. Sed ne id in contumeliam Dei cedat, prudens subjicit, *Intercessione itaque horum non natura Dei eget, sed infirmitas nostra*. Neque silet quot modis infirmitati nostræ opitulentur; et dum quoddam recenset obsequii genus, seu, ut vocat, *justificationem circa Angelos*, eos propter impensa beneficia nonnullo a nobis cultu honorandos innuit. Sed his non multum immoramur. Obiter etiam notamus qui gloriam ipsis extra operis mercedem concessam declaret. *Lilia*, inquit, *non laborantia neque nentia significari intelligenda sunt Angelorum cœlestium claritates, quibus extra humanæ scientiæ eruditionem suique operis mercedem a Deo gloriæ candor indultus est: ne quid ex proprio labore aut arte existimarentur habuisse.* Jam vero quis consentiat, hanc Hilario aut carnalem aut minus claram fuisse angelicæ naturæ cognitionem, qua illos in cœlo simul et in terra, hominibus opem ferentes assistentesque Deo constituit (*In Psal.* CXXXVII, *n.* 5; *in Psal.* CXX, *n.* 7; *in Psal.* CXVIII, *lit.* 1, *n.* 12; *c.* 5 *in Matth.*, *n.* 11)?

245. De variis Angelorum ordinibus nihil veniret observandum nisi Cotelerius in lib. VIII Constit. Apost. pag. 512 notasset, in his Hilarii lib. II de Trin., n° 9: *Archangeli nesciunt, Angeli non audierunt, sæcula non tenent*, sæculorum nomine novum Angelorum ordinem designari. At opinioni illius assentiri prohibemur 1°, quod cum Hilarius sæpissime varios Angelorum enumeret ordines, nusquam inter eos sæcula cognominet. Deinde Commentariis in Psalmos sæpe ei enarrandum occurrit sæculi nomen: sed ne in uno quidem loco interpretationem ad Angelos deflectit. Immo in Psal. LXV, n. 12 et 13 vim vocis αἰών data opera expendens, hac nescit quidquam nisi determinatum tempus significari. Quod indicio est, eum Græcorum quorumdam æonas aut ignorasse aut respuisse: ut revera lib. VI de Trin., n. 9, respuit Valentini æonas, quos ibi *æternitates*, non *sæcula* nuncupat. Postremo sæcula alias etiam memorat, sed ne vel semel hoc nomine Angelos intelligit. Nisi forte cum in eo ipso lib. II, n. 13, ait, *Transeuntur tempora, transmittuntur sæcula, tolluntur ætates;* et mox, *Meus autem piscator illitteratus, indoctus, liber a tempore, solutus a sæculis est, vicit omne principium;* et lib. VI, n. 37: *Sacramentum occultum a sæculis per revelationem* (Petrus) *didicit*; sæcula Angelos dixerit,

(1) *In Psal.* CXXXVII, *n.* 5, *cap.* 5, *in Matth. n.* 11, Angelos spiritales et incorporeos sensit.

non tempora. Itaque quod a Prophetis simplicius, *a sæculo non est auditum*, id allato loco, *sæcula non tenent*, eleganter ab Hilario dici arbitramur.

246. Si a bonis ad pravos angelos veniamus, amplus erit locus suspiciendi quam multiplex fuerit illius de eorum malitia, potestate, artibus, ac tormentis scientia. An vero natura eorum spiritalis sit, incertum eum fuisse quis suspicetur; cum non modo audierit eos passim *spiritales nequitias* nuncupari, sed et in Psal. CXVIII, lit. 1, n. 8, legerit, diabolum *puncto temporis omnem amplitudinem mundi hujus obire*, quo habeat unde nos accuset? Cui enim naturæ tanta pernicitas, nisi spiritali? Quodlibet corpus in partes quas cogitare valeas subtilissimas atque mobilissimas comminue : sane nunquam ei dabis, ut omnem mundi hujus amplitudinem puncto temporis obeat. Hanc tamen Hilarius diabolo concedit potestatem, quamvis ejus vires adventu Domini obtritas et confractas esse fateatur. Sic enim eum post judicium gravioribus suppliciis addicendum docet, *ut* etiam *nunc virtute Dei tactus fumet, licet nondum totus uratur* (*in Psal.* CXLIII, *n.* 11). Quæ similitudo ducta est ex ligno nondum penitus accenso, in quod ignis suppositus vim suam exserere incipiat, ac fumum jam exprimat.

247. Hæc de angelicis naturis prælibata sufficiant: ex quibus Hilarium non in omnium naturarum spiritalium notitia caligasse non minus liquet, quam constat eum præter Deum aliquid incorporeum asseruisse. Si præterea consulantur tractatus, Psal. LII, n. 7, necnon lit. 10, Psal. CXVIII, n. 6, et Psal. CXXIX, n. 4, 5, et 6, ubi humanam animam non modo *spiritalis* (quod forte dubium omne non solveret), sed et *incorporalis* esse naturæ sæpius repetitur; persuasum erit apud omnes, illum nihil sensisse corporeum, quod corpore vacare cognoscamus. Sed hanc illius de animæ nostræ natura sententiam nonnullis argumentis illustrare et confirmare operæ pretium est.

248. Ac primo quidem sese offert illud lit. 10, Psal. CXVIII, n. 6, quod *homo internam et externam in se naturam dissonantem aliam ab alia contineat, et ex duobus generibus in unum sit animal rationis particeps constitutus.* Qui homo *ex duobus generibus constitutus*, qui *naturam dissonantem aliam ab alia contineat*, si ut corpus, ita animam sortitus est corpoream? Nonne anima, quantumvis subtilis, si tamen corporea cogitetur, unius ejusdemque generis, cujus est corpus, fore dicenda est? Mutabit forte subtilitas speciem, at eam uni generi partes corporeæ subjicient : adeoque homo non duo in se rerum genera, non naturam aliam ab alia dissonantem continebit.

249. Tantum autem inter utramque illam substantiam discrimen perspexit, ut in Psal. LXI, n. 3, innuat, majore miraculo corpus cum anima in homine, quam hominem cum Deo in Christo copulatum esse; et cum primum factum sit, ambigendum non esse, quin fieri potuerit alterum. *Quasi*, inquit adversus philosophos, qui Deo assumpti hominis consortium detrahebant, *difficilius Deo sit assumpsisse hominem, quam eum in tanta naturæ ac vitæ suæ ratione formasse.* Quod perinde est ac si diceret: Quid humanæ divinæque naturæ conjunctionem veluti repugnantem respuitis? certe minus dissident Deus et homo secundum animam, quam anima et corpus. Animæ enim et corporis genus est omnino diversum: at vero quamvis infinitis perfectionum gradibus anima a Deo superetur, non diversum tamen utriusque genus est. Potuit autem corpus cum anima conjungi: potest igitur et Deus cum homine.

250. Nemini non probabitur hæc interpretatio, maxime ubi in eodem loco legerit, *quod veluti insitum impressumque omnibus sit, divinam inesse nobis animarum originem opinari : cum non exiguam in se* COELESTIS GENERIS COGNATIONEM *mens ipsa cognoscat.* Verbum enim *cœlestis* loco *divini* Hilario usitatum esse ibidem (1) aliquot exemplis ostendetur, sicque hic usurpari antecedentia satis declarant. At vero nisi anima nostra spiritus sit, sicut Deus est spiritus; quæ in ea divini generis cognatio, quæ affinitas? Unde sicut illam superius incorpoream aperte docet, cum natura a corpore dissonantem; ita et nunc cum divini generis cognatione præditam tradit, spiritalem eam esse non minus plane significat. Neque enim animabus cœlestis generis cognationem divinamque inesse originem ideo dixit, quod cum Priscillianistis apud Augustinum hær. 70, quamlibet animam opinaretur esse partem Dei, ejusdem naturæ et substantiæ cujus est Deus. Quippe licet Origenes erroris hujus suspicione laborarit, illum tamen se ea in re minime secutum esse ostendit, dum non ex substantia, *ex afflatu Dei* (*c.* 10 *in Matth.*, *n.* 24), et *de thesauris potestatis divinæ* (*in Psal.* LXVII, *n.* 22, *lib.* 10, *de Trin.*, *n.* 20), hoc est, ex una Dei omnipotentia, animam ortum habere et *opus Dei* esse testatur. Mittimus et locos, quibus divisionem in Deum ullo pacto cadere negat. Sed si animam ex substantia Dei non credit, non minus persuasum ei erat illam ex substantia hominis nequaquam posse existere. Nam cum eos, qui Christum ex Virgine carnem simul et animam assumpsisse contendebant, vehementer abhorrens ait: *Quasi vero si tantum ex Virgine assumpsisset corpus, assumpsisset quoque ex eadem et animam; cum anima omnis opus Dei sit, carnis vero generatio semper ex carne sit*; ac subinde certo asseverat, Verbum ex se assumpsisse animam, *quæ utique nunquam ab homine gignentium originibus præbetur*: vix permittit dubitari, quin eam ab homine præberi nullatenus posse censeat. Ex quo evidenter sequitur, ut animam minime corpoream existimarit. Nam qui corpoream existimat, eam quoque dividi, et ad modum carnis propagari, adeoque a parentibus præberi posse concedat necesse est.

251. Sed quid consectaria sectamur; cum ipse in Psal. CXVIII, lit. 10, n. 6, suam de animæ simplicitate et cum divina natura cognatione sententiam plane dilucideque declaret? Ibi quippe Genesis verba,

(1) *In not. ad n.* 12 *tract. Ps.* CXIX.

quæ hominis institutionem narrant, acute expendens, triplicem distinguit Dei operationem ; primam, qua animam solo verbo et post habitum quodam modo de ea condenda consilium creaverit; alteram, qua de accepto pulvere formaverit corpus; postremam, qua utrumque copulaverit. De anima vero cum subjicit : *Primum opus non habet in se assumptæ alterius naturæ originem*, INCORPORALE *est quidquid tum de consilii sententia inchoatur ; fit enim ad imaginem Dei :* diserte significat animam 1° neque divinæ neque alicujus alterius substantiæ partem esse, deinde eam esse incorporalem, demum illam ideo incorporalem credendam esse, quia haud dubie ad imaginem Dei facta sit. Unde perspicuum est, Hilarium animæ cum divina natura cognationem in hoc præsertim existimasse sitam, quod illa, sicuti Deus, incorporalis sit. Quod n° 7 confirmat his verbis : *Divinum in eo* (primo opere) *et* INCORPORALE *condendum, quod secundum imaginem Dei et similitudinem tum fiebat: exemplum scilicet quoddam in nobis imaginis Dei est et similitudinis institutum. Est ergo in hac rationabili et* INCORPORALI *animæ nostræ substantia primum quod ad imaginem Dei factum sit*, etc.

252. Uberius in Psal. CXXIX quatenus homo ad imaginem Dei conditus sit explicat. *Ac primum quidem*, inquit n. 5, *intelligendum est Deum incorporalem esse, neque ex partibus quibusdam atque officiis membrorum, ex quibus unum corpus efficitur, consistere. Legimus enim in Evangelio, quoniam Deus spiritus est, invisibilis scilicet et immensa atque intra se manens et æterna natura.* Ubi observare est id Hilario spiritum non esse, quod non sit expers partium. Prosequitur deinde : *Deus autem, qui et ubique et in omnibus est, totus audit, totus videt, totus efficit, totus incedit . . . Virtus ergo Dei, quæ æqualis et indiscreta est, officiorum ac membrorum habet nomina; ut virtus qua videt, oculi sint, virtus qua audit, aures sint*, etc. Sic porro propugnata simplici, incorporea, spiritalique Dei natura, n. 4, Anthropomorphitis occurrit, qui ob verba Genesis : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, Deum corporeum volunt, quasi homo ad imaginem Dei non esset, si esset Deus incorporeus : respondetque *hominum institutionem naturis duabus contineri, animæ scilicet et corporis; quarum alia spiritalis, alia terrena est ;* eos vero non ex utraque illa sui parte obtinere ut ad imaginem Dei sint, alias Deum pariter ex anima et corpore compositum cogitandum esse. Tum n. 5 ubi animam interiorem hominem et corpus exteriorem ab Apostolo vocari observavit, illi soli id privilegii attribuit, ut Dei in se imaginem exhibeat. Ac tandem n. 6, in quo ipsa Creatorem suum imitetur, exponit his verbis : *Ergo ad imaginem Dei homo interior effectus est rationabilis, mobilis, movens, citus,* INCORPOREUS, *subtilis, æternus. Quantum in se est, speciem naturæ principalis* (divinæ) *imitatur, dum transcurrit, dum circumvolat, et dicto citius nunc ultra Oceanum est, nunc in cœlos evolat, nunc in abyssis est, nunc Orientem Occidentemque perlustrat, dum numquam ut non sit aboletur* (*natura quidem Dei in his omnibus est*), *neque ut alibi adsit, decedit aliunde.*

253. In hoc posteriore loco possent forte isthæc, *mobilis, movens, citius, subtilis*, ad corpoream naturam referri, si sineret intermedia vox *incorporeus.* Neque vero obscurum est animum ideo citum et subtilem dici, quod *dicto citius nunc ultra Oceanum est, nunc in cœlos evolat ;* sicque evolat, *ut cum alibi adsit, non decedat aliunde.* Ita etiam respectu voluntatis, quæ lib. VIII, de Trin., n. 12, *motus mentis* definitur, commode intelligitur *movens* et *mobilis* animus. Quamquam neque poterit harum vocum ambiguitate decipi, qui proxime in eodem loco legerit : *Anima humana in hac sensus sui mobilitate ad imaginem Opificis sui facta est : dum naturam Dei mobilitas animæ perennis imitatur,* NIHIL *in se habet* CORPORALE, *nihil terrenum, nihil grave, nihil caducum.* Nam cum quisque animum, propter voluntatis motum, mobilem dici posse sciat; sic eum præterea hic cognominari audit propter mobilitatem sensus. Hæc porro mobilitas cum actionem, non levitatem animi sonet; ideone *perennis* ab Hilario dicta est, quod perpetuam esse intelligeret animæ nostræ cogitationem, qua Opificem suum nunquam otiosum, nunquam non operantem imitetur ?

254. Hanc alteram impressæ in animo nostro imaginis Dei notam allato loco memorat, quod nimirum sit *æternus.* Animæ autem æternitatem atque immortalitatem cum et fide et ratione sibi compertam testetur; præter sacrarum litterarum auctoritatem, hanc unam dicti sui rationem affert, quod illam Deus ex mera bonitate sua condiderit, *nec id in bonitatem ejus malitiæ cadat, ut in nobis hoc suum munus quo nascimur interimat. Porro autem*, uti lib. I de Trin., n. 9, loquitur, *non esse hoc dignum Deo ratio ipsa suadebat*, scilicet ut quod fecit aboleret, argumentum sane validum et efficax homini, qui animam incorpoream nullisque partibus constantem pro certo ponat, quique inde eam a nulla vi creata dividi aut interimi, sed ab uno tantum Deo ut institui, ita et destrui posse conficiat. Secus, immortales quoque bestias esse eodem argumento concluderetur.

255. Adeo autem Hilario persuasum erat, animam simplicem, individuam ac partium expertem esse, ut in Psal. CXVIII, lit. 19, n. 8 et 9, declaraturus quomodo Deus incorporalis *totus ubicumque est* et *non pro parte usquam est, sed in omnibus omnis est*, velut magis nota magisque familiari utatur comparatione animæ humanæ, quæ in membris omnibus tota, tota adest singulis, iisque præcisis ipsa præcidi nescit. *Ubique est Deus modo animæ corporalis, quæ in membris diffusa, singulis quibusque partibus non abest. Etiamsi privata quædam ei et regia in toto corpore sedes est, tamen in medullis, digitis, artubus infunditur*, etc. Hactenus quidem hoc loco obtinuerat *modo animæ incorporalis :* sed ex mss. præferendum duximus *corporalis.* Neque vero obscurum est cur anima hic corporalis dicatur. Nam cum angelos spectare liceat velut animas a corpore liberas, vel certe quæque anima humana aut corpori devincta sit aut soluta ; *nec*

anima corpore soluta, nec angeli idonei essent, qui Dei valde simplicis majestatem ubique præsentem illustrarent. Ad hoc autem percipiendum unice conducit animæ etsi ex natura simplicis, in singulis tamen corporis sui membris præsentis cognitio. Unde planum est animam hic corporalem dici propter habitudinem ad corpus cui unita sit atque sociata.

256. Ita et qui vocis *corpus* multiplicem vim apud antiquos et apud ipsummet Hilarium receptam expendet, verbis ipsius in Matthæum non movebitur, ut eum ibi animarum naturam corpoream sensisse existimet, quas pluribus in locis spiritales, incorporales et partium expertes esse tam disertis verbis asserit. Quam autem variis modis corporeum, quid intelligi queat, ipso cap. 5. in Matth. exponetur. Sed quod Hilarius ad calcem lib. VIII. de Trin. et initio lib. IX. de corporali in Christo divinitatis habitatione edisserit, non parum conferet ad difficilis hujus loci intelligentiam. Cum enim ibi corporalem divinitatem interpretetur, quæ, una, vera, plena ac tota sit; (*Divinitas*, inquit, lib. VIII, n. 56, *corporalis in Christo est non ex parte, sed tota; neque portio est, sed plenitudo*) : sic et *corporeum* non pleno, non integro atque perfecto opponere commode intelligitur, cum in Matth. ait: *Nihil est quod non in substantia sua et creatione corporeum sit; et omnium, sive in cœlo sive in terra, sive visibilium sive invisibilium elementa formata sunt : nam et animarum species, sive obtinentium corpora sive corporibus exsulantium, corpoream tamen naturæ suæ substantiam sortiuntur.* Immo mentem suam satis explicat, dum priorem hanc sententiam, *Nihil est quod non corporeum sit*, his aliis verbis repetit, *et omnium elementa formata sunt :* ut illic id *corporeum* sit quod hic *formatum :* formatum autem id dicat, quod non est informe et imperfectum. Ex quo conficietur id Hilarium sibi velle, omnia scilicet Dei opera bona esse atque perfecta, et nulli eorum quidquam deesse, quod ad substantiæ integritatem necessarium sit : indeque illum apposite curiositatem eorum retundere, quibus cum Dei promissis indubitatum esse debuisset, animas cum corporibus in æternum esse victuras, inquirentibus tamen nec assequentibus quomodo victuræ essent, ambigua efficiebantur Dei promissa. Frustra igitur adducitur hic locus, quo corpoream animæ nostræ naturam asseruisse approbetur; cum in eo nec de ipsa animæ natura sermo sit.

257. Levioris momenti est alterum, quod alii notarunt eum præter communem opinionem sapuisse. Quamvis enim ut volunt, et ut verba ipsius in Psal. lit. 10, et in Psal. CXXIX sonant, animam primi hominis aliquo ante corpus intervallo conditam crediderit : id tamen de primo homine opinatus est innoxie, quod de posteris ipsius nec dixit, nec dicere licet; cum hinc Ecclesiæ de originis peccato fides non parum labefactaretur. In hac vero ipse nunquam nutavit. Ac licet de homine passim, maximeque in Psal. CXXXIV, n. 14, magnifice admodum loquatur; ipsum tamen peccato primi hominis a pristino statu suo cecidisse, eoque casu in omne infirmitatum ac miseriarum genus cecidisse nihilo rarius inculcat.

258. Hinc per se exoritur quæstio cæteris jam absolutis non inferior, quid nimirum Hilarius de gratia senserit. Mera sophismata sunt, nec refutationem merentur, quæ Scultetus, pag. 410, reponit, ut ipsius de libero arbitrio, de justificatione et bonorum operum meritis a Bellarmino allata testimonia eludat. Ut enim probet bonorum operum merita interdum ab Hilario excludi; opponit prima ipsius verba, cap. 7 in Matth., n. 2 : *Salus gentium omnis ex fide est*, ac reticet subnexa, *et in præceptis Domini vita est universorum.* Rursum ovare sibi videtur, quod cap. 8, n. 6, legat, *remissum* esse a Christo *quod lex laxare non poterat; fides enim* SOLA *justificat.* Quasi vero hoc Hilarius alio sensu dixerit, quam quo dictum est Rom. III, 28, *justificari hominem per fidem sine operibus legis.* Ubi sane Paulus, uti Augustinus, c. 14 de fide et operibus, n. 21, notat, *non hoc agit, ut percepta ac professa fide opera justitiæ contemnantur, sed ut sciat se quisque posse per fidem justificari, etiamsi legis opera non præcesserint.* Quid autem de fide operibus destituta sentiendum sit Hilarius in Psal. LI, n. 15, luculenter aperit his verbis : *Si quis incredulus nati in corpore Dei fuerit, vel et credens maneat, fructibus tamen fidei suæ careat; eradicabitur aut ob infidelitatem, aut ob sterilitatem fructuum negatorum,* quæ quidem, aliaque hujusmodi plurima qui audierit; Sculteto eum, inconstanti sententia, opera modo commendasse, modo respuisse affirmanti numquam assentietur.

259. Non desunt alii, qui illum gratiæ necessitatem ac naturam non satis nosse affirment. Neque his negandum, eum aliquot in locis videri nonnihil tribuere voluntati, quod gratiæ munus esse Ecclesia deinde docuit. Sed et ipsi fateantur necesse est, 1° generalem humani generis morbum ei minime latuisse, 2° neque incompertam ipsi fuisse medici necessitatem, 3° persuasum ei fuisse et quod (*c. 18 in Matth., n. 10, et cap. 20, n. 7*) gratuita sit justificationis gratia, et quod in justificatis concupiscentia (*in Psal.* CXVIII, *lit.* 15, *n.* 6) remaneat, adeo ut in nullo hic sit (*in Psal.* LII, *n.* 11) perfecta bonitas, in nullo (*in Psal.* CXVIII, *lit.* 3, *n.* 6) perfecta mandatorum custodia, in nullo rectus indeflexusque homo *secundum primi hominis naturam :* 4° eum ad vitam æternam consequendam, ad repellendas tentationes, ad tolerantiam malorum, ad præcepta Dei non solum exsequenda opere, sed et intellectu assequenda, ad intelligendas Scripturas, ad laudandum Deum, ad credendum (*lib.* VIII *de Trin., n.* 50 *et in Psal.* CXVIII, *lit.* 1, *n.* 12) et orandum (*in Psal.* CXLII, *n.* 10) gratiam homini sensisse necessariam. Deinde si dubitant utrum probata perspectaque ei fuerit voluntatis nostræ perversitas et infirmitas, audiant in Psal. CXVIII, lit. 10, n. 18, dicentem : *Ut fidem, ita et humilitatem ac modestiam discere a propheta nos convenit, orante ut sibi immaculatum cor fiat.... Hoc igitur immaculatum fieri deprecatur, unde tot tantorumque vitiorum, quasi ex quodam fomite, initia suggeruntur;* et lit. 17, n. 8 : *Si*

nihil impedimenti usquam occurreret, si adversantes sibi non undique adessent, suis ipse viribus in ea quæ agere vellet confirmaretur. Sed ubi insidiæ sunt, ubi bellum est; opus est potioris auxilio, ne in se dominetur omnis injustitia : legant et his similia lit. 5, n. 6, aliisque locis. Ex quibus planum est, Hilarium non eam tantum gratiam nobis necessariam existimasse quæ intellectum illustret, sed et quæ adjuvet voluntatem. Unde in Psal. CXXVI, n. 13, voluntatis sibi relictæ infirmitati dolorem scientia addi sic explicat : *Cum enim veritatis cognitio voluntatem nostram ad profectum consequendæ utilitatis instiget, et naturæ consuetudo voluntatem scientem se proficere oportere delineat ; profectus scientiæ, profectus doloris est.*

260. Ii ipsi postea audiant cap. 12 in Matth. n. 8 docentem, *Christum invenisse est gratuitum ;* et in Psal. CXVIII, lit. 6, n. 4, adversus humanam insolentiam proponentem ac laudantem Prophetæ exemplum, qui *omnia vult a bonitate Dei in se inchoari ;* de quo et n. 2 scribit : *Misericordiam itaque primum deprecatus est, dehinc salutare. Salus enim nostra ex misericordia Dei est, et bonitatis suæ hoc munus in nobis est : et inde cœpit oratio, unde et salus inchoat deprecantis.* Tum redeant ad illud Tract. Psal. LI, n. 20 : *Stultitiæ atque impietatis extremæ est, non intelligere se sub Deo et ex Deo vivere, sed in his quæ gerit et expectat, sua magis velle confidere potestate ; cum si quid illud in se sit, ex Deo sit. Ad Deum itaque spes omnis nostra sit, et confessio* (an *confisio?*) *omnis in Deo sit.* Dehinc occurret in Ps. CXXIII, n. 2 : *Quis enim relictus est nobis gloriandi locus, recordantibus omnia ex Deo esse ;* et mox : *Si non in omnibus opus est Dei misericordia; etiam omnia nobis tanquam ex nostro sint gloriemur ;* et n. 3 : *Ad hunc habitantem in nobis gaudia nostra referamus, huic si quid in nobis est debeamus, a beato Paulo edocti, nihil nostrum existimandum dicente : Quid enim habes quod non accepisti ?* Inde ad tractatum Psalmi CXXVI progressus, unde bonorum operum initium, unde perseverantia sit, sic disces, n. 5 : *Bene autem inania humani operis Propheta esse opera prophetavit. Scit inutiles esse humanarum custodiarum vigilias, scit in cassum esse consurgentium matutinas sollicitudines... A Deo ergo domus est ædificanda quæ maneat ; quia nisi quæ a Domino ædificata sit non manebit. A Deo civitas est custodienda, ne pereat ; quia nisi a Deo custodita sit civitas, diruetur.*

261. Plurima identidem recurrent hujusmodi exempla. Nunc quippe homines considerat velut allisos et ad lapsum pronos, quibus novus semper casus, nova peccati plaga semper immineat (*in Psal.* CXLIV, *n.* 14 ; *in Psal.* CXLII, *n.* 4). Nunc animam etiam *sancti*, terræ comparat, quæ *sine aqua arida et infecunda est, et irrigari se semper imbre pluviæ cœlestis exspectat* (*in Psal.* CXVIII, *lit.* 6, *n.* 4). Et cum certo sciret, hominem continuo Dei egere auxilio, hancque spei nostræ doctrinam esse crederet, *ut Deus oratus et misereatur et salvet :* aptissime concludit in Psal. LXIII, *n.* 6 : *Vigilandum ergo in oratione Dei est, et semper orandum ; ut cum fatigari anima et affligi subrepentium illecebrarum aculeis cœperit, Deus semper oratus exaudiat ;* et in Psal. CXLIV, n. 14 : *Totis itaque in Deum allisi et cadentes oculis adspectant, neque quisquam ita de se confidat, ut non semper cadere, semper se vereatur allidi.* Denique ex verbis tract. Psal. CXVIII, lit. 14, n. 20 : *Ne quod a multis dici sæpe solet, rationis aliquam habeat auctoritatem, cum asserunt proprium Dei munus esse, ut quis in Dei rebus atque operibus versetur, excusantes infidelitatem suam, quod cessante erga se Dei voluntate maneant infideles*, etc. apparet doctrinam tunc communem fuisse, quæ omnia bona nostra Dei dona esse crederet ; hincque infideles plurimos pertinaciæ suæ excusandæ ansam arripuisse, quod a Deo ut fideles essent necdum essent consecuti. Et eorum quidem improbitatem dum vincere conatur Hilarius, nonnulla habet quæ ad limatioris et accuratioris Theologiæ normam non satis exacta sint. Verum eo loco similibusque si non tam quid sonent verba illius, quam quid iis sibi velit attendamus ; non latebit eum hoc tantum cavere, ne cum Manichæis liberum arbitrium destruere existimetur.

262. Sane in bona voluntate quid a Deo, quid a nobis esset, non satis distinguens, hanc a Deo dari negavit, quatenus hoc donum libertatem tolleret, et inferret necessitatem, uti ipse l. VIII de Trin., n. 12, declarat his verbis : *Non utique* (dedit Deus voluntatem,) *quæ si data esset, non haberet fides præmium, cum fidem nobis necessitas affixæ voluntatis inferret.* Sed si in particularibus illis locis, in quibus ad tuendum liberum arbitrium unice intentus est, nonnihil tribuit voluntati, quod sola non potest sine Dei gratia ; ex doctrina, quæ per omnia ipsius scripta diffusa est, constat eum omnem operum gloriam gratiæ Dei adscribendam censuisse, nihilque ei negasse, nisi quod libertatem nostram everteret. Et vero sic ubique loquitur, quasi jam extitissent gratiæ hostes. Vix enim ullos laudat virtutum actus, quin nos statim infirmitatis nostræ memores esse, et si quid agendum sit, vires a Deo sperare ; si quid bene actum, hoc ad ejusdem auxilium referre commoneat.

263. Plura exigeret tanti momenti materia, plura etiam paraveramus : sed lectorem scrupulosis in rebus diutius distinuisse metus est. Si quid in his elucidatum, quod antea non satis patebat ; gratiam habeat Hilario, cujus ope magis quam nostri ingenii viribus freti hoc opus suscepimus. Si quem autem offendit prolixitas ; ignoscat affectui, quo sanctissimi Confessoris auctoritatem injectis suspicionibus nonnihil imminutam suæ integritati restituere, sicque Operum ejus lectionem omnibus utiliorem præstare conati sumus. Sed sensa explicuisse non sufficiet, nisi exponamus et gesta. Ea quidem prope omnia tum in fronte uniuscujusque Operis ad singulas ejus lucubrationes illustrandas, tum in notis ad eas appositis retulimus : verum omnes particulas recolligere, et ex illis unum quasi corpus concinnare juvat ; ut continua serie digesta vitæ ejus narratio sub uno conspectu in hoc limine repræsentetur. Sit licet ru-

dis delineantis penicillus, lectorum animos excitabit recreabitque materia grandior, rerum gestarum varietas, dictorum denique veritas, quam ex purissimis fontibus, ex Hilario nimirum ipso, et ex probatissimis auctoribus depromemus. Ita vero insignioribus illius factis, quæ sub oculos cadunt, referendis dabimus operam, ut sancti Doctoris animum pro modulo exprimere tentemus, videlicet intaminatos a pueritia mores, in episcopali munere sanctitatem, doctrinam et eruditionem, egregiam in dicendo scribendoque facundiam, zelum pro fide intrepidum, adversus hæreticos præsertim Arianos divinum prope robur, infractam duris adversisque in rebus patientiam, invictam denique in omnes patientiam, mansuetudinem ac lenitatem contra quam nonnullis hactenus, qui Hilarium non penitus norunt, persuasum est. Hanc vero persuasionem, ut obiter id dicamus, satis refellit vel unum Ruffini testimonium, apud quem Hilarius audit, *vir natura lenis et placidus, simulque eruditus, et ad persuadendum commodissimus*: ut qui fidei veritatem non modo eloquentia et eruditione animis inspirabat, sed etiam lenitate, mansuetudine, indulgentia et ad aliorum contumaciam accommodata oratione, quæ optima conciliandæ veritatis ratio est, insinuare studebat. Hinc de rigore disciplinæ nonnihil remittebat aliquando, ut ad Ecclesiæ sinum pia quadam facilitate revocaret, quos aut error aut ignorantia seduxerat. Hinc modo homœusion homousio præferebat, modo nefandas Anomœorum blasphemias patienter excipiebat; ut omnes hoc lenimento Christo lucri faceret. Hæc in antecessum breviter dicta sufficiant, quæ uberius, Deo favente, nunc explicanda sunt.

VITA SANCTI HILARII

PICTAVIENSIS EPISCOPI

EX IPSIUS SCRIPTIS AC VETERUM MONUMENTIS NUNC PRIMUM CONCINNATA.

CAPUT PRIMUM. 1. *Hilarii ortus : an ex Christianis parentibus sit.* — Clarissimum Ecclesiæ sidus, Hilarium in Galliis ortum habuisse, nemo unquam negavit. *Quis enim*, inquit Augustinus (*Aug. lib.* I *contra Jul., cap.* 3), *ignorat Hilarium episcopum Gallum?* Et vero ex Aquitania, quam Sulpicius Severus (*Sulpic. sub fin. dial.* I), Ammiano Marcellino libro XV, cap. 11, suffragante, cæteras Galliarum provincias urbanitate tunc superasse significat, eum oriundum esse apud omnes convenit. Neque solum Gallus, sed et *Pictavis genitus* ab Hieronymo memoratur (*Hier. præf. in lib.* II *Comm. ad Gal.*). Cui cum prorsus consentiat Venantius Fortunatus (*Venant. lib.* VIII, *carm.* I *et lib.* II, *c.* 16), nec repugnet Fortunatus alius (si tamen alius vitæ Hilarii scriptor); ea illi civitati non est facile imminuenda gloria, qua de tanti viri non modo episcopatu, sed et ortu sese decoratam arbitratur. Eum quidem *Burgensem* vocat S. Antoninus, Saussaius vero *in pago Claro* natum affirmat : sed recentioribus scriptoribus quis non anteponat Hieronymi atque Venantii auctoritatem?

2. In quodam ms. non admodum antiquo Cardinalis Ottoboni, pater Hilarii Francarius appellatur. Tradit quoque Bouchetus (*cap.* 6. *Annal Aquit.*). tumulum parentum Hilarii 20 annis antequam opus suum ederet, hoc est circiter an. 1500 in parochiali æde apud Clissonium Hilario sacra repertum esse, in quo idem nomen ipsius patri attribuebatur. Sed quidquid sit de parentum nominibus, certe in dubium revocari non potest generis illius claritudo, qui, Fortunato teste, « apud Gallicanas familias nobilitatis lampade non obscurus, imo magis præ cæteris gratia generositatis ornatus fuit. »

3. Celebris hic oritur quæstio, utrum Christianis parentibus natus sit. Negant plerique, et opinionem suam ipso librorum de Trinitate exordio confirmant, in quo narrare videtur Hilarius, quo pacto ad Christianæ fidei notitiam pervenerit. Ac primo quidem præmittit, circumspicienti sibi quodnam esset proprium humanæ vitæ ac religiosum officium, unde utilis et optanda vita efficeretur, statim affuisse otium atque opulentiam; sed hæc se humana felicitate indigna sensisse, quæ a belluinæ oblectationis consuetudine non multum essent aliena. Tum sibi eorum sententiam consideranti, qui *bene agere atque intelligere, id demum bene vivere esse opinabantur*, eam etsi minus ineptam, nondum tamen ad beate vivendum satis idoneam sibi visam esse declarat (*num.* 2) : cum illi beatam vitam intra semetipsos continerent, ipsius vero animus sese efferret in Deum, *cui se totum ipse deberet, cui famulans nobilitandum se existimabat, ad quem omnem spei suæ opinionem referret, in cujus bonitate inter tantas præsentium negotiorum calamitates tanquam tutissimo sibi portu familiarique requiesceret* (*num.* 3). Exinde varias philosophorum de Deo opiniones se expendisse ait, nullamque probasse; quia cum plerique multitudinem colerent, ipse *in Deo nihil nisi æternum potensque esse venerandum, et omnipotentiam æternitatemque non nisi penes unum esse* pro certo haberet. Demum eam, quam anxie adeo quæritabat, notitiam veluti casu se adeptum esse testatur (*num.* 4) in hunc modum : *Hæc igitur, multaque alia ejus modi cum animo reputans, incidi in eos libros, quos a Moyse atque a prophetis scriptos esse, Hebræorum religio tradebat.* Quibus ex libris quantum profecerit, subinde narrat (*num.* 5), se nempe admiratum

quam verba Exodi III : *Ego sum qui sum*, naturæ divinæ incomprehensibilem cognitionem aptissimo ad intelligentiam humanam sermone significarent; ac postea se ex Esai XL, 12, et LXVI, 1, Deum immensum ; ex Psal. CXXXVIII, 7, ultra rerum intelligentias infinitum, et ex Sap. XIII, 5, totius pulchritudinis pulcherrimum didicisse.

4. His lectis, jam non incertus fluctuabat animus quis colendus esset ; fatigabatur tamen partim suo, partim corporis metu (*num.* 6 *et* 7) ; quia ipsi suberat naturalis sensus, ut pietatis professionem spes aliqua incorruptæ beatitudinis aleret, quam sancta de Deo opinio et boni mores mererentur. Sed ex Evangelii Joannis initio mens trepida et anxia plus spei invenit quam exspectabat : ex quo primum ad cognitionem Dei patris imbuitur (*num.* 9 *et* 10); deinde quod antea naturali sensu de Creatoris sui æternitate, infinitate et specie opinabatur, proprium esse etiam Unigenito Deo accipit; audit postremo, unicuique esse Dei Filio potestatem fieri, ac propterea Verbum carnem factum esse, ut per Deum Verbum carnem factum caro proficeret in Deum Verbum. Unde cum tandem concludat : *Hanc itaque divini sacramenti doctrinam mens læta suscepit, in Deum proficiens per carnem, et in novam nativitatem per fidem vocata, et ad cœlestem regenerationem obtinendam potestati suæ permissa :* innuere videtur, se in ætate jam provecta, ex Scripturarum lectione, a gentili religione ad Christianam perductum esse (*num.* 11).

5. Verumtamen quod Fortunatus de illo scribit (*lib.* I, *n.* 3): *A cunabulis tanta sapientia primitiva ejus lactabatur infantia, ut jam tunc potuisset intelligi, Christum in suis causis pro obtinenda victoria necessarium sibi militem jussisse propagari*, hoc potius sonat, Hilarium videlicet jam ab infantia Christum induisse, et Christianam doctrina cum lacte suxisse. Neque his repugnat librorum de Trinitate exordium. Cum enim in eo selectis Scripturæ testimoniis ostendatur, quanto apud fideles potior sit, quam apud philosophos, scientia Dei ; minus sapit hominem qui prima fidei suæ tyrocinia narret, quam doctorem in sacris profanisque litteris versatissimum, qui aut gentilem philosophum, sub typo sui, quibusdam veluti gradibus ad Christianam religionem promovere, aut se ipsum in religione, qua jam esset imbutus, altiori rerum contemplatione magis ac magis confirmare studeat. Sane tam sagacis animi vir, qui fortuita sacrorum librorum lectione abstrusissima quæque Christianæ religionis mysteria per se clare dilucideque percipere valuerit, de Deo non tunc primum cœpisset magnifice sentire, cum ad Exodum pervenisset. Multa quippe continet Genesis, quæ majestatem Dei atque gloriam mirifice commendant. Ante etiam, quam attigisset Esaiam, in aliis libris occurrissent plurima, quæ quam de Deo ex Exodo conceperat opinionem confirmassent. Sed nec usquam Hilarius sese gentilitatis errorem deposuisse meminit. Nam cum verbis superius jam allatis ait, eam se alacriter suscepisse doctrinam, qua mens *in novam nativitatem vocata, et ad cœlestem regenerationem obtinendam potestati suæ permissa est*, tam existimandus est loqui de sua recenti per baptismum regeneratione, quam gratulari se in ea religione institutum, qua nova animi nativitas non interitura, divinaque corporum post hanc vitam regeneratio sperantur ; eoque se liberatum metu, quo antea se fatigatum dixit, ne animus corpusve interirent.

6. Neque efficacius ex antiquis probant, Hilarium in adulta dumtaxat ætate Christianis mysteriis fuisse initiatum. Hæc quidem Esaiæ verba *Gloria Libani ad te veniet*, ita exponit Hieronymus, ut cum Cypriano, quem idolorum cultui diu mancipatum fuisse non inficiandum est, Hilarium nostrum conjungat atque comparet in hunc modum : *Vir sanctus et eloquentissimus martyr Cyprianus, et nostri temporis confessor Hilarius, nonne tibi videntur excelsæ quondam in sæculo arbores ædificasse Ecclesiam Dei?* Sed apertum est hoc uno Hilarium et Cyprianum una conjungi, quod ambo excelsæ fuerint arbores. At vero Cyprianum, qua gentilem, non excelsam, sed humi potius repentem arborem exstitisse quis neget? Unde nec ab Hieronymo dicuntur *excelsæ quondam in gentilitate arbores*, sed *in sæculo* : ut Clero opponatur sæculum, in quo cum nobilitate generis, doctrinæ splendore, ac singulari morum probitate claruissent, totam illam gloriam suo in Clerum transitu ad Ecclesiæ utilitatem, decus et ornamentum transtulerint. Neque magis est obscurum, quid Augustinus sibi velit his verbis : *Nonne respicimus quanto auro et argento et veste suffarcinatus exierit de Ægypto Cyprianus doctor suavissimus et martyr beatissimus, quanto Lactantius, quanto Victorinus, Optatus, Hilarius; et ut de vivis taceam, quanto innumerabiles Græci* (*August. lib.* II *de Doctr. Christ., c.* 40)? Evidens enim est, non hic superstitiosum cultum *Ægypti* vocabulo ab eo significari, sed mundanam doctrinam : qua cum præstantes illi viri egregie exculti ac ditati essent, totos illos thesauros quos ex Ethnicorum lectione decerpsissent, postmodum in usus Ecclesiæ converterint. Sed si id minus liqueret ; Optato, quem nunquam non Christianum legimus, cæteris addito, eos non superstitione, sed aliqua alia ratione inter se comparari manifestum esset.

7. An igitur idolorum cultui aliquando deditus fuerit Hilarius, valde incertum est : quod ne pro certo haberetur, non litigandi animo, paulo diligentius tractandum censuimus. Quod enim Vincentius Bellovacensis ac S. Antoninus scribunt, eum *optimum semper fuisse Christianum*, non minus est probabile, quam quod vulgo existimant, eum ab incunabulis Christi legi non fuisse subditum (*Vinc. Bell. lib.* XIV, *c.* 25; *S. Anton. tit.* XI, *c.* 3).

CAP. II. 8. *Hilarii eruditio, fides, et vivendi ratio donec ad clerum adsciscatur.* — Magnus ille Hilarius, quem cum iis qui in sæculo scientiæ atque insignium virtutum laude floruerunt, comparandum esse Hieronymi et Augustini testimoniis constat, si recentioribus quibusdam habenda fides, primis annis obtuso fuit ingenio : sed Romam, atque inde in Græ-

ciam profectus, decennali studio assiduo, naturalem A difficultatem vicit, et raræ sapientiæ, eruditionis ac eloquentiæ ornamenta consecutus est. Utut est, uno ore prædicant veteres, et scripta ipsius confirmant, illum ingenii non minus magnitudine præstitisse, quam acumine. Sane ad id persuadendum idonei sunt uni de Trinitate libri : quorum si primus ante cæteros scriptus concedatur (ad quod probandum argumenta non desunt), stupenda videbitur illius animi amplitudo, quippe qui tam vastum Opus vel ab ipso exordio accurate adeo complecti tamque exquisite delineare valuerit.

9. An Romæ, an etiam in Græcia ingenium optimarum artium studio excoluerit, non temere asseruerim : maxime cum Hieronymus scripto mandaverit (*Hier. epist. 4 ad Rust.*), studia tunc in Galliis B *florentissima* exstitisse. Tantam vero eloquentia acquisivit gloriam, ut ab eodem Hieronymo vir temporibus suis disertissimus et eloquentiæ Rhodanus appellari meruerit (*Præfat. in lib.* II *Comm. ad Gal. et epist.* 141). Poeticæ quoque dedit operam : eamque artem, quam ad pravos et impuros usus multi detorquent, ad celebrandas Dei laudes et ad apostolorum gesta martyrumque certamina decantanda adhibuit. Illum quamdam dumtaxat græcarum litterarum aurulam cepisse, et ad obscuriora Origenis verba intelligenda Heliodori presbyteri opera usum esse auctor est Hieronymus (*Hier. epist.* 141 *ad Marcellum*), sed eo tantum in loco, in quo non satis circumspecte locutus esse merito judicetur. Ibi enim præ nimio erga Hilarium reverentiæ affectu, cum reprehendere non C auderet, quem errasse suspicabatur ; prius de eo excusando, deque errato in alterum transferendo, quam de vera illius sententia expendenda cogitavit. Sed neque ei in Orientem deportato Heliodorum adhæsisse, neque illum toto exsilii sui tempore a scriptis Græcorum evolvendis abstinuisse crediderim. Et Hieronymus quidem, ni fallit conjectura, Hilarium in græcis litteris tenuiter versatum esse non aliunde judicavit, quam ex libro de Synodis, in quo versiones ipsius nonnihil intricatæ videntur et non satis liberæ et expeditæ. Si quid tamen in his vitii est, in ætatem, qua scripsit, commode referas. Tunc enim extra interpretandi leges excurrere sibi videbantur, quotics eumdem verborum ordinem non retinerent. Unde cum multas Orientalium fidei confessionum D versiones circumferri non ignoraret, novam tamen ipse cudere aggressus est (*lib. de Synod. n.* 9), *quod* illarum *ex græco in latinum ad verbum expressa translatio afferret plerumque obscuritatem.* Eum quidem modo vix cogitaveris græcæ litteræ tenacius adhærere potuisse : sed hinc concedas necesse est, illum in eo scribendi genere nonnulla sibi permisisse, quæ majores ipsius sibi licere non existimabant. Verum si quis linguæ græcæ peritia, nemo philosophia eum excelluisse negaverit.

10. Ob varias opes, quas ex hac disciplina in Ecclesiæ utilitatem transtulit, non immerito dixit Augustinus (*Aug. lib.* II *de Doctr. chr., c.* 40), eum multo auro argentoque suffarcinatum ex Ægypto ad Ecclesiam transiisse. Ita vero eas illimes et ab omni fæce purgatas scriptis suis admiscuit, ut nihil in eis profanum, nihil offendas sacerdote non dignum. Sed et antequam ad hanc dignitatem promoveretur, non sola contentus eruditione philosophica, mores etiam ad perfectas philosophiæ leges composuit. Imo ab infantia, Fortunato si credas (*Fortun. lib.* I, *n.* 3), divina quadam sapientia lactabatur.

11. Vana tamen et sterilis evasisset multiplex illius scientia, nisi eam fides fecundasset. Hanc porro eum baptismo abunde percepisse, ex subjectis constabit. Sed quandonam hoc salutari sacramento initiatus sit, incertum. Hoc unum constat, baptismum ipsius non paucorum annorum intervallo epicopatum præcessisse : siquidem ipse ait (*lib. de Synod., n.* 91) : *Regeneratus pridem, et in episcopatu aliquantisper manens, fidem Nicænam nunquam nisi exsulaturus audivi.* Quo ex loco eorum forsan juvaretur sententia, qui Hilarium Christianis ortum parentibus negant, nisi apud omnes esset in confesso, id iis temporibus moris obtinuisse, ut in provectam ætatem baptismus sæpe differretur.

12. Verum eo testimonio luculenter probat, Nicænum concilium, quamvis novo *Consubstantialis* vocabulo, nihil tamen novum decrevisse : cum ipse antequam Nicænum symbolum audisset, eamdem doctrinam tum ex verbis evangelicis quibus baptismus traditur, tum ex apostolorum symbolo quod ante baptismum discitur, semper intellexerit credendam, ac firme crediderit. Quocirca Constantio auctor est (*lib.* II *ad Const., n. 4 et* 7), ut si quidem Nicænis decretis subscribere timeat, primam et solam evangelicam fidem in baptismo confessam intellectamque retineat. Et initio lib. II, de Trin. queritur, quod cum Trinitatis mysterium baptismi verbis satis aperte esset declaratum, Ariani cœlestium verborum simplicitatem pro voluntatis suæ sensu, non pro veritatis ipsius absolutione susciperent, aliter interpretantes, quam dictorum virtus postularet. Alias eis etiam exprobrat, quod fidei non adhæreant apostolorum symbolo consignatæ, sine cujus professione nemo baptismum percipit : *Fides*, inquit (*Ibid. n.* 6), *scribenda est ; quasi in corde non sit. Regenerati per fidem ad fidem docemur : quasi regeneratio illa sine fide sit. Christum post baptisma discimus : quasi baptisma aliquod esse possit sine Christi fide* (*lib. de Synod., n.* 63). Contra Gallicanis episcopis gratulatur, quod necessarium non habuerint episcopi legere, quod regenerati neophyti tenerent corde atque crederent. Ipse vero quam alte eamdem in regenerationis suæ Sacramento imbiberit, variis modis enuntiat. Modo enim ait (*lib.* VI *de Trin., n.* 21) : *In te ita credidi, per te ita renatus sum ; et exinde tuus ita sum ;* modo vero (*ibid.*) : *His immedicabiliter imbutus sum : et ignosce, omnipotens Deus, quia in his nec emendari possum, et commori possum ;* et paulo ante (*num.* 20) : *Hæc enim ego ita didici, ita credidi, et ita confirmatæ mentis fide teneo, ne aut possim cre-*

dere aliter, aut velim. Demum cur aliter credere ac doceri non possit, eam ad calcem lib. II ad Constant. reddit rationem, quod ea fides et evangelicæ doctrinæ et regenerationis suæ symbolo consentanea sit. Quæ ratio cum in cæteros fidei nostræ articulos pariter valeat; nemo jure dubitarit quin et pari in eorum veritatem perspicacitate penetrarit, et ad defendendos singulos æquali semper constantia fuerit instructus.

13. *Qui philosophiam fidei subjecerit* (*lib.* I *de Trin.*, *n.* 13). — Tanto fidei lumine per baptismum illustratus, nullis unquam vanæ philosophiæ fallaciis in errorem abduci potuit: sed præcepto parens apostolico: *Videte ne quis vos spoliet per philosophiam*, hoc se effecto adversus omnia humanæ rationis jacula veluti clypeo munivit: *Respuit captiosas et inutiles philosophiæ quæstiones fides constans, neque humanarum ineptiarum fallaciis succumbens, spolium se præbet veritas falsitati.* Ut enim in vera philosophia vidit, *ultra naturæ humanæ intelligentiam a Deo gesta, non succumbunt rursum naturalibus mentium sensibus: quia infinitæ æternitatis operatio infinitam metiendi exigat opinionem.* Quæ infinitas cum desit humanæ menti, nihil ei suppetit, unde divina mysteria assequatur. Vidit etiam humanam rationem, siquidem creata est, perfectam non posse esse; adeoque nec comprehendere Creatorem: *Non enim*, inquit, *concipiunt imperfecta perfectum* (*lib.* III, *n.* 24).

14. Hanc uni fidei gloriam attribuit, ut ad ea cœlesti ipsius virtute perveniat homo, ad quæ pertingere propriis viribus non valet. Eamque ob causam Christianos, qui fidei intellectum subjicere norunt, sapientibus mundi, a quibus desipere putantur, multo sapientiores esse hinc demonstrat, quod in arcana longe altiora penetrent. De hac illorum sapiente stultitia lib. V, initio, libenter ipse gloriatur: et merito quidem, quippe cui ad summam sapientiam hac iter fuit. Qui autem fide naturalem philosophiam devicerit, operæ pretium est vel uno exemplo demonstrare. Audit ex Evangelio: Christus post resurrectionem *corporeus, non simulatus aut fallax, clausam domum in qua erant discipuli congregati, introivit.* Statim ei a philosophia suggeritur: *An constructa parietum penetrans et solida lignorum, naturam eorum impenetrabilem transcurrit?* Cui Hilarius quasi assentiens: *Nihil* equidem, inquit, *cedit ex solido, neque per naturam suam aliquid tamquam lapsu insensibili ligna et lapides admittunt.* Tum illa veluti jam victrix urget: *Dicamus ergo factum non fuisse, quia intelligentiam facti non apprehendimus; et cessante sensu nostro facti ipsius cesset effectus.* Verum sapientis stultitiæ armis instructus Hilarius stultam illam sapientiam calcat, eique victoria de qua sibi jam plaudebat erepta, fidenter succlamat: *Mihi imperito, et tantum de omnibus Deo ut sunt ab eo dicta credenti, rationem istius facti* ne reposcas. *Dominum audio; et quia his credo quæ scripta sunt, scio quia adstitit Dominus clausa domo in medio discipulorum.* Ac postmodum omnes, ut vanas inanesque prudentiæ sæculares ratiunculas secum despiciant, adhortatur his verbis: *Noli negare quod steterit, quia per intelligentiæ infirmitatem consistentis non consequaris introitum;* et id quidem maxime, cum multarum Dei operationum exemplo habueris, unde *crederes Deum efficere posse, quorum intelligere efficientiam non possis.* Ulterius etiam progreditur. Si enim, inquit, hominum *intelligentia ad conspicabiles res et corporeas coarctatur*, quanto magis ad invisibiles et divinas? Si Christi corporei januis clausis ingressum ratione non assequimur, quanto minus æternam ipsius ex æterno Patre generationem?

15. Eadem ratione, lib. VIII de Trin., n. 14, omnem in Eucharistiæ sacramento de carnis ac sanguinis veritate ambigendi occasionem præcidit. Sed ex allato exemplo, quod ex ipsis Hilarii sententiis ac verbis inter se temperatis, nunquam tamen alienum in sensum detortis illustravimus, intelligere est quam caute fidei scopulos declinarit; et quomodo extra metas rationis erumpens, stultus sit factus, ut obsequendo Dei verbis sapiens evaderet. Utinam stulti tam prudentis vestigia premerent nostræ hujus ætatis hæretici, nec fidei soliditati, quam intemeratam servat Ecclesia, inanes quasdam rationes, seu potius, ut ita loquar, speciosas hallucinationes anteponerent. Mox sane intra Ecclesiæ sinum, quem misere disrumpunt, regrederentur. Eam porro unam ab Hilario improbari prudentiam humanam, quæ fidei nesciat subjici, hic interim monitum volumus, donec insequenti capite ostendamus, quanti fecerit fidem doctam, sive scientiam quæ fidei famuletur.

16. *Hæreticorum consortia devitat.* — Summo illo intemeratæ fidei servandæ studio impulsus, a catholicæ religionis hostibus sic abhorruit, ut cum a Judæorum vel hæreticorum convivio abstinere Fortunatus suo etiam ævo difficillimum esse testetur, ipsi non solum mensa, sed *neque salutatio fuerit cum his prætereunti communis* (*Fortun.*, *lib.* I, *n.* 3). Eam tamen agendi rationem, quam laudabiliter tenuit laicus, postea prudens remisit. Episcopus enim factus, ut hæreticos Christo lucrifaceret, nec criminis loco duxit quemquam cum his orare aut colloqui, nec ipse eorum colloquia recusavit (*lib. in Const.*, *n.* 2).

17. Cum autem non ignoraret fidem mortuam esse, nisi per charitatem operetur (*in Psal.* LI, *n.* 16), hominesque non solum propter infidelitatem, sed et propter sterilitatem a Christi corpore eradicandos esse: primum ecclesiasticis regulis et evangelicis institutis animum informandum tradidit: tum seipsum propria disciplina ita coercuit intonsus, ut irreprehensibilis in templo Christi sacerdos jam tum præparari videretur; ita se variis pietatis operibus exercuit, ut adhuc in laicali proposito pontificis gratiam divino nutu possideret. Denique Deum, quo plenus erat, in alios etiam effudit. Nunc enim, Fortunato teste, alios de confessione sanctæ Trinitatis informans, nunc alios promissione regni cœlestis invitans, uno verbo omnes de pio religionis opere commonens, non cessabat in plebem

verba veritatis fructum fidei redundantia seminare.

18. Tanto viro dignam Deus tribuit sponsam, ex qua filiam unicam nomine Abram procreavit. Illius quippe nomen, genus ac vitæ seriem quamvis nulla nobis monumenta prodiderint, pietatem tamen, et in divinis rebus intelligendis sagacitatem, necnon in sectandis evangelicis consiliis studium Hilarius ipse satis commendavit; cum filiæ rescribens, eamque sub ænigmatibus et parabolis quibusdam ad modestiam ac virginitatem cohortans, jubet eam, si quid per ætatem minus intelligat, matrem interrogare. Cui enim hæc non sonent piissimam matrem, quæ omni sæculi spe abjecta, in id unum cum conjuge conspirarit, ut Dei cultui et obsequio quod sibi erat charissimum manciparet? Unde adjicit, nihil eam in votis magis habere, quam ut filiam optimis moribus suis rursum quodam modo generaret, ac Deo pareret.

Cap. III. 19. *Episcopatum suscipit: quid de ejus munere sentiat: qui eo fungatur.*— Sic Hilarius connubio junctus, quasi ei non adstrictus vivebat, omni scientiarum genere instructissimus, vitæ probitate purissimus, integritate fidei atque constantia insignis, æstuans zelo animarum, omnibus denique dotibus, quas ab episcopo Paulus desiderat, ornatus; cum *concordante populi voce, aut potius Dei Spiritu proclamante, vir olim mysteriis deputatus, aliquando sacris altaribus sacerdos electus est* (*Fortunat., lib.* I, *n.* 4). Eum in episcopatu Pictavensi Maxentium S. Maximini fratrem excepisse Lupus Ferrariensis scribit in ejusdem Maximini vita: quo anno, nec ille, nec quisquam alius notat. A plurimis quidem existimatur anno dumtaxat 355, episcopatum sumpsisse; sed cum iis quæ ante exilium episcopus egit, non bene consentit hæc opinio (*Vide infra num.* 29 *et* 30). Auctoritas enim, qua anno 355, visus est in Ecclesia pollere, et publica sanctitatis ipsius fama, quæ forsitan longe ante hunc annum, Martinum a Galliæ finibus ad ipsum evocavit, postulant ut aliquot annis antea episcopalem dignitatem sit adeptus. Neque huic rationi adversatur, quod ex libro de Synodis, n. 91, afferunt: *Regeneratus pridem, et in episcopatu aliquantisper manens, fidem Nicænam nunquam nisi exsulaturus audivi*: cum his verbis id unum conficiatur, non tantum temporis ab ordinatione Hilarii, quantum a baptismo, ad exilium ipsius effluxisse. Certe illud *aliquantisper* ad quinque aut sex annos extendere æque licet, ac intra unum concludere. Immo quo latius patebit hæc particula, eo erit, efficacius Hilarii argumentum, ut insinuet Gallorum fidem de Patris et Filii æqualitate non a Nicæna synodo cœpisse; si quidem ea synodus Galliis ita ignota erat, ut ipse pridem regeneratus, inter episcopos etiam aliquandiu sederit, priusquam de illa quidquam audiret.

20. Hoc saltem ex allato loco planum, eum scilicet juxta Apostoli præceptum non neophytum fuisse, cum a populo Pictavensi in episcopum cooptatus est. Nondum quidem e vivis excesserat illius uxor; sed ea ætate, quia virgines aut non tanti erant quanti erant necessarii, aut opera virginitati congruentia non habebant, vel non existimabantur habere, sæpe in sacerdotium eligebantur mariti. Quos tamen ea lege ordinatos esse, ut ab operibus nuptiarum deinceps abstinerent, Hieronymo affirmanti (*Hieron., lib.* I, *cont. Jovinian.*) negare non ausus est continentiæ quamvis adversarius Jovinianus, adeo ut volens nolens confessus sit, *non posse esse episcopum, qui in episcopatu filios faciat: alioquin si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur.* Eumdem Ecclesiæ morem tuentur Siricius Papa epist. ad Himerium Tarrac. c. 7, Innocentius I, epist. ad Victricium, c. 10, et Ambrosius lib. I Offic., c. 50, n. 257, et epist. 65, ad Vercell., n. 62.

21. *Grynæi mendacium de Canonicis S. Hilarii.* — Hac se lege adstringi libenter passus est Hilarius, qui virginitatem et continentiam quanti faceret, alias etiam luculenter probavit. Filia namque unica illi erat et maxime chara: cui cum honestis nuptiis virginitatem præferendam persuasisset, eam præmatura morte sibi præripi maluit cum præclaro hujus virtutis proposito, quam cum illius periculo diutius vivere (*V. epist. Hilarii ad Abram, n.* 7, *et Fortunat., n.* 13). Neque repugnantem ea in re expertus est uxorem, quæ casto digna conjuge, pari studio, uti jam notatum, in amorem continentiæ conspirabat. Ridenda hic potius quam refellenda Grynæi temeritas, qui sola fretus mendacissimi familiaris sui auctoritate, affirmavit sanctum Hilarium Pictavensibus Canonicis nuptias permisisse. Quasi vero Hieronymus, rerum Hilarii curiosus indagator et admirator, hoc aut ignorare, aut dissimulare potuisset, tamque fidenter adversus Vigilantium dicere, *Orientis Ecclesiæ, Ægypti, et sedis Apostolicæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes.* Certe qui legitimum filiæ conjugium tanto studio dissuasit, non ita comparatus erat, ut nuptias Clericis contra fas et leges Ecclesiæ permitteret. Sed relictis hujusmodi calumniis, veriora sancti Præsulis sensa exploremus.

22. *Episcopi officium.* — De episcopali gradu magnifice admodum sentiebat. Cumque se apud imperatorem commendare vellet, hoc ab eo primum imperator, tanquam quod omni reverentia dignum, audiit: *Episcopus ego sum.* Sic enim episcopum spectabat, velut *perfectum Ecclesiæ principem*, qui *perfectis maximarum virtutum bonis* instrui debeat et ornari (*lib.* II *ad Constant., n.* 2; *lib.* VIII *de Trinit., n.* 1). Illi nec vitæ innocentiam sine scientia, nec sine sanctitate multam scientiam sufficere existimabat: quia cum ad aliorum utilitatem sit institutus, iis non prodest quos docere nesciat; sicut et sterilis est doctrina, a qua dissideat vita. Vult igitur in sacerdote probitas ac scientia sese mutuo fulciant et ornent, *ut et vita ejus ornetur docendo, et doctrina vivendo: cum et innocens sibi tantum proficiat, nisi doctus sit; et doctus sine doctrinæ sit auctoritate, nisi innocens sit.* Ab ipsis præsertim episcopis exigit *fidem non nudam atque inopem rationis*, sed quæ adversus hæreticos humanis doctrinis præsidentes *constantem retineat obnitendi securitatem* (*lib.* XII *de Trinit., n.* 20. *Vide et lib.*

VIII, *n.* 2); quæque sapientia sæculi tanto superior sit, quantum res humanas vincunt divinæ; *ut quanta rerum divinarum humanarumque discretio est, tanta ultra terrena studia ratio cœlestis excedat;* quæ demum creditos curæ ipsorum populos et ad omne officii christiani genus *instruere* valeat, et adversus os loquentium iniqua *obstruere.*

23. *Hoc rite defungitur Hilario.* — Hilarius nihil deerat, unde sacerdos utilis fieret, qui cum doctrina non vulgari singularem morum integritatem conjunxerat. Statim igitur ut episcopatus apice sublimatus est, veritatis cibum, quo antea in secreto cordis pascebatur, plebi suæ dispensare non cessavit : ut de illo, cum Galliis nostris exsilio ereptus est, dixerit Paulinus,

Dum Pictavorum doctor floreret in oris,
Indomitis tradens populis præcepta salutis, etc.
(*Lib.* I, *Carm. de Vita S. Martini.*)

De se ipse narrat Hilarius, lib. I de Trin. n. 14 : *Quod sibi credebat* (animus), *per ministerium impositi sacerdotii etiam cæteris prædicabat, munus suum ad officium publicæ salutis extendens.* Quo in loco cum episcopum repente audis, quem proxime ante sequebaris velut in veræ religionis inquisitione adhuc laborantem; eum in superioribus prima Christianæ vitæ suæ initia descripsisse vix credideris. Hoc obiter notato, qui munus suum ad officium publicæ salutis extendebat, inspiciamus.

24. *Scripturas populo exponit.* — Ab Evangelio Matthæi exponendo non sine causa videtur docendi exordium fecisse. Quamvis enim omnis scriptura divinitus inspirata utilis sit ad docendum; quia tamen in veteri Testamento est occultatio novi et in novo manifestatio veteris (*August. de Catech. rudibus*, *c.* 4), hujus expositioni utilius præmittitur illius explicatio. At vero inter libros novi instrumenti primum locum obtinet Matthæi Evangelium. Hoc porro Hilarius coram populo Pictavensi interpretatus esse, ac deinde conciones suas in publicum emisisse tanto existimatur facilius, quod non singula verba, ut interpretes solent, seorsim expendat; sed, quod magis est concionantis, omittat nonnulla, alia paucis perstringat, et alia copiosius tractet (*lib.* VI *de Trin.*, *n.* 1). Sed quemadmodum declarat, se ad libros de Trinitate scribendos ea studii atque officii sui permotum esse necessitate, qua ut *Ecclesiæ episcopus evangelicæ prædicationis ministerium* Ecclesiæ se debere sentiebat; ita etiam non dubium est, quin eadem ratione adductus sit, ut privatas conciones in unum Commentariorum corpus redactas publicas faceret : ut nimirum non uni, sed toti Ecclesiæ prodesset. In his non tantam in explicandis litteræ sensibus, quantam in eruendis mysticis operam collocat : vel quia hoc populis ea ætate potissimum saperet, vel etiam quia id eis magis conduceret. Et vero cum Scripturæ, quæ variis sunt sensibus fœtæ, omnium manibus tererentur, et unicuique passim obvii essent litteræ sensus; prudentis ac solliciti Pastoris erat quosdam aperire reconditiores.

25. Matthæi tantum, sed et Joannis Evangelium magna ex parte exposuit. Cum enim Joannes Evangelium eo consilio scripserit, ut Christi assereret divinitatem; Hilario in illo abunde succurrit, unde eamdem defenderet. Sensim sine sensu dilapsi sumus ad libros de Trinitate, in quibus ille et populos catholicæ fidei veritate instruendo, et adversus hæreticorum artes obstruendo, duplex christiani Doctoris munus absolute explevit; sed ad alia nos vocat rerum ordo.

CAP. IV. 26. *Hilarii a Mediolanensi synodo ad Biterrensem gesta.* — Ariana lues, quæ tot in Oriente strages ediderat, in Occidentem pervadere, quamdiu rerum potitus est Constans, omnino non valuit. Nicænum etiam concilium Hilario ignorare tunc temporis licebat. At Constante mortuo deletoque Magnentio (*die* 10 *aut* 11 *Augusti an.* 353), huic quoque orbis parti pax brevi erepta est. Statim namque Constantius Arelate (*die* 10 *Octob. ejusdem anni*) se recipiens, concilium illuc coegit, quo et Arianæ hæresi subscribi præcepit, et Athanasium condemnari. Quibus jussis obtemperare cum recusasset Paulinus. Trevirorum episcopus (*Fragm.* I, *n.* 6); ab Arianis episcopis indignus ecclesia, dignus exilio a rege est judicatus. Quid præterea in hac synodo gestum sit, ignoratur. Illius enim acta quæ Hilarius Ariminensibus præmiserat, magno historiæ damno exciderunt. Sed hæc interim initia fuere malorum, quæ hæresis Ariana Constantii fulta auctoritate, Valente præsertim, Ursacio atque Saturnino agentibus, in Occidentem invexit.

27. Biennio post Constantius concilio Mediolani habito nullum modum tenuit, ut extinctionem Nicænæ fidei procuraret, et extorqueret Athanasii condemnationem (*Athanas. ad Solit. p.* 851). Reluctabantur apostolicæ sedis legati, ac dicebant non licere per Canones absentem inauditum condemnare. Quibus ille : *Mea*, inquit, *voluntas pro Canone sit.* At legati regis sermonem magis horrentes, quam minas ac supplicia, exilium suscepere, ne veritatis et innocentiæ causam proderent. Alios quoque eadem involvit sententia (*Athanas. Apolog.*, *p.* 692). Cæteri autem episcopi vim non vulgarem gravesque contumelias sunt perpessi. Huicne concilio interfuerit Hilarius, an ab eo absens fuerit; necnon cur eo non convenerit, aut si convenerit, cur in illo mali nihil sit passus, quæri potest, temerarium est definire. Illuc adire noluisse eam ob causam potuit, ob quam Eusebius Vercellensis eo venire primum recusarat. Forte etiam ei præsenti pepercit Constantius, ne Gallorum animos exasperaret.

28. *Hilarius spretis privatis commodis fidem tueri statuit.* — « Dum ita perturbarentur omnia, et veritas Arianorum dolis obscuraretur; Hilario, sicut et cæteris, facta est potestas, ut floreret in sæculo otio domestico frueretur, redundaret commodis omnibus, regia etiam gloriaretur familiaritate, et singulis universisque et publice et privatim in Ecclesiæ dominatu gravis efficeretur; si modo imperatoris voluntati obsequens, veritatis evangelicæ defensionem desereret.

Ipsi etiam succurrebat, unde se apud vulgus ab omni dedecore liberaret, cui facile erat judicii corruptelam excusatione alieni arbitrii defendere, et sub difficultate publicæ intelligentiæ mentiri probitatem, immo cum ipse fide sua piaculo hæresis teneretur, conscientiæ reatum blandimento ignorantiæ consolari. Verum inania hæc delusæ mentis solatia per fidem et spem Christi in simplicitate cordis manens charitas non tulit; nec sivit eum injuriarum omnium pro Christi confessione tolerantiam non præferre ambitiosæ in reatus silentio conscientiæ (*Fragm.* 1, *n.* 3). In cœli quippe spem assumptus, ac Deo per charitatem insecabili admixtus affectu, nulla terrenorum cupiditate (*Fragm.* 1, *n.* 2 *et* 3), nulla vi sæcularium motuum dissolvi potuit, ab eo, aut dividi; sed nunquam incertus quid deligeret, fortiter dixit: *Nomini Dei ac Domini Jesu Christi adhæreo*, quamvis cum illius confessione mihi ferenda sint omnia mala; *iniquorum societatem et infidelium consortium respuo*, quamvis mihi cum his bonorum omnium affluentia sit speranda.

29. *Prudens decretum pro Ecclesiæ salute.* — Hoc animi proposito cum propriæ conscientiæ fecisset satis, prospiciendum sibi duxit Occidentis incolumitati. Multi enim territi minis, ac fraude dolisque decepti, Arianorum communionem susceperant in concilio Mediolanensi: metuendumque erat, ne brevi totus orbis Christianus eorum contagione contaminaretur. Cui malo ut occurreret, statim post Eusebii, Luciferi ac Dionysii exilia, hoc est, post prædictum concilium, totius mali auctores Saturninum, Valentem et Ursacium a fidelium communione separandos decrevit, indulta cæteris eorum consortibus resipiscendi facultate. De hoc decreto sic ipse loquitur (*lib. in Constant.*, *n.* 2): *Ego gravissimum fidei periculum longe antea prævidens, post sanctorum virorum exilia Paulini, Eusebii, Luciferi, Dionysii, a Saturnini et Ursacii et Valentis communione me cum Gallicanis episcopis separavi, indulta cæteris consortibus eorum resipiscendi facultate; ut nec pacis abesset voluntas, et principalium morborum fœtida et in corruptionem totius corporis membra proficientia desecarentur: si tamen hoc ipsum beatissimis confessoribus Christi editum decretum tum a nobis manere placuisset.* Decretum hoc, quo cum columbæ simplicitate ac mansuetudine conjungitur prudentia serpentis, cum sacerdotali sapientia sit omnino dignum, eo etiam placet amplius, quo modestia majore sanctis confessoribus approbandum permittitur. Quam autem æquum semper visum sit, supervacaneum est singillatim demonstrare. Certe post Ariminense concilium a variis synodis receptum, et a Liberio Papa confirmatum, nunquam nisi a schismaticis reprobatum fuit. Hilarius hujus auctor merito videri potest ac moderator præcipuus, quamvis hanc gloriam sibi ipse soli non arroget. Neque alia videtur causa, cur in eum nominatim Saturninus tantum odium conceperit, ut non longo post intervallo illum Biterras venire cogeret, et inde in Phrygiam confictis calumniis amandaret. Quod si ita est, quis eum inter episcopos a paucis tantum diebus sedere cœpisse credat, qui quamvis nulla propriæ sedis prærogativa conspicuus, tantæ tamen inter Gallicanos episcopos fuit auctoritatis, ut leges ipse conderet, alii libenter sequerentur? Rursum si verba superiora: *Ego gravissimum fidei periculum longe antea prævidens*, ad id tempus referantur, quo a Saturnini, Valentis et Ursacii communione se separavit; longe antequam hoc præstaret, episcopus fuerit necesse est. Quamquam hæc etiam ita intelligere est ut gravissimum fidei periculum prævideri, non quidem longe antequam a prædictis se separaret, sed longe antequam librum in quo ea enarrat scriberet. Sic certe ab anno 355 inter episcopos emicuit, ut eum abhinc Galliarum episcopi catholici velut caput ac patrem, hæretici vero ut præcipuum hostem semper respexerint.

30. Immo etiam antea, si Sulpicio non neganda fides, tanta fuit Hilarii fama, ut nec Martinum ad Rhenum militantem fugerit, quo minus eum spiritalis vitæ sibi ducem deligeret. Ea porro Sulpicii verba sunt (*Sulp. in vita S. Martini*): « Martinus exinde relicta militia sanctum Hilarium Pictavæ episcopum civitatis, cujus tunc in Dei rebus spectata et cognita fides habebatur, expetivit, et aliquandiu apud eum commoratus est. Tentavit autem idem Hilarius imposito diaconii officio sibi eum artius implicare, et ministerio vincire divino; sed cum sæpissime restitisset, indignum se esse vociferans, intellexit vir altioris ingenii hoc eum modo posse constringi, si id ei officii imponeret, in quo quidam locus injuriæ videretur. Itaque exorcistam eum esse præcepit. Quam ille ordinationem, ne despexisse tanquam humiliorem videretur, non repudiavit. Nec multo post admonitus per soporem ex voluntate sancti Hilarii, in Pannoniam profectus est: multisque ab eo adstrictus lacrymis et precibus ut rediret, mœstus abiit, contestatus fratres multa se in hac peregrinatione passurum. Hinc matrem gentilitatis absolvit errore, patre in malis perseverante. Tum ab Arianis multa passus, et ad extremum de civitate exire compulsus, cum intra Gallias quoque discessu sancti Hilarii, quem ad exilium hæreticorum vis coegerat, turbatam Ecclesiam comperisset, Mediolani sibi monasterium statuit. » Certe cum Hilarius anno 356 relegatus sit, vix arctius queunt quam intra unum alterumve annum constringi tot Martini gesta, quæ illius exilium præcesserint.

31. Sulpicio quidem refragari videntur Fortunatus vitæ Hilarii scriptor, Venantius Fortunatus, quem ab hoc alterum esse nonnulli volunt, et Gregorius Turonensis. Quippe Fortunatus in vita sancti Hilarii tradit, Martinum, post sancti confessoris ab exilio reditum, exorcistam fuisse constitutum. Venantius autem, ubi sancti Martini precibus ac meritis initam cum barbaris pacem enarravit, illum repræsentat non ad Hilarium convolantem, sed superantem Alpes, et per agrum Mediolanensem in Pannonias properantem. Demum Gregorius Turonensis (*lib.* 1 *Hist. Franc.*, *c.* 39) Martini velut luminis in Gallia recens exorientis tunc primum meminit, cum narravit Hilarium ad propria redire permissum. Secum etiam ipse pugnat Sulpi-

cius, cum proxime antea scribit, Martinum sub Constantio primum, ac deinde sub Juliano militasse, neque ante impetrasse missionem, quam barbarorum legati Julianum apud Vangiones agentem de pace convenissent. Nam quod Hilarii exilium ante Juliani in Germaniam adventum contigerit sequenti capite evidenter demonstrabitur.

32. Verum Sulpicii licet in notis chronologicis consignandis diligentiam desideres, non est tamen cur accuses in rerum gestarum narratione sinceritatem. Nullus etiam ambigendi locus est, quin sincera ac minime interpolata ad nos pervenerit illius lucubratio : cum Paulinus (qui, ut Gregorius Turon. testis est, acceptis a Perpetuo Turonensi episcopo ejusdem Sulpicii (*lib.* I *de Mirac. S. Mart.*, *c.* 2) indiculis stricta oratione persecutus est, quod ille soluta exposuerat), memorata Martini gesta eodem ordine percenseat. Hæc igitur aut falsa omnino sunt, aut id unum falsum, Martinum videlicet sub Juliano militasse. Quis non hoc potius concedendum opinetur, quam alterum ? Facilior enim est in unius imperatoris nomine, quam in tanta rerum serie lapsus. Neque hujus ævi scriptoribus inusitatum est, ut sub uno imperatore gesta ad alterum referant. Et Sulpicio (*in Vita sancti Martini*) quidem singulare ac novissimum Martini in bello adversus barbaros factum narraturo eo facilius subrepsit Juliani nomen, quo clariora ac præsentiora tum essent illius adversus Alamannos gesta. Unde non respuimus quod ille ait, Martinum occasione arrepta, qua imperator donativum erogaret, missionem petiisse. At hæc ad Juliani tempora referendi repugnat Ammianus Marcell. lib. XVII, c. 7, repugnat et Julianus ipse apud eumdem Marcellinum, lib. XX, c. 9, dum testantur maximum an. 358, exortum esse tumultum, quod *sudoribus Gallicanis miles exhaustus nec donativum meruit nec stipendium* : eumque tumultum tandem sedatum esse non largitione donativi, *quod Constantius erogari more solito non permittebat*, sed *blanditiarum genere vario*.

33. Præterea si Martinus anno Christi 397, et ut auctor est Gregorius, ætatis suæ 81 vivere desiit, si etiam non falsus est Sulpicius, cum illum anno ætatis suæ quinto decimo raptum, catenatum, et sacramentis militaribus implicatum esse scripsit; sequitur ut anno Christi 346 natus, et anno ejusdem Domini 351 militiæ adscriptus, ante legitima confecerit stipendia, quam Julianus Cæsaream adeptus esset dignitatem. Poterat igitur secundum leges romanas anno 351 missionem petere. Si autem militiæ emeritæ annis biennium adjicias, quo tribuni sui precibus evictus, solo licet nomine, militasse dicitur; eum saltem anno 353 militiam dimisisse concedas necesse est. Et sane eum, qui ad militiam per vim raptus, ad aliam vivendi rationem anhelabat, ante emeritæ militiæ annos missionem petiisse longe probabilius est, quam emeritum in eodem vivendi genere diutius perstitisse.

34. Demum qui observarit quanto studio Martinus a sua in Pannoniam peregrinatione Hilarium expetierit, vix ambiguum ei erit quin eumdem Christi confessorem, antequam exularet, convenerit; et aliquandiu apud eum commoratus, ex ipsius voluntate profectus sit in patriam, aliaque præstiterit, quæ Sulpicius Paulinusque narrant (*Paulinus in vita S. Martini*). Quid est enim quod Pannonia expulsus, *Gallica ora petit?* cur cum audit Hilarium e Gallia motum, Gallium ulterius non cogitat, sed Mediolani monasterium sibi statuit? an quod eo timeret ire, unde Ariani sanctum virum exturbare potuerant? At in Italia quanto magis ii ipsi poterant, quorum opera Eusebius Vercellis, Calaris Lucifer, Liberius Roma, imo et Mediolano Dionysius erant expulsi? Cui non credibilius est, eum Hilarii precibus et lacrymis adstrictum, ut ad se post peregrinationem rediret, ipsum unum in Galliis quæritasse, ut fidem suam liberaret? Neque alia animo succurrit causa, cur cum in Gallinaria insula sedem fixisset, statim tamen ut comperit sancto præsuli indultam esse redeundi potestatem (*Sulpic.*, *p.* 296), non modo Romæ tentarit ei occurrere, sed et ipsum inde jam egressum e vestigiis sit prosecutus, donec ad eum perveniret. Si quid inde conficitur, concedendum est Martinum aliquandiu cum Hilario, antequam exularet, commoratum esse; adeoque non falsa esse omnia quæ Sulpicius de primis Martini annis scribit, ut tamen Juliani loco substituendum sit alterius imperatoris nomen sub quo ille militarit. Hinc neque quisquam inficiari poterit, quin etiam ante annum 355 magnum jam fuerit Pictavensis episcopi nomen.

35. Eo ipso anno 355 cum barbari *rupta*, ut loquitur (*apud Amian.*, *lib.* XV, *c.* 8), imperator, *limitum pace* in Gallias effusi eas fœde vastarent, cumque, Victore (*lib. de Cæsarib.*) teste, timeret Constantius, ne quid tum apud Gallos natura præcipites novaretur, nec deessent (*Hilarius*, *lib.* I, *ad Constant.*, *n.* 3) susurrones, qui meticulosi principis suspiciones augerent; Hilarius misso imperatori libello timorem illius ita lenire curavit, ut res Ecclesiæ ea occasione ageret. Exstat etiamnum, etsi forte non integer, hic libellus, quo cum Constantium certiorem faciat quieta esse omnia, nec ullam esse seditionis suspicionem; in id tamen potissimum incumbit, ut ecclesiasticæ fidei ac disciplinæ factum injuriam propulset. In primis enim imperatorem cum verbis, tum lacrymis deprecatur : 1° ne catholicæ Ecclesiæ a fratribus gravissimas sustineant persecutiones; 2° ne a provinciarum rectoribus causæ clericorum cognoscantur; 3° ut populi episcopos libere sequantur catholicos, neque per vim cogantur subjici hæreticis, demum ut egregii sacerdotes in desertis aut in exilio detenti ad suas sedes revocentur. Quæ omnia cum plurium nomine postulet; conjectura est libellum hunc ab eo ex Gallicanorum episcoporum consensu missum esse, vel etiam, quo majoris esset ponderis, a plurimis esse subscriptum. His precibus eam Baronius ad ann. 355, n. 18, legem attribuit, qua cavetur ne episcoporum causæ ab aliis quam ab episcopis cognoscantur.

CAPUT V. 36. *Biterrensi synodo Hilarii gesta et exilium.* — Hinc Hilarius plura sperare (*Fragm.* XI,

n. 4; et Sulpic. pag. 262), et imperatoris benevolentiam colere; hæretici vero magis ac magis timere, ne eorum hæresis, quæ ex decepta Constantii religione unice pendebat, tanti viri consiliis funditus rueret. Itaque Saturninus Arelatensium episcopus, vir sane pessimus, et ingenio malo pravoque, qui sanis consiliis statutisque salubribus impiissime contradicebat, eique nequitia nihilo inferiores Ursacius et Valens, cum decreto proxime adversus se nominatim edito commoti, tum hoc Hilarii libello denuo excitati, eum procul amandandum constituunt. Pessimum hoc consilium Biterrensi conventiculo adoriuntur. Quod enim tribus illis episcopis auctoribus congregatum sit, satis indicat Hilarius, cum iis prænominatis, statim declarat, *se per factionem eorum pseudoapostolorum ad Biterrensem synodum compulsum esse* (*lib. in Constant.*, *n.* 2; *lib. de Synod.*, *n.* 2. *et cont. Auxent.*, *n.* 7). Quod autem congregatum sit, ut ipsi perniciem molirentur, exitus demonstravit. Saturninum huic præfuisse, eamque ob causam ab Hilario exilii sui auctorem non semel appellatum, opinamur. Aderant et ex Gallis aliquot sanæ fidei episcopi, quos rerum ibi a se gestarum lib. de Synod., n. 2, testes appellat. De his gestis unum illud refert, quod eo compulsus, cognitionem Arianæ hæreseos demonstrandæ obtulit, et ingerendæ patronos palam denuntiavit: sed hi timentes publicæ conscientiæ, audire ab eo ingesta noluerunt. Quænam præterea ibi ab ipso ingesta sint, quave ratione ingesta sint, Fragm. I, n. 5, narrare videtur his verbis: *Raptim enim tunc hæc per nos ingerebantur, corruptio Evangeliorum, depravatio fidei, et simulata Christi nominis blasphema confessio. Et necesse fuit in eo sermone omnia esse præpropera, incomposita, confusa: quia quanto nos impensiore cura audientiam quæreremus, tanto illi pertinaciore studio audientiæ contrairent.* Contra Saturninus cum suis Athanasii condemnationem flagitabat. Quod enim Arelatensi synodo cœperant, hac Biterrensi ita prosecuti sunt, ut sub uno titulo utramque Sulpicius comprehendendam judicarit. Rursum opponebat Hilarius Sardicensia gesta, et nutantes episcopos iis fere verbis confirmabat, quibus postea quosdam ignave lapsos increpavit: *Ignorasse vos negabitis Athanasio, cujus damnationem a vobis Valens, Ursacius, Saturninus exigunt, ab Osio, Maximino, Julio redditam communionem?* (*Fragm.* II, *n.* 18.) Sed qui vinci nulla ratione potuit, cedere coactus est calumniis, cum illuso Juliano Cæsare, et falsis synodi nuntiis, apud Constantium per impios homines delatus, exilii sententiam excepit.

37. Quodnam fuerit crimen cujus reus postulatus est, latet. Sed veritatis inimicis tunc facile fuit, ex turpido Galliarum statu, fidem illius et integritatem suspectam facere: quasi ea, qua apud Gallos pollebat, auctoritate ad seditionem concitandam abuteretur (*lib.* II, *ad Constant.*, *n.* 2). Ipse se quodam modo significat insimulatum, quod *indignum aliquid non modo episcopi sanctitate, sed et laici integritate gessisset* (*ibid.*, *n.* 3). Certe omnia, quæ in exilium ipsius procurata sunt, tam aperte falsa erant, ut præsentem eum, cujus ministerio exulavit, usque ad confessionem falsorum quæ gessit adducere paratus semper fuerit. In promptu enim erant Constantii litteræ, quibus eum circumventum probaret. Aderat et Julianus Cæsar rerum gestarum testis, qui quod setam turpiter illudi sit passus, plus in hac exilii sententia contumeliæ, quam exul ipse injuriæ pertulerit.

38. Ex hac Hilarii narratione cum perspicuum sit Julianum, jam Cæsarem renuntiatum, aut Biterris aut non procul fuisse, dum hæc in ea urbe gererentur; haud difficulter deprehendere est hujus Biterrensis synodi tempus. Quippe certis historiæ monumentis constat, Julianum die 8 idus nov. Arbetione et Lolliano Coss. id., est, anno 355, Cæsarem Mediolani dictum, et inde calendis decemb. egressum in Gallias, Viennæ commoratum esse ad mensem junium anni 356, quo in Germaniam profectus, easdem Galliarum regiones ante annum 360, non repetierit. Ex quibus certo colligere est, Biterrensem conventum anno 356, ante mensem junium actum esse. Nec ab his abludit computatio, qua Sulpicius exilii Hilarii annos numerat. Eo enim teste quartum jam exilii annum agebat, cum ad Seleuciense concilium vocatus est. Atqui mense septembri anni 359, celebratum fuit Seleuciense concilium. Igitur ante mensem septembrem anni 356 Hilarius fuit relegatus (*lib. de Synod.*, *n.* 2); quo intervallo ante, ex aliis adjunctis licet dijudicare. Ad hæc Hilarius librum de Synodis se scripsisse significat cum in exilio *totum jam triennium* exegisset: hunc autem scripsit exeunte anno 358, aut saltem 359 ineunte: et hinc igitur planum est, Hilarii exilium intra anni 356 initia, proindeque ante Juliani adversus Germanos expeditionem, contigisse. Quod cum in dubium revocari nequeat; neque negandum, allatum Sulpicii locum, quo Martinum missione a Juliano impetrata ad Hilarium sese recepisse tradit, nonnulla emendatione indigere.

39. At quamvis Arianorum duces cum apud Julianum, tum apud Constantium prætexuerint relegandi Hilarii causam, eam unam ipsis fuisse, quam ipse lib. de Synodis attingit his verbis: *Coegerunt nos ad voluntatem exulandi, dum impietatis imponunt necessitatem*, Gallicanos episcopos celare non potuerunt. Quocirca apud eos nunquam impetrarunt, ut in locum ejus, cui (*lib. de Synod.*, *n.* 2), fide ac spiritu cohærebant, alius sufficeretur. Unde vere Hilarius apud Constantium sese episcopum dicit: *In omnium Gallicarum ecclesiarum atque episcoporum communione, licet in exilio permanentem, et Ecclesiæ adhuc per presbyteros suos communionem distribuentem* (*lib.* 2, *ad Const.*, *n.* 2). Imo a Saturnino Galli exinde ita abhorruere, ut suam ei communionem constanter negarint, donec tandem post concilium Ariminense in eadem Biterrensi civitate, *præter hæresis infamiam multis atque infandis criminibus convictus et Ecclesia ejectus* (*Sulp.*, *p.* 265), justas in juste in Hilarium latæ sententiæ pœnas dedit.

40. *In quem locum relegatus sit Hilarius.* — Sanc-

tum Christi confessorem in Phrygiam deportatum esse, Hieronymi, Sulpicii ac Fortunati testimoniis compertum est : an in ullum certum locum, latet. Scribit ipse modo se *intra decem provincias Asianas* consistere, modo se Gallis *de plurimis Romanarum provinciarum urbibus* significasse quid in Oriente ageretur. Ipsi etiam Galli anno 358, ei rescribentes, litterarum suarum lentitudinem de exilii illius longitudine ac secreto constitisse asseverarunt : et excusationem eorum accepit Hilarius. Unde intelligere est, nullum certum exilii locum ei constitutum esse. Cum illo pariter in Phrygiam relegatus est, Tolosanus antistes Rodianus, qui quantum infirmis proficeret fortium societas, in se expertus est. Nam cum natura esset lenior (*Sulpic., pag.* 248), nec tam propriis viribus, quam Hilarii societate non cessisset Arianis, eamdem tamen confessionis gloriam cum Illo est partitus. His de Biterrensis synodi gestis, quantum ex verbis Hilarii expiscari licuit, delibatis, quæ ipsius in exilio studia fuerint, exploremus.

Cap. VI. 41. *Hilarii in exilio studia ac gesta ad finem an.* 358.—« Fortissimus Christi confessor extra Gallius factus, locum non animum mutavit. Neque enim eum adversarii ipsius vel acerbiorem vel animo magis fractum ac nutantem experti sunt, neque qui aut error aut timore lapsi erant, elatiorem. Sed ubi in exilium ejectus est, ita de Christi confessione sibi nunquam decedendum decrevit, ut neque honestam aliquam ac probabilem ineundæ unitatis rationem respuendam statueret. » (*lib. in Const., num.* 2.) Tum hoc etiam sibi proposuit, ut quamvis læsus et gravissimis affectus injuriis, de temporibus tamen minime quereretur (*lib.* x, *de Trin., n.* 4). Id vero constanter adeo præstitit, ut quarto exilii anno dicere ei liuerit; *Exinde nihil in tempora maledictum, nihil in eam, quæ tum se Christi ecclesiam mentiebatur, nunc autem antechristi est synagoga, famosum aut dignum ipsorum impietate scripsi, aut locutus sum* (*lib. in Const., n.* 2). Illum quidem ad scribendum sollicitabant, et amplissimam ipsius eloquentiæ materiam ministrabant, quæ ubique terrarum patrabant Ariani facinora : at pluris interesse sentiebat, ut ne vel levissimam impatientis animi suspicionem præberet. Non enim ignorabat, homines asperioribus verbis sanari vulgo non solere; eaque nulli esse usurpanda, nisi cum cætera, quæ clementia suggerit, tentasset adhibuissetque remedia. Quanta autem ipse indulgentia sit usus, probant quæ tunc temporis permisit. Ea quippe sunt, quæ nisi excusaret legum omnium moderatrix charitas, vix possent a nimia ecclesiasticæ disciplinæ remissione vindicari : « Nam criminis loco non duxit, quemcumque catholicum cum Arianis, suspensa licet sacramentorum communione, colloqui » (*ibidem*) aut in una ecclesia orare, iisque pacem inter salutandum optare : quamvis aliud postularet concilii Laodicæni 5 canon pluribus aliis confirmatus, *non oportet cum hæreticis vel schismaticis orare* (*Vide* 10 *can. Apost. et* 2, *can.* 1, *syn. Antioch. et Carthag.* iv, *can.* 70, 72 *et* 73). Sed severiores illas leges apprime notavit Augustinus in Psal. c, n. 8, *propter medicinam* esse sanitas. *Propter correptionem aliquam*, inquit, *tenemus nos etiam a fratribus nostris, et non cum eis convivamur, ut corrigantur. Cum extraneis potius convivamur, cum paganis, quam cum his qui nobis hærent, si viderimus eos male vivere, ut erubescant, et corrigantur.* Ubi igitur Arianorum correptio ex concesso quam ex negato eis catholicorum commercio promptior sperabatur, hoc illis negare non debuit, qui ecclesiasticarum legum spiritum litteræ præponendum sciebat.

42. *Exilio suo veritatem manifestam fieri gaudet.* — Nondum eos hic appellamus, qui Hilarium natura lenem non credunt; quique eum quadam exilii impatientia, sub specie pietatis, in convicia contra Arianos erupisse suspicantur. Illi grave non erat exilium, quo veritatem, quam unice deperibat, illustrari perspiceret. Namque intuens in hanc Apostoli prophetiam : *Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt*, non modice gratulabatur : *quia*, inquit, *iniquitas se per hoc exilii nostri tempus ostenderit, quo veritatis impatiens sanæ doctrinæ prædicatores, ut secum desideria sua coacervet sibi magistros, relegat : exilio nostro lætantes et gaudentes in Domino constitisse in nobis plenitudinem apostolicæ prophetiæ* (*lib.* x *de Trin., n.* 4). Rursum sua sorte contentus ac lætus exclamat alio in loco (*lib. de Synod., n.* 78) : *Exulemus semper, dummodo incipiat verum prædicari.* Eo quidem consilio orthodoxæ fidei præcones in remotas regiones ablegant, ut sana doctrina, cujus impatientes sunt, pariter cum eis exulet : ac hoc frustra sperant. *Non enim cum corporibus nostris exulans vinctum et detentum esse potuit Dei verbum* (*ibid.*, n. 8). Imo ad eorum errores confutandos ac propugnandam fidem majora orta exilium præbet. Prima illa exilii sui otia libris de Trinitate conscribendis eum consecrasse nullum fere dubium est. Urgebat enim charitas, ne Christi adversarios de absentia pastorum proficere diutius sineret. Incœptum tamen opus, absoluto tertio libro, aliquandiu intermisit : quam diu nimirum, ut opinari licet, eum detinuerunt alia majoris momenti negotia. At ubi totum perfecit, non jam timere, ne cum veritatis præconibus vera fides exularet; sed quod hæc ipsius amantibus non occulta aut obscura esset, gratulari ac dicere (*lib.* x *de Trin., n.* 4) : *Liret nunc a multis coacervantibus sibi magistros sana doctrina exulet; non tamen a sanctis*, id est, *fidei orthodoxæ amantibus, quibusque prædicationis veritas exulabit : loquemur enim exsules per hos libros, et sermo Dei, qui vinciri non potest, liber excurret.* Librorum illorum utilitatem eleganter exposuit Rufinus (*lib.* i, *c.* 31) his verbis : *Libros de fide nobiliter scriptos edidit, quibus et hæreticorum versutias, et nostrorum decep.iones et male credulam simplicitatem ita diligenter exposuit, ut et præsentes et longe positos, quibus ipse per se disserere viva voce non poterat, perfectissima instructione corrigeret.*

43. *Hæresim horrens, lenis est in eos qui errant.* — Si quid autem in his libris asperum, hoc in unos illos cadit numero pauciores, quos cæterorum duces, se-

ductores simplicium, et quadam impietatis voluntate in hæresi obstinatos advertebat. *Interdum enim*, inquit, *indulgentem officiosumque esse, non perfecte est charitatis* (*Hilar. lib.* IX *de Trin.*, *n.* 25). Ipse vero cum fidei integritatem perfecte amaret, de iis loqui, qui hæresim omnibus malis artibus propugnabant, non sine horrore potuit. At erga cæteros, quos ignorantia in errore detinebat (*lib.* VI, *n.* 2 *et* 15), misericordia potius quam ulla indignatione affectus, omni qua potuit ratione eis succurrere conatus est : et quo magis eos *ad emendationem proclives* speravit, eo etiam propensiore cura ad explicanda eis planius fidei nostræ mysteria incubuit. Imo erga omnes eo fuit moderatus, quod odiosum sectæ Arianæ nomen toto opere suo siluerit.

44. Librum Job enarrat. — Inter fructus exilii ipsius recensere licet laudatas ab antiquis illius in Job lucubrationes. Nam quamvis quæcumque sacris paginis scripta sunt, ad nostram consolationem scripta sint; aptior tamen est libri hujus meditatio ad ferendos exilii labores, et ad constantiam illam obtinendam, qua inter ævi sui præsules maxime enituit.

45. Quanta patiatur ex tristi Ecclesiæ facie. — Jam ex quo beatæ vitæ spem concepit, propria incommoda nulla reputare didicerat, certo sciens præsentis vitæ ærumnis ad ea pervenit bona, quorum amore flagrabat; idque rerum præsentium tolerantiam immortalitatis præmium expetentibus esse, quod pueritiæ informandæ litteras quod ægris medicinam, quod naufragis natatum, quod adolescentibus disciplinam, quod militiam imperaturis. At quanto dolore cruciabatur, cum quas ubique ederet hæresis Ariana strages, aut intuebatur ipse, aut ex aliis audiebat? Quam sæpe flevit; cum earum regionum, in quibus exulabat, statum contemplabatur ita miserum, ut vel inter episcopos vix occurreret, qui vere Deum cognosceret, et sinceræ fidei nonnulla retineret vestigia? *Nam absque Elusio*, inquit, *et paucis cum eo, Asianæ decem provinciæ, intra quas consisto, vere Deum nesciunt* (*lib. de Synod.*, *n.* 63, *ibid.*, *n.* 1). Anxietates haud parum auxit summum Gallorum silentium, quamvis iis quid cum Orientis episcopis fidei studiique esset, frequenter de plurimis Romanarum provinciarum urbibus significasset. Tum vereri, *ne in tanto ac tam plurium episcoporum calamitosæ impietatis periculo, taciturnitas eorum de pollutæ atque impiatæ conscientiæ esset desperatione suscepta.* Quod ei tanto luctuosius, quanto Galliam ardentius adamabat, non modo ut patriam charissimam, sed ut selectam hæreditatis Christi portionem, quæ hactenus prope omnis ab hæresis Arianæ contagione incontaminata permanserat. Stat tamen in fide sua immotus, et omnibus licet ab ea discedentibus, ipse ne leviter quidem nutat. Neque etiam ira præcipiti in gentiles suos effervescit, quos et suspicatur lapsos, et a se frequenter admonitos certo scit ex ignorantia labi non potuisse. « Sed memor dominicæ sententiæ, qua post primam atque iteratam conventionem eos, qui etiam sub testimonio Ecclesiæ inobedientes exsisterent, haberi sicut ethnicos publicanosque jussisset, sibi quoque apud eos tacendum constituit, nullam deinceps nisi ex impollutæ conscientiæ testimonio quæritans consolationem. » Ad hæc, anno 357, cumulus ei doloris accessit (*Ibid. n.* 2), cum rescivit Osii Cordubensis lapsum, ac blasphemiam Sirmii editam : unde hæresis publica auctoritate prorumpens, jam veluti victrix palam profiteri cœpit, quod antea furtim et in angulis mussitabat.

46. Quantum recreetur ex faustioribus Galliarum nuntiis. — Verum Deus, qui servos suos aliquando probat, nunquam tamen diutius omni consolatione destituit, haud modice recreavit Hilarium, cum anno 358 ineunte ab episcopis Galliarum atque Britanniarum acceptis litteris, didicit eos, negata huc usque Saturnino communione, ipsi fide ac spiritu cohærere; neque solum non cessisse *Saturnini minis, potestatibus, bellis*, sed et missam e Sirmiensi oppido infidelis fidei impietatem damnasse. Quanta ex his nuntiis lætitia perfusus sit, testis est ipsius liber de Synodis, in quo cum passim se prodant animi sancte lætantis vehementissimi affectus, sæpe tamen ei verba videntur deesse, quibus gaudium pro sensu suo testetur. Gaudium hoc nonnihil temperabant minæ, potestates ac bella, quibus Saturninum adhuc per Gallias grassari audiebat. Iis tamen minus movebatur, quibus fortiter a fratribus suis resisti certior fiebat. Non enim tam lugendi quam gratulandi causæ sunt calamitates, quæ virtute suscipiuntur ac superantur. Ea porro Saturnini bella tum proxime post Biterrense concilium intentata, tum anno insequenti denuo excitata esse valde probabile est : primum quidem, ut qui Hilario auctore communionem ipsi negaverant, eam illo submoto redderent; postea autem, ut missa e Sirmiensi oppido fidei formula ab omnibus susciperetur. Alia præterea ei fuit nominatim in Ecclesiam Tolosanam sæviendi occasio : ut cum sanctus illius antistes Rodanius exul in Phrygia vitam finisset, omnem moverit lapidem, quo Arianus in ejus sedem intruderetur. Neque deest conjectura, ad id tempus referendam esse persecutionem, qua, Hilario teste, Tolosæ *clerici fustibus cæsi, diacones plumbo elisi, et in ipsum Christum manus missæ* (*lib. in Constant. n.* 11). Ex earum occasione litterarum, quibus et de Saturnini violentia, et de Gallorum in retinenda fide constantia certior factus est (*lib. de Synod.*, *n.* 5), significarunt nonnulli episcopi, sese ab eo cupere rescire quæ Orientales in fidei professionibus gererent ac gessissent, et quid ipse super omnibus eorum dictis sentiret. Nec alio, uti videtur, tempore ad eum delata est Abræ charissimæ filiæ epistola, qua se miro illius desiderio teneri nuntiabat.

47. Continuo per Orientem, Hilario haud dubie monente et instigante, Gallorum imperturbatæ inconcussæque fidei fama percrebuit, eorumque in damnandis hæreticis studium quosdam Orientalium episcoporum sero jam ad aliquem pudorem nutritæ exinde hæreseos auctæque commovit. Hi *exempli* eorum *auctoritate* incitati paulo ante festum Pachæ anni 358, Ancyram, ubi erant plures jam ad consecrandam ec-

clesiam congregati, quotquot quam primum possunt convenire sibi adjungunt, et ea in odium Sirmiensis proximeque secuti Antiocheni conventus edunt decreta, quæ sine fidei Nicænæ professione tueri nemo recte valeat. In uno quidem ex posterioribus homousion damnant; sed legati eorum Sirmium statim missi, sive catholicorum gratiam sibi conciliare cuperent, sive hoc decretum adverterent cum superioribus minime stare posse, illud cum paucis aliis supprimunt, et fidei professionem sic castigatam imperatori offerunt. Imperator ipse dum hanc legationem honorifice excipit, ac monitus a legatis, dum falsitatem eorum, quorum auctoritate in invidiam deducebatur, adeoque errorem non tam suum, quam adhortantium agnoscit; sese invidia apud Deum liberat atque apud homines. Tum (*num.* 79 *et* 81) Valens, Ursacius, Germinius, aliique qui in Potamii et Osii sententiam ita et ipsi (*num.* 3) sentientes confirmantesque concesserant, ac forte fortuna Sirmio nondum recesserant, coacti rationem reddere cur homousion et homœusion Sirmiensi formula rejecissent nulla se alia excusare valuerunt, nisi quod his verbis quid significaretur ignorarent. Hac eorum excusatione accepta, compulsi sunt damnare quod antea Sirmii fecerant, et fidei ab Ancyranis legatis propositæ subscribere.

48. Laudat Hilarius (*num.* 63) hanc Orientalium patientiam, *quibus suffecit post blasphemiæ voluntatem, coactæ saltem fidei professio.* Quamvis enim suspecta omnino sit plerorumque subscriptio, ipsi tamen *gratulandum videtur in tanta blasphemantium episcoporum hæretica pertinacia aliquem ex his suscipi pœnitentem.* Neque ipsum fugit, eos facile falsi convinci potuisse: tum quod alias semper fefellissent, tum quod omni fide esset destituta quæ ab eis obtendebatur ignorantiæ excusatio. Sed vir *natura lenis et placidus* non admodum queritur (*num.* 69) de venia facilius data: *quia religiosum est Deo sua reservare, et ignorationis error humanus est.* Et cum difficillimum esse dicat, ne nominatim Ursacius et Valens non mentiri existimentur; hoc tam modeste ostendit, ut vel hinc se prodat innata ipsius mansuetudo. *Sed ignoscant*, inquit (*ibid.*) *mihi duo episcopi Valens et Ursacius, quod eos pro ætate atque exercitatione sua ignorasse non credo. Et difficillimum est, ne mentiri existimentur, qui se in alio negotio non possunt nisi mendacio purgare. Sed Dominus hoc magis tribuat, ut nos male opinemur, quam illi non ignoraverint.* Quam non temere de his judicaverit, rei probavit eventus: sicut et quod interdum utile esse sensit, ut hæretici etiam inviti cogantur ad fidei rectæ professionem, confirmavit summa illa constantia, qua tandem Germinius propugnavit, quod Sirmii coactus subscriptione sua ratum fecerat (*Frag.* XIII. *et* XV).

49. Ob hæc Orientalium Ancyræ ac deinde Sirmii gesta, spes Hilario maxima affulsit veritatis in eam orbis partem revocandæ, unde antea prope omnis exulabat. Jamjam adesse sibi videbatur tempus illud optatum, quo imperatorem alloqui liceret, ac toto orbe Arianam hæresim fugare. Ipse enim de causæ suæ bonitate securus, sic etiam bene sentiebat de Constantii pietate, ut si ei exponendæ fidei potestas sibi fieret; quem ille hæreticis hactenus præstiterat favorem, deinceps in gratiam catholicorum convertendum esse non ambigeret. Ut igitur votis potiretur (*vide* 3, *Responsum apologet.*), Orientalium, qui apud imperatorem præpollebant, benevolentiam sibi necessariam ratus, propensius exinde captare eam studuit. Ac licet hoc se eo facilius consecuturum speraret, quo cum Orientales Ariani acre bellum indixissent, minus jam abhorrerent a catholicis, hos inter et illos veluti medii; id tamen sibi arte procurandum duxit. Qua autem sit usus, sequentia illius gesta explicabunt.

CAP. VII. 50. *Quid Hilarius a fine anni* 358, *ad concilium Seleuciense egerit.* — Litteræ a Gallicanis episcopis Hilario datæ rescripto ei occasionem præbuerunt, quod vulgo juxta Hieronymum *Liber de Synodis* appellatur. De quo quamvis speciali præfatione agendum, silere tamen hic non licet, ne potiori parte careat tam præclaræ vitæ series. Nam quæ in Hilarium cum naturæ, tum gratiæ bona Deus contulerit, ex nullo alio monumento perspicies evidentius. In hoc si quidem emicat sincera in Deum pietas: in Dei Ecclesiæque rebus singularis prudentia (*num.* 78), reverentia in regem (*num.* 8), in patriam amor, pacis studium, humilitas christiana, zelus secundum piæ discretionis scientiam temperatus, uno verbo omnes quæ piissimum juxta atque fortissimum Ecclesiæ Principem decent virtutes.

51. *In quo Orientales et Occidentales ad pacem mutuam præparat.*—Maxime ut optatis satisfaceret Gallorum, qui de Orientalium rebus certiores ab eo fieri postularant, exeunte anno 358, aut anno 359, ineunte hoc opus suscepit; non sine demissa sui præfatione, qua *grave onus sibi imperitissimo atque indoctissimo omnium* impositum testatur. Id in eo ab exordio sibi præscripsit, ut quia non ignoraret Gallos Orientalesque mutuis suspicionibus detineri, eas non augeret, sed imminueret, et utrosque ad concordiam in proxime habendis conciliis firmandam præpararet. Res sane ardua, et caute admodum prudenterque tractanda. Ipse hujus difficultatis conscius, non ingenio, non propria sagacitate et industria confisus est (*num.* 65), sed ad consequendum quod ex uno Christi amore tentabat, opem divinam assiduis precibus exoravit, et impetravit. Quippe non sine Dei numine sic sermonem temperavit, ut et sibi conciliaret Orientales, nec justam offensæ causam Gallis relinqueret. Illos porro sic judicavit tractandos, velut qui ex morbo convalescerent, et in quibus ita esset spes perfectæ sanitatis, ut ægritudinis pristinæ reliquiæ non deessent. Fovendi adhuc erant, adjuvandi erant, et ab erroris profundo assurgentibus auxiliaris manus præbenda, ut inde penitus emergerent. Huic illorum infirmitati morem gerere cupiens, eos modo excusat, modo laudibus extollit, et ubique a conviciis se abstinet. Tum ubi benigno sermone animi sui specimen eis præbuit, veritatem ita blande insinuat, ut hanc non valeant prorsus respuere. Sic enim eis indulget,

ut ipsis ad veram fidem nonnihil deesse non dissimulet (*num.* 63), sic excusat quod uni fidei non steterint ut eos longe beatiores gloriosioresque prædicet, qui perfectam atque apostolicam fidem conscientiæ professione retinentes, conscriptas fides huc usque nesciunt : ita eos laudat quod hæreticis restiterint, ut neque taceat justæ adhuc reprehensioni esse obnoxios : sic denique eorum homœusion probe intellectum non respuit (quod indignum judicet de verbis litigare, ubi de rebus ipsis consensio est), ut tamen homousion præferendum et Nicæno Concilio adhærendum esse demonstret. Hoc eis tantum concedit, ut *ad* hujus vocis *interpretationem si quid addendum, communiter*, inquit, *consulamus. Potest inter nos optimus fidei status condi, ut nec ea quæ bene sunt constituta vexentur, et quæ male sunt intellecta resecentur* (*n.* 90).

52. *Offendit libri sui reprehensores.* — Ea ratione prudentissime cavit, ne Gallorum aliorumve, quibus ut cara admodum fides Nicæna, ita suspecti valde erant novarum formularum conditores, offensam incurreret. Non omnem tamen vitare potuit. Mox enim ei a nonnullis, nominatimque a Lucifero exprobratum, quod approbato homœusio, defensores ejus Orientales orthodoxos habuisset, et in laudes eorum ita fuisset effusus, ut turpis adulationis notam declinare nullatenus posset. Id non sine speciali Dei nutu factum putamus : cum ex Hilarii responsis, quæ e mss. nunc primum eruimus, illustrentur multa, quæ hactenus non satis manifesta fuerant.

53. *Apologiam illius permodestis verbis instituit.* — Ac primo quidem hinc certius innotescit Hilarii ingenium. *Qualis enim quisque apud se lateat, contumelia illata probat*, inquit Gregorius papa (*lib.* 1 *Dial.*, *c.* 5). Neque graviorem contumeliam pati potuit vir recti fideique amantissimus, quam ut præ adulandi vitio fidem non rectam approbasse insimularetur. At vero Hilarius nedum injuriam injuriis repellit (*lib. de Synod.*, *n.* 6), sed neque etiam queritur de se temere judicatum : quamvis initio operis sui tam obnixe obtestatus sit, ne quisquam *non comperta usque ad finem ratione dictorum*, de se judicandum existimaret. Totam autem culpam velut in se suspiciens, quasi obscurior ipsius sermo justæ reprehensioni locum dedisset, se *parum intellectum* respondet (*Respons.* 4, *apolog.*) : idque modeste demonstrat ex dictis suis, quibus ita laudat Orientales, ut *non veram eos fidem sed spem* dumtaxat *veræ fidei attulisse* prædicet. Non minori cum modestia laudum earum, quas illis tribuit, mysterium aperit, hoc se scilicet præstitisse, primo ut quod episcopum maxime decet *procacium conviciorum effugeret fœditatem* (*Respons.* 4) ; 2° *ne in his, quæ possent tanquam excusabilia defendi, videretur calumniari* (*Respons.* 5) ; quia religiosum est Deo sua reservare, et ubi non est evidens malitia, de aliis tutius bene quam male judicatur ; 3° ut blandus allocutionis sermo illos, ad ea utilius audienda præpararet, in quibus occulta quarumdam expositionum scandala *amarius atque probrosius* proderentur (*Respons.* 4) ; postremo ut hoc pacto adjuncta sibi eorum benevolentia, ab imperatore contra Ursacium et Valentem Orientis Occidentisque perturbatores posset audiri, non secus ac illi auditi jam fuerant adversus Eudoxium aliosque Anomœorum fautores. Sed quam morum suavitatem spirat illud ad objectum de similitudinis approbatione responsum? *Satis absolute, domine frater Lucifer, cognosci potuit, invitum me homœusii mentionem habere. Sed quia tu similitudinem Filii ad Patrem prædicabas, demonstratio ejus a me fuit exponenda sine vitio* (*Resp.* 6). Tantum Hilario studium pacis fuit, tanta erga Confessores Christi religio, ut ne ab aliquo ex illis dissideret, sese ad eorum etiam haud satis accuratas loquendi rationes accommodarit. Utinam Lucifer ipsius imitator potius fuisset, quam reprehensor. Sane confessionis gloriam pertinaci schismate non turpasset.

54. *Orientalium fidem semper suspectam habuit.* — Habent et in his responsis scriptores catholici rarum ejus modestiæ exemplum, qua rationem iis reddere teneantur, quibus forte aliquid ex scriptis suis displicuerit. Ex iisdem quoque tollitur omnis dubitatio, habuerit ne Hilarius Orientales velut orthodoxos et hæresis minime suspectos, necne. Plane enim declarat, se suspicionem ab his nullatenus ademisse, nec dixisse veram ab eis fidem allatam. Adjicit præterea, se *similis substantiæ piam intelligentiam* non solum dixisse, quia esse et *impiam* intelligeret ; sed et eam solam esse piam admonuisse, *quæ unitatem substantiæ prædicaret*. Quocirca de illis hoc unum testatur, quod *eorum aliqui nonnulla* pie verbis præferebant (*lib. in Constant.*, *n.* 12 ; *lib. de Synod.*, *n.* 8) : at de pio cujusquam sensu nihil asseverat. Eamdem ob causam Gallos in Orientem accitos laudat, quod se intra communionem ipsius continentes a cæteris extra Gallias abstinerent : ne videlicet incauta eorum, qui homœusion impie prædicarent, communione polluerentur. Ipse ne de Basilio quidem Eleusio, et Eustathio, quos in primis commendat, se sine timore ac suspicione esse significat. *Vereor enim*, inquit ad eos, nondum integram esse ipsorum fidem contestans, *vereor Orientis hæreses in tempora singula pullulantes* (*num.* 90). Hos quidem ab Arianis recedere gratulabatur, sed eosdem de fermento veteri aliquid adhuc retinere ingemiscebat. Certe Arianam doctrinam etsi damnabant, non suscipiebant tamen catholicam. Imo cum decretum adversus homousion edebant, videbantur Ariani ; cum postea supprimebant, ad catholicos redire velle existimabantur. Ea in causa sic se gessit Hilarius, ut ad ejus exemplum componere se quisque possit, qui offendit hæreticos ad saniorem sententiam revertentes, quos tamen nondum constet ab antiquis erroribus esse alienos. Tum enim prudentis est benigne suscipere ab hæresi deficientes, et ad fidem orthodoxam allicere ; sic laudare quod fecerint, ut et intelligant aliquid adhuc sibi deesse ; sic apud catholicos, ut ab eis recipiendis minus abhorreant, efficere, ut nec temere eis credant, nec præcipiti cum ipsis communione in discrimen fidei veniant. Hac agendi ratione Hilarius etsi non omnino consecutus est, proxime tamen perve-

nit ad id quod expetebat. Exinde enim Orientales benevolentia ejus capti, et in horum gratiam flexi sunt Galli. Hinc illi Constantinopoli ab Anomœis inique habiti ad Hilarium summa cum fiducia confugerunt, neque eis amicas litteras abnuerunt Galli Parisiis congregati.

55. *Filiæ virginitatem ac vestium modestiam persuadet.* — Tantis pro Ecclesia curis distentus, ut officiis suis nulla in parte deesset, puellæ ad virtutem instituendæ operam dare non neglexit. Neque curavit tantum militiæ suæ stipendium Ecclesiæ persolvere, et ad Gallicanos præsules episcopatus sui in Christo vocem destinare; sed et filiæ suæ Abræ charitatis paternæ monimentum transmittere sollicitus fuit (*lib.* I, *n.* 6). Hujus nuptias, Deo sibi revelante, ut loquitur Fortunatus, vel etiam ex uxori litteris didicerat ambiri ab adolescente genere B formia, divitiisque admodum spectabili. Ipse vero magna exilii sui, et eorum quare pro Dei confessione passus erat, mercedem fore existimans (*v. epist. ad Abram.*, *n.* 2), si filiæ Christum sponsum accipere mereretur, hanc illi gratiam multis a Deo precibus impetrarat. Primum igitur ei sponsi hujus tam præclari amorem ingenerare studet, tum ut illo ejusque donis sese dignam efficiat hortatur, in primisque persuadet, ut abjecta omni veste serica, vel infecta, aut auro ornata, vanos hujusmodi ornatus sibi offerenti deinceps dicat : *Sufficit mihi lana ovis meæ, sufficit mihi color quem natura attulit, sufficit mihi textus insumptuosus. Non mihi impedimento sint istæ inutiles, et sordidæ margaritæ, quæ exspecto aliam pretiosissimam, pulcherrimam et utilissimam* (*num* 6). C Is enim in Ecclesia mos antiquus fuit, Cypriani libro de habitu virginum, et plurimis Hieronymi epistolis valde testatus, ut sacræ virgines, abjecto vestium cultu, vulgaribus dumtaxat uterentur. Quamquam cum non ignoraret pater sapientia non minore quam pietate præditus, virginitatem suaderi posse, sed ad eam cogi neminem debere; sic filiæ commendat illius decus, ut nullam ipsi necessitatem imponat. Imo cœlesti sponso, quem ei cooptarat, non spondet quidquam, donec ipsa se cæteris eum anteferre significarit. Quocirca eam, quibus potest litteris, sibi rescribere jubet (*num.* 7), *nullo interrogato*, ne forte si quem interrogasset, rescriptum ad illius magis quam ad suum arbitrium accommodasse putaretur. Auctor ei tamen est, ut si quid difficultatis patiatur aut in epi- D stola, aut in hymnis quos una misit, consulat matrem, quæ paribus votis filiæ suæ sanctitatem exoptabat.

CAP. VII. 56. *Qui Hilarius Seleuciæ, se gesserit.* — Dum hæc domesticæ simul, et ecclesiasticæ charitatis pignora deportarentur in Gallias, Hilarius quartum jam exilii annum in Phrygia agens inter reliquos episcopos per vicarium ac præsidem data evectionis copia Seleuciæ adesse compellitur. Hæc ubi dixit Sulpicius (*pag.* 254), addit imperatorem de eo nihil specialiter mandasse, sed judices generalem jussionem secutos, qua omnes episcopos ad concilium cogere jubebantur, hunc quoque inter reliquos vont es miscuisse; idque Dei nutu ita gestum, ut vir A divinarum rerum instructissimus, cum de fide disceptandum erat interesset. » At vero si generalis jussio; cur Lucifer, cur Eusebius Vercellensis non leguntur accersiti? cur unus tot inter exules Hilarius adesse compellitur? Num id potius factum Basilii Ancyrani opera (cujus nutu plurima tum gerebantur) : cum ab eo partes suas non parum adjuvandas sperare, quem proxime laudatorem habuisset. Neque is erat Hilarius, qui multum repugnaret, cum illustrandæ ac defendendæ veritatis occasio, quam studiose quærebat, per se oblata videretur. Interea vero Deus sanctitatem ipsius illustri signo declaravit.

57. Die enim Dominico castelli cujusdam templum vix erat ingressus (*Fortunat.*, *lib.* I, *n.* 7), cum puella gentilis, nomine Florentia, multitudinem populi irB rumpens, servum Dei illuc advenisse magna voce testata est. Quæ statim ad pedes ejus provoluta, illumque ut se sacro crucis signo Christo initiaret obtestans, non surrexit donec voti compos fieret. Moxque cum Florentio patre ac tota familia baptizata, sanctum Christi confessorem Pictavos usque secuta est; eum sibi jam patrem solita dicere, non a quo generata, sed per quem regenerata erat.

58. « Is ubi Seleuciam venit, » inquit Sulpicius (*pag.* 255), « magno cum favore exceptus, omnium in se animos et studia converterat. Ac primum quæsitum ab eo, quæ esset Gallorum fides : quia tum, Arianis prava de iis vulgantibus, suspecti ab Orientalibus habebantur trionymam solitarii Dei unionem secundum Sabellium credidisse. Sed exposita fide sua juxta ea quæ Nicææ erant a patribus conscripta, Occidentalibus perhibuit testimonium. Ita absolutis omnium animis, intra conscientiam communionis necnon etiam in societatem receptus, concilioque adscitus est. »

59. In eo concilio non sine ingenti dolore tantum blasphemorum reperit, quantum Constantio placuerat (*Hilarius in Constant.*, *n.* 12). Ut tamen pluribus prodesset; et dolorem suum dissimulandum, et affabilem omnibus sese exhibendum esse existimavit. Interim quæ unicujusque fides, quæ studia essent, diligenter explorabat. Ac primo quidem consessu, qui anno 359, die septemb. 27, habitus est, cum tres in partes secessisset concilium, deprehendit centum et quinque episcopos pro homœusio, pro anomœusio autem decem et novem stare, nec homousion constantissime defendi nisi ab unis Ægyptiis, a quibus etiam Georgium Alexandrinum excipit. Et fatetur quidem aliquos ex iis, qui homœusion prædicabant, nonnulla pie verbis præferre; at neque hoc de omnibus, de horum etiam sensu incertus, audet affirmare : cum contra ab anomœusii defensoribus nihil nisi profanissimum asseri testetur. Quanto autem perculsus horrore est, cum, eo præsente, publico in conventu recitatæ sunt infandæ Eudoxii blasphemiæ, quibus generationem in Deum cadere nullatenus posse propugnabat? *O miseras*, exclamat (*num* 15), *aures meas, quæ tam funestæ vocis sonum audierunt; hæc de Deo ab homine dici, et de Christo in ecclesia prædicari!* Neque vero hæc patienter ferre potuerunt,

aures in iis, quæ gloriam Christi spectant, minus scrupulosæ ; sed his recitatis tumultus exortus est, et concilium in diversa distractum.

60. Postridie qui pro homœusio stabant (*Socrat. lib.* II, *c.* 39), in ecclesiam quæ Sileuciæ est convenientes, occlusis foribus, perlectaque fidei formula quæ Antiochiæ in encæniis edita fuerat, eam subscriptione sua confirmarunt. Nullum dubium est, quin Hilarius una cum Ægyptiis ab hoc conventu abfuerit, utpote qui privatus erat, et unius duntaxat factionis. An vero tertio die concilium sit ingressus, aut certe ex eo non prius egressus sit, quam cogente Leona comite rursum omnes in unum convenirent, plurimi dubitant. Cum enim narret Socrates (*lib.* II, *c.* 40), Acacianos primum ad concilium venire noluisse, nisi prius ejicerentur cum ii qui antea depositi, tum illi B qui in præsentia accusati erant; ac tandem iis qui in crimen vocati fuerant egressis, introisse : ex numero eorum, qui egredi coacti sint, Hilarium extitisse arbitrantur. At vero quis depositum dicat, cujus loco nullus fuerat suffectus? aut quis existimet in præsentia insimulatum, qui *magno cum favore* a concilio *exceptus, omnium in se animos ac studia converterat?* Sed neque eum ipsis Acacianis invisum facile approbaveris, quos etiam post hunc consessum constat ipsius expetiisse colloquium, et sua ei secretiora sensa sine fuco aperuisse. Sic ipse narrat quod eo die gestum est.

61. *Cum intellexissent et hi, qui dissimilem Deum dicunt, humanas aures tantæ impietatis verba* (cujusmodi primo in consessu sub Eudoxii nomine recitata erant), *non suscepturas esse*; *rursum hi ipsi* (verba mutantes, non animum ; et ideo) *fallaces potius, quam Ecclesiæ episcopi, fidem scribunt* (ac tertio concilii die per Leonam synodo proponunt, in qua) *homousion, et homœusion, et dissimilitudinem damnant. Quod cum contrarium ipsis sensu audientium esset : ipse ego quemdam eorum, qui forte ad me pertentandum accesserat, quasi ignorans rerum gestarum percontatus sum, quid sibi vellet istud, ut qui unam substantiam Filii esse cum Patre damnassent, vel esse similis substantiæ denegassent, dissimilitudinem damnarent. Tunc mihi ait, Christum Deo similem non esse, sed similem Patri esse. Rursus hoc obscurius mihi adhuc videbatur. De quo cum iterum interrogarem, tunc hæc ita locutus est : dico eum dissimilem Deo esse, similem Patri posse intelligi; quia Pater voluisset creaturam istiusmodi creare, quæ similia* D *sui vellet, et idcirco similem Patri esse, quia voluntatis esset potius filius, quam divinitatis... Hæc audiens hebui, neque credidi, donec cum publice ex consensu omnium eorum profanissimæ hujus similitudinis ratio prædicaretur* (*lib. in Constant. n.* 14)? Hæc Hilarii verba si attentius perpendantur, primo ex his alterutrum efficitur, ut aut tertio concilii consessui non interfuerit, aut eum illi interfuisse non existimarit, qui ad animum illius explorandum accesserat. Deinde apparet, eum ex duabus factionibus, in quas præsertim synodus discesserat, nulli aperte favisse. Tum mirari est, quam benigne eum excipiat, cujus exsecrabatur impietates, quamque sedate ac sine ulla disceptatione ipsum hæretica A sensa sua pandentem audiat; ac denique ubi arcana totius sectæ mysteria solerter expiscatus est, quam amice, ea inter se minime cohærere insinuando, illum ad veritatem reducere conetur. Quid vero de illa animi æquitate ac temperantia dicemus, qua quod ab uno audivit, non statim, ut vulgo fit, toti attribuit sectæ; sed ab omni se assensu sustinet, donec idipsum publice ex consensu omnium prædicetur (*Socr. lib.* II, *c.* 40)? Hanc autem impiam similitudinis Filii cum Patre interpretationem cum Acacius, tota ipsius factione consentiente, quarto concilii consessu prædicarit, non sine ratione opineris, Hilarium in eo cum cæteris sedisse. De iis enim, quæ tum gesta sunt, loquitur veluti testis oculatus.

62. Postero die Acacianis ad concilium sæpius accersitis ac venire detrectantibus, « hi qui homœusion prædicabant, omnes eos qui maxime sine aliquo impietatis pudore verba superius memorata loquebantur, condemnaverunt. » (*Socrat. ibid. Hilar. contra Constant. n.* 15.) In eo numero, inquit Sulpicius (*pag.* 256), fuere Georgius ab Alexandria, Acacius, Eudoxius, Uranius, Leontius, Theodosius, Evagrius, Theodolus. His Patrophilum adjungit Socrates (*lib.* II, *c.* 40), aliosque præterea recenset, quos a sua dumtaxat communione removere. Condemnati advolaverunt ad regem suum (*Hilar. contra Constant. n.* 15; *Sozomen. lib.* IV, *c.* 23) : exceptique honorifice, impietates suas quanta potuerunt ambitione confirmaverunt. Interea ab altera parte, ut erat mandatum, decem deliguntur legati, qui imperatorem de iis quæ decreverant certiorem facerent (*Theodoret. lib.* II, *c.* 27; *et Sulpic. p.* 256). C Legatos illos, quos inter Basilius Ancyræ, Eustathius Sebastæ, Silvanus Tarsi, et Eleusius Cyzici primarii erant, Constantinopolim secutus est noster Hilarius. Illi enim sic affecti tunc videbantur, ut catholici eorum consortium non vitandum existimarent : adeo ut Athanasius ipse libro de Synodis tunc temporis scripto cum illis veluti cum fratribus, non tanquam cum adversariis agendum hoc argumento demonstrarit : *Si Filium tantum substantia Patri similem dicerent, non continuo assererent consubstantialem; nam stannum argento simile est, et aurichalchum vero auro : sed cum eum adjiciant non ex alia substantia; quid his aliud innuunt, nisi ex ipsa esse substantia Patris.* Hinc et Seleuciense concilium, quod maximam partem iis constaret, qui cum Basilio, Silvano, etc. conspirarent, catholicum apud nonnullos audiit : et etiamnum apud Sulpicium *catholici concilii* titulo cohonestatur.

63. In tanta rerum perturbatione, Hilarii sollicitudines nonnihil ex profligata Anomœorum perfidia, sed non diu allevatæ sunt. Mox enim Constantinopolim perveniens, rursum summo oppressus dolore ingemuit, quod ibi *pauci plurium dominati sunt* (*Hilar. in Constant.*, *n.* 15). Scilicet novemdecim episcopi qui impietatem aperte profitebantur, imperatoris animum prævertentes, centum et quinque quorum aliqui pietatem saltem verbis præferebant, adeo exstitere superiores, ut eos ipsos sibi vicissim cedere coegerint, a quibus anno superiori ad damnandas impietates suas coacti fuerant. Rebus Ecclesiæ sic pessum

euntibus opem suam non denegavit Hilarius : sed afflictos episcopos pro sua humanitate suscipiens, exinde tenebrosa impiorum consilia Occidenti tanta sapientia patefecit, ut prope in nihilum mox cadere cœperint : quod deinceps enarrandum.

CAP. IX. 64. *Quid Hilarius Constantinopoli agat.* — Constantinopoli tum aderat, nullis certis de se mandatis, operiens regis voluntatem si forte ad exilium redire juberetur (*Sulpic. pag.* 261), cum Ursacius eo revertere Ariminensis synodi legat Valens, Magdonius, Megasius, Gaius, Justinus, Optatus, Martialis, aliique duo quorum nomina non occurrunt (*Frag.* x, *n.* 1). Ii ipsi ad imperatorem jam venerant ab Arianis missi : et cum Nicææ in Thracia orthodoxorum legatis auctores lapsus fuissent, redierant Ariminum ut cæteros patres peregrinationis tædio jam emollitos in suam sententiam pertraherent. Quod ubi per fraudem obtinuere, denuo Constantinopolim properarunt, ut quam primum Constantius de rebus a se prospere gestis certior fieret.

65. *Ab Anomœorum societate litteris Orientalium frustra deterrentur.* — Ignorabant interea Orientales quid Arimini cum Occidentalibus ageretur. Et cum partes suas eorum consortio adjuvandas iri non dubitarent; mirantur legatos eorum Constantinopolim ingressos sese statim ipsorum adversariis adjungere. Officii tamen sui esse Silvanus (*Fragm.* XI, *n.* 1) ac socii putant, ut manifesta eis faciant Seleuciensis synodi gesta, ne forte per ignorantiam peccent. Illis igitur significant, se totius concilii, utpote centum et amplius episcoporum legatos esse; tantas vero eorum, quibus ex synodi mandato reniuntur, esse impietates ut eas cum audisset Imperator, statim anathematizari graviter commotus præceperit. Quod ita fraudulenter præstitum esse monent, ut Aetio hæresis auctore damnato, in hominem potius, quam in doctrinam, lata sententia videretur : ideoque se ab ingressu ecclesiæ abstinere. Quare eos rogant, ne socii impiorum effecti, hæresim intra ecclesiam invalescere sinant; sed universa ut geruntur quam primum Occidentalibus nuntient (*ibid. n.* 2). Ariminensis synodi legati sumptis his Orientalium legatorum litteris, quibus subnexæ erant Anomœorum blasphemiæ, ab horum societate minime recesserunt : sed tantus detectæ fraudulentiæ suæ hypocritas furor subiit, ut periculum depositionis in eum constituerint, qui eas susceperat.

66. *Orientales Hilarii opera Gallos sibi devinciunt.* — Sua autem sperni monita moleste ferentes Orientales, dolentesque maxime fœdam hæresim Ariminensium legatorum accessione roborari; rem totam cum Hilario communicandam censent, cujus jam experti erant humanitatem, pacis studium, et in rebus Ecclesiæ gerendis industriam, diligentiam atque magnanimitatem. Quocirca datis ad eum litteris, quæ cum Occidentalibus legatis egerant, edocent : simulque mittunt apographa eorum, quibus conati erant illos ab Anomœorum societate deterrere. Alias quoque, uti videtur, ad Galliarum episcopos adjungunt litteras, quibus eos rogent ut prædictos legatos a communione sua removeant (*Fragm.* XI, *n.* 1). Tunc *fidelis domi-nici nominis prædicator Hilarius*, ut loquamur cum concilio Parisiensi, ex quo totam hanc narrationem mutuamur, omnem eorum exspectationem non explevit tantum, sed et quodam modo vicit. Dulce enim ei erat in tanta blasphemantium multitudine aliquos reperire Christi defensores, et quamvis nondum satis purgatam judicaret eorum fidem, non desperabat tamen ab omni fæce liberandam, quæ tum hæreticorum insectatione probaretur. Non solum igitur singula, quæ sibi ab ipsis tradita fuerant, misit in Gallias; sed et apud Gallos eorum in retinendo *usiæ* vocabulo constantiam laudavit; testatusque est quosdam ex iis indignissime exulare, et in eorum loca episcopos alios substitutos. Denique se Auxentium, Ursacium, Valentem, Gaium, Magasium et Justinum excommunicatos habere, neque cum iis, qui horum sectarentur errores, pacem unquam habiturum nuntiavit.

67. *Parisiensis synodi occasio et acta.* — Ex his Hilarii nuntiis, quos proxime postquam plurimi Orientalium a Constantinopolitana synodo e suis sedibus deturbati sunt, ac proinde anno 360, ineunte misit, non minorem fructum percepere Galli, quam Orientales. Illi enim Parisios statim convenientes, sese Arimini ac Nicææ in Thracia fraudem passos esse deprehenderunt, utpote qui hoc uno prætextu adducti fuerant ad supprimendum *usiæ* vocabulum, quod ab illo vehementer abhorrerent Orientales, eoque retento nulla cum iis incundæ pacis spes foret. Tum rescripto *ad Orientales*, hoc est, ad eos qui in Oriente homœusion propugnabant, errorem ultro fatentur suum, seque ab eo cum ipsorum, tum Hilarii litteris liberatos gratulantur. Læti igitur revocant, quod inviti ac sub falso obtentu abjecerant. Laudantesque Orientales quod homœusion tueantur, caute innuunt eorum interesse ut homousion defendant, quippe quod ab iis ipsis, a Nicæna videlicet synodo in Oriente habita et ex Orientalibus maximam partem constante, contra Ariomanitarum hæresim inventum sit. Se vero hanc vocem, remoto omni hæretico sensu profiteri, verbis ex Hilario pœne conceptis declarant. Abrogant deinde Ariminensis concilii gesta, ejusque legatos totius fraudis architectos communionis suæ exsortes denuntiant, et hoc quidem, inquiunt, *juxta fratris nostri Hilarii professionem.* Damnant præterea Anomœorum blasphemias, quas Orientales litteris suis subjecerant : eosque negant se in episcoporum numero habituros, qui indigne exulantium sedibus suffecti sunt. Demum interminantur a sacerdotii gradu dejiciendos esse, quotquot deinceps in Galliis aut contra Deum, aut contra Christi unigeniti Dei majestatem quidpiam doceri permitterent, aut etiam homousion alia quam exposuerant fide ac significatione profiterentur : ac nominatim Saturninum episcopi nomine indignum renuntiant.

68. *Synodi ejusdem tempus. Ei non interfuit Hilarius, sed moderator tamen ejus fuit.* — Hac simplici expositione perspicuum fit tempus concilii Parisiensis, de quo hactenus diversæ et a vero alienæ fuerunt eruditorum sententiæ. Quis enim jam non videat, cum

Constantinopolitana synodo, quæ primis anni 360, diebus celebrata est, ita connexam esse hanc Parisiensem, ut non necesse sit, inter utramque plus intercessisse temporis, quam oportuit, ut nuntio Constantinopoli in Gallias perveniente episcopi in unum convocarentur? Namque Gallis hæc una fuit conveniendi causa, ut Orientalium litteris rescriberent. At vero has ab illis proxime post Seleuciensem, eamque consecutam Constantinopolit. synodum acceptas fuisse id maximo indicio est, quod quid Orientalibus in illis synodis fidei studiique fuerit, ibi primum Galli sese didicisse profiteantur : quos tamen impatientes esse decuit resciendi quid ab illis gestum esset; cum Orientis Occidentisque concordiam percuperent, ejusque causa nonnihil a pristino usu remisissent. Non temere igitur eo ipso anno, quo habita est Constantinopolit. synodus, Parisiensem consignaveris. Huic Hilarium interfuisse communis est opinio, sed nullo pacto probabilis. Quippe de illo non velut præsente, sed velut internuntio synodus constanter loquitur. Et officii quidem ipsius fuit, ut quæ Orientales Occidentalibus nuntianda mandassent, ipsis quam primum significaret. Neque eum huic officio in re tanti momenti defuisse vel levis suspicio est ; cum etiam non rogatus, pro sua singulari sollicitudine, varia Orientalium studia Gallis diligenter nota facere consuesset. His autem nuntiis acceptis, Galli statim Parisios convenerunt : non expectato igitur reditu Hilarii, cujus tam cito visendi spes omnis tum sublata videbatur. Quanquam illum Parisiensi synodo non modo interfuisse, sed et præfuisse ea ratione concesserim, quod in ea nihil non illius nutu atque concilio actum est. Quippe eo veluti facem præferente errorem suum agnovere Galli, et in hæreticos deinceps tanto majores concepere sancti odii flammas, quanto nequius se ab illis deceptos adverterunt. Tum fidem suam ad fidem illius composuerunt, et a communione sua removerunt, quos ille removerat; Orientales vero ad illius exemplum ita fraterna complexi sunt charitate, ut et ipsi se homœusion non respuere, sed homousion tamen probe intellectum præferre declararent, et illos ad hanc vocem suscipiendam prudenter invitarent.

69. *Scrupulus circa tempus hujus synodi levatur.* — Unus adhuc scrupulus restat : qui nimirum Hilarius Orientales legatos eo ipso tempore, quo eos Constantii voluntati ac violentiæ cessisse alias scribit, honorificis apud Gallos testimoniis commendarit. Verum hunc eximit Philostorgius, ubi narrat, quod *cum in exilium ducerentur, subscriptiones suas, quibus Ariminensis concilii fidem confirmaverant, revocarunt : atque hi quidem consubstantialem, illi vero similis substantiæ Filium iterum prædicarunt* (*in Constant.*, n. 25 *et* 26 ; *lib.* v *hist.*, *c.* 1, *apud Vales. lib. de Synod.*, *n.* 63). Neque enim mirum est illorum tunc temporis patrocinium ab Hilario susceptum esse, cui jucundius nihil unquam fuit, quam aliquem ex fragilitate lapsum suscipere pœnitentem. Dum eum in Gallias Orientalium mandata mittentem sequimur, Parisios nos deduxit rerum inter se connexarum series. Nonnulla tamen intercessere gesta, quæ Constantinopolim nos revocant, sequenti capite contemplanda.

Cap. X. 70. *Reliqui Hilarii pro Ecclesia labores, dum Constantinopoli versatur.* — Anomœi Ariminensium legatorum societate adjuti nihil non effecere, ut Orientales, per quos revocandæ veræ fidei spes quædam supererat, opprimerent. Nec satis eis fuit, quod illos pridie kalendas jan. ad Ariminensis perfidiæ subscriptionem coegissent, sed mox etiam depositos in exilium eos detruserunt. Tunc Hilarius, uti diximus, illorum suscepit litteras, et in Gallias fideliter transmisit (*Sulpic. Sev.*, *p.* 261). Sed et cum optimis sacerdotibus aut metu territis, aut exilio deductis, perfidiæ paucorum cuncti concederent; ubi extremum fidei animadvertit periculum, ut de fide coram adversariis sibi liceret disceptare, ab imperatore petiit. Hoc eum tribus libellis poposcisse, post Sulpicium scribit Fortunatus : sed uterque tres libros, quos etiamnum aut in Constantium aut ad Constantium habemus, videtur confudisse.

71. *Se non sui causa ab exilii reatu purgat* (*lib.* 2 *ad Const.*, *n.* 2). — Exstat adhuc libellus, quem Constantio Constantinopoli, facta sibi ipsius præsentiæ opportunitate, tradidit. Ab ipsius exordio se iniqua exilii sententia multatum probat : petitque ut præsentem Saturninum, cujus ministerio exulabat, usque ad confessionem falsorum quæ gessit adducat. Ad quod sane patriæ desiderio minus impulsus fuit, quam ne exulis nomine imperatori suspectus a petitis caderet (*lib. de Synod.*, *n.* 92). Non enim de exilio multum angebatur, qui haud sciens an tam jucundum sibi foret ab eo in Domino reverti, quam securum esset in eo mori, veritatis patrocinium tum fortiter suscipiebat, cum in exilium pellerentur illius defensores.

72. *De fide sua certus, de aliorum salute est sollicitus.* — Neque insolentis animi est quod ait : *Non tam mihi rogo audientiam, quam tibi atque Ecclesiis Dei;* aut quod hujus dicti sui rationem reddens subjicit, *quia mihi metus est de mundi periculo, de silentii reatu, de judicio Dei; cura autem de spe, de vita, de immortalitate non jam mea, quam tua, universorumque.* Quippe cum fides, quæ vitæ æternæ est fundamentum, una sit, nec possit variari ; æternæ imperatoris aliorumque saluti multum timebat, *quibus facta est fides temporum potius quam Evangeliorum, dum secundum annos describitur, et secundum confessionem baptismi non tenetur, et dum plures* fides *ad id cœperunt esse, ne ulla sit :* ipse autem de fide sua nequaquam erat incertus, qui quam ab Apostolis et Evangeliis in baptismo acceperat, illibatam intemeratamque servabat.

73. *Monet non eam fidem semper veram esse, quæ Scripturis nisi videatur.* — At vero imperatorem *fidem tantum secundum ea quæ scripta sunt desiderantem*, quam prudens ita laudat ut moneat tamen, *neminem hæreticorum esse, qui nunc non secundum Scripturas prædicare ea, quibus blasphemiat, mentiatur?* Et cum his verbis tacite doceat, Scripturarum interpretationem non ex privato cujuslibet sensu, sed ex Ecclesiæ judicio pendere; ideoque fieri ut hæretici, quamvis

Scripturarum usurpent jactitentque verba, quia tamen Ecclesiam non audiunt, *Scripturas sine Scripturæ sensu loquantur, et fidem sine fide prætendant* (*lib.* II *ad Conts.*, *num.* 9) : cavens subinde ne Scripturas ipse videatur defugere, easque hæretici sibi favere glorientur (*num.* 11); nihil se non ex iis dicturum pollicetur: et interim præbet specimen dicendorum.

74. *Omnia removet, quæ petitioni obstare videbantur.* —Neque, hæreticorum more, postulat clam ac semotis arbitris audiri, *sed sub publica conscientia, sub synodo dissidenti*, et ut paulo ante habet, *præsente synodo quæ nunc de fide litigat*, hoc est, coram frequenti hominum multitudine, quæ nequitia, fallendi arte, principis aulæque gratia plurimum nitebatur. Adeo fidebat causæ! adeo se ad eam defendendam divina quadam sancti Spiritus virtute impulsum atque adjutum sentiebat! Quocirca ut omnia removet quæ petitioni suæ, possent obstare; ita et eorum, quæ favere viderentur, nihil omittit : dum imperatoris arbitrio permittit, quatenus et quomodo jubeat eum loqui, spondetque nihil se dicturum nisi quod proficiat *ad fidem, ad unitatem, ad æternitatem, ad Orientis et Occidentis pacem*, nihil non *cum honore regni ac fidei* regiæ, imo etiam de Saturnino nihil locuturum esse, nisi cum jussus fuerit? Id vero Ariani, quorum nutu atque arbitrio princeps agebatur, maximopere abnuere. Ii nimirum erant, de quibus Hilarius ipse loquitur, lib. VI de Trin., num. 15 : *Cum facilis sit adversum stultitiam responsio, emendatio tamen difficilis stultorum est : per quam* (scil. stultitiam) *primum et ratio intelligentiæ non quæritur, et deinceps ab intelligente intimata non capitur.*

75. *Alia ratione Occidenti præsertim succurrere cogitat.* — Sic et imperatorem de fide alloquendi, eumque ab errore avocandi spe cecidit, cum oblata videretur occasio, ad quam ab anno et amplius summe semper intentus fuerat. Ipsi enim persuasum erat, promptissimum summis Ecclesiæ malis futurum fuisse remedium, si ab hæresi Constantius retraheretur. Hoc cum frustra tentasset, ac prospiceret quantam stragem editura esset hæresis, quæ ad Nicænam fidem evertendam conciliorum Ariminensis ac Seleuciensis auctoritate sese accingeret; conatibus illius ea qua posset ratione occurrere cogitavit. Tum ad hoc consilium suum nihil magis opportunum ratus, quam ut simplicem synodorum illarum historiam texeret; librum illum suscepit, qui *adversus Valentem et Ursacium historiam Ariminensis et Seleuciensis synodi continens* ab Hieronymo est inscriptus. Hinc enim efficiendum putabat, *ut unusquisque judicio deinceps proprio consistens opinionem non sequerentur alienam* (*Fragm.* I, *num.*7); et dum sincera horum conciliorum gesta quisque haberet, nullus iis facile crederet, qui illorum tanquam legitima auctoritate gloriarentur.

76. *Historiam Ariminensis et Seleuciensis synodi Constantinopoli inchoat.* — Et tempus et locum, quo hoc opus inchoavit, ipse notat his verbis : *Proferre in conscientiam publicam tento opus grave et multiplex... locorum in quibus gesta res est, nosque agimus, desperatione* (1) *peregrinum.* Quæ enim illa loca, in quibus Hilarius post Seleuciense concilium egit, nisi Orientales regiones, regiaque maxime civitas? Profecto pessima illa res, cui tunc mederi contendit, in ea urbe gesta est, in quam properantes, qui ab Arianis partibus missi sunt legati, omnia conflarunt mala, quæ inde in Ecclesiam defluxerunt. Constantinopoli si quidem structum est consilium, quo catholicis Ariminensis concilii legatis Nicææ in Thracia primum diu detentis, ac postea eversis, totum deinde concilium in Arianorum sententiam adductum est. Ibi legati Seleucienses imperatoris violentia devicti Ariminensi blasphemiæ subscripserunt. Merito civitas illa desperata, quæ veritatis præcones respuebat, ac sectatores Aetii, infensissimos Christi hostes, in se dominari patiebatur. Desperatæ et pleræque Orientis provinciæ quibus Arianos episcopos, iis qui melioris spei erant ejectis, Constantinopolitanus conventus præficiebat. His igitur proficere se posse desperans Hilarius *peregrinum opus* instituit, Occidentis scilicet regionibus, a quibus peregrinabatur maxime profuturum.

77. *Hoc Opere Arianorum in Occidente dolis occurrere studet.* — Grave quidem vulnus tum Occidentali etiam Ecclesiæ Ariminensi concilio inflictum erat : at longe minus desperata erat salus illius. Nam cum ei sese palam et aperte ostendere non auderet hæresis, sed pacis et unitatis velo fœditatem suam tegere, ac veram sub speciosis verbis fidem mentiri cogeretur; hanc videbatur repressurus esse, qui nudam detracta larva proderet. Eam ob causam Ariminensis ac Seleuciensis concilii historia Arianæ sectæ in Occidente præsertim gesta comprehendere, et in oculis conspectuque omnium exponere curavit. Ut enim arbor ex fructibus, ita, Domino ipso auctore, latens hæresis ex gestis dignoscitur. Et quidem vel ex solis epistolis aliisque monumentis, ex quibus hoc opus compactum est, Ariana hæresis prudenti cuique facile apparet in verbis fraudulenta et mendax, in actis crudelis et inquieta, in fide levis et inconstans, Patribus ac sibi ipsi contraria : iisque notis a fide vera, quæ simplex, pacifica, sibi constans, Patribusque consentanea est, apprime secernitur. Ut autem magis ac magis elucescat utriusque discrimen; Arelatensi synodo, qua reus postulatus est Athanasius, Sardicensem, qua idem absolutus fuerat; Arianis formulis, Nicænam; eaque quæ Arimini sunt decreta, priusquam diris Constantii minis flecterentur Patres, iis quæ postmodum ab iisdem metu jam victis per fraudem extorta sunt, opponit. Præterea cum ex auctorum sectatorumque moribus internoscatur hæresis; hunc librum non imprudenter inscripsit *contra Ursacium et Valentem*, omnium scilicet, quæ Ariana in Occidente patravit, auctores actoresque primarios. Horum porro tam evidentia sunt mendacia, tamque

(1) Legi etiam posset : *disparatione* : sicque *peregrinum opus* erit, quia nos ad diversa loca deducet, in quibus habitæ sunt diversæ synodi.

manifesta pravitas atque instabilitas morum; ut doctrina, quæ hujusmodi nitatur fautoribus ac patronis, aut falsa, aut falsitatis suspecta merito judicetur. Aliam indicat Hilarius ipse in Ariana hæresi falsitatis notam : quia nimirum a Constantii ministris *ita ubique agitur, trepidatur, instatur, ut plane iniquitatem assertionis, obtinendi labor et cura prodiderit* (*Fragm.* I, *n.* 4). Libri ad Arianas res elucidandas tam utilis tamque necessarii jacturam satis lugere non valemus; ejusque desiderium augent quæ tandem et Pithœana bibliotheca edita sunt Fragmenta. Ex quibus perspicuum est, eum ita ab Hilario Constantinopoli inchoatum esse, ut tamen deinceps, quoad vixerit, ei singula adjecerit monumenta, quæ ad Arianam historiam pertinerent.

78. *Illum intermisit, ut contra Constantium scriberet : qua ratione permotus.* — Opus illud nondum erat absolutum, cum intermittendum judicavit, ut vehementius aliquod præsentiusque remedium Ecclesiæ laboranti adhiberet. Cum enim alii Constantii terrerentur edictis ac minis, alii ementita ac falsa ipsius religione detinerentur; ea non potiebantur animi tranquillitate, qua expositam in eo libro rei veritatem perspicerent. Interim, ut Hieronymi verbis utamur, *periclitabatur navicula apostolorum, urgebant venti, fluctibus latera tundebantur, nihil supererat spei* (*Hieron. dial. contra Lucifer.*), nisi Constantii impietas iis manifesta fieret, qui auctoritate ipsius in errorem abducebantur. Lupus erat adversus Christi gregem edictis sæviens : sed pacis et unitatis obtentu palliatus, ovis pellem præ se ferebat ac vultum; et sub ementita pietatis imagine non minorem cladem, quam aperta vi inferebat. Tum vigilantissimus Ecclesiæ pastor officii sui esse duxit ovinum amovere pallium, ac Domini sui gregi lupum ostendere. Detinebatur tamen aliquantum, cum Constantio a Deo datam esse respiciebat regiam illam potestatem, cui potissima esset reverentia deferenda. Et hoc quidem respectu quantum retineretur, non solum persuadent libelli ad Constantium dati, aliique in quibus summa semper cum religione de eo loquitur, sed et ipsa proxime inchoata Ariminensis synodi historia (*Fragm.* I, *n.* 5) : in qua regi, quia omne regnum a Deo sit, potissimam reverentiam deferendam esse, conceptis verbis memorat. Tantum ibi monet, regis potestate aliam esse superiorem, et *non æquanimiter judicium ejus episcopalibus arbitriis admitti, quia Cæsaris Cæsari, Deo autem reddenda quæ Dei sunt.*

79. Evangelicæ huic regulæ obsequendum ratus, Constantii fidem, mores ac gesta, quæ Ecclesiæ intererat nosse, patefacere tandem constituit. Rem tamen, quæ scandalo esset obnoxia, sese aggredi non ignorans, consilii sui rationem statim ab exordio multis probat. Et licet se ad scribendum nullo humanæ perturbationis vitio incitatum esse nonnullis nondum persuaserit; nobis tamen, post tot probatissima moderationis illius exempla, religio est ei non credere testanti : *Neque injuriam queror, qui dissimulavi recentem. Et qui ne quid ex causa mea loqui existimarer, tantum adhibui ad silentium temporis, nunc mihi non alia ad dicendum causa quam Christi est : cui et hoc debui, quod usque nunc tacui; et cui ex reliquo me intelligo debere, ne taceam* (*num.* 3). Sicut igitur diuturnum silentium non timidi animi, ita vehemens sermo non tumidi fuit. Una eademque Christi charitas eum et prudenter tacere, et fortiter loqui docuit. In hoc quoque moderatus, quod ubique ita temperat sermonem, ut non alia quam quæ a Constantio in Ecclesiam gesta sunt referens, a cæteris illius vitiis notandis sese prorsus abstineat. Sed et martyrium ipse toto animo spirans, aliisque vehementer verbo et exemplo inspirans, Cæsareæ majestati de suo jure nihil ereptum vult, dum ad contemnenda Constantii edicta, quibus parere nefas erat, animos accendit.

80. Demum ad id valet hic liber, ut cum non deessent, qui Constantii in colendo Christo ejusque Ecclesia tuenda religionem commendarent, catholici eum hæreticum esse, hæresim tueri, hæresim præcipere, hæresim vindicare admoneantur; adeoque persuadeantur sibi ab illo cavendum velut a tyranno tanto periculosiore, quanto majus fidei studium ostentans verbis, eam ex animis avellere cogitaret. Hunc enim librum ad Catholicos, et non ut existimatur vulgo, ad Constantium ipsum destinatum esse planum est ex ipso exordio, in quo Hilarius *Fratres*, non Constantium alloquitur. Fratres illos, Gallicanos episcopos non immerito intellexeris; ad quos non gravabatur scribere, quoties contingebat aliquid novi, ex cujus ignoratione nonnihil eis extimescebat. Quamquam non negaverim eum etiam eo ipso opere æternæ imperatoris saluti consultum voluisse, ac tentasse, an forte quem Arianorum artibus ac præstigiis veluti fascinatum ac sopitum ad sanam fidem blando sermone excitare nequiverat, ad eam acriore revocaret.

81. *An librum vivo Constantio publicarit.* — Neque deest conjecturæ locus, eum vel amicorum consilio, vel propria dictante prudentia ac moderatione ad tempus suppressisse hoc opus, de cujus utilitate non satis sibi constaret, et id quidem maxime, cum paulo post in Gallias redire permissus, id per se præstare longe efficacius valuerit, quod per hunc librum proposuerat. Ita cum rerum gestarum veritate componuntur Hieronymi verba, quibus eumdem librum *contra Constantium vita functum* inscribit, quamvis eum anno quinto post Mediolanense concilium anni 355, adeoque Constantio adhuc superstite, scriptum esse Hilarius ipse significet. Si qui autem quo loco scriptus sit non attendentes, vehementioris indolis partum eum esse suspicantur; mirantur alii in eo cum tanta naturæ lenitate tantam fortitudinem, nec ambigunt quin quidquid vehemens apparet, ex flagranti martyrii studio proficiscatur. Hoc magis persuadent, quæ redux ab exilio edidit innatæ mansuetudinis exempla.

CAP. XI. 82. *Hilarii ab exilio reditus ac labores ad Gallias ab hæresi purgandas.* — Varios Hilarii co-

natus ad hæresim in ipsa regia civitate tanquam in suo fonte comprimendam cum diutius ferre non valerent veritatis inimici; imperatori persuasere, ut *quasi discordiæ seminarium et perturbator Orientis redire ad Gallias juberetur*. Gloriosum sane hoc illius crimen, quod iniquos prava sua pace gaudere non sineret, et seminarium quoddam esset, unde excitarentur assidue, qui cum hæreticis discordarent! Consilii hujus, quo in Gallias dimissus est, Valentem et Ursacium auctores exstitisse testis est Fortunatus. Quod autem Sulpicius eum *absque exilii indulgentia* in Gallias dimissum ait, variis eruditorum conjecturis locum præbuit: illum nimirum aut militis alicujus custodiæ creditum, aut Pictavis prohibitum esse egredi, aut aliquam secum ubique tulisse exilii notam. At quam liberum ei fuerit quocumque libuerit excurrere, satis probant quæ proxime a suo in Gallia reditu egit. Sulpicii verba Fortunatum jure dixeris interpretari voluisse, ubi ait « Hilarium in Gallias redire compulsum, exilium ampliùs se pati existimasse, quod illic terminum disceptationis non consecutus, Ecclesiæ perturbationem relinqueret. » (*Fortunat. lib.* I, *n.* 8.) Ideo etiam forte dictus est absque exilii indulgentia dimissus, quod imperator molestum interpellatorem a se removere cupiens, cum velut indignans in patriam redire jusserit, donec de causa ipsius maturius deliberaretur.

83. Tum vero Hilarium de prælio revertentem Galliarum Ecclesia complexa est; non quidem post Constantii obitum, quod sonare videntur Hieronymi in dialogo contra Luciferianos verba; sed ut in Chronico accuratius scribit, postremo ejusdem imperatoris anno. In illo enim libro communem ecclesiatum ex episcoporum exulantium reditu lætitiam describens, Hilarium ab iis, quibus Julianus Augusti dignitate auctus reditum ad ecclesias permisit, distinguere non admodum curavit. Quod ea fere ratione fecit, qua Sulpicius aliique sic narrant Paulini, Eusebii, Luciferi, Dionysii, Hilarii, Rodaniique exilia, ut quamvis tribus diversis conciliis, uno tamen et eodem ejectos eos crederes. Cum Hieronymi Chronico consentiunt Sulpicius atque Fortunatus; quippe qui Hilarium, postquam Constantinopoli libellum suum imperatori obtulisset, ab ipsomet Constantio, non a Juliano, ad ecclesiam suam dimissum fuisse tradunt. Singulis suffragatur Gregorius Turonensis episcopus (*de Gloria Conf.*, *c.* 2.). Cum enim eum quarto exilii sui anno Pictavos reversum memoret, eumque superius certis manifestisque momentis confectum sit, illum sub anni 356 initia relegatum esse; paulo ante annum 361, qui Constantii postremus fuit, illi ab exilio redeundi potestas facta sit necesse est.

84. Indultæ ei potestatis hujus fama per Occidentem cito increbuit, et ad Martinum usque pervenit (*Sulpic. Sev. in vita sancti Martini*). Ille ex Illyrico primum ab Arianis, ac deinde e monasterio, quod sibi statuerat Mediolani, ab Auxentio pulsus, in insulam Ligustici maris, quam (*Albenga*) Gallinariam vocant, tum sese receperat. Hoc igitur audito festinus tentavit ut optatissimo magistro redeunti Romæ occurreret. At pium pastorem jam Urbi eripuerat ardens revisendi gregis desiderium. Dignum etiam erat humili Christi Confessore, ut ocissime fugeret plausus et honores, quos ei ingenii, scientiæ virtutumque splendor, ac tot pro Ecclesia impensi labores illic merito ei pepererant.

85. Cum autem circa insulam propinquaret, quæ in nonnullis mss. *Gallinaria*, in aliis *Dives* appellatur (*Fortunat. lib.* I, *n.* 20), a vicinis monitus eam ob multitudinem serpentum esse inhabitabilem, illuc præcedente crucis auxilio descendit, fixoque ligno serpentibus metam posuit. Hæc insula alia videtur ab ea, quam ex Martini habitatione liquet inhabitabilem non fuisse.

86. Quanto cum plausu ac favore Pictavis exceptus sit, cogitare facilius est, quam verbis enarrare. Testis est Fortunatus (*num.* 11), eam tum populis ipsius lætitiam exstitisse, quasi patria cum ipso eis reddita esset, qui se sine illo exules existimabant. Hilarius ipse non modo charissimæ plebis suæ, sed et dilecti discipuli sui Martini conspectu, eodem prope tempore est recreatus. Hic enim Romam profectus, illum ubi jam præteriisse audivit, ita vestigiis persecutus est, ut non multo post ipsum Pictavos perveniret. A quo cum gratissime susceptus fuisset monasterium, Locogeiacum (1) dictum, quod primum in Galliis novimus, haud longe ab oppido Pictavensi sibi collocavit. Summum hoc in Martino Hilarii desiderium quo magis consideramus, eo persuademur amplius cum hoc illi veterem intercessisse necessitudinem; eaque vera esse, quæ de Martino apud Hilarium antequam exsularet diversante Sulpicius narrat: ut in eo uno sit lapsus, quod Juliani nomen alterius imperatoris loco ei subrepserit.

87. *Infantem a mortuis excitat.* — Hilarius ab exilio redux non solùm sanctitate, sed et miraculis coruscavit. Nam post aliquot dies afflicta mater duplici infantis sui morte, qui cum absque baptismi regeneratione defunctus esset *præsentem amiserat lucem, et pœna futuri sæculi non carebat* (*Fortun. lib.* I, *n.* 12); multis ab Hilario precibus ac lacrymis petiit, ut filium aut sibi aut baptismo redderet. Quibus commotus pius populi pater, spectante plebe *ad consueta* recurrit orationis *arma*: neque a terra, in quam prostratus jacebat, prius surrexit, quam infans a mortuis surrexisset. Notanda sunt hoc in loco Fortunati verba, quibus cum superius dicat, infantem absque baptismi gratia defunctum *pœna futuri sæculi non carere* (*num.* 15); laudetque insuper Hilarium, quod hoc prodigio *orcum spoliavit*: suam de infantum hujusmodi pœnis sententiam satis declarat.

88. *Abræ ac matri ipsius mortem a Deo impetrat.* — Scriptor idem non minus miratur virtutem, qua ille filiæ suæ Abræ mortem impetravit; quam qua reddidit infanti mortuo vitam. Illam cœlo, non sæculo

(1) Vulgo *Liguge*, quod modo Jesuitæ obtinent.

adamans, jam cœlesti sponso desponderat, modo et ipsa eum sibi cooptaret. Ubi igitur illam ardenti ejus desiderio teneri cognovit, non conquievit ab oratione, *donec* ipsa *sine dolore, sine contagio de mundi ludibrio migraret ad Christum*. Vix autem Abram propriis manibus venerandæ tradiderat sepulturæ, cum ipsius mater cœli cupida ab eodem postulavit, ut et ipsa si mereretur, *erepta de mundi crimine* ad cœlestis regni gloriam cum filia transmitteretur. Quod assidua ipsius oratione haud multo post obtinuit. Sic cum Hilarii conversatio in cœlis esset, illuc festinabat transmittere, quos non in terris nisi propter cœlum diligebat. Utramque autem, ut ex Hildeberto Cenomanensi tradit (*Annal. Aquit. l.* I, *c.* 14). Bouchetus, in æde sanctis Joanni et Paulo sacra condidit.

89. *Gallias ab hæresis piaculo liberat.* — Sed si magna illa miracula, hoc non minus stupendum, quod cum hæreticis fortiter renitentem Deus in sedem suam restituit, quando e suis ejiciebantur, qui illis etiam nonnihil cesserant. Neque id sine speciali Dei in Gallias providentia factum putem. Nam vulnere, quod in Ariminensi concilio exceperant Galli, nuper missis Orientalium litteris detecto, desiderabatur perita medici manus, quæ illud alligaret quam primum, congruisque remediis sanaret. Opportune tunc venit Hilarius, qui dejectos relevaret, et pro insita sua moderatione turbatos serenaret animos. Nec deerant, qui ferro et abscissione opus esse sentirent : sed ipse oleo et indulgentia usus, brevi omnia in pristinum statum reformavit. Fortis itaque et invictus cum præfractis hæreticis resistendum fuit, et cum pœnitentibus indulgendum facilis et misericors, utrum animi magnitudine quam pia quadam commiseratione plus Ecclesiæ contulerit, ægre definias? Fortitudine quidem hæresi in Gallias aditum ante exilium præcluserat : sed eam, dum exulat, subdole introductam, ab exilio redux tam celeriter expulit mansuetudine, ut in eum ipsum annum 360, quo ab exilio revertit, dicat, Hieronymus in Chronico : *Gallia per Hilarium Ariminensis præfidiæ dolos damnat.* Quod qua ratione factum sit, sic Sulpicius explicat : *Ubi* (Hilarius) *permensus est orbem pœne terrarum malo perfidiæ infectum, dubius animi et magna curarum mole æstuans, cum plerisque videretur non ineundam cum his communionem, qui Ariminensem synodum recepissent, optimum factu arbitratus revocare multos ad emendationem et pœnitentiam, frequentibus intra Gallias conciliis, atque omnibus fere episcopis de errore profitentibus apud Ariminum gesta condemnavit, et in statum pristinum Ecclesiarum fidem reformavit.* Ita enim legendum, non autem cum vulgata editione *reformant* et *condemnant.*

90. *Saturnini depositio.* — Propter hæc Hieronymi et Sulpicii verba minus veri similem videri jam diximus conjecturam eorum, qui Hilarium *absque exilii indulgentia* dimissum ita intelligi commode existimant, ut ei Pictavis egredi prohibitum sit. Nam si eo ipso anno 360 Gallia per illum Ariminensis perfidiæ dolos frequentibus conciliis damnavit; ut Hilarium iis conciliis interfuisse non negandum est, ita et concedendum eum superstite adhuc Constantio Pictavis egressum esse. At vero in exsequendis regis mandatis, quæ tuta conscientia fas erat, suspecta nobis esse non debet illius religio. Nunquam igitur ei interdictum, ne Pictavis egrederetur. Hilarium autem non eam tantum anni 360 partem, qua Galliis redditus est, sed et annum 361 ac forte subsequentem ad sarciendas Ariminensis synodi ruinas insumpsisse opinanti aderit Sulpicius : qui cum hoc multis conciliis factum testetur, unum subinde memorat Biterrense, quo *Saturninus præter hæresis infamiam multis atque infandis criminibus convictus, Ecclesia ejectus est... Paternus etiam a Petrocoriis æque vecors, nec detrectans perfidiam profiteri, sacerdotio pulsus : cæteris venia data.* Enim vero an id sibi auctoritatis sumere ausi essent Galli, ut dum Constantius sectam Arianam totis imperii viribus tueretur, præcipuum illius fautorem de ecclesia sua ejicerent? Nam cum Saturninum sic Sulpicius Ecclesia ejectum scribat, ut Arianarum *partium vires duce amisso infractæ* fuerint; tunc non tantum ab ecclesiastica communione, sed ab ipsa etiam Arelatensi sede ejectus fuisse intelligendus est. Eum quippe Parisiense concilium ab ecclesiastica communione jam bis remotum testatur : et tum nihilo magis fractæ erant partium vires. Unde consequitur, ut non habitum fuerit hoc Biterrense concilium, nisi cum vivere Constantius jam desiisset. Hoc si quidem vivo, Saturnium ab ecclesia sua expellere nulla synodorum valuisset auctoritas.

91. Inter nefanda crimina, quibus convictus est improbus ille hæreticus, non minimum illud fuit, quo Hilarii exilium procurarat. Tum insonti Christi confessori locus præstitus est, olim ei a Constantio negatus, sycophantam illum usque ad confessionem falsorum, quæ adversus se gesserat, adducendi. Ita justo Dei consilio factum est, ut Saturninus meritas depositionis pœnas in ea ipsa civitate daret, in qua iniquam adversus Hilarium exilii sententiam per fraudem ac mendacia molitus fuerat. Exinde nomen illius e sacris diptycis expunctum (*Analect. tom.* III, *pag.* 431). Saltem in veteri episcoporum Arelatensium elencho, quem ex hujus ecclesiæ diptycis excerptum credunt, non comparet; sicut nec Marciani, qui sæculo superiore Novatiano adhæserat. Saturnini successor vulgo existimatur sanctus Concordius, qui concilio Valentino, anno 394, interfuit (*Gall. Christ. tom.* I, *pag.* 53).

92. *Hilarius Gallias adversus Arianos semper protexerit.* — Tandem Arianæ sectæ tenebris Hilarii prudentia ac labore dissipatis, et ejecto duce per quem spiritus mendacii Gallorum plurimos in errorem induxerat, *illud apud omnes constitit unius Hilarii beneficio Gallias nostra piaculo hæresis liberatas.* Neque tantum vivus, sed e vivis etiam sublatus patriam gentem ab eadem hæresi protexit. Illius opem etiam duobus post sæculis manifesto signo expertus est primus Francorum Christianus rex Chlodoveus. Quippe cum adversus Alaricum Arianum Gothorum

regem progrederetur, Pictavis pharum igneam ex basilica S. Hilarii egressam super se advenire conspexit : *scilicet*, inquit Gregorius Turon., *ut lumine beati confessoris Hilarii adjutus, liberius hæreticas acies, contra quas sæpe idem sacerdos pro fide conflixerat, debellaret* (*Greg. Tur. lib.* II *hist. Franc.*, *c.* 37). Et vero statim voce admonitus, ut facta in illo venerabili loco oratione prælium committere festinaret, *tanta prosperitate, altero pro se pugnaturo, processit ad bellum, ut intra horam diei tertiam ultra humana vota sortiretur a Domino victoriam* (*Fortunat. lib.* II *Vitæ S. Hilar.*). Insignem hanc victoriam ubi celebravit Fortunatus, declarat hoc se Hilario ipso inspirante sentire, scilicet non minorem illi in requie jam posito esse catholicæ religionis sollicitudinem, quam olim ei fuit cum in corpore degeret. Faxit cœlum, ut ejusdem meritis ac precibus rediviva pestis Ariana a finibus nostris procul arceatur, et in Francorum cordibus semper vigeat illibata sanctissimæ Trinitatis fides ac veneratio.

93. *Quando et cur contra Dioscorum scripserit.* — Ad id tempus, quo ad fugandos e Galliis Arianos sanctus Hilarius tam strenue incumbebat, referendus est illius ad Sallustium Galliarum præfectum contra Dioscorum medicum liber, cujus solus titulus ex Hieronymi lucubrationibus ad nos transmissus est. Cum enim in eo titulo Sallustius tantum præfectus, non consul nuncupetur (*Ammian. lib.* XXI, *c.* 8; *Idem lib.* XXIII) ; cumque alias constet, eum, anno 361, a Juliano Galliis præfectum, biennio post adscriptum *in trabe collegium*, hoc est, in consulatu collegam cooptatum esse : hunc librum nec ante annum 361, nec post 363, scriptum esse manifestum est. Huc quoque facit, quod idem ille Sallustius, anno 363, ad expeditionem contra Persas cum Juliano profectus, ac subinde a Valentiniano et Valente præfectus Orientis prætorio, Gallias non repetierit (*idem, lib.* XXVI, *c.* 5). De hoc præfecto testatur Suidas, eximia eum humanitate fuisse præditum. Eumdem nominatim a Christianis vexandis abhorruisse Rufinus Theodoretusque commonstrant (*Rufin. lib.* I, *c.* 36; *Theod. lib.* III *Hist. eccl.*, *c.* 7). Unde conjicere est, eum hoc libro conventum, ut Dioscori medici, qui forte Juliani auctoritate ac nomine in Christianos immodice sæviebat, violentiam coerceret.

CAP. XII. 94. *De Hilarii in Italia laboribus, et Luciferi schismate.* — Intra Galliarum fines continere se non valuit Hilarii pro catholica religione studium. His igitur pace reddita, transcendit Alpes, ut Italiæ ac vicinis regionibus, quæ hæresis Arianæ furore atque contagione longe magis depravatæ fuerant, consuleret. Illum Eusebius ab Alexandrino concilio Vercellas rediens, ac singulas quasque Orientisque atque Italiæ ecclesias *abjurata infidelitate ad sanitatem rectæ fidei revocans, in Italia positum hæc eadem erga instaurandas ecclesias fidemque Patrum reparandam reperit molientem* (*Rufin. lib.* I *Hist. eccl.*, *c.* 30), eique se in idem opus libenter adjunxit. Specialem hanc duorum illorum confessorum societatem non incommode credideris circa anni 363 principia initam : maxime cum Georgii pseudopatriarchæ Alexandrini mors, quæ post medium annum 362 contigit, præcesserit Alexandrinum concilium, ex quo Eusebius tunc temporis revertebatur. Quamvis autem testetur Rufinus (*ibid.*, *c.* 31), *duos istos viros, velut magnifica lumina, Illyricum Italiamque suo splendore sic radiasse, ut omnes etiam de abditis angulis et abstrusis hæreticorum tenebræ fugarentur ; hanc tamen Hilario laudem præcipuam tribuit, quod cum esset natura lenis et placidus, simulque eruditus, et ad persuadendum commodissimus, rem diligentius et aptius procurabat.* Elogium sane minime suspectum quo Gallus episcopo Italo ab Italo presbytero præfertur. Sed si hoc ab eo expressit manifesta veritas, ac recens rerum gestarum memoria : quid est, quod in primis naturæ ipsius lenitati hanc gloriam adscribit? Profecto nisi in Hilario singulari ratione emicuisset hæc virtus, Rufino satis fuisset majoris hujus ad conciliandos animos facilitatis causam summæ illius eloquentiæ attribuere. An vero Hilarius atque Eusebius in Italia quidquam inconsulto Liberio egerint, non ausim affirmare. Quanquam ex Fragmento XII, evidens est Liberium eodem reparandæ fidei studio exarsisse. Unde sicut Hilarii atque Eusebii opera, ita et Liberii nutu congregata esse ultro concesserim, quæ in eodem Fragmento memorantur Italiæ atque Illyrici concilia, in quibus utriusque gentis episcopi fraudem se Arimini passos esse agnoscentes, infidelitatis consortium abjecerunt.

95. *A Lucifero non probatur.* — Sanis sanctorum illorum virorum consiliis Lucifer Calaritanus repugnabat. Hic ab Eusebio, quod quæ Antiochiæ proxime gesserat non approbasset, nonnihil abalienatus erat. Ipsi etiam, uti superius observatum est, jam pridem displicuerat summa Hilarii erga Orientales in libro de Synodis moderatio. Ac licet eum ex prudentibus illius responsis lenitum crediderim; facile tamen recruduit offensio, ubi illum cum Eusebio potius quam secum facere intellexit. Sic affectus Lucifer, et natura austeriori in clementiam haud multum propensius, non damnare non poterat Hilarii in recipiendis iis qui Arimini lapsi fuerant facilitatem. Hinc apud totam Luciferi sectam male audiit, velut qui laudem sibi in Ecclesia partam *interruperit favens prævaricatoribus, ut non dicamus et hæreticis, in quos eloquentiæ suæ viribus peroraverat* (*Marcellin. et Faustin. in libello precum*). Contra apud eos, quos non excæcavit schismatis caligo, gloriam quam pristinis scriptis gestisque meruerat, non tantum non obscuravit : aut interrupit, sed et propemodum cumulavit : dum prælata veritatis luce, et indulgentiæ facilitate oblata, Ecclesiæ reddidit, quos ei hæreticorum fraus ac terror abstulerat.

96. *Quam iniqua Luciferi sententia.* — Durum sane et a christiana clementia ac simplicitate alienum videbatur, iis aut non credere, aut indulgentiam negare, *qui sine conscientia hæretici ferebantur, contestabanturque corpus Domini et quidquid in Ecclesia sanc-*

tum est, se nihil mali in sua fide suspicatos (*Hieron. A dial. contra Lucif.*). Planum enim erat, eos uno pacis intuitu recepisse Arimini propositam fidem; neque huic illos consensisse, nisi postquam multis ex catholica conscientia adjectis, vocabuli *consubstantialis* in ea suppressi vim se satis supplevisse existimassent. Unde statim ut fraus in recepta formula latens Hilarii præsertim opera detecta est; *ingemuit totus Orbis, et Arianum se esse miratus est*, hoc est, se Arianum publicari et audire obstupuit, cum Arium Ariique doctrinam non tantum exsecraretur ex animo, sed etiam se subscriptione sua satis superque damnasse arbitraretur.

97. *Disciplinæ rigor quando lapsis remittendus.* — Inficiandum tamen non est, eos a peccato vix excusari posse, qui Arimini ex infirmitate nicænum de- B seruere symbolum, ut novam ab iis formulam reciperent, quorum fides ipsis suspecta merito esset. Verum ut non erat id eorum crimen, quod publica ac luctuosa pœnitentia expiari mereretur; ita nec in eos locum habebant *canones*, Innocentio, epist. 6, teste, *apud Nicæam constituti*, qui *pœnitentes etiam ab infimis officiis clericorum excludunt*. Sed etsi pœnitentiæ etiam publicæ fuissent obnoxii, horum tamen canonum rigor poterat eis prudenter relaxari. Nam cum fateatur Augustinus (*Ep.* 185, n. 44), quod *clerici vel etiam episcopi post pœnitentiam permanere non deberent;* huic tamen Ecclesiæ legi supplendum esse monet, *nisi hoc pacis ipsius compensatione salvaretur. Ut enim*, inquit paulo inferius, *constitueretur in Ecclesia, ne quisquam post alicujus criminis pœnitentiam* C *clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu maneat, non desperatione indulgentiæ, sed rigore factum est disciplinæ.* Quod autem aliquando Ecclesia disciplinæ rigorem utiliter remittat, sic illustrat institutionis exemplo (*num.* 44) : *Cum enim præcisus ramus inseritur, sit aliud vulnus in arbore, quo possit recipi ut vivat, qui sine vita radicis peribat. Ita ergo et isti cum ad radicem catholicam veniunt, nec eis quamvis post erroris sui pœnitentiam honor clericatus et episcopatus aufertur; fit quidem aliquid tanquam in cortice arboris matris contra integritatem severitatis*, etc. demum concludens, *Sic multitudinibus per schismata et hæreses pereuntibus subvenire consuevit* (Ecclesia). Luciferi lapsum subinde notat, *Hoc displicuit Lucifero... et cui displicuit, in tenebras cecidit schismatis* D *amisso lumine charitatis.*

98. *Luciferi ut amicitiam semper coluit Hilarius, ita lapsum doluit.* — Casum tanti viri, quem ob singularem constantiam tota merito suspiciebat Ecclesia, Hilarius haud dubie graviter indoluit. Quanta enim illum reverentia coluerit, vel hinc manifestum est, quod similitudinis vocabulo, a quo nonnihil abhorrebat, usus sit, ubi illud ei intellexit usitatum (*Apologet. Respons.* 5 *et* 6). Nimirum non ignorabat eorum, qui causam eamdem medios inter hostes tuerentur, valde necessariam esse animorum sententiarumque concordiam; hancque facile dissolvi, nisi qui sui magis compotes sunt, morem gerant sociis mentis suæ minus potentibus. Eo animo etiam postea ab eodem Lucifero ob suum de Synodis librum reprehensus, injurias injuriis non repulit, sed sermonis lenitate ac rationum evidentia (1) vicit. Unde nihil ab Hilario non tentatum opinamur, ut a schismate avocaretur Lucifer, cujus amicitia semper ipsi tam chara fuerat. Et vero credibilene est, eum qui nulli pepercit labori, quo lapsos erigeret, quidquam non movisse, ut qui hactenus tam fortiter steterat, non caderet? Sed quod Rufinus Luciferi ipsius casus data occasione ait (*lib.* 1, *c.* 30), *Temere cœpta corrigi* (tantum) *spato solent*, si de aliquo, certe de Lucifero, vere dictum est, utpote viro ejus indolis, quæ facile flecti non posset.

99. *Hilarii auctoritas idonea fuit, quæ Luciferi schisma compesceret:* — Non inanis tamen labor Hilarii fuit : cujus industriæ simul et auctoritati tribuendum videtur, quod Luciferi schismati pauci adeo adhæserint, ut cum Hilario diacono, Hieronymo teste, tota secta interierit. Neque vero Lucifero facile erat aliis persuadere, eum ex animi remissione, et non ex mera charitate dare lapsis veniam, quem alias omnibus in periculis intrepidum et invictum pro gloria Domini stetisse certo sciebant. Imo ubi causa postulabat, quam non mollis ac remissus fuerit eo ipso tempore Italia tota conspexit.

CAP. XIII. 100. *Hilarii cum Auxentio congressus.* — Partem anni 362 totumque 363 Hilarius in Italia egerat, cum Valentinianus rerum potitus Mediolanum, Februarii 26 die an. 364, pervenit. Et cum de rebus a se pro Ecclesia feliciter gestis merito potuisset gloriari; nihil dum se fecisse existimabat, quamdiu superesset qui Christi divinitati adversaretur. Procul ab inani gloria, sic contestatur se veram pacem *et amissam quærere, et turbatam componere, et repertam tenere curavisse;* ut continuo subjiciat (*Contra Auxent. n.* 1) : *Sed hujus ipsius nos fieri vel participes, vel auctores, nec temporis nostri peccata meruerunt*, quasi voti sui compos nequaquam fuisset. Apud alios constat unius Hilarii beneficio Gallias hæresis piaculo liberatas, ejusdem præsertim industria, suavitate, eloquentia Italiæ atque Illyrico prope toti pacem redditam, eoque in Occidente redactam Arii prius tam amplam hæreditatem, ut ad unos Valentem, Ursacium, Germinium, Gaïum atque Auxentium tota deflexisset. Hilarius unus non gratulatur, quod ad tam paucos redacta sit misera illa hæreditas; sed quod non prorsus sit extincta, nihil dum se profecisse arbitratur. Vires igitur exserit : seu illi ut ejus eludant conatus, etiam se tam impii magistri hæredes negant. Non enim idem ille Satanæ spiritus, a quo pridem Arius excitatus animatusque est, sese in iis palam audet ostendere : sed in angelum lucis transfigurari cogitur, quo facilius lateat.

101. *Auxentium Mediolano expellere nititur.* — Hujus arte præ omnibus lusit Auxentius, nec tamen Hilarium fallere valuit. Nam quanto magis enitebatur

(1) *Lib.* 1 *Carm. de vita S. Martini.*

ut virus suum tegeret, tanto ille amplius intendebat ut detegeret, et ut ab ipso velut a venenato serpente Mediolanensem civitatem, quæ ob singulare in catholicam fidem studium chara ipsi semper fuerat, liberaret. Continuo Auxentius sibi male conscius Valentinianum prævertit, ac verbis sese catholicum mentitus, plebem suam ab Hilario perturbari conquestus est. Eo audito rex pacis amans, suoque adventu pacem firmare cupiens, haud difficulter inductus est, ut Mediolanensium Ecclesiam a nemine perturbari edicto gravi præciperet, Hilarius Ecclesiam hæretico a catholico principe sub unitatis specie ac voluntate credi non sustinens, Valentiniano etiam importuna interpellatione suggessit, *Auxentium blasphemum esse, et omnino hostem Christi habendum, eumque aliter credere, quam rex ipse aut alii omnes haberent.* His rex permotus, Auxentium cum Hilario a Quæstore et magistro audiri præcepit una considentibus episcopis fere decem, quos inter emicabat Hilarii adjutor ac socius Eusebius Vercellensis. Ille primum de persona calumniari, ac nolle Hilarium ut episcopum audiri, quem quondam Saturninus damnasset. In promptu ei erat responsio, se nunquam ab episcopatu dejectum esse; ac frustra objici exilium, quo Saturnini opera fuerat expulsus, cum id ille inique adeo effecisset, ut mendaciorum, quibus ad hoc facinus perveneral, palam eum convincere sibi licere a Constantio poposcerit, ac novissime in Biterrensi concilio convicerit. Quid vero sit responsum, ad alia properans Hilarius silentio prætereundum duxit. Monet tantum tunc ab iis qui audiebant decretum esse, ut de fide potius, sicut regi placuerat, agitaretur. Auxentius hic in arte positus, Christum Deum negare dum timet, cum unius cum Deo patre divinitatis et substantiæ profitetur. Professionem hanc scripto mandari placet; et continuo Hilarius libellum regi per quæstorem offert, quo quid convenisset contineretur. Exinde Auxentius omnium judicio cogitur quod jam confessus erat palam profiteri, et scripto consignare. Ille diu consilia sua versans, sic verba componit, ut regis fidem eludat. Unde demum ab iis, quos versipellis ejus malitia fugiebat, spargitur per Hilarium exposita dissidere sententia.

102. *Ab Hilario retegitur.* — Victus videbatur Auxentius : si quidem ex illo conflictu nequiverat evadere, nisi se cum eo consentire finxisset, quem antea hæreticum vocitare consueverat. Hinc adversarii sibi subacti gloria in Hilarium redundabat. At ille domino suo quam sibi malens vincere, de victoria gratulari nesciit, quæ ipsi nihil conferret. Veritus itaque ne hostis Christi, quem non mutatum sciebat, piæ plebi cui præpositus erat insidias strueret, reclamavit fingi omnia, fidem denegari, Deum atque homines illudi. Posthabita tamen ipsius admonitione, Valentinianus jussit eum Mediolano cedere, et ad Auxentii communionem accessit.

103. *Gesta cum Auxentio in publicam lucem edit, datque moderationis specimen.* — Paruit Hilarius regis præcepto; sed neque Ecclesiæ Mediolanensi aliisve defuit. Namque editis totius congressus gestis, et patefacta Auxentii fraude, ut ab eo sibi caverent sinceræ fidei amatores effecit. In hoc autem scripto quid magis mirere? summumne illius in detegendis vaferrimi hæretici dolis ingenii acumen, et in his arguendis fidei constantiam? an in excusando rege prudentiam atque moderationem? Legerat Valentinianus sibi datam ab Auxentio epistolam, qua dum hæreticus ille Hilarium atque Eusebium veluti blasphemos traducit (*num.* 13 *et* 15), dum concilia impiorum, quibus inclyti illi Christi confessores injuste damnati fuerant, probat, dum labores eorum ad restaurandas Italiæ Ecclesias audiri vult velut schismaticorum opera, dum demum laudat Ariminensis Concilii gesta, ejusque fidei sese adhærere gloriatur, cui non aperte prodit arianum animum? Nusquam tamen Hilarius regem iniqui judicii reum postulat, quod se repulso Auxentium receperit mentientem. Recens injuria nihil ab ejus calamo exprimit, in quo debitam regi reverentiam desideres. Semper quippe sui compos nulli se perturbationi permisit, qua regiæ fidei sinceritatem perspectam habere non sineretur. Homo humanus atque amans pacis facilem principi veniam tribuit, qui præ nimia humanitate et uno pacis studio peccarat. Et qui alias Orientales episcopos, cum hæreticis quantumvis probabiliter mentientibus credidissent, ideo laudaverat, quod *religiosum est Deo sua reservare;* sententiam hanc non mutavit, cum hæretico fidem non tam cito haberi ipsius interesset. Quocirca Valentinianum excusandi studiosior, quam accusandi, sic illum ad Auxentii communionem advenisse significat, ut id ab eo præstitum adjungat *pro fidei sinceritate*, quam hæreticum illum profiteri arbitrabatur. Et ubi declarat Imperatorem circumventum, totam culpam in Auxentium confert, quod nimirum *lusit ille verbis, quibus possit fallere et electos;* quasi timeret ne aliqua in eum saltem negligentiæ suspicio incideret.

104. *Amore veritatis Auxentii nequitiam durius corripit.* — Non solum Regi parcit, sed et Comitibus cæterisque quorum fide Auxentius abusus erat. In unum illum sycophantam stylum acuit. Unus enim idemque veritatis ac sinceritatis amor, qui sine vehementi mendacii odio purissimus esse non potest, illius et in eos qui præ simplicitate decepti fuerant commiserationem, et in eum qui fraudulenter deceperat, indignationem movit. Et vero ubi charitas ardet, concipit flammas : quæ cum ignorantes illustrent ac benigno calore foveant frigidos, duros ac pertinaces justo dolore puniunt atque consumunt. Diversos illos ordinatæ charitatis effectus ut olim ostenderat Hilarius (*in Const. n.* 2), dum resecandos esse decrevit qui errandi aliis auctores essent, indulta cæteris eorum consortibus resipiscendi facultate; ita et nunc ostendit, dum deceptis parcens, unum persequitur mendacii ac fallaciæ auctorem. Ab hujus nequitia ut vehementer abhorrebat, ita etiam nihil omisit, quo alios pariter ab ejus societate deterreret. Nec alia apparet causa, cur acriter adeo in eos invehatur,

quos male parietum amor cepit, quippe sub his pacis nomen ingerentes, male Ecclesiam Dei in parietibus et tectis venerantur; nisi ut hinc omnem cum Auxentio jungendæ communionis occasionem præcidat. Non ignorabat si quidem Valentinianum eo propensiorem fuisse, ut Auxentii fidem ab Ariana alienam judicaret, quod hæretico huic ecclesias per vim eripere nolens, in eis tamen, quas ille obtinebat, cupiisset innoxie religionis suæ cultum exercere. Ipse igitur castioris religionis studio accensus, regis scrupulum, aliorumque, qui forte in eamdem simulationem abierant, levare conatur igneis illis verbis: *Montes mihi et silvæ et lacus et carceres et voragines sunt tutiores : in his enim prophetæ aut manentes aut demersi prophetaverunt* (*contra Auxent. n.* 12); cum, inquit, non ambiguum sit, intra sacrarum ædium tecta antichristum esse sessurum. Tum aut Auxentii non amplius lateat hypocrisis, pastoris instar solliciti, qui lupum adesse vociferatur, dum eum gregi insidiantem perspicit, clamat et ipse Auxentium esse Christi hostem, Satanæ angelum, fidei vastatorem, seseque nullis unquam incommodis adducendum fore, ut neque illius neque aliquorum unquam pacem sibi optet, *nisi eorum qui secundum patrum nostrorum apud Nicæam tractatum, anathematizatis Arianis, Christum Deum verum prædicabunt.* Hæc si qui existimavit paulo vehementiora; quæ adversus hujusmodi hypocritas Pharisæos mitissimus Dominus emiserit, in memoriam revocet. Rursum si quis ambigat, an Spiritu bono incitatus Auxentium cognominare *diabolum* potuerit; recolat quod Paulus Elimæ *Spiritu sancto repletus* dixit: *O plene omni dolo et fallacia, fili diaboli* (*Act.* XII, 10). Et Dominus quidem mendacium hominum esse proprium ostendit, ut ex patre diabolo sint (*Joan.* VIII, 44), quia ille ab initio in veritate non stetit, et mendacium ex propriis loquitur. Filios autem patris nomine nuncupare quid vetat? Sane sicut Judas, Christo ipso dicente, vere fuit diabolus, *quia per eum animabatur*, inquit noster Hilarius (*in Psal.* CXLII, *n.* 2); ita et vere diabolus Auxentius, qui illo auctore et impulsore agebatur. Quippe utrique diabolus in cor injecerat, ut Dominum proderet.

105. *Ea etiam in re sibi temperat.* — Quanquam justæ ac sanctæ adversus Auxentium indignationi non ita habenas laxat Hilarius, quin quæ silenda sint, prudens reticeat. *Multa*, inquit, *alia proferre Ecclesiæ me pudor inhibet, et committere epistolæ Arianorum blasphemiarum dedecora pertimesco.* Auxentianæ confessionis virus ostendisse satis habet: at totum tam pestiferi mysterii arcanum ipse potius quam per litteras optat exponere; ut nec eos fugiat quorum interest omnes hæreticorum tricas et impietates non ignorare, nec ad eos perveniat quibus expedit fidei simplicitate contineri. Sponsa Christi Ecclesia casta et verecunda est, et sponsi sui contumeliis non potest non offendi. Prudentis igitur fuit, pudicis illius auribus parcere, ac nihil ei detegere nisi quod saluti ipsius conduceret.

106. *Hujus laboris fructus.* — Cum hoc scripto Hilarius occurrere conatus esset discrimini, quod Ecclesiæ ex Auxentii fraude metuebat; Gallias repetiit, ut de hæresi Ariana triumphis, ita gaudiis cumulatus, si hujus versipellis hæretici fallaciam Valentiniano persuadere potuisset. Sed ubi hic perfectum et absolutum gaudium? In terra damnata versamur quæ quamvis in sudore vultus exculta, fructus ita edit, ut et spinas ac tribulos germinet. Hilarii tamen anxietas hinc aliquantum levabatur, quod Auxentius hæresis suæ virus ita tegere cogeretur, ut *sub antichristi sacerdote Christi populus non occideret* (*num.* 5): ac si quando illud cœpisset pandere, adesset laborum ipsius socius et adjutor Eusebius, qui orthodoxi Imperatoris auctoritate subnixus jam ipsum comprimeret.

107. *Fabulæ nonnullæ exinde ortæ.* — Fabulis nonnullis locum præbuit is Hilarii in hoc toto negotio exitus. Quo enim alio nomine appellandum; aut ad quæ Hilarii gesta referendum putes, quod narrat Rufinus (*de adult. lib. Orig. apud Hieron. t.* IX, *p.* 131), *librum instructionis plenissimæ, ab Hilario Pictavensi ad emendationem eorum qui Ariminensi perfidiæ subscripserant conscriptum, ita ab inimicis illius corruptum esse, ut cum illis postea in concilio episcoporum, secundum ea quæ in libello ipsius se corrupisse noverant, hæreticum eum cœpissent vocare, ac prolatus libellus talis inventus esset, quem ipse non agnosceret, fecerint eum excommunicatum de concilii conventione discedere. Merito quidem ad hæc reclamat Hieronymus* (Hieron. l. II, Apolog. advers. Rufin.): *Synodus a qua excommunicatus est, in qua urbe fuit? Dic episcoporum vocabula, profer sententias subscriptionum, vel diversitatem, vel consonantiam. Doce qui eo anno consules fuerint, quis Imperator hanc synodum jusserit congregari: Galliæne tantum episcopi fuerint, an et Italiæ et Hispaniæ: certe ob quam causam synodus congregata sit. Nihil horum nominas.* Sed si librum a Rufino memoratum eum intelligamus, in quo Hilarius historiam Ariminensis ac Seleuciensis synodi complexus fuerat; item si hunc librum jam tunc temporis corruptum ac truncatum exstitisse concedatur: haud difficulter deprehendas, unde Rufinus totam hanc narrationem contexuerit. Nimirum cum auditu tantum accepisset Hilarium ab Auxentio hæreticum esse vocitatum, ac paulo post congressu habito ex urbe Mediolano jussum esse egredi; facile animo finxit, libri illius, quem corruptum audierat depravationem non in una plurimarum partium truncatione, sed in erroribus hæreticorum opera immissis sitam esse, ac libri auctorem propter errores illos non solum et civitate, sed et e conventu expulsum esse.

108. Non minus absurdum est, quod pluribus in mss. inter Hilarii miracula recensetur, illum videlicet aliquando concilio, cui præerat Leo Papa, intervenisse; sed sede sibi negata decubuisse humi, quæ continuo ita excreverit, ut Leonis solium brevi coæquarit. Cui porro non pateat, cum ex gestis Hilarii nostri in congressu cum Auxentio, tum maxime ex

celebri controversia, quæ longe postea Leonem inter A et Hilarium Arelatensem in causa Celidonii intercessit, conflatam esse monstrosam illam narrationem? Sed his relictis Hilarium in Gallias denuo revertentem prosequamur.

CAP. XIV. 109. *Hilarii acta reliqua et mors.* — Cum Hilarium populo suo per plures annos identidem subtraxissent diversa Ecclesiæ negotia; æquum erat ut ei tandem redderetur : quo suavi ipsius recrearetur conspectu, institueretur doctrina, et exemplis ad veram pietatem informaretur. Ipse etiam pacatos ac tranquillos demum meruerat dies, qui tam diu turbulentos habuerat. Et dignum erat, ut extremis vitæ suæ annis frueretur pace, qua ipsius præsertim curis Ecclesia gaudebat. Itaque circa finem anni 364, Italia discedens, Pictavos se recepit. Et quamvis hic nos B acta deficiant; non est tamen ambigendum, quin assiduæ orationi vacando, et populum sibi creditum christianis instituendo disciplinis, perfecti pastoris munia obierit. Imo eum tunc temporis psalmos exposuisse, hinc necessario quodam modo conficitur, quod in eorum enarratione libros de Trinitate jam a se antea editos notet. Nam post editos illos libros nullum fere ei, nisi postremis his annis, otium fuit quo tantum opus perficeret. Eo autem consilio illum ex omni Scriptura psalmorum potissimum reconditiores sensus explicandos suscepisse probabile est, quo videlicet suavius atque utilius canerentur. Tum enim in ecclesia cui præerat usitatos fuisse psalmorum cantus, persuadet cum hoc Tract. psal. CXVIII lit. 5, num. 14, quo Christianos a vanis spectaculis ad C objecta gratiora sic revocat: *Nisi forte obscœnis illis spectaculorum turpium fabulis non amœnius divina illa humanæ spei eloquia cantantur* : tum maxime illud Tract. psal. LXIV, num. 12 : *Progressus Ecclesiæ in matutinorum et vespertinorum hymnorum delectationes maximum misericordiæ Dei signum est. Dies in orationibus Dei inchoatur, dies in hymnis Dei clauditur.*

110. Forte nonnullis incredibile videbitur, Hilarium post secundum in Gallias reditum, hoc est, post multas cum Arianis disputationes frequentesque pugnas, tractatus quos habemus in psalmos scripsisse; cum in eis sic juratis illis fidei hostibus parcat, ac si ne novisset quidem. Qui illum Origenis tantum verba interpretatum esse opinantur, hinc se facile expediunt, cum hæreses auctoris sui ævo nondum exortas D ab interprete sileri minime mirum sit. Sed huic opinioni cum multa adversentur, quæ singulari Admonitione commodius exponemus; tum illud maxime repugnat, quod in iisdem Tractatibus dogma Ariano errori contrarium passim ea ratione adstruatur, quæ Origenis stylum minime sapiat. Credibilius itaque est, eum Arianas impietates silentio præterire, tum quod ab omni rixa et contentione alienum gereret animum, tum quod earum recordationem plebi suæ non conducere censeret.

111. *Hymnorum et mysteriorum libros edit.* — Ad idem tempus referre licet memoratos ab Hieronymo hymnorum mysteriorumque libros; ut cum apud Orientales solemnem hymnorum cantum aliosque in celebratione mysteriorum pios usus receptos approbasset, hinc postmodum reversus, ad Occidentalis Ecclesiæ ritus ex eorum imitatione augendos aut illustrandos animum adjecerit. Ex Hilarii hymnis nonnullos in Ecclesia decantari solitos fuisse tradit Concilium Toletanum IV, anni 633. At vero eum tunc temporis elaborasse, ut inchoatam Concilii Ariminensis ac Seleuciensis synodi historiam auctiorem perfectioremque redderet; et in colligendis actis, quæ ad has synodos pertinerent, operam dedisse manifestum est ex postremis Fragmentis. An etiam senex in Cantica Canticorum scripserit, quorum expositione multi postea Operibus suis coronidem posuere, immo an aliquando scripserit, quis affirmet? cum lucubrationis hujus unus meminerit Hieronymus ex incerto tantum rumore, cui fidem ipse detrahere nonnihil videtur.

112. *In libris pingendis operam posuit.* — Pene e memoria exciderat aliud Hilarii non tacendum opus. Eum enim laborem manuum non neglexisse, sed quod ab ecclesiasticis curis superat temporis, in pingendis sacris libris consumsisse indicio est S. Perpetui Turonensis episcopi testamentum anno Christi 474 confectum, quo Augustodunensi episcopo Euphronio relinquit Evangeliorum librum, *quem scripsit Hilarius Pictavensis quondam sacerdos* (*Spicil.* t. v, pag. 106). Hoc sane opus Hieronymo eo magis probatum, quod per illud *et manus operetur cibum, et animus lectione saturetur* (*Hieron. epist. 4, ad Rustic.*), Hilario dignissimum fuit : ut scilicet Evangelium, quod corde gestabat, non solum ore coram audientibus proferret, sed et pio manuum artificio procul transmitteret. Vetus etiamnum in ecclesia S. Gatiani Turonensis asservatur Evangeliorum codex latinus, quem a S. Hilario scriptum putant, atque huic ecclesiæ a S. Perpetuo relictum, cum Euphronio ipse superstes fuisset, ex hujus testamenti verbis interpretari licet illud Christiani Druthmari natione Aquitani et Monachi Corbeiensis, qui circa sæculum IX floruit : *Vidi librum Evangelii græce scriptum, qui dicebatur sancti Hilarii fuisse, in quo primi erant Matthæus et Joannes, et prius* (legendum *posterius*) *alii*, Marcus scil. et Lucas : ut nimirum *sancti Hilarii* dictus sit hic liber, quia manu ipsius exaratus. In aliis quoque libris ac præsertim synodorum actis describendis idem studium eum impendisse probabile est, ex eoque labore in promptu ei fuisse unde concilii Ariminensis historiam texeret, ubi id res ecclesiæ postulavit. Quæ autem hactenus, accuratiore quo potuimus modo, e veteribus monumentis eruere et indagare curavimus Hilarii gesta, Fortunatus hac brevi summa complectitur : *Dum superstes fuit in sæculo, aut scripsit ecclesiasticæ fidei documenta, aut pugnando calcavit hæretica crimina, aut petenti tribuit miraculorum suffragia.* Sanctam adeo vitam non potuit nisi mors pretiosa consummare. Nonnulla quæ ad hanc spectant, ad calcem libri II Vitæ a Fortunato scriptæ e mss. Germanensis et complurium aliorum fide sub-

jiciemus. Extremum diem suum, Hieronymo et Gregorio Turonensi testibus, Pictavis obiit : quo anno, quove die, lis est inter eruditos.

113. *Quo die quove anno Hilarius diem suum obierit.* — Plerique sentiunt, obitum illius in diem 13 anni 367 incidisse. Et eo quidem die in vulgato Hieronymi martyrologio, ut et a Beda, Floro, aliisque posterioribus notatur *S. Hilarii depositio*. His accedit Calendarium tom. x Spicil. e ms. Corbeiensi, ann. 900, descriptum, in quo exstat, *Idus jan. Octabas Epiphaniæ et depositio sancti Clarii episcopi ;* nam *Hilarii* vel corrupte *Elarii* loco *Clarii* legendum esse perspicuum est. Absque ullo mendo codex Gellonensi monasterio a Carolo Magno datus habet : *Idus januarii depositio S. Hilarii episcopi.* Plurimos præterea ac pervetustos consuluimus Sacramentorum, Missarum atque Collectarum libros, in quibus idipsum legere est. Eidem opinioni favet Sulpicius, dum Hilarium *sexto anno post quam redierat, in patria obiisse* scribit. Sed minus commode cum ea componi queunt mox expendenda Hieronymi et Gregorii Turonensis verba. Neque vero Hilarii memoria ita in omnibus veteribus libris ad usum ecclesiasticorum officiorum consecratis consignatur idibus januariis, ut non etiam aliter, puta aut alia januarii die, aut 26 junii, aut calendis novembribus in iis recolatur. Quod cum audiunt, qui allatam sententiam tuentur, statim id ortum habere reclamant vel ex variis sancti ipsius corporis translationibus, vel ex recentioribus festorum celebrandorum ritibus, quibus non licet octavam Epiphaniorum diem, festumque S. Hilarii, pari solemnitate simul celebrare. Alium quidem usum olim fuisse concedendum est : idque persuadet vel unus codex Sacramentorum Ratoldi abbatis Corbeiensis jussu ante annum 986 exaratus, in quo primum occurrit titulus, *Idus januarii Octabas Epiphaniæ et depositio S. Hilarii :* deinde Collectæ de S. Hilario præmittitur Collecta de Epiphania : tum *super oblata*, ordine præpostero, primo celebratur memoria S. Hilarii; cujus unius laudes postea in Præfatione resonant : sequuntur exinde tres de sola Epiphania benedictiones : ac demum *ad complendum* prima oratio rursum est de Epiphania, posterior de S. Hilario. Verum iis, qui mss. per se consuluerint, non satisfacit hæc responsio. Nam etsi non ita multi, antiquitate tamen nihilo inferiores sunt, nec ad nostros ritus exacti codices, in quibus S. Hilarii festivitas calendis novembris recensetur. Hoc die in vetusto exemplari ecclesiæ S. Gatiani Turonensis habentur quinque Missæ, prima de omnibus sanctis, secunda de S. Cæsario, tertia et quarta item de omnibus Sanctis, quinta de S. Hilario, cum hac inscriptione : *Eadem quippe die Solemnitas S. Hilarii episcopi et confessoris.* Solemnem aliquam translationem hic indicari ultro concederemus, nisi in codice regio ab annis circiter 900 scripto et in perantiquo Ebroicensis ecclesiæ pontificali non simplex solemnitas, sed *Natale sancti Hilarii* calendis iisdem prænotaretur.

114. Cum postrema hac epocha, si forte Sulpicium excipias, longe melius quam cum superiore convenit, quidquid veterum monumentis de morte Hilarii mandatum est. Ac primo quidem Gregorii Turon. testimonium est, quod *quarto Valentiniani et Valentis anno S. Hilarius apud Pictavos plenus sanctitate et fide, multis undique virtutibus editis, migravit ad cœlos.* At vero tertio calendas martii anni 367, initium sumpsit quartus Valentiniani et Valentis annus. Ut igitur in hunc non incidunt anni 367 idus januariæ, ita nec in Hilarii exitum. In utrumque autem apprime quadrant calendæ novembres. Idipsum prorsus ex Hieronymi chronico conficere est, in quo ad annum 367, ita recensetur Hilarii mors, ut Gratianus ad imperii culmen evectus prius memoretur. Nam cum Gratianus, Idacio teste, nono calendas septembris anni 367, imperium adeptus sit; apud Hieronymum apte dispositus est ordo rerum, si Hilarius calendis novembris anni 367, ex hac vita migravit; secus, si idibus januariis. Quid de Hermanno Contracto dicemus? Is quidem dum Hilarii obitum, etsi anno 367, altero tamen, postquam imperii consors Gratianus factus est, anno commemorat, pugnantia loquitur : ab explicatis tamen Hieronymi atque Gregorii verbis propius recedit. Adsunt præterea historiæ Ariminensis synodi Fragmenta XIV et XV in quibus Singidunensis conventiculi epistola 18 decemb. die anni 366, data ac rescriptum Germinii aliquanto post missum continentur. Quis enim hæc e Pannoniis ad Hilarium Pictavis commorantem deferri, et ab eo opus suum addi intra idus januarias potuisse concedat?

115. Has ob causas, qui omnium prope mss. auctoritate permoti, idus januarias die Hilarii extremo insignitas sentiunt, illum ad annum 368, vixisse existimant. Cum hac opinione apprime conveniunt Gregorii Turon. verba, neque Hieronymi chronicon repugnat. In hoc enim, inquiunt, cum Hilarii obitus ad ann. 367, novissimum locum obtineat, in initium anni 368 incidet, si hæc nota numeralis 368, uno tantum versu attollatur. Ad utramlibet opinionem ægrius accommodari valet quod ait Sulpicius, *Hilarius sexto anno postquam redierat, in patria obiit.* Nam aut circa finem anni 360, aut circa anni 361, initium eum rediisse prope certum est. At Blondellus aliique, falsa præcedentium editionum lectione decepti, ut Hilarii cum Auxentio conflictum decem annos post Ariminensem synodum habitum perperam sentiunt, ita in annum 371 illius obitum falso rejiciunt. Hunc cum terræ motus, quem Nicææ anno 358 contigisse constat, Hieronymi in chronico excipiat; liquet præclarum hoc lumen ante finem anni 358 orbi nostro ereptum, ut in cœlo clarius refulgeret.

Cap. XV. 116. *S. Hilarii miracula, reliquiæ, discipuli.* — Non sic cœlum petiit Hilarius, ut terras penitus desereret. In his enim opem illius ac virtutem etiam post experti sunt plurimi. Tam multa ad illius tumulum patrata sunt miracula, ut Fortunatus ex

iis, quæ sua ipsius ætate edita sunt, librum integrum confecerit. Fortunatus idem seu alius libri primi vitæ Hilarii auctor testis est (*Præf. lib.* II, *n.* 2), tumulum ejus in dies ob prodigia, *quæ usque in hodiernum diem*, inquit, *perseverant*, celebriorem fieri. Quod Nicetius Trevirorum episcopus in epistola ad Chlodosuind. confirmat his verbis : *Quid dicam de Domino Germano* HILARIO, *vel Lupo episcopis, ubi tanta mirabilia hodie apparent, quantum nec dicere verbis valeo.*

117. Gregorius Turonensis lib. I Histor. Franc. c. 59, mortuos ab eo suscitatos tradit, et lib. de Gloria Confess. c. 2, satis habens ea in memoriam revocare, quæ libro Fortunati secundo continentur, aliud adjicit, quod reliquiarum illius ope in Gabalitano territorio factum est. Quanquam suspicio est, ibi Gregorium nominis similitudine deceptum Hilario Pictavensi attribuisse, quod Hilarii Gabalitani seu Mimatensis episcopi fuerat. Neque tantum intra Pictavorum fines, aut in locis in quibus asservarentur Hilarii reliquiæ, ipsius in edendis prodigiis virtus emicuit : testatur quippe Flodoardus (*lib.* IV *Hist. Rem. c.* 48) duas Remis in honorem sancti confessoris ecclesias exstructas, et ambas miraculis illustres extitisse.

118. Alia variis in mss. occurrunt, nono, uti videtur, sæculo ab incertis auctoribus collecta : quorum fides etsi dubia est in iis quæ a suis temporibus remota sunt, non est tamen spernenda in iis quæ suo ævo contigisse testificantur. Collectionem hujuscemodi complectitur codex Colbertinus 59, in quo primum legitur fabula de terra subito excrescente in synodo coram Leone. Tum sequitur miraculum de muliere, quæ ad sancti Hilarii sepulcrum invito conjuge pallium obtulerat. 3° Mulier memoratur alia, quæ toto corpore debilis ad basilicam S. Petri a B. Hilario missa sanatur. Hinc Godam quamdam exhibent cæcam et claudam, quæ Hilarii suffragiis recepta sanitate ad suos redire non valet, et basilicæ ipsius verrendæ se mancipat. Narrant, 5° quo pacto sacris illius exuviis in basilicam S. Petri, nunc S. Genovefæ a Frothaldo abbate delatis, duo serpentes ab absida fugati fuerint, simulque memorant quod ipse vivus in insula Dives patraverat. 6° Nobilis feminæ mentio fit veluti auctoris ævo a dæmone liberatæ. De ea siquidem ait, *quæ etiam usque hodie vivere perhibetur, et ad Sancti luminaria pro suæ animæ corporisque salute votivum munus annuatim videtur exsolvere.* 8° Comparet puer, qui cum ore aperto intra viscera serpentem admisisset, ductus ad insulam Dives, ubi sub invocatione S. Hilarii constructa erat basilica, curatus est. Narratur denique, qui Hilarius, Leonio præsente, extremum vitæ suæ diem egerit. Duo hæc postrema Vincentius Bellovacensis in historiali Speculo (*lib.* XIV, *c.* 51) descripsit. Eadem fere aliaque continet ms. codex monasterii Longi-pontis ordinis Cisterciensis, quæ *ab aliis neglecta vel per inertiam prætermissa* auctor se collegisse perhibet. In his tertium est de Dano, qui baptismum ficte suscepit : ut Ramnulfi Comitis manibus a sacro fonte susceptus, munificis albis potiretur. Mittimus quæ in Ottoboniano ms. exstant, quæve superioribus adjecit Aquitanicorum annalium scriptor Bouchetus, et ex eo Bollandus transtulit. Sed prætermittendum hic non esset, nisi jam illud tetigissemus, qui Chlodoveus magnus in certamen adversus Alaricum Gotthorum regem descendens, futuræ victoriæ omen in ecclesia S. Hilarii acceperit, ideoque suis præceperit militibus, ut a regionis illius populatione sese abstinerent, nec quidquam ex civium bonis violenter auferrent.

119. *Hilarii nomen olim in sacro missæ canone recitabatur.* — Egregiam inclyti præsulis sanctitatem, quam tot prodigiis Deus testatam fecit, Ecclesia singulari semper veneratione prosecuta est. Antiqui Sacramentorum libri plerique memoriam illius in sacro venerandi sacrificii canone proxime post martyres recolunt. Tres e Vaticana bibliotheca memorat E. C. Bona, qui sancti Confessoris nomen eo loco præ se ferunt. Quibus consentiunt Corbeiensis codex annorum circiter 700, Remigianus Caroli magni ævo scriptus, Germanensis olim Gellonensi monasterio ejusdem Caroli dono datus, et alii quam plurimi, quos enumerare longum esset ac supervacaneum. In ipsa etiam liturgia Mozarabica primum inter confessores locum obtinet.

120. *Plurimæ basilicæ in honorem ejus extructæ.* — Præterea ut suam erga eum reverentiam demonstrarent majores nostri, plurimas in honorem ipsius basilicas ubique construxerunt. Emicuit præ cæteris sancti Aredii Atanensis in agro Lemovicensi Abbatis pietas, qui quod sibi ex nobilium parentum possessione obtigerat, ad sacram ædem sub sancti Hilarii invocatione excitandam magna ex parte contulit, ibique corpus suum sepulturæ mandandum constituit. Tantum autem abbati huic in meritis Hilarii fiduciæ fuit, ut cum Nectarii Lemovicensis civis prædivitis dolorem levare cuperet, unicum illius filium exanimem ad se afferri, et *ad reliquias sacratas B. Hilarii antistitis exponi* præceperit, ubi facta oratione mox cum parenti incolumem reddidit.

121. *Translatio prima ipsius corporis.* — Sacrarum illarum reliquiarum prima ac celebris translatio (1) temporibus Chlodovei regis ac Fridelini abbatis facta memoratur. Petrus Damiani in anniversaria illius solemnitate sermone habito testatur, sanctum corpus in locum qui præparatus ei fuerat, propriis angelorum manibus fuisse delatum. Idem prodigium legere est in uno Bellovacensis ecclesiæ ms. in quo præterea adjicitur, neminem exinde ausum esse sacrum corpus aut tangere, aut alio transferre : eamque ob causam nusquam alibi sacras illius haberi reliquias, nisi forte vestes sacerdotales, aut ex tumulo ejus, qui argento tectus ibidem scribitur, collectum pulverem.

122. Hæc si vera sunt, saltem non diu obtinuisse videtur scrupolosa illa in sacra Hilarii ossa religio. Ea enim Gregorii Turonensis ævo distracta fuisse,

(1) De hac translatione vide *Annales eccles.* C. Cointii ad ann. 538, n. 41, 42 et 43.

prope persuadet quod ipse narrat, Dei nimirum sacerdotem, cum quemdam Gabalitani territorii populum a vana circa stagnum superstitione revocare vellet, ædc in honorem B. Hilarii *Pictavensis* constructa, in eaque collocatis ejus reliquiis, populum his verbis adhortatum esse : *Nolite maculare animas vestras in his ritibus vanis; sed potius cognoscite* (an *colite*) *Deum, et amicis ejus venerationem impendite : adorate autem S. Hilarium Dei antistitem, cujus hic reliquiæ sunt conditæ; ipse enim potest pro vobis apud Dei misericordiam intercessor existere.* Probabile quidem est, ut diximus, Gregorium similitudine nominis deceptum, Hilarii Pictavensis reliquias falso existimasse, quæ Hilarii Mimatensis fuerint : at quin illas alibi quam Pictavis haberi potuisse, ac re vera habitas esse senserit, nullus dubitandi locus relictus est. His accedit quod ex B. Aredii vita, Gregorio eodem, si titulo credas, auctore scripta superius retulimus. Hinc enim liquet, nonnullas ex B. Hilarii membris reliquias apud Lemovicenses fuisse deportatas. Id tamen certius asserere esset, nisi ea ætate non tantum ossa sanctorum, sed et quæcumque ex locis, in quibus requiescerent, essent desumpta, reliquiarum nomine donata esse constaret. Testis est præterea Bollandus, in Belgii finibus haud procul a Lætiensi monasterio vicum esse vulgo *Wallers*, in quo brachii ejus os theca argentea inclusum etiamnum asservatur, eoque confluere hominum multitudinem, qui debitam ei reverentiam exhibeant.

123. *Translatio altera in basilicam S. Dionysii.* — Postmodum S. Hilarii corpus a Dagoberto rege in percelebrem sancti Dionysii basilicam translatum fuisse, traditio est : quæ licet Carolo Cointio ad ann. 638, n. 6, non videatur certa, nulla tamen evidenti ratione refellitur. Huic quidem opponi potest quod scribit Alcuinus, *Beatius fecunda Pictavia B. Hilarii pontificis reliquiis exultat, quam venditionum et emptionum altercatione* (*Homil. in Nat. S. Villibrordi*). Si enim Alcuini ævo Pictavorum civitas Hilarii reliquiis exultabat, has se Dagoberti beneficio possidere sancti Dionysii cœnobium falso gloriatur. Verum æque reponere licet, hæc illum locutum esse de S. antistitis cinere ac tumulo, ad quem populi tum confluerent, crebris virtutum signis, quæ Pictavis in dies edebantur, permoti. Ea ipsa quoque ratione commode intelliguntur Petri Damiani verba, quibus Moysis sepultura cum Hilarii translatione comparata, quærit cur nesciatur illius tumulus, hujus vero quotidie cum tanta gloria christianæ devotionis invisatur. Et vero multa etiamnum loca sanctorum tumulis celebria magno hominum concursu invisuntur, quamvis alio translata sint eorum corpora. Et ut per multa non excurrat oratio, quis S. Fiacrii opem imploraturus, non eum locum properet tumulo illius et crebris prodigiis clarissimum, quamvis sancti ejusdem corpus Meldensis ecclesia retineat?

124. Longe minus movere debet, quod aiunt nonnulli, sancti confessoris corpus superiore sæculo Pictavis a Calvini sectariis igne consumptum esse. Nam duobus diplomatis an. 1394 datis et apud Bollandum relatis Pictavenses ipsi profitentur, non jam apud se, sed in sancti Dionysii monasterio sacras patroni ac pastoris sui reliquias asservari.

125. Verum quid opponet Cointius antiquo Augiensis monasterii monumento circa initia sæculi noni scripto, in quo hujus monasterii cum diversis aliis societates recensentur? In eo quippe legere est, *Ex Cella S. Dionysii, ubi Confessor Christi Hilarius quiescit humatus, Hilduinus abba* (*Anal. tom.* IV, *p.* 644). Unde conficitur, tam notum ubique sæculo nono fuisse, quod sacræ Hilarii exuviæ in asceterio S. Dionysii in Francia requiescerent, ut etiam apud Germanos hac una nota a cæteris ejusdem nominis monasteriis discerneretur. An reponet, non hic abbatiam S. Dionysii in Francia, sed prioratum ejusdem monasterii in Alsatia indicari? Verum ex prioribus hujus monumenti verbis, quibus proxime post monasteria *S. Germani* et *S. Michaelis* subjicitur *S. Dionysii*, apparet monasterium Franciæ intelligendum. Neque inde dubitari permittit Hilduini abbatis nomen, anno 814, S. Dionysii in Francia monachis præfecti. Sed esto, *Cella* hic sit, quam celebre S. Dionysii monasterium in Alsatia obtinebat, non ipsummet S. Dionysii monasterium. An id sibi volent verba superius allata, Hilarum confessorem in hac Cella quiescere? An potius hanc cellam ad celebre illud S. Dionysii monasterium pertinere, *in quo confessor Christi Hilarus quiescit humatus?*

126. Responderet forte, Hilarum Gabalitanum ibi designari, nisi sancti hujus in laudatum cœnobium translationem recentiorem esse (*ad ann.* 638, *n.* 12) ipse approbasset. Sed et Hilarium quis audiat *Confessoris Christi* titulo decoratum; nec statim Pictavensem cogitet? Neque facile mihi persuaserim, tantam olim fuisse Hilari Gabalitani famam, ut a sacris ejus exuviis celeberrimum S. Dionysii monasterium maxime apud Germanos nominatum sit. Hoccine sic effectum putes, ut cum Hilarum in basilica S. Dionysii requiescere fama percrebuisset, is statim in dissitis regionibus existimatus sit, qui et ætate et gestis cæteros ejusdem nominis anteiret? At neque id licet opinari, cum non unius Hilarii, sed utriusque, et Pictavensis scilicet et Gabalitani, reliquiis S. Dionysii ecclesia sibi gratuletur. Nunc quidem resecata littera Gabalitanum episcopum *Hilari* nomine ab Hilario Pictavensi discernit : at apud antiquos nulla fere est hæc distinctio, apud quos etiam Pictavensis, in gignendi præsertim casu, *Hilari* nomine constanter donatur. Unde antiquus scriptor apud Photium cum Hilarii nostri laudet scripta, eum ob nominis similitudinem *Gabalorum episcopum* cognominat. His accedit quod nondum, ut diximus, in basilicam S. Dionysii delata fuerant S. Hilarii Gabalitani sacra ossa, cum scriptum est vetus illud Augiensis monasterii monumentum. Itaque sæculo nono indubitatum erat, magnum Hilarium in illa requiescere.

127. Non immerito igitur Dionysianum cœnobium de tanto thesauro gaudeat, de cujus jactura sicut nihil

certum fertur, imo nihil nisi falsum; ita et de ejus possessione nullus alius locus gloriatur. Neque hanc rem, puto, in dubium vocasset Cointius, si antiquum Augiensis monasterii monumentum ei videre licuisset. Adeo errori proximus est, qui ad respuendum quod a majoribus acceptum est, levibus quibusque conjecturis inclinatur. Nos illis potiorem habentes fidem, Hilarium Christi confessorem in monasterio S. Dionysii quiescere credimus, et sacra ejus ossa, quæ catholicis omnibus magno in honore et pretio esse meruerunt, debito cultu veneramur. Sed de his satis: reliquum est ut de sanctis Hilarii discipulis nonnulla delibemus.

128. Inter primos numerant S. Justum, a B. Hilario sacerdotii gradu donatum, et ab eo missum ad Petracorios, ac prope Lemovicos sepultum, cujus memoria novembris die 25, recolitur. Hilarii vita, quam ab eo scriptam dicunt, et in cimelio magni Hilarii repertam, aut falsa aut certe interpolata est. Quis enim Hilarii discipulum operis ejus auctorem sibi persuadeat, in quo Hilarii cum Leone papa in synodo romana altercatio, meraque fabula a nobis jam refutata, occurrit?

129. Apud Pictavos prima Februarii die celebris est solemnitas S. Leonii, Hilarii laborum, ut aiunt, comitis individui, quem in mss. nonnullis legimus a B. Hilario jamjam morituro accersitum, ipsius obitus testem adstitisse. Nihil præterea de eo succurrit apud antiquos Vincentio Bellovacensi superiores.

130. Gregorius Turonensis Lupianum memorat, ab Hilario institutum et baptizatum : qui mox ut salutari lavacro ablutus est, migraverit ex hac vita, sepultusque in vico Ratiatensi juxta Nannetes miraculis claruerit. In aliquot ecclesiis prima Julii dies S. Lupiano sacra est : et apud Clarum montem 17 februarii die recolitur translatio S. Lupiani, ejusdemne, an alterius, incertum. Certe Lupianus nullus in fastis Arvernicis.

131. Jam in superioribus actum est de Florentia, quam etsi Pictavenses 1 die decembris colunt; Ferrarius tamen, auctore Canisio, prima Julii die Florentiam commemorat Hilarii discipulam, quam et in Dania collocat.

132. Florentiæ exemplum imitata videtur insignis illa Triasia, quæ relictis parentibus, opibusque contemptis Hilarium convenisse dicitur, ut vitæ instituendæ formam ab eo exciperet. Pictavis parœcialis basilica nomine illius insignita extat eo ipso in loco, in quo eam intra cellulam per multos annos ad mortem usque latuisse traditio est. Hanc nonnulli suspicantur reclusam eam esse, cujus cum laude non vulgari meminit Sulpicius (*Dial.* II, *p.* 415), quæ virorum omnium conspectum ita sibi negaverat, ut ne sanctum quidem Martinum officii causa eam invisere cupientem voluerit admittere.

133. At si ex discipulis Hilarii gloria aucta est, quanta ei accessit ex Martini institutione? Per hunc enim in antistites ac monachos innumeros, quorum pia conversatione Gallia deinde decorata est, sanctitatis semina respersit : quæ utinam et hac nostra ætate utriusque Pontificis sanctissimi meritis, patrociniis, et exemplis in Ecclesia præsertim Gallicana ita repullulent ac reflorescant, ut in posterum nec hæreseos monstra admittat, nec sacerdotii dignitatem ac sanctimoniam obscurari aut contaminari patiatur.

VITA SANCTI HILARII, AUCTORE HIERONYMO.

(*Lib. de Script. eccl.*)

Hilarius urbis Pictavorum Aquitaniæ episcopus, factione Saturnini Arelatensis episcopi, de synodo Biterrensi Phrygiam relegatus, duodecim adversus Arianos confecit libros : et alium librum de synodis, quem ad Galliarum episcopos scripsit : et in Psalmos commentarios, primum videlicet et secundum, et a quinquagesimo primo usque ad sexagesimum secundum, et a centesimo decimo octavo usque ad extremum : in quo opere imitatus Origenem, nonnulla etiam de suo addidit. Est ejus et ad Constantium libellus, quem viventi Constantinopoli porrexerat : et alius in Constantium, quem post mortem ejus scripsit : et liber adversus Valentem et Ursacium, historiam Ariminensis et Seleuciensis synodi continens : et ad præfectum Sallustium, sive contra Dioscorum : et liber hymnorum, et mysteriorum alius : et commentarii in Matthæum ; et Tractatus in Job, quos de græco Origenis ad sensum transtulit : et alius elegans libellus contra Auxentium : et nonnullæ ad diversos epistolæ. Aiunt quidam, scripsisse eum et in Cantica canticorum ; sed a nobis hoc opus ignoratur. Mortuus est Pictavis, Valentiniano et Valente regnantibus.

VITA SANCTI HILARII
A FORTUNATO SCRIPTA (1).

ADMONITIO IN DUOS LIBROS SUBSEQUENTES.

Etiamsi duo de vita Hilarii libri Fortunatum auctorem præ se ferant, Pascentio ambo inscribantur, et ambo eadem præfandi et incipiendi ratione conveniant : an unus tamen utriusque auctor, quisve ille fuerit, non admodum perspicuum est. Ut enim post Hilarium multi leguntur Fortunati : ita et in Annalibus Aquitanicis duo memorantur Pascentii, unus scilicet Hilarii discipulus, et in Pictavensi sede successor ; alter, qui ejusdem ecclesiæ regimen S. Radegundis ævo suscepit. Libri primi scriptor Hilario se coævum facere videtur, ubi hoc Opus a se susceptum testatur rogatu Pascentii, quem sacratissimus Hilarius ac ipsis cunabulis ante sua

(1) In ms. Colb. *Vita S. Hilarii a servo suo Fortunato presbytero, postea episcopo.*

vestigia quasi peculiarem vernulam familiariter enutrivit : *ac paulo post subjicit, æquabilius fuisse*, hæc beato Ambrosio de fratre scribenda mandare. *Verum, ut optime observavit Bollandus, si exponi commode possunt priora illa verba, ut bis Pascentius a puero in ecclesia Pictavensi institutus dicatur; posteriora autem, ut iis desideretur quispiam eloquentia Ambrosio similis, qui ut ille fratrem Satyrum, ita et Hilarium dignis laudibus celebret. An vero auctor Ambrosio æqualis de ipso diceret*, cui verba florebant, *aut Hilarium* antiquissimum sacerdotem *cognominaret? an de concilio Biterrensi, de Saturnino Arelatensi, de congressu cum Auxentio ne verbum quidem facere ei licuisset? Stylum quoque si attendas, sane quartum sæculum non sapit. In plerisque mss. solus exstat liber primus : et in secundo nulla mentio fit primi, neque in hoc alter promittitur.*

De altero hoc constat, eum scilicet post Chlodovei tempora vivente adhuc Probiano scriptum. Is vulgo creditur Bituricensis episcopus, qui anno 555 *Parisiensi Concilio interfuit, et an.* 568, *juxta Cointium obiit : maxime cum eo ipso tempore, uti Gregorius Turon. lib.* IV, *cap.* 18, *scripto mandavit, Pascentius Pictavensi ecclesiæ præfuerit. Unde quod idem Gregorius lib. de gloria Conf. cap.* 2, *ait* : Virtutes multas ad sancti Hilarii sepulcrum ostensas narrari quas liber vitæ ejus continet, *vix ad alterum librum referre licet. Et quia tum Venantius Fortunatus, qui postea Pictavensis episcopus fuit, ex Italia in Gallias venerat; existimat Bollandus cum pluribus aliis, Hilarii vitam duobus libris sequentibus comprehensam ab hoc Fortunato editam esse, ubi eam e veteribus monumentis erutam paululum expoliisset. Hinc styli a cæteris ejus operibus diversitatem explicat. Addere potuisset, et proprias quasdam Venantii locutiones in eo opere indidem deprehendi. At non dissimulavit, Gregorium Turonensem, cum Venantii sibi familiaris opera nunquam memorare soleat, quin simul et auctorem nominet; hoc tamen, ut vidimus, laudasse, nec nomen auctoris appellasse. Molanus juxta martyrologium ecclesiæ Parisiensis ad* 18 *Junii diem Fortunati alterius meminit, a quo S. Marcelli Parisiensis episcopi vita rogante S. Germano scripta sit, et cui ipse S. Germanus superstes fuerit; adeoque paulo antiquioris Venantio Fortunato, a quo S. Germani gesta nobis transmissa sunt. Verum diversusne sit, an unus utriusque libri scriptor; isne censendus sit Venantius Fortunatus, an alter paulo superior; parvi refert. Hoc certe negari nequit, posteriorem librum saltem medio sæculo sexto esse conscriptum.*

PRÆFATIO AUCTORIS IN LIBRUM I (1).

DOMINO SANCTO, ET MERITIS BEATISSIMO PATRI, PASCENTIO PAPÆ FORTUNATUS.

1. *Auctor est Fortunato ut vitam S. Hilarii scribat.*

A — Religiosi pectoris, studio sollicitante commonitus, Papa beatissime, divinis in actibus cum sacri conversatione propositi jugiter exercitaris intentus, et intendis exercitandus : ut facile sit perspicuum, ad culturam ecclesiasticæ disciplinæ et fuisse te genitum, et esse provectum; cum irrefragabiliter veteris dispositionis catholici dogmatis fundamenta custos observas, et ad ædificationem plebis amantissimæ, veluti bonus instructor, adjiciendo aliquid, culmen fabricæ continuare festinas, non sine timore divino. Cujus operis amore prævenius, me dignatus es perurgere quo de actibus sacratissimi viri Hilarii confessoris, qui te ab ipsis cunabulis ante sua vestigia, quasi peculiarem vernulam, familiariter enutrivit, ut impensi muneris vel verba rependerem (1), et si non plene, vel quadam ex parte complexa perstringerem : quatenus dum gregis auribus vox quodam modo et vita Pastoris antiquissimi resonaret, et ille probaret ministerium et ipse tuum non celares affectum.

2. *Hoc opus superare vires reponit Fortunatus.*—Sed cum mei ingenii brevitatem mensuro, adeo beati Hilarii immensitatem fortem cognosco, ut pene mihi videatur æquale, tum istud posse dicere, quam digito cœlum tangere : præsertim quod etiam beati, ut audio, Hieronymi torrens illud eloquium recusaverit attentare, qui huic materiæ se imparem eatenus judicaverit, ut taceret. Ego vero, cui nullius scientiæ irrigua fluenta succurrunt, quem vix stillicidii pauperis attenuata gutta perfundit, nihil proprio de fonte respirans, qua temeritate inter ingentia flumina, Euphratem beati Hilarii, et Nilum Hieronymi, siccos velim cursus extendere, cum de illo etiam doctissimi viri quidquid dicere potuerunt, minus est quam meretur? Et cum virum sanctissimum consultius mihi sit mirari, quam loqui; æquabilius fuerat hæc beato Ambrosio de fratre scribenda mandare, cui verba virtutibus conjuncta florebant. Tamen etsi cum mea verecundia vobis quidem obedientiam, et illi impendo, de quo non digne loquor, fortasse injuriam : sed concedi per veniam credimus, quod devotione peccatur. Et ne protracta pagina fastidium potius generet, quam provocet auditorem; nunc de ejus vita proponamus.

LIBER PRIMUS.

3. *S. Hilarii patria, generis splendor, virtutes.* — Igitur beatus Hilarius Pictavorum urbis episcopus regionis (2) Aquitaniæ oriundus fuit, quæ ab Oceano Britannico sed multorum relatione comperimus in laudem Domini nostri J. C. memoriæ traditam, et bellatorem Christi eorum opusculis contra Arii perfidiam luculentissime flore defloratum, et multiplicia in eis ad veræ fidei confessionem texere gesta. Hujuscemodi re (F. rei) beatus Hieronymus maximus stipulator enitet. Qualiter vel quomodo in synodo Ariminensi temporibus Constantii principis sub Tauro præfecto miles Christi dimicarit, exsiliumque pertulerit Phrygiæ, lustrumque exsulaverit, omnibus recte piæque fidei sequacibus notum habetur. Prologum hunc vita excipit Fortunati verbis expressa, iis tamen identidem mutatis.

(1) Præfationis hujus loco in codice Compendiensi ab annis circiter 800 scripto brevior exstat prologus : quem mendosum licet, hic adtexere nonnihil juverit. *Prologus ex gestis sancti Hilarii Pictavensis episcopi et confessoris. Idus Januarii.*

Beatissimi Hilarii confessoris vitam vel opera non

(1) Aliquot mss. *rependeres*, seu, *rependeris*. Tum, *etsi non plene, vel ex parte perstringerem*.

(2) In veteri codice Colb. *regione Aquitaniæ*. In solis edit. *regionis Aquitaniæ partibus*. Hic Pictavensis

tannico fere millibus nonaginta (1) sejungitur : apud Gallicanas vero familias nobilitatis lampade non obscurus, imo magis præ cæteris gratia generositatis ornatus, nitore pectoris addito quasi refulgens Lucifer inter astra, processit. Cujus a cunabulis tanta sapientia primitiva lactabatur infantia, ut jam tunc potuisset intelligi Christum in suis causis, pro obtinenda victoria, necessarium sibi jussisse militem propagari. Denique conjugem habens et filiam, ita plenitudine Domini venerabiles animos ecclesiasticæ regulæ tradidit informandos, ut adhuc in laicali proposito constitutus, divino nutu, pontificis gratiam possideret; ita se ipsum propria disciplina coercebat intonsus (2), quasi futuram speciem indicans, ut irreprehensibilis in templo Christi præpararetur sacerdos. Nam quod inter mortales adhuc valde videtur difficile, tam cautum esse quemquam, qui se a Judæis vel hæreticis cibo suspendat : adeo vir sanctissimus hostes catholicæ religionis abhorruit, ut non dicam convivium, sed neque salutatio ei fuerit cum his prætereunti communis. Vitabat hæc Davidico suffultus exemplo, ne cum hæreticis mensam participando, fieret illi in scandalum (*Psal.* LXVIII, 23). O quam perfectissimum laicum, cujus imitatores ipsi etiam esse desiderant sacerdotes; cui non fuit aliud vivere, nisi Christum cum dilectione timere, et cum timore diligere; cujus sequaces currunt ad gloriam, divertentes ad pœnam; credenti succedunt præmia, recusanti tormenta! Qui omnes de pio religionis opere commonens, nunc alios de confessione inæstimabilis sanctæ Trinitatis informans, nunc reliquos promissione regni cœlesti invitans, non cessabat in plebem verba veritatis fructum fidei redundantia seminare.

4. Episcopus eligitur. — Quo cognito de S. Hilario, quoniam tantum lumen, etsi voluisset, latere non potuit, quippe necessarius (*al.* necessarium), ut alienas tenebras in lucem transferret, concordante favore populi, ut potius Dei Spiritu proclamante, vir olim mysterii deputatus, aliquando sacris altaribus sacerdos electus est. Crescebat in eo quotidie opinio famulatrix virtutum : nec erat fama ejus contenta circumjectas tantum Gallias illustrare, sed exteras nationes et regiones implebat meritorum gratia percurrente : sicque actum est, ut in toto orbe velociter beati pontificis gloria militaret.

5. Arianis adversatus, in Phrygiam relegatur. — Igitur Constantii Imperatoris tempore, cum Ariana hæresis, venenata de radice flore toxico (3) pullularet; tunc vir sanctissimus timore nudus, fidei fervore vestitus, quasi signifer belligerator per medias acies interter hostiles fremitus, inter hæreticos gladios se ingerebat intrepidus. Christi charitate securus, nihil de sua morte formidans, illud solum (4) metuens, quod absit, præjudicio religionis, in lato ne viveret. Hinc a Valente et Ursacio episcopis, qui prava credulitate Ecclesiam Dei turbare pertinaciter insistebant, Imperatori persuasum est, ut virum eruditissimum, de quo loquimur, et Dionysium Mediolanensem, et Eusebium Vercellensem exsilio condemnaret (2). Nihil enim poterat ante insuperabilem sancti Hilarii facundiam hæreticus obtinere. Sperabat enim hostis fidei, aliquas se nebulas splendori catholico posse prætendere, si retrusus exsilio vir talis a certamine defuisset : quoniam si quis perversus voluit cum illo confligere, ac si mutus et claudus, nec verba poterat proferre, nec responsionibus currere : sed quasi natans in pelago, ante fluctum ejus eloquentiæ mergebatur. Itaque in Phrygiam Asiæ regionem (3) missus exsilio ad augmentum virtutis, gratias egit Deo : quia quantum pro nomine Christi longius discedebat de solo proprio, tantum merebatur fieri vicinior cœlo.

6. Epistola ejus ad filiam, cui virginitatem persuadet. — Qui dum ad locum pervenisset optabilem, nobis tacendum non est quod illi divinitus concessum est. Nam eo tempore, sancto sibi Spiritu revelante, cognovit quod beatissimam Abram (4) filiam suam, quam cum matre Pictavis reliquerat, quidam juvenis nobilissimus, prædives, pulcherrimus, conjugii vinculo sibi quæreret adnectendam. Sed ipse interventu orationis assiduæ, cœlestem illi sponsum sine contaminatione providerat. Mox opportunitate reperta manu propria subscriptam (5) filiæ direxit epistolam sufficienti sale conditam, et velut aromaticis unguentis infusam, quæ tenetur Pictavis pro munere conservata : indicans ei, quod talem sponsum anxius pater illi provisset, cujus nobilitas cœlos ascenderet, pulchritudo rosarum et lilii comparationem præcederet, oculi gemmarum lumen obnubilarent (6), vestis candorem nivis opprimeret, ornamenta inæstimabili fulgore vernarent, divitiæ intra se regna concluderent : ejus sapientia incomprehensibilis emanaret, dulcedo favi mella postponeret, pudicitia incontaminata persisteret, odor suavitate fragraret, thesauri sine defectione constarent. Addit ergo monitis, ut filia nulli se prius a morte divisa conjungeret, quam ut patris expectaret pollicitum (7), et sponsum pariter cum pro-

civitatis jam expressæ videtur auctor vitare voluisse repetitionem.

(1) Gemeticensis codex cum Compend. *octuaginta.*

(2) Ita meliores mss. quo verbo id significatur tempus, quo nondum per tonsuram Clero adjunctus erat Hilarius. In aliis libris, *intentus.*

(3) Quidam mss. *floris toxici.* Magis placeret cum Compend. *dira contagia pullularet*, si et alter suffragaretur.

(1) In vulgatis, *illud solum metuebat, ne præjudicium religioni, quod absit, illatum prævaleret.* Elegantior est lectio, quam exhibemus ex potioribus mss. Horum in uno exstat *illatæ*, non *in lato.* Mox ex iisdem restituimus, *prava credulitate;* ubi obtinuerat *crudulitate :*

(2) Hoc non uno et eodem anno contigit.

(3) Vetus codex Colb. *in frigia Asiæ religionis.*

(4) In pluribus mss. constanter scribitur *Apram.*

(5) Additum hic erat, *infra post librum secundum ;* quod ex margine irrepsit in textum.

(6) Gillotiana editio, *lumine luminarent.* Compend. mss. *lumina inluminarent.*

(7) Ita codex Compend. Alii vero, *ut patrem expec-*

missione venturum. Quod Abra dulciter excipiens, et quasi sponsum futurum in epistola patris amplectens, admonitionem secuta est, nulli in conjugio se resolvens. Sed qualiter ad illum sponsum pervenerit, locus in sequenti servatur.

7. *Inter eundum Seleuciam, Florentiam baptizat.* — Interea cum toto orbe Arianæ hæresis perversitas pullularet; dato generaliter Imperatoris edicto, ut omnes Orientales episcopi apud Seleuciam Isauriæ oppidum convenirent, disceptaturi quid sentirent de fidei veritate; tunc inter reliquos, quarto jam exsilii anno, de Phrygia sanctus Hilarius in prædicto loco data sibi pergendi evectione (1), ad synodum venire compellitur. Qui quoddam castellum dum adisset, die Dominico ingressus est templum : moxque Florentia puella gentilis, irrumpens multitudinem populi, voce magna servum Dei illuc advenisse testata est : et ad pedes ejus accurrens, non cessavit petere, nisi signum crucis (2) ab ipso sibi fieri fideliter impetrasset. Quam Florentius pater secutus est, et cuncta familia in nomine Domini meruerunt pariter baptizari. Quæ Florentia, relictis parentibus, vestigiis ejus inhærens, usque Pictavos perducta est : patrem vero se habere, non a quo generata est, sed per quem regenerata est, prædicabat.

8. *Seleuciæ ac deinde Constantinopoli ab eo gesta.* — Cum vero Seleuciam pervenisset, magno favore a cunctis exceptus est, eo quod divina misericordia talem virum prudentissimum, et singulari eruditione compertum, in spectaculum mundi produxerit, ubi erat de fide censendum. Hinc post examinationem agnitis hostibus et oppressis, decretis in scripto conditis, prospera gerens synodi ad imperatorem dirigitur legatio : cum qua perrexit sanctus Hilarius, quamvis ei non fuisset injunctum, metuens ne adhuc contra religionis dogmata respiraret damnata perfidia. Sed disserere longum est, qualiter in Ariminensi synodo, composita mentione (3) aliud ex alio referens, fraus hæretica serpentino lapsu subrepserit, et quomodo postea legatis Seleucensibus per imperatoris iniquitatem ipsa est illata calumnia. Quod tamen athleta Christi beatus Hilarius agnoscens, graviter dolet apud Ariminum diaboli prævaluisse mendacium, in tantum ut et Orientales partes similiter composito pravitatis fuco inficeret. Imperatori autem (*Sic Sulp. Sever. l.* 2, *p.* 261) tribus libellis oblatis, preces effudit : ut in ejus conspectu collectis adversariis esset ei contra hæreticos disceptandi de religione licentia, ne veritatem falsitas obumbraret, ne æquitati iniquitas prævaleret, ne imperator Deo resisteret, ne fidei perfidia (1) rebellaret. Unde Valens et Ursacius conscientiæ reatu perterriti, quoniam, si daretur facultas certandi, mox se recognoscebant Hilarii contentione prosterni : sollicitant imperatoris animum, tam maligna parte captivum (2), ut ipsum Dei virum ad Gallias redire perurgeret, dicentes, illo præsente hæretica non posse machinamenta proficere. Quo obtentu, ad Gallias compulsus revertitur, putans amplius se pati exilium, quod illic perturbationem Ecclesiæ relinquebat, termino disceptationis non consecuto. O beatum pontificem, qui in summo discrimine, inimico etiam sibi judice, adiit tribunal Imperii, sine timore tormenti! Vere totis visceribus diligebat Christi regnum, qui non formidabat in principatu Constantium. Nam quod se pro Domino sic ingerebat aperto periculo, optabat martyrium, si non defuisset percussor : et tamen animus sumpsit gloriam, etsi tempus non intulit pœnam. Sed hunc ipsum divino nutu servatum testificor pro correctione cunctorum (3). Nam pene totum mundum gravi errore confusum, factis sæpius in Gallia synodis, per Hilarium fuisse ad viam veritatis adductum, confitetur lingua multorum. Quid autem interest, vel sibi (4) pro æterna vita factum fuisse martyrem; vel amplius vixisse, reliqui ne perirent? Igitur sanctissimam animam etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen martyrii non amisit.

9. *Redeuntem prosequitur sanctus Martinus.* — Itaque dum regrederetur ad propria, tunc beatus Martinus, æque meritorum lumine non absconsus (5), qui ab eodem S. Hilario exorcista est postea constitutus, cognito adventu ejus, Romam festinanter occurrit. Quem cum jam præterisse cognosceret, usque ad Gallias consecutus est. Neque enim Martinus (*ita Sulp. Sev. in Vita S. Martini, p.* 298), qui adhuc catechumenus Christum chlamyde sua tectum videre meruit, illi devotus occurreret, nisi per omnia mysteriis plenum in eo spiritum prævidisset. Nec mirum, si ille, qui Deum prius vidit in paupere, postea illum habitare cognosceret in doctore.

10. *Ex insula Gallinaria serpentes fugat.* — Illud etiam nobis non convenit tam nobile præterire mira-

taret sibi pollicitum. Antea in quatuor mss. *prius male divisa*, non, *prius a matre divisa.*

(1) Aliquot mss. *data vectione*, vel, *evectione.* Sulpicius Sev. *data evectionis copia.* Habetur l. XII Cod. de cursu publico, *Evectionum copiam, cum proficiscendi ad nos necessitas fuerit, serenitas nostra largita est.*

(2) Quo catechumena evaderet.

(3) Legendum haud dubie *mentitione.* Hoc enim dictum est de mendacio Arianorum, quo vocem substantiæ ab Orientalibus omnino respui impudenter mentiti sunt. In ms. Compend. *compositum mendacium.*

(1) In vulgatis, *ne Trinitatis fidei iniquitatis perfidia :* interpolatoris opera.

(2) Sic potiores mss. Vetustior e Colb. *tam maligna re per artem captivum.* Cæteri vero libri, *jam magna ex parte captivum.*

(3) Editi, *multorum :* renitentibus plerisque mss. quibus suffragatur illud Sulpicii pag. 262 : *Optimum factu arbitratus revocare cunctos ad pœnitentiam, frequentibus intra Gallias conciliis*, etc.

(4) In vulgatis, *vel si.* In pluribus mss. *vel se.* Magis placet cum potioribus, *vel sibi*, hoc est, quod sibi uni profuisset.

(5) Antiquior ms. Colb. *non obscurus.* Tum Compend. *qui ab Hilario defensore sancto exorcista*, etc., omissa voce *postea*, quam per glossema huc irrepsisse censet Bollandus. Alias certe pugnaret hic Fortunatus cum Sulpicio, qui Martinum ab Hilario, antequam exsularet, exorcistam ordinatum esse scribit.

culum. Nam cum circa Gallinariam insulam (1) propinquaret, relatione agnovit vicinorum, ibidem ingentia serpentium volumina sine numero pervagari : et ob hoc quamvis illis hæc insula videretur vicina, propter inaccessibilem tamen locum longius illis videbatur esse, quam Africa. Quo audito, vir Dei sentiens sibi de bestiali pugna venire victoriam, in nomine Domini, præcedente crucis auxilio, descendit in insulam : eoque viso, serpentes in fugam conversi sunt, non tolerantes ejus adspectum. Tunc baculum figens in terram, quasi metam, quo usque deberent excurrere, virtutis potentia (*in duobus mss.* potentiam) designavit : nec amplius libertas est illis occupare, quod vetuit, tanquam si reliqua pars insulæ (2), non sit terra, sed pelagus; quia dum semper illam partem verentur attingere, facilius erat illis mare transire quam (3) vocem. O immutabilem terminum, de sermone plantatum! Apparet, quantum est melior Adam secundus antiquo. Ille serpenti paruit : iste servos habet qui possunt serpentibus imperare. Ille per bestiam de sede paradisi projectus est : iste de suis cubilibus serpentes exclusit. Deposuit anguis antiqui mendacium (4), qui didicit implere mandatum. O Hilarii dulcedo, medicamentum et meracum, ante quem sine mora venena fugata sunt! Addidit terram hominibus, quia in loco belluæ incola transmigravit. Sed revertamur ad ordinem.

11. *Qui Pictavis exceptus.* — Cum de exsilio regressus, introivit Pictavis, summo favore plaudebant omnes pariter, eo quod ecclesia recepisset pontificem, grex pastorem : et ac si omnes cum ipso tunc redissent ad patriam, ita sine illo se exsules fuisse deflebant.

12. *Infantem sine baptismo defunctum suscitat.* — Itaque beatum Martinum in vico Locogeiaco (5) nomine dum præcepisset consistere, virtute divina meruit ibi beatus Martinus mortuum suscitare. Deinde post aliquot dies infans quidam sine baptismi regeneratione defunctus est : duplici morte damnatus, præsentem amiserat lucem, et pœna futuri sæculi non carebat. Tunc mater extincti, quæ jam mater non erat dum filium non habebat, provoluta ad pedes sancti Hilarii, præcedentibus lacrymis, nati sui corpus effudit, exclamans, Martinus adhuc incipiens, catechumenum mortuum revocavit : Tu, pontifex, redde, rogo, filium aut mihi aut baptismo : qui populi pater agnosceris, ut ego mater vocer, quæso obtineas. Sic illa plus lacrymis petente quam verbis, commotus est pietate vir Dei et spectante populo ad consueta arma (1) recurrens, in terram prosternitur. Mox paulatim defuncti pallor in ruborem convertitur, frigida membra revocato spiritu intepescunt, oculi apertis palpebrarum januis peregrinum lumen agnoscunt, vox adducto acre de pectoris domicilio conflata profertur, gressus suis vestigiis redivivus extenditur, in anterioris fundamenti statum tota fabrica renovatur. Quid plura? Tamdiu jacuit sacerdos in pulvere donec pariter surgerent, senex de oratione, infans de morte. Ecce vita laudabilis, quæ de alterius corpore necem precibus effugavit, spoliavit tartarum spem habens in Christo. Mors ibi jura non tenuit, ubi Hilarius vim orationis ingessit. Sed tanta res non potest nostris verbis plus ornari, quam ipsius meritis. Nunc vero memorandum est, quod supra prætermisimus (*in uno ms.* præmisimus), qualiter miracula reliqua hoc subjecto miraculo cumulavit.

13. *Abræ filiæ et uxori mortem precibus obtinet.* — Denique cum beatissimam Abram filiam suam, ad quam de exsilio destinavit epistolam, incolumem invenisset; alloquitur eam, quomodo poterat dulcedo patris et facundia oratoris. Quid dicam? Alloquitur illam Hilarius, cujus eloquentiæ post ipsum comparare aliquem vix audemus, nisi qui fuerit Spiritu divino, ut ille, repletus : tentat ejus animum, si vellet attingere sponsum, quem patris gratia providerat (*Mss.* prævideret *aut* prævideret). Tunc libenter desideranterque, ut celeriter ei jungeretur, optabat. Quam voluntatem pius pater agnoscens, intentus orationibus non cessavit, donec sine dolore, sine contagio, se præsente, filia de mundi ludibrio migraret ad Christum : quam propriis manibus, ut decuit, venerandæ tradidit sepulturæ. O funeris gloria, quæ melior habetur quam vita : quia quod terræ subripuit, in cœlum transmisit! Vere, ut ego considero, plus fuit, quam resuscitari,

(1) Plures mss. *circa Dives Galliarum insulam :* sicque Bouchetus legit, ac putat hanc insulam ad rupes Primalienses sitam. Haud procul Rupella, uti Bollandus observavit, vicum *Yves* et pontem *d'Yves* exhibent tabulæ in Alensio. Valesius autem in notit. Gallic. p. 390, 2, notat insulam *Divam* proximam esse tum ostio Separis, tum alteri insulæ, quæ latine *Oja*, vel *Ogia* vulgo, *l'Isle-Dieu* nuncupatur. Quamvis mss. vetustiorum auctoritate retineamus, *Gallinarium insulam;* eam tamen arbitramur aliam fuisse ab insula ejusdem nominis in mari Tusco sita, quam Martinus incoluit. Alias Martinus in ea Hilarium exspectasset, nec Romæ tentasset ei occurrere, si hac illius iter fuisset. Falso etiam inhabitabilis diceretur, quæ a Martino fuisset habitata.

(2) In vulgatis, *et tanquam si hæc insula.* In duobus probæ notæ mss. *tanquam pars terræ non sit terra.* In cæteris, ut in textu.

(3) Vetustior e mss. Colb. *quam huc esse.*

(4) Ita vetus codex Colb. Alii vero, *antiquum mendacium.* Mox aliquot mss. *o Hilarii dulcedo* : ac deinde cum edit. Gil. *medicamentum et meritum.*

(5) Sulpicius hujus monasterii situm *non longe ab oppido* esse tradit, sed nomen ejus silet : nec in eo scribendo consentiunt mss. Legere est in vetere Colb. *Locojaco;* in alio non recentiore Casalis Bened. *Locotejaco;* in Compend. *Locodiaco;* in pluribus aliis, *Legudiaco.* Sic et apud Bollandum hic vicus aliis *Legudiacus, Tyacus* et *Goteloicacus* dicitur, et in Breviario Sarum *Lugduniacus.* Ipse præfert cum edit. Gil. *Tegiaco.* Ex duobus prioribus mss. conficimus *Locogejaco :* adeo ut in primo exciderit littera *g*, quam antiqui voce non exprimentes, facilius etiam in scriptis omittebant. Ex altero autem supplemus litteram *e*, concinente Gallico nomine *Liguge.* Non displiceret *Legugejaco.*

(1) Edit. Gil. *ad conversata arma*, quod deinde enuntiatur de defuncto ad vitam revocato, quamdam affinitatem habet cum iis quæ de moribunda sanata edisserit Venantius in vita S. Germani, *ut post funerum pallorem facies in ruborem transiret.*

sic mori. Certa enim salus est, non contaminari peccatis. Quanti cuperent, rebus cum vita traditis, talem transitum comparare, si mercatorem forsitan invenirent? Quid distat inter vivificati infantis, et filiæ mortificatæ mysterium? Illum resuscitavit ad baptismum, hanc prædestinavit (1) ad regnum : nisi quod in illo adhuc spes peccandi restabat, hæc immaculata finierat. Quod cum vidisset mater beatæ Abræ, a pontifice postulat, ut et ipsa, si mereretur, erepta de mundi crimine, cum filia præsentaretur ad regnum. Cujus vota considerans, assidua oratione et ipsam ante se transmisit ad gloriam. Quis æstimaturus est, talem virum ita dilexisse Dominum, conjugis et filiæ affectu contempto? Tamen in hoc magis illas amasse cognoscitur, cum per ipsum lumini perpetuo transferuntur.

14. *Hilarii eruditio.* — Quis vero abundantiam rigantis ingenii contendat evolvere, aut ejus verba verbis valeat exæquare? Qualiter ille indivisæ Trinitatis libros stylo tumente contexuit (2), aut scripta Davidici carminis sermone cothurnato per singula reseravit? quam fuit in dissertione providus, in tractatu profundus, per litteraturam eloquens, per virtutem mirabilis, in complexionibus multiplex, in resolutione subtilis, astutus juxta prophetam, imo prudens, juxta Domini vocem ut serpens (*Matth.* x, 16), columbæ simplicis gratiam non amittens. Ipse conditi sal ingenii, fons loquendi, thesaurus scientiæ, lux doctrinæ, defensor Ecclesiæ, hostium oppugnator. Cujus dicta qui legerit, non credet dicere, sed tonare (3). Hoc fuit ultra hominem sapere, tam caute de religione censere.

15. Sed qui vult ipsum cognoscere, ejus exsilia (4) memoret, merita respiciat, volumina relegat, dicta perpendat, signa quotidiana percenseat. Qui dum superstes fuit in hoc sæculo, aut scripsit ecclesiasticæ fidei documenta, aut pugnando calcavit hæretica crimina, aut petenti tribuit miraculorum suffragia; quæ volente Domino usque in hodiernum diem ejus orationibus perseverant. Sed mea lingua non sufficit singulatim de sancto Spiritu, qui per eum et operatus est et locutus, sicut illi dignum est, cuncta proferre.

16. Det mihi pius veniam, quia multa præterii, qui vix pauca conscripsi (5). Ita beatus Hilarius de præsentis sæculi vita, Valente et Valentiniano regnantibus, cum gloria migravit ad Christum, terra plorante, cœlo gaudente, eodem Jesu Christo præstante qui cum A Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

(1) In ms. Colb. *destinavit*, in Comp. *transmisit*.

(2) Vetustior e mss. Colb. *qualiter ille in divisa* (forte, *in diversa*) *libros stylo tumente contexuit*. Compendiensis vero, *Qualiter ille libros contra Arii perfidiam promulgavit, quomodo librum Psalmorum per singula cothurnato sermone reservavit* (leg. *reseravit*), *in hymnorum etiam fuerit dissertione* (ubi mendose excusum erat, *in discretione*) *paratus*.

(3) In exemplari Compendiensi hic subjicitur, *Obiit autem præfatus pontifex Hilarius die iduum januariarum. Reliquiæ ejus Pictavis sunt conditæ; in quo loco hactenus divina beneficia operantur, ipso præstante, qui vivit*, etc.

(4) Apud Gillotium, *auxilia memoret*.

(5) In mss. Ottob., German., Colb. ac nonnullis aliis

IN LIBRUM SECUNDUM FORTUNATI (1)
PROLOGUS.

DOMINO SANCTO ET MERITIS BEATISSIMO PATRI, PASCENTIO PAPÆ, ET IN CHRISTO FLORIGERA PERENNITER CHARITATE VERNANTIBUS ECCLESIÆ PICTAVENSIS HABITATORIBUS FORTUNATUS.

1. *Profanis et Christianis alia atque alia scriptionis causa et merces.* — Cum veteres infidelium conditores voluminum, eloquentiæ suæ pompam cunctis ostendere, causa provocaverit opinionis inflatæ : dum inter regnum vota seu funera, id est, prospera vel adversa, B confuso vocis ordine, quodam modo visi sunt (*al.* nisi sunt) cantare pariter et plorare : ut hi qui dixerunt, vel de quibus locuti sunt, saltem in libris viverent, etsi vacuis actibus inaniter defecissent. Cur ergo melioris spei sollicitatus instinctu, patiar reticeri de summi confessoris viventibus meritis et victoriis, non sine, quod absit, vindictæ cœlestis incursu; cum vix debita solverem, si de beati Hilarii indeficientis lampadis splendore, infatigabili voce, die continuata cum nocte pariter decantarem? Qua vero vel irretitus inscitia, vel impulsus offensa, in ea voluntate sub gravi corpore persisterem; ut cum illi decepti plurimo tractatu de resoluta umbrarum imagine nonnulla conficerent, et in pulverem redacta cadavera falsis quasi laudibus animarent, ego de sanctis permanentibus, et, C quod est felicius, in regno Christi quotidie florentibus, nihil referrem : præsertim ubi diversa diversarum partium videtur esse causa mercedum : quod

diffusior est hic liber in hunc modum : *Ne ergo pagina cum styli rusticitate necnon et loquendi nimietate prolixius extensa vilescat, scribendi jam debemus construere metas; est tamen dignum, juveritque hoc unum tantum referre, quomodo hujus sancti viri anima divini luminis fulgor migravit excepta. Tantum namque lumen Ecclesiæ dum infirmando obscurari cœpisset, venerabilem virum Leonium ejusdem civitatis presbyterum quadam die secretius sibi accersiri mandavit. Ei autem idem sacerdos credulus et dilectissimus habebatur. Cumque imminentibus noctis tenebris eum exire, et si quid foris audiret, sibi renuntiari jussisset : ipse voces tumultuantis adhuc populi civitatis se audisse revertens exposuit. Persistebat itaque vigilans, justique finem expectans,* D *animum novissimis ejus et charissimis exhortationibus reficiens. Deinde tempesta jam nocte rursus a sancto rogatur exire, quidque auditu percipere posset sibi jacenti ad lectum referre. Qui dum nullius sonitum vel mussitationem se sensisse renuntiat, mox splendor inæstimabilis claritatis, quem Leonius se non potuisse ferre fatebatur, per fenestram a parte altaris ejusdem basilicæ, in qua sanissimus decubabat, infirmus ingreditur. Secundum namque Apostolum infirmatus carne, spiritu potentior erat; cujus anima, non qualiscumque, sed beatissima, corporalibus soluta vinculis egressa eo ipso, ut credimus, divinæ claritatis lumine suscepta, et in paradisi migrando perpetui splendoris amœnitatem intravit. Ibi nunc et semper pretiosi lapidis diademate coronatus in sempiterna cœli arce felici perfusus luce exsultantibus sanctis lætatur. Ita beatus pontifex Hilarius*, etc.

(1) In uno ms. Colb. additur et hic, *tunc presbyteri, postea autem Pictavensis episcopi.*

gentiles fructum laboris sui in inani tantum favore A voluerunt consistere; nos autem oporteat illum in beatorum virorum intercessione plantare, quibus hic verba si solvimus, illic gaudia comparamus.

2. *Hilarii multa miracula auctori ignota.* — Idcirco reddat illi mobilis lingua præconium, a quo prius pectora hunc conceperunt affectum. Nam bonis ejus aperte credetur invideri, si quæ de illo cognovimus, silentio videantur abscondi. Merito itaque cum cæteris et me de se loqui compellit, qui etiam mutos ut loquantur absolvit. Sed quam plura superstes in corpore fecerit, vel quanta operatus sit postquam æternam in requiem plaudentibus de se Angelis ad Christum victor de mundi certamine transmigravit, etsi non potui annorum vetustate subripiente contingere; attamen vel quæ præsenti tempore miracula B misericors præbuit, cupio indigenti memoriæ non fraudare: ut quisquis hæc fideli, sicut decet, auditu perceperit, et præterita se cognoscere gaudeat, et similia fieri virtute confessoris in futurum confidat.

LIBER SECUNDUS.

DE MIRACULIS SANCTI HILARII.

3. *Probianus moribundus sanatur.* Igitur (1) Probianus cum dubio jam vitæ penderet in fine, et spem convalescendæ infantiæ mors invida parentibus subripere festinaret, nec parvuli funus acerbum considerans, nec desideria ingemiscentis senectutis spectans, avida quidquid invenit extra sortem cuncta concludens, sola tamen intercessione beati Hilarii restiterat moribundo salutis occasio. Quem Franco suus genitor, et Periculosa mater, quæ magis converso nomine, filii periclitabatur in nece, jam quasi defuncti præmeditantes exequias, cum ingenti luctu et fletu in confessoris tabernaculum detulerunt. Tunc sanctus Hilarius ab auctore suo secretæ artis exhibens medicinam, consuetus de dispendio funeris reddere compendia sanitatis, subito membrorum fluentem fabricam verbo operante erexit, et in statum pristinum, tanquam si nihil in ea fuisset solutum, reformavit: moxque parentum lacrymas lætitiæ mole superveniente siccavit, gemitus voto succedente præclusit: ubi jam per dolorem non erat, sed præ gaudio, quod plorarent. Quas pœnas, quæ tormenta mors ipsa tunc pertulit, quando illud, quod credebat invadere, sic amisit? Profecto quando alterum D victrix ferire non potuit, sese ipsam victa percussit. Qui tamen Probianus postea apicem promeruit obtinere (2) pontificis, et usque in hodiernum diem ad luminaria sui medici singulis annis vitæ debitor tributa persolvit.

4. *Leprosi duo mundantur de pulvere sepulcri.* — Illud quoque nobis est tam singulare miraculum, pro gloria collatoris, ad memoriam populi revocandum. Nam cum a Cadurcis venissent duo homines lepræ maculis immutati, spem suæ salutis in sancti Hilarii intercessione fundantes persistebant, et de pulvere, qui ab ejus sepulcro abstergebatur, sua cum aqua lavantes capita, et membra reliqua perungentes, tam diu sibi talem curam fideliter impenderunt, donec infirmitatis ipsius ulcerosa varietas de corpore, quod captiva verat, captiva migraret: ut decepta suis solatiis colorem, quem invaserat, inviolatum relinqueret, et quam secum attulerat, turpitudinis speciem non teneret. Post innumerabilia itaque vulnera, membris omnibus instaurata est cutis una: vultus ille diuturna deletus sorde (*Ms.* sordine), sua cœpit in ambobus repingi imagine nec agnosci qualis fuerat per infirmitatem. Per fidelissimum namque lavacrum pulveris, Pictavis purificus illis inventus est Jordanis: et non ipsi ad fluvium, sed ipsis fluvius hic occurrit. Ex quo tam prædicabilis patuit miseratio confessoris, quod et laborem eis longinqui itineris abstulit, et salutis vota porrexit. O quam inæstimabilium claruerunt documenta virtutum, ubi sepulcri immunditiæ mundaverunt maculas lepræ! Cujus hoc facere cura potuisset artificis, qui de tali pulvere ferret beneficia medicinæ? Ex quibus Castorius diaconus et Crispus (*Ms.* Crispio) subdiaconus institutus, ad ejus obsequium usque in finem suum, per C quem sanati sunt, adhæserunt: et merito illius elegerunt sustinere juga Domini a quo a pœna liberi sunt effecti.

5. *Manus contracta sanatur.* Quædam puella in hanc vitam veniens, dexteram mortuam traxerat natura formante et debilem manum in speciem glomi (1) collegerant nervorum fila contracta: fluxa suo stamine digitorum tela marcebat (2). Tunc occurrens ad beatissimi Hilarii sepulturam, intercessione ejus vivacibus est officiis ordinata: paulatim mobilis vigor articulos stupentes et ungues (3) irrepsit. Post longa tempora manus illi tunc nata est, cum sensit munera confessoris. Extincta manus venit ab utero: viva rediit de sancti sepulcro. Ecce quam larga remuneratoris est pietas, ut quæ natura non genuit, hic membra suppleret.

6. *Cæco visus redditur.* — Nec illud quidem præterire convenit quod cæco felici post vota successit. Nam cum ad beati Martini limina pro recipiendo lumine intentus properaret, in sancti Hilarii præteriens templum ingressus est. Quo dum vigilias officio solito celebrarent Clerici, mane facto, apertis oculis, ipse diem cœpit aliis nuntiare, qui hoc semper egebat audire. Apud quem una semper nox erat,

(1) Bouchetus c. 15, et Claudius Robertus hunc aiunt esse Probianum seu Probatianum episcopum Bituricensem XXIV, qui anno Pelagii Papæ 2, Childeberti 44, Christi 555, subscripsit concilio Parisiensi II, et biennio post præfuit Parisiensi III, adeoque attigit tempora Venantii Fortunati. BOLLANDUS.

(2) Ottobon. ms. *pontificatus Bituricensis*: et mox, *ad limina*; ubi in aliis, *ad luminaria*. Similis est locus Venantii Fortunati in vita S. Germani n. 11, ubi de moribunda sanata ait: *Quæ singulis annis vitæ tributum solvit pro pretio.*

(1) Ita cod. Ottob.; in aliis, *globi*.

(2) Apud Gil. *marcebant*. Huc spectat illud Fortunati in vita S. Germani n. 14, *nervorum tela retexitur*.

(3) Al. *unguentes*; an *rigentes?*

tenebras illi S. Hilarius ea nocte purgavit. Qui nunquam viderat ornamenta diei, cœpit illi novus sol miræ claritatis nasci. Tunc illi fabricata sunt omnia, quando eorum videre meruit facturam, et ut ita dicam, quodam modo post se illi mundus est natus, cum factus est agnitus. Cæcus ad beati Martini ecclesiam festinabat (1) accedere, iste cum in suo templo dignatus est illuminare. Quanta micat gratia donatoris qui prævenit desideria supplicantis !

7. *Chlodoveo promissa lumine ac voce victoria præstatur.* — Quid etiam dignum referam de tam regali mysterio, quod ab ipso est in regem collatum? Denique Chlodoveus rex dum contra hæreticam gentem pugnaturus, armatas acies (2) commovisset, media nocte meruit de basilica beati Hilarii lumen super se veniens, adspicere, admonitus insuper ut festinanter, sed non sine venerabilis loci oratione, adversus hostes conflictaturus descenderet. Quod ille diligenter observans, et orationi occurrens, tanta prosperitate, altero pro se pugnaturo, processit ad bellum, ut intra horam diei tertiam ultra humana vota sortiretur a Domino victoriam. Ubi multitudo occisorum cadaverum colles ex se visa est erexisse (3). Ecce terribiliter formidanda prodigia, et delectabiliter amplectenda miracula. Parum illi fuit pro solatio regis, signum luminis ostendere, nisi aperte monita addidisset et vocis. Similis quædam contigit, Israelitici populi tempore, hujus causa virtutis. Nam ibi columna ignis populum præcesserat, hic figura lampadis admonebat.

8. *Arianos debellat etiam mortuus.* — Vellem nosse, quod fuerit tanti ardoris secretum mysterium, tam manifeste prolatum. Sed quantum ipso inspirante videor agnoscere, non tacebo. Nam contra hæreticas acies, sicut olim in corpore, non cessavit spiritu dimicare. (4) Quanta fuit illi semper pro cultu catholicæ religionis aviditas; cum in requie posito, adhuc sollicitudinis non desit ubertas? Nam qui tunc in synodo ad confundendum hostem verba fidelia protulit, hic in campo arma tractavit victoriæ.

9. *Mulieri manus arida redditur sana.* — Mulier in vico Tonaciaco, dum aquam ad opus suum deportaret die Dominico (non est meum nosse quo prævenia peccato), manus ejus adtracta est, venarum arefacto discursu. Tunc revelatione commonita est, ut ad sancti limina, si vellet salva fieri, properaret. Quo illa fidens nuntio, tanquam cum ipso sanitatis suæ præviatore, læta percurrit. Et dum in ecclesia psalleretur, similiter in absolutione, die Dominico, quo præcesserat pœna, secuta sunt gaudia. Ecce consuetudinem patroni singularis amabilem, qui ut inveniat quod præstet, et causas exquirit. O beatum Hilarium omnium corde, ore, voce cantandum ! cujus tam larga benignitas est, ut non solum se alicui non abscondat, sed ultro ingerat ! Veniamus ad alios venerandi fructus miraculi.

10. *In una puella plura eduntur miracula.* — Quædam paralytica, annis adulta puella non merito, sine vitæ vivebat officiis. Cui intra funus extincti corporis tantum superstes anima palpitabat, et in toto cadavere lumina quasi sola vigebant, ac velut mortua in se membra vigilantes oculi custodiebant. Non lingua torpens intra palati cameram, volubilis (*Ottob. ms.* vocabulis) excurrebat, nec imo ducta de pectore vox collata poterat verba disponere : non manus, cum soluta languesceret natura, debita servitia dissolvebat, neque pes instabilis membrorum structuram sustentabat (1): adhuc insuper totius corporis infabricata massa torpebat. Quæ in festivitate B. Hilarii intra basilicam posita, cum ingenti favore spectantibus omnibus est erecta. In unius ergo debilis corpore miracula plura Sanctus complevit. Attenuata genuum vestigia roboravit, linguam rigentem flexibilitati et facilitati vocis aptavit, ad usum lanificii debiles quondam palmas armavit, lineamenta viscerum gratia pii muneris animavit. Aliquando vetus infans in verba prorupit; et quod est conspicuum, voce prima, lactis alimenta quæsivit. Ergo ut tales cibos ante omnia posceret, quid aliud datur intelligi, nisi quando sanata est, tunc prius credidisse se nasci ?

11. *Cera ad Hilarii sepulcrum oblata.* — Nec illud tam fidele mysterium oblivione noxia subtrahatur. Itaque cum duo negotiatores ad beati basilicam occurrissent, habentes formam ceræ quasi socialiter in commune; quidam ex his alloquitur alterum, ut eam etsi tam parvam rem, tamen tanto confessori vel libenter offerrent. Sed in cassum sua verba in animo socii nolentis expendit. Ipse tamen cum eodem collega suo in oratione prosternitur, ceramque illam occulte ante tremendi sepulcri cancellos exponit. Moxque ad omnem æqualitatem ceræ ipsius species se divisit, et pars illius fidelis oblatoris accepta, pars altera, videntibus plurimis, volvendo usque ad alios cancellos, nutu divino cum omni contumelia est repulsa : quasi nollet Sanctus invadere, quod alter illi devotus non obtulit : et quoniam semper abhorruit quod ex fide non venit, tam certus in judicio, quam misericors est in voto. O quam incorruptibilis arbiter claret ! Castior (*al.* cautior) est iste in examinatione judicii, quam in electione florum illa, quæ ceram casta producit. Tunc itaque ille qui offerre noluit, admissi criminis se teste confusus, et immensi pudo-

(1) Nostri mss. *ad fratrem ejus beatum Martinum festinabat.*

(2) Sic mss. At editi, *armatas haberet acies.* De hoc miraculo legendus Gregorius Turon. lib. II, c. 45, ubi tradit Chlodoveum quinto ante mortem anno, adeoque Christi 507, cum Alarico Gotthorum rege in campo Vocladiensi decimo ab urbe Pictavorum milliario dimicasse, ac fuso exercitu regem ipsum suapte manu peremisse.

(3) Edit. Gil. *tanta jacuit in loco ut collis ipse ob id visus sit se erexisse in altum* : interpolationem sapit. Boll. et ms. Colb. *Colles ex se visa sit montium erexisse.* Expeditior visa est lectio Gemeticensis.

(4) Boll. ut et mss. Ottob. ac Colb. hic adjiciunt : *Ita credebat sibi contra Alaricum Arianum iterum bellandi redire constantiam.* Gemet. *Credebat tum contra Hilarium, Arianum iterum rediisse Constantium.*

(1) Vulgati, *membrorum ruinas sustinebat* ; corriguntur ex mss. Ottob. et Colb.

ris reatu perculsus est : vidensque sibi a radice suæ conscientiæ tantæ turpitudinis opprobria pullulasse, et in faciem suam occultæ cognitionis facinora revelata adspexit, consideravit, ingemuit et flevit : ut saltem lacrymarum fonte rigante dilueret, quod corde delinquente fœdavit. Qui postea majora obtulit exactus, ceræ judicio castigante.

12. *Cereus nocte accendi solitus.* — Item cum juxta consuetudinem quadam nocte cereus ibi illuminatus fuisset, casu super sepulcrum ejus, qui intercessione sua (1) mortuos vivificat, ardens corruit : ita ut super mafortem, quo cecidit, sine læsione aliqua perarderet. Nam in quantum fuit cerei longitudo, cera jacens inventa est papyro consumpto : tanquam si confinium cera ipsa fecisset inter ignem et pallium, ut ab ipsa inveniretur defendi, per quam potuisset exuri. Attendite beneficium. Ut obediretur confessoris præcepto, quam semper scit subdere (2), hic ceram ignis expavit, et quam in ardendi auxilium sumpserat, ipsa ei visa est repugnare. Sed inter hæc illud admonet potius ut dicatur, in virtute confessoris, quas deducit cera flammas extinxisse, et converso ordine illud a quo vorari potuit, præfocasse. Diversæ species suam visæ sunt naturam mutasse : et ne quid incendia læderent, pallium pro marmore, cera fuit pro flumine. Sed quantum est apud illum cerei lumen extinguere, qui cæcorum lumen accendit? Aut cum ad alterius cadaveris sepulturam oculorum ignem redintegrat, quam facile credimus de sepulcro proprio ut flammas expellat?

13. Vellem adhuc insatiatus sacratissimi viri miracula quasi peculiariter decantare; sed vereor ne unde meam cupio devotionem ostendere, auditoris animum fastidio nascente videar obturare. Da mihi, pie, veniam de textus hujus parvitate, da casui culpam ; ne dum hominis cupio vitare fastidia, videar incurrere confessoris offensam, de quo exigua dicerem, si libros implerem. Sed præsumo plurima de te minus dicere, ut de te legere populum brevitas plus invitet : auxiliante Domino Deo nostro nunc et semper, Amen.

(1) Abest, *mortuos* a mss.

(2) Apud Boll. hic additur, et *consumere*. At apud Gil. *ut obediret præcepto. Quam semper scit subinde consumere, hic ceram*, etc.

DE TRANSLATIONE SANCTI HILARII,

PETRI DAMIANI SERMO.

1. Gaudeamus et exultemus, dilectissimi, dum ad recolenda beati Hilarii sublimia merita solemniter convenimus. Ipsa quippe nos insignis vocabuli dignitas provocat, ut mens nostra spiritali lætitia affecta, plausibiliter hilarescat. Nihilo minus et hoc dignum est, ut dum beati viri translationem colimus, ipsi quoque mentes nostras a terrenis desideriis ad cœlestia transferamus : ut dum glebam corporis ejus, tenuemque pulvisculum tanto præferri apud homines honore conspicimus, quantum gloriæ pondus in cœlestibus possideat, ubi verus et incomparabilis honor est, mens nostra perpendat. Sed libet jam translationis hujus historiam succincte transcurrere, ut nulli deinceps de præclara solemnitatis hujus origine prorsus expediat dubitare.

2. Porro autem dum confessor Christi Fridelinus beati Hilarii monasterium, quod in Pictavensi suburbio situm est, laudabiliter regeret, ibique sanctæ conversationis insignibus disciplinis, et præclara morum honestate polleret; beatus Hilarius illi per visionem manifestus apparuit, at inter alia nonnulla hoc illi quadam vivacis imperii auctoritate mandavit, ut videlicet ipse simul et Pictavensis episcopus ad regem Francorum, qui tunc rerum moderabatur habenis, incunctanter accederent, et sumptus impendia, quibus ampliari et augustius fieri monasterium posset, fiducialiter postularent. Quibus verbis insuper addidit, ut instaurato noviter monasterio, locum sibi sanctus Abbas congruum provideret, in quo corpus ejus, facta translatione, reconderent. Quos nimirum felicis oraculi legatione perfunctos rex clementer ac benigne suscepit, eisque magnifica regiæ liberalitatis munera contulit. A fundamentis ergo monasterium per latomos ac cæmentarios denuo construentes, et pollucibiliter instaurantes, ministri Domini tam diu cœptis indefessi laboribus institerunt, donec non modo surgentis structuræ machinam ad consummationem usque perducerent, sed etiam utrimque parietes, hoc est, intus et extrinsecus radiantis Musivi decore vestirent. In quo videlicet opere, ubi regii muneris summa defecit, episcopus ex ecclesiasticis facultatibus supplere quod deerat non cessavit. Tandem itaque monasterio non modo consummatæ fabricæ structura perfecto, verum etiam sacerdotalis officii benedictionibus dedicato, mox demoliti sunt tumulum, in quo sanctum fuerat corpus humatum.

3. Constituto igitur die, in quo sancta membra transferrent, præcedente nocte, dum episcopus simul et abbas in vigiliis et orationibus pernoctarent, repente conspiciunt, quod beati Angeli de tumulo, qui jam terebratus fuerat, sanctum corpus educunt, et in locum, qui sibi præparatus fuerat propriis manibus inferunt. His itaque peractis, beatus Hilarius sanctum Fridelinum per visionem admonuit, ut Scotigenam quemdam sibi cognatione propinquum, in cœnobii regimine substitueret, ipse vero ad Gallinariam insulam in honorem ejusdem beati Hilarii ædificaturus ecclesiam properaret. Qui beati sacerdotis imperio mox humiliter paruit, et non solum illud, quod jussum fuerat, sed et alia quatuor monasteria

in ejus honorem construxit. Quamquam beati Fridelini vita, in qua hæc referri perhibetur historia, in manus nostras nequaquam devenerit. Sed quod hic scriptum est, indicio fraternæ relationis innotuit. Hæc igitur hujus sacræ solemnitatis est causa. Hæc veneranda celebritatis hodiernæ materia, ut in translatione sacri corporis merito gaudeat plebs devota fidelium, cui dependit exsequias exercitus Angelorum.

4. Porro autem ex occasione venerandæ translationis hujus, et cætera beati viri gesta nobis in memoriam redeunt : ut quæ longis ante temporibus sunt peracta, nostris nunc reducta conspectibus quodam modo recentia videantur et nova. Mox enim ut disputare de venerabilis viri gestis incipimus, protinus occurrit memoriæ, quam impenetrabilis Ecclesiæ murus hæreticorum telis obstiterit, quam insuperabilis præliator perversum Arianorum dogma gratia catholicæ veritatis obtriverit. Nec illud vacat, quod cum adversus hæreticorum perfidiam pugnaturus, Seleuciam Isauriæ oppidum peteret, puella gentilis divinitus edocta, sancti sacerdotis denuntiavit adventum : atque idea cum patre Florentio, totaque familia divini baptismatis meruit suscipere sacramentum. Nec illud excidit insigne miraculum, quod in Gallinaria insula immanium serpentium venenata rabies virtutem tam præclari Pontificis ferre non potuit ; sed tamquam fulmineo fragore perterrita, vilis etiam baculi metam, quam ipse præfixerat, transcendere non præsumpsit. Sed et illud memoriæ consequenter occurrit, quod idem egregius pontifex puerum sine gratia regenerationis exstinctum, non modo matri resuscitatum et incolumem reddidit, sed et veræ fidei rudimentis instructum sanctæ Ecclesiæ filiis aggregavit. Hæc igitur, et alia multa virtutum ejus insignia nobis ex occasione venerandæ hujus translationis occurrunt, quæ nos ad amorem Dei et devotionem præclari hujus sacerdotis accendunt. Plane cum multorum translationes justorum sancta veneretur Ecclesia, quæ diligentia procuratæ sunt hominum ; quanto devotionis studio hæc est solemniter recolenda, quæ facta est manibus Angelorum !

5. Sed quid est, quod Moysi corpus ipse per se Dominus sepelivit, et tamen sepulcrum ejus hominibus innotescere noluit ; beati vero Hilarii corpus non modo coram hominibus per Angelos transtulit, sed et tanti honoris gloriam et totius Ecclesiæ reverentiam sublimavit ? De Moyse quippe scriptum est : *Mortuus est ibi Moyses servus Domini in terra Moab, jubente Domino, et sepelivit eum in valle terræ Moab contra Phogor, et non cognovit homo sepulcrum ejus usque in præsentem diem* (*Deut.* XXXIV, 5 *et* 6). Quid est ergo, quod ille nescitur, iste vero quotidie cum tanta gloria Christianæ devotionis invisitur ? Quid est, inquam, quod Moyses ab hominum notitia removetur, nisi ut tollatur occasio, ne qui tam Deo carus et familiaris exstitisse cognoscitur, divinus honor illi ab Israeliticæ plebis perfidia præbeatur ? Reliquorum vero Sanctorum corpora non celantur : ut dum Christianæ devotionis frequentantur accessu, et per illos fiant rutilantia signa virtutum, et istis accrescat felicium cumulus meritorum. Præterea nonnulli fideles idcirco post mortem tumulis editoribus includuntur, ut sui memoriam viventibus ingerant, quatenus eis impendere pietatis officia non omittant. Hinc est, quod sepultura vocatur ex more memoria : scilicet ut per eam memorentur vivi, et percipiant refrigerium mortui.

6. Sed quid est, quod nonnulli Sanctorum tantopere studuerunt suis providere sepulcra corporibus ? Abraham nempe quadringentis argenti siclis a filiis Heth speluncam duplicem comparat. Jacob et Joseph ad eamdem speluncam totum jam animi desiderium tendunt (*Gen.* XXIII, 16), et corpora sua post obitum illo perferenda deposcunt. Quid ergo est, quod sancti Patriarchæ, qui se pulverem et cinerem esse perspicue perhibent, qui certe corpora et corporalia quæque cœlestium contemplatione despiciunt, in Chananæorum terra corpora sua quiescere tanto desiderio concupiscunt ? Cur illum præ cæteris mundi partibus quieti suæ prævident locum, nisi quod humanæ salutis auctorem illic noverant de suo semine nasciturum ? Hinc est, quod Jacob filium suum Joseph obsecrat, dicens : *Si inveni gratiam in conspectu tuo, pone manum sub femore meo, et facies mihi misericordiam et veritatem, ut non sepelias me in Ægypto, sed dormiam cum patribus meis, et auferas me de hac terra, condasque in sepulcro majorum* (*Gen.* XLVII, 29 *et* 30). Cur autem ad confirmandæ sponsionis indicium, Jacob manum filii supponi sui femoribus petiit, nisi quia illum, qui summa veritas est, de proprio semine propagandum esse cognovit ? Illis igitur terræ finibus beati viri jam medullitus aggliscebant, quam per spiritum jam cernebant Salvatoris vestigiis atteri, quam in interioribus oculis jam videbant pretioso Dominici corporis sanguine purpurari : ut illic eorum corpora suam expectarent resurrectionem, ubi resurrecturum esse cognoscebant ipsum beatæ resurrectionis auctorem.

7. Ad hunc et nos, dilectissimi, perspicuam nostræ mentis aciem dirigamus. Ad hunc dum pedum progressione non possumus, æstuantis desiderii festinatione tendamus : et dum sanctorum quorumlibet reliquiis dignæ devotionis reverentiam exhibemus, ad illud unum et singulare corpus nostræ mentis dirigamus optotum, quod in paternæ majestatis gloria credimus ineffabiliter sublimitatum. Illa nimirum est terra, cui tunc beati Patriarchæ atque Prophetæ suspirabant, lacte scilicet et melle mananti. Lac siquidem de cardis uberibus profluit, mel vero de superioribus venit. Et quia substantia Dominici corporis ex Virginis visceribus prodiit, divinitas autem ex paterna majestate descendit ; recte corpus Salvatoris terra dicitur repromissionis. Quæ nimirum terra lacte simul et melle fluere dicitur, quia in Redemptoris nostri corpore et substantia vere et dulcedo est ineffabilitatis deitatis. In ipso enim, sicut Apostolus ait, habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, et alibi : *Deus erat in Christo reconcilians mundum sibi* (II *Cor.* V, 19). Ad

hanc viventium terram ille nos dignetur inducere, qui terræ nostræ mortalia non dedignatus est tolerare : quatenus sic ibi lacte et melle vescamur, ut Salvatoris nostri præsentia, et melliflua divinitatis ejus dulcedine satiemur, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SELECTA VETERUM TESTIMONIA DE SANCTO HILARIO.

Hieronymi ex epistola VI, *ad Florentium.*

Interpretationem quoque psalmorum Davidicorum et prolixum valde librum de Synodis sancti Hilarii, quem ei apud Treviros manu mea ipse descripseram, æque ut mihi transferas peto.

Ejusdem ex epistola VII, *ad Lætam.*

Athanasii epistolas et Hilarii libros inoffenso decurrat pede : illorum tractatibus, illorum delectetur ingeniis, in quorum libris pietas fidei non vacillet. Cæteros sic legat, ut magis judicet, quam sequatur.

Ejusdem ex epist. XIII, *ad Paulinum.*

Sanctus Hilarius Gallicano cothurno attollitur : et cum Græciæ floribus adornetur, longis interdum periodis involvitur, et a lectione fratrum simpliciorum procul est.

Ejusdem ex Apologia adversus Rufinum.

Si auctoritatem suo operi præstruebat, volens quos sequeretur ostendere; habuit in promptu Hilarium confessorem, qui quadraginta ferme millia versuum Origenis in Job et psalmos transtulit.

Ejusdem ex epist. LXXXIII, *ad Magnum.*

Hilarius meorum confessor temporum et episcopus duodecim Quintiliani libros et stylo imitatus est, et numero : brevique libello, quem scripsit contra Dioscorum medicum, quid in litteris posset ostendit.

Ejusdem ex epist. LXXXIX, *ad Augustinum.*

Apud Latinos autem Hilarius Pictavensis et Eusebius Vercellensis episcopus Origenem et Eusebium transtulerunt.

Ejusdem ex epist. CXLI, *ad Marcellam.*

Miror te in Hilarii commentariis non legisse, excussorum filios, credentium populos interpretari..... Quid igitur faciam? Tantum virum et temporibus suis disertissimum reprehendere non audeo, qui et confessionis suæ merito, et vitæ industria, et eloquentiæ claritate, ubicumque Romanum nomen est, prædicatur, etc.

Ejusdem ex epist. CXLVII, *ad Amandum.*

Miror te hoc a me quærere voluisse, cum sanctus Hilarius Pictavensis episcopus undecimum librum contra Arianos hac quæstione et solutione compleverit.

Ejusdem præfat. in lib. VIII, *Comment. in Esaiam.*

Si flumen eloquentiæ et concinnas declamationes desiderant; legant Tullium, Gallionem, Gabinianum, et, ut ad nostros veniam, Tertullianum, Cyprianum, Minutium, Arnobium, Lactantium, Hilarium.

Ejusdem præfat. in lib. II. *Comment. ad Galatas.*

Hilarius latinæ eloquentiæ Rhodanus, Gallus ipse et Pictavis genitus, in Hymnorum carmine, Gallos indociles vocat.

Rufini de adulteratione librorum Origenis.

Hilarius Pictavensis episcopus, confessor fidei catholicæ fuit. Hic cum ad emendationem eorum, qui Ariminensi perfidiæ subscripserant, librum instructionis plenissimæ conscripsisset, etc.

Aliud ejusdem testimonium vide supra, col. 167, D.

Augustini lib. VI *de Trinit. cap.* 10.

Quidam cum vellet brevissime singularum in Trinitate personarum insinuare propria, *Æternitas*, inquit, *in Patre*, *species in imagine*, *usus in munere.* Et quia non mediocris auctoritatis in tractatione Scripturarum et assertione fidei vir exstitit, Hilarius enim hoc in libris suis posuit, horum verborum, id est patris et imaginis et muneris et æternitatis et speciei et usus abditam scrutatus intelligentiam, etc.

Ejusdem lib. I, *contra Julianum, c.* 5.

Audi adhuc quod te possit amplius commovere atque turbare, et utinam in melius commutare. Ecclesiæ catholicæ adversus hæreticos acerrimum defensorem venerandum quis ignoret Hilarium episcopum Gallum? Qui cum de Christi carne ageret, attende quid dixerit.

Et lib. II, *cap.* 8, *n.* 26, 27 *et* 28.

Audi et beatissimum Hilarium ubi speret hominis perfectionem... In quadam vero homilia de libro sancti Job attende quid dicat... In expositione autem primi psalmi idem doctor non dubitat dicere... Catholicus loquitur, insignis Ecclesiarum doctor loquitur, Hilarius loquitur.

Cassiani lib. VII *de Incarn., cap.* 24, *cujus verba exscripserunt Alcuinus lib.* IV, *contra Felicem, et Ratramnus Spicil. tom.* I, *p.* 555.

Hilarius vir virtutum omnium atque ornamentorum; et sicut vita, ita eloquentia insignis : qui et magister Ecclesiarum et sacerdos, non per sua tantum merita, sed etiam per profectus crevit aliorum : et inter procellas persecutionum ita immobilis perstitit, ut per invictæ fidei fortitudinem etiam Confessoris cœperit dignitatem, in libro *fidei* primo testatur, etc.

Vincentii Lirinensis in Commonitorio.

Tertullianus catholici dogmatis, id est, universalis ac vetustæ fidei parum tenax, ac disertior multo quam felicior, mutata deinceps sententia fecit ad extremum, quod de eo beatus confessor Hilarius quodam loco scribit : *Sequenti*, inquit, *errore detraxit scriptis probabilibus auctoritatem* (*In Matth. c.* V, *n.* 1).

Facundi Hermianensis lib. I, *cap.* 4.

Si igitur, Hilario quoque, doctissimo antitiste et fortissimo confessore, etc.

Ejusdem lib. X, *cap.* 7.

Beatus Hilarius, Arianorum potentissimus atque acerrimus expugnator, et constantissimus fidei Christianæ confessor in epistola, quam de exilio scripsit episcopis Germaniæ primæ et Germaniæ secundæ et primæ Belgicæ, etc.

Ejusdem lib. contra Mocianum.

Reprehendere audeat Hilarium prudentem ac moderatum gubernatorem Ecclesiæ.

Cassiodori lib. de Instit. divin. litt. cap. 17 *et* 18.

Tunc in illo choro sanctissimo Patrum tibi eum eligere poteris, cum quo suavissime, colloquaris. Difficile dictu est quam frequenti occasione reperta Scripturas sanctas locis aptissimis potentes aperiant; ut subito transiens discas, quod te negligenter præteriisse cognoscis. Testes sunt doctissimi viri diversa laude præcipui, quibus, velut stellis micantibus cœlum, fulget Ecclesia : inter quos sanctus Hilarius Pictaviensis urbis episcopus nimia profunditate subtilis et cautissimus disputator incedit, altasque divinarum Scripturarum abyssos in medium reverenter adducens facit.

Venantii Fortunati lib. I, *de Vita S. Martini.*

Et quia summus apex fidei, virtutis, honoris,
Hilarius famæ radios jaculabat in orbem,
Rite (*a*) sacerdotii penetralia jura gubernans
Buccina terribilis, tuba legis, præco tonantis,
Pulchrior electro, ter cocto ardentior auro,
Largior Eridano, Rhodano torrentior amplo,
Uberior Nilo, generoso sparsior Histro,
Cordis inundantis docilis ructare fluenta,
Fontibus ingenii (*b*) sitientia pectora rorans,
Mens (*c*) evangelici bis bini plena libelli,
Quatuor ore suo manans nova flumina mundo,
Ornatum Ecclesiæ, pollens diadema coruscum
In membris Christi capitis velut infula fulgens,
Pectore belligerans, adamantinus arte topazos,
Ad virtutis opus mens inconcussa palæstris,
Gemmifer eloquiis, radiantior ore lapillis,
Doctor apostolicus vacuans ratione sophistas,
Dogmate, luce, fide, informans virtute sequaces.
Hostibus hic quoniam gravis insuperabilis esset,
Ducitur exilio, (*d*) qua longa Seleucia tendit.
Regis et auxilio petit (*e*) hinc sua præmia miles,
Cujus in abscessu errori vaga Gallia cedit,
Et regio titubat tanta se turre movente.
Hoc ubi præpropere Martinus comperit, inde
Constituit cellam sub vertice Mediolani, etc.

Ex veteri inscriptione.

Hilarius cubat hac Pictavus episcopus urna,
Defensor nostræ terrificus fidei.

(*a*) *Editi*, sacerdotis.
(*b*) *Ed.* sitientibus.
(*c*) *Ed.* Evangelii.
(*d*) *Ed.* quia longa silentia.
(*e*) *Ed.* hic.

Istius aspectum serpentes ferre nequibant :
Nescio quæ in vultu spicula Sanctus habet.

Alcuini Poem. 65.

Hoc altare pater præsul Hilarius ornat,
Notus in orbe procul, doctor ubique pius.
Hac magis victor meritis memoratur in ara,
Indita præclarus miles in arma potens.

Hincmari de prædest. c. 3.

Sanctus Leo ad Chalcedonense concilium confirmandum ejusdem B. Hilarii testimonia inter catholicorum doctorum exempla etiam prima connumerat : et B. Gelasius eum sicut et S. Augustinum et Cyprianum atque Leonem sive Hieronymum, receptissimum in catalogo Scriptorum ecclesiasticorum atque illustrium computat. Sed et de eo, ut notum est, a notissimo dicitur, Hilarius episcopus Romanorum lucifer, Ecclesiarum lucerna et pretiosa lampas, pulchro aureoque ore loquitur universa.

Et cap. 25.

Beatus Hilarius doctor catholicus, qui propter excellentem doctrinam Romanorum lucifer appellatur.

Lanfranci testimonium videsis supra col. 53, D.

Fulberti Carnot. epist. XXI *ad Abbonem.*

Tu quoque dereliquisti nos, sancte pater Hilari, qui olim unitatem Ecclesiæ Spiritus sancti gladio tuebaris.

Ex Sacramentario biblioth. reg. 3863, *in quo Nicænum Symbolum sine additione* filioque *exstat*, kal. novemb. Natale sancti Hilarii.

Adorabilem (*a*) populi, beatissimi Helarii antestitis festivitatem solemniter recurrentem, cujus lingua in sæculo pro sanctæ Trinitatis æqualitate sic tonuit, ut hujus mundi principem miles Christi prosterneret, et in cœlestis Regis aula victor intraret, Dominum votis uberioribus deprecemur; ut qui eum inter diversas acies ita fecit esse sollicitum, ut redderet inter bella securum, nobis concedere dignetur, ut quod in ejus honore deposcimus, eo suffragante consequi mereamur.

Ex eodem codice regio, necnon ex ms. Missali Ratoldi et Colb. 1927 *in præfatione Missæ.*

Vere dignum et justum est gratias agere, vota solvere, munera consecrare, Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, qui beatum Hilarium confessorem tuum prælegisti tibi sacratæ confessionis tuæ antistitem, ingenti lumine coruscantem, morum lenitate pollentem, fidei fervore flagrantem, eloquii fonte torrentem : cui quæ sit gloriatio (*Reg. ms.* glorificatio,) ostendit concursus ad tumulum, purificatio incursorum, medela languentium, mirandarum signa virtutum. Qui etsi hic natura fecit finem per transitum, illic vivunt Pontificis merita post sepulcrum, ubi præsentia Salvatoris est J. C. Domini nostri : per quem, etc.

(*a*) *F.* adorabile... festivitate... recurrente. *Idem elogium iisdem kal. in ms. S. Galiani extat in modum orationis Deo fusæ.*

Ex ms. Missali S. Gatiani Turon.

Vere dignum et justum est, æterne Deus, qui B. Hilarium confessorem tuum et scientiæ documentis replesti, et virtutum ornamentis ditasti : quem ita multimodo pietatis imbuisti, ut ipse tibi et ara et sacrificium et sacerdos esset et templum per Christum, etc.

Ex Benigniano Missali ms. necnon Noviom., Corb., Colb., Reg. etc.

Deus, cujus miseratione delinquentes mutantur ad veniam, justi transferuntur ad palmam, qui infusus in corde B. Hilarii antistitis, quasi de tuo templo fidei responsa dedisti, concede propitius, ut qui tunc incytum Confessorem tuum fecisti Cæsarem non timere, ejus intercessione ab spiritali hoste plebem protegas obsecrantem, ut cujus solemnitate tripudiat, ejus sit fida prece defensa.

Ex iisdem mss. super Oblata.

Universitatis conditor, et humani generis reformator, annue, quæsumus, omnipotens Deus precibus nostris, ut qui miramur in Doctore quod colimus, mereamur in munere quod placeamus : et sicut B. Hilario confessore tuo atque pontifice dedisti, da A Ecclesiæ tuæ concordiam, memoriam gloriosam ; eo obtinente, ut sacrificium nostrum ejus meritis tibi efficiatur acceptum : (*vel ut in ms. Remensis ecclesiæ*) ut sicut B. Hilarii confessoris tui atque pontificis meritis dedisti Ecclesiæ tuæ concordiam memoriamque gloriosam, da ut sacrificium, etc.

Ex ms. Missali S. Gatiani Turon. Collecta.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut excellentiam verbi tui, quam B. Hilarius confessor gloriosus asseruit, et convenienter intelligere valeamus, et veraciter confiteri.

Ex Pontificali Ebroicensis ecclesiæ, Bened.

Deus, fundator fidei, indultor sacerdotii, congregatio plebis, sanctificatio confessoris, qui beatum B Hilarium (*forte*, ad hoc) ab hac armasti virtute, ut tibi militaret in fide, concede huic familiæ pro se hunc intercessorem esse, quem votis colit pontificem in fide. Amen. Sit apud te pro nobis exorator, qui tunc contra hæreticos pro te adstitit assertor; ut te retribuente populus crescat innumerus, quod sudavit in fide sacerdos. Ille vos benedicat. Amen. Quod ipse. Amen.

NOTITIA LITTERARIA

IN SANCTUM HILARIUM, AUCTORE SCHŒNEMANN.

(*Biblioth. PP. t. 4. p.* 273-294.)

§ 1. *Vita.* — Natus est Hilarius Pictavii in Gallia sub initium sæculi IV, parentibus gentilibus, non infimi loci. Quo factum est, ut optime litteris et ingenuis disciplinis, utut tunc temporis in Galliis erat earum conditio, erudiretur, litterarumque assectatione in libros sacros incideret, quorum præstantia et imprimis sententiarum gravitate captus, se uxoremque et filiam Apram nomine fidei christianæ addixit. Prima quidem, quam in contubernio Christianorum exegit, ætas pariter ac tempus, quod gentilis adhuc traduxit, in obscuro latet. Summum ecclesiasticæ dignitatis fastigium quin eruditione, morum integritate et devoto penitus religioni animo meruerit, nullum dubium est. Num vero ab inferioribus clericorum gradibus sensim ascenderit, an subito in sedem episcopalem sit evectus, divinare difficile sit. Certius videtur annus, quo episcopi sedem occupaverit, CCCL, poni. Hilarius hoc officio imprimis sibi datum existimabat, fidem orthodoxam, quæ audiebat, contra Arianorum vexationes defendere; quod scriptis juxta ac viva voce animoque intrepido, sed nimio fervore ac vehementia nec ea ubivis, quam res imperii et ecclesiæ poscebant, prudentia præstitit. Ac primum quidem in D hac causa an 355, post concilia Arelate et Mediolani an. 353 et 355, celebrata *librum unum ad Constantium* misit, adhortatus imperatorem, ut orthodoxæ fidei sectatores persequi desisteret. Simul Saturnino Arelatis episcopo, Ursacioque et Valenti episcopis, Arianæ factionis per Gallias, Pannoniam ac Mœsiam C statoribus, omnem secum communionem interdixit. Non impune. Nam Saturninus, qui plurimum gratia apud imperatorem valebat, effecit, ut Biterras (1), concilium decerneretur, a quo abesse Hilario per Constantium non licebat, quamvis quæ Athanasio et ipsi intenderentur ibi pericula, facile prævideret. Ergo quicquid in illo concilio pro Athanasio et concilii Nicæni formulis contra Arianos ab eo profereba-tur, quod non nisi desultorie per illos fieri poterat, ad ipsum solum apud imperatorem invidia opplendum valuit jussuque Constantii Phrygiam in exilium missus est, Rhodano, Tolosæ episcopo, comite. Quo loco inimici ejus hud dubie putaverant exilii pœnam non leviter fore exacerbatam, quando non Phrygiam solum, sed omnem Asiam minorem Arianis plenam cognosceret. Et accidit sane, sed mitigabatur dolor Gallicanorum episcoporum litteris, quibus vinculum et communionem inter eum et ecclesiam Gallicanam salvam fore ac integram, Saturninum contra in Ecclesiæ societatem non admissum iri significabant. Hinc ad eos perscripsit *librum de Synodis* s. *de fide Orientalium* et *libros de Trinitate* absolvit. Anno autem 359, cum concilia Arimini et Seleuciæ haberentur, Hilarius quoque, incertum quo auctore et impulsore, certe injussu imperatoris accitus est. Cumque Anomœi vicissent, Constantinopolim cum legatis synodi petiit expectaturus, Phrygiamne an Gallias repetere jubere-

(1) *Beziers* in Languedoc.

tur. Ex quo colligas Hilarium in ea opinione fuisse, A se imperatoris jussu Ariminum missum esse. Ibi Orientales quosdam episcopos, Nicænam formulam tantum non totam amplexos, Gallicanis conciliavit, quo facilius conjuncti se tuerentur. Utque copia sibi daretur cum Arianis disputandi, flagitavit et post concilium Constantinopoli (360) habitum, quod in gratiam Anomœorum cesserat, ad *Constantium* alterum libellum non mitiori pectore scriptum dedit. Sed protinus Constantinopoli decedere et Gallias reverti jussus est. Lente tamen in hoc itinere perrexit, in quo librum etiam contra Constantium, atræ bilis fœtum emisit. In Gallias deinde, forsan Juliano jam imperatore, reverso, prima cura fuit, ut episcopos Gallicanos, qui Ariminensis concilii formulæ subscripserant, et pro lapsis habebantur ab orthodoxæ fidei B defensoribus, Ecclesiæ recuperaret, quod imprimis conciliis hinc ibi habitis effecit. Aliquot annis post Valentiniano et Valente imperatoribus de Italia ab hæreticis purganda sollicitudo eum incessit et præ cæteris *Auxentium* Mediolani episcopum Arianæ factionis per occidentales regiones ingens columen et in aula Cæsarea magnopere gratia florentem debellavit, sed post varias machinationes et editum *adversus eumdem librum*, qui nunc quoque extat, ipse ex urbe secedere jussus, reliquum vitæ tempus tranquille degit, ultimoque opere *Expositionum in Psalmos* exarato a. 368, d. 13 Jan. vitam reliquisse putatur.

§ 2. *Scripta*. Scripta Hilarii quæ supersunt, secundum temporis seriem: *Ad Constantium liber primus* an. 355; *Commentarius in Evangelium Matthæi* circa C an. 356; *De Synodis* sive *de fide Orientalium*, in editionibus vetustis: *de synodis Græciæ* an. 358; *De Trinitate* l. XII, an. 359, *sive* 360 absoluti. *Ad Constantium liber secundus* an. 360; *Adversus Constantium* an. 361: *Adversus Auxentium Mediolani Ep.* an. 365; *Expositiones in Psalmos*, extrema senectute compositæ, auctiores post edit. Veronensem per Edmundum Martene redditæ; *Fragmenta Hilarii* ex libro historiam Concilii Ariminensis et Seleuciensis complexo et *adversus Valentem et Ursacium* inscripto.

Falso tribuuntur Hilario: *Epistola ad Apram filiam* et *Hymnus matutinus* ad eamdem, quamquam a Benedd. pro genuinis accepta; *Carmen in Genesim*, liber *de Patris et Filii unitate*, liber *de essentia Patris et Filii*, uterque e libris de Trinitate consarcinatus, *confessio* D *de Trinitate*, Alcuini potius, cujus libris de Trinitate adhæsit: denique *Epistola sive libellus* et *sermo de dedicatione Ecclesiæ* a *Trombello* vulgati.

Deperditorum non exiguus est numerus, in quibus tituli aliquot valde speciosi. Nimirum Liber ad *Sallustium*, contra Dioscorum medicum *Hymnorumque liber*, liber *Mysteriorum*, *Epistolæ* in volumen collectæ; *Tractatus* in *Job* ex Græco Origenis translati, et, de quibus tamen dubitare licet, in Epistolas Pauli. Aiunt quidam, Hieronymus inquit (1), scripsisse eum et in *Cantica Canticorum;* sed a nobis hoc opus ignoratur. De singulis post Constantium prolixe et docte egit *Oudinus*, tom. I, cap. 5, pag. 452, sqq. ed. Weidmann.

§ 3. *Editiones*. Pauca Hilarii opuscula, in quibus tamen opus præcipuum de Trinitate fuit; una cum Augustini de eodem argumento libro, *Geo. Cribellus*, Mediolanensis presbyter, e situ primus produxit *Mediolani* obstetricante *Leon. Pachel.* an. 1489. Unicum exemplar, quod reperire potuerit, passim a se emendatum scribit. Sed quo istud valuerit, dictu est difficile. Omnino autem plus curæ Augustino tribuisse videtur, quam Hilario, et infra notabimus. Eadem iterum excusa legimus *Venetiis*, et repetiit adjectis non sine honesta gloriatione reliquis potioribus ab aliquot viris doctis sibi oblatis *Jod. Badius Ascens.* an. 1510, tribus tomis, qui volumine non admodum magno comprehenduntur. Sed universa vitiorum nubes tantam circumfuderat caliginem, ut ad sententias ejus et effata plurimi cæcutirent et usus impressi Hilarii fere cessaret. Huic igitur calamitati subvenit commode Erasmus, qui depravationis speciem et causas revolvens tum emendando graviora, tum spuria a genuinis secernendo plus præstitit, quam a quoquam præter hunc virum an. 1523, quo Frobenii prela opus luci dederunt, expectari poterat. Sed nimirum non unius viri hoc nec ætatis erat, omnes labes eluere et pristino nitori, de quo ipso propter dictionis ejus indolem, et res a latinis Patribus non antea tractatas judicium confusum et incertum futurum erat, Hilarium restituere. Multo minus autem cum Erasmi ingenio colludebat per codicum incerta vestigia sedulo lectiones plausibiles rimari, atque ubi hi destituturi essent, in vadis subsistere, sed totum statim simulac ad cognoscendum aliquem se dedisset, animo metiebatur, argumenti vim, tractationem atque elocutionem, aliunde et ex se petita, verbo, quicquid virtutum aut vitiorum sese exsereret, animo notabat, secum reputabat atque quamdam quasi auctoris imaginem ex omnibus sibi effingebat, quam in expoliendo textu sequeretur, quo sane effecit hoc, ut de causis variisque vitiorum generibus nemo ipso rectius sentiret, nemo felicius ea detegeret. Sed nequaquam omnibus emaculandis natus, curas suas posterorum diligentiæ perficiendas reliquit, quibus utinam ingenium quoque. Tractarunt igitur currente sæc. XVI, operam Erasmianam duo viri docti non æque ingenio quam studio, quod uterque contulit, dispares. *Ludovicus Miræus*, qui an. 1544, *apud Carolum Guillard* Hilarium excudi curavit et *Martinus Lypsius*, per quem recognitus *apud Froben. Bas.* 1550, prodiit. Uterque codices mss. adhibuit, sed diligentiam solus Miræus, sed nec ipsum magnam mss. copiam nec in omnes tractatus habuisse atque plusculum credidisse antecessoris sui ingenio et conjecturis; Lypsium adeo propriis conjecturis plus æque indulsisse Hilariumque pluribus in locis contaminasse magis quam castigasse, Benedictini queruntur. Interea conferri quoque cœpit lucis aliquid intelligentiæ auctoris nostri ex vitæ et ætatis, quam illustrabat, sedula notatione, quod la-

(1) De Vir. ill. cap. C.

boris genus primus tentavit, sed satis infeliciter *Joh. Jac. Grinæus*, edito an. 1570 Hilario *Bas. apud Eusebium Episcopium*. Auspicatius cessit *Jo. Gillotio* Gallo Campano in ed. *Parisiis apud Nivellium* an. 1572, facta, cui commentatio docta atque elegans de rebus ad Hilarium spectantibus, nec non stylo et scriptis ejus præmittitur. Huc usque Hilarius varia vice editus nihil incrementi quoad numerum librorum ceperat. Nam spurium tractatum Erasmianæ repetitæ a Frobenio 1535, additum *de essentia et unitate patris et filii* Gillotius rursus etiam rescidit. Jam vero 1598, novum opus, Fragmentorum nomine, ex deperdita concilii Ariminensis historia superstes, e bibliotheca *Petri Pithœi* per *Nic. Fabrum* foras datum, et Hilarii res novo splendore, et temporum istorum in ecclesia gesta luce clariori collustravit; cui ne confuso ordine et implicato rerum nexu officeretur, editoris perspicacia et eruditione cautum est. Nunc quoque ineunte sæc. XVII, an. 1605, *societas typographica Parisiensis* animum ad parandam Hilarii editionem appulit, et superiorum editorum bona comprehendentem, et novis accessionibus e codd. mss. locupletatam, quæ per integrum pene sæculum obtinuit, aliquoties per eosdem, et Coloniæ Agrippinæ etiam recusa. Sed parum magnifice de eadem senserunt *Benedictini*, quibus jam decus summum Hilarius et honestam conditionem debet. Horum enim solerti diligentia, coryphæo studiorum *Petro Coutantio* effectum est, ut editioni sub extremum sæc. 1695, solito splendore Parisiis factæ nihil fere in Ed. Veronensi ab eruditissimo Marchione *Scipione Maffeio* 1730, adornata addi potuerit, meritoque ea inter præstantissima industriæ fratrum hujus congregationis monimenta numeretur.

SÆC. XV.

1489.

Mediolani, per Leon. Pachel. f. Hilarius et Augustinus de Trinitate. *In fine :* Impressum Mediolani per Magistrum Leonard. Pachel, anno a Nativitate Domini nostri Jesu Christi millesimo quadringentesimo octogesimo nono septimo idus julii. *Ad Calc. Augustini* : anno, ut supra, septimo kalendas junii. Characlere gothico, rotundo et nitido. Tituli et librorum numeri singulis paginis inscripti sunt, SAXE, *Hist. Mediol. typ.* p. DLXXXV. *Pin.* I. p. 90. *Præcedit epistola* (1) *Ge. Cribelli ad Guid. Ant. Archimboldum, Archiep. Mediol.*, qua ex unico, quod nancisci potuerit, in urbe Mediolanensi horum librorum exemplari manu propria eos transcripsisse, quantum fieri potuerit, emendasse, suaque ipsius impensa imprimi curasse scribit. Accedunt autem præter libros de Trinitate, liber adversus Constantium Aug. libri II ad Constantium. Liber contra Auxentium et *ipsius Auxentii ep.* purgatoria et liber *de Græciæ Synodis*, quem, inquit, facunda illa natio ita admirata est, ut in propriam linguam vertendum curaverit.

S. l. cum Augustino de Trinitate. *Venetiis* per Pagaum de *Paganinis : 4. S. Hilarii* Libri XII de Trinitate contra Arianos.

SÆC. XVI. 1510-1600.

1510.

Parrhisiis ap. Ascensium. f. Opera complura S. Hilarii Ep. hac serie compressa. D. *Trinitate contra Arrianos* l. XII. Contra Constantium hæreticum lib. I, Ad Constantium Imp. l. II. Contra Auxentium Arrianum l. I. Auxentii Blasphemiæ plena ep. I. De Synodis contra Arrianos habitis lib. I. Ad Apram F. divi Hilarii ep. I. In psalmos David commentarii seu libri II. In evangelium Matthæi lib. I. *Venundantur ubi impressa sunt* in ædibus ascensianis Parrhisiis *in via regia ad divum Jacobum sub tribus luciis* (1510).

Præfatus est epistola apposita nuncupatoria ad Joannem rhedonen. antistit. et confessionis reginæ Francor. auditorem (d. ex gymnasio plesseiaco Parrhis. 7 id. jan. 1510) *Robertus Fortunatus* Macloviensis — de Hilarii vita, scriptis et exstantibus et deperditis eorumque stylo. At postquam librorum a Cribello editorum meminit, hæc addit : Commentarios autem duos in psalmorum explanationem *Joannes Solidus cracovius*, vir litteris et moribus probatis, adhortante præsertim *Jacobo Fabro* stapulensi, philosopho multis nominibus laudato, acri vigilantia et non pauco labore e situ ac squalore redemit. Porro tractatus in Matthæum et epistolam ad Apram filiam divi Hilarii, Guillelmus Parvus regiæ confessionis auditor e divi *Benigni divionen.* cœnobio ad *Badii* officinam, ut latinis characteribus vir tam anxie latinus imprimeretur, transmisit. Huic epistolæ subnexum cernitur epigramma *ascensianum* ad Guil. Parvum. In fine epistolæ, ad Apram, f. XCIIX, quo prima editionis pars finitur, hæc leguntur verba : Explicitum est opus sancti Hilarii episcopi de Synodis : cunctis orthodoxæ religionis zelatoribus, cum utile tum necessarium. In *Arianos* inque prævaricatores Arianis astipulantes. Impressum solerti opera in ædibus Ascensianis ad quartum idus septembres, Anno MDX. *Explanatio psalmorum.* Alteram quasi constituit partem, tertia inchoatur, *Tabula canonum evangelii Matthæi.* Illi finis hisce verbis imponitur : fol. XXXV. a. Finis tractatus Sancti HILARII episcopi in Matthæum, de quo vetus hoc extat epigramma :

HILARII hoc opus est digestum præsulis ore :
Qui junxit veris edita cum typicis,
Supposuit sacræ patratis verba figuræ
Quæ leni scripsit mystica disseruit.

Recentius de Divo HILARIO distichon :

Gallorum columen, Gallus non Gallus, at heros
Hilarius doctus, docta per ora volat.

Impressum est hoc opus quanta maxima potuit diligentia pro exemplariorum penuria in ædibus atque impensis *Ascensianis*, anno salutis nostræ MDX, ad kalendas januarias. Eod. fol. b. brevis legitur *narratio* de vita et operibus B. Hilarii *per spanhemensem* (Trithemium Abbatem).

(1) Ap. SAX. p. CCCCXCIV.

1523.

Bas. ap. Froben. f. Hoc titulo : Jo. Frobenius Pio Lectori S. D. divi Hilarii Pictavorum episcopi lucubrationes per Erasmum Roterodamum non mediocribus sudoribus emendatos, formulis nostris, operaque nostra, quantum licuit, ornavimus. Priorem editionem non damnamus, sed quid intersit, ipse cognosces ex collatione, lector optime, simulque valebis. Catalogum reperies in proxima pagella. In officina Frobeniana apud inclytam Basileam. Anno MDXXIII, mense febr.

Exhibentur libri eodem ordine ac in superiori editione, nisi quod Comment. in psalmos tomum secundum constituit, qui simul indicem *cujusdam eruditi* in omnes libros complectitur. De novo accessit hymnus ad Apram filiam, sed una cum epistola ad eamdem pro nothis declaratus. Cæterum præfixa est huic editioni famosa illa et Pontificiis invisa *epistola dedicatoria Erasmi* ad Jo. Carondiletum Archiep. Pavor., in qua de interpolationibus in Hilario a multis inde sæculis commissis et multorum temere ausis acerbe conqueritur, singulorum scriptorum argumenta, causas et origines tam libere quam perite exponit, denique de ipsius Hilarii ingenio ac moribus ita disputat, ut miraremur jure profecto, si inter prohibitos libros non relata esset hæc Hilarii editio. Moderatæ sunt Benedictinorum de præproperis illius judiciis querelæ.

1526.

Bas. ap. eumd. f. Erasmiana repetita. Caveus, qui editionem primam Erasm. ignorat, laudat 1516 oculi haud dubie errore pro an. 1526. Tertia vice repetita est *ibidem ex Frob. off.* 1535.

1528.

Basileac. f. D. Hilarii Ep. Pictavorum de patris et filii unitate et quorumdam locorum Scripturæ S. interpretatione; in *Antidoto contra diversas hæreses* p. 83-91.

1544.

Parisiis ap. viduam Carolam Guillard. f. D. Hilarii opera ex recensione *Ludovici Miræi.*

Hæc Miræi editio omnium, quæ ante et post prodiere, licet nostro judicio castigatior, ita tamen rara est, ut lustratis pluribus Parisianis bibliothecis, eam detegere nos posse jam desperaremus, cum in magno Carmelitarum conventu offendimus. Erasmi laborem plurimum laudavit Lud. Miræus, ipse diligentia vicit. Nam scriptis exemplaribus accurate collatis, quidquid in eis a Frobeniana editione diversum nactus est, non minore cura notavit. Plurimos *codd. miræ antiquitatis* se contulisse testatur, unos nominavit Victorinos, qui certe antiquitatis titulo a multis longe superantur. Ex eadem S. Victoris bibl. emit librum *de essentia Patris et Filii, duas ad Augustinum epistolas* ac *Metrum in Genesin.* BENEDD.

1550.

Bas. ap. Hier. Froben. et Nic. Episcopium. D. Hilarii P. E. lucubrationes quotquot extant, olim per Des. Erasmum Roterod. haud mediocribus sudoribus emendatæ, nunc denuo vigilantissime et ad plura exemplaria per D. Martinum Lipsium collatæ et recognitæ. Pagina tituli aversa post Cat. in superioribus contentorum hæc leguntur : » Additum erat nobis illud agentibus scriptum quoddam, hunc titulum præ se ferens, *Hilarii de Patris et Filii unitate :* mox comperimus id non esse novum Hilarii opus, sed rhapsodiam studiosi cujuspiam, partim quidem e secundo de Trinitate libro, sed maxima ex parte e nono consarcinatam, omissis et additis quælibet, ut satis appareat, cum quisquis hoc ausus est, voluisse lectori facere fucum. Attexuit appendicem de variis Christi cognominibus, ex auctore nescio quo, nam phrasis plurimum dissonat ab Hilariana. Nos vel in hoc relinquendum duximus, quo perspicuum fiat, quid sit titulis credere : nec sine causa in præfatione destomachari Erasmum, in eos qui sibi nihil non permittunt in celebrium virorum monumentis. Accesserunt ergo de essentia Patris et Filii liber, epistola ad D. Aurelium Augustinum de reliquiis Pelagianæ hæreseos, altera ad eumdem, in qua proponit aliquot quæstiones. Ejusdem carmen in Genesim ad Leonem papam. De suis curis Lypsius præter ea, quæ titulus præfert, ne verbulum quidem. Benedictini vero judicant, non negandam esse in mendis typographicis emaculandis Lypsii vigilantiam : sed in conquirendis ac recensendis mss. curam posuisse longe minorem, quam in excogitandis conjecturis, in quibus non semper, imo raro felix fuerit. Reprehendendus quoque videri possit in eo, quod Miræum, quem certe ignorasse verba modo allata credere prohibent, penitus neglexerit.

1570.

Bas. per Euseb. Episcopium et Nicolai fratris hæredes. Eadem repetita. Accessit *Jo. Jacobi Grynæi* vita *S. Hilarii* kal. april. A. MDLXX. perscripta, quæ acrem Gillotii et Benedictinorum censuram passa est.

1572.

Parisiis ap. Sebast. Nivellium. f. D. Hilarii — opera, ad plura exemplaria collata, nunc accuratissime restituta : ex editione *Joannis Gillotii* Campani.

Præmittitur commentatio, in qua primum venium, quæ ad Hilarii historiam spectant, ex illius aliorumque veterum scriptis collecta; tum de ipsius stylo et scriptis disserit; ac postremo locos suspectos notat, et quantum potest, benigne interpretatur : opus pro illa ætate exquisitum et laude dignum, quamvis permulta in eo reperire sit, quæ historiæ jam limatiori atque accuratiori assuefactos nonnihil offendant. Commentationi huic Hilarii aliquot elogia, ac vitam per Hieronymum ex lib. de SS. Eccl. per Fortunatum et Gregorium Turonensem, nec non Petri Damiani de translatione S. Hilarii sermonem adjecit : libros autem de essentia ac de unitate Patris et Filii, centonibus duntaxat ex quibus constant notatis, suppressit. Ac demum in indicandis plerisque

SS. locis suam probavit diligentiam : at illibatum prorsus reliquit textum, in quem etiam Nivellii incuria menda irrepserunt non pauca. BENEDD.

1578.

Basileæ. 8. D. Hilarii E. P. de S. Trinitate fragmentum ; in *legatione Imp. Manuelis Comneni ad Armenios*, p. 601-605.

1598.

Parisiis ap. Rob. Nivelle. 8. B. Hilarii Pictaviensis E. fragmenta ex opere historico, nunquam antea edita, ex bibliotheca Petri Pithœi, et ejusdem P. Pithœi vita, studio *Nicolai Fabri. Cat. Bibl. Reg. p.* 564 *et* 570.

SÆC. XVII.

1605.

Paris. sumptibus soc. typ. sub insigne magnæ Navis. f. D. H. P. E. Opera ; ex collatione vett. codd. emendata, variis lectionibus illustrata et quorumdam tractatuum accessione locupletata studio et cura *Joannis Gillotii.* C.

Typographi, quid in hoc negotio a se præstitum sit, explicant his verbis : « Primum, inquiunt, ab eo, qui prælegere preloque adornare libros excudendos solet, Hilarii opera curavimus cum optimis quibusque mss. conferri, quos nobis — suppeditarunt ad libros de Trinitate *Nic. Faber*, ad Tract. in psalmos *Jacobus Bongarsius*, ad comm. in Matt. recensendos *Paulus Petaveus* Sen. Paris. Deinde vero cum adscriptis ad oram marginis variis lectionibus suam nobis operam vir quidem doctissimus non denegasset, ut earum delectu habito, quæ jam receptis præferendæ viderentur, reliquas expungeret, visum est etiam ab altero impetrandum, ut eas, quæ in superioribus editionibus toleratæ fuerant, sub libri calcem colligeret : ne forte a te illæ quoque desiderarentur, sive quod earum verbis alibi citata testimonia quædam possent occurrere, sive quod utrum his novis posthabendæ fuerint, judicio tuo velles expendi. Adjecimus præterea fragm. ex op. histor. quæ an. 1598, (*a ud Ambros. Drouar. Nic. Fabri opera* (1) v. c. P. Pithœu- publici juris fecit, et exscriptos ex iisdem mss. libris Tractatus in psalmos XIII, XIV, CXLIX et CL. » — Nec tamen multo puriora H. scripta his curis prodiisse, Benedictinorum est judicium, sive quod is, qui Vr. lectt. selegendis operam suam commodaverat, judicii fuerit non admodum exquisiti, sive perfunctorie hoc obierit; ita sæpenumero mutavisse, quæ retinenda fuerant, et contra quæ fuissent mutanda, retinuisse eum notant. Sed et Parisienses typographi, inquiunt, qui quod artis suæ non erat aliunde mendicarunt, ita neglexerunt, quod erat industriæ suæ, ut eorum editioni præ multitudine mendorum, facile anteferendæ videantur Basileenses.

1617.

Coloniæ Agr. f. Recusa Parisiensis novissima.

1625.

Francof. ap. Dan. et Dau. Aubrios et *Caspar. Schleichium.* 8. Hilarii Carmina, cum notis M. *Joh. Weitzii.*

1631.

Paris. ap. eosdem typogr. f. Recusa prima, Lectionibus tamen variantibus, quæ antea ad calcem rejectæ erant, propriis locis aptatis et ad marginem adscriptis. Sed quod major laus est, lectiones, quæ in prioribus editionibus obtinuerant, a primæ vero ed. curatore loco male erant motæ, non semel revocatæ sunt.

1652.

Parisiis impens. societat. typogr. librorum officii ecclesiastici jussu regis constitutæ. f. repetitio præcedentis.

1693.

Parisiis Exc. Franc. Muguet (Regis, Cleri Gallicani et illustriss. Archiep. Par. typogr.) f. S. H. P. E. opera ad manuscriptos codices gallicanos, romanos, belgicos, nec non ad veteres editiones castigata; aliquot aucta opusculis, præviis in locos difficiles disputationibus, præfationibus, admonitionibus, notis, nova S. Confessoris vita, et copiosissimis Scripturarum, Rerum, Glossarum indicibus locupletata et illustrata, *studio et labore Monachorum Ordinis S. Benedicti, e Congregatione S. Mauri.*

Egregia prorsus Benedictinorum opera effectum est, ut Hilarius non modo purior et emendatior prodiret tandem, sed et intelligeretur facilius et legeretur commodius. Textum enim summa consideratione adhibita ad codd. mss. in unum conspirantium fidem expresserunt, variantibus, quarum ingentem copiam ex omni Gallia, Britannia Italiaque conquisiverant, ubi minus tuta videretur castigatio, in margine appositis. Rationem vero mutatarum pristinarum lectionum notulis subjectis sat frequentibus (quibus tamen nemo lectorum, ut ipsi veriti sunt, irascetur puto) explicaverunt. Iisdem notis illustrantur et explicantur locutiones inusitatæ, implexæ phrases, sententiæ singulares; ex aliorum eruditorum operibus, quicquid ad gestorum, quæ Hilarius attingit, notitiam faciliorem conduceret, allatum; loca pugnantia aut suspecta composita et ex ipsiusmet potissimum verbis ab errore vindicata. Momenta quædam celebriora aut difficiliora in prolegomenis curatius expedita sunt, *ut ipsius scripta non prius* offerrentur, quam præcipuæ suspicionum nebulæ prorsus fuissent dissipatæ. Quod ad commodiorem operis usum attinet, præmissas habes singulis operibus admonitiones aut præfationes, in quibus quicquid ad operis occasionem, tempus, scopum, veritatem et id genus alia spectant, ipsi explicuerunt, subnexa etiam interdum totius operis synopsi. Præterea argumenta brevibus summariis in ora librorum indicata, tractatus ipsi in varios numeros sunt distincti. Ordo totius voluminis is est, ut præmissa epistola nuncupatoria ad Card. Cæs. Estræum in *præfatione generali* de edd. opp. Hilarii, operibus deperditis, causis obscurati sermonis Hilarii, denique de fine hujus editionis disserant tum difficiliores Hilarii sententias, quales

(1) Ita insertum a Benedict.

sunt *de conceptione* Christi, etc. diffuse explicare conentur monachi eruditi. Quibus omnibus triplex vita Hilarii, 1° ex ipsius scriptis collecta, 2° ex Hieronymo et 5° Fortunato auctore, libris II, nec non Petri Damiani sermo de translatione S. Hilarii subjicitur. — Opera Hilarii hac serie sese excipiunt : *Comment. in Psalmos in Matthæum, l.* XII, *de Trinitate. Lib. de Synodis. Responsa apologetica ad reprehensores superioris libri* (hic primum edita). *Ep. ad Abram. Aymnus ad eamdem. L.* I *ad Constantium. L.* II *ad Constantium. L. contra Const. L. contra Auxentium. Fragmentum libri, in quo historia Ariminensis et Seleuciæ synodi continebatur. Fragmenta ex aliis operibus.* Porro appendicis loco : *Carmen in Genesin. L. de Patris et Filii unitate ; L. de essentia Patris et Filii; Fides Alcuini sub nomine Hilarii græce versa ;* Nic. Fabri præfatio in Hilarii fragmenta, notulis ad oram a Benedictinis adscriptis ; syllabus mss. ad quos recognita sunt H. opera; Index triplex locorum S. S. rerum, sententiarum et glossarum.

SÆC. XVIII. — 1730.

Veronæ. ap. Petr. Ant. Bernam et Jac. Vallarsium in-fol. 2 vol. Hilarii — opera, studio et labore monachorum ordinis S. Benedicti e congregatione S. Mauri castigata, aucta atque illustrata. Nunc vero libris de Trinitate et commentariis in psalmos ad binos capituli Veronensis codices, antiquitate ac præstantia quo suis ad hanc diem cognitos facile exsuperantes, diligenter exactis, atque octo maxime variantium tractatuum adjectione locupletatis.

Curavit celeberrimus Marchio *Scipio Maffeius*, cujus præfatio codd. duorum Veronensium antiquissimorum et optimorum descriptionem et specimina sistit et ad calcem octo in psalmos Hilarianos tractatus exhibet, ab editis valde recedentes. Cæterum ratio hujus editionis ea est, ut integra recusa Benedictinorum opera, libri de Trinitate et commentarii in psalmos istorum codd. ope, ubi tuto fieri pateret, resarcirentur, reliqua lectionis varietate textui a Benedictinorum notis separatim supposita et numeris distincta. Contulit dictos codd. ad editionem Benedictinorum Joseph. Blanchinius, Veronensis, Eccl. tunc canonicus et bibliothecarius.

1733.

Parisiis in-fol. D. Hilarii Ep. P. Interpretatio aliquot psalmorum (XV, XXXI, XLI) hactenus inedita, ex msto Aquicinctensi. Accedit ex eodem codice sermo in die Paschatis, in quo Ps. CXLIX explicatur, qui si Hilarii saltem antiquissimi scriptoris est ; *in* EDM. MARTENE ET URSINI DURANDI *vet. Scriptor. Collect. ampliss. t.* IX, col. 55 usque ad 84.

1749.

Venetiis, apud Jacob. Capellati. in-fol. tomi II. Hilarii opera secundum Veronensem editionem expressa. Commemorat hanc ed. Veronensis repetitionem Celeb. *Oberthür*. Sed ita negligenter tractatam ac vitiis inquinatam esse, addit, ut solum vile lucrum mercatorem spectasse appareat. Talem vero negligentiam et turpitudinem typographos Venetos etiam in aliorum PP. operibus prodidisse, opportune observat. Nos in Tertulliano eam reprehendere memini.

1751.

Bononiæ. 4 mai. S. Hilarii Ep. Pict. *epistola Parænetica* et sermo de dedicatione ecclesiæ Hilario tributus, nunc primum edita a *canonicis regularibus S. Salvatoris in Vett. Latinorum opusculis nunquam antehac editis* Tomo II, p 58-185. Editor est *Jo. Aloysius Mingarellius*, sed commentarii et dissertationes tres, in quibus Hilario illa epistola vindicatur et loca difficiliora ejus illustrantur, *Jo. Chrysost. Trombelli* esse, Feltrus profitetur, cui doctam dissertationem, in qua eamdem Hilario ereptum ivit, debemus, Romæ 1762, evulgatam hoc titulo : *De epistola seu libello sub S. Hilarii Pictaviensis nomine a canonicis R. S. S. an.* 1751, *edito dissertatio, in qua ostenditur epistolam illam seu libellum non Hilario Pictavorum ep. tribuendum esse, auctore Angelo Maria Feltri a S. Antonio — in novo Coll. Calasanctio. S. Theol. Prof.*

1769.

Venetiis, ex Typogr. Jo. Bapt. Albritii. in-fol. S. Hilarii Pict. episcopi, psalmorum XV, XXXI, et XLI, interpretatio, quæ in novis editionibus desideratur. Accessit vetustissimi scriptoris anonymi sermo in die paschatis, in quo psalmus CXLIX explicatur : in *Andreæ Gallandii Biblioth. Vet. PP.* T. V, p. 85-95. Accurate ex Marteneo descripta sunt. Præmittitur in Prolegg. cap. IX, p. XV sq. notitia de Hilario.

1785-88.

Wirceburgi ex off. Stahel. 8. Tomi IV. S. Hilarii Pictaviensis ep. opera omnia. Recudi curavit *Dr. Franciscus Oberthur* (*Opera omnia SS. PP. Latinorum Tomus* VIII, XI.

Placuit celeb. editori instructiorem et ornatiorem dare Hilarium, quam reliqui PP. ex hac officina comparuerant, cum propter peculiarem scriptorum ejus vim ac gravitatem, tunc in honorem amici magnifice ab ipso culti, cui hæc editio sacra erat futura Perill. ac S. R. Baronis de Fechenbach. Ex omnibus igitur, quæ a Benedictinis ad vitam, doctrinam et contextus librorum ejus, qualis jamiam est, rationem illustrandam conscripta erant, quæque horum lucubrationibus a Maffeio erant superaddita, potiora per singulos hujus descriptionis tomos ita distribuit, ut *primus* cum parte operum, I *Vitam Hilarii* et II *Elenchum scriptorum ejus* complectatur, *alter* et *tertius* cum reliquis libris breve Hilarii dogmatices compendium f. *crisin summariam* in scripta Hilarii duce Coustantio, *quartus* denique post I *brevem Epicrisin* in summ. Cris. (in qua Semleri argumenta adversus Hilarii orthodoxiam ad Baumgartenii Polemicam T. III prolata a se neglecta esse, qua de re Annal. Helmst. litt. editores et Roeslerus eum admonuerant, excusat), II *Historiam litterariam operum Hilarii*, III *opera quædam ejus dubia et supposititia*, IV *Varias lec-*

tiones et observationes in quædam Hilarii loca, atque v, *indicem textuum Scripturæ*, qui in locis non suis explicantur.

1789.

Paris., sumptibus Petri Didot. f. primog. fol. S. Hilarii liber de Synodis notis et totius historiæ contextu illustratus in *Collectione concilior. Galliæ tam editorum quam ineditorum studiis Monach. Congreg. S. Mauri* tom. I, p. 145-185.

Codices : Liber vetustus Cribelli.

Codex Cœnobii D. Benigni Divionensis, quem Guil. Parvus ad Badium detulit, Comment. in Matth. et Ep. ad fil. Apram complexum.

Codices Lud. Miræi. Quales fuerint, haud indicavit. Unum in specie appellat ex *Bibl. Cœnobii S. Victoris Parisiis.*

Codices Nic. Fabri, Jac. Bongarsii et *Pauli Petavei*, qui typographis Parisiensibus in ed. 1605 præsto erant. Sed quales fuerint, et quænam opuscula in singulis contenta, ex notitiis eorum non liquido constat.

Benedictini codices sat multos adhibuerunt et pervetustos, quos ita indicant, uti singulis libris emendandis profuerunt. Si in universum nomina eorum vis, præsto fuerunt : *Albinensis*, *Beccensis*, Boherianus, *Carnutenses* duo, *Cisterciensis*, *Colbertini* quinque, *Corbeiensis* tum vero *Sangermanensis*, *Eluonensis* vulgo *S. Amandi*, tum in Bibl. Archiep. Remensis, *Germanensis*, *Martinianus*, *Michaelinus*, *Miciacensis*, Ottobonianus, *Pratellensis*, *Regii* duo, *Remensis*, in bibliotheca archiepiscopi, *Remigiani* duo, codex Cœnobii B. Mariæ *Silvæ majoris*, *Sorbonici* duo, *Tellerianus*, *Theodoricensis*, *Turonensis*.

Vaticani tres, in quibus unus christianæ Suecorum fuit. Unus *Vaticanæ* basilicæ, cujus variantes primum ex Lat. Latinii, tum Petri Ciacconii ac demum Joh. Bapt. Bandinii recensione annotatæ editoribus transmissæ erant ; *Victorinus*, *Vindonicensis* (1). Ad manum erant præterea *Nic. Fabri apographum*, quo ad fragmenta Hilarii edenda usus fuerat, ex bibl. Colbertina, cum *Pithœano* exemplari.

Restant *Codices duo Capituli Veronensis* a celeb. *Maffeio* in ed. Veronensi tractata, quorum descriptionem una cum speciminibus ære expressis in præfatione exhibuit, *alter*, libros *de Trinitate* continens, quinto aut sexto sæculo scriptus, ut contra *Mabillonium* monuit, qui *de Re Dipl.* l. v, p. 556, *sub finem sæculi quarti aut ineunte quinto scriptum eum* dixerat ; accuratissimus et paucissimis mendis adspersus. *Alter* antiquitate et ipsa facie vetustatis cum quocumque alio certans, *commentarios in psalmos* complexus est, quorum rara admodum scripta exemplaria occurrunt. Illos in IX, XIII, et XCI, in ms. Vaticano unice adhuc repertos pariter hic probat et recenset.

His adde *codicem Aquicinctensem* sexcentorum circiter annorum, quem Edmundus Martene in Germania peregrinatus evolvit, et deprehensis Ps. XV, XXXI et XI, antea nondum editis, in Collect. Vet. Script. I. supra I, indicavit. Pleraque Hilarii continebat sub epigraphe : S. *Hilarii de Trinitate libri* XII *et alia opuscula ejusdem ;* eleganter scriptus.

(1) Codices, quorum nomina litteris rotundis sunt exscripta, minoribus tantum libellis veluti *epist. ad Apram*, *libellis* II, *ad Constant.*, *libro in Const.*, *libro adv. Auxentium* usui fuerunt.

SYLLABUS

MANUSCRIPTORUM, NECNON EDITORUM CODICUM AD QUOS EXACTA ET EMENDATA SUNT SANCTI HILARII OPERA.

TRACTATUS SUPER PSALMOS COLLATI SUNT CUM MSS.

Vaticanis tribus, uno Christinæ Suecorum reginæ, alias Monasterii S. Maximi Miciacensis juxta Aurelianos, omnes quotquot habemus Tractatus complectente, annorum circiter 800.

Regio uno optimæ notæ, plerosque Tractatus exhibente, scil. a quinquagesimo primo Psalmo usque ad sexagesimum nonum et a centesimo decimo nono usque ad centesimum trigesimum octavum qui ante annos 800 exaratus fuit.

Turonensi uno, scil. Majoris monasterii, a docta manu ab annis circiter 700 descripto.

Regio altero, in quo non exstant nisi Tractatus psal. CXVIII et CXLII ann. plus minus 600.

Albinensi, seu Abbatiæ S. Albini Andegavensis, eadem continente, et ætatis nonnihil recentioris.

Telleriano, qui olim S. Martini Tornacensis, nunc in bibliotheca illustrissimi Archiepiscopi Remensis asservatur. In hoc sola exstat præfatio ab annis circiter 500 scripta.

Item cum editionibus, Badii Ascensii vulgata Parisiis an. 1510 ; Erasmi apud Frobenium, Basileæ an. 1525 ; Martini Lypsii ibidem excusa an. 1550 ; Parisiensi an. 1605 et 1652.

COMMENTARIUS IN MATTHÆUM CASTIGATUS EST AD MSS.

Vindocinensem, ann. 600, Carnutensem, nimirum e monasterio S. Petri in valle, ætatis non inferioris ;

Michaelinum, ann. non minus 500 ; Colbertinum, ætatis paulo recentioris ; Beccensem ; unum e Monasterio B. Mariæ de Silva majori ; Miciacensem, e Bibliotheca reginæ Suecorum nobis subministratum, Vaticanum.

LIBRI DE TRINITATE

Recogniti sunt ad miss. Vaticanæ basilicæ, qui nimirum in Archivio basilicæ S. Petri de Urbe asservatur, sæculo sexto ineunte exaratus. Hujus exemplaris variæ lectiones primum Latini Latinii, tum Petri Ciaconii, ac demum Johannis Baptistæ Bandini recensione annotatæ ad nos missæ fuerunt.

Colbert. alias Abbatiæ S. Dionysii in Francia, om-

nium maxime sincerum; ideoque superiori æquandum, aut etiam anteponendum, annos circiter 1000 præ se ferentem.

Martinianum, scil. insignis Ecclesiæ S. Martini Turon. superiori supparem, ne dicam antiquiorem. Hic codex sex tantum posteriores libros, eosque non semper integros complectitur.

Carnutensis ecclesiæ, antiquitatis non longe remotioris.

Corbeiensem, nunc Germ. eum, uti videtur, quem Hincmarus a Felice Urgelitano, corrupto Aquisgranensis bibliothecæ præfecto, adulteratum conquestus est annorum fere 900.

Colbert. alterum, alias Monasterii Floriac. quem usque ad lib. VIII. ex laudato Carnutensis ecclesiæ codice descriptum observavimus, relictis lectionibus primæ manus, quoties occurrebant secundis curis annotatæ, ann. non minus 700.

Remigianum ejusdem ætatis; German. ann. circiter 700; Colbert. alium ann. 600; Faur. nunc illustrissimi Archiepiscopi Remensis, non longe inferioris ævi; Vindocin. ann. 500 et amplius; Pratellensem ætatis non remotioris; Victorin. ann. amplius 400; Colbert. ejusdem ævi, ex quo aut simili primum vulgati sunt hi libri; Remig. alterum circa idem tempus scriptum; Theoderici; Monasterii Silvæ majoris; Elnonensem, vulgo S. Amandi, nunc illustrissimi Archiepiscopi Remensis; Cisterciensem; Vaticanos tres; Sorbonic. unum, ut et superiores ann. plus minus 400; Sorbon. alterum ann. 300.

LIBER DE SYNODIS

Castigatus est ope mss. Vaticanæ basilicæ; Carnutensis; Corbeiensis; Germanensis; Pratellensis; A Silvæ majoris; Faur. Elnonensis; Sorbonici; Remigiani; Theodericensis; de quibus jam supra actum ad libros de Trinitate.

Item duorum Colbertin. quos ibid. priore loco recensuimus: nec non tertii minus antiqui; Carnutensis alterius, recentioris ævi; Michaelini an. amplius 400; demum unius et bibliotheca reginæ Christinæ.

EPISTOLAM AD ABRAM

Cum hymno subsequente recensuimus ad miss. Colbertinos tres; German. unum; Boherianum; Vaticanum, Ottobonianum.

LIBELLI DUO AD CONSTANTIUM COLLATI SUNT CUM MSS.

Vatic. bas.; Theoderic.; Remig.; Michaelin.; Sorbon.; Carnut.; Silv.; Elnon.

LIBER IN CONSTANTIUM

Exactus est ad octo prædictos mss. necnon ad unum Colbertinum probæ notæ ann. circiter 600, et ad alterum insignis ecclesiæ S. Martini Turon. ann. plus minus 800.

LIBER ADVERSUS AUXENTIUM

Recognitus est et collatus cum iisdem mss. cum quibus collati sunt libelli ad Constantium, et præterea cum ms. Carnutensis ecclesiæ ann. circiter 900 et Colbertino ann. 700.

FRAGMENTA.

Contulimus cum apographo quo usus est Nicolaus Faber, in Colbertina bibliotheca servato, necnon cum Pithœano exemplari quod v. c. Franciscus Desmares nobis perhumane commodavit.

APPENDIX.

Carmen in Genesim emendavimus ad mss. Laudunensis ecclesiæ, Victorinum et Colbertinum.

ADMONITIO
IN TRACTATUM HILARII SUPER PSALMOS.

I. *Scripturis sacris ea debetur a nobis reverentia, ut opera, quæ eas spectant, aliis præponenda existimemus. Quocirca servato rerum potius quam temporum ordine, psalmorum expositiones primo loco ponimus: et eo quidem libentius, quod sic ordinatæ, totum lecturis Hilarium subsidio non mediocri futuræ sunt. Cum enim difficiles ipsius sententiæ in his aut enuntientur planius, aut apertioribus intermisceantur; speramus fore ut sine fastidio lectæ facilius subinde percipiantur, et ad obscuriores de Trinitate libros intelligendos paratior inde pergat lectoris animus atque instructior.*

II. *His libris posteriores esse illas expositiones, perspicuum est ex Tractatu psalmi* LXVII, *n.* 15, *ubi relatis Photini, Sabellii et Arii commentis, subjicit Hilarius.* Quibus, ut spero, aliis locis uberius copiosiusque responsum est. *Libros enim de Trinitate hic indicari quis neget? Ita et in psal.* LIII, *n.* 8, *Apollinarii errorem, quo carnem a Christo sine anima susceptam commentus est, circumspecte adeo cavet, ut hujus hæresim jam tum non latuisse palam fiat. Numquam autem Apollinarius ante annum* 360 *hæresis suspectus audiit. Inficiandum tamen non est, commentum idem ante ab Arianis excogitatum esse, quam illud Apollinarius defenderet. Verum hos Commentarios post annum* 360 *scriptos esse sic conficimus. Primo libris de Trinitate sunt posteriores: adeoque ante Hilarii exilium non sunt editi. Deinde maximum in illis est Ariani nominis silentium, nulla adversus hanc sectam disputatio, nulla controversia: unde colligere est eum Catholicis illos scripsisse, non Arianis; ac proinde cum suis redditus esset prorsus catholicis, non cum exsul inter Asianos degeret omnes ferme Arianos. Postremo cum a suo in Gallias reditu ad conflictum cum Auxentio, hoc est, ab ann.* 360 *ad* 364, *nullum ei fere otium fuerit; superest ut postremis ætatis suæ annis, quos in ecclesia sua pacatiores habuit, egregium hoc opus prosecutus sit. Et certe non doctorem novitium, sed instructissimum senem spirat, in iis tractandis atque explicandis, quæ corporationis Christi fidem spectant, apprime versatum.*

III. *Operis hujus non solum meminit Cassiodorus præfat. in Psalterium c.* 12, *sed et ejus prologum in expositione psalmi* VI, *nominatim laudat. Laudat et Tractatum psalmi* LVII, *auctor commentarii in psalmos Hieronymi nomine vulgati. Hieronymus ipse epist.* CXLII, *ad Marcellam expositiones psalmorum* CXXVI *et* CXXVII, *ut indubitatos Hilarii fetus commemorat. Ipsius quoque auctoritate defensam volens Augustinus Ecclesiæ adversus Pelagianos causam, varia ex variis Tractatibus, nimirum in psalmos* I, LI, CXVIII, *lit.* 3, *lit.* 15, *lit.* 22, *adducit testimonia, quæ et suis locis annotare non piguit. Hunc imitatus Hincmarus, plurima ex quatuordecim diversis Tractatibus excerpta in unum caput* 25, *lib. de Prædest. congerit.*

IV. *An Hilarius psalmos omnes exposuerit, quæri potest. Aliquos duntaxat ab eo tractatos esse Cassiodorus lib. de Institut. div. litt. significat. Hieronymus cum librum de scriptoribus ecclesiasticis edidit, viderat tantum Tractatus in psalmos* I *et* II, *et a* LI *ad* LXII, *et a* CXVIII *ad extremum. His in Regio ac nonnullis veteribus mss. alii septem adjiciuntur (puta a psalmo* LXII *ad* 69), *de quorum veritate nemini unquam dubitare licuit. Tanta enim vero est eorum cum cæteris consensio, tanta connexio, ut sese unius parentis esse aperte prodant. Certe in ps.* LXV, *n.* 1, *quod prologo n.* 20, *tractatum, et in ps.* LXVII, *n.* 15, *quod libris de Trinitate uberius copiosiusque disputatum, et quod in enarrando psal.* LIX, *n.* 2, *expositum fuerat, in ps.* LXVIII, *n.* 1, *in memoriam revocatur. Præterea nostri hujus sæculi initio tractatus in psal.* XIII *et* XIV, *ex antiquo S. Maximini Miciacensis codice in lucem editi sunt. Nec desunt, Sixto Senensi teste, qui in totum Psalterii corpus Tractatus ab Hilario scriptos esse, idque opus integrum in Hispania exstare asserant. An ibi exstet, necne, fides sit penes auctores : at multa suppetunt argumenta, quibus psalmos omnes ab eo enarratos esse approbetur.*

V. *Primo quidem in psal.* CXLII, *n.* 2, *manifeste indicat se de tertio tractatum habuisse. Idipsum de trigesimo septimo in psal.* LXIX, *n.* 1, *etsi paulo obscurius, significat. De quadragesimo autem quarto perspicua sunt illius verba in psal.* LIX, *n.* 2. *Ita et ex verbis ipsius in psal.* CXLIX, *n.* 2, *vix ambigi queat, quin psalmos* 95 *et* 97 *enarraverit. Demum in psal.* CL, *n.* 1, *declarat se et quinquagesimum et centesimum explicasse. Ex quibus conficitur ab Hilario expositos esse psalmos* III, XXXVII, XLIV, L, XCV, XCVII *et* C, *quamvis modo in eos nihil habeamus. Sane vix ulla succurrit ratio, cur non totum psalterium commentatus esse existimetur, qui tot tamque a se dissitos psalmos enarravit, nulla unquam præmissa admonitione, cur unum potius quam alterum tractet.*

VI. *Nec multo levius argumentum suppeditant ii loci, in quibus se de rebus nonnullis frequenter egisse commemorat, quarum mentio in superioribus tractatibus, qui modo exstant, nulla occurrit. Namque quod* Jesus salutaris est, *se sæpe dixisse in psal.* LII, *n.* 18, *recolit : rem tamen inauditam, nisi in ea tractatus psalmi* XIII *parte, quæ nunc primum in lucem prodit. Rursum in psal.* LIV, *n.* 2, *profitetur se frequenter admonuisse, ut in psalmorum cognitione sensum nostrum ita temperaremus, ut Christum Deum simul et hominem meminissemus : quamvis monitum hoc nusquam antea auditum. Et ut plura exempla in unum conferamus, in psalmum* LVII, *n.* 4, *de peccatorum dentibus et molis leonum frequentem sibi fuisse sermonem, et paulo post, judicii Dei severitatem in arca Dei significari sese frequenter ostendisse : item in psalmum* LX, *n.* 4, *superioribus psalmis tractatum esse de protectione misericordiæ sub alarum velamento significata; ac demum in psal.* LXII, *n.* 7, *in elevatione manuum non habitum orandi, sed excelsi operis indicium significari, se frequenter docuisse commemorat. At vero in superioribus de peccatorum dentibus tantum semel tractatum, neque sæpius alarum significatio explicatur; si tamen explicatum dici queat, quod de hac re delibat in psal.* LVI, *n.* 4, *at de cæteris altum prorsus silentium. Sed hoc silentium clamat multos Hilarii in psalmos tractatus aut adhuc latere, aut etiam periisse.*

VII. *Horum desiderio olim tenebatur Thomas* (1) *Sarazanensis. Quocirca epistola nondum edita Nicolao Nicoli scribens:* In Pomposiano, *inquit,* monasterio, quod est inter confinia agri Ravennatis et Ferrariensis inveni Hilarium Pictaviensem super aliquot psalmos. Res equidem tum gravitate sententiarum, tum propter dicendi genus elegantissima. Credo apud te haberi. Optassem tamen illud volumen cum tuo discurrisse, vidisseque si plura in altero continentur. *Eodem desiderio flagrantes transmarinas atque transalpinas bibliothecas, etsi parvo, non tamen nullo fructu perlustravimus. Quamvis enim rara admodum sint lucubrationis hujus mss. exemplaria; e Vaticana tamen bibliotheca eruere datum est, quæ hactenus in psalmos* IX, XIII *et* CXI, *latuerant. Unde et conjectura nostra, omnes videlicet psalmos ab Hilario expositos esse, magis ac magis confirmatur. Eidem favet Fortunatus, dum de ipso ait (lib.* I, *n.* 14). Scripta Davidici carminis (expressius ms. *Compend.* librum psalmorum) sermone cothurnato per singula reseravit.

VIII. *In his exponendis duo pariter cavit extrema. Neque enim eos probavit, qui in psalmis aut nihil præter litteram sapiunt, aut nihil non ad Christum referri volunt. Laudat quidem in his propositi pietatem : sed ut in eo permaneatur, veritati vim sæpe faciendam agnoscit; cum in psalmis quandoque fides et vocatio gentium nuntietur, quandoque Judaici populi aut arguantur peccata, aut prædicetur vindicta; modo etiam ad timorem, modo ad laudem et confessionem Dei erudiamur. Cum autem hæc, quæ aliud a Christo repræsentant, diligenter discernenda esse doceat; tum etiam in iis quæ ad ipsum attinent, monet attendendum esse,* quid de divinitatis Christi nativitate, quæ ei a Patre est, fuerit prophetatum, quando ejus hominis quem assumpsit persona tractetur, ubi operatio, passio et resurrectio prædicetur. *Non diffitetur tamen, omnia psalmorum verba in id unum comparata esse, ut Christo formemur, proficiamus, acquiramur; atque eatenus singula ad*

(1) Hic florebat sæculo XV.

Christum referri. Hoc etiam modo quæcumque in psalmis scripta sunt (in psal. CLVII *n.* 1) *: ad Christum pertinere concedit*, quod tametsi plura ad personam patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum generationis primæ et generationis sequentis (hoc est, synagogæ et Ecclesiæ), referenda sint : omnia tamen de Christo sunt; quia omnis psalmorum doctrina hoc præstet, ut ipse noscatur, in quo et per quem omnia sunt. *At vero iis, qui litteram amant, nequaquam negat, etiam dum videtur negare, rerum quæ psalmis enuntiantur veritatem : sed tantum in hac simplici intelligentia non hærendum esse passim contendit.*

IX. *Nimirum apostoli doctrinam, qua antiquis omnia in figura contigisse tradidit, cum alte animo imbibisset; non ambigebat prorsus, quin quæ in lege scripta gestave sunt, evangelicorum temporum fuerint adumbrationes. Hoc se præsertim de psalmis sentire sic in psal.* CXLII, *n.* 1, *declarat :* Nihil in psalmis nisi propheticum cognoscimus. *Horum proinde auctorem, quem et propter prophetiæ certitudinem observat frequenter gerenda quasi jam gesta essent commemorare, simplici* prophetæ *nomine per antonomasiam quamdam nuncupare solet. Eum etiam alias* evangelicum virum *vocat; non modo quod evangelica studiose observarit præcepta, sed et quod quæ evangelicis temporibus eventura essent, dicta illius atque gesta prophetiæ fuerint. Sic porro in prologo tradit, psalmorum librum non ab uno scriptum esse, ut tamen in psal.* CL, *n.* 1 (*vincente ni fallor consuetudine, qua uni David adscribebatur*), *illum velut unius prophetæ opus consideret.* Cum ergo, *inquit*, ultra litteræ opinionem celsioris intelligentiæ sensu volumen digestum sit, oportuit idipsum digno fine concludi, ut secundum gloriosam spei nostræ perfectionem liber quoque *tanti prophetæ* consummatus exsisteret. *Immo in iis etiam psalmis, qui secundum regulas ab ipso positas auctorem alium præ se ferunt, ipsum interdum* (1) *David spectat velut in eis loquentem. Persuasum autem habens, magnum illum regem* omnia Domini dicta atque gesta et servi fide, et prophetæ exemplo præfigurasse, *illum inter et Christum sæpe sermonem ita temperat, ut quod concedit et enarrat in David vere gestum, quo* per actionem prophetæ sensus ac sermo notesceret prophetiæ, *ad mysteriorum Christi intelligentiam referri velit :* cum, *inquit*, propheta non tam spiritu, quam passionibus prophetarit.

X. *Neque eum fugit, duplicem illam unius ejusdem dicti intelligendi rationem non omnibus arrisuram; nec defuturos esse, qui ipsum* forte per multiplicem humani ingenii intelligentiam vim veritati afferre arbitrarentur; ut quod ex David persona dictum sit, id ad Dominum Salvatoremque nostrum multimodis translationum subtilitatibus transferret. *Sed his occurrens, ostendit non sine Dei nutu factum, ut cum Christus in psalmis prophetetur, in iisque, qui de se sunt, multa eloquatur ut homo, quæ ad cæteros homines accommodari possent; his tamen verba quædam intermisceret, quæ nulli, nisi qui divina gauderet natura, convenirent.*

(1) Vide Tract. psal. CXXVI, n. 15, in psal. CXLI, n. 3.

Numquam vero, *inquit in psal.* CXLI, *n.* 3, psalmorum prophetia, quotienscumque ex persona Domini profertur, non aliquid peculiare ejus, quod alii commune cum eo esse non possit, adjecit. *Neque solum cum Christus, sed et cum aliæ res in psalmis præcinuntur, quasdam in eis observat esse notas, quibus alium sensum, quam qui primo obvius est, inquirendum admoneamur. Unde tractatum psalmi* CXXV, *præclaris his verbis auspicatur :* Nisi essent in psalmis quædam tales prophetiæ, ut in res atque homines eorum temporum, quibus scripta sunt, non convenirent; profecto auderent multi nihil in psalmis spiritaliter dictum existimare; putarentque nos commentitias assertiones et ementitias interpretationes inquirere, quibus videremur altius nescio quid ac profundius cæterorum sensu intellexisse : perinde quasi nos sensui nostro ea quæ scripta sunt coaptemus, et non magis ex his, quæ scripta sunt, sensum diligentis et sollicitæ intelligentiæ consequamur. *Quo spectat illud Augustini in psal.* CIII, *Ser.* 1, *n.* 18. Quare quædam in rebus visibilibus quasi absurda miscet Spiritus sanctus, nisi ut ex eo quod non possumus accipere ad litteram, cogat nos ista spiritaliter quærere.

XI. *Hac opinione imbutus Hilarius, sustinere non valet eos, qui præ nimio litteræ amore virtutem verborum non intelligentes*, nec prophetæ spiritum sentientes, psalmos terreno ingenio intelligendos putant. *Hos et nobis obscuritatem et prophetis injuriam facere queritur his verbis :* Faciunt nobis plerique obscuritatem, volentes Scripturas solo aurium judicio æstimare, et non aliud in his æstimare, quam quod sub singulis rerum quarumque vocabulis audiatur. Quod cum volunt, neque prophetas non dico cœlestia, sed nec terrena quidem rationabiliter dixisse constituunt. *At si qui spiritalia sectantes ab ipso dissentiant, tam modeste eos suo ipsorum judicio permittit; ut cum in nimios litteræ veneratores declamitat, hoc eum non proprii sensus, sed unius fidei ac veritatis amore facere non ambigamus. Et vero cum maximum fidei nostræ argumentum sit prophetia, nec ulla plures fidei nostræ veritates confirmentur, quam psalmis; his nihil propheticum contineri æquo animo audire nequiit, cui asserendæ ac propagandæ fidei summum semper studium fuit.*

XII. *Ipse ad enucleandum sub litteræ cortice latentem sensum, non tam proprii ingenii viribus, quam oratione fretus animum appulit. Cum enim non ignoraret, humanum ingenium ad ea intelligenda non sufficere, quæ tot ac tantis temporibus abstrusa, tantis humani generis obscura ætatibus, in quibus intelligendis frustra reges laboraverint, ipsi doctores et magistri erraverint; illa tamen ope orationis Christianis pandi et aperiri non dubitabat. Unde et concludit :* Non ergo ex nobis est quod intelligimus, sed ex eo qui quæ ignorabilia erant fecit intelligi. Itaque ab eo speranda intelligentia est, qui et pulsantibus aperiet, et quærentibus demonstrabit, et petentibus non negabit. *Hanc intelligentiam sibi non negatam, modesta ista confessione testificatur :* Nos uniuscujusque sensui non contraimus,

Quid autem secundum donum gratiæ spiritalis senserimus, sine cujusquam contumelia tractabimus. *Quibus similia sunt isthæc* : Judicio eorum, (*quos nimirum non probat*) nihil decerpimus. Neque enim sensum intelligentiæ hujus arguimus, uniuscujusque arbitrio relinquentes, quid ex his quæ aut legerint, aut intellexerint, sequi magis velint. Nos tamen non potuimus sermonem nostrum nisi his quæ intelligebamus aptare.

XIII. *In hoc labore etsi Origenis lucubrationibus adjutus, earum tamen exscriptor aut interpres non fuit. Aliud enim est imitari, aliud interpretari aut exscribere. Nec interpretis officio fungitur, qui alia addit, resecat alia, et cætera proprium in stylum convertit. At vero Hilarius, ut Hieronymus lib. de Scrip. eccl. auctor est,* in hoc opere Origenem imitatus, nonnulla etiam de suo addidit; *et ut idem habet ad Theophilum epist.* LXII : Noxia quæque detruncans, utilia transtulit : *quo autem pacto hæc transtulerit, Doctoris ejusdem testimonio comprobatur. Sicubi enim arguitur, quod Origenis libros ita exponat,* ut in stylo proprio placens pater verbi sit potius quam interpres; *nulla ei solemnior est defensio, quam ut Hilarii ea in re imitatorem sese fuisse respondeat.* Nec desertiores, *inquit ad Pammachium et Oceanum epist.* LXV, sumus Hilario, nec fideliores Victorino, qui ejus (*Origenis*) tractatus, non ut interpretes, sed ut auctores proprii operis transtulerunt : *et epist.* CI *ad Pammachium* : Sufficit in præsenti nominasse Hilarium confessorem, qui homilias in Job, et in psalmos tractatus plurimos in latinum vertit e græco : nec assedit litteræ dormitanti, et putida rusticorum interpretatione se torsit; sed quasi captivos sensus in suam linguam victoris jure transposuit. *Idipsum reponit epist.* LXII, *ad Theophilum.*

XIV. *Pluribus aliis argumentis confirmamur, Hilarium Origeni non debere omnia, quæ in his Tractatibus edisserit. Primo quidem negari nequit, quin latinum codicem exponendum susceperit : ac proinde quædam ei fuerint explicanda, quæ Origenes non attigit.* 2° *Cum Origenes, Ambrosio* (*serm. 4. in psal.* CXVIII) *teste, prætulerit* distillavit, *ubi noster Hilarius magis probat* dormitavit; *liquet hunc ab illo in ambiguis Scripturæ vocibus transferendis discessisse. Ex quo necesse est ut nec in iisdem explicandis cum ipso convenerit.* 3° *In voce* diapsalma *intelligenda alia est Origenis apud Hieronymum ep.* CXXXVIII *ad Marcellam, et alia Hilarii prologo in psalmos sententia.* 4° *Quæ Hilarius de Christi dignitate, virtute, æternitate, dispensatione passim disserit, ea illum ab Origene mutuatum esse quis sibi persuadeat?* 5° *de resurrectione, de pœnis æternis,* etc. *plura habet a doctrina Origenis prorsus aliena.* 6° *Cum Origenis in litteram* Phe *psalmi* CXVIII *necnon in psalmum* CXXVI, *expositiones jam Phamphili ævo excidisse hinc Hieronymus* (*epist.* CXLII *ad Marcellam*) *approbet, quod illas martyr idem in indice non recensuerit; hos tamen Hilarii tractatus non advertimus aut aliis inferiores, aut stylo ab iis vel tenuiter discrepantes.* 7° *Quædam etiamnum supersunt Origenis in* 1 *psalmum fragmenta, quæ cum Hilarii in eumdem psalmum enarratione nullam omnino habent affinitatem. Tria quidem ex illis propius est imitatus, quæ ut conferre quisque posset, infra edidimus, primum scilicet col.* 235, *not.* b, *alterum col.* 240, *not.* h, *postremum col.* 246, *not.* g; *sed ex hoc præsertim apparet, illum ex Origene commodatas sententias ita temperasse, ut eas sibi quasi proprias vindicare jure potuerit. Denique cum præfatione in* 1 *psalmum testatur,* multos vel præsenti sermone vel ex litteris ac scriptis eorum comperi ita sensisse : sed id nec modo nec ratione docuere, etc. *satis significat sese in obscuris textus sacri locis non unius Origenis, sed et plurimorum aliorum pervolvisse scripta, immo etiam familiares suos consuluisse, nihilque a quoquam nisi prius expensum ac probatum recepisse.*

XV. *Ex iis, quibus Hilarius familiariter utebatur, quosque præsenti sermone consulebat, Heliodorum presbyterum nominatim memorat Hieronymus, ea in re testis idoneus. At eidem subinde Hilarium quamdam tantum græcarum litterarum aurulam cepisse, ideoque ab hoc Heliodoro, quæ ex Origenis dictis intelligere per se non poterat, quærere solitum, ac bis deceptum esse affirmanti, fidem negat Erasmus;* præsertim, *inquit,* cum id quod affert, nihil aliud quam divinatio sit. Ut enim obiter patriocinemur Hilario, mihi non fit verisimile, virum tantum usque adeo fuisse credulum, ut in enarrandis divinis litteris totus penderit ex alieno judicio : nec adeo rudem græcæ litteraturæ, ut non potuerit ipse sensum deprehendere, præsertim in Origene; cujus sermo mire perspicuus est. *Et vero de hac Origeniani sermonis perspicuitate quamvis nuper nonnemo convenire noluerit; ægre tamen quis animum inducat, Hilarium, maxime post reditum ab exilio, ita in lingua græca tyronem fuisse, ut ad Origenis verba intelligenda, et ea qua observatum est ratione imitanda, alieno subsidio indigeret. Nec negari ferme potest, Hieronymum in hoc loco mera conjectura locutum esse : et id quidem, cum eum urgeret furtivis operis celeriter rescribendi necessitas, ac rei veritatem attentius perpendere gravis stomachi dolor non sineret. Unde non mirum est quædam ab eo dicta esse quæ non satis cohæreant. At lapsum, si quis est, excusat, quem sola invexit in sanctum virum pietas ac reverentia.*

XVI. *Præterea Hilarium ex Origenianis interpretationibus non pependisse probant sacri textus codices latini atque græci, quos ad faciliorem psalmorum intelligentiam consequendam sese consuluisse non semel* (1) *testificatur. E græcis duas lectiones in psal.* LXV, *n.* 25, *laudat, quarum altera nusquam alibi nobis occurrit. Latinum sequi solet, usu, uti probabile est, tunc receptum. Hunc litteræ paulo tenaciorem esse sæpe admonet,* interpretesque *illius* dum collationem ordinemque verborum demutare ac temperare non audent, minus dilucide proprietatem declarasse dictorum. *Codicis hujus Psalterium aliud ab eo esse, quod* Gallicanum *vocant, minime mirum est; cum hoc ipsum sit*

(1) Proleg. n. 2, et in psal. CXVIII, lit. 8, n. 1.

quod Hieronymus postmodum emendavit. Illi autem non ita scrupulose adhæret, ut in una eademque lectione repetenda semper constans sit. Sæpe enim verbis utitur Vulgatæ nostræ, dum versum enarrandum repetit; licet lectionem primo proposuerit ab eadem dissonantem. Immo textum aliquando præmittit aliter quam nunc habemus, sed hunc postea sic explicat, ac si id tantum legisset, quod modo apud nos obtinet. Præmittit quippe in psal. CXXIII: Forsitan pertransisset anima nostra aquam immensam: *quod subinde sic exponit, ac si* intolerabilem, *et non* immensam *legisset.*

XVII. *Videri hinc posset familiaris Hilario fuisse Vulgata nostra. Ignotæ tamen ei fuerunt plures lectiones, quæ modo in illa exstant. Satis enim aperte in psal.* LXV, *n.* 18, *declarat, nullam a se perspectam esse versionem latinam, quæ in ejusdem psalmi versu* 8, *exhiberet*, Auditam facite vocem laudis ejus. *Rursum in psal.* CXVIII. *lit.* 10, *n.* 3, *dum monet, in aliis codicibus, post verba* Manus tuæ fecerunt me, *scriptum esse* et præparaverunt me, *in aliis* et finxerunt me, *nec addit in aliis circumferri* et plasmaverunt me, *sese nullum scisse in quo id exstaret, hoc silentio non obscure significat. Præterea codices latinos ei latuisse, quibus cum psal.* CXVIII, 89, In æternum Domine, *et non* in sæculum, Domine, *tum psal.* CXX, 5, super manum dexteram tuam, *et non* super manum dexteræ tuæ *translatum esset, ex eorumdem versuum tractatione perspicuum est. Demum in psal.* CXLV, *n.* 5, *legens*, Dominus sapientificat cæcos, *num recte subjiceret*: Si de corporalibus donis propheta loqueretur, commemoraret potius cæcis lumen indultum; *si ibi in aliquo codice reperisset*, Dominus illuminat cæcos? *Verum hæc et alia spectare licet velut exempla eorum, quæ postea Hieronymus in Itala versione correxit.*

XVIII. *Ad varias illas variorum codicum versiones narrationem suam aliquando accommodat, uti fidem facit tractatus psalmi* CXIX, *ubi promiscue legere est* cum tabernaculis Cedar, cum habitationibus Cedar, et cum habitantibus Cedar. *At ex discrepantibus versionibus quoties aliqua seligenda est, Septuaginta seniorum translationem præfert: quæ tantæ apud eum auctoritatis est, ut nec tutum esse existimet ab ea discedere. Tantum autem illi tribuit, primo quia* legitima *est, hoc est sub lege et a Judæis legi adstrictis longe ante Christum edita, adeoque minime suspecta: deinde quia licet sub lege facta, est tamen* spiritalis, *id est, litteræ hebrææ, quæ valde ambigua est, non adhæret serviliter, sed spiritum in ea latentem verbis haud dubiis retegit et exprimit; quo maxime nomine in psal.* LIX, *n.* 1, *Aquilæ nihil præter litteram sapientis translationem huic postponit: postremo quia spiritalis ille sensus non humano ingenio excogitatus fuit, sed a Moyse ex traditione acceptus. Arbitratur enim Moysen, ne quis hebraicæ linguæ ambiguitate deciperetur, selegisse* LXX *seniores, qui germani Scripturæ sensus et custodes forent et testes, quorum successores exstiterint Septuaginta, qui Scripturas primum græce reddiderunt. Ad ejusdem editionis commendationem addit Augustinus (Aug. lib.* II *de Consensu Evang. cap.* 66), Septuaginta eo Spiritu interpretatos, quo et illa quæ interpretabantur dicta fuerant.

XIX. *Quanti etiam fecerit psalmorum librum apud Græcos secundum Hebræos emendatum, initio litt.* 8, *psal.* CXVIII, *testatum reliquit: ubi a præconcepta sententia, quam latini codices confirmabant ac nonnulli græci, ob unam illius auctoritatem discedit. In ejusdem libri commendatione, ut in totius psalmi* CXVIII *explanatione, consentit Ambrosius in eumdem locum. Utriusque verba ad illud Luciani martyris opus commode referres, de quo Euthymius* (præf. in psal.) *testatur*: Omnibus editionibus visis, et cum hebraica veritate diligentissime collatis, propriam editionem, *nihil mancum* nihil habentem superfluum Christianis tradidit. *Verum his obnititur Hieronymi* (præf. in 4. Evang.) *auctoritas scribentis*: Prætermitto eos codices, quos a Luciano et Hesychio nuncupatos, paucorum hominum asserit perversa contentio. *Qui enim* paucorum hominum; *si non modo apud Græcos, sed et apud Gallos et Italos asserantur? Major etiam erat in Hilarium Hieronymi reverentia, quam ut opinionem, a qua ille staret, perversæ contentionis nomine notaret. Præterea totam Scripturam recognovit Lucianus, cum solum psalmorum librum Hilarius atque Ambrosius commemorent.*

XX. *Ille cum ex hoc loco, quo librum* secundum Hebræos *emendatum tanti ducit, tum ex altero* (in psal. LXV, n. 3), *quo Græcis codicibus, quia* ex hebræo fonte proximi sunt, *aliquanto plus quam latinis auctoritatis esse innuit, suam de hebræo textu sententiam manifestam facit. Neque vero textus hujus sinceritatem arguit, sed tantum ab ejus ambiguitate sibi cavendum monet. Immo si verba illius in psal.* II, *n.* 3, *assequimur, libri hebræi simul cum iis, quos Septuaginta translatores ediderant, post resurrectionem Domini collati sunt: et cum fideliter consonantes comperti essent, utrisque* indissolubilis constituta est privilegio doctrinæ et ætatis auctoritas. *Certe cum ibidem fatetur, Hebræis non necessarias fuisse Seniorum septuaginta translationes, cumque num.* 4, *Paulo Hebræo apud Hebræos hebræo textu uti licuisse ostendit; aperte indicat sese hunc corruptum nequaquam suspicari.*

XXI. *Quid de illis psalmis dicemus, qui singulis tractatibus integri præfiguntur? Hi editione Parisiensi anni* 1605, *primum vulgati sunt ex antiquo codice alias S. Maximini Miciacensis, postea reginæ Suecorum Christinæ: ac tandem Vaticanæ bibliothecæ, cujus ad calcem hæc epocha atque imprecatio annotatur:* Hic est liber S. Maximini Miciacensis monasterii, quem Petrus abbas scribi jussit, et Pilio (*id est* Nestorio) labore providit atque distinxit, et die Cœnæ Domini super sacrum altare S. Stephani Deo et S. Maximino habendum obtulit sub hujusmodi voto; ut quisquis hunc inde aliquando ingenio non redditurus abstulerit, cum Juda proditore, Anna et Caïpha atque Pilato damnationem accipiat. Amen. *Psalmos eosdem præ se ferunt Vaticani minoris antiquitatis codices. At in reliquis cum scriptis, tum editis neutiquam extant. Alie-*

num opus produnt textus psalmi CXIX, *ante præfationem in Cantica graduum, necnon primum psalmi* CXVIII *Octonarium ante præfationem in totum psalmum, inconcinno prorsus loco ordinata. Verum singuli psalmi ab eo textu, quem in enarrationibus suis sequitur Hilarius, tot locis dissident, ut hos illius esse nemini persuaseris. Hunc itaque textum, ut aliunde adscitum, rejiciendum esse, aut certe ad versionem Hilario usitatam castigandum primo censebamus. At cum a Vulgata non minus, quam ab Hilariano psalterio dissentiat; sic eam versionem quæ ex mss. antiquitate auctoritatem obtinet, conservandam duximus, ut lectionibus quibus Hilarius ab ea discrepat ad marginem adscriptis, nemo illam pro Hilariana usurpet.*

XXII. *In mss. regio et Turonensi, in quibus nusquam extat psalmus integer ipsius expositioni prævius, unaquæque enarratio vel simpliciter* psalmus, *vel* tractatus psalmi *inscribitur. Hoc* tractatus *titulo singulas ab ipsomet Hilario insignitas fuisse, ex verbis ipsius in psal.* CXXX, *n.* 1, *et in psal.* CXXXV, *n.* 12 *et* 14, *planum est, an vero illi tractatus ad populum habiti fuerint merito quis quæsierit. Vix enim credere est, tam doctum tamque disertum præsulem, qui etiam laicus non cessabat verba veritatis fructum redundantia seminare, præcipuum pastorum munus neglexisse. Neque minus incredibile est hoc cum ille strenue implevisset, nullam omnino ipsius concionem non modo ad nostram, sed nec ad Hieronymi notitiam pervenisse. Sane finis in plurimis tractatibus exhortatorius, in omnibus aut prope omnibus adhibita ad clausulam doxologia, hæc nominatim verba tractatus psal.* CXXXVIII, *n.* 15. Hinc nec temporis (*non* loci), nec quæstionis est amplius loqui, *tota denique dicendi ratio concionem nonnihil redolent. Non audemus tamen sermones asserere aut appellare, qui ab Hieronymo* commentarii, *et ab Augustino* expositiones *nuncupantur. Quamvis enim hic lib.* II *contra Julian., c.* 7, *cum quædam ex litt.* 13, *psal.* CXVIII, *laudasset, alia subinde ex litt.* 15, *sic commemoret*, rursus in eodem sermone, *non eumdem tamen ejusdem litteræ tractatum, sed totam psalmi* CXVIII *expositionem* sermonis *nuncupatione ibi designari manifestum est. Et vero præfationes non in exordio tantum, verum etiam ante psalmum* CXVIII, *necnon ante Cantica graduum, commentarios edentis magis sunt, quam sermones pronuntiantis. Sed et cum cæteri Patres in suis sermonibus blando* fratrum *aliove nomine compellare soleant auditores; nusquam Hilarius in his tractatibus* Fratres *appellat, nusquam ad auditores orationem nominatim convertit.*

XXIII. *Quamquam rationibus superius allatis facile inducimur, ut hos tractatus primum apud populum recitatos, ac deinde nonnullis mutatis in unum commentariorum volumen collectos atque editos fuisse opinemur. Huic opinioni favet, quod apud Zenonem Veron. ex tractatibus, quos ei falso attributos esse in psal.* CXXVI *demonstrabimus, in unum psalmum* CXXX *duo occurrunt, unus scilicet, ut apud Hilarium est, in modum commentarii; alter vero, perpaucis mutatis, Sermonis in morem ad* Fratres *habitus. Ex quo dijudicare licet quales ille ad plebem suam tractatus ille dixerit, qualesve postmodum in commentarios redegerit. Nihil enim est, unde diversam hanc unius ejusdemque rei dicendæ formam aut ad diversos referamus, aut ex uno aliter explicemus. Apud eumdem Zenonem sermo de judicio, qui* de psalmo centesimo *inscribitur, ita totus est ad mentem Hilarii* (1) *compositus ut hunc illi cum aliis subreptum suspicemur. Sed et apud ipsummet Hilarium hoc tractatus psalmi* XIV *exordium,* Psalmus qui lectus est, inscribitur psalmus David; *necnon illud num.* 2, *in psal.* XIII, Qui lectus est psalmus, in finem inscribitur, *quid aliud sonant, nisi prædictos psalmos statim post eorum lectionem in ecclesia coram populo fuisse expositos? De operis hujus utilitate unum hoc in summa monemus, sanctum doctorem in eo fere complexum esse, quidquid de præcipuis fidei nostræ dogmatis sentiat.*

(1) Confer cum hoc sermone dicta ejus in psal. I, n. 15, etc.

SANCTI HILARII
PICTAVIENSIS EPISCOPI
TRACTATUS SUPER PSALMOS.

(1) IN LIBRUM PSALMORUM PROLOGUS (*a*).

Psalmorum liber unus non quinque : neque illi solius David. — Varias I (1) esse plurimorum de psalmorum libro opiniones, ex libris ipsis quos scriptos re-

(1) Etiamsi vetustissimus liber noster, prioribus mutilatus chartis, ab iis numeri 9, verbis nunc incipiat, *quinquagesimo Psalmo posterior est;* titulum tamen huic proœmio in eo præmissum nobis non surripit : cuicumque enim paginæ superscribitur *Instructio psalmorum.* Quæ quamvis apta et apprime congrua inscriptio sit, præfixam tamen a doctissimo Benedictino editore abrogare noluimus; præcipue cum eamdem usque ab ævo Cassiodorii obtinuisse comperiamus : is siquidem Psalmum VI exponens, Hilarium profert *in Prologo Psalmorum.*

(*a*) Ms. codex Miciacensis hoc uno insignitur titulo, quem universo operi convenientem favente regio exemplari præmittimus, *Tractatus sancti Hilarii Pictaviensis episcopi super psalmos.* Prologus autem, qui in vulgatis *in psalmorum explanationem*, non inepte ex ms. Telleriano inscribitur, *in psalmorum librum;* non enim psalmorum explanationem tam spectat quam ipsummet psalterium, quod Hilario *psalmorum librum* mox placet nominari.

(*b*) Tellerianus codex, *Varias in libro psalmorum*

liquere, compertum habemus. Nam aliqui Hebræorum eos in quinque libros divisos volunt esse : ut sit usque in quadragesimum psalmum liber primus, et a quadragesimo usque in septuagesimum-primum liber secundus, et ab eo usque in octogesimum-octavum liber tertius, et usque in centesimum-quintum liber quartus; ob quod hi omnes (*a*) psalmi in ℣ consummatione sua habeant, *fiat, fiat :* concludatur deinde in centesimo-quinquagesimo psalmo liber quintus. Alii vero (*b*) ita inscribendos psalmos existimaverunt; *Psalmi David :* quo titulo intelligi volunt, eos omnes a David fuisse conscriptos. Sed nos secundum apostolicam auctoritatem, *Librum psalmorum* et (*c*) nuncupamus, et scribimus. Ita enim in Actis Apostolorum dictum meminimus : Scriptum est enim in libro psalmorum : Fiat domus ejus deserta, et episcopatum ejus accipiat alter. Ergo neque secundum quosdam Hebræos quinque libri, neque secundum plurimorum simplicitatem *Psalmi David* dicendi ℣ sunt : sed secundum apostolicam auctoritatem *Liber psalmorum* esse noscendus est.

2. *Eorum sunt, quorum nomen præferunt.* — Sunt autem plures eorumdem psalmorum scriptores. Nam in aliquibus *David* auctor præscribitur, in aliquibus Salomon, in aliquibus *Asaph*, in aliquibus *Idithum*, in aliquibus *filiorum Chore* (*d*), in aliquo *Moysi*. (*e*) Ex quo absurdum est psalmos David cognominare : cum tot auctores eorum ipsis inscriptionum titulis edantur. Et *Liber psalmorum* rectius esse dicetur, diversis in unum volumen (*f*) prophetiis diversorum et auctorum et temporum congregatis. Visum autem aliquibus est, Jeremiæ, et Aggæi, et Zachariæ quorumdam psalmorum superscriptionibus nomina prænotare : cum horum nihil in authenticis septuaginta translatorum libris ita editum reperiatur : adeo ut etiam in plurimis latinis et græcis codicibus, sine horum nominibus simplices tantum psalmorum tituli præferantur.

3. *Qui sine nomine, pertinent ad eum qui Psalmi superioris auctor inscribitur.* — De his autem qui sine diversorum auctorum nominibus sub diversis superscriptionibus habentur, (g) antiquorum virorum ista traditio est, quod ex eo psalmo, cujus auctor in superscriptione præponitur, qui deinceps sine auctorum superscriptione succedunt, ejus esse existimandi sunt, qui anterioris psalmi auctor inscribitur, usque in eum psalmum, in quo nomen alterius auctoris præferatur : ut si psalmi alicujus superscriptio talis sit, *Psalmus David*, cæteri qui sine titulo consequantur, David esse credantur, donec prophetæ alterius nomen in superscriptione ponatur; et ex eo usque in alterum prophetam, qui sine inscriptione (*h*) medii sunt, ejus sint qui in anterioris psalmi superscriptione auctor cœptus sit anteferri.

4. *Quod non repugnet in psalmo Moysi Samuelem nominari.* — Quod si forte aliquis per id intelligentiæ huic fidem detrahet, quod in his psalmis, qui eum psalmum, cui Moyses auctor prælatus est, subsequuntur, scriptum sit, id est, ℣ in nonagesimo-octavo, *Moyses et Aaron in sacerdotes ejus, et Samuel inter eos invocantes nomen ejus*, non posse a Moyse eum prophetatum videri, cum Samuel nomen, qui tanto postea, quam Moyses, natus est, exstet in psalmo : meminerit, nulli mirum aut difficile videri oportere, ut tantus propheta tanti prophetæ, postea licet futuri, nomen ediderit : cum in Regnorum libris Josiæ regis nomen sit, antequam nascatur, prophetatum, propheta dicente, *Altarium, altarium, hæc dicit Dominus : Ecce filius nascetur David, Josias nomen ejus* (III *Reg.* XIII, 2) per quod non incredibile esse oportere, ut Samuel a Moyse (*i*) prædictus sit : maxime cum secundum Jeremiam dicentem, *Nec si stet Moyses et Samuel* (*Jerem.* XV, 1), (*j*) Moysi connominatus et coæquatus sit ex merito sanctitatis. Quæ traditio ab Esdra, quantum creditur, psalmos post captivitatem in unum librum colligente profecta, si falsa aut improbabilis existimabitur; ab his qui contradicent, auctores horum psalmorum demonstrari necesse est. Absolutum enim est, non po-

opiniones esse ex ipsis libris quos diversi tractatores scriptos reliquerunt compertum habemus, non alio sensu. Sed et hic aliisque subinde locis interpolatum hunc codicem jure quis suspicetur.

(*a*) Alter e mss. Vaticanis, *ob hoc quod hi omnes*. Hujus vero momenti levitatem videsis apud Hieronymum præf. in psalterium ex Hebræo translatum.

(*b*) Parisiensis editio ann. 1605 adornata, *ita scribendos*. Porro David tanquam auctori totum psalterium tribui permittit Augustinus in Psal. IX, n. 35. Imo, l. VII de Civ. Dei, c. 14, longe credibilius putat, psalmos omnes ab eo prodiisse. Indubitanter ei asseruntur apud Ruffinum præfat. in psalmos. *Ad solum quoque prophetam David pertinere, certis declarari indiciis*, affirmat Cassiodorus præfat. in eosdem psalmos. Eamdem sententiam ei, quam tuetur noster Hilarius, præponit Euthymius præfat. in psalmos.

(*c*) Ms. Tell. *et nunc cantamus et scribimus :* non placet. Hilarii auctoritate ac rationibus adductus Cassiodorus præfat. in Psalt. cap. 12, unum psalmorum librum esse definit. Sed mirum est quod ibidem psalmorum in quinque libros divisionem Hieronymo tribuat, quam ille præfat. in psalter. prorsus respuit. Divisionis hujus rationem sibi incompertam fatetur Augustinus in psal. CL, n. 2, et Scripturæ canonicæ auctoritati mavult subscribere. Eidem subscribit apud Ruffinum auctor præfat. in psalmos.

(*d*) Alter e mss. Vatic. *in aliquibus filii Chore, in aliquo Moyses*. Moysi autem nomen prænotatur psalmo LXXXIX. Hujus tamen auctorem esse Moysen non consentit Augustinus in eumdem psalmum, n. 2, cui magis placet ut totum psalterium David tribuatur. Contra Hieronymus epist. ad Cyprianum non solum hujus, sed et subsequentium auctorem scribit Moysen, *qui non solum*, inquit, *nobis quinque reliquit libros, Genesim, Exodum, Leviticum, Numeros et Deuteronomium, sed undecim quoque Psalmos ab* LXXXIX, *usque ad* XCIX.

(*e*) Ms. Mic. *si quidem absurdum*. Tum cum Par. subjicit. *Psalmos David dicere vel nominare, cum ibi auctores eorum ipsis inscriptionum titulis commendentur*. In aliis vero libris ut in textu, nisi quod in Tell. *credantur*, pro *edantur*.

(*f*) Excusi, *Prophetis* : emendantur ex mss.

(*g*) In ms. Mic. *antiqua Latinorum ista traditio est*. Hujus vero traditionis auctor declaratur Esdras in fine num. 4.

(*h*) Duo mss. *editi sunt*.

(*i*) Ita in mss. rectius quam in vulgatis, *prædicatus sit*.

(*j*) In uno mss. Vatic. hic repetita voce, *Samuel*, tollitur sensus ambiguitas.

tuisse eos nisi prophetis prophetantibus prophetari.

5. *Psalmi canunt evangelicam historiam. Prophetiæ Christum nescientibus clausæ sunt et signatæ.*—Non est vero ambigendum, ea quæ in psalmis dicta sunt, secundum evangelicam prædicationem intelligi oportere : ut ex quacumque licet persona prophetiæ Spiritus sit locutus, (*a*) sit tamen totum illud ad cognitionem adventus Domini nostri Jesu Christi, et corporationis, et passionis, et regni, et ad resurrectionis nostræ gloriam virtutemque referatur. Sunt autem omnes prophetiæ ad mundialem sensum et prudentiam sæculi clausæ atque obsignatæ, secundum illud Esaiæ : (*b*) *Et erunt vobis omnia verba hæc, tanquam eloquia libri hujus signati* (*Isaiæ*, XXIX, 11 *et* 12). *Quod si quidem homini scienti litteras, dicetur, Lege ista, dicet : Non possum legere ; signatum est enim. Et si dabitur liber hic in manus hominis nescientis litteras, et dicetur ei : Lege hunc ; respondebit : Nescio litteras.* Imperitia legendi et intelligendi librum prophetiæ sub persona utriusque hominis monstrata est, cum intelligentia docti ad legendum, signaculum clausi mysterii non adeumis, illius indocti ignorationi per communem utriusque intelligendi inopiam comparatur. Sunt enim universa allegoricis et typicis contexta virtutibus : per quæ omnia unigeniti Dei filii in corpore et gignendi, et patiendi, et moriendi, et resurgendi, et in æternum cum conglorificatis sibi qui in eum crediderint regnandi, et cæteros judicandi sacramenta pandunntur. Et quia Scribæ et Pharisæi Dei filium natum in corpore non recipientes, omnibus prophetiæ intelligentiæ aditum denegarent, sub denuntiatione pœnæ ita a Domino arguuntur : *Væ vobis legis doctores, qui abstulistis clavem scientiæ : ipsi non introitis, et introeuntes non sinitis introire* (*Luc* II, 52). Negantes enim Christum, cujus adventus opus est prophetarum, clavem scientiæ abstulerunt : quia cognitionem legis, quæ adventum Domini corporeum prædicavit, fides corporei adventus abnegata præcludit.

6. *Psalmorum clavis, Christi fides.* — Et hoc quidem ex omni Scripturarum propheticarum genere dictum esse intelligendum est : ut nisi in adventum Domini ex Virgine in hominem procreandi intellectæ et recognitæ fuerint (*c*) intelligentiæ earum vis obsignata habeatur et clausa. Tamen nequaquam psalmorum librum nisi per fidem adventus ejus posse intelligi, ita beati Joannis Apocalypsi docemur : *Et angelo Philadelphiæ Ecclesiæ scribe, Hæc dicit sanctus et verus, qui habet* (*d*) *clavem David, qui aperit, et nemo claudet ; qui claudit, et nemo aperiet* (*Apoc.* III, 7). Clavem igitur David habet, quia ipse (*e*) per hæc septem quædam signacula (*f*) quæ de corporalitate ejus, et passione, et morte, et resurrectione, et gloria, et regno, et judicio David de eo in psalmis prophetat absolvit : aperiens quod nemo claudet, et claudens quod nemo aperiet : quia per hanc quæ in illo expleta est prophetiam, aperiet quod nemo præcludet ; et contra expletæ in eo prophetiæ fide abnegata, claudet quod nemo possit aperire. Nullus enim nisi ille, in quo hæc prophetata sunt et expleta, clavem intelligentiæ hujus impertiet. Denique id ipsum consequenter docuit, dicens : *Et vidi super dexteram sedentis in throno librum scriptum de intus et de foris, Et flebam, quoniam nemo dignus inventus est aperire librum, neque adspicere illum. Et unus de senioribus dixit mihi : Noli flere, ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperire librum et septem signacula ejus.* De sola vero obsignatione ita loquitur Esaias : *Et erunt vobis verba hæc omnia sicut sermones libri hujus obsignati, quem si dederint homini scienti litteras dicentes : Lege ista ; et respondebit : Non possum legere ; est enim obsignatus. Et dabitur liber hic in manus hominis nescientis litteras, et dicet : Nescio litteras.* Hæc enim non ad Apocalypsim solum Joannis aut Esaiæ vaticinia pertinere putandum est, sed de universa Scriptura sacra penitus accipienda sunt. Quod sane apud illos in confesso est, qui divinarum litterarum notitiam vel mediocriter assecuti sunt : quæ quidem ænigmatum involucris ac parabolis, tenebrosisque sermonibus, ac diversis aliis obscuritatis generibus, quæ hominis ingenio difficile comprehenduntur, refertæ sunt. Quod et Salvator ostendere volens, clavem apud Scribas et Pharisæos esse dixit, qui ut viam ad aperiendum invenirent, minime contenderent, et : *Væ vobis*, inquit, *legisperitis, quoniam tulistis clavem scientiæ, neque ipsi intrastis, et intrantes non permittitis ingredi*). Hactenus Origenes.

(*a*) Solus ms. Tell. *sit locutus tamen.* At in editionibus Badii Ascensii, Erasmi, et Lipsii desideratur hic verbum *sit*, et mox particula *ad*, ante *resurrectionis*, quam et omittit Parisiensis.

(*b*) Tellerianus codex juxta Vulgatam, *et erit vobis visio omnium* (Vulgatæ deinceps consentiunt et LXX) *tanquam eloquia libri signati, quem cum dederint scienti litteras, et dicent, Lege istum, respondebit, Non possum legere ; signatus est enim*, etc. Videsis Tract. lit. 17, Ps. CXVIII, num. 4. Cum iis quæ hoc numero subsequentique continentur, affinitatem habet Fragmentum Origenis e tomo I, in Psalmum primum, relatum t. I, græcorum Origenis operum. Danielis Huetii opera excusorum, pag. 37. Illud itaque hic describendum duximus, quo Hilariana cum Origenianis conferendo, facilius possit quisque quid ex his in illa translatum sit perspicere. (Clausas obsignatasque Scripturas esse sacras, divina testantur oracula, idque Davidis clave, ac forsitan et sigillo, de quo scriptum est : Figura sigilli sanctitas Domino. Quod de virtute Dei, qui ea largitus est, intelligi debet, quæ videlicet per sigillum adumbratur. Etenim clausas atque obsignatas esse Scripturas Joannes in Apocalypsi declarat his verbis : et *Angelo Ecclesiæ quæ Philadelphiæ est scribe : Hæc dicit sanctus verus, qui habet clavem David, qui aperit et nemo claudet, et claudit et nemo aperiet : Novi opera tua, posui fores coram te apertas, quas nemo claudere potest.* Deinde paulo post : *Et vidi ad dexteram sedentis in throno librum scriptum intus et a tergo, obsignatum signaculis septem : et vidi Angelum proclamantem voce magna : Quis est dignus aperire librum, et solvere signacula ejus ? Et nemo poterat in cœlo neque in terra neque subter terram aperire librum, neque adspicere illum.*

(*c*) Duo mss. Vatic. *intelligentiarum vis.* Alius, *intelligentia earum* sine *vis*. Huic consentit Tell. in quo mox, *Tamen pie nequaquam.*

(*d*) Vulgati, *claves* ; dissidentibus mss. et sacro textu.

(*e*) Ita in mss. rectius quam in Vulgatis, *per hæc vi quadam.*

(*f*) Ms. Tell. hic omisso *quæ*, mox loco *prophetat*, præfert *prophetiam.*

signatum signaculis septem : et vidi alterum angelum validum, **6** *prædicantem voce magna : Quis est dignus aperire librum et solvere signacula ejus ? Et nemo potuit, neque in cœlo, neque in terra, neque infra terram, aperire librum , neque videre ipsum. Et flebam , quia nemo dignus repertus esset aperire librum, neque videre ipsum. Et unus de senioribus ait mihi : Noli flere, ecce vicit leo de tribu Juda, radix David aperire librum, et septem signacula ejus* (*Apoc.* v, *et seq.*). Liber iste et præterita et futura in his quæ intus et foris scripta erant continens, a nemine dignus est aperiri : et Apostolo fletus ob desiderium intelligentiæ, et dolorem difficultatis exoritur. Sed vicit leo de tribu Juda et radix David, librum et signacula ejus aperire : quia solus septem illa quæ superius docuimus signacula, quibus liber clausus est, per sacramentum corporationis suæ et divinitatis absolvit. Id ipsum autem Dominus post resurrectionem testatus est, dicens : *Quoniam oportet impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi et in prophetis et in psalmis de me* (*Luc.* XXIV, 44.). Per hæc ergo omnis prophetiæ liber et signatus et clausus est : quia creditis his quæ impleta per eum sunt, cuncta illa quæ signata et clausa sunt, et aperientur, et absolventur.

7. *Psalterium speciem præ se fert corporis Christi.* — Et quanquam omnia a divino Spiritu per David dicta esse, ipsa Domini professione noscamus : tamen etiam id ipsum prophetiæ hujus species docet, supernæ et cœlestis in eo doctrinam scientiæ extitisse. Eo enim organo prophetatum est, græce Psalterio, hebraice Nabla nuncupato, quod unum omnium musicorum organorum rectissimum est, nihil in se vel perversum continens, vel obliquum, neque quod ex inferioribus locis in sonum concentus musici commovetur : sed in formam Dominici corporis constitutum organum, sine ullo inflexu deflexuve directum est; organum ex supernis commotum et impulsum, et in cantionem supernæ et cœlestis institutionis animatum, non humili et terreno spiritu, ut cætera terræ organa, personum. Non enim ille humilia atque terrena in ipso corporis sui organo prædicavit, sicut ipse testatus est : *Qui est de terra, de terra est, et de terra loquitur, qui autem de cœlo venit, quæ vidit et audivit, testatur.* (*Joann.* III, 31). Per hunc ergo supernum Spiritum Deus cantatur in psalmis, in formam Dominici corporis, in quo cœlestis Spiritus est locutus; forma quoque terreni hujus et musici et ex supernis concinentis organi comparata.

8. *Psalmi apud Hebræos indiscreti, ab Esdra in unum collecti, a* LXX *in ordinem redacti.* — Non est autem ignorandum, indiscretum apud Hebræos numerum esse psalmorum, sed sine ordinis annotatione esse conscriptos. Non enim illic primus aut secundus aut tertius, aut quinquagesimus aut centesimus prænotatur : sed (*a*) sine discrimine aliquo ordinis numerique permixti sunt. Esdras enim, ut antiquæ traditiones ferunt, incompositos eos, et pro auctorum ac temporum diversitate dispersos, in volumen unum collegit et retulit. Sed septuaginta seniores, secundum Moysi traditionem (*b*) ad custodiendam legis doctrinam in synagoga manentes, (*c*) postea quam illis a rege Ptolemæo transferendæ ex hebræo in græcum sermonem totius legis cura mandata est, spiritali et cœlesti scientia virtutes psalmorum intelligentes, in numerum eos atque ordinem redegerunt, singulis quibusque numeris pro efficientia sua (*d*) et absolutione perfectis perfectorum et efficientium psalmorum ordinem deputantes.

9. LXX *temporum ordinem non servarunt, sed rerum.* — Et quanquam id ipsum ex singulorum psalmorum virtutibus intelligi possit : tamen absolutissime in gestorum et temporum historia docemur, psalmorum scilicet (*e*) collocationes secundum perfectorum numerorum esse efficientiam ordinatas. Psalmus enim tertius secundum historiam quinquagesimo psalmo posterior est : inscriptio namque utriusque multo intervallo temporis ætatisque diversa est. Nam ille quæ (*f*) sub Uria et David sunt gesta, complectitur : ille autem fugam David, Abessalon filio suo (*g*) eum persequente, significat (1) et tamen virtus ac sacramentum numeri perficit, hunc et illum sic pro competentibus et sibi congruis numeris collocari.

10. *Quinquagesimi numeri mysterium.* — Inscriptio vero quinquagesimi psalmi, secundum historiam, quinquagesimi et primi psalmi inscriptione posterior est. Sed quinquagesimi numeri virtus et perfectio (*h*) exigebat, et Doec Idumæi impœnitens in David odium postulabat, anteriorem postponi, et posteriorem anteferri : ut remissio peccatorum in **8** numero quinquagesimo collocaretur, et pœna perfidiæ numerum constitutæ remissionis excedens careret venia, cum et tempus et numerum pœnitentiæ perdidisset. Nam cum in quinquagesimo, in quo est sabbata sabbatorum, secundum Jubilei anni præformationem, peccatorum remissio sit constituta : competenter hic psal-

(1) In Ms. *et virtus, et sacramentum.* Exinde abest *sic.*

(*a*) Editi, *sine præscriptione aliqua ;* emendantur auctoritate mss. Porro circa Psalmorum collectionem, duplicem notat Euthymius opinionem. *Sunt*, inquit, præfat. in Psal. *qui Esdram ; et alii qui Ezechiam dicant Psalmos in unum collegisse.*

(*b*) Duo mss. Vatic. *ad custodiam legis et doctrinæ.* Alius, *ad custodiam legis et doctrinam.* Nil immutandum liquet ex Ps. II, num. II, ubi hæc fusius narrantur.

(*c*) Unus et alter e Mss. Vatic. *postea quam a rege Antiocho*, dissidentibus aliis libris. Sic et infra in Psal. CXVIII, lit. 16, num. 16, sub Ptolemæo, non sub Antiocho refertur LXX Interpretum historia.

(*d*) Par. *in absolutione*, quod Lipsius perperam adscripserat.

(*e*) Excusi, *collationes :* castigantur ex mss. Quamquam vocabulum *collatio* eodem sensu occurrit lib. de synod. n. 9.

(*f*) In mss. Tell. *sub Uria a David.*

(*g*) Pro *olim*, substituimus *eum* ex codice Tell. ex quo mox particulam *tamen*, et paulo post *sic* huc revocavimus. *Abessalon* autem, non Absalon scribimus, consentientibus cum græco manuscriptis.

(*h*) Hæc citantur in Psalm. LI, n. 2.

mus, in quo pœnitentia antelata peccatorum remissio postulatur, in ordine est hujus numeri collocatus.

11. *Trina Psalmorum quinquagenaria quid designet.* — Tribus vero quinquagesimis psalmorum liber continetur : et hoc ex ratione ac numero beatæ illius nostræ expectationis exsistit. Namque qui et primæ quinquagesimæ et secundæ deinde quinquagesimæ (1) psalmum (*a*), et tertiæ rursum quinquagesimæ, in qua finis est libri, consummationem diligenter advertat : providentiam dispositorum in hunc ordinem psalmorum cum dispensatione salutis nostræ intelliget convenire. Cum enim primus gradus sit ad salutem, in novum hominem post peccatorum remissionem renasci, sitque post pœnitentiæ confessionem regnum illud Domini in sanctæ illius civitatis et cœlestis Jerusalem tempora reservatum, et postea consummata in nos cœlesti gloria in Dei Patris regnum per regnum Filii proficiamus, in quo debitas Deo laudes universitas spirituum prædicabit : facile intelligimus in singulis psalmorum virtutibus sub (2) (*b*) quinquageno numero collocatis sacramentum (3) dispositionis hujus quinquagenariæ contineri.

12. *Sabbata sabbatorum quinquagesima ; dominica sabbatum perfectum.* — Esse autem hæc *sabbata sabbatorum*, septenarius numerus per septem in septuplum connumeratus ostendit : quem tamen ogdoas, quia dies eadem prima quæ octava, secundum evangelicam plenitudinem in ultimo sabbato (4) adjecta consummat. Et hæc quidem sabbata sabbatorum ea C ab apostolis (*c*) religione celebrata sunt, ut his quinquagesimæ diebus nullus neque in terram strato corpore adoraret, neque jejunio festivitatem spiritalis hujus beatitudinis impediret : ❡ quod ipsum (5) extrinsecus etiam in diebus dominicis est constitutum qui ultra sabbati numerum (*d*) per plenitudinem evangelicæ prædicationis accedunt. Namque cum in septimo die sabbati sit et nomen et observantia constituta : tamen nos in octava die, quæ et ipsa prima est, perfecti sabbati festivitate lætamur.

13. *Ogdoadis perfectio.* — Et dignum est hanc ogdoadis perfectam sacramentis cœlestibus virtutem, in eo psalmo qui octavo in numero dispositus est, contueri (*e*), cui *pro torcularibus* titulus adjectus est, vasculis in novos fructus præparatis, et ad ferventis (*f*) musti calorem continendum innovatis. Et numerus iste ad percipiendos fructus evangelicos, caducis his corporum nostrorum vasculis reformatis, secundum ogdoadem est evangelicam destinatus. Et hoc psalmi istius textus et sermo testatur. Ogdoadis quoque istius virtus (6) etiam in virtute sexti psalmi et numeri, quo *pro octavo* oratio est, continetur : et hoc numeri ratio perficit, ut et in sexto pro octavo esset oratio, et in octavo titulus *pro torcularibus* adderetur. Tribus autem in numeris hæc torcularium superscriptio reperitur. Nam et octavus et octogesimus et octogesimustertius psalmus hunc habent titulum : ut in numeris perfectis perfectæ hujus beatitudinis ordo consisteret; ita tamen, ut simplicem ogdoadem et ogdoadis decadem, sacramentum triadis (quæ a nostris Trinitas est nuncupata) (*g*) concluderet.

14. *Psalmus* CXVIII.—Et hanc quidem ogdoadis perfectionem, etiam in centesimo atque decimo octavo psalmo cognoscere possumus. Namque in octonum numerum per octonos versus secundum Hebræos singularum litterarum initia collecta sunt : sed et ipsa virtus psalmi sacramentum ogdoadis edocet. Sunt autem in eo ogdoade viginti duæ. Nam octoni versus singularum litterarum initiis deputantur : (*h*) et hoc ea

(1) *Centesimum psalmum*, ut in Vaticano.

(2) In anterioribus editionibus *sub quinquagenariæ numero*, nec latine, nec ornate, cum rursus sequatur statim *quinquagenariæ*, emendavimus Veronensis codicis auctoritate.

(3) Ope ejusdem codicis *dispositionis* : exhibemus pro *dispensationis* : agitur enim de ordine ac dispositione Psalmorum.

(4) *adjectum*.

(5) In editis, *quod id ipsum*.

(6) *Tanquam in*. Paulo post *et hos* pro *et hoc*.

(*a*) Abest *psalmum* a ms. Tell. In Vatic. autem ante vocem *psalmum*, legitur *centesimum* ; mallemus *postremum*. Porro hac triplici quinquagesima triplex secundum Hilarium adumbratur vita justorum : prima in mortali corpore, altera in regno Christi exuto corpore, postrema in regno Dei Patris resumpto corpore. Tripticis hujus vitæ rursum meminit in Psal. LXII, n. 7. Quemadmodum autem in Psal. CXVIII, lit. 12, n. 14, docet eos, qui in regno Christi sunt, ex hoc regno in regnum Patris transferri ; ita et hic innuere videtur, in tempora cœlestis Jerusalem reservatos esse : proindeque nondum in ea esse. V. Præfat. § 6.

(*b*) In mss. Tell. *quinquagenario*.

(*c*) Tellerianus codex, *e regione* : mendose. Notanda sunt verba Hilarii docentis festivitatem prædictis observantiis impediri. Hoc etiam *nefas* vocat Tertullianus, de Corona, n. 3. *Die Dominico*, inquit, *jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare : eadem immunitate a die Paschæ in Pentecosten usque gaudemus* ; ubi et hunc mortem traditioni acceptum refert. Sic Hieronymus epist. LIV, ad Marcellam contra Montanum negans tres in anno Quadragesimas necessitate observandas, concedit subinde per totum annum licere jejunare, *excepta* tamen *Pentecoste*, hoc est, Quinquagesima post Pascha.

(*d*) In ms. Tell. *juxta*, non *per* ; nec male ; sic enim paulo ante, *secundum evangelicam plenitudinem*.

(*e*) In duobus mss. *contineri*.

(*f*) Ita ms. Vatic. cum Tel. Alii vero libri, *musti liquorem*.

(*g*) Ms. Tel. hic, *in se contineret*, et e regione ad marginem, *decies octo tribus additis octoginta tres faciunt, et significant perfectam beatitudinem a sancta Trinitate, quæ unus Deus est, fidelibus dandam*.

(*h*) Fragmentum Origenis in Psalmum, quod in editione prædicta, pag. 41, insertum est, quantum exemplum suppeditat eorum quæ ex Origene mutuatus est noster Hilarius. Ille autem hæc ibi habet : (Neque ignorandum est, Veteris Testamenti libros, ut Hebræi tradunt, viginti et duo, quibus æqualis est numerus elementorum Hebræorum, non abs re esse. Ut enim duæ et viginti literæ introductio ad sapientiam et divinam doctrinam his formis impressam hominibus esse videntur ; sic ad sapientiam Dei et rerum notitiam fundamentum sunt atque introduc-

ratione efficitur, ut quia psalmus iste perfectum virum secundum doctrinam evangelicam consummat, per omnes viginti et duas Hebræi sermonis litteras, sub sacramento ogdoadis erudiremur.

15. *Testamenti Veteris libri* XXII, *aut* 24. *Tres linguæ præcipuæ.* — Et ea causa est, ut in viginti duos libros (*a*) lex Testamenti Veteris deputetur: ut cum litterarum numero convenirent. Qui ita secundum traditiones veterum deputantur, ut Moysi sint libri quinque, Jesu Nave sextus, Judicum et Ruth septimus, primus et secundus Regnorum in octavum, tertius et quartus in nonum, Paralipomenon duo in decimum sint (*b*) sermones dierum Esdræ in undecimum, liber Psalmorum in duodecimum, Salomonis Proverbia, Ecclesiastes, Canticum canticorum in tertium decimum, et quartum decimum, et quintum decimum, duodecim (1) autem (*c*) Prophetæ in sextum decimum, Esaias deinde et Jeremias cum lamentatione et epistola, sed et Daniel, et Ezechiel, et Job, et Hester, viginti et duum librorum numerum consumment. Quibusdam autem visum est, additis Tobia et Judith (*d*), ☧☧ viginti quatuor libros secundum numerum græcarum litterarum connumerare, Romana quoque lingua media inter Hebræos Græcosque collecta. Quia his maxime tribus linguis tio libri Scripturæ duo et viginti.) Tum attexitur series librorum Veteris Testamenti eo ordine quo hic recensentur, addito unicuique libro eo nomine quo apud Hebræos insignitur cum nominis ejusdem interpretatione: *Sunt autem viginti duo libri juxta Hebræos hi: primus qui a nobis Genesis dicitur, ab Hebræis autem ex ipsius libri initio desumpta appellatione vocatur Bresith, quod idem est ac in principio. Exodus deinde, Hebræis Vellesmoth, id est, hæc sunt nomina, Tertio Leviticus*, etc.

(*a*) Tellerianus codex, *Lex et Vetus Testamentum.* Falluntur plerique ex hoc loco, existimantes Hilarium nullos alios libros, quam qui hic recensentur, pro canonicis habuisse. Ac primo quidem librum Judith ut librum Legis commemorat in Psal. CXXV, n. 5. Tobiæ quoque liber occurrit citatus in Psal. CXVIII, lit. 2, n. 6, et in Psal. CXXIX, n. 7. Præterea Sapientiam Salomoni tribuit Tract. Psal. CXXVII, n. 6. Imo lib. I de Trin. n. 7, et in Psal. CXVIII, lit. 2, n. 8, necnon in Psal. CXXXV, n. 11, ex eadem profert testimonia tamquam a Propheta. Propheticum igitur hunc librum agnovit. Idem dicendum de libro Ecclesiastici, quem Salomoni et adscribit ipse in Psal. LXVI, n. 9, et a Latinis vulgo adscribi testatur in Psal. CXL, n. 4. Denique Prophetiam Baruch Jeremiæ nomine citat in Psal. LXVIII, n. 19, et circa finem libri IV, de Trinit. Neque locum ex historia Susannæ Dan. 13, 4, ab Arianis tamquam ex Scriptura allatum lib. IV, de Trinit. n. 8, respuit. Imo n. 7, illud aliaque testimonia ibidem adducta ex divinis voluminibus agnoscit. Horum itaque librorum canonem hic recenset juxta Hebræos, non juxta usum Ecclesiæ suis temporibus receptum. Hoc et clarius significat Origenes loco jam laudato, ubi illorum catalogum sic auspicatur: *Sunt autem viginti duo libri juxta Hebræos hi*, etc. Neque reponi potest, alios quidem libros ab iis qui in Hebræorum Canonem recepti sunt, Hilarium approbasse, sed tamquam hasacramentum voluntatis Dei, et beati regni expectatio prædicatur: ex quo illud Pilati fuit, ut in his tribus linguis regem Judæorum Dominum Jesum Christum esse præscriberet (*Joan.* XIX, 20). Nam quamvis multæ barbaræ gentes Dei cognitionem secundum apostolorum prædicationem, et manentium hodie illic ecclesiarum fidem adeptæ sint: tamen specialiter evangelica doctrina (2) in Romani Imperii, sub quo Hebræi et Græci continentur, sede consistit.

16. *Cantica* XV *graduum.* — Consequens autem est, secundum octonarium hunc viginti et duarum ogdoadum numerum, cum qui subjectus est, in quindecim canticis graduum psalmorum numerum (3) contineri (*e*). Post perfectam enim illam præcedentium ogdoadum doctrinam, hoc canticum graduum (*f*) in quindecim psalmos ex duobus perfectis numeris oportuit convenire, hebdomade scilicet et ogdoade, id est, septimo et octavo numero. Nam per observantiam legis, quæ in hebdomade est constituta, et evangelicum profectum, qui ogdoadis et præsenti religione et (*g*) sperata exspectatione perficitur, isto cantico graduum in cœlestia et æterna conscenditur. Nam et (4) in templum per hunc numerum graduum principes sacerdotum in sanctorum sancta conscendebant: ut quia neque (*h*) hebdomada legis sine Evangelio giographos, et non veluti canonicos. Si enim eos ita spectasset, neque libro Judith *Legis* nomen et auctoritatem, neque Sapientiæ Salomonis *Prophetiæ* titulum tribuisset. Atque ut de Scripturis Novi Testamenti nonnihil dicamus, Epistolam ad Hebræos ab Hilario passim citari, et nomine quidem Apostoli in Psal. XIV, n. 5, et LIII, n. 12, et in Psal. CXVIII, lit. 8, n. 16, necnon lib. IV, de Trinit., n. 11, etiam ab Arianis ipsis commemorari observamus. Item Apocalypsim supra n. 6, et alibi beato Joanni attribuit, et quidem ei ipsi, qui Evangelium conscripsit: ut prudenti colligere licet ex elogio quo eum commendat. lib. VI de Trinit., n. 16 et 59. Demum secundam Petri epistolam ejusdem Apostoli nomine expresse citat lib. I, de Trinit., n. 18.

(*b*) Apud Origenem: Παραλειπομένων πρώτη, δευτέρα ἐν ἑνί, διβρὴ ἀϊ ἀμὶμ, ὅπερ ἐστὶ, λόγοι ἡμερῶν Ἔσδρας πρῶτος καὶ δεύτερος, etc. An exinde noster Hilarius verba, λόγοι ἡμερῶν, quæ ad διβρὴ ἀϊ αμὴμ interpretandum ab Origene referuntur, Esdræ male coaptavit?

(*c*) Additur hic in ms. Tell. *omnes*: an pro, *minores*? horum nulla mentio in prædictis Origenianis exemplaribus: manifesto librariorum lapsu. Cum enim ibi primum 22 libri juxta Hebræos asserantur, deinde 21 dumtaxat recensentur.

(*d*) Apud Origenem nihil exstat de Tobia et Judith: sed eorum loco subjicitur, *Extra horum censum sunt libri Machabæorum.* Ex his libris nonnulla etiam affert Hilarius in Psal. CXXIII, n. 3 et CXXXIV, n. 24, plura autem lib. in Constantium, n. 6

(*e*) Unus e mss. Vat. *contineri.*

(*f*) Excusi, *in* XV *Psal. et duobus*, castigantur ope mss.

(*g*) Inconcinne in ms. Tell. *et sacrata.*

(*h*) Sic ms. Tell. Editi vero: *hebdomadas;* non displiceret hebdomas.

(1) Interseritur *omnes* sicut in Telleriano.

(2) *In Romano Imperio, sub quo Hebræi et Græci continentur, consistit.*

(3) In anterioribus *contueri.*

(4) In editis *in templo.* Pro *conscendebant* ms. noster *scandebant.*

rum ogdoade, neque ogdoas Evangeliorum sine legis hebdomade virum posset præstare perfectum (1) quo (*a*) usque illa perfecte credidisset ; in his perfectis et beatis sanctis sanctorum perfectus in hoc utroque, qui in quindecim graduum 12 cantico est, hebdomadis et ogdoadis numero locaretur.

17. *Tituli psalmorum varii.* — Quamquam vero hæc a nobis secundum numeros (2) in legis observatione completos (*b*), et in sacramento evangelico distributos ita dicta sunt : tamen absolutis uniuscujusque numeri virtutem ex superscriptionibus psalmorum et dictorum ipsorum intelligentia consequemur. (*c*) Sunt autem superscriptionum omnium tituli diversi. Nam præter eos qui auctorum suorum nominibus, aut causarum aut temporum significationibus prænotantur, sunt alii quibus titulus *in finem* est ; alii quibus tantum *psalmus cantici*, vel *canticum psalmi :* et necesse est diversas causas diversarum superscriptionum exstitisse. Non enim sine causa, tanta rerum diversitate hic titulorum ordo convertitur, ut nunc *in finem*, nunc *psalmus*, nunc *canticum*, nunc *canticum psalmi*, nunc *psalmus cantici*, ad distinctionem psalmi (*d*) qui subjacet (3) præferatur. Et quamquam in singulis quibusque psalmis singularum quarumque inscriptionum causas præstare nitamur : tamen ad compendium studiosæ intelligentiæ, (4) in brevi sermunculo virtutem superscriptionum omnium coarctamus.

18. *In finem quid.* — Finis est, cujus causa cætera sunt, ipse autem nulli alii causam suam præstat. Ob finem enim omnia, nihil vero aliud post finem. Namque ad finem tenditur (5) sed in fine desinitur. Ita finis et anteriorum perfectio est (*e*) et se in nihil aliud protendens, propria in semet sui ipse possessio est. Psalmi igitur qui inscribuntur *in finem*, (*f*) ita intelligendi sunt, ut ex perfectis atque absolutis bonorum æternorum doctrinis et (6) speciebus existant : quia ad ea quæ in his dicuntur, fidei se nostræ cursus extendat, et in his 13 nullo ulteriore (*g*) tendens (7) procursu, ipso suo optatæ et adeptæ beatitudinis fine requiescat.

19. *Artis musicæ quatuor genera.* — In musicis vero artibus (*h*) hæ sunt officiorum et generum varietates. *Psalmus* est, cum cessante voce pulsus tantum organi concinentis auditur. *Canticum* est, cum cantantium chorus libertate sua utens, neque in consonum organi adstrictus obsequium, hymno canoræ tantum vocis exultat. *Canticum* autem *psalmi* est (*i*), cum organo præcinente subsequens et æmula organi vox chori cantantis auditur, (8) modum psalterii modulis vocis imitata. *Psalmus* vero *cantici* est, cum choro antecantante, humanæ cantationis hymno ars organi consonantis aptatur, vocisque modulis præcinentis pari psalterium suavitate modulatur. His ergo quatuor musicæ artis generibus, competentes singulis quibusque psalmis superscriptiones sunt coaptatæ. Ex virtutibus autem psalmorum, et ex ipsis doctrinæ musicæ diversitatibus causa uniuscujusque superscriptionis ostenditur.

20. *Quid singula psalmis prænotata indicent.* — In eo enim psalmo, in quo tantum *Psalmus* inscribitur, fidelium operum et religiosorum gestorum aut doctrina aut confessio continetur, cum propheta commemorando quæ egerit, ad doctrinam nos gestorum similium instituit, motu corporei organi nostri ad pios officio-

(1) In eodem ms. *quisque ille* : mox, *perfectum hunc verumque qui in quindecim*, etc. exinde *numerum*. Sensus videtur esse, ut quisque perfecte credidisset perfectum verumque, qui in quindecim graduum cantico est, hebdomadis et ogdoadis numerum, locaretur in perfectis et beatis sanctis sanctorum.

(2) *Et legis observatione complacitos.* Postea *ita dicta sint : tamen absolute uniuscujusque*, etc.

(3) In superiore *subjaceat.*

(4) *In brevem sermunculum.*

(5) *Et ad finem desinitur.* Subinde ut in Parisiensi quæ Benedictinam antecessit, *et ex se nihil aliquid aliud protendens.*

(6) *Spebus.*

(7) Non habet *tendens.*

(8) *Modos.*

(*a*) Ita faventibus mss. Vaticanis Tellerianus codex, nisi quod in hoc, *quousque ille*, non *illa*. In Vulgatis autem : *Quisquis illa perfecte credidisset, in his perfectis et beatis sanctis sanctorum perfectum hunc virum, qui in* 15 *graduum cantico est, numerum locaret.*

(*b*) In tribus mss. Vatic. *complacitos.*

(*c*) Quæ abhinc supersunt usque ad Prologi hujus finem primam partem Præfationis Commentariorum in Psalmos, qui Ruffini Aquileiensis nomine sunt vulgati, conficiunt. Neque hinc dubitandi relictus est locus an vel totus hic Prologus, vel saltem hæc postrema pars genuinus sit Hilarii fetus : cum ob summam hujus partis cum superiore, immo et cum subsequente Psalmorum explanatione connexionem, tum quod hæc ipsa pars posterior diserte in Psal. LXV, n. 1, ab ipsomet Hilario citetur, sicut et prima a Cassiodoro. Contra totus ille Ruffini Commentarius non leves habet suppositionis notas. 1° Quidem tam prolixum excerptum tacito Hilarii nomine. 2° Quod eidem excerpto, ex quo ad Psalmorum explanationem accedendum esset, inconcinne adsuuntur multa alia de nominibus, divisione, scriptoribus, et materia libri Psalmorum. 3° Quod ex selectis Augustini sententiis magna ex parte constat iste Commentarius ; cum Ruffino longe familiarior esset Origenes, quam Augustinus. Demum hæc sub finem Præfationis verba : *Quæritur a quibusdam, cui parti philosophiæ supponitur* (liber Psalmorum). *Quibus respondendum est, Secundum quod agit de moribus, ethicæ ; secundum quod tractat de natura, physicæ potest supponi :* et alia hujusmodi auctorem sapiunt Ruffino longe recentiorem. Hæc interim, alias penitius dispicienda, prælibasse sufficiat. Addimus tamen hos Commentarios lectu esse dignissimos, et optimo compendiosarum sententiarum delectu refertos. Eorumdem Commentariorum exemplar ante annos 400 exaratum, anonymum exstat in bibliotheca nostra Germanensi.

(*d*) Vulgati, *quæ subjaceat :* mendose.

(*e*) Hunc locum in vulgatis depravatum restaurant mss.

(*f*) In excusis, *tituli :* hujus vocis loco concinnius exhibent mss. particulam *ita*.

(*g*) Verbum *tendens*, quod in vulgatis deerat, restituimus auctoritate mss.

(*h*) Apud Ruffinum et in ms. Tell. *Hæc sunt officiorum genera et varietates.*

(*i*) Perverse apud Ruffinum huic descriptioni præfigitur, *Psalmus autem cantici*, et subsequenti, *Canticum vero psalmi.*

rum usus temperato. At vero cum *Canticum* tantum in titulo præponitur, scientia in eo spiritalis, et intelligentia cœlestis (*a*) arcani, quam quis per cognitionem sapientiæ consequitur, existit : cum non commemoratis fidei operibus solam doctrinam perfecte de Deo cognitionis ostendit. Non enim statim omnis scientia in bono opere est; neque rursum omne opus bonum veram scientiam consequitur. Ob quod est et illud, quod in tertio superscriptionum genere est, *Canticum psalmi*, cum bonorum operum efficientiæ, scientiæ doctrina conjungitur. Prius enim in bonis operibus vivendum est : ut perfecta possit ea quæ deinceps succedit, divini sacramenti esse cognitio, secundum id quod dictum est : *Desiderasti sapientiam? Serva mandata, et Dominus præstabit tibi eamdem* (*Eccli.* I, 35). Præstat ergo Dominus sapientiam his qui per meritum **14** bonorum operum gratiam intelligentiæ consequuntur. Ex his ergo operum doctrinæque studiis, psalmi illius qui *Canticum psalmi* superscribitur, erit causa noscenda. Ubi autem est *Psalmus cantici*, illic per cognitionis scientiam usus boni operis tractatur : (*b*) cum quando desiderabilem nobis fidelium gestorum efficientiam præstet anterior de Deo adepta cognitio.

21. *Recapitulatio ; inscriptionis absentia quid significetur.* — Hæc igitur musicæ artis quadrifaria diversitas, psalmorum est diversitati coaptata: ut *Psalmus* per organi corporei motum in commemoratione gestorum sit; *Canticum* vero per sapientiæ cognitionem (1) habeat in se doctrinæ scientiam. *Canticum* vero *psalmi* est, cum præcepte gestorum merito cognitio scientiæ præstatur. *Psalmus* deinde *cantici* est, cum per adeptæ scientiæ cognitionem fidelium gestorum opus inchoatur et geritur. Per has ergo superscriptionum proprietates intelligentiam psalmorum quærere oportebit: quia unicuique generi prophetiæ, in proprietate titulorum, unumquodque genus musicæ comparationis aptatum est. Eos vero qui sine inscriptione ulla significationis alicujus (2) habentur, ut est primus vel secundus, et cæteri complures alii, intelligendum est ex doctrina Spiritus sancti ad spiritalem cognitionem generalis scientiæ fuisse cantatos : ut unusquisque ex his, secundum fidei suæ sinceritatem, rationem intelligentiæ spiritalis expeteret.

22. *Superscriptiones aliæ.* — Aliæ vero superscriptiones, quæ aut res gestas secundum historiam significant, aut tempora, aut dies, aut aliud aliquid complexæ sunt, vel ex interpretatione nominum, vel ex comparatione gestorum, vel ex consimilium specie, ex quibus rebus psalmus consistat ostendunt: ut sicubi est *pro die sabbati*, aut *pro occultis filii*, aut *pro die octava ;* per corporalem superscriptionum significationem spiritalis psalmi intelligatur editio : vel cum *illius David*, vel *illi David*, vel *Abessalon*, vel *Saul*, vel *Doec*, in titulo sub gestorum historia prænotatur (3); in eo vel per pronominum qualitates, ut *illi*, vel *illius David*, aut per nominum virtutes, ut est in *Abessalon*, et *Saul*, et *Doec*, prophetiam quæ in psalmo sit, consequamur.

23. — *Diapsalma quid.* In (*c*) *diapsalma* vero, quod interjectum **15** plurimis psalmis est, cognoscendum est, demutationem aut personæ aut sensus sub conversione (*d*) modi musici inchoari : ut sicubi diapsalma intercesserit, aut aliquid aliud dici, aut etiam ab altero dici, aut in altero artis musicæ modulo cantari intelligendum sit. De personis ac sensibus, ubi diapsalma intercedere reperiemus, rationem afferre tentabimus. Cæterum (*e*) modi musici disciplinam conservare translatio græca et latina non potuit. Hæc autem in compendiosam brevitatem (*f*) festinus ad ipsam psalmorum expositionem sermo collegit.

24. *Clavis psalmorum.* — Est autem (*g*) diligens perscrutator et indagator divinarum Scripturarum Origenes, cujus hac in re peritiam laudat, ubi Theodotion, Symmachus et septuaginta transtulere, *diapsalma*, ab Aquila *semper* fuisse translatum. Quare inavult *hoc verbum superiora pariter inferioraque connectere, aut certe docere sempiterna esse quæ dicta sunt.* Hoc quo exemplo probare est quod jam observavimus, Hilarium Origenis minime fuisse pedissequum.

(1) Sic nos legimus in nostro codice. Antea *habet.*

(2) *Habeantur.*

(3) *Prænotantur.*

(*a*) In ms. Tell. et apud Ruffin. *Intelligentia cœlestis intelligitur*, omisso deinde *existit.*

(*b*) Editi, *cum desideratam*, refragantibus mss. Particulam autem *cum quando*, passim ab editoribus decurtatam, suis locis redintegravimus juxta fidem mss.

(*c*) Vaticanus codex, *in diapsalmo.* De hujus vocis significatione non convenit inter veteres. In Hilarii sententiam post Augustinum in Psal. IV, n. 4, abit Cassiodorus præfat. in Psalt. c. II. Hieronymi sententiæ quamvis oppositæ non ignarus. Hic de eadem voce a Marcella quæsitus epist. CXXXVIII. *Quidam*, inquit, *diapsalma commutationem metri esse dixerunt, alii pausam Spiritus sancti, nonnulli alterius sensus exordium. sunt qui rhythmi distinctionem et...cujusdam musicæ varietatis.* Ita fere explicat Euthymius præf. in Psalt. : *Diapsalma*, inquit, *mutationem sententiæ, aut cantus significat, aut pausam seu interjectionem quamdam pulsationis, vel fulgorem atque illuminationem divini Spiritus quæ tum canentibus apparebat ; scribebantur enim omnia hæc ab eis diligenter.* Horum sententiam nullam Hieronymus probat ; maxime quia hæc vox etiam in Psalmorum fine nonnunquam occurrit, et contra in aliquot Psalmis plurimorum versuum penitus non invenitur. Observat autem post Origenem, cujus hac in re peritiam laudat, ubi Theodotion, Symmachus et septuaginta transtulere, *diapsalma*, ab Aquila *semper* fuisse translatum. Quare inavult *hoc verbum superiora pariter inferioraque connectere, aut certe docere sempiterna esse quæ dicta sunt.* Hoc quo exemplo probare est quod jam observavimus, Hilarium Origenis minime fuisse pedissequum.

(*d*) Ms. Tell. ut apud Ruffinum, *metri musici.*

(*e*) Par. post Lipsium, *modum musicæ disciplinæ*, male et præter fidem mss.

(*f*) Apud Ruffinum et in ms. Tell. *dicta sufficiant, nunc festinemus ad ipsam Psalmorum expositionem stylum convertere. Est autem*, etc. Qui hunc Ruffini commentarium compilavit. hic sibi non satis cavit, quatenus cum Hilario loquens fingit se ad psalmorum expositionem festinare, ante tamen quam ad eam accedat, multis aliis immoratur. Hinc itaque supra secundam deprehendimus suppositionis notam.

(*g*) Apud prædictum Origenem ab Huetio vulgatum t. I. pag. 39, tertium hic se offert specimen eorum quæ Hilarius ex Origene in psalmos videtur imitatus. (Psalmorum interpretationem inchoaturi præclarissimum documentum nobis ab Hebræo de Scriptura traditum proponemus. Dicebat enim ille, similem esse universam Scripturam divinitus afflatam, prop-

pensumque judicium expositioni psalmi uniuscujusque præstandum : ut cognoscatur qua unusquisque eorum clave intelligentiæ aperiendus sit. Nam liber omnis similis est urbi pulchræ atque magnæ, cui ædes complures diversæque sint, quarum fores propriis clavibus diversisque claudantur : quæ cum unum in locum congestæ permixtæque sint, volenti unamquamque ædem aperire, maximam ignaro afferant difficultatem, ut clavem uniuscujusque ædis inveniat : sitque aut familiaris scientiæ, cognitam clavem cito ex copia illa congestæ in unum varietatis eligere; aut ingentis laboris, aptam et congruam clavem aperiendi uniuscujusque aditus invenire : quia ratio et qualitas non sinat, non suas claves claustris disparibus coaptare. Itaque secundum Dei misericordiam aperiendi uniuscujusque psalmi clavem reperturi, hujus ipsius primi psalmi aditum propria sua et congrua clave pandamus.

PSALMUS PRIMUS.

Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit. Sed in lege Domini (a) *fuit voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte. Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in* 16 *tempore suo. Et folium* (b) *ejus non defluet : et omnia quæcumque faciet bene* (c) *dirigentur. Non sic impii, non sic; sed tanquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ. Ideo non resurgent impii in judicio, neque peccatores in consilio justorum. Quoniam scit* (d) *Dominus viam justorum, et iter* (e) *impiorum peribit.*

CLAVIS SIVE INTROITUS

IN PRIMUM PSALMUM.

1. *Quis ad quem loquatur in Psalmis spectandum.*— Principalis hæc in psalmis intelligentia est, ex cujus persona, vel in quem ea quæ dicta sint intelligi oporteant (f) posse discernere. Non enim uniformis et indiscreta est eorum constitutio, ut non et auctores habeant, et genera (1) diversa. Invenimus enim in his frequenter personam Dei patris solere proponi, ut in octogesimo octavo psalmo, cum dicitur. *Exaltavi electum de plebe mea. Inveni David servum meum, in oleo sancto* (2) *meo unxi eum. Ipse invocabit me, Pater meus es tu, et susceptor salutis meæ. Et ego primogenitum ponam eum, excelsum super reges terræ.* Personam vero Filii in plurimis fere introduci : ut in decimo septimo psalmo : *Populus quem non cognovi, servivit mihi*; et in vicesimo primo : *Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.* Nunc autem hunc primum psalmum vel ex persona Patris, vel ex persona Filii non posse intelligi, res ipsa absolute docet, cum in eo ait : *Sed in lege Domini fuit voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte.* In eo enim psalmo, in quo personam Patris designari meminimus, propria ei et apta memoratur, cum dicitur : *Ipse invocabit me, Pater meus es tu, Deus meus, et susceptor salutis meæ.* Et in eo in quo Filius loqui docetur, ipse se ex his quæ commemorat, dictorum suorum profitetur auctorem, dicens, *Populus quem non cognovi, servivit mihi.* Dum enim et 17 Pater dicit : *Invocabit me;* et Filius ait : *Populus servivit mihi :* ipsos se esse, qui de se loquantur, ostendunt. At vero nunc cum dicitur : *Sed in lege Domini fuit voluntas ejus;* nulla Domini persona de se loquentis ostenditur, sed alterius potius, (g) beatitudinem ejus videlicet viri cujus in lege Domini voluntas sit, prædicantis. Persona itaque Prophetæ, cujus ore Spiritus sanctus loquitur, nunc esse noscenda est officio oris ejus ad cognitionem nos sacramenti spiritalis (h) erudiens.

2. *De quo loquatur. Multi de Christo dictum intelligunt hunc psalmum.* — Et cum hæc loquatur (3), quærendum est de quo viro eum loqui intelligere debeamus. Ait enim : *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit. Sed in lege Domini fuit voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte. Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Et folium ejus* (4) *non defluet : et omnia quæcumque faciet, bene dirigentur.* Multos vel præsenti sermone vel ex litteris ac scriptis eorum com-

(1) *Divisa.*

(2) Abest *meo* : quod nec habent LXX, neque Hieronymus legit in comment. Isaiæ c. 55.

(3) *Et quia infusus huic Prophetæ Spiritus Sanctus hæc loquatur.*

(4) *Non decidet* juxta psalterium Romanum et pressius ad Hebraicum : יבול. Sic habet idem noster codex infra num. 8 et alibi.

(a) In duobus mss. hic juxta Vulgatam omittitur *fuit;* quod tamen verbum deinceps constanter retinent juxta Græcum. Lectiones quas inter enarrandum Psalmum sequi solet Hilarius, deinceps ad marginem adscribemus.

(b) Hilarius infra, *folium autem ligni hujus non.*

(c) Mss. Vatic. *prosperabuntur.*

(d) Hil. *quia cognoscit.*

(e) Hil. *via.*

(f) Pro *oporteat*, restituimus auctoritate mss. hic. *oporteant;* quomodo et l. 2. de Trin. n. 2, *oportuissent.*

(g) Bad. et Er.: *Sed alterius potius beati, ejus,* etc. omisso deinde *prædicantis.* Lips. *sed alterius potius beatitudinem ejus... prædicat.* Par. *sed alterius potius beatitudine.... prædicatur.* Veram lectionem suppeditat ms. Vatic. ubi post *sed alterius,* facile subauditur vox *persona.*

(h) In uno codice Vatic. *spiritalem :* in altero, *sacramentis spiritalibus erudiens. Et quia infusus huic Prophetæ Spiritus sanctus hæc loquitur, quærendum est,* etc.

(1) Divisa.
(2) Abest meo : quod nec habent LXX, neque Hieronymus legit in comment. Isaiæ c. 55.
(3) Et quia infusus huic Prophetæ Spiritus Sanctus hæc loquatur.
(4) Non decidet juxta psalterium Romanum et pressius ad Hebraicum : יבול. Sic habet idem noster codex infra num. 8 et alibi.
(a) In duobus mss. hic juxta Vulgatam omittitur fuit; quod tamen verbum deinceps constanter retinent juxta Græcum. Lectiones quas inter enarrandum Psalmum sequi solet Hilarius, deinceps ad marginem adscribemus.
(b) Hilarius infra, folium autem ligni hujus non.
(c) Mss. Vatic. prosperabuntur.
(d) Hil. quia cognoscit.
(e) Hil. via.
(f) Pro oporteat, restituimus auctoritate mss. hic. oporteant; quomodo et l. 2. de Trin. n. 2, oportuissent.
(g) Bad. et Er.: Sed alterius potius beati, ejus, etc. omisso deinde prædicantis. Lips. sed alterius potius beatitudinem ejus... prædicat. Par. sed alterius potius beatitudine.... prædicatur. Veram lectionem suppeditat ms. Vatic. ubi post sed alterius, facile subauditur vox persona.
(h) In uno codice Vatic. spiritalem : in altero, sacramentis spiritalibus erudiens. Et quia infusus huic Prophetæ Spiritus sanctus hæc loquitur, quærendum est, etc.

peri ita (*a*) sensisse de psalmo hoc, quod significari in eo Dominus noster Jesus Christus atque intelligi debeat, cujus beatitudo in his quæ subjecta sunt prædicetur. Sed id nec modo, nec ratione docuere; bonæ quidem opinionis affectu, quia omnis ad eum prophetia est referenda psalmorum : sed ubi et quando ad eum prophetiæ ipsius sermo se referat, rationabilis scientiæ discernendum est veritate.

3. *Filio Dei Deo non convenit.* — Ea autem quæ in exordio psalmi posita sunt, minime personæ ejus dignitatique conveniunt : et incautam hanc ita prædicandi facilitatem illa ipsa coarguunt, quæ continentur in psalmo. Cum enim dicitur (1) : *Et in lege Domini fuit voluntas ejus*, cum lex per Dei filium lata sit, quomodo ad eum ob id beatitudo referetur, quia voluntas ejus in lege Domini fuerit, cum dominus ipse sit legis? Quid autem lex ejus sit, in psalmo septuagesimo septimo ipse testatus est, cum ait : *Attendite*, (2) *populo meus, in legem meam, inclinate aures vestras in verba oris mei. Aperiam* (3) *in parabolis os meum.* Et hæc Matthæus evangelista ab eo ipso dicta esse confirmat, dicens : *Ideo in parabolis loquebatur, ut impleretur quod dictum est :* ℣ *Aperiam in parabolis os meum* (*Matth.* XIII, 34 et 35). Prophetiam ergo (*b*) suam rebus Dominus explevit. Nam in his in quibus locuturum se spoponderat, parabolis est locutus. Id autem quod ait : *Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum* (in quo comparative beatitudinis profectus ostenditur); quomodo personæ ejus poterit coaptari, ut sit Dei filio plantatum lignum beatius, ob quod beatus sit, quia aliquando similitudinem ejus (*c*) profectu beatitudinis consequatur (*Prov.* VIII, 22; *Tit.* I, 2; *Coloss.* I, 15, 16)? Deinc cum secundum Sapientiam et Apostolum, et ante sæcula, et ante tempora æterna sit, et primogenitus omnis creaturæ sit, et in ipso, et per ipsum creata sint omnia : quomodo his rebus cum fiet similis, beatus est, quæ ab ipso sunt instituta? Cum neque creatoris virtus ad beatitudinis suæ perfectionem comparatione egeat creaturæ, neque primogeniti antiquitas, in eo quod erit tanquam lignum, tempus præposteræ comparationis admittat. Id enim quod erit (*d*) per exspectandum adhuc tempus, non potest videri ut aut fuerit, aut jam sit in rerum natura. Quidquid autem jam est, non eget dilatione temporis, (*e*) ut ad id quod erit inchoetur quia antiquitate exordii sui esse jam permanet.

4. *Cui conveniat.* — Itaque quia hæc a divinitate unigeniti Filii Dei Domini nostri Jesu Christi intelliguntur aliena : vir ille hic a propheta beatus prædicari opinandus est, qui se ei corpori quod Dominus assumpsit, id est, in quo homo natus est, conformem studio æquitatis, et totius justitiæ perfectione præstiterit. Et sane id ita intelligi oportere, (*f*) plenior, psalmi expositio monstrabit.

5. *Quam multa in hoc psalmo documenta.* — Speciosissimum autem hoc et dignissimum incipiendorum psalmorum sanctus Spiritus sumpsit exordium, ut humanam infirmitatem per spem beatitudinis ad innocens religionis studium adhortaretur, ut sacramentum Dei corporati doceret, ut communionem gloriæ cœlestis polliceretur, ut pœnam judicii denuntiaret, ut differentiam resurrectionis ostenderet, ut providentiam Dei in retributione monstraret. Perfecta scilicet consummataque ratione tantæ (*g*) prophetiæ ordinem inchoavit : ut (4) hominum imbecillitatem ad fidei studium beati viri spes illiceret ℣, spei beatitudinem comparata (*h*) ligni beatitudo sponderet, insolentem impietatem intra metum denuntiata impiis severitas coerceret, meriti differentiam in consiliis sanctorum conditionis ordo distingueret, Dei magnificentiam in cognoscendis justorum viis æquitas constituta monstraret. Nunc et res ipsas et eorum verba tractemus.

TRACTATUS PSALMI I.

1. *Beato viro quintuplex observantia. Impii et peccatoris discrimen.* — VERS. 1, 2. *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit. Sed in lege Domini fuit voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte.* Quinque generum observantiam beato viro subesse Propheta commemorat : primam (5) in impiorum consilio (*i*) non eundi, alteram in peccatorum via non consistendi, tertiam in cathedra pesti-

(1) Verba *cum enim dicitur* in codice non habentur; nec paulo post *ob id*.

(2) *Populus meus*. Deinde *aurem vestram*. LXX, τὸ οὖς ὑμῶν cum Hebraico.

(3) *In parabola*. Juxta Hebraicum atque Hieronymi versionem.

(4) *Ut humanam infirmitatem*. Proxime *ligni beatitud.* ut P. Custantius restituit.

(5) Constanter ms. noster : *in consilium*. Deinde : *non ineundum*, et *non consistendum*; postea *non sedendum*, atque *meditandum*.

(*a*) Ita sentit Origenes apud Corderium in Catena Patr. Græc. De Christo qua homine explicant cum August. Commentarii Hieronymo adscripti, necnon qui Ruffini nomen præ se ferunt.

(*b*) Abest *suam* ab uno ms.

(*c*) In mss. *profectus*.

(*d*) In uno ms. abest *per*, cujus loco alter habet *post*. Mox tres mss. pro, *in rerum natura*, exhibent *habere naturæ*.

(*e*) Ita unus ex Vaticanis mss. At Bad. Er. et Lips. *ut ad aliquid inchoetur*. His consentit et Par. nisi quod omittit particulam *ad*.

(*f*) In Vulgatis, *plenius*.

(*g*) Editi, excepto Par. necnon duo mss. *providentiæ ordinem :* male; hic enim a suo exordio commendatur psalmorum liber prophetiæ titulo insignitus.

(*h*) In Vulgatis *ligni similitudo*. Magis placet cum ms. Vatic. *ligni beatitudo*.

(*i*) Unus e mss. Vatic. *non eundum*, ac deinceps, *non consistendum*, *non sedendum*, *non meditandum*. Hic autem atque in sequentibus editi constanter præferunt, *in consilium impiorum*, dissidente sacro textu tum græco, tum latino, et vix uno in loco consentientibus mss. cum etiam *in consilio* requirat Hilarii interpretatio, qua vult impios nunquam stare, sed consiliis semel arreptis brevi ulterius ire, *loco consistendi in his consiliis nunquam reperto*, inquit ad calcem, num. 2.

lentiæ non sedendi, tum deinde voluntatis in lege Domini ponendæ, postremo in ea die noctuque meditandi. Ergo necesse est differre impium a peccatore, peccatorem a pestilente; maxime cum sit impiis consilium, peccatori via, cathedra pestilenti: dehinc cum in consilio impiorum eatur potius quam stetur, in via vero peccatoris stetur magis quam eatur. Quarum rerum causas ut intelligere possimus, discernendum est, quantum differat peccator ab impio: ut per id intelligi possit, cur peccatori via, et impio consilium deputetur: dehinc cur et in via standum, et in consilio eundum sit; cum humana consuetudo, et in consilio standum, et (*a*) in via eundum esse decernat. Non omnis qui peccator est, et impius est: impius autem non potest non esse peccator. Et sumamus ex usu conscientiæ communis exemplum. Patres suos amare possunt filii, licet ebriosi sint et lascivi et prodigi: et inter hæc vitia carent impietate, qui non carent crimine. Impii vero, licet in præcipuis sint continentiæ frugalitatisque virtutibus, omne tamen quodcumque aliud extra impietatem erit crimen, in contumelia parentis excedunt.

2. *Impii athei.* — Igitur secundum hoc propositum exemplum, impium discerni a peccatore non dubium est. Et impios quidem eos esse natura ipsa judicii communis ostendit, qui cognitionem Dei expetere fastidiunt, qui nullum esse mundi creatorem irreligiosa opinione præsumunt, qui mundum in hunc habitum ornatumque fortuitis motibus constitisse commemorant, qui ne quod judicium creatori suo ob vitam recte criminoseve gestam relinquant, volunt ex naturæ necessitate se nasci, et ex eadem rursum necessitate dissolvi. Horum igitur omne consilium fluctuans, incertum ac vagum est, et in eisdem ac per eadem (1) sine ulla consistendi statione defertur (*b*). non enim tenet modum definitionis alicujus. Creatorem mundi disputatio docere ausa non est. Cum enim quæras, cur mundus, et quando, et in quantum? et utrum mundus homini, an homo mundo? et mors ob quid, vel quo usque, vel qualis? circa hæc impietatis suæ consilia agitur semper, (*c*) et vadit, loco consistendi in his consiliis non reperto.

3. *Neque stant hæretici.* — Sunt et alia consilia impiorum, eorum scilicet qui in hæresim delapsi, nec Novi nec Veteris Testamenti legibus continentur. Quorum (*d*) sermo in orbem semper et circulum erroris inflexus, nihil tenens, et in nullo consistens, indefinitæ sententiæ cursu recursuque jactatur. Quorum (2) impietatis est, Deum non ex Dei ipsius professione sed ex arbitrii sui voluntate metiri; ignorantes non minoris impietatis esse, Deum fingere, quam negare, a quibus cum requiras, quo spei ac fidei suæ fine sic sentiant? confunduntur, perturbantur, dissimulant, circumerrant, et finem ipsum ejus de qua quæritur disputationis evitant. Beatus ergo vir est, qui in hoc impiorum consilio non abiit, id est, qui ipsam illam in hoc consilio eundi non admiserit voluntatem: quia quæ impia sunt, vel cogitasse jam crimen sit.

4. *Via peccatorum in qua non standum.* — Sequens (*e*) autem est, ut qui in impiorum consilio non abiit, in peccatorum quoque via non stet. Plures enim sunt, qui cum per confessionem Dei ab impietate discreti sint, non tamen a peccato per id liberi sint; in Ecclesia quidem manentes, sed Ecclesiæ disciplinam non tenentes: ut avari, ebriosi, tumultuosi, procaces, superbi, simulatores, mendaces, rapaces. Et ad hæc quidem nos vitia, naturæ nostræ propellit instinctus: sed ut utile est, nos a via hac (*f*) ad quam ferimur abscedere, sic neque consistere illic, adhibito decedendi ex ea non moroso recursu. Et ideirco beatus vir est, qui in via peccatorum non stetit, natura quidem in viam hanc deferente, sed ex via hac fidei religione referente.

5. *Cathedra pestilentiæ.* — Tertius quoque hic obtinendæ beatitudinis ordo est, in cathedra pestilentiæ non sedere. Sederunt in cathedra Moysi Pharisæi docentes, sedit et Pilatus in tribunali: cujus itaque cathedræ sessionem existimabimus pestilentem? Non utique Moysi, Domino sedentes potius quam sessionem cathedræ improbante, cum dicit: *Super cathedram*, inquit, *Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi; quæcumque dixerint vobis facite, quæ autem faciunt, facere nolite* (*Matth.* XXIII, 2). Cathedræ hujus sessio pestilens non est, cujus obedientia dominica auctoritate præcipitur. Illa ergo erit pestilens, cujus contagium Pilatus manus abluendo devitat. Multos enim etiam in metu Dei constitutos, sæculariùm tamen honorum ambitio corrumpit: et volunt (*g*) Ecclesiæ legibus subditi, fori legibus judicare. Sed quamquam ad ipsa officia quæ agunt, ferant secum reli-

(1) *Nulla consistendi ratione differtur.*

(2) *Quorum impietas est.*

(*a*) Hinc confirmatur lectio in *consilio*, quam præferimus vulgatæ *in consilium*. Quod de peccatoris atque impii discrimine subjicit Hilarius, eadem fere ratione exprimitur apud Hieronymum l. I, adversus Pelag. ubi impius definitur, qui aut fidem nunquam habuit, aut per hæresim amisit: *Impietas enim proprie ad eos pertinet, qui notitiam Dei non habent, aut cognitam transgressione mutarunt.*

(*b*) Unus e Vatic. mss. *nulla consistendi ratione differtur:* et paulo ante cum Bad. *ac vacuum est*, non *ac vagum est.*

(*c*) Ita mss. et editiones antiquiores. At apud Par. *et evadit*, quæ lectio potest ferri, ut id significetur quod inferius, *et finem ipsum ejus de qua quæritur disputationis evitant.* Verbo tamen *eundi*, cui respondet hoc *vadit*, non *abeundi*, constanter supra usus est Hilarius: qui tamen infra semel habet, *non abiit.*

(*d*) Hoc maxime convenit Arianis, de quibus lib. II, ad Constant., n. 4, *orbem æternum erroris et redeuntis in se certaminis circumtulerunt.* Videsis reliqua hujus libri, et lib. III Constant., num. 23.

(*e*) Locus ab August. l. 2, contra Julian., c. 7, laudatus.

(*f*) Editi, *qua ferimur.* Unus e Vatic. mss. *cum referimus*: alter, *qua deferimur.* Reponimus cum tertio iis antiquiore, *ad quam ferimur*, scil. naturæ nostræ instinctu.

(*g*) *Ecclesiæ legibus subditi* ii hic intelliguntur qui

giosam voluntatem, benevolos sese continentesque præstando : tamen necesse est eorum, in quibus diversabuntur, negotiorum quodam pestilenti contagio polluantur. Publicarum enim causarum ordo manere eos (1) volentes etiam in ecclesiasticæ legis sanctitate non patitur. Et quamvis religiosi propositi tenaces sint : tamen per necessitatem sedis obtentæ, tum ad contumeliam, tum ad injuriam, tum ad pœnam cunctante (2) licet voluntate (*a*) coguntur. Facit eos necessitas necessitatis ipsius esse participes, cum tanquam lue morbida imbuuntur. Et idcirco hanc eorum cathedram, cathedram pestilentiæ Propheta cognominat, quia contagione sua (*b*) etiam voluntatem religiosæ mentis inficiat.

6. *Dei legi non timore sed voluntate parendum.* — Sed beatitudinem viri nondum, vel in **22** impiorum consilio non (3) isse, vel in peccatorum via non stetis-e, vel in pestilentiæ cathedra non sedisse, consummat. Possunt enim hæc et in sæculari viro reperiri : ut unum Deum esse creatorem mundi opinetur, ut a peccatis se per studium modestæ innocentiæ refrenet, ut honorum dignitatibus privatæ et tranquillæ vitæ (4) otium anteponat. Sed perfectum nunc Deo virum Propheta conformans, et quem in magnis æternæ beatitudinis constituat exemplis, non communibus eum ad id docet usurum esse (5) virtutibus (*c*) sed his consummandum esse, ut beatus sit, quæ sequuntur : *Sed in lege Domini fuit voluntas ejus.* Abstensio (*d*) superiorum inutilis est, nisi in consequentia adhibeatur intentio : scilicet ut in lege Domini voluntas sit. Non exspectat Propheta ut metus sit. Plures (6) intra legem metus cohibet, paucos vero voluntas constituit in lege ; quia timoris est, non audere timenda negligere ; perfectæ vero religionis est, præscriptis velle parere. Et idcirco *beatus* ille est, cujus in Dei lege non timor est, sed voluntas.

7. *Lex Dei nocte ac die meditanda; qui id possit fieri.* — Sed deest interdum et aliquid voluntati : et perfectam beatitudinem solum velle non obtinet, nisi voluntatem sequatur operatio. Sequitur namque : *Et in lege ejus meditabitur die ac nocte.* Beatum hunc virum continua legis meditatio et indefessa consummat. Sed forte id humanæ infirmitatis natura non patitur, per quam quiescendum, dormiendum, cibo vacandum est ; ob quæ a spe consequendæ beatitudinis etiam necessitate naturalium decidamus, cum aliquando a meditatione diurna atque nocturna negotii corporalis intercessione sit desinendum. Simile quoque huic dicto Apostoli (7) dictum est. *sine intermissione* (8) (*e*) *orate* (I *Thess.* v, 17). Quasi vero non occupanda in res suas naturæ nostræ necessitas possit sine interpellatione temporis semper orare. Meditatio itaque legis non solum in verbis (*f*) legendis est, sed et in operis religione ; neque ut libros tantum et Scripturas recenseamus, sed ut ea quæ in Scripturis ac libris continentur, gestis rebusque meditemur, et diurna nocturnaque **23** opera legem semper exerceant (*g*) : ut illud Apostoli est : *Omnia quæcunque* (9) *facitis, in gloriam Dei facite, sive cum manducatis, sive cum bibitis, sive cum aliud agitis* (I *Cor.* x, 31). Per hoc enim efficitur, ut sine intermissione oremus : cum per opera Deo placita, et in gloriam ejus semper exercita, sancti cujusque viri vita omnis oratio sit (10) ac sic secundum legem noctu dieque vivendo, vita ipsa nocturna legis erit et diurna meditatio.

8. Sed consummata viri hujus beatitudine, qui impiorum consiliis, et peccatorum viis, et pestilentiæ cathedra se abstinens, Dei legem volens die et nocte meditetur ; docendum est quantus ei fructus acquisitæ hujus beatitudinis sit futurus. Velle enim beatum esse, ex beatitudinis ipsius exspectatione proficiscitur. Sequitur namque, VERS. 3 : *Et erit tanquam lignum, quod plantatum est* (11) *juxta decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Et folium ejus non defluet.* Ridiculum hoc forte et ineptum comparatæ beatitudinis credetur exemplum : in quo ligni plantatio, decursus aquarum, fructuum datio, suum tempus, et folium non defluens prædicatur. Hæc quidem secundum homines sæculi nulla forte existimabuntur. Sed videamus secundum pro-

(1) *Eos* non exstat.
(2) *Cunctante licet voluntate concurruut, facitque eos necessitas*, etc.
(3) *Non abisse.*
(4) *Otia.*
(5) *Suffragiis.*
(6) Codex noster hic interserit *enim.*
(7) Heic interponitur *illud.*
(8) Sic ex nostri codicis atque unius Vaticani fide : nam in superiori editione, *orantes.*
(9) *Faciétis.*
(10) In anteacta editione *fit.*
(11) *Secus* ubique.

supra num. 4. *in Ecclesia quidem manentes, sed Ecclesiæ disciplinam non tenentes.* omnes nimirum Christiani : et infra, *in ecclesiasticæ legis sanctitate*, perinde est atque in evangelicæ legis sanctitate. Unde n. 6, *sæcularis vir* appellatur, nondum inter Ecclesiæ membra per baptismum computatus quod observasse juvat, ne quis hæc ad Ecclesiasticos duntaxat, non etiam ad sæculares judices pertinere existimet. Quocirca non placet Erasmi ad marginem nota : *Sæcularia negotia periculosa clericis et bonis ;* quasi clerici nominatim expressi essent.

(*a*) In uno ms. *cum tanta licet voluntate.* In alio, *cunctata licet voluntate concurrunt.* Mox deerat in editis vox *necessitas*, quam restituimus ex mss.

(*b*) Addimus *etiam* ex mss. in quibus paulo ante, *quæ*, non *quia.*

(c) In uno ms. *suffragiis.*

(*d*) Apud Par. *abstinentia ;* verbum minus quidem durum, sed ab Hilarii mente alienum.

(*e*) Unus codex Vatic. juxta nostra sacri textus exemplaria, *orate.* Tum apud Bad. Er. et Lips. *quasi vero non recuperando vires suas.* In superiore autem editione, *orantes.*

(*f*) Bad. Er. cum Mic. ms. *legendi est.* Lips. et Par. cum aliis mss *legentis est.* Ex utraque lectione conficimus *legendis est ;* quod sensus requirit.

(*g*) Prima editio Par. *per legem semper exerceamur.* Postrema expuncto *per* retinuit *exerceamur.* Prior Lipsius pro *exerceant* reposuerat *exerceamus*, renitentibus Bad. Er. et mss.

pheticam doctrinam, quanta in his ipsis rebus ac verbis comparatæ beatitudinis gloria collocetur.

9. *Lignum Christus.* — In libro Genesis II, 9 et 10, ubi plantatum a Deo paradisum legislator ostendit, omne quoque lignum specie pulchrum et (*a*) ad esum bonum productum esse monstravit; esse quoque et in medio paradiso lignum vitæ, et lignum sciendi boni et mali exposuit; irrigari deinde paradisum flumine, quod postea in quatuor principia divisum sit. Quod autem esset hoc lignum vitæ, propheta Salomon docuit, dicens (1) de adoratione sapientiæ (*b*) : *Lignum vitæ est omnibus qui complecluntur eam, et qui incumbunt in eam sicut in Domino* (*Prov.* III, 18). Lignum ergo hoc vivens est : neque solum vivens, sed etiam rationale; rationale autem in tantum ut fructus det; det vero non confuse, non importune, sed *tempore suo.* Et plantatum hoc lignum est *juxta* 24 *decursus aquarum*, in possessione scilicet regni Dei, id est, in paradiso, et unde flumen exiens in quatuor principia dividitur. Non enim ait : Post decursus aquarum, sed : *Juxta decursus aquarum*, unde primum decursum aquarum divisiones sortiuntur. Illic enim plantatum hoc lignum est, quo latronem illum, se Dominum confitentem, Dominus qui Sapientia est introduxit, dicens : *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* XXIII, 43). Et quia sapientiam, qui Christus est, lignum vitæ cognominari de sacramento futuræ corporationis et passionis, prophetica auctoritate docuimus : etiam ex Evangeliis intelligentiæ hujus est proprietas, adstruenda. Dominus namque ipse se arbori comparavit, cum in Beelzebub dæmonia eum Judæi ejicere dixissent : *Aut facite*, inquit, *arborem bonam et fructus ejus bonos, aut facite arborem malam, et fructus ejus malos ; ex fructu enim arbor cognoscitur* (*Matth.* XII, 24). Quia cum fructus esset optimus, dæmonia ejicere ; Beelzebub eum, cujus fructus pessimi sunt, esse dicebant. Hujus quoque beati ligni non (2) dedignatus est, in se docere virtutem, cum pergens (*c*) ad crucem ait : *Quia si in humido ligno hæc faciunt, in arido quid fiet* (*Luc.* XXIII, 31; ? per humidi ligni exemplum, nihil in se ariditati mortis obnoxium esse significans.

10. *Christo similis vir beatus.* — Huic itaque ligno beatus ille vir similis fiet; cum, translati latronis in paradisum modo, secundum decursus aquarum et ipse plantetur : et fiet beata illa, et non eradicanda novella plantatio, quam in Evangeliis Dominus significat, cum de aliena plantatione conqueritur, dicens : *Omnis plantatio quam non plantavit pater meus* (3) *cœlestis, eradicabitur* (*Matth.* XV, 13). Hoc ergo lignum dabit fructus suos. Ubicumque autem de fructibus arborum aliquid divinus sermo significat, facere potius eas fructus, quam dare memorat, cum ait : *Non potest arbor bona fructus malos facere* (*Matth.* VII. 18), et cum secundum Esaiam querela de vinea est : *Exspectavi*, inquit, *ut faceret uvas fecit autem spinas* (*Esai.* V. 2). Lignum ergo hoc dabit fructus suos, arbitrio dandi et ratione moderatum (*d*). Nam *in tempore suo* dabit. Et quo tandem tempore? 25 Nempe eo de quo beatus Apostolus ait, ut notum faceret vobis (*e*) sacramentum voluntatis suæ, secundum beneplacitum quod proposuit in ipso, in dispensationem plenitudinis temporum (*Ephes.* I, 9). Hoc ergo dispensationis est tempus, quo et accipiendi et dandi opportunitas temperatur, cum suum (4) erit tempus, ut accipiant quibus dabit. Temporis autem mora in plenitudine temporum pendet. Dispensatio enim dandi fructus, plenitudini temporum reservatur. Et qui tandem hic dispensandus erit fructus? Nempe ille de quo idem apostolus meminit, dicens : *Et transformabit*, inquit, *corpus humilitatis nostræ* (5) (*f*) *conformatum corpori claritatis suæ* (*Philipp.* III, 21). Hos ergo nobis fructus suos dabit, quos jam in eo quem sibi assumpsit, et qui (*g*) significatur in ligno, homine perfecit, quem in immortalitatis suæ naturam absorpta mortalitate transfudit. Erit ergo ut hoc lignum

(1) Codex Veron. cum Vaticano, *de sapientia*; et sequentia verba, *sicut in Domino*, omittit.

(2) *Non dedignatus est comparationem, cum pergens*, etc., sicut in Vaticanorum uno.

(3) Vox *cœlestis* desideratur. Sed forte non oscitantia amanuensis. Nam in uno optimæ notæ Bibliothecæ Bodlejan. Oxon. ms. nomen ὁ οὐράνιος non habetur.

(4) Additur *enim*. Mox *dabitur* pro *dabit*.

(5) *Conforme corpori gloriæ suæ*, juxta græcum textum : σύμμορφον τῷ σώματι τῆς δόξης αὐτοῦ.

(*a*) In vulgatis *ad usum*. Melius in uno cod. Vat. *ad esum*, favente Genesi, in qua *ad vescendum* bonum dicitur, non *ad utendum*.

(*b*) Ex Vatic. mss. unus *de Sapientia ;* alter *de adoratione sapientiæ.* Forte leg. *de honoratione ;* maxime cum in græco paulo ante de Sapientia dicatur, πᾶν δὲ τίμιον οὐκ ἄξιον αὐτῆς ἐστι. Mox in uno ms. desideratur, *sicut in Domino*, quæ verba sunt LXX. Obiter observamus Salomonem Hilario hic atque alibi dici *prophetam ;* ut futilis ac vana sit Eusebii Cæsar. l. I, adversus Marcellum c. 2, reprehensio, qua hunc sugillat quod ipsum Salomonem *Prophetam*, Proverbia *prophetias* dixerit : cum tamen, inquit, donum acceperit *sapientiæ*, non *prophetiæ ;* nec vitam instituerit propheticam, qua Prophetas legimus *circumiisse melotis amictos et hædinis pellibus, egenos, oppressos, angustiatos.* Quod si valeret, ipsi etiam Psalmistæ *Prophetæ* nomen esset abrogandum. Codex Veron. cum Vaticano *de Sapientia*, et sequentia verba, *sicut in Domino*, omittit.

(*c*) In uno codice Vatic. *non dedignatus est comparationem cum pergens*, etc.

(*d*) Hoc est quod dicebat, n. 9, *lignum vivens, nec solum vivens, sed et rationale ; rationale autem in tantum ut fructus det* : ubi in hoc dandi arbitrio rationalem naturam maxime constituit.

(*e*) Bad. et Er. *notum facere vobis.* Excusi alii, *notum vobis facio.* Alter et Vatic. mss. *notum valuit vobis facere.* Alium Vaticanum melioris notæ sequimur sacro textui magis consentientem.

(*f*) Et hic sibi non consentiunt mss. Vatic. in alio enim *transformatum*, etc., in altero, *conforme corpori gloriæ suæ*, in tertio, *conformatum corpori gloriæ suæ.* Vid. lib. XI de Trin., n. 35, ex quo aliisque pluribus locis liquet Hilarium eadem Scripturæ loca non eodem semper modo referre.

(*g*) Lips. et Pær. *significantur :* corrupte.

beatus ille vir, cum quando ipse in gloria Dei Domino suo conformis adstiterit.

11. *Folia Dei verba.* — *Folium* autem ligni *hujus non defluet.* Nec mirum si folia ejus non defluunt, cujus fructus dabuntur potius, quam decident, non maturitate depulsi, non vi exteriore decussi, sed rationalis officii dispensatione (*a*) demessi. Et quid in foliis significet, ex comparatione rerum corporalium absolutum est. Namque hanc esse naturam foliorum contuemur, ut ad custodiam fructuum fructibus ipsis circumjecta prorumpant; ut quodam vallo tenera pomorum initia communiant. Doctrina ergo verborum Dei, quæ promissos nobis fructus convestit, significatur in foliis. His enim verbis spes nostræ inumbrantur : horum inter has sæculi tempestates munimine conteguntur. Non defluent igitur hæc folia, id est Dei verba; quia per Dominum dictum est : *Cœlum et terra* (1) *transibunt, verba autem mea non transibunt.* (*Matth.* XXIV, 35). Nihil enim ex his quæ a Deo dicta sunt, dilabetur aut decidet.

12. *Horum foliorum utilitas.* — Quod autem hæc folia ligni hujus non inutilia sint, sed salutaria gentibus, sanctus **26** Joannes in Apocalypsi testatur dicens : *Et ostendit mihi flumen* (*b*) *aquæ vitæ, splendidum tanquam crystallum, exiens de throno Dei et agni, in medio plateæ ejus, et ex utraque parte fluminis arborem vitæ, quæ facit fructum duodecies, singulis mensibus reddens fructum suum, et folia arboris illius sunt ad sanitatem gentium* (*Apoc.* XXII, 1). Cœleste (*id est*, spiritale) sacramentum ita per corporales species exponitur, ut rationem spiritalem corporalia ipsa quanquam implere non possint, tamen (*c*) ad corpora non (2) mutilent. Convenerat enim dixisse, ex utraque parte fluminis demonstrati arbores esse, non arborem. Sed quia vitæ arbor ubique in sacramento baptismi una est, (*d*) undique ad se venientibus apostolicæ prædicationis fructus subministrans; ideo ex utraque parte fluminis una vitæ arbor assistit. Unus enim agnus est in throno Dei visus, et unum flumen, et vitæ arbor una : quæ omnia in se complectuntur mysteria corporationis, baptismi, passionis, cujus folia, id est prædicationis verba, salutem gentibus per doctrinam eloquii non decidentis impertiunt.

13. *Gloriæ æternæ dotes.* — *Et omnia*, inquit, *quæcumque faciet, bene* (3) (*e*) *dirigentur.* Jam non, sicut in Adam, donum ejus et statuta perturbabuntur: quia ille constitutæ immortalitatis beatitudinem peccato transgressæ legis amisit, sed per redemptionem ligni vitæ, id est, dominica passione, cum ipsi ligno vitæ similes erimus, jam quidquid in nobis fiet, æternum est : æternum autem cum beatitudinis sensu. Prospere dirigentur autem omnia illa quæ fient; non demutatione incerta, non in natura infirma, cum incorruptio corruptionem, et æternitas infirmitatem, et forma Dei formam terrenæ carnis (4) absorpserit. Huic igitur plantato ligno, in tempore suo hos fructus suos danti, beatus ille vir erit similis, ipse quoque in paradiso plantatus; ut plantatio Dei non eradicanda permaneat, in quo omnia a Deo facta prospere dirigentur, nulla deinceps demutatione vel infirmitatis nostræ eradicanda, vel temporis.

27 14. *Impiorum post judicium quale corpus.* — Demonstrata autem perfecta hujus viri beatitudine, consequens erat quæ impios pœna maneret, ostendere. Sequitur namque, VERS. 4 : *Non sic impii, non sic, sed tanquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ.* Non est impiis comparativæ hujus beatitudinis spes relicta, sed (*f*) vagum os, obtritum, ventilatum, dispersum et inquietum manet, ut ex illa corporalis soliditatis firmitate decussi, ludibrio pulveris differantur in pœnam : non in nihilum dissoluti, ut sit in his materies pœnæ; sed in inane ac leve aridumque pretriti, ut ludibriosa pœnæ mobilitate jactentur. Cujus pœnæ et loco altero idem propheta meminit, dicens : *Comminuam eos ut pulverem ante faciem venti, ut lutum platearum delebo illos* (*Psal.* XVII, 43). Comparatio itaque ut beatitudinis, ita et pœnæ est constituta. Quomodo enim nullus labor est vento pulverem dissipare, et quomodo lutum in plateis ingredientes se (5) prope calcasse non sentiunt : ita pœnæ illi inferni facile est impios delere atque dispergere, quos peccatorum ratio et in lutum solverit, et comminuerit in pulverem, non relicta neque substantia firmitatis, cum pulvis et lutum sint; et per id quod pulvis et lutum sunt, in naturam tantum pœnalis substantiæ reservati.

15. *Impii resurgent, sed non in judicium.* — Et quia

(1) *Præteribunt* heic, et paulo post, pro *transibunt.*
(2) *Mutilentur.*
(3) *Prosperabuntur* hic et infra.
(4) *Absorbuerit.*
(5) Abest *prope.*

(*a*) In vulgatis, *dimensi.* In duobus mss. Vatic. *demensi* : ex quibus restituendum duximus, *demessi.*

(*b*) Editi, *aquæ vivæ*, dissidentibus mss. et sacro textu.

(*c*) Erasmus ex conjectura ad marginem adscripsit, *ad comparationem non inutilia sint :* quod a Lipsio arreptum deinceps obtinuit, citra Hilarii sententiam; qua vult, quantum assequimur, spiritalia in Scripturis ita corporalibus adumbrari, ut hæc ad corpora nonnisi inepte referri queant, quia nimirum aliquid desit, quod necessarium sit ut corporibus vere aptari possint. Hoc confirmare licet ex capite 21 in Matth., n. 13, ubi monet S. Doctor rerum sensibilium atque præsentium rationi aliquid interdum ea conditione deesse, ut nos ad rerum spiritalium ac futurarum intelligentiam sine ullo earum damno promoveant. Quocirca, mutilam licet, lectionem ms. Miciacensis præferimus, faventibus tribus Vatic. in quibus *ad corporata non mutilentur*, ut et apud Bad. et in Erasmi textu *ad corporata non mutilent.* Si quid de nostro liceret adjicere, sic restitueremus : *Tamen, ut ad corpora, non mutila sint*, seu, *tamen relate ad corpora ita mutila sint, ut relate ad spiritalia non sint mutila.* Porro *mutilare* Donato, id est quod *detrahere aliquid sine quo res esse non possit.* Et Tullio in Orat. *mutila et hiantia* synonyma sunt.

(*d*) In uno ms. Vatic. *ex se viventibus.*

(*e*) In mss. *prosperabuntur;* quod et infra habet Miciacensis codex pro *prospere dirigentur.*

(*f*) Bad. Er. Lips. cum ms. Mic. *vagum eos* : male. Beatorum ossa seu corpora cum ossibus impiorum hic comparantur.

per hanc demutationem obtritæ in pulverem firmitatis, non erunt ejus boni participes, quod beato viro ex fructu ligni dabitur in tempore; ideo consequenter adjecit, VERS. 5 : *Propterea non resurgent impii in judicium.* Non abolitio his, qui utique pulvis erunt, per id quod (1) non resurgunt denuntiatur; sed resurrectio his (2) in judicium denegatur. Non enim per id quod non erunt, sensu pœnæ carebunt : quia lucri pœnam faciet, quod non subsistet ad pœnam. Subsistent autem (*a*) quia erunt pulvis. Pulverem vero effici vel aridate, vel attritu, non est subsistendi amisisse naturam, sed in naturam alteram substisse. Per id autem, quod in judicium non resurgent, absolutum est non resurgendi eos caruisse natura, sed resurgendi in judicium perdidisse ordinem. Qui autem resurrectionis et judicii ordo intelligendus sit, Dominus in Evangeliis ostendit dicens : *Qui credit in me, non judicatur : qui autem non credit, jam judicatus est. Hoc est autem judicium, quia lux venit in hunc mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lumen* (*Joan.* III, 18 *et* 19).

16. *Si neque fideles, neque infideles, qui igitur judicandi.* — Negligentiam audientium (3), et incuriosam legentium facilitatem dicti dominici **28** sermo perturbat. Cum enim dicit : *Qui credit in me non judicabitur;* exemit judicio fideles : et cum subjecit : *Qui autem non credit, jam judicatus est;* non admisit ad judicium infideles. Ergo si credentes exemit, et repulit infideles, nec in hos nec in illos judicii sorte permissa; quomodo convenire sibi (4) in hoc, quod tertium ait, existimabitur : *Hoc est autem judicium, quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem?* Non enim potest (*b*) locus relictus esse judicio; cum neque infideles, neque fideles sint judicandi. Et hæc quidem ita esse auditoribus negligentibus et lectoribus incuriosis videbuntur : cæterum in se virtus ipsa verborum proprietatem dicti et intelligentiam continet.

17. *Qui scil. inter pios impiosque medii.* — Qui credit, inquit, non judicabitur. Quid enim necesse est judicare credentem? judicium enim ex ambiguis rebus exsistit, et ambiguitate adempta, judicii non desideratur examen. Ex quo ne infideles quidem necesse est judicari; quia ambiguitas quin (*alias* cum) infideles sint, non resedit. Sed adempto in credentes non credentesque judicio, causam Dominus judicii et auctores in quos judicari necesse esse adjecit. Sunt enim aliqui inter impios piosque qui medii sint, ex utroque admixti, neutri tamen proprie, quia in id ipsum constiterint ex utroque : nec fidei admiscendi, quia sit illis aliquid (*c*) infidelitatis insertum; nec infidelitati deputandi, quia aliquid habeant et fidei. Plures namque Dei metus in Ecclesia continet : sed eosdem tamen ad sæcularia vitia sæculi blandimenta sollicitant. Orant, quia timent; peccant, quia volunt. Christianos se nuncupant, quia bona est spes æternitatis : gentilia agunt, quia blanda præsentia sunt. Impii non manent, quia his Dei nomen in honore est : pii non sunt, quia quæ pietati sunt aliena sectantur. Et necesse est ea magis diligant, per quæ id quod se nuncupant esse non possunt; secundum nuncupationis voluntatem, operum voluntate potiore. Et idcirco Dominus postea quam credentes non judicandos, et non credentes jam judicatos esse dixerat, addidit : *Hoc est autem judicium, quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lumen.* In eos ergo judicium est, quod jam et in incredulos actum est, et in credentes non necessarium est : quia magis tenebras quam lumen dilexerint; non quod non dilexerint et lumen, sed quod dilectio illis fuerit magis propensa tenebrarum. **29** Præferri enim solet dilectioni ex comparatione dilectio : et hinc judicium est, quia cum dilexerint Christum, magis tamen tenebras dilexerunt. Hi ergo judicabuntur, qui neque ut pii non judicabuntur, neque jam fuerint ut impii judicati, in quos ex prælata potius dilectione (5) judicium.

18. *Impii non judicabuntur, sed peccatores.* — Hujus quidem evangelicæ dispositionis tenuit et propheta rationem, dicens : *Propterea non resurgent impii in judicio, neque peccatores in consilio justorum.* Impiis judicium, quia jam judicati sunt, non relinquit : peccatoribus autem, quos superiori sermone discerni ab impiis docuimus, consilium justorum, quia judicandi sint, denegavit. Illos enim præjudicatos impietas facit, hos vero peccatum detinet judicandos. Itaque neque impietas, quæ jam judicata est, peccatorum est permissa judicio : neque peccatores qui judicandi sunt, justorum qui non judicabuntur, meriti sunt digni esse consilio.

19. *Quomodo Deus cognoscat, aut ignoret.* — Et hujus differentiæ hinc ordo proficiscitur. VERS. 6. *Quia cognoscit,* inquit, *Dominus viam justorum, et via impiorum peribit.* Consilium justorum peccatores idcirco non adeunt, quia viam justorum Dominus cognoscit. Cognoscit autem non ignorationis scientia (*d*), sed dignatione noscendi. Neque enim hæc in Deo passionum humanarum demutatio est, ut aliquid aut cognoscat, aut nesciat. Beatus Apostolus Paulus qua ratione a Deo cognosceremur exposuit, dicens : *Si quis est in vobis propheta aut spiritalis, cognoscat quæ scribo*

(1) *Non resurgent.*
(2) Heic et in sequentibus cum resurgendi verbo *in judicio* adjungit ms. Veronensis.
(3) *Negligentem audientiam, et incuriosam negligentium facilitatem.*
(4) Omittitur *in.*
(5) *Judicium est. Et hujus quidem.*

(*a*) Editi, *qui erunt.* Expressius duo mss. *quia erunt.* Paulo ante *lucri pœnam faciet,* perinde est ac, *lucrifaciet pœnam* : seu evadet pœnam, quo eodem sensu Plinius dixit, *lucrifacere injuriam.*

(*b*) Apud Par. *videri locus esse judicio.* In aliis editis, *videri locus esse relictus judicio.* Quæ de judicio Hilarii sententia sit, disputatum est in Præfatione.

(*c*) Lips. et Par. *infirmitatis,* repugnantibus aliis libris.

(*d*) Seu, quæ ignorationem præcessisse ponat. Vid. lib. IX de Trin., n. 62.

vobis, quia Domini sunt : si quis autem non cognoscit, non cognoscetur (I *Cor.* XIV. 38 et 39). Eos ergo cognosci a Deo ostendit, qui quæ Dei sunt cognoverint : tum cognoscendi, cum cognoverint ; dignationem scilicet cognitionis per meritum religionis cognitæ consequentes : ut quod cognoscitur, non ignorantis profectus intelligatur esse, sed cogniti. Absolute autem Dominus ostendit in Adam atque Abraham peccatores se ignorare, cognoscere autem fideles. Namque Adæ post peccatum dictum est : *Ubi es, Adam* (*Gen.* III, 9)? non quod Deus, quem adhuc in paradiso habebat, in paradiso esse nesciret ; sed quod dum ubi sit interrogatur, indignus cognitione Dei per id quod peccavit, ostenditur. Abraham autem diu ignoratus, scilicet ad quem septuagenarium Dei jam fuit sermo, cum se per oblationem Isaac fidelem Domino probasset, tali in divinam familiaritatem dignatione suscipitur : *Nunc cognovi quia times Dominum Deum tuum, et* 30 *non pepercisti filio tuo dilecto propter me* (*Gen.* XXII, 12). Non ignorabat utique Abrahæ fidem, quam ei de generando Isaac credenti et ad justitiam deputaverat : sed quia magnum timoris sui dederat filium offerendo documentum, nunc cognoscitur, nunc probatur, nunc dignus est qui non ignoretur. Sic itaque Deus et agnoscit, et nescit ; cum Adam peccator nescitur, et Abraham fidelis agnoscitur, dignus scilicet qui a Deo nihil utique ignorante noscatur. Cognita ergo est Deo justorum non judicandorum via : et idcirco peccatores qui judicandi sunt, ab eorum consilio submoventur. Impii autem in judicium non resurgent, cum deperdita eorum via, jam fuerint judicati per eum, qui ait : *Pater non judicat quemquam* (*Joan.* V. 22), sed omne judicium dedit Filio, Domino nostro Jesu Christo, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS II.

Sine titulo apud Hebræos.

Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania? Adstiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum, adversus Dominum et adversus Christum ejus. Disrumpamus vincula eorum, et abjiciamus a nobis jugum ipsorum. Qui habitat in cœlis, irridebit eos, et Dominus subsannabit eos. Tunc loquetur ad eos in ira sua, et (a) *in furore conturbabit eos. Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus,* (b) *prædicans præceptum ejus. Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula* (c) *a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea, et tanquam vas figuli confringes eos. Et nunc reges intelligite, erudimini qui judicatis terram. Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, ne forte irascatur Dominus, et pereatis de via justa. Cum exarserit in brevi ira ejus, beati omnes qui confidunt in eo.*

TRACTATUS PSALMI II.

31 Plures nostrum ambiguos facit apostolica auctoritas, utrum psalmum hunc cohærentem primo, et veluti primi (*d*) extimum putent esse : an vero subjacentem et secundum potius connumerent. Namque in Actis Apostolorum primum hunc haberi atque esse, sub oratione beati Pauli ita docemur : *Nosque vobis evangelizamus eam quæ ad patres facta est repromissio : hanc Deus explevit filiis* (1) *vestris, suscitans Dominum nostrum Jesum, sicut in* (*e*) *psalmo primo scriptum est, Filius meus es tu, ego hodie genui te, cum suscitavit eum a mortuis amplius non regressurum in interitum.* Ob hanc ergo apostolicam auctoritatem errore scribentium fieri creditur, ut in ordine secundus psalmus iste numeretur, cum primus esse ipso doctore gentium testante noscatur. Cognoscenda itaque ea ratio est, cur et a nobis secundus esse intelligendus sit, et ab Apostolo esse primus ostensus sit.

2. Mediis namque legis temporibus (*f*), priusquam unigenitus Dei Filius, ante sæcula manens Deus Verbum, homo nasceretur, poscente rege Ptolemæo septuaginta seniores libros Veteris Testamenti ex hebraïs litteris in græcas transtulerunt. Erat autem jam a Moyse antea institutum, in synagoga omni septuaginta esse doctores. Nam idem Moyses, quamvis Veteris Testamenti (*g*) verba in litteris condidisset, tamen separatim quædam ex occultis legis secretiora mysteria **32** septuaginta senioribus, qui doctores deinceps manerent, intimaverat. Cujus doctrinæ etiam Dominus in Evangeliis meminit, dicens : *Super cathedram Moysi*, inquit, *sederunt Scribæ et Pharisæi : omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate et facite ; secundum vero facta eorum nolite facere.* Doctrina ergo horum (*h*) mansit in posterum quæ ab ipso scriptore legis accepta, in hoc seniorum et numero et officio conservata est. Hi itaque seniores libros hos transferentes, et spiritalem secundum Moysi traditionem occultarum cognitionum scientiam adepti, ambigua

(1) *Nostris.*

(*a*) Hilarius, *indignatione sua.*
(*b*) Hil. *annuntians.*
(*c*) Hilarius, *Posce.*
(*d*) Ita mss. potiores. At editi, *extremum.* Georgius, qui et quandoque Gennadius appellatur, apud Corderium in Catena Patr. Græc. *Duo*, inquit, *nacti exemplaria hebraica, in altero quidem reperimus hoc esse secundi psalmi principium ; in altero vero hoc esse conjunctum cum primo. Cæterum haud ignorandum est, in nullo hebraico exemplari Psalmorum numerum adjunctum esse.* Paraphrastes vero apud eumdem Corderium : *Sciendum apud Hebræos primum et secundum psalmum non esse distinctos, sed conjunctos.* Huic consentit vulgatus Hieronymus in psal. I. Sic utrumque una serie, velut unum psalmum, describit atque inserit Justinus Martyr in Apologia II. Qui nunc secundus est, psalmus primus appellatur a Petiliano apud August. l. II, c. 92, n. 202.
(*e*) In nonnullis exemplaribus græcis legere est τῷ πρώτῳ, in aliis τῷ δευτέρῳ. Legere τῷ πρώτῳ post Hilarium vulgatus Hieronymus in II psalmum, Œcumenius in Acta, Beda, etc.
(*f*) Annos circiter 300 ante Christum.
(*g*) Ms. Mic. *Verba Testamenti in litteras condidisset.*
(*h*) Verbum *mansit* a Lipsio expunctum, restituimus ex Bad. Er. et mss.

linguæ hebraicæ dicta et varia quædam ex se nuntiantia, secundum virtutes rerum certis et propriis verborum significationibus transtulerunt, (*a*) doctrinæ scientia multimodam illam sermonum intelligentiam temperantes. Et ex eo fit, qui postea transtulerunt, diversis modis interpretantes, magnum gentibus attulerint errorem : dum occultæ illius et a Moyse profectæ traditionis ignari, ea quæ ambigue lingua hebræa commemorata sunt, incerti suis ipsi judiciis ediderunt. Ambiguitatis autem linguæ hebraicæ unum afferemus exemplum, ex quo cætera istius modi esse, atque ita ut sunt, intelligantur. *Bresith* verbum hebraicum est. Id tres significantias in se habet, id est, *in principio*, et *in capite*, et (*b*) *in filio*. Sed translatores septuaginta *in principio* ediderunt, cæteris diverse transferentibus : et secundum hanc ambiguitatem hæc ab illis in omni translatione est facta confusio.

5. LXX *interpretum auctoritas.* — Sed perfecta horum septuaginta interpretum (*c*) auctoritas manet. Primum, quod 33 ante adventum corporalem Domini transtulerunt, nec adulatio interpretandi adhibita tempori arguitur, tanto interiore interpretationis

A ætate ; dehinc quod illi ipsi principes doctoresque synagogæ, et præter scientiam legis per Moysen quoque doctrina secretiori perfecti, non potuerunt non probabiles esse arbitri interpretandi, qui certissimi et gravissimi erant auctores docendi. Hi ergo psalmos inter cæteros libros transferentes, et in numerum redegerunt, et in ordinem collocaverunt, et diapsalmis distinxerunt, qui omnes secundum Hebræos confusi et habebantur et habentur. Horum igitur translationes Hebræis tum lingua tantum sua utentibus non erant necessariæ. Ipsis tamen omnibus diligenti et religiosa custodia observatis (*d*), quibus postea quam Dominus legem omnem sacramento et corporationis suæ et passionis et resurrectionis impleverat, cum his libris quos regi iidem translatores ediderant collatis, et fi-

B deliter (*e*) consonantibus compertis, indissolubilis constituta est privilegio doctrinæ et ætatis auctoritas.

4. *Cur Paulus* primum *hunc appellarit.* — Beatus ergo apostolus Paulus, secundum professionem suam hebræus ex Hebræis etiam secundum hebraicam (*f*) cognitionem et fidem psalmum hunc primum esse dixit, translatorum distinctione non usus : cui maximum hoc prædicandi ad synagogæ principes studium erat, ut Do-

(1) *Constitutionem.*

(*a*) In uno ms. *doctrinæ scientiam multimoda illa sermonum intelligentia temperantes* : minus eleganter. Huc spectat illud in Psal. CXLII, n. 1 : *Eis autem legis ac propheturum scientia ultra præscriptum et ambiguitatem litteræ fuit.* Hanc ipsorum scientiam, quam noster Hilarius traditioni, alii prophetico spiritui tribuunt : ut dicere non dubitet Augustinus lib. II, de consensu Evang. c. 66 : *Septuaginta eo spiritu interpretatos, quo illa quæ interpretabantur dicta fuerant;* et quidem ut habet Quæst. 169, in Gen. *non interpretationis servitute, sed prophetiæ auctoritate. Merito enim*, inquit, l. XV, de Civ. Dei, c. 23, n. 3, *creduntur* LXX *interpretes accepisse propheticum spiritum ut si quid ejus auctoritate mutarent, atque aliter quam erat quod interpretabantur dicerent, neque hoc divinitus dictum esse dubitaretur.* His suffragatur etiam Hieronymus, a quo præfat. in lib. Paralip. iidem asseruntur *Spiritu sancto pleni.*

(*b*) Hunc Hilarii locum notasse videtur Hieronymus, Quæst. hebr. in Genesim dicens : *Plerique existimant, sicut in altercatione Jasonis et Papisci scriptum est, et Tertullianus in lib. contra Praxeam disputat, necnon Hilarius in expositione cujusdam psalmi affirmat, in hebræo haberi,* IN FILIO *fecit Deus cœlum et terram ; quod falsum esse ipsius rei veritas comprobat : nam et* LXX *interpretes et Symmachus et Theodotion, in principio transtulerunt, et in hebræo scriptum est, Beresith, quod Aquila interpretatur, in capitulo, et non Beben, quod interpretatur, in Filio. Magis itaque secundum sensum, quam secundum verbi translationem, de Christo est.* Ita tamen in hebræo haberi, *in Filio*, affirmat Hilarius, ut huic interpretationi neque adhæreat ipse, neque adhærendum putet. De Tertulliano obiter observamus, eam in ipsius libro contra Praxeam nusquam reperiri, sed hoc dumtaxat num. 5, de Praxeæ sectariis : *Aiunt quidem et Genesim in hebræo ita incipere : In principio Deus fecit sibi Filium : hoc ut firmum non sit, alia me argumenta deducunt.* Quamquam hunc Tertulliani locum ex Hieronymo emendandum esse facile concedamus. Ipse vero Tertullianus legere solet, *in primordio;* et l. cont. Hermogen., n. 20, juxta vim vocis græcæ permittit ut legatur, *in principatu et potestate.*

(*c*) E regione vocabuli hujus Erasmus adscripsit : *Aliter sentit Hieronymus.* Ex ipsa tamen Hieronymi confessione epist. CI, ad Pammach. editio LXX, *vires obtinuit in Ecclesiis, vel quia prima et ante Christi adventum, vel quia ab apostolis usurpata.* Ejus quoque auctoritatem plurimum commendat Irenæus, lib. III, c. 24, quod prodierit *ab ipsis Judæis multum ante tempora adventus Domini nostri, ut nulla relinquatur suspicio ne morem nobis gerentes Judæi hæc ita interpretati sint.* Hanc pariter plurimi facit Chrysostomus, hom. V, in Matth. quod tot ac pariter ad interpretandum ante Dominici adventus tempora accedentes ab omni suspicione vindicentur. Et ut Hieronymi verbis notulam hanc claudamus, non alio sane respexerit, cum præfat. in 4 Evangelia ait : *Post septuaginta nihil in sacris litteris potest immutari vel perverti, quin eorum translatione omnis fraus et dolus patefiat.*

(*d*) Non satis prudenter rursum hic Erasmus : *Fabula de cellulis septuaginta :* cum nullum fiat verbum de cellulis. Verum etiamsi hic nonnihil desit, quod ex penuria mss. resarcire nobis non licuit : ex subjectis tamen evidenter colligitur, hæc de sacris litteris interpretanda esse, quæ ante Christi dispensationem scriptæ, diligenti deinde ac religiosa custodia conservatæ, et post ejusdem resurrectionem cum LXX interpretum editione collatæ fuerint, eisque consonantes repertæ. Quem porro intelligemus textum illum cum editione LXX collatum, nisi hebraicum? maxime cum hoc Hilarius adnitatur ostendere, Paulo apud Gentiles suos licuisse scripturam juxta hebræum textum laudare, etiamsi ipse cæterique apostoli alias juxta editionem LXX, eam in medium proferre soleant. Unde hic locus maxime favet hebraico textui, cui una cum editione LXX, propter prærogativam doctrinæ et ætatis concedit Hilarius indissolubilem auctoritatem.

(*e*) Lips. et Par. *consonare :* renitentibus Bad. Er. et mss. Si autem, ut superiori nota ostendimus, de hebræo textu atque LXX sermo est, intelligenda est hæc consensio in præcipuis fidei nostræ mysteriis. In aliis enim minoris momenti rebus textum utrumque inter se distare, ex fide eorum qui hebræam linguam callerent, observat Augustinus, Quæst. 169, in Gen. ac l. II, de Consensu Evang. c. 66, et nemo est qui neget.

minum nostrum Jesum Christum Dei filium, natum, passum, resurgentem, regnare in æternum ex doctrina legis ostenderet. Tenuit itaque hunc modum, ut Hebræus ipse et Hebræis prædicans Hebræorum consuetudine uteretur. Sed nobis translatorum utendum auctoritate est, legem non ambiguitate litteræ, sed doctrinæ scientia transferendo.

5. *Quos, quando, quatenus spectet hic psalmus.* — Præstat autem nunc absolutissimam intelligentiam personæ, temporis, causæ, apostolica auctoritas. Nam quid in libro Actorum suorum de hoc eodem psalmo iidem Apostoli senserint, verbis ipsorum loquemur. Scriptum namque est (*Act.* IV, 24, *etc.*): *Et ipsis dicentibus, Domine, tu es qui fecisti cœlum et terram et mare et omnia quæ in illis sunt, qui per os patris nostri David sancti pueri tui dixisti*, VERS. 1, 2 : Quare fremuerunt **34** gentes, et populi meditati sunt inania ? Adstiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum (1) adversus Dominum et adversus Christum ejus. *Convenerunt enim in veritate in civitate ista adversus sanctum tuum filium* (*a*) *Jesum, quem unxisti, Herodes et Pontius Pilatus, et populus Israel, facere quanta manus tua et consilium præscripsit fieri. Et nunc, Domine, respice in minas illorum, et da servis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum.* Non ergo ambiguum est, quid tanto anteriore tempore prophetiæ psalmus ostenderit. Nam permixti (*Al.* permixtim) tum sibi in Herode atque Pilato gentes frementes et populi vana meditantes, in unum cum ipsis suis principibus et regibus adstiterunt. Communi enim et prætoris (*b*) et tetrarchæ judicio in Dominum confirmata damnationis est passio.

6. *Gentes frementes.* — Et quidem diligenter secundum propheticam scientiam, unicuique generi et nomini singulorum quorumque verborum est proprietas coaptata : ut gentes fremuerint, imperito scilicet motu inconditoque commotæ, Dei filium in corpore cernentes et audientes (2). Quæ usque adeo fremuerunt, ut corona spinea compunxerint, veste regia indutum salutatione atque honore regis illuserint, arundine caput contuderint, aceto ac felle potaverint, lancea latus foderint. Cohors enim militum Pilato subditorum ex fremitu iræ intemperantis hæc gessit.

7. *Populi* autem *inania meditati sunt* : id est, inani in doctrinis Dei meditatione versati, cum per meditationem legis non intellexerunt, qui prædicabatur in lege. Jam enim tum non tantun ex illa secundum carnem Abrahæ generatione synagogæ populus abundabat ; sed ex multis populis, in uno Israel populi nomine, multorum populorum diversitas continebatur. Et hoc in Actorum libro (II, 5) ita scribitur : *Erant autem in Jerusalem habitantes Judæi, viri timentes Dominum, ab omni gente quæ sub cœlo est.* Populi itaque isti meditati sunt inania, ex multis populis in unum populum congregati.

8. Reges quoque adstiterunt (3), Pilatus scilicet et Herodes, in quibus reges terræ intelliguntur : et uterque pro legum quibus **35** præerant necessitate, præsentiæ suæ adhibuit officium. Qui autem impio irreligiosoque consilio multis conventibus adversus Dominum tractabant, hi principes conveniunt in unum : frequenter scilicet in domum Caiphæ omnibus sacerdotum principibus congregatis. Denique *reges terræ* cognominati sunt Herodes tetrarcha et Pilatus prætor : quia jure terreni imperii adstiterunt. Cæteri autem qui in unum convenerunt, neque reges terræ sunt, neque principes sacerdotum, quia nec jus regni sui prætori Romano et tetrarchæ obtinebant subditi, neque ultra jam principes sacerdotum cognominari merebantur, quia impii in Deum ac Dominum ipsius sacerdotii exstitissent.

9. *Superiora Pater, subsequentia proferunt Apostoli.* — Et quia non ambiguum est, ex persona Dei patris secundum apostolicam auctoritatem psalmum cœptum esse ; quippe cum dixerint (4), *Qui per os patris nostri David sancti pueri tui dixisti* : idcirco ad intelligendam personæ demutationem ab interpretantibus interjectum *diapsalma* est, licet in libris Hebræorum non contineretur. Persona ergo quæ demutatur, Apostolorum esse intelligenda est, dicentium, VERS. 3 : *Disrumpamus vincula eorum, et abjiciamus* (5) *a nobis jugum ipsorum.* Detestari eos necesse est quod arguunt. Horum ergo qui et fremuerunt, et inania meditati sunt, vincula disrumpunt, et jugum abjiciunt. Et non ambiguum est quin differat jugum abjicere et vincula rumpere ; quod utrumque utrique superius memorato et generi et nomini convenit : ut vincula quidem gentium rumpant, jugum autem populorum abjiciant : quia gentes peccatorum suorum vinculis colligantur, a quibus absolvere se per infidelitatem non possunt, secundum id quod dictum est, *Fasciis peccatorum suorum constrictus est peccator* (*Prov.* V. 22). Judæi vero jugo legis onerantur, quod a se Apostoli abjiciunt, beato Petro dicente : *Nunc vero quid tentatis Dominum, ponere supra collum discipulorum jugum, quod neque patres nostri, neque nos potuimus portare* (*Act.* XV, 10) ? Hoc ergo populorum jugum a se abjiciunt, quia subditi ei fuerunt : vincula autem non sibi, sed gentibus disrumpunt. Et ita utriusque sermonis ratio servata est. Ubi (6) vincula disrumpuntur nullam personæ suæ significantiam addunt : ubi vero abjiciunt jugum, illic dicendo, *Abjiciamus a nobis*, non de aliis quam de semetipsis locuti intelliguntur : ut gravi isto **36** et intolerabili abjecto, suavi illi et levi ad quod invitati sunt, evan-

(1) Ib. *in unum idipsum*, fere juxta LXX, ἐπὶ τὸ αὐτὸ.
(2) In præcedente editione, *odientes.*
(3) Adjungitur *ei.*
(4) *Dixerit.*
(5) *Projiciamus.*
(6) *Ut ubi ;* et cohærenter infra *addant*, et *intelligantur* pro *addunt* et *intelliguntur*.

(*a*) Παῖδα.
(*b*) Lips. et Par. hic et deinceps, *præsidis.* Antiquam sectionem *prætoris* revocamus ex Bad. et mss.

gelicæ sanctificationis se jugo subderent ; gentium autem vincula per libertatem prædicationis abrumperent, secundum illud quod in ejusdem psalmi commemoratione dixerunt : *Et nunc, Domine, respice in minas illorum, et da servis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum* (*Act.* IV, 29). Hæ enim apostolicæ doctrinæ omnium infidelitatum et peccatorum (1) laqueos abrumpunt.

10. *Filii contemptus, contemptus Patris.*—Et quia superius duplex persona servata est, cum ait, *adversus Dominum, et adversus Christum ejus :* gemina quoque nunc ridentis et subsannantis significatio consecuta est. Non enim discernitur contumelia alterius ab altero, neque discretus honor est religionis ad utrumque. Qui enim (*a*) per genuinam patris et filii secundum se legitimamque naturam in gloria divinitatis unum sunt, unum etiam sunt vel in contemptus injuria, vel in honoris reverentia, et alter in altero aut honorificatur, aut spernitur. Atque id ipsum Dominus testatus est dicens, *sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat. Nec enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem. Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum* (*Joan.* V, 21, *etc.*). Non distinguitur honor, non discernitur contumelia : æqua in utrumque religio exspectatur, et injuria unius contemptus utriusque est. Ita cum in uno uterque spernatur ; qui unum sunt in divinitate ambo per gloriam, unum quoque sunt in religione ambo per honorem. Et hinc qui (*b*) *adversus Dominum* convenerunt, convenerunt quoque *adversus Christum ejus :* et quos in cœlo habitans irridet, hos et Dominus subsannat.

11. *Qui Filius cœlo non relicto descenderit.* — Non quod non et Dominus esset semper in cœlo, quippe qui de se ipse testatus sit : *Nemo adscendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo* (*Joan.* III, 13. *Vid. lib.* X. *de Trin. n.* 16). Non abest ergo a cœlo, quia cum de cœlo descenderit, filius hominis manens atque loquens ; est tamen, cum hæc loqueretur, (*c*) in cœlo. Descenderat quidem filius hominis, sed per naturæ virtutem non aberat filius Dei unde descenderat, neque se ex eo quod ante erat, tum cum homo est natus, absumpserat (*d*) ; neque factus filius hominis, filius Dei esse defecerat. Sed adeo A filius hominis, filius Dei est, ut descendens de cœlo 37 filius (*e*) Dei esset, et per virtutem suæ substantiæ (2) idem filius hominis esset in cœlo.

12. *Patris et Filii distinctio.* — Sed volens propheta sub personæ distinctione significare Patrem, qui Filio suo etiam in filio hominis consistente in terris, in illa æterna sua sede ac beata maneret, et sine descensionis (3) (*f*) alicujus dispensatione requiesceret, ait, VERS. 4 : *Qui habitat in cœlis, irridebit eos, et Dominus subsannabit eos :* ut per eum qui irridet habitans in cœlo, intelligeretur et Dominus qui subsannaret e cœlo. Non differt autem subsannare et irridere : utrumque enim secundum voluntatis affectum officio oris efficitur. Namque secundum intelligentiam nostram per corporales species divinarum rerum sensus B exponitur : ut subsannatio et risus in eludendis his, qui adversus Dominum et adversus Christum ejus convenerant, nominaretur ; non quod in incorporalem Deum aut resolutio aut obductio oris incideret, sed ut ex naturæ nostræ consuetudine nosceremus, quali (*g*) in impios esset judicio divinæ voluntatis illusum. Subsannati ergo et irrisi sunt. Nam qui testes falsos concinnaverant, qui proditionem mercati erant, qui super se ac filios suos sanguinem ejus receperant, qui : *Crucifige*, clamaverant, qui : *Descende de cruce, si Filius Dei es*, dixerant, qui sepulcrum obsignaverant, qui resurrectionis silentium a militibus et famam furati corporis emerant, perdiderunt tantum impietatis suæ laborem. Deus est quem cruci affixerant : æternus est cujus sepulcrum obsignaverant. Irridetur im- C pietas, dum ad illicita nititur, dum inconcessa expetit, dum quod obtinuisse se sperat amittit, dum Deum esse quem tamquam hominem condemnat agnoscit.

13. *Perturbationes in Deum non cadunt.*— Ob quod competenter hoc sequitur, VERS. 5. — *Tunc loquetur ad eos in ira sua, et in indignatione sua conturbabit eos.* Postea enim quam resurgente a mortuis Dei filio, in quem mors per speciem corporis quod assumpsit inciderat, temeritas infructuosæ impietatis irrisa est : Deus ad eos quos subsannaverat loquitur, eosque in indignatione conturbat. Ac priusquam quis iste iræ sermo et quæ hæc indignationis perturbatio sit ostendamus, admoneri legentes atque audientes oportet, ne aliquas demutationes passionum perturbationesque motuum cadere in Deum credant. Nihil enim D in æternam illam et perfectam naturam 38 novum

(1) *Peccaminum.* Prudentius in Apoth. *tincta malo peccamine principis Adæ.*

(2) *Filius Dei per virtutis suæ substantiam ;* quæ nominum inversio Hilario solemnis est.

(3) *Discessionis.*

(*a*) Apud Lips. et Par. *ut enim.* Tum apud Bad. et Er. *per geminam.*

(*b*) Mic. ms. *ut nunc qui.*

(*c*) Lips. et Par. *de cœlo descenderat.* Rectius Bad. Er. et mss. *in cœlo :* allusio enim est ad id, *filius hominis qui est in cœlo.* Interpunctio loci hujus in prius vulgatis est prorsus perturbata et confusa.

(*d*) Par. *assumpserat :* mendose. Mox pro *defecerat*, solus Lipsius habet *desierat.*

(*e*) In codice Miciacensi, *filius Dei per virtutis suæ substantiam*, etc. Hoc loco probatur quod in Præfatione asseruimus, voces *virtutis et naturæ*, apud Hilarium, ubi de Christo agitur, ad divinitatem illius referri ; nec scimus an usquam alio referatur *virtus naturæ.*

(*f*) Ms. Mic. *discretionis ;* male. Innuitur enim Pater eo in cœlis requiescere, quod in terras non descenderit ; non descendisse autem, quod nulla in terris dispensatione functus sit.

(*g*) Editi, *quale in impios esset judicium divinæ voluntatis*, omisso apud Bad. et Er. et Lips. verbo *illusum*, vel ut in miss. *inlusum*, ex quo apud Par. *inclusum* mendose confectum erat. Emendantur ex mss, nec spernenda Vaticani codicis lectio, *quali impius esset judicio divinæ voluntatis illusus.*

incidit : neque qui ita est, ut qualis est, talis et semper sit, ne aliquando non idem sit, potest effici aliquid aliud esse quam semper est. Terrenæ istud imperfectæque causæ habent generis ut demutabiles fiant conversione naturæ, cum lætitiam mœror, placabilitatem ira, benevolentiam offensa, æquanimitatem invidia, et securitatem sollicitudo perturbat : summusque per hæc aliud aliquando quam fuimus, cum eam quæ præsens sit, mentis affectionem subrepens per inconstantiam infirmitatemque nostram motus appetitionis alterius inquietet ; et ex eo quod fuimus, in id quod sumus conversio nos repentina demutet. Deus autem beatus atque perfectus profectu non eget, cui nihil deest ; demutatione non novus est qui origine caret. IPSE EST, qui quod est non aliunde est : in sese est, secum est, a se (1) est, suus sibi est, et ipse sibi omnia est, carens omni demutatione novitatis, qui nihil aliud quod in se posset incidere, per id quod ipse sibi totum totus est, reliquit (*a*).

14. *Deus nullius egens cur creata condiderit.* — Ex hujus igitur optima ac benevola beatitudine, per Dominum nostrum Jesum Christum profectæ (*b*) omnes sunt cœlestium et invisibilium creationes, spiritalium et corporalium constitutiones ; non ut profectum sibi aliquem ex his, quibus originem impertiebat, acquireret. Neque enim quisquam eo indiget quod ex se tribuit, aut per id proficit cui ad id quod est auctor est. Exteriora autem sunt quæ afferunt profectum ; quia ea quæ inopiæ medentur aliena sunt. Deus igitur, ex quo omnia sunt, nullo eorum indiget quibus id quod sunt esse largitus est : omnia vero ad profectum eorum quæ gignerentur creavit. Et quia longus erit sermo, si etiam de cœlestibus et invisibilibus inchoetur, ex nobis ipsis, ad quos prophetia psalmi est, tractemus.

15. *Quidquid ab homine petit, non sibi prodest, sed homini.* — Hominem, non quod officio ejus in aliquo egerit, instituit ; sed quia bonus est, participem beatitudinis suæ condidit et rationale animal in usum largiendæ suæ æternitatis vita sensuque perfecit, et hoc ex ipsius dictis absolute intelligitur. Ait enim : *Et nunc Israel, quid Dominus Deus tuus poscit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, et ambules in omnibus viis ejus, et diligas eum, et servias Domino Deo tuo ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et* 39 *ex tota virtute tua, et custodias præcepta Domini Dei, et justificationes ejus, quæ ego præcipio tibi, ut bene sit tibi* (*Deut.* x, 12 *et* 13)? Nullum a nobis, nisi innocentiæ et religionis et fidei obsequium Deus postulat. Amari se a nobis exigit, non utique amoris in se nostri fructum aliquem sui causa ipse percipiens, sed amore ipso nobis potius, qui eum amabimus, profuturo. Nam amari se, sibique nos obsequi, idcirco ut nobis bene sit, expetit (2), ut digni beatitudinis suæ ac bonitatis suæ munere per meritum amoris sui et obsequii judicemur. Bonitatis autem usus, ut splendor solis, ut lumen ignis, ut odor succi, non præbenti proficit, sed utenti. Quod ergo sumus, profectus noster est potius quam ejus qui nos in id quod sumus instituit ; quia Deus bonorum eorum quæ in se sunt æterna non invidens (*Seu*, invidus), in sensum nos atque usum beatæ suæ bonitatis assumit.

16. *Ad merendam beatitudinem eum condidit, adeoque liberum.* — Sed qui perfectus ac bonus est, bonitate in nos ac beatitudine sua non sine ratione ac modo usus est. Nam unicuique nostrum libertatem vitæ sensusque permisit, non necessitatem in alterutrum affigens, ut unumquemque ex natura bonum malumve esse lex cogeret, sed qui nos per benevolentiam utendæ beatitudinis suæ creasset, profectum nobis ad id per meritum vitæ innocentis honestæque constituit. Quid autem honoris hæc præmii bonitatis necessitas mereretur, cum malos non esse vis quædam nobis conserta non sineret ? Voluntati ergo permissa bonitas est ; ut præmium sibi voluntas bonitatis acquireret, et esset nobis æternæ hujus beatitudinis profectus atque usus ex merito, non necessitas indiscreta per legem. Et quamquam nos ad voluntatem bonitatis, id est ad bene honesteque vivendum per spem promerendæ et utendæ suæ bonitatis illiceret, pœnam tamen devitatæ et contemptæ bonitatis adjecit : ut cum libertatem nobis voluntatis ad bonitatem promerendam reliquisset, quia meritum naturæ necessitas non haberet, libertatem ipsam quotidie propositus e contrario pœnæ terror argueret. Atque ita et per rationem æqui atque justi ad meritum præmii permissa libertas est, et per bonitatem Dei vis libertatis metu (3) constitutionis artata est (*c*), ut bene velle meriti spes moneret, malum nolle propositæ ultionis pœna suaderet.

17. *Iræ Dei pœna peccati.* — Itaque his, quibus ex voluntatis libertate 40 malitia magis placuit, ultio constituta ira esse Dei creditur : non quia indemutabilis illa Dei et quieta natura motu impetus turbidi incalescat, sed quod ille qui (*d*) per constitutionem pœnæ maneat in pœna, sentiat sibi auctorem hujus constitutionis iratum. Pœna enim patientis ira esse creditur decernentis. Atque ita irascitur Deus, cum

(1) In anteriori, *ad se*.
(2) *Exspectat, ut digni beatitudinis ac*, etc.

(3) *Jus libertatis metu constitutionis artatum est : ut bene velle merentis spes.*

(*a*) In duobus mss. Vaticanis, *non reliquit*, abundare videtur particula *non*. Forte tamen sic scripsit Hilarius, ut sit hellenismus ei non inusitatus.

(*b*) Editi, *perfectæ*. Rectius mss. *profectæ*.

(*c*) Legendum putabamus, *constitutæ ultionis* : at post *constitutionis*, tantum subaudienda vox *pœnæ*. Aliter mss. Mic. *Jus libertatis metu constitutionis artatum est : ut bene velle merentis spes.*

(*d*) Apud Par. desideratur *qui*. Mox apud Bad. et Er. *maneat in pœnam*. Totum hoc a Lipsio sic depravatum : *quem per constitutionem pœna maneat, pœna sentiat*, etc. Juxta Hilarium Augustinus ep. CXC, n. 10. iram Dei definit. *justam fixamque vindictam*, et commentarius Ruffino adscriptus, *vim qua justissime judicat.*

per pœnæ dolorem iram decreti in se sentiant esse A puniti (*a*) : quæ non per demutationem (1) naturæ in iram ex placabilitate commota est (2), sed ex constitutione pœnæ ira sit puniendis. Hanc autem pœnæ constitutionem, iram nuncupari atque esse, Joannes in Evangelio ostendit, dicens : *Natio viperarum, quis monstravit vobis fugere a futura ira* (*Matth.* III, 7)? Cum enim debitum illis esset ob impietatem suam pœnæ constitutione puniri, iram tamen hanc futuram pœnitentiæ confessione fugiebant. Apostolus quoque iræ hujus ita meminit, dicens : *Quia si cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est; multo magis justificati nunc per sanguinem ejus, liberabimur ab ira per illum : iram videlicet pœnam manentis constitutionis ostendens* (*Rom.* v, 10).

18. *Ira Dei non ex motu repentino.* — Non itaque B ad demutationem Deus mobilis est, neque ad aliud ex alio transferendus : cum certæ ipse constantisque naturæ sit, maneatque ut est, quippe qui dixerit : *Ego sum qui sum, et non demutor* (*Malac.* III, 6). Beata illa et perfecta æternaque virtutis bonitas non patitur conversionem, nec demutatur ex alio in aliud motu accidentis (3) instinctus. Et hoc idem hic sancto Spiritu loquens Propheta testatur, dicens : *Deus judex justus, fortis et magnanimus, numquid irascetur per singulos dies* (*Psal.* VII, 12, *etc.*)? *Nisi conversi fueritis* (4), *gladium suum vibravit* (*b*), *et arcum suum tetendit, et paravit illum : et in eo paravit vasa mortis : sagittas suas arsuris operatus est* : Non ergo ad iram magnanimus demutatur, sed potens judex pœnam decrevit ad culpam. Nam non conver- C tentibus gladium vibravit, et arcum tetendit, et in eo paravit vasa mortis, et sagittas suas arsuris operatus est. Operatus autem est non ad motum repentinæ iræ quæ per cupiditatem ulciscendi subito accensa sit, sed operatus arsuris est, qui per impœnitentem voluntatem ipsi se constituent urendos. Et his qui non converterentur gladius vibratus est, non ex demutatione iræ promendus 41 ad singulos (neque enim qui magnanimus est, per dies singulos irascitur), sed quia judicium decrevit, gladius ejus ex pœnæ constitutione jam promptus est. Ipsa autem pœnalis judicii spiritalia ministeria in gladio, arcu, sagittisque memorantur, (5) quia præparata habentur arsuris. Non ex motu iræ temporariæ præparantur, sed ea ex decreti constitutione, temperatissima Deus bonitatis suæ D æquabilitate moderatus est : non occultam scilicet constitutionis ipsius hujus severitatem et incognitam relinquendo, terroremque ejus denuntiationibus præmonendo, et ipsam illam, constitutam licet, longa tamen (*c*) ad peccati pœnitentiam dilatione remorando.

19. *Ut loquatur in ira Deus.* — Atque ideo postea quam fremuerunt gentes, et adstiterunt reges, postea quam inania meditantes populi in unum convenerunt adversus Dominum Christumque ejus, et postea quam irrisi subsannatique sunt, subjectum est: *Tunc loquetur ad eos in ira sua, et in indignatione sua conturbabit eos.* Qualiter autem loqui semper in ira sua Dominus solitus sit, unum propheticæ doctrinæ gravissimum et maximum afferemus exemplum, Esaïa dicente : *Audite verbum Domini, principes Sodomorum; attendite verbum Domini, populus Gomorrhæ. Quo mihi multitudinem hostiarum vestrarum, dicit Dominus? Plenus sum. Holocausta arietum, et adipem agnorum, et sanguinem taurorum et hircorum nolo; nec si veniatis apparere in conspectu meo, (quis enim exquisivit hæc de manibus vestris?) calcare aulam meam non apponetis. Si afferatis similaginem, vanum est : thymiama abominatio est mihi. Neomenias et sabbata vestra et diem magnum non sustineo. Jejunia et ferias et neomenias vestras et festivitates odit anima mea. Facti enim mihi estis in abundantiam, jam non sustineo peccata vestra. Cum* (*d*) *extenditis* (6) *manus, avertam oculos meos a vobis : et si multiplicetis precem, non exaudiam vos : manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* (*Esa.* I, 10, *et seqq.*). Et hæc quidem atrocia et plena iræ, principes Sodomorum generosam Abrahæ familiam nuncupari, populum Gomorrhæ electum in hæreditatem Israel dici, improbabiles esse hostias, abominabiles solemnitates, pertæsa jejunia (*e*). Avertendi ab conspectu adeuntium oculi, obstruendæ ab auditu precantium aures, quia manus sanguine plenæ sunt : quid hac comminatione gravius est? quid his minis severius? Sed videamus qualiter in ira sua Deus loquatur.

42 20. *Ut dura Dei verba benignitate nunc plena.* — Sequitur enim (postea quam dictum est : *Manus vestræ sanguine plenæ sunt*) : *Lavamini, mundi estote, auferte nequitias ab animis vestris, a conspectu oculorum meorum. Discite bonum facere, exquirite judicium, liberate injuriam accipientem, judicate orphano* (7), *et justificate viduam : et venite, arguamur,*

(1) *Denotationem naturæ.*

(2) Pro *commota est* ms. *commotæ*, naturæ videlicet.

(3) *Accedentis.*

(4) *Convertimini* fere cum psalterio Romano, atque cum præstantissimo Veron. Capituli Psalmorum codice : in utroque enim habetur, *convertamini.*

(5) *Quæ quia præparata habentur arsuris, non ex motu*, etc.

(6) *Cum extendatis manus vestras*, juxta Hebraicum.

(7) *Pupillo.* Mox *disputemus*, Græce διελεγχθῶμεν.

(*a*) *Hoc est*, qui puniuntur.

(*b*) Sic legendum constat ex subjectis, non *vibrabit*, ut in vulgatis.

(*c*) In uno ms. *longanimitatem ad*, etc. corrupte. Porro ex hac pœna dilatione Deus in puniendo et misericors et justus ostenditur in Psal. CXLIV n. 9, ut pote *tenens justitiam in pœna, post misericordiam non proficiente patientia ; habens misericordiam in pœna, post patientiam exserendo justitiam.*

(*d*) Ita mss. At bad. Er. et Lips. *et si extendatis.* Græc. ὅταν ἐκτείνητε.

(*e*) In uno ms. *spreta jejunia.*

dicit Dominus. Et si fuerint delicta vestra ut phœnicium, ut nivem dealbabo : si autem fuerint ut coccum, ut lanam candidam efficiam. Et si volueritis et audieritis me, quæ bona sunt terræ manducabitis : quod si nolueritis, neque audieritis me, gladius vos comedet. Os enim Domini locutum est (1). *Sequitur terrorem benignitas.* Et quibus jam ultio criminis debita est, his adhuc superest pœnitentis conscientiæ beata confessio. Non enim statim Deus in ira sua perimit, sed loquitur, et dissimulata adhuc pœna tantum in indignatione perturbat. Qui enim ut coccum et phœnicium erant, redundanti in manus sanguine decolores, in nivem albescent, eruntque veste beati velleris candidati. Et hæc quidem ex auctoritate Testamenti veteris præsumpta sint : videamus an etiam in novo Dei ira talis esse intelligatur, ut salvet.

21. Namque Joannes eos, quos esse nationem viperarum ob malitiam paternæ in se impietatis exprobrat, ita ad salutem monet : *Facite dignum fructum pœnitentiæ* (*Matth.* III, 9). Et rursum ipse Dominus : *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego vos reficiam* (*Matth.* XI, 28). Frementibus autem adversus se, et non tantum in passione, sed etiam post passionem, non dico in unum convenientibus, sed persecutionem Ecclesiæ, apostolorum fugam, cædem martyrum spirantibus, Deus sic loquitur iratus : *Saule, Saule, quid me persequeris? Ait autem : Quis es, Domine? Dominus vero : Ego sum Jesus Nazarenus* (2), *quem tu persequeris. At ille tremens et pavens in eo quod sibi acciderat, dixit : Domine, quid me vis facere?* Sic loquitur iratus, sic in indignatione conturbat, cum quibus ob meritum impietatis pœna decreta est, ipsis per admonitionem desinendi, metus et terror affertur.

22. *Qui salubriter conturbet.* — Sed ne ipsam quidem principalem et maximam loquendi in ira et in indignatione, conturbandi prædicationem prætermisit propheta. Namque, post id quod ait : *Tunc loquetur ad eos in ira sua, et in furore suo conturbabit eos*, ut ostenderet qui ille iræ sermo esset, et quæ ex eo conturbatio gigneretur, adjecit, VERS 6-9 : *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, annuntians* 43 *præceptum ejus. Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te. Posce a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea, et tanquam vas figuli confringes eos.* Iratus loquens atque in indignatione perturbans, et irascendi modum temperat et loquendi. Nam neque iram dissimulat potestate prælata, neque a bonitate sua excedit terrore præmisso; ut ab impietate (*a*) nos metus ejus, cujus (3) potestatem demonstrat, revocaret. Conturbantur ergo frementes et vana meditantes, cum regem sciunt, cum filium Dei audiunt, cum possessorem eum finium terræ, et hæredem esse gentium discunt, cum regendi jus in virga ferrea ejus esse cognoscunt, cum modo ac facilitate vasis figuli comminuendos populos intelligunt. Sic loquitur iratus, sic conturbat indignans, non puniens admissam impietatem, sed impœnitentem ad pœnitentiæ confessionem commemoratæ potestatis terrore perturbans.

23. *Superiora de Christo dicta esse.* — Quamquam vero per spiritum prophetiæ, pro gerendis gesta memorantis (quia solitus sit per non ambiguam providentiam gerendorum Deus futura pro præteritis significare), absolute intelligit possit, omnia hæc ex persona unigeniti filii Dei Domini nostri Jesu Christi dicta esse; et infidelitas maxima sit, trepidum ad hæc sensum ambiguæ opinionis afferre; tamen etiam evangelicis atque apostolicis doctrinis ostendendum est, nihil eorum Prophetam, quæ gerenda prædicandaque essent, non antea prophetasse; maxime cum non exiguus ignorantibus atque simplicibus error oriatur in eo quod dictum est : *Ego* (*b*) *hodie genui te.* Cum enim ante tempora unigenitus Dei filius maneat, nec conveniens, nec consonans esse intelligitur ut in die genitus sit, cum dies omnis in tempore sit. Tempora enim, secundum præscriptam nobis a Moyse cognitionem, in hunc suum motum atque cursum ab origine sæculi et constitutione dimensa sunt, cum per momenta et horas et menses et annum revolubili in se successione discreta sunt : institutumque est tempus ex tempore, quia omnia tempora mutua temporum substitutio et gignit et terminat. Atque ob id dies in tempore est, per quem tempus universum et inchoatum desinit, et desinens inchoatur. Unigenitus vero Dei filius, 44 ut Dei Verbum est, ita et Deus erat Verbum; non cum temporibus est, sed ante tempora; non in aliquo, sed ante omnia est. Erat enim cum tempora facta sunt, quippe qui ea fecerit. Erat ergo semper. Non enim est diffinitus in tempore, non subjectus in numerum; sed per quem est eorum omnium, quæ et sunt et esse dici possunt, origo : ipse ille ex infinitæ æternitatis suæ ortu, ut ab æterno genitus, esse persistit. Ut igitur dicti prophetici, quo ait : *Ego hodie genui te*, ratio possit intelligi, adhibenda nobis est evangelica et apostolica atque prophetica auctoritas : ut vel prophetam de apostolo, vel apostolum de propheta

(1) *locutum est hæc.* Item cum LXX.
(2) *Nazaræus.*

(3) *Cujus potestas esset demonstrata, revocaret.*

(*a*) Editi, *ut ad pietatem.* Tum Bad. Er. et Lips. *nos metus ejus cujus potestas esset demonstrata.* Concinnius mss. *ut ab impietate*, etc., cum etiam ex Hilario supra in Ps. I, n. 6. timori non tam conveniat animum ad pietatem ferre, quam referre ab impietate.

(*b*) Hæc verba de temporaria Christi nativitate cum Hilario interpretantur vulgatus Hieronymus, Euthymius, Theodoretus, qui et neminem se aliter sentientem vidisse satis innuit, ubi ait : *Hanc vocem nemo qui Spiritus sancti doctrinæ credat, divinitati Domini Christi applicabit.* Rufini tamen Commentarius ex Augustino, Hodie, inquit, *quia presentiam significat, atque in æternitate nec præteritum nec futurum est, sed præsens, divinitus accipitur.* Cui interpretationi favet Paulus Hebr. I. Suam autem sumit Hilarius noster ex Actis.

intelligamus. Tenendus autem idem evangelicorum dictorum ordo, qui psalmi est.

24. *Christum regem esse.*—Nam id primum est: *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus.* Et nescio cui Christum regem esse ambigere sit tutum, latrone hoc ipso (*a*) in crucis passione confitente, *Memento mei, Domine, cum veneris in regnum tuum* (*Luc.* XXIII, 42). Sed non sufficit confessio latronis, regem esse profitentis. Testantur etiam adoraturi Magi, cum interrogant: *Ubi est qui natus est rex Judæorum* (*Matth.* II, 2)? Testatur et Pilatus interrogans: *Tu es rex Judæorum* (*Matth.* XXVII, 11)? Profitetur et Dominus respondens: *Tu dixisti* (*Ibidem*). Non negat interrogatus, nec gloriatur humiliandus ad mortem. Cum non sit nisi ex responsione confessio, ita (1) neque se protulit professionis auctorem; neque interroganti (*b*) cognitionis veritatem invidit.

25. *Filium Dei esse deum et hominem.*—Sed non sufficit respondisse quod rex sit, audiamus etiam illud, et qui sit iste qui rex est. Princeps namque sacerdotum etiam cum sacramento interrogat, dicens: *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus filius Dei* (*Matth.* XXVI, 63). Et dicit illis Jesus: *Tu dixisti.* Interrogatio nunc quoque non improbatur, sed et jactantia et gloriatio spontaneæ professionis effugitur; quæsita tamen veritas non negatur. Ac sic verecundia humilitatis et veritatis confessio temperantur, ut sit et in responsione officium, et in interrogatione cognitio. Sed exspectandum est, qui tandem sit responsionis hujus profectus, quod Christus filius Dei est, nempe quod sequitur ad id quod dictum est, *Tu dixisti: Verum dico vobis, a modo videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli* (*Ibid.* 64). Qui 45 filius hominis est, idem et filius Dei est: natura generositatis in filii hominis assumptione non deperit. Nam non idcirco non Dei filius, quia et hominis est filius. Non enim (*c*) cum divinitatis decessione fit humilitatis accessio: nec per consortium infirmitatis contumeliam virtus excepit; quippe cum infirmitas honore sit donata virtutis. Nam hominis filius a dextris Dei assidet, veniens cum cœli nubibus contuendus. Quo dicto prophetia consummatur illa quæ dixit: *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (*Psal.* CXI).

26. *Regem cœli esse quid annuntiet.* — Hic ergo rex super Sion montem sanctum Dei constitutus est præceptum Domini annuntians: non super illum utique perditæ (*al.* terrenæ) civitatis montem, comploratæ scilicet et homicidæ et parricidæ Jerusalem: sed Jerusalem ejus quæ in cœlis est, quæ mater est nostra, quæ civitas regis magni est, cujus, ut existimo (*d*), hodieque incolæ sunt in passione Domini resurgentes (*Matth.* XXVII, 52). Dei itaque præceptum hic rex constitutus annuntiat: ut venturum eum cum cœli nubibus meminissent, adversus quem fremerent et convenirent, ut per cognitionem divini adventus conturbati super contumelia illusæ humilitatis corporeæ pœniterent.

46 27. *Temporaria Christi per carnis gloriam nativitatis invidit.*

(1) Intermittit *ita.* Sequitur: *Neque se prætulit professionis auctorem, neque interroganti cognitionem veritatis invidit.*

(*a*) Aut lege *ipsum*, aut cætera sic intellige: *Latrone ipso in crucis passione hoc confitente.*

(*b*) Bad. Er. Lips. *interrogatæ.* Tum unus ms. *cognitionem veritatis.*

(*c*) In antiquioribus edit. *non enim divinitatis fit decessio cum humilitatis accessione.* Vides hic *virtutis* vocabulum ad divinitatem referri.

(*d*) Hæc spectant resurrectionem corporum quæ proxime post Christi passionem Jerosolymis visa sunt: qua de re non una est veterum sententia. Athanasius (Orat. III cont. Arianos, p. 586) consentit Christum *non solum resurrexisse, sed et veteres mortuos e monumentis excitasse:* an vero resurrectione æterna, an temporaria, tacet. Epiphanius autem etsi (Hær. 64, n. 65) eos solos respiciens, qui vitæ redditi sunt rursum inter homines versaturi, fatetur Christum ideo primitias dormientium dici, quia qui ante eum surrexerint, denuo mortui sunt, tamen (Hær. 75, n. 7) verba ipsius attendentibus prædicat eos qui in Christi passione a mortuis excitati fuerint, in thalamum cum eo ingressos, et nullas in terris habere corporis reliquias; sed terrenam Jerusalem primum ingressos, postmodum cum Salvatore in cœlum ascendente fuisse evectos: in quam opinionem hic propendet Hilarius, eique favent cum Ruffinus in expositione symboli, tum qui apud Tertullianum, ipsis minime assentientem, patriarchas et prophetas in paradisum migrasse volunt, velut *appendices dominicæ resurrectionis.* Eidem sententiæ suffragari videtur Hieronymus, ep. III, dicens: *Post Christum latro in paradiso. Et idcirco in resurrectione ejus multa dormientium corpora surrexerunt, visaque sunt in cœlesti Jerusalem:* Quamvis epistola XVII Paulæ et Eustochii nomine inscripta aliter sentiatur: *Nec statim*, ut ibi habetur, *Jerosolyma cœlestis, sicut plerique ridicule arbitrantur, in hoc loco intelligitur, cum signum nullum esse potuerit apud homines Domini resurgentis, si corpora sanctorum in cœlesti Jerusalem visa sunt.* Hujus opinionis assertores notans Augustinus, epist. CLXIV, n. 9: *Scio*, inquit, *quibusdam videri, morte Domini Christi jam talem resurrectionem præstitam justis, qualis nobis in fine promittitur.* At ille ab eis discedens addit: *Qui utique si non iterum repositis corporibus dormierunt, videndum est quemadmodum intelligatur Christus primogenitus a mortuis, si eum in illa resurrectione præcesserunt.* Præterea, *durum videtur ut David non fuerit in illa resurrectione justorum, si eis jam æterna donata est*, etc., cum tamen nondum resurrexisse eum testetur Petrus (Act. II, 20). Demum, *Periclitabitur etiam illud quod ad Hebræos de antiquis justis dicitur: Quia pro nobis meliora providerunt, ne sine nobis perfecti perficerentur.* Auctor Quæstionum apud Justinum Resp. ad Quæst. 85 mediam quamdam tenet viam: ac 1° quidem concedit eorum de quibus hic sermo est, veram fuisse resurrectionem. Fatetur etiam eos mortem denuo non oppetiisse, sed in immortalitate manere. Negat vero eos conformes corpori claritatis Christi, aut in regno cœlesti esse, sed Enoch et Eliæ similes mutabilitatem futuram exspectare. *Nullinsdum enim*, inquit, *ad immortalem et incorruptibilem vitam facta est resurrectio, præterquam Jesu Christi. Quocirca et primogenitus mortuorum, et primitiæ dormientium est renuntiatus.*

tas.—Tenet autem ordinem prophetiæ evangelica doctrina. Nam in eo ipso dicti utriusque ratio continetur, hujus scilicet dicti : *Ego constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, annuntians præceptum ejus. Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te* (℣ . 6). Cum enim ait : *A modo videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei* (*Matth.* XXVI, 64), tempus quo filius hominis, qui et Christus et Dei filius est (*a*), consessu Dei dignandus esset ostendit : ut quia (*b*) antea Dei filius, tum quoque et hominis filius esset ; et (*c*) id quod tum filius hominis est, ad perfectum Dei filium, id est ad resumendam indulgendamque corpori æternitatis suæ gloriam, per resurrectionis potentiam gigneretur : quam gloriam a Patre corporeus reposcebat. Qui enim in forma Dei erat, formam servi acceperat. Et acceptæ huic formæ servi, gloriam Dei in qua mansit postulat, dicens : *Pater, glorifica* (1) *me apud te ipsum ea claritate quam habui priusquam mundus esset apud te* (*Joan.* XVII, 5). Non nova quærit, non aliena desiderat, esse talis qualis fuerat postulat : sed precatur id se quod antea erat esse, gigni scilicet ad id quod suum fuit. Non erat autem idipsum tunc totus (*d*), quod ut fieret precabatur : fieri autem totus non aliud quam quod fuerat postulabat. Sed 47 cum sit quod fuit (*e*), et quod non erat est futurus : ad id quod fuerat, id quod totum non erat, quodam novi ortus nascebatur (*f*) exordio. Ergo hic resurrectionis suæ ad assumendam gloriam dies est, per quam ad id nascitur, quod ante tempora erat. Sed nascens ad id quod ante tempora fuit, id tamen in tempore nascitur esse quod non erat. Atque ideo filius hominis a modo assidens virtutis dextris est videndus, quia natura carnis post resurrectionem glorificata, ad profectum ejus, quam antea habuerat, claritatis provehebatur : cum hominis filius consessurus Patri, et in immortalitatem corruptione carnis absorpta, et in viventem tunc et non moriturum amplius Dei filium nasceretur.

28. *Qui æterna nativitate primogenitus omnis creaturæ, temporaria fit primogenitus ex mortuis.* — Tenuit autem beatus Apostolus novam hanc in eo temporariæ hujus nativitatis discretam, ab ea quæ ante tempora est generatione, et subdivisam significationem. Nam cum de beata illa et nullis circumscripta temporibus nativitate dixisset : *Primogenitus omnis creaturæ, quia in ipso creata sunt omnia in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia* (*Coloss.* I, 15, 16) : primogenitum quoque etiam ex mortuis in resurrectione commemorat, dicens postea : *Primogenitus ex mortuis, ut fieret ipse in omnibus primatum habens* (*Ibid.* 18). Nascitur enim ad id quod non erat, cum tamen id fieret quod fuisset. Est enim primogenitus ex mortuis, qui erat primogenitus creaturæ : idcirco primogenitus ex mortuis, ut maneret primogenitus creaturæ. Idem enim est primogenitus ex mortuis, qui erat primogenitus creaturæ.

29. *Qui in aliud simul et in idipsum renascatur.*—Non nunc aliud est atque antea fuit (*g*), quamvis etiam aliud ipse fuerit ex alio : sed id quod ex alio etiam aliud fuit, in id ipsum tamen unde antea exstitit, aliud est renatum. Nam qui natus ex virgine homo est, erat et tum filius Dei (*h*) : sed qui filius hominis est, idem erat et Dei filius. Natus 48 autem rursum ex baptismo (*i*), et tum Dei filius : ut et in idipsum, et in aliud nasceretur. Scriptum est autem cum ad-

(1) *Clarifica.*

(*a*) Ita emendamus ; cum prius legeretur, *filius et consessu* : in mss. enim frequens est mutatio verbi *est* in particulam *et*. Mox apud Bad. ut in ms. Mic. *dignus* non *dignandus*.

(*b*) Et hic reposuimus *quia*, pro *qui* : cum littera *a* propter similem litteram sequentem facile exciderit scribenti.

(*c*) Et is hic ut mens Hilarii redderetur, substituendum fuit *et* (quod hic perinde valet ac *etiam*) pro *ut*. Qua mutatione nihil esse in veteribus libris frequentius, norunt qui in iis evolvendis sunt exercitati. Sic loca in quibus Hilarius de Christi post resurrectionem gloria disserit, ut plurimum sunt depravata : quod argumento est, ipsius sententiam singulari quadam ratione expressam numquam satis fuisse intellectam. Quæ causa nos permovit ut eam copiose in Præfat. § 5, explicaremus. Hic autem lectorem admonere sufficiat, quid sit Christum *ad perfectum Dei Filium gigni*, id scil. quod lib. XI de Trin. n. 41, *totum Deum fieri* : non quod Christus per gloriam homo aut filius hominis esse desinat, sed quod desinat esse infirmus, mortalis, etc. in Verbi ac Dei immortalitatem, incorruptionem, potentiamque transiens. Videsis tract. Psal. CXLIII, n. 7, vel etiam memoratum præfationis locum.

(*d*) Quia secundum carnem infirmus erat, humilis, et expers gloriæ : atque ita verbum *totus* hic ad naturas refertur, ut *sit totus Filius Dei Verbum et homo atque, ut expressius dicam, Verbum, anima et caro.* Verba ea sunt Augustini serm. 214, n. 7. Quamquam Ferrandus epist. ad Sever. n. 8, verbum *totus* ad personam, et *totum* refert ad naturas. Unde ait : *Totus Christus apud inferos fuit secundum animam rationalem, sed non totum*, etc. At ab Hilario *totus* ac *totum* ad idipsum promiscue referri suadent quæ præmanibus sunt. Rursum *totus* naturas respicit lib. IX de Trin. n. 38, ubi ait : *totus nunc Filius, homo scilicet et Deus* : spectat vero personam lib. X, n. 28 ubi filium Dei ac filium hominis ideo unum et eumdem esse docet, *quia totus hominis filius totus Dei filius sit.*

(*e*) Puta, gloriosus secundum carnem, *quod fuit* ante secula qua Verbum est. Propter unitatem personæ Christus prædicatur gloriam semper habuisse, et gloria tempore dispensationis caruisse, eam vero recipiendo et id fuisse quod non erat, et id quod erat.

(*f*) Editi, *quodam novo ortu nascebatur. Exordio ergo* : castigantur ex scriptis.

(*g*) *Non nunc aliud est, quam antea fuit*, quia idem Verbum in ea gloria, quam semper habuit nec unquam dimisit, perseverat. *Aliud* tamen *ex alio*, nempe ex forma Servi quæ prius abjecta et in ignominia nunc demum exaltata est et in gloria ; in gloria autem, quam Verbum antea semper habuit, et dispensationis tempore sub carnis involucris quodam modo occultavit ; adeoque *in id ipsum est renatum*, hoc est, in eamdem gloriam, in qua jam persona Verbi exsistebat.

(*h*) Scilicet ante quam nasceretur : qui subinde nova nativitate filio hominis dedit, ut ob unitatem personæ esset Filius Dei.

(*i*) Hoc est, natus autem rursum est ex baptismo

scendisset ex aqua : *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Sed secundum generationem hominis renascentis, tum quoque ipse Deo renascebatur in filium perfectum (*a*), ut hominis filio ita et Dei filio in baptismate comparato.

30. *Ad resurrectionem pertinent hæc, hodie genui te.* — Sed id quod nunc in psalmo est: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, non ad virginis partum, neque ad lavacri generationem, sed ad primogenitum ex mortuis pertinere apostolica auctoritas est. Namque in libro Actuum Apostolorum ita dictum est : *Nosque vobis evangelizamus eam quæ ad patres facta est repromissio. Hanc Deus explevit filiis nostris, suscitans Dominum nostrum Jesum, sicut et in psalmo primo scriptum est : Filius meus es tu, ego hodie genui te, cum suscitavit eum a mortuis, amplius non regressurum in interitum* (*Act.* XIII, *et seq.* etc.). Vox ergo hæc Dei patris secundum Apostolum in die resurrectionis exstitit : et videamus an idipsum et Evangelistæ (1) doceant. Namque Dominus resurgens tali ad apostolos usus est voce : *Data est mihi potestas omnis in cœlo et in terra. Euntes nunc docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII, 18). Resurgens enim, in cœlo et in terra jus omne sortitus est. In eo autem quod ait, data est, poposcisse id quod accepit ostendit.

31. *Gentes, hæreditas Christi.* — Sequitur enim, VERS. 8 : *Posce a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ.* Accepit etiam qui tum Dei Filius exsistebat : *ut et in idipsum nasceretur* ; quia natura erat filius : *et in aliud* ; quia in baptismo id declaratus est esse, quod nondum erat declaratus. Post hæc oritur quæstio non facile solvenda, num in aliquo Matthæi exemplari legerit Hilarius Christo post baptismum dictum esse, *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Non enim hic tantum, sed et lib. VIII de Trin. n. 25, imo in ipsomet Matthæi commentario, c. 2, n. 6, id ipsum legit : cum tamen lib. VI de Trin. n. 23 ; et in psal. CXXXVIII, n. 6, nostris jam exemplaribus consentiens legat, *Hic est Filius meus dilectus, in quo complacui.* Neque vero prior lectio memoriæ lapsui attribui potest : cum eamdem exhibeat Justinus martyr dial. cum Tryph. p. 331 : *Postquam namque*, inquit, *Christus ex amne Jordane, adscendit, voce de eo edita : Filius meus es tu, ego hodie genui te*, etc.

(*a*) Editi, *in filium, profecto.* Rectius mss. *in filium perfectum* ; eo loquendi modo, quo n. 27 filius hominis dictus est per gloriam *ad perfectum Dei Filium* gigni : utquemadmodum ante secula exsistens per nativitatem ex virgine de novo sibi comparavit ut esset filius hominis, ita factus homo per generationem baptismi sibi compararit ut esset seu potius declararetur Filius Dei. Si cui inde suspicio oboriatur, ne forte senserit Hilarius Christum regeneratione eguisse, legat quod habet in Matth. c. III, n. 5, et lib. X de Trin., num. 25.

(*b*) Lips. et Par. *dedicatæ :* corrupte. Hæc de gentium divisione secundum numerum Angelorum opinio nititur his apud LXX verbis : ἔστησεν ὅρια ἐθνῶν κατ' ἀριθμὸν ἀγγέλων θεοῦ. Nec fuit Hilario singularis. Sic quippe legit Origines Homil. 11. in Num. : *Statuit fines gentium secundum numerum angelorum Dei : et unaquæque gens sub illo angelo facta est, una autem et electa gens Israel portio Domini fuit.* Hinc Eusebius l. IV, Dem. evang. c. 7, docet gentes angelorum præfecturæ ac tutelæ fuisse commissas ; Jacob autem, seu eorum genus qui Deum colerent, Christo Dei Verbo. Eo respicit Augustinus Ser. 1 in Psal. 88, n. 3, dicens : *Non clausit Deus fontem bonitatis suæ etiam in alienigenas gentes, quas sub angelis constituerat, portionem sibi faciens populum Israel.* Huc spectat illud Hieronymi in Mich. VI, 2 : *In judicio vel ad angelos crimen referetur, si non egerint cuncta quæ ad suum officium pertinebant ; vel ad populum, si illis universa facientibus, ipsi audire contempserint.* Unde et Chrysostomus in Coloss. Hom. 3 : *Primum secundum numerum gentium erant angeli, nunc autem non secundum numerum gentium, sed secundum numerum fidelium.* Et hæc quidem huc conferenda duximus, quia ad eumdem Deuteronomii locum sæpe alludit Hilarius.

(*c*) Apud Par. *ex injusto peccatore*, etc. In editionibus aliis, *ex injusto et perverso jure.* Hujus loci intelligentiæ lucem præstant mox allati Patres, ac præterea Ruffinus in Exposit. Symboli : *Ab initio*, inquit, *Deus cum fecisset mundum, præfecit ei et præposuit quasdam virtutum cœlestium potestates, quibus regeretur et dispensaretur mortalium genus. Quod ita factum indicat Moyses in Deuteronomii loco* mox memorato de angelorum numero : *Sed et horum nonnulli... datam sibi a Deo potestatem non his quibus acceperunt legibus temperaverunt, nec humanum genus divinis obedire præceptis, sed suis parere prævaricationibus docuerunt : et hinc adversus nos chirographa scripta sunt... Per istud ergo unusquisque chirographum illis rectoribus pessimis tenebatur, quod Christus detraxit adveniens, et hac eos potestate denudavit*, etc. Vid. Tract. Psal. 61, n. 2.

(1) *Et Evangelia sic doceant.*

A ergo hæreditatem gentium quam poposcit. Poposcit enim cum ait, *Pater, venit hora, honorifica filium tuum, ut filius tuus honorificet te. Sicut dedisti illi potestatem omnis carnis : ut omne quod dedisti illi, det illi vitam æternam* (*Joan.* XVII, 1 *et* 2). Et rursum : *Non pro his rogo tantum, sed et pro illis qui credituri sunt per verbum eorum in me* (*Ibid.* 20). Hæc ergo hæreditas 49 ejus, ut omni carni det vitam æternam, ut omnes gentes baptizatæ atque doctæ regenerentur in vitam ; non jam secundum illam divinam Moysi cantionem angelorum dominatui deditæ (*b*), neque secundum eorumdem numerum divisæ, sed in dominicam familiam susceptæ, et in domesticos Dei deputatæ ; et ex injusto atque peccatore (*c*) et perverso jure dominantium, in regnum æternum divinumque B translatæ. Neque enim adhuc tantum portio Domini Israel, neque funiculus hæreditatis ejus Jacob, sed gentes omnes, secundum numerum angelorum ante divisæ, nunc jam unius atque unus omnis hæc gentium universitas Dei populus est : et æterna hæc omnium ex mortuis resurgentium, primogeniti hujus ex mortuis æterni hæredis hæreditas est.

32. *Non sola terra illius ditioni data.* — In eo autem quod subjectum est : *Et possessionem tuam terminos terræ ;* non est existimandum quod id ipsum repetitus sermo significet, tamquam illi sola gentium terras inhabitantium donata possessio sit. Non enim ait : *Et possessionem tuam* usque terminos terræ, sed *terminos terræ.* Ab eo autem quod terminatur, id C quod terminat differt. Neque id ipsum est, finitum

D

esse, atque finire. Neque unum est, modum sumere, atque moderari : quorum aliud interius modum accipit, aliud exterius quodam ambitu suo objectuque moderatur. Non enim ita in profundum demersa est terra, aut in latitudinem extensa, aut prolata in altum est, ut non undique secus aut circumfusæ aut subjacentis sibi naturæ contineatur objectu. Hanc enim infernæ vastitudinis demersa et immensa (*a*) abyssus sustentat : hanc circumfusi et superni aeris spiritus inumbrat atque ambit. Quod autem subjecta sibi abysso suspensa sit, propheta testatur dicens : *Ipse super maria fundavit eam, et super flumina præparavit illam* (*Psal.* XXIII, 2). Et rursum : *Qui firmavit terram super aquas* (*Ps.* CXXXV, 6). Et hanc immensam atque infinitam vastitatem abyssum Scriptura solita est nuncupare, cum Jona (*b*) intra cetum orante (1) dicitur : *Abyssus multa circumfudit me* (*Jonæ* II, 6). **50** Atque hæc quidem infinita immensitas, quæ secundum verbi proprietatem in abysso significari intelligitur, spiritali et divinæ substantiæ est circumscripta virtute, secundum illud Apostoli : *Quoniam omnia in ipso et per ipsum, ipsi gloria in secula seculorum* (*Rom.* XI, 36). Esse autem hujus infernæ regionis vastæque abyssi incolas plures, beati Joannis Apocalypsi docemur (*Apoc.* V, 3, 4). Cum nullus, neque in cœlo, neque supra terram, neque infra terram obsignatum librum dignus est repertus aperire. Non utique de mortuis et in terram sepultis significare intelligitur : cum ad tertii incolatus demonstrationem, non qui intra terram, sed qui infra terram; neque qui mortui sunt, sed qui vivunt, ullum (*c*) in se resignandi libri habuerint auctorem. Cum ergo possessio terræ finium Domino donatur, non tam terra donatur, quam ea quibus terra finitur. Terræ enim terminos, quibus terra ipsa determinatur, accepit.

33. *Quid Christo donatum, ex Apostolo exponitur.* — Cujus rei sacramentum omne beatus apostolus Paulus (quippe cujus ore Christus de se est locutus) exposuit dicens : *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam existimavit se esse æqualem Deo, sed se exinanivit formam servi accipiens, in similitudine* hominis constitutus, et habitu repertus ut homo : humiliavit se factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis : propter quod et Deus illum exaltavit, et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus *in gloria Dei patris* (*Philip.* II, 6 *et seqq.*). In forma itaque Dei manens, formam servi accepit, scilicet ex Deo homo natus. Et post mortem crucis in nomen quod est super omne nomen exaltatur : in Deum namque, quia nullum ultra Deum nomen est, provehitur; eique hoc petenti, id est, ut esset quod fuerat ante, donatur. Formam enim servi in forma Dei manens sumpserat. Accepit deinde possessionem finium terræ, id est, *ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, 51 terrestrium et infernorum : et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus in gloria Dei patris* : Non terrena sola (2), sed superna etiam infernaque donantur, et ea quibus terra concluditur. Et in gloria Dei patris hodie genitus nascitur, id est, in (*d*) manentem antea Dei formam per præmium mortis formæ servilis assumptio honestatur. Fitque sub tempore nova, nec tamen inusitata nativitas : cum ad resumendam gloriam Dei patris, qui ex forma Dei forma servi erat repertus, primogenitus ex mortuis nasceretur.

34. *An virga ferrea regere non adversetur Dei bonitati.* — Sequitur deinde : *Reges eos in virga ferrea, et tamquam vas figuli confringes eos.* Multis aut male opinantibus, aut virtutem et proprietatem dictorum divinorum ignorantibus, adversa hæc esse bonitati Dei videntur : ut gentes quas filius Dei in possessionem poposcit, et in hæreditatem accepit, terrore virgæ ferreæ regat, et modo vasis figuli confringat. Neque enim boni cujusquam est, dare et accipere perdenda. Et qui magis vult (3) peccatorum pœnitentiam quam mortem (*Ezech.* XVIII, 32) non existimatur secundum professionem (*al.* promissionem), naturæ suæ esse facturus, si virga ferrea confringat, quos dari sibi in hæreditatem poposcit.

35. *Reges hic loci nil dicit durum.* — Et primum ne quis temerariæ huic et impiæ præsumptioni locus pateat, proprietates ipsæ verborum in romanam linguam translatorum cognoscendæ sunt. Namque id quod nobiscum est : *Reges eos in virga ferrea*, quamquam ipsum *reges* non tyrannicum neque injustum sit, sed ex æquitatis ac moderationis arbitrio regimen rationale demonstret : tamen molliorem (*e*) adhuc regentis affectum proprietas græca significat. Quod enim nobiscum est, *reges eos*, cum illis est ποιμανεῖς αὐτοὺς id est, pastoraliter reges : regendi scilicet eos curam affectu pastoris habiturus : Ipse est enim pastor bonus, cujus nos oves sumus, pro

(1) *Jona intra cetum orat et dicit.*
(2) *Non terra sola.*

(3) *Mavult.*

(*a*) Ms. Mic. *et immersa.*
(*b*) Edit. Par. : *Jonæ intra cetum oranti.* Antiquam lectionem revocamus, quæ est et mss.
(*c*) Bad. et Er. cum duobus mss. Vat. *illum.* Lips. et Par. *nullum.* Restituimus *ullum* ex alio Vaticano codice melioris notæ.
(*d*) Apud Par. deerat particula *in.* Tum ut in aliis edit. legebatur, *manente ante Dei forma*, Clarius Hilarii mentem exprimit ms. Mic. quem sequimur. Mox Bad. Er. et duo mss. *adhonestatur*, non *honestatur.* Hunc Hilarii locum censoria virgula notans Erasmus, *subolet*, inquit, *Origeniacum quiddam.* At cum hic commentarius in ipsius editione postremum locum teneat, atque in aliis libris eamdem sententiam sanctus Doctor exponat; cur censuram tam diu distulit Erasmus? Quod sane argumento est, eum ex præjudicatæ mentis affectu, non ex rerum consideratione sua judicia prompsisse. Hic porro exponitur Christi glorificatio, quæ nova nativitas prædicatur relate ad hominem, relate autem ad Verbum nec nova, nec inusitata.
(*e*) In uno codice Vaticano, *meliorem.*

quibus animam suam posuit (*Joan.* x, 11). Ne autem jus tyrannicum significari arbitremur in virga, quæ in virgæ nuncupatione proprietas sit, ex Novo et Veteri Testamento noscendum est.

36. *Virga in Novo Testamento Dei doctrina.* — Beatus Paulus ad Corinthios scribens, quos tum ex multis peccatis ad pœnitentiam 52 moderata atque utili adhortatione revocabat, ait : *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate et spiritu mansuetudinis* (1 *Cor.* IV, 21)? Numquid Paulo jus prætorium erat, ut in virga comminaretur, et cum officio lictoris ad Ecclesiam Christi adesset? Non utique ita opinandum est. Sed quia omnis Dei sermo, quo ex errore in veritatem Dei (*a*) retrahimur, quo per commina- tionem terroremque judicii ad innocentis et sanctæ vitæ viam regimur, virga est nuncupatus, per quam intra disciplinam divini metus cohibiti, moderati ac providentis (*b*) rectoris monitu coerceamur : beatus Apostolus conditionem eligendi adventus sui his quos monebat adjecit, utrum mallent eum in severitate doctrinæ atque objurgationis adesse, an in spiritu lenitatis. Quod utrumque secundum modestiæ tenorem erat necessarium, ut obedientibus lenior, insolentibus vero severior adveniret. Et hoc quidem ex Novi Testamenti auctoritate præsumptum est.

37. *Ita et in Veteri : Christus virga simul et flos.* — Hanc autem verbi doctrinam virgam nuncupari ex Veteri ita cognitum est, cum dicitur : *Virga directionis, virga regni tui* (*Psal.* XLIV, 7). Quia hæc (*c*) eadem est virgæ directio, qua per doctrinam in æquam viam utilemque dirigimur : et quæ virga regni est, necesse est ipsa illa doctrina sit regni. Ipsum autem Dominum nostrum ob doctrinæ suæ utilem ac moderatam prædicationem virgam nuncupatum ita accepimus dicente Esaia : *Exiet, inquit, virga de radice Jesse* (*Esa.* XI, 1). Ac ne tyrannicam in eo severitatem per virgæ nuncupationem auderet quisquam opinari; continuo propheticus sermo subjecit: *Et flos de radice ejus* (1) *adscendet, et requiescet super eum spiritus Domini* (*Ibid.*), ut virgæ severitatem floris suavitas temperaret, cum unicuique nostrum doctrinæ terror regimen perfectæ beatitudinis admoveret. In hac ergo virga reget datas sibi gentes : non corruptibili, non caduca, non fragili (*d*), sed ferrea, id est, validissima et pro naturæ suæ soliditate firmissima.

38. *Confringit sibi datos, ut reformet.* — Hac ergo virga ferrea ut reget, ita confringet et conteret (2) : nam magis hoc secundum septuaginta translatores græcitatis proprietas enuntiat. Ita enim scriptum est, 53 Ὡς σκεῦος (3) κεραμέος συντρίψεις αὐτούς. Sed sive conterat, sive confringat, non idcirco existimandus est hæreditatem poscere, ut eam ad perdendum atque abolendum (4) confringat et conterat : quippe cui cor contribulatum sacrificium sit optimum. Contritio ergo illa sive confractio est, quæ in nobis corporeas voluptates et secularium vitiorum incentiva comminuit, dignosque nos dignatione Domini præstabit, secundum dictum prophetæ : *Cor contribulatum* (5) *et humiliatum Deus non spernet* (*Ps.* L, 19). Comparata autem vasis figuli confractio, quantam absolutionem intelligentiæ hujus impertitur (6)? Non enim sine causa quos in hæreditatem poposcit, virga ferrea regens tamquam vas figuli confringet : nisi quod comparationis exemplo fragmenti istius modi damnum proficere in restaurationem ejusdem vasis ostendit.

39. Qualis autem a Deo secundum vas figuli nostra confractio sit, idem docuit per Jeremiam prophetam, dicens : *Surge, et descende in domum figuli; et ibi audies verba mea. Et descendi in domum figuli, et ecce ipse faciebat opus super lapides. Et cecidit vas quod faciebat in manibus ejus : et iterum ipse fecit vas aliud secundum quod placuit in conspectu ejus ut faceret. Et factum est verbum Domini ad me, dicens : Si secundum figulum hunc non possum facere vos, domus Israel? Ecce sicut lutum figuli vos estis in manibus meis. In summa loquar super gentem aut super regnum, ut feriam eos et perdam : et si conversa fuerit gens illa a malis suis, pœnitebo de malis quæ cogitabam* (*e*) *facere illis. Et in summa, loquar super gentem et regnum, ut reædificem* (*f*) *et plantem. Et facient mala ante me, ut ne audiant vocem meam ; et pœnitebo de bonis quæ locutus sum facere illis* (*Jer.* XVIII, 1 *et segq.*). Sic petitas atque obtentas hæreditatis suæ gentes Deus confringet et conteret, ut reformet. Confringit enim Deus in omnibus omnes inexplebiles cupiditates, et illecebrosas lascivias, et ferventes iras, et inanes superstitiones, et tumentes fastus, et impias opiniones. Reformat autem nos ad rationabilem vitæ usum contemptu pecuniæ, luxus pudore, iræ moderatione, veri scientia, communione vivendi, religionis officiis : cum

(1) *De radice adscendet;* deinde *spiritus Dei* cum Græco.

(2) *Ita et confringet vel conteret.*

(3) In aliis editionibus ὡς σκεύη ut etiam apud Theodoretum et alios legitur ; sed Hilarius noster inferius quoque *vas* legit non *vasa*, cum melioribus τῶν LXX exemplaribus, quapropter σκεῦος ex libro nostro accepimus.

(4) *Atque abolendum* desideratur in ms. Veronensi.

(5) *Cor contritum*, consentientibus LXX atque utroque Psalterio, Romano scilicet atque Gallicano.

(6) *Impertit*, quod et alibi pro *impertitur*.

(*a*) Abest *Dei* a duobus mss.

(*b*) Par. post Lipsium, *ac prudentis*. Rectius in aliis libris, *ac providentis*, id est, prospicientis atque consulentis.

(*c*) Lipsio magis placuerat, *quia hæc quidem est* : nec nobis displiceret, si faverent scripti. Tum idem reposuerat, *virga directionis*, quod et Par. arripuit, renitentibus veteribus libris. Mox in his verbis, *et quæ virga*, particula *et* ut sæpe alias, accipitur pro *etiam*.

(*d*) Unus e mss. Vatic. *non facili*. Ad Hilarii mentem vulgatus Ruffinus : *Virga ferrea accipitur inflexibilis justitia : quæ ideo virga, quia recta; ideo ferrea, quia dura : recta bonis, dura malis; blanda justis, aspera perversis.*

(*e*) In ms. Mic. *cogitabo*. In Vulgata, *cogitavi*, juxta græc. ἐλογισάμην.

(*f*) Unus codex Vatic. *ut virga ædificem* : quam lectionem non permittit sacer textus.

per doctrinæ 54 regimen terroremque judicii in has virtutes post vitia illa reviviscimus. Non enim ait, *Tanquam vas figulum* (*a*) *confringes eos*, ne per testæ fragmentum irreformabile vas posset intelligi ; sed ait, *vas figuli*, quod in ipsa artificis molitione vas fieret, ut secundum prælatum exemplum prompta esset confracti ejusdem vasis ex artificis voluntate reparatio.

40. *Ut figulo vas, ita pœnitentes Deo facile est reparare.* — Sed hoc irrationabilis materiæ vas etiam sub alia intelligentia ad rationem humanæ voluntatis aptatum est : homines quidem per hæc vitia sua cadere ; sed si in his pœniterent, id est, si ab his desinerent, se quoque Deus in his quæ ad pœnam casus hujus constituerit, pœnitere non quod hic motus mentis secundum humanam naturam in Deum caderet, sed quia homini (*b*) gestorum pœnitentia modus est gerendorum. Pœnitentiam quoque suam Deus memorat ad pœnam : quia puniri desinerent, qui esse impii destitissent. Ut ergo figulo promptum est amissum vas ad eamdem, vel quam volet, speciem reformare : ita Deo facile est, post vitiorum casus volentes se erigi, per doctrinæ suæ institutionem ad pietatem ex impietate reparare.

41. *Resurrectioni et spiritali et corporali prædicta aptantur.* — Sed et illa *tamquam vas figuli* non ignoranda confractio est, tum cum his corporibus dissolutis, et casu mortis confractis, pro voluntate artificis restauratio afferetur. Quod utrumque propheticus sermo significasse eodem dicto videtur. Nam cum pœnitentiam utilem in his quæ antea agebantur ostendit, præsentis hujus vitæ et corporalis ex vitiis in virtutes novam quasi instaurationem docet esse oportere, ira in eos Dei sicuti criminum voluntate cessante. Et quamquam id ex figuli comparatione protulerit : tamen cum de eodem figulo ait : *Et ipse fecit vas aliud secundum quod placuit in conspectu ejus* (*Jerem.* XVIII, 4), significari etiam intelligitur illa, quæ secundum Dei voluntatem resurgentium corporum instauratio est futura. Prout enim ei placet, et in conspectu ejus dignum est, confracta reparabit, non ex alia aliqua, sed ex veteri atque ipsa originis suæ materie speciem illis complaciti sibi decoris impertiens : ut corruptibilium corporum in incorruptionis gloriam resurrectio, non interitu naturam perimat, sed qualitatis (*c*) conditione 55 demutet. Non enim aliud corpus, quamvis in aliud resurget, Apostolo dicente : *Seminatur in corruptela, resurget in incorruptione ; seminatur in ignominia, resurget in gloria ; seminatur in infirmitate, resurget in virtute, seminatur corpus animale, resurget spiritale* (1) (I *Cor.* XV, 42, etc.). Fit ergo demutatio, sed non affertur abolitio. Et cum id quod fuit, in id quod non fuit surgit ; non amisit originem, sed profecit ad honorem. Confringi itaque nos tamquam vas figuli, vel nunc, vel tunc gaudeamus : ut et nunc, modo figuli vasis, commortui et consepulti Domino in baptismate in novitate vitæ (*d*) ambulemus (*Rom.* VI, 4) : et in novum Christi hominem deposito vetere renascamur (*Coloss.* III, 9 et 10), et tunc per hunc novæ nativitatis profectum, in beatam illam ac Deo placentem iteratæ reparationis nostræ speciem reformemur.

42. *Reges ad intelligentiam excitantur.* — Cujus boni non ignarus Propheta, post hæc hortatur et dicit, VERS. 10-15 : *Et nunc reges intelligite, erudimini qui judicatis terram. Servite Domino in timore, et exsultate ei* (2) *cum tremore. Apprehendite disciplinam, ne forte irascatur Dominus, et pereatis de via justa. Cum exarserit in brevi ira ejus, beati omnes qui confidunt in eum.* Doctrinæ hic ordo utilissimus est, ut eorum, in quæ nos adhortatur, beatitudinem cognitam præstet : quia difficile sit animum ac spem ad ignorata protendere. Volens igitur Propheta ad eorum nos, quæ superius commemoraverat, intelligentiam cohortari, intelligentiæ ipsius honorem ante memoravit, dicens : *Et nunc reges intelligite*, eos scilicet qui intellecturi essent, reges esse demonstrans. Sed quærendum est, quos reges ad intelligentiam propheticæ hujus adhortationis admoneat : ne quisquam forte eos significari intelligat, quorum nunc in corpora humana, et in bellorum ministeria, et in metum gentium regnum est. Non sunt autem hi æterni et beati apud Deum reges : quippe cum (3) ipsi jam a mandatis (*e*)

(1) *Resurget corpus spiritale*, cum Græco textu.

(2) *Ei* non habet ms. noster, nec habuisse versionem illam, qua usus est Hilarius, omittentis infra Codicis constantia indicat. Abest quoque ab Hebraico, et in Gallicano Psalterio obelo notatur a Hieronymo.

(3) *Ipsis jam mandatis.*

(*a*) Apud Bad. et Er. *figulus*. Quæ vox deinde in aliis editionibus expuncta est. Restituimus ex Vaticano codice *figulum*, licet mallemus *figlinum*. *Figulum* autem *vas* dicit jam in testam obduratum ; at *vas figuli*, vas adhuc molle et in ipsius artificis manibus. Hinc apud Hieron. hoc loco : *Vas figuli ante quam in testam obduratam fuerit, si dissipetur, reformabile est.... Si autem semel testa fracta fuerit, nequaquam in integrum compingi potest.*

(*b*) In prius excusis, *hominis*. Magis placet cum ms. Mic. *homini* : referturque ad *gerendorum* : ut scilicet pœnitentia sit modus eorum quæ homini sunt gerenda seu retribuenda. Deinde *pœnitentiam ad pœnam*, id est, pœnæ, quam Deus in peccatores decreverat, revocationem.

(*c*) Par. *qualitatis conditionem*. Editiones aliæ cum duobus mss. Vatic. *qualitatem conditione*. Verior videtur alterius melioris notæ Vaticani ms. *qualitatis conditione demutet*, subaud. naturam. Hic observare est quam caute declinet Hilarius errorem circa resurrectionem Origeni a plurimis sanctis Patribus tributum, quos inter Epiphanius ep. apud Hieron. LX, ad Joan. Jerosol. ait : *Quis autem patienter ferat Origenem lubricis argumentationibus resurrectionem carnis hujus negantem, sicut declarat manifestissime in volumine explanationum primi psalmi, et in aliis multis locis.*

(*d*) Lips. expunxit voces *vitæ* et *Christi* : quas ex Bad. Er. et mss. restituimus.

(*e*) In uno codice Vaticano, *cum ipsi si a mandatis Dei excidant* : lectio minus dura, sed qua quid amplius innuit allatum in hujus probationem Scrip-

Dei excidant, et diabolo in regnum sint deputati, dicente eodem cum Dominum tentaret: *Et duxit illum diabolus in montem altissimum, et ostendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis: et ait ad illum diabolus: Tibi dabo potestatem hanc et gloriam eorum, quia mihi* 56 *tradita sunt* (*Luc.* IV, 5 *et* 6). Alios autem nobis reges Evangelia demonstrant, scilicet in quos appropinquavit regnum Dei, et eos qui regnans in se peccatum devicerint, qui sui ipsius corporis reges sunt, dominatui suo universa vitiorum incentiva subdentes: hoc enim in nobis est regnum Dei. Sic iterum Christus regnat in nobis, cum per eum ipsi dominorum in nos jure regnamus (*a*); secundum quod dictum est: *Non venit regnum Dei cum observatione: neque dicent: Ecce hic et ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est* (*Luc.* XVII, 20 *et* 21). Hujus regni beatus Apostolus meminit Corinthiis scribens: *Jam sine nobis regnatis; et utinam regnetis, ut et nos vobis* (*b*) *conregnemus* (I *Cor.* IV, 8). Hoc itaque regnum Dei est ubi peccatum vincitur, ubi mors perimitur, ubi non regnat hostis: *Mors enim regnavit ab Adam usque ad Moysen* (*Rom.* V, 14). Et Apostolus ait: *Jam non regnet peccatum in vobis* (*Rom.* VI, 12). Per hoc regnum Dei regno peccati dissoluto, ipsisque jam nobis regibus regno adversante subverso, hoc nobis erit regnum Dei, cum omnibus vitiorum nostrorum aculeis contusis, labes erit corporeæ infirmitatis absorpta.

43. *Quid intellecturi.* — Hos itaque reges Propheta ad intelligendum cohortatur: ut sciant, adversus Dominum et Christum ejus fremuisse reges, et populos vana meditatos: intelligant quoque irridentem e cœlis, et in ira loquentem, et super Sion montem sanctum regem constitutum, præcepta Dei patris annuntiantem: cognoscantque eum qui sit genitus in filium; tempus quoque illud, quo qui tempora fecit, sit in tempore genitus. Intelligant in quo hæreditatem gentium, et possessionem terræ finium postulavit: non ignorent etiam quæ hæc virga sit ferrea, qua regens eos, modo vasis figuli confringat. Hæc enim intelligentes, sacramentum omne divinæ voluntatis agnoscent: et cum per obedientiam præceptorum hæredes turæ testimonium. Neque tamen credendus est Hilarius de omnibus omnino regibus ita sensisse: sed cum de plerisque hoc sentiret, perinde locutus est, quasi de omnibus; quia ut ipse ait in psalm. LVIII, n. 9: *Universitas reputatur in plurimis.* Et paulo post: *Cum pauci ex omnibus gentibus sint fideles, non per paucos efficitur ne non omnes sint infideles.* Ita sane quia pauci reges diaboli regno sunt subtracti (quos inter David non numerare nefas), per paucos non efficitur quominus omnes ei sint traditi: atque ita ex suismet sententiis liberatur a nævo, quem hic loci reprehendit Scultetus.

(*a*) Lips. *cum per eorum ipsi dominium, dominorum*, etc. corrupte. Nam τὸ *cum* ad Christum refertur. Ad quæ apposite Augustinus ac post eum vulgatus Ruffinus: *Nunc intelligite jam reges, id est, valentes regere quidquid vobis servile ac bestiale est, castigantes vestra corpora et servituti subjicientes. Qui cœlesti regi serviunt, reges procul dubio sunt.*

(*b*) Sic Par. cum mss. juxta græc. ὑμῖν συμβασιλεύσωμεθα. Editiones vero aliæ, *vobiscum regnemus.* At in psal. LX, num. 5, editi ac scripti, *et utinam regnaretis, ut et nos vobiscum conregnaremus*: Jam prænonuimus, Hilarium non una ratione eadem Scripturæ loca referre.

(*c*) Editi, *judicii vice sit*; refragantibus mss.

(*d*) Apud Par. *comparatione.* Deinde in duobus mss. *fides et timor*, et in uno, *ac mors.* Sensus per se ita clarus est; *quorum fidei ac timoris comparatio*, etc.

(*e*) Hoc est, eorum qui veram sapientiam Christum præsentes audierunt. Tum auditio peregrina opponitur auditioni præsenti. Nisi forte *peregrina* dicatur, ob quam peregrinatio suscepta est.

(1) *Quin regnum.*
(2) *Audire.*

Dei Patris, cohæredes autem Domini nostri Jesu Christi erunt; per id quo æterno regi cohæredes sunt, id necesse est consequantur ut reges sint.

44. *Judices terræ sancti quorum vita impios damnat.* —Testantibus itaque Evangeliis atque Apostolo de regibus, sequens est ut cognoscamus qui sint judices terræ, quosque ut reges oporteat erudiri: maxime cum reges 57 nudo tantum nomine sine regni alicujus designatione cognominet, ut eos suos atque in se esse reges doceret; judices autem terræ dicat. Differre vero judicem, et regem, ipso usu terrenæ consuetudinis cognoscimus; quia non idem sit regnare, quod judicare; quia (1) regnum dominatio sit, judicium vero sit modus æquitatis. Sancti ergo quique intelligendi sunt esse judices terræ, quorum vita atque fides, infidelium iniquorumque judicium sit (*c*). Et hoc Dominus in Evangeliis ostendit dicens: *Viri Ninivitæ surgent in judicio, et judicabunt generationem hanc: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ; et ecce major quam Jona hic. Regina Austri surget in judicio, et judicabit generationem hanc: quia venit ab ultimis partibus terræ obaudire* (2) *sapientiam Salomonis; et ecce major hic Salomone* (*Matt.* XII, 41 *et* 42). Tales erunt judices terræ, quorum comparatio (*d*) fidei ac timoris, impœnitentes impiosque condemnet. Si enim pœnitentia Ninivitarum ex Jonæ prædicatione susceptа fructum adepta est pœnitendi, necesse est obediens eorum pœnitentia insolentem horum impœnitentiam judicet. Aut regina Austri ex ultimis partibus terræ desideratam Salomonis sapientiam audiens, nonne infidelitatem et incuriam præsentium auditione (*e*) peregrina damnabit? cum tamen inobedientiæ atque inaudientiæ judicium differens a Salomone atque Jona Christus auctor accumulet. Absolute autem hos esse judices terræ Apostolus demonstrat dicens: *An nescitis, quia sancti mundum judicabunt, et in vobis judicabitur* (3) *mundus* (I *Cor.* VI, 2)? cum per meritum adeptæ beatitudinis, criminosorum vitam sanctitas comparata condemnet.

45. *Ut timor, lætitia, tremor animum servi Dei temperent.* — Intelligentiæ autem hujus atque eruditionis opus continuo propheta subjecit, dicens,

(3) In nostro libro: *judicatur hic mundus*, cum græco.

Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore. Non securum patitur aut negligens servitium (1) : vult in omni servitutis officio admisceri timorem. Ut enim metuentes servi diligentius dominis carnalibus serviunt, cum voluntatem solertioris obsequii metus obsequelæ admixtus eliciat : ita et Deo servientes, si timeant per imminentem timorem, non negligentes in ea erunt quam susceperint servitutem. Ac ne tyrannici terroris hic metus esse fidelium crederetur; ad id quod dixerat : *Servite Domino* 58 *in timore*, adjecit, et *exsultate ei :* ut metum servitutis, gaudii exsultatio temperaret, cum ipse timor causam lætitiæ per conscientiam servitii fidelis afferret. Porro autem ne libertas gaudii fines congruæ moderationis excederet; ita subdidit : *Exsultate in tremore;* quia periculosa ad oblivionem timoris esset libera a tremore lætitia. Atque ita hæc prophetici eloquii ratio servata est, ut servitutem timor detineret, timorem exsultatio moderaretur, et exsultationem tremor consequens contineret.

46. *Fervor sit in Dei servitio.* — Hujus autem servitii et timorem exsultantem, et exsultationem trementem, docuit in eo quod sequitur consistere, dicens : *Apprehendite disciplinam.* Virtute verbi significationem impatientis (2) et velut præproperæ ad id voluntatis ostendit, non tam expetendam, quam apprehendendam potius disciplinam docens : non tepore (*a*) fidei in hujus obedientiæ observatione contentus, sed ardorem spiritus in apprehendendi aviditate desiderans. Sic in rapiendo regno cœlorum raptore Dominus delectatus ait : *A diebus autem Johannis regnum cœlorum vim patitur, et vim facientes diripiunt illud* (*Matth.* II, 12), quia cum regni cœlestis possessio Israeli prædicaretur, fides tamen gentium possessionem hanc sibi Israel diffidente (*b*) præriperet.

47. *Pauli exemplum.* — Sic et beatus Paulus currit, ut apprehendat, dicens : *Sequor autem ut apprehendam, in quo et apprehensus sum* (*Philip.* III, 12). Non lento gradu properat, neque otioso sequitur procursu; apprehensum enim sequitur. Et satis quidem dixisse videretur, si consecuturus sequeretur, sed vim et ipse afferre optat, et apprehendere properat, et modo (f. *amplexus*) exempli corporalis invadere. Scit autem se eo ipso jam esse, quod apprehendere properat, apprehensum. Si enim nos per corporalem naturam Deus naturæ suæ dissidentis (*c*) homo genitus apprehendit, factus ipse quod sumus; nostrum est ad apprehendendum nunc id quod est ipse contendere, ut in eam gloriam, in quam naturam corporeæ hujus corruptionis eximit, festinatio nostra se misceat : atque ita apprehendemus id in quo fuimus apprehensi, si naturam Dei consequamur, Deo ante naturam hominum consequente. Apprehendenda itaque disciplina, et invadenda est quodam amplexu et in vinculo corporali : ne elabatur aut excidat.

59 48. *Qui pereant de via justa ab ea alieni.* — Causam autem diligentis hujus complexus ac vinculi propheta subjecit, dicens, : *Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, et pereatis de via justa. Cum exarserit in brevi ira ejus.* Adest enim pœnæ dies, qui in exardescente ira Domini significari intelligitur : in quo si non apprehensam a nobis disciplinam tenebimus, perditi de via justa erimus. Unicuique enim rei perit, quidquid aufertur : et quod deest, ei cui deest jam videtur amissum. Nam tametsi per naturam suam maneat, ei tamen cui abest non manet. Et idcirco de via justa impii pereunt, quia in ea non erunt. Pereunt autem de via justa, *cum exarserit in brevi ira ejus.*

Impii statim a morte pœnas inferni luunt. — Non morosa (*d*) hæc ira est, per quam de justa via pereunt : ne quis sibi interim in pœnæ lucro inter moras judicii blandiatur. In brevi namque exardescit ira. Excipit enim nos statim ultor infernus : et decedentes de corpore, si ita vixerimus, confestim de via recta perimus. Testes nobis evangelicus dives et pauper : quorum unum Angeli in sedibus beatorum et in Abrahæ sinu locaverunt, alium statim pœnæ regio suscepit (*Lucæ* XVI). Adeo autem statim pœnæ (*e*) mortuum excepit, et etiam fratres ejus adhuc in supernis manerent. Nihil illic dilationis aut moræ est. Judicii enim dies vel beatitudinis retributio est æterna, vel pœnæ. Tempus vero mortis habet interim unumquemque suis legibus, dum ad judicium unumquemque aut Abraham reservat, aut pœna.

49. *Fiducia in Deum opus.* — Et idcirco copiosum hunc sacramentis cœlestibus psalmum sic Propheta conclusit : *Beati omnes qui confidunt in eum.* Non tre-

(1) *Servitium esse.*

(2) *Virtutem verbi significatio impatientis*, etc.

(*a*) Excusi, *non tempore fidei :* castigantur ex ms. Vaticano.

(*b*) Ita ms. Mic. In aliis vero libris, *sibi Israeli diffidenti :* ubi *τὸ sibi* ad Dominum refertur, cui Israel diffidat seu non credat, et e cujus manu regnum gentes præripiant.

(*c*) Editi excepto Par. *diffidentes :* depravate. Nec melius Par. *discidentes.* Non displiceret tamen *dissidentes.* Ex mss. restituimus, *dissidentis*, hoc nimirum sensu : Si nos qui per corporalem naturam naturæ sumus dissidentis cum divina (*Suæ* enim est in tertio casu) Deus homo genitus apprehendit, etc. Ad hoc autem apprehendit, inquit, juxta Hilarium Gregorius Nazianz. Or. 35, n. 88, *ut ipse quoque tantum Deus efficiar, quantum ille homo.*

(*d*) Editio Par. *Non mora*, mendose. Hic nonnullorum veterum refellitur opinio, quos inter Lactantius lib. VII Div. Instit., c. 21 : *Nec tamen quisquam putet, animas post mortem protinus judicari : omnes in una communique custodia detinentur, donec tempus adveniat, quo maximus Judex meritorum faciat examen.* Vide Præfat.

(*e*) Subaudiendum hic, vel etiam exprimendum *inferni* vocabulum, cujus respectu deinde in terris degentes fratres *in supernis* manere dicuntur. De inferorum regione sic Tertullianus : *Nobis inferi*, inquit de anima n. 55, *in fossa terræ et in alto vastitas, et in ipsis visceribus ejus abstrusa profunditas.* Et mox rursum eos collocat *in recessu intimo et interno, et in ipsa terra operto, et intra ipsam clauso, et inferioribus adhuc abyssis superstructo.*

pidam spem neque ambiguam perfectio beatitudinis exigit. Confidentia ad id opus est, firmæ opinionis scilicet, et indemutabili voluntate : quia plus sit confidere, quam sperare. Confidendum ergo est, ne nos a via recta exardescens brevi ira Dei deperdat. Fidelis enim est qui ait : *Qui credit in me non judicabitur, sed transiet de morte ad vitam* (*Joh*, v, 24). Dominus noster Jesus Christus, qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

TRACTATUS (1)

De titulo psalmi IX.

In finem (2) (*a*) *pro occultis filii. Psalmus David.*

Nunc primum prodit ex codice Vaticano not. 251, *ab annis circiter* 500, *scripto, in quo post expositionem secundi psalmi subjicitur*, Explicit psalmus II; Incipit de titulo IX psalmi feliciter. *Nullas falsitatis, veritatis autem plurimas habet notas. Non leves sunt* 1° *Familiares Hilario et amicæ voces*, absolutio, absoluta intelligentia, etc.; 2° *Explicatio verbi* finis *cum iis quæ tum Prologo n.* 18, *tum lib.* II *de Trin. n.* 28, *de eodem habetur consentiens*; 3° *peculiaris quædam Christi ex virgine nativitatis exprimendæ ratio*; 4° *doctrina de aditu ad regnum Dei Patris per regnum Christi. Demum Prologo n.* 17, *pollicetur se in singuliis psalmis inscriptionum singularum causas præstiturum, et hoc, inquit num.* 22, *quia* ex quibus rebus psalmus consistat ostendunt. *Hic præsertim exsequitur quod spopondit, docens num.* 2, *titulum ad hoc adscriptum*, ut ex quibus psalmus ipse consisteret noscretur. *Exoptandum esset, ut castigatius hoc opusculum una cum totius psalmi expositione, quam ei Hilarius subjecisse credendus est, ad nos pervenisset.*

1. *Psalmi alii faciles, alii captu difficiles.* — Quorumdam psalmorum absoluta intelligentia est, quorumdam obscurior sensus est; diversitatem utique (3) affert diversitas prophetiæ. Per multa namque et varia genera sermonis ad agnitionem Dei hominem Spiritus sanctus instituit, nunc sacramentorum occulta per naturas et comparationem hominum comprehendens, nunc fidei simplicitatem verborum absolutione commendans, nunc vitæ ordinem præceptorum veritate confirmans, nunc quid providendum sit et cavendum per personam prophetæ qui psalmum scribat ostendens : ut per hanc multiplicem et divitem copiam doctrinæ, per quasdam partes et incrementa discendi, totius intelligentiæ ædificatio comparetur. Et erit nobis psalmus positus in exemplum, cujus superscriptio talis est : *In finem pro occulta filii psalmus David.* Itaque per naturam eorum, quæ et occulta et in finem sunt, quærenda est psalmi intelligentia.

2. *Titulus index eorum quæ tractantur.* — Psalmus inscriptus non est, *In finem pro occulta filii*, nisi tantum in id, ut ex quibus psalmus ipse consisteret, nosceretur. Omnia autem, quæ ad titulum sermonis adduntur, ex quibus sermo sit initus, testantur. Non enim convenit, ut in sermone aliud sit, aliud in titulo; quia titulus velut index eorum est de quibus scribitur. Verbi igitur ejus, quod *in fine* dicitur, ratio est intelligenda. In fine est ultra quod nihil est, in fine est quod præsens tempus excedit; quia finis ex omnibus, non ex fine omnia : desinunt enim in eo cuncta, et est quoddam rei actæ, dictæve postremum : et nisi in ea totius universitatis postremitas erit, non erit finis; quia necesse est non esse ultimum, quod ultra se habeat aliquid postremum. Ex quo intelligendum quotiescumque titulus habet *in fine* (4), non præsentia in his, sed ultima contineri. Occulta autem sunt, quæ abscondita et latentia sunt, quæque recondítis et inaccessibilibus et imperspicabilibus occultantur, in quo ei (*b*) tantum qui condiderit comperta, aut nisi cum aliquibus cognoscenda protulerint. Ergo psalmus inscribitur *in finem pro occultis*. Et quia ex natura rerum quid intelligentiæ in nominibus *finis, occultorumque* sit, (5) et deinde (*c*) res ipsas quæ in fine atque occultis sint, convenit explicari.

3. Et de his quidem testis est nobis beatus Apostolus (6) ita dicens : *Prout legentes potestis intelligere intellectum meum in sacramento Christi, quod aliis temporibus non est cognitum filiis hominum, sicut nunc revelatum est* (*Ephes.* III, 4 *et* 5). Et rursum : *Mihi minimo omnium sanctorum hæc gratia data est in gentibus, evangelizare investigabiles divitias Christi, et illuminare quæ sit distributio sacramenti ejus, quod absconditum est a sæculis in Deo* (*Ibid.* 8 *et* 9). Hoc est ergo occultum, de quo et Dominus ait : *Non est absconsum quod non cognoscatur, neque opertum quod non revelabitur* (*Matth.* X, 26). Sed psalmus *occulta* continet, non occultum. Recte ita : nam consequentia docent plura fuisse, non unum. Est enim occultum, Deum salutis humanæ causa, non in cœlesti gloria et claritate nominis sui adfuisse, sed formam humani corporis induisse. Est et occultum, naturam in eo carnis humanæ, non ex communi originis genere induisse, sed extitisse (7) ex virgine et editam virgine (*d*)

(1) Hunc Tractatum ex Vaticano codice a P. Coustantio editum comprobat præstantissimus Capituli Veronensis liber, imo vero emendat etiam, atque aliquantisper integrat. Ad superioris expositionis calcem ut in Vaticano : *Explicit Psalmus II. Incipit de titulo IX. Psalmi feliciter.*

(2) Supplevimus ex ms. nostro vocem *filii*, quam habes inferius in expositione.

(3) *Utramque.*

(4) In precedenti editione : *quotiens qui titulos habent in fine.* Verum quidem est non *quotiescumque* heic legi, sed *quotiensque* : attamen solemne est hujus codicis *quotiensque* pro *quotiescumque* usurpare.

(5) *Edemus* pro *et deinde*, verba desiderantur, quæ sententiam compleant.

(6) Additur *Paulus.*

(7) Non habetur *virgine* in ms. Veron.

(*a*) Desideratur vox *filii*, quæ infra exprimitur : ubi semel atque iterum legere est *pro occulta*, Græc. Ὑπὲρ κρυφίων τοῦ υἱοῦ.

(*b*) Aut hic aliquid deest, aut legendum *quod ei*, non *in quo ei.*

(*c*) Mallemus *edidimus*, pro *et deinde.*

(*d*) Forte ex *Virgine fuisse et absque nostro nascendi initio*, etc. Siclib. x de Trin. n. 13, prædicatur Chri-

fuisse, absque nascendi initio procreatam. Est occultum, cum qui mortuus sit ex morte vixisse, gloriam immortalitatis ex corpore resumentem. Sed non is quidem finis est.

4. *Quem finem significet.* — Finem autem, non velut quemdam rerum occasum, sed decurrentium modum, consummationemque significat; neque ut in abolitionem desinatur, sed ut in quemdam manendi terminum ea de quibus agitur collocentur. Quis ergo hic finis sit, (*a*) item (1) quæ rerum omnium absoluta perfectio, et quam absconsa sit, beatus Apostolus ad Corinthios ita loquitur : *Quomodo enim in Adam omnes moriuntur, sic et in Christo omnes vivificantur. Unusquisque autem suo ordine : primitiæ Christus, deinde qui sunt Christi, qui in adventu ejus credide-*B *runt* (*b*)*; deinde finis cum tradiderit regnum Deo patri, cum evacuaverit omnem principatum et potestatem. Oportet enim illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus suis : Deus enim omnia subjecit sub pedibus ejus. Novissima inimica devicta est in eo mors. Cum vero dixerit : Omnia subjecta sunt* (2)*, absque eo qui subjecit illi omnia, tunc ipse* (*c*) *subjectus erit illi, qui sibi subjecit omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.* Hic igitur est finis occultis (*f.* pro occultis *vel* occultus), mortuorum resurrectio, sanctorum glorificatio, malitiæ dominantis (3) abolitio, mortis interitus; et per hoc Christi regnum, Patris quoque Dei et regnum. His enim gestis, postquam Filio erunt a Patre universa subjecta, non ut per subjectionem regni adimatur æternitas (*d*), sed ut nos clarificatos, et immortalitate coopertos, et in corporis sui gloria con-C formatos (4), in regnum Patris inducat, jam cohæreditate sua dignos, jam in familiam patris assumptos, jam bonorum ejus gloriæque participes, ut Patri conregnet in nobis, sitque Deus omnia in omnibus, cum subjectionem (*e*) obedientiæ, in divinam naturam humanæ assumptionis absorbeatur infirmitas. Æterna hæc igitur per Filium laus patri Deo debita est, suscitatis omnibus (5) qui ab Adam usque ad regni tempus 63 per fidem vixerint (6), et cœlesti habitu a corpore (*f.* ac corpore) transfiguratis, et iniquitate malitiæ omnis ablata, et diabolo in pœnam æterni ignis addicto, et de memoria hominum nomine ejus exempto; hæc in psalmo occulta cantantur, hæc consummato fine celebrantur. Et quia Filius futurorum omnium conscius est, hæc tamquam jam perfecta laudantur, quia in eo, et apud eum, et per eum omnia sunt : ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS XIII.

Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus. Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in voluntatibus (*f*) *suis : non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Dominus de cœlo prospexit super filios hominum : ut videat si est intelligens aut requirens Deum. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt : non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant, venenum aspidum sub labiis eorum. Quorum os maledictione et amaritudine plenum est, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Contritio et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt : non est timor Dei ante oculos eorum. Nonne cognoscent omnes, qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam sicut escam panis? Dominum non invocaverunt : illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor. Quoniam Deus in generatione justa est : consilium inopis confudistis : quoniam Dominus spes ejus est. Quis dabit ex Sion salutare Israel? Cum averterit Dominus captivitatem plebis suæ, exsultabit Jacob* (*g*)*, et lætabitur Israel.*

TRACTATUS PSALMI.

In editione Parisiensi anni 1605, *ex codice S. Maximini Miciacensis primum vulgatus est hic Tractatus priore sua parte, a numero videlicet primo ad tertium usque truncatus, integer modo exhibetur ex memorato codice Vaticano, in quo ad calcem opusculi superioris subnectitur* : Explicit de titulo psalmi noni. Incipit psalmus XIII. Lege feliciter. Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus, et reliqua. In multis nos eruditens, etc. *Verba, doctrina, interpretandi ratio Hilarii venam et genium redolent.* 64 *Longæ quippe periodi; totius psalmi argumenta per repetitam particulam* ubi *perstringendi modus, qua ratione omnes Ancyranæ synodi definitiones lib. de Synod. n.* 27, *perstringuntur, nec non hæc num.* 5, in singulis verbis singulæ virtutes sunt explicandæ, *et alia quæ in notulis indicamus, ei conveniunt quam maxime. Quamquam concionem proxime post psalmi lectionem habitam iste ac subsequens Tractatus magis sapiunt quam reliqui.*

4. *Verbum Dei quanta reverentia tractari debeat,*

D Notaverat autem ad marginem Benedictinus editor *f. dominantis.*

(1) *Id est*, non *item*, in nostro libro.

(2) Pronomen *ei*, quod præcedens hic interserebat editio, respuimus ex nostro codice : sic enim sibi constabit Hilarius, qui etiam alibi ita legit, libro nimirum XI de Trinit. n. 8, atque ibidem rursus n. 36. Suffragatur et Græcus textus.

(3) Sic ex nostro ms. In superiori edit. *damnantis.*

(4) *Conformatos* item ex nostro libro pro *confirmatos*, ut eidem editori suboluerat.

(5) In antea edito, *suscitatis in omnibus* quod sensum involvit.

(6) In anteacta *vixerunt.*

(*a*) Ita emendamus, cum in exemplari exstet, *idem qui rerum omnium*, etc.

(*b*) Ad lib. XI de Trin. n. 22, observabimus verbum *crediderunt*, ab antiquioribus libris abesse juxta græcum.

(*c*) Quomodo lib. I et II de Trinit. in omnibus aut prope omnibus mss. ita hic quoque abest : *Cum autem subjecta ei fuerint omnia.*

(*d*) *Vid. l.* XI *de Trin. n.* 35 et 36.

(*e*) Forte, *per subjectionem*, quæ ideo *obedientiæ*, quia tunc remota omni cupiditate, spiritus et caro Deo omni obedientia suberunt.

(*f*) Hilarius in Psal. LII, n. 3, *adinventionibus.*

(*g*) Hil. *lætetur Jacob et exsultet Israel.*

aut audiri. — DIXIT *insipiens in corde suo : Non est Deus* et reliqua. In multis nos erudiens Apostolus, etiam id (1) edocet cum omni reverentia verbum Dei esse tractandum, dicens, *Qui loquitur , tanquam eloquia Dei* (I *Petr.* IV, 11). Non enim secundum sermonis nostri usum, promiscuam in his esse oportet facilitatem; sed loquentibus nobis ea quæ didicimus et leginus, per sollicitudinem sermocinandi honor est reddendus auctori. Et exemplum nobis cœlestis doctrinæ præstat humani officii consuetudo. Si enim quis verba regis interpretans, et præcepta ejus in aurem populi deducens, curat diligenter et caute per officii reverentiam regis satisfacere dignitati, ut cum honore ac religione omnia et relegantur et audiantur : quanto magis convenit Dei eloquia ad cognitionem humanam retractantes , dignos nos hoc officio B præstare? Sumus enim quoddam sancti Spiritus organum, per quod vocis varietas, et doctrinæ diversitas audienda est. Vigilandum ergo et curandum est ut nihil humile dicamus, metuentes hujus sententiæ legem : *Maledictus omnis faciens opera Dei negligenter* (*Jerem.* XLVIII, 10); proposito contra præmio curæ et diligentiæ eorum, qui cum reverentia ac metu sanctas Scripturas sibi tamquam Dei verba commendent, et cum debita dignitate ea insinuent mentibus audientium, Domino dicente : *Et super quem aspiciam, nisi super humilem et mitem et trementem verba mea* (*Esai.* 66, 2). Oportet igitur et prædicantes existimare non hominibus se loqui, et audientes scire non hominum sibi verba proferri, sed esse Dei voces, Dei constituta, Dei leges, et reverentiam maximam utrique (2) C officio convenire. Maximi enim periculi res est, de thesauris Dei, de sacramentis reconditis, de testamento æterno aliquid aut supervacuum proferre, aut negligenter audire. Consignanda sunt omnia animis, commendanda sensibus, quia nihil est verborum Dei, quod non sit implendum; et omne quod dictum est, habet quamdam jam efficiendi necessitatem; quia Dei verba decreta sunt.

2. Qui lectus est psalmus (*a*), *in finem* inscribitur. Si omnes ita inscriberentur, nihil esset difficultatis; excluderet enim omnem generalitas quæstionem. Sed cum alius aliam habeat inscriptionem, ex causis diversis tantum necesse est diversitates inscriptionum **65** exstitisse. Duplex autem in his qui *in fine* superscripti sunt intelligentia est : aut enim ea quæ in con- D summatione erunt continebunt, aut eorum quæ in toto psalmo erunt dicta, absolutionem psalmi finis impertiet. Sunt autem in psalmo omnia aspera, horrenda, pertæsa, blasphemiis plena, repleta sceleribus, querimoniis gravia. Non est confessio in Deum, A non lætitia in gaudiis, non in choris canticum; sed accusatio in profanos, sed querela in contumaces, sed dolor in afflictos. Ait enim, VERS. 1 : *Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus. Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in voluntatibus suis; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*, et reliqua. Sequitur in fine, VERS. 7 : *Quis dabit ex Sion salutare Israel? Dum averterit Dominus captivitatem plebis suæ, lætetur Jacob, et exsultet Israel.*

3. *Mundo perdito medicus exquiritur.* — Ut enim (*f.* si quis) pestilentem urbem ingressus, omnes omnino inhabitantes morbo dissolutos, et febribus æstuantes, et diverso ægritudinum genere confectos contemplatus sit, et nullum illic medicum inveniens ingemiscat, et nihil auxilii, nihil remedii adesse tantis malis doleat, et desævire magis membrorum pestem quotidie sentiat, sciatque medicum in longinquo positum mederi posse si adesset; quod solum (*b*) superest, dolore desperationis exclamet, dicens : Quis est qui eum præsentem efficeret, et salutare ejus afferret? omnem scilicet sollicitudinem ad vota convertens : pari modo Spiritus sanctus cernens (3) errorem generis humani, cernens mala seculi hujus ingravescentia, et morbum immedicabili morte grassantem, ubi Deus negatur a stulto, ubi abominandis voluptatum fallaciis corrupti sunt cuncti, ubi nullus bonum volens sit, ubi eorum guttura innocentium sint sepulcra, ubi lingua usi sint (*c*) in officium fraudulentiæ, ubi venenum aspidum labiis eorum verbisque suffusum sit, ubi os amaritudine et maledictione sit plenum, ubi velox pedum eorum ad effundendum sanguinem cursus sit; et per hæc non agnoscentibus viam pacis, in omnibus vitæ eorum viis infelicitas ingravescat : ubi in Deum nulla reverentia est, ubi devastatio plebis Dei persecutoribus tanquam cibus panis sit, et innocentium mortes, damna, supplicia fiat (4) satietas iniquorum : ubi Deus non invocatur, et trepidatur in nullis; creaturam in idolis omisso **66** Creatore reverentes : ubi Deus in generatione justa desperatur habitare, et consilium inopis confunditur, et spes patientiæ et jus illuditur : his igitur ita grassantibus malis et toto orbe dominantibus, conscius Spiritus sanctus ejus qui solus opem ferre possit, exclamat : *Quis dabit ex Sion salutare Israel?* Non enim Moyses dederat, non Elias, non Esaias, non Prophetæ (*d*); omnia Legis opera adversus tantam morborum pestem infirmabantur. Opus erat medico, qui una atque eadem auxilii sui ope universa curaret, et tot ac varios in toto orbe languores, non arte, non opere, (quia quando opus et ars singulis adhibita profuisset?) sed verbi potestate sanaret (*e*). Hunc

(1) Sic in nostro legimus ms. Antea, *inde edocet.*
(2) Legebatur *utriusque.*

(3) *Contuens.*
(4) Antecedens editio, *fiet.*

(*a*) Hoc concionem sonat.
(*b*) Par. ex Mic. *quod solum potest, dolorum desperatione*, etc. Concinnior visa est lectio ms. Vatic.
(*c*) Vaticanus codex, *ubi linguosi sunt.* Ex hoc ms. mox vocem *aspidum* restituimus.
(*d*) Vid. infra Tract. Psal. LII, n. 20.

(*e*) Non hic solam externam doctrinæ ac prædicationis verbi Dei gratiam ad sanandos hominum languores et morbos cum Pelagio requirit Hilarius; alias falso eam a Moyse, Elia, Esaia et prophetis datam negasset : sed internam vult et eam quidem quæ salva hominis libertate tam efficaciter animæ morbos cura-

requirit Spiritus, hunc exspectat, ad cujus adventum febris quiesceret, cæcitas desineret, paralysis non esset, mors non occuparet; hunc exspectat, hunc proclamat, hunc orat: *Quis dabit ex Sion salutare Israel?* Sed in singulis verbis, singulæ virtutes sunt explicandæ.

4. *Sion Christi corpus.* — Sion quæ sit Apostolus docet cum dicit: *Accedamus ad Sion montem, ad sanctam Jerusalem civitatem* (*Hebr.* XII, 22); omnes enim currimus apprehendere, in quo apprehensi sumus a Christo (*Phil.* III, 12), id est, inveniri in ejus corpore, quod ex nobis ipse præsumpsit, in quo ante constitutionem mundi a Patre sumus electi, in quo reconciliati ex inimicis, et acquisiti sumus ex perditis, in quo Apostolus cum damno universorum optat inveniri dicens: *Et omnia arbitror stercora, ut Christum lucrifaciam et inveniar in illo* (*Philip.* III, 8). Ergo quia non nisi ex assumptione carnis nostræ hi morbi essent nostri corporis auferendi, et ex assumptione carnis (1) salus nostra omnis in Deo est (*a*), idcirco ita ait: *Quis dabit ex Sion salutare Israel?*

5. *Salutare nomen Christi gentibus promissi.* — Sed in eo quod salutare est, virtus est nominis. Non nos aptamus (2) aut fingimus: sed in Veteris Testamenti libris *salutare* Dominum Deum nostrum nuncupari docemur, et proprie hoc nomen per pollicitationem gentibus semper indultum est. Ait enim Esaias: *Revelavit Dominus brachium suum sanctum in conspectu omnium gentium, et cognoscent omnes fines terræ salutare Dei nostri* (*Esa.* LII, 10). Omnibus igitur gentibus revelatum est, et ab omnibus cognitum est. Et rursus in psalmis Spiritus Sanctus exclamat: *Cantate Domino canticum novum quia mirabilia* **67** *fecit* (*Psal.* XCVII, 1 et 2). *Ostendit* (*b*) *Dominus salutare suum, in conspectu gentium revelavit justitiam suam.* Et rursum: *Annuntiate in gentibus gloriam ejus, et in omnibus populis salutare ejus* (*Psal.* XCV, 3). Et rursum: *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis* (*Psal.* LXXXIV, 8). Cujus spei desiderium Dominus (3) in Evangelio ostendit, dicens: *Multi Prophetæ et justi cupierunt videre quæ vos videtis et audire quæ auditis* (*Matth.* XIII, 17). Hoc A salutare Simeon exspectavit diu, et cum in manibus accepisset, agnovit, et inter vagitus infantiæ et cunarum sordes per fidem Deum vidit. In talibus et agnoscens adoravit, dicens: *Nunc dimitte servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace: quoniam viderunt oculi mei salutare tuum, quod præparasti in conspectu universorum populorum, lumen* (*c*) *in revelationem* (4) *gentium.* Ergo hoc salutare gentium annuntiatur, non carnali Israel, qui (*d*) in monte Dominum majestatis exspectavit, vidit, audivit; qui in prophetis lapidavit, occidit, secuit et occidit. Sed sermo iste omnis ad gentes est, et gentium (*e*) salutaris est.

6. Ita ait: *Dum avertit Dominus captivitatem plebis suæ.* Captivitas proprie gentium est, qui in corde suo dixerant (*f*): *Non est Deus;* qui trepidaverant ubi B non erat timor, qui spem inopis confuderant et illuserant, quia (*g*) Dominus spes ejus est; qui in generatione justa Dominum habitaturum negaverant, capti religionibus dæmonum, superstitionibus temporum, officiis creaturæ. Hæc captivitas (*h*) apellitur, hoc servitium adimitur. Sed (5) Israel erit ille qui credit, Israel erit ille qui Deum oculis cordis adspiciet: quia Israel Deum videns est, qui post captivitatem aversam hoc Dei salutare cognoscit. Lætatur Jacob, lætatur et Israel (6) captivitate aversa, libertate concessa, Deo contemplato, (7) Abraham et Jacob patribus per adoptionem familiæ nuncupatis. In his ergo lætemur, et in his exsultemus, scientes per nostram redemptionem ob unius pœnitentis salutem esse in cœlis gaudia angelorum (*Luc.* XV, 7); et cum cœlestis C lætitia pro nobis sit, oportet in Christo gaudia nostra esse perpetua, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

68 PSALMUS XIV.

Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula, et operatur justitiam; qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua, nec fecit proximo suo malum, et opprobrium non accepit adversus proximos suos. Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus: timentes autem Dominum glori-

(1) Præclaram hic emendationem liber noster obtulit. Legebatur antea, *salutiferæ omnis in Domino est:* quæ vel minime sanum efficiebant sensum, vel nullum.

(2) *Optamus.*

(3) *In Evangeliis.*

(4) Ita ex mss. veron. justa græcum, εἰς ἀποκάλυψιν. D

(5) Verba, *Israel erit ille qui credit*, non apparent in nostro codice, etymologiæ nominis nequaquam aptantur.

(6) *Civitate eversa.*

(7) *Abraham et Isaac et Jacob.* Ad calcem, *Explicit Psalmus* XIII. *Incipit Psalmus* XIV. *Domine, quis,* etc.

ret, quam curavit Christus varios corporum languores.

(*a*) Subauditur *caro* vel *homo.* Hinc l. 2 de Trinit. n. 25, prædicatur Christus *assumptione carnis unius interna universæ carnis incolere;* et in Psal. LI, n. 15, *naturam in se universæ carnis, naturam scilicet in se totius humani generis* assumpsisse, et in psal. LIV, n. 9, *universitatis nostræ caro factus.* Porro ut hic, ita in Psal. CXLVII, n. 1, Sion interpretatur Hilarius corpus Christi.

(*b*) Ex ms. Vatic. verbum *ostendit* prius omissum revocamus.

(*c*) Superior editio, *in revelatione.*

(*d*) Par. *in morte.* At Vaticanus codex *in monte.* Respicitur tempus quo Israeliticus populus legem accepit, non quo Dominum crucifixit. Mox *expectavit* videtur antiquo more scriptum pro *spectavit.*

(*e*) Postrema editione Par. repositum est, *salutare*, renitentibus mss. Habemus in Psal. LXVI, n. 4: *Jesum salutarem dici, ipse ille proprietatis sermo est.* Alibi hujus vocis idem usus est.

(*f*) Ita ms. Vatic. At Par. *induxerant.*

(*g*) Apud Par. *quia a Domino spes ejus*, mox omisso *justa.*

(*h*) Olim apud Par. et in ms. Mic. a prima manu, *appellatur*, deinde *pellitur.* At rectius in eodem ms. restitutum est *apellitur*, verbum Hilario solemne.

ficat (*Hil.* magnificat). *Qui jurat proximo suo, et non decipit : qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentes non accepit. Qui facit hæc, non movebitur in æternum.*

TRACTATUS PSALMI.

Tractatum hunc percurrentibus non satis primum apparebat unde illum Hilario certo assereremus. Imo ut ei abjudicaremus, multum propendebat animus Et quidem stylus illius nonnihil est planior quam solet. Videbatur quoque invictissimum fidei ac veritatis defensorem dedecere, mendacii officiosi fuisse prædicatorem : præsertim cum Augustinus, epist. CLXXX, *n.* 3, *librum ipsius* IX *de Trin., ab hujusmodi suspicione vindicasset. Totum tamen tertio ac quarto perlustrantibus non defuerunt notæ unde illius auctor internosceretur. Ac primo quidem occurrerunt voces ei familiares, puta* sacramentum *et* virtus contuenda verborum *n.* 2, virtus æternitatis *n.* 5. *Deinde quod in eodem num.* 5, *habetur de Christi corpore, affine est innumeris prope Hilarii locis : quod vero n.* 11 *de fiducia sui et insolentia, rursum in Psal.* LII, *num.* 15, *delibatur. Multa alia hujusmodi facilius est dispicientibus advertere, quam aliis demonstrare. Itaque cum etiam ei adscribatur non solum a Miciacensi codice, sed et a Vaticano ; non est ulla ratio satis valida, ut ei abrogetur. Neque enim mirum, quod psalmi in quo ut in exordio dicitur,* non prophetia est, non obscuritas, *minus intricata, minus obscura sit expositio. Neque magis est stupendum, quod Hilarius Origenem, cui cum pluribus aliis mendacium officiosum non videbatur illicitum, legens ac nonnumquam excerpens, re non multum discussa, in illius abierit sententiam quæ suæ ipsius indoli in beneficentiam propensissimæ plurimum faveret. Sed et si mendacium officiosum charitatis specie Hilario nostro imposuit, cum mendacium per se malum nullo obtentu queat approbari, ut optime et fuse Augustinus lib. contra mendacium demonstravit ; multa et præclara complectitur iste* ☞ *Tractatus ad mores optimos spectantia præcepta adversus arrogantiam, usuram, de usu munerum et alia Hilario dignissima. In his non est tacendum, quod quam libera, quam constans, quam, ut ita dicamus, superba adversus potentes ac principes iniqua jubentes debeat esse christiana humilitas, ut gestis ostendit, ita etiam hic n.* 12 *et scriptis commendavit.*

1. *Psalmi scopus.*— Psalmus qui lectus est, inscribitur *psalmus David ;* quia per eum Spiritus sanctus hæc locutus est. Et recte ita competit psalmo ; nihil enim in tempus alterum destinatur, nihil ex occultis A profertur, sed omne opus ejus in præsens est. Denique ita incipit, VERS. 1 : *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* Oratio est simplex (1) Dominum precantis et optantis (*a*) ab eo noscere, qui mores, quod studium, quæ voluntas sit cohabitaturi cum Deo, et in excelsis ejus et cœlestibus quieturi. Non est enim humilis cujusdam animi nec mediocris operis admisceri Deo (*b*), mereri ejusdem domicilii communionem. Ergo de quibus quæritur, statim respondetur : ut quia arduum est atque difficile hæc obtinere, quibus modis id consequendum sit intelligatur.

2. *Præcepta continet paucis multa et præclara.* — Dicit enim ad id quod quæsitum est, VERS. 2 : *Qui ingreditur sine macula, et operatur justitiam*, et cætera B psalmo (*c*) consequentia (2). Talibus præceptis formatur, talibus monitis instruitur, cui ad Deum iter est, cui ad (3) sublimitatem ejus adscensus est, cui in æternis ejus est requies. Præceptum autem omne brevitate collectum est, ut memoriæ mandetur, ut hæreat animo, ut foris ac domi, publice privateque, die ac nocte retineatur, (4) obtemperetur, instetur. Est enim hæc brevitas locuples et infinita, et ex omnibus Veteris ac Novi Testamenti præceptis institutisque decerpta, infantibus, feminis, viris, senibus aptissima. Atque ut brevitatis ipsius commendabilior esse possit opulentia, quid in singulis verbis sacramenti sit (*d*) prosequimur. ☞ Non est hic prophetia, non obscuritas, non exemplum. Vox interrogantis est, bonitas respondentis, (*e*) confirmatio audientis. Sed in C his virtus est contuenda verborum. Distinxit enim ita, habitationem in tabernaculo, requiem in monte : et prior est habitatio in tabernaculo, posterior requies in monte. Ut ergo habitationis et requiei distantia intelligatur, montis et tabernaculi proprietas explicanda est.

3. *Tabernacula instituta a Moyse.* — Et tabernacula quæ prius fuisse legimus, fuerunt levia, caduca, arescentia, ad tempus ex frondibus (5) tecta, qualia interdum a nobis effici solent vitandi æstus causa, ut infra umbram eorum ardorem solis æstumque vitemus. Istius modi enim tabernacula populo sunt per Moysen instituta. Sed hæc arefacta sunt et dissoluta. Erant enim imaginaria, (*f*) et facta ad exemplum (6). Ait enim ita Deus Moysi : *Vide ut facias omnia secundum speciem, quam ostendi tibi in monte* (*Exod.* XXV, 40). D David quoque templum ædificare optans, tabernaculum (*g*) cognominavit, sicuti ait : *Non dabo somnum oculis meis donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob* (*Psal.* CXXXI, 4 *et* 5). Sed et Moyses

(1) *Deum deprecantis.*
(2) *Psalmi consequentia.*
(3) *Sublima.* l. *sublimia.*
(4) *Temptetur.*
(5) *Texta.*
(6) *Et effecta de exemplo.*

(*a*) Apud Par. *et orantis*, et mox, *qui habitaturi.* Sequimur ms. Vatic.

(*b*) Restituimus *Deo*, ex ms. Vatic. in quo deinde, *misceri ejusdem domicilii communione ;* et paulo ante, *cujusdam nominis*, loco, *cujusdam animi.*

(*c*) Ita ms. Vatic. cum antea legeretur *psalmi consequentis.*

(*d*) Apud Par. *prosequitur.* Reponimus ex ms. Vatic. *prosequimur*, ex quo superius adjecimus vocem *ipsius.*

(*e*) Vaticanus codex, *conformatio.* Hujus auctoritate mox substituimus *contuenda*, cum obtinuisset *conjicienda.*

(*f*) Vatic. ms. *et effecta de exemplo.*

(*g*) Par. *cognominavit fœdus. Non dabo*, etc. castigatur ope ms. Vatic.

et Salomon tabernaculum condidit (*a*) (1), et deinceps Apostoli plurima tabernacula condiderunt, et per omnes orbis terrarum partes, (2) quæcumque adiri possunt (*b*), quin etiam in Oceani insulis habitationes Deo plurimas paraverunt. De quorum gloria testatur Spiritus sanctus : *Quam amabilia sunt tabernacula tua, Deus virtutum* (3) ! *concupiscit et deficit anima mea in atria Domini* (*Psal.* LXXXIII, 2 *et* 3). Non ergo unum tabernaculum, vel per Moysen frondeum, vel per David exoptatum, vel per Salomonem omnibus humanis operibus ornatum (4), Propheta desiderat ; sed multa et innumerabilia : quia etsi in orbe Ecclesia una sit, tamen unaquæque urbs ecclesiam suam obtinet ; et una in omnibus est, cum tamen plures sint, quia una habetur in pluribus.

71 4. *Templorum jugis habitatio quam felix.* — Primus itaque et maximus gradus est ad cœlestia adscendentibus, habitare in hoc tabernaculo, et illic noctibus diebusque vitam ævi totius agere, amotum a sæculi curis, et negotia mundi hujus relinquentem, sicut plures sanctorum numquam a tabernaculo recesserunt : ut de Jesu Nave scriptum est : Et Jesus juvenis non egrediebatur tabernaculum ; et Anna Prophetes non discedebat a templo, jejuniis et obsecrationibus serviens die ac nocte (*Luc.* II, 37). Post quæ in monte Domini quiescendum est : hinc enim proficiscentibus eo iter est, et non nisi (*c*) per hanc habitationem iter ullum est. Ergo quærendum prius de habitatione tabernaculi fuit ; quia ex eo in montem esset adscensus, deinde (*d*) habitatio est temporis et laboris. Quies vero non interpellatur extrinsecus, sed otium est juge, perpetuum, molestia carens, quod in statu suo maneat : cæterum si inquietudo se misceat, otii et naturam et nomen amisit.

5. *Mons in quo quies corpus Christi.* — Sed mons Domini nullus in terra est : omnis enim terra jam pridem per vitia hominum (5) maledictis obnoxia est. Nam et in Adæ operibus, et in Abel sanguine meruit offensam, et sub Noe habitantium peccatis fuit plena, et nunc quoque edita et excelsa quæque montium fanis, templis sacrisque maculantur. Ergo (*e*) non in his talibus exspectandus hic mons est. Sed ut editissimæ humi partes montes nuncupantur, ita necesse est in his quæ cœlestia sunt maxima atque sublimia sub montis nomine opinari. Et quid sublimius Christo? quidve excelsius (*f*) Deo nostro (*g*) ? Mons autem ejus est illud quod ex homine corpus assumpsit, in quo nunc habitat et sublimis et excelsus super omnem principatum et potestatem et omne nomen. Super hunc montem ædificata est civitas, quæ non possit abscondi : quia sicut ait Apostolus : *Non est aliud fundamentum, nisi Christus* (I *Cor.* III, 11). Ergo quia qui Christi sunt, in Christi corpore ante constitutionem mundi electi sunt, et (*h*) Ecclesia corpus est Christi, et fundamentum ædificationis nostræ Christus est, et civitas super montem ædificata : hic ille mons est, in quo quæritur quis possit esse requiescens. In alio quidem psalmo de hoc eodem monte sic legimus : *Quis adscendet montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus* (*Psal.* XXIII, 3)? Et Esaias nobis erit testis : *Et erit in novissimis diebus* 72 *manifestus* (6) *mons domus Domini, et dicent : Venite, adscendamus in montem Domini, in ædem Dei Jacob* (*Esai.* II, 2 *et* 3). Et rursum Paulus : *Vos accessistis ad Sion montem, et ad civitatem Dei viventis Jerusalem* (*Hebr.* XII, 22). Si ergo requiei nostræ spes omnis est in Christi corpore, et cum in monte sit quiescendum, montem non aliud possumus intelligere, quam corpus quod suscepit ex nobis, ante quod Deus erat, (*i*) et in quo Deus est et per quod transfiguravit (*f.* transfigurabit) corpus humilitatis nostræ conformatum corpori gloriæ suæ ; si tamen

(1) *Sed et Moysi et Salomonis tabernaculum concidit ; sed et deinceps Apostoli* etc. paulo ante de Moysis tabernaculis loquens : *Sed hæc arefacta sunt et dissoluta.*

(2) *Quacumque adiri potest.*

(3) *Domine virtutum.* Græce : Κύριε τῶν δυνάμεων. Deinde : *in atriis Domini.*

(4) In anteriori, *ordinatum.*

(5) Sic emendat ms. noster, perinde ut emendandum ad marginem suspicabatur Constantius. Antea : *maledictionibus noxia.*

(6) *Mons Domini*, Sic in Græco : τὸ ὄρος Κυρίου. Deinde *et in ædem* itidem ut apud LXX.

(*a*) Vaticanus codex. *Sed et Moysi et Salomoni tabernaculum condidit, sed deinceps*, omisso *apostoli ;* qua voce expuncta, legendum deinde *plurimi*, non *plurima.* Nil tamen immutandum. His simile est illud Tertulliani l. de Præscript. c. 20 : *Statim igitur*, inquit, *Apostoli..... primo per Judæam contestata fide in Jesum C. et ecclesiis institutis, dehinc in orbem profecti eamdem doctrinam ejusdem fidei nationibus promulgaverunt, et proinde ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, a quibus traducem fidei et semina doctrinæ cæteræ exinde ecclesiæ mutuatæ sunt, et quotidie mutuantur ut ecclesiæ fiant ; ac per hoc et ipse apostolicæ deputantur, ut soboles apostolicarum ecclesiarum. Omne genus ad originem suam censeatur necesse est. Itaque tot et tantæ ecclesiæ una est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes... Sic omnes prima et apostolicæ, dum una omnes probant unitatem.* Sic de unitate Ecclesiæ Cyprianus : *Ecclesia una est, quæ in multitudinem latius incremento fecunditatis extenditur, quomodo solis multi radii, sed lumen unum ;* et epist. 52 : *Una ecclesia, una per totum mundum in multa membra divisa.*

(*b*) Ita ms. Vat. concinnius, quam apud Par. *potest, Quin etiam ex Oceani insulis.* Si cui scrupulus hæserit an Hilarii ætate in Oceani insulis ecclesiæ fuerint, ipsius librum de Synodis adeat *Britanniarum* episcopis una cum aliis inscriptum.

(*c*) Ut enim ait Cyprian. de unit. Eccl. *Si potuit evadere qui extra arcam Noe fuit, et qui extra Ecclesiam foris fuerit evadit*, etc.

(*d*) *Subaud.* quia.

(*e*) Sic ms. Vatic. At apud Par. *non in ista tibi exspectandus*, etc. Ubi *exspectandus*, id est, *spectandus.* Ex proxime dictis liquet hoc opus scriptum cum ferveret idolorum cultus.

(*f*) V. Tract. Psal. XIII, n. 4.

(*g*) Hæc verba, *quidve excelsius Deo nostro*, cum prius deessent, huc revocamus ex ms. Vatic.

(*h*) Par. *Ecclesiæ corpus est Christus :* repugnantibus mss. Rursum infra Tract. Psal. LI, n. 4, habetur : *Ecclesia quæ corpus est Christi.*

(*i*) Hæc verba, *et in quo Deus est et*, apud Par. omissa supplemus ope ms. Vatic.

et nos vitia corporis nostri cruci ejus confixerimus, ut in ejus corpore resurgamus. Ad illud enim post habitationem Ecclesiæ scanditur, in illo in Domini sublimitate requiescitur, in illo cum Angelorum choris, cum et nos simus Dei civitas, sociabimur. Quiescitur autem, quia nullus fit (*a*) ex infirmitatibus dolor, nullus ex inopia metus; sed omnibus firmitate sua per virtutem æternitatis utentibus, in his sit extra quæ nihil indigeant quiescendum.

6. *Vitia cavere, virtutes sectari.* — Ergo ad id quod quæsitum est, *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo* (1)? respondit Spiritus sanctus per Prophetam: *Qui ingreditur sine macula, et operatur justitiam.* Igitur impollutus ingrediens, et extra omnem peccati labem vivens, hic esse responsus est, cui post baptismi lavacrum nullæ adhæserint sordes, sed sit immaculatus et nitidus, sitque ei non corpus stupris contaminatum, non oculi spectaculis theatralibus sordidi, non mens vino ebria, non pecuniæ vita ancilla. Magnum est igitur his abstinere; sed in non his (*f.* non in his) statim confecti itineris est requies: cœpta enim in his via est, non peracta. Nam sequitur: *Et operatur justitiam.* Bonum non tam cogitandum est, quam exsequendum: et benevolentia non ineunda est, sed explenda. Justitiam enim velle, hic erit fructus ut fiat. Et quidem in his utilis est ad Dominum cursus; verum plura sunt reliqua.

7. Restat enim, VERS. 5: *Qui ingreditur sine macula, et operatur justitiam. Qui loquitur veritatem in corde suo.* Superiora illa, licet magna atque præclara sint, solent tamen cum gentibus esse communia, ut vitium caveant, (2) ut famam bonitatis acquirant. Sed hæc animalium, non spiritalium virtus est. Apostolus enim et carnalem hominem posuit, et animalem, et spiritalem: carnalem, 73 belluæ modo divina et (3) humana negligentem, cujus vita corporis famula sit, negotiosa cibo, somno, libidine. Animalis autem, qui ex judicio sensus humani quid decens honestumque sit sentiat, atque ab omnibus vitiis animo suo auctore se referat, suo proprio sensu utilia et honesta dijudicans; ut pecuniam spernat, ut jejuniis parcus sit, ut ambitione careat, ut voluptatibus resistat, ut bonitate venerabilis sit. Sed præsens in his tantum et inter homines homini erit usus. De quibus ait gentium Doctor: *Secundum doctrinas et præcepta hominum, quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ in superstitione et humilitate sensus, ad non parcendum corpori non in aliquo honore, ut ad saturitatem carnis* (*Coloss.* II, 22 *et* 23). Spiritalis autem est, cui superiora illa ad Dominum studia sint, et hoc quod agit, per scientiam Dei agat, intelligens et cognoscens quæ sit voluntas ejus, arcanum secreti consilii et absconditi a temporibus sæculi per revelationem ac donum Spiritus sancti intelligens, et sciens quæ ratio sit a Deo carnis assumptæ, qui crucis triumphus, quæ mortis potestas, quæ in virtute resurrectionis operatio. Hæc, ut idem apostolus docet, *animalis homo non percipit, quæ sunt Spiritus Dei; stultitia est enim illi: nec potest intelligere, quoniam spiritaliter interrogatur. Qui autem spiritalis est, judicat omnia, ipse vero a nemine judicatur* (*I Cor.* II, 14 *et* 15).

8. *Sine fide sterilia opera.* — Conscius ergo Spiritus sanctus, ea quæ superiora sunt in vitæ innocentia et in operibus justitiæ, et gentibus et hæreticis esse communia. Namque plures eorum et jejuniis corpora defatigant (*b*), et continentiam patrimoniorum largitione testantur, et pudicitiam virginitate consummant. Sed quia, abundatura hæc et multa istiusmodi in ipsis essent, Dominus ad discipulos sic locutus est: *Amen dico vobis, cum venerit filius hominis, putatis inveniet fidem super terram* (*Luc.* XVIII, 8)? Sciebat et virginitatem et continentiam et jejunia esse curanda; et quia hæc non proficiunt (4) ad sanctitatem, nisi expleantur in Christo, id est, cum Christi veritate consentiant; ad id quod superius dixerat, propheta subjecit: *Et loquitur veritatem in corde suo*, superiora illa inutilia demonstrans, nisi in confessionis veritate suscepta sint. Et in his quidem conscendentibus ad requiem montis Domini gradus celsus est, in innocentia videlicet, et in operibus, et in confessione: sed licet provecti per plura simus, adhuc 74 tamen (5) alia sunt (*c*) reliqua.

9. *Fidei veritatem ore et opere proferre.* — Solent enim plures gloriosam intelligentiæ verborum speciem præferre, et voluntatis ac judicii decus etiam sermonum (6) honestate mentiri; cum de Deo benè sentiant et loquantur, verbis autem ac sensui suo gestis atque operibus mentiantur. Ili sunt qui quæ loquuntur oderunt, et his quæ prædicant ipsis rebus inimici sunt. Ergo ad veritatem cordis adjunxit dicens: *Qui non egit dolum in lingua sua;* ut veritatem quam sentit, non fallat in verbis; ut Catholicæ doctrinæ professionem, et ita sentiendi ac prædicandi judicium etiam operatio consequatur: quia, secundum Apostoli testimonium, ut in corde creditur, ita in ore confessio fit ad salutem (*Rom.* x, 16). Ergo ut sit in Dei requiem (*d*) dignus adscensus, in verborum ac linguæ veritate vivendum est: ut per operationum fidem sensus nostri verba non falsa sint.

10. *Mendacium officiosum.* — Sed artum hoc, et per sæculi nequitias et vitia difficile iter (*e*) est. Est

(1) Adjungit ms. Veron. *aut quis requiescet in monte sancto tuo?*
(2) *Famam bonitatis acquirunt.*
(3) *Humana omnia negligentem.*

(4) *Ad salutem.*
(5) *Alta* expressimus ex cod. nostro, et ex contextu. Antea alta.
(6) In anteriori, *verborum.*

(*a*) Sic ms. Vatic. rectius quam apud Par. *ex impietate dolor*, omisso deinde *nullus.*
(*b*) In ms. Vaticano *deificant.*
(*c*) Apud Par. primo mendose *adjicies*, deinde *alia sunt.* Reponimus ex ms. Vatic. *alia sunt*, quamvis etiam legi queat, *alia sunt.*
(*d*) Vaticanus codex post *requiem*, subjicit *hujus.*
(*e*) Addimus *iter* ex ms. Vatic.

enim necessarium plerumque mendacium, et nonnunquam falsitas utilis est, cum aut percussuro de latente mentimur, aut testimonium pro periclitante frustramur, aut fallimus de difficultate curationis ægrotum; et oportet secundum Apostoli doctrinam sermonem nostrum sale esse conditum (*Coloss.* IV, 6). Idcirco nunc Spiritus sanctus falsitatis affectum mendacii conditionibus temperavit (*a*) dicens: *Qui non egit dolum in lingua sua, nec fecit proximo suo malum*, ut crimen mendacii in incommodo haberetur alieno.

11. *Insolentem in alios aut sibi fidentem non esse.*— Sed licet quæ superius diximus expleantur, et ingrediatur innocens, opereturque justitiam, veritatem corde complectens, se ipsum in his quæ locutus fuerat non fallens, malum proximo non inferens; perfectus tamen in his non erit. Est adhuc aliquid in nobis edomandum, exspuendum, perimendum: et quid illud sit, idem (1) qui per superiora confirmat propheta, subjecit dicens: *Et opprobrium non accepit adversum proximos suos.* Insolentiæ scilicet et fiduciæ vitia depellit, et commune illud superbiæ malum tollit. Quid enim tam inane, tam miserum, quam homo homini superbiens, quam de se aliquid fidens? Nonne videmus plures per opum insolentiam, cum (2) exprobrassent inopum egestatem, amissis omnibus egere; et aliorum miseriam fastidientes, rursum eguisse miserantum? plures etiam per præsumptionem vitæ diu (*b*) innocentis ad crimina devolutos, et cum delicta aliis **75** exprobrarent, ipsos vix ad pœnitentiæ veniam pertinere? Non est igitur opprobrium adversus proximos ineundum: sed si quid in iis incuriosum, si quid petulans, si quid negligens, si quid incontinens deprehenditur, sine exprobrationis amaritudine, (*c*) blandimento emendationis est corrigendum. Hoc humilitas, (*d*) hoc sui per metum diffidentia, quæ validissima fiduciæ custos est, curat, ne sit admonitio contumelia, ne sit emendatio opprobrium, ne sit doctrina convicium. Sic fiduciam (*e*) orantis pharisæi Dominus in Evangeliis damnavit, tum cum in medio consistens ita sermocinaretur: *Gratias tibi ago, Domine, quod non sum sicut cæteri homines, adulteri, avari, sicut et hic publicanus. Erat autem publicanus in secreto orans: Domine, miserere mei peccatoris* (*Luc.* XVIII, 11 et 13). Huic orationi ejus Scriptura subjecit, *Quia magis justificatus egressus est publicanus quam pharisæus* (*Ibid.* 14). Misericordiam Dei peccati confessione promeruit publicanus: pharisæus vero honorem eorum quæ de se proferebat, per insolentiam opprobrii amisit.

12. *Humilitas non careat constantia.* — Sed forte jam dignum se quis, si hæc universa adeptus sit, promissionibus Dei credit; cum se post innocentiam, post bonitatem, (3) post prudentiæ modum (*f*), etiam humilitate moderatus sit. Sed plura adhuc restant. Nam ut significavit in eo mendacio esse peccatum, si alteri malum mentientis falsitas compararet; ita nunc ubi opprobria adversus proximos non sumenda decernit, habendam tamen rationem ipsius humilitatis adjecit. Quæ autem hæc ratio sit, cohæret in versu: *Et opprobrium non accepit adversus proximos suos. Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus.* Non oportet humilitatem carere constantia, et libertas Dei a nobis in ea quam omnibus debemus servitute retinenda est (*al.* retinendum), ne ad potentium impetus terreamur, ne ad malevolorum arbitria cedamus. Interdum enim etiam regibus iniqua poscentibus turpi adulatione famulamur, et vitiis alienis conscientiæ nostræ infirmitate blandimur. Ergo si jam in professionem iniquitatis abruperit, ut in versu explicatur: *Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus:* oportet istius modi hominem apud nos non alicujus, sed nullius esse judicii, ut sit nobis (4) nullus (*g*), abolitus, interemptus. Spiritalia **76** enim tractantem, et cœlestia contuentem decet humanæ nequitiæ despicere momenta, et animo sublimi et excelso (*h*) istiusmodi malevolentiæ hominem tamquam nullus sit opinari.

13. *Honor nulli Deum timenti denegandus.* — Sed magnitudinem fidei nostræ nimium forte erexisse propheta adversus iniquos judicabitur. Sed spectandum est quid sequatur: *Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus: timentes autem Dominum magnificat.* Ergo ut sine personæ exceptione nullus nobis qui malignus est debet esse; ita et sine exceptione personæ omnis qui Dominum timeat honorandus est. Non nos moveat innocens pauper, non (*i*) jejunans anus, non servus fidelis, non confidens in ecclesiæ habitatione peregrinus; sed omnes pari judicio revereamur, ut talis sit in eorum qui timent Dominum magnificatione humilitas, qualis esse debet in nihil æstimandis malevolis libertas.

14. *Baptismo jurata constanter tenenda.* — Et quia in regenerationis nostræ nativitate in hæc (5) sacramenta juramus, renuntiantes diabolo, seculo, pecca-

(1) Ita ex ms. Ecclesiæ Veron., plane ut conjectura sua marginali assecutus erat Custantius, et profecto rectius quam in anteacta editione: *qui per superiorem confirmat Prophetam dicens:* quamquam veremur, ne non genuina sit lectio.

(*a*) In prima editione Par. ex margine huc irrepserat, *Origenianum:* qua voce carent mss.

(*b*) Ita emendamus, cum prius legeretur *innocentes ad omnia devolutos.*

(*c*) In prima editione Par. *blandimento enim dictionis*, dissidentibus mss. Paulo ante *si quid negligens* adjecimus ex Vatic.

(*d*) Par. *hoc super metum:* mendose.

(*e*) Ita ms. Vatic. At Par. *errantis.*

(2) *Exprobrent inopibus.*

(3) *Post prudentiam.*

(4) *Nullius.*

(5) *Sacramento.*

(*f*) Vaticanus codex, *post prudentiam.* Mox apud Par. *moderatum scit.*

(*g*) Desiderabatur antea *nullus*, quod ex ms. Vatic. supplemus.

(*h*) Apud Par. *istiusmodi malevolentiæ tamquam nullius opinari:* qui locus resarcitur ex ms. Vatic.

(*i*) Ita Vaticanus codex: cum mendose ferretur apud Par. *jejunans sanus.*

tis, cum interrogantibus respondemus; retinendam usque in finem confessionis hujus fidem statuit dicens: *Qui jurat proximo suo, et non decipit.* Quamvis enim quis in mandatis Dei diu manserit, tamen si aliquando fefellerit, jam non manet cum fefellit, et justitia anterior injustitia tempore amittitur. In Evangelio (1): *Beati, qui manserint usque in finem* (*Matth.* XXIV, 15). Idcirco apud Salomonem omnis laus in exitu canitur: quia in his quæ promissa sunt Deo, non est aliquando fallendum (*Eccli.* XI, 30).

15. *Usuræ iniquitas.* — Sed tendit usque ad consummationem perfectam admonitio cœlestis. Num cui vitium omne detersit, cupiditatem quoque (2) ejus, quæ nimium nos detinet, pecuniæ avertit dicens: *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* Fallax hoc beneficium, et humanitas fraudulenta, damnosa hæc benevolentia docetur. Quid enim tam intolerabile, quam ut indigenti ita beneficium tribuas, ut magis egeat; et miseriam inopis opem laturus accumules? Si christianus es, (*a*) quid a Deo præmii exspectas, ipse ab hominibus non beneficia (3) exspectando, sed damna? Si christianus es, quid otiosam (*b*) pecuniam tuam in reditum componis, et fratris tui inopiam pro quo Christus mortuus est, thesaurum 77 tuum efficis? Si christianus es, non quæro ut largiaris, saltem debitum sic reposce, ne spolies; et memento eum a quo usuram repetis, esse inopem et pauperem, propter quem Christus inops voluit esse et pauper. Itaque sive injuriam, sive beneficium cum pauperi præstas, Christo præstare te nosce; quia propter eum, cum Deus esset, indigentiam ejus est dignatus et nomen.

16. *Munerum usus qui licitus, qui vetitus.* — Sed ne durus sermo admonitionis istius crederetur, tamquam si penitus sub usurarum nomine habendi curam removisset: non igitur acquirendi sollicitudinem sustulit, quin etiam modestiam accipiendi muneris temperavit, dicens, ad id quod dixerat: *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram; et munera super innocentes non accepit.* Est quædam munerum consuetudo, quæ honorem afferat largienti, ita ut (*c*) maximi doloris sit oblata contemni, quam damni donasse quæ sumpta sunt. Igitur ea munera quæ in alterius operarentur injuriam inhibuit. Nam si usum munerum omnino abstulisset, satis fuerat dixisse: *Et munera non accepit.* Sed quia simplex donorum usus aut ex hominis, aut etiam ex Dei reverentia venit; ea vetuit munera, quæ integritatem judicii corrumperent, quæ innocentis injuriam emerent, quæ nullum in se charitatis mutuæ officium continerent. Ut enim quæ Deo offerimus, his quidem ille non eget, sed per nos debitæ reverentiæ (4) impletur officium: ita eam in muneribus docet observandam esse rationem, ut ea sumantur a nobis, quæ sint grata et utilia offerentibus, non quæ nos faciant venales, nec insidiosa innocentibus sint, nec munerantibus sumptuosa, officio potius quam cupiditate sumpta, honore ingesta (*d*) quam metu, charitate magis suscepta quam lucro.

17. *Qui facit hæc, non movebitur in æternum.* — Per hæc igitur est habitatio in tabernaculo, per hæc requies in monte. Restat ergo præceptorum custodia, et mandatorum opus. Condendus est psalmus in viscera, scribendus in corde, in memoria signandus, et hujus nobiscum noctibus diebusque copiosæ brevitatis thesaurus comparandus: ut acquisita hac in viaticum æternitatis opulentia, et habitantes in Ecclesia, tandem in gloria corporis Christi quiescamus.

78 PSALMUS LI.

In finem (5) *intellectus David, cum venit ad eum Doec idumæus, et nuntiavit Saüli, Venit David ad domum* (*e*) *Achimelech.*

Quid gloriaris (*f*) *in malitia,* (*g*) *qui potens es in iniquitate? Tota die injustitiam cogitabit* (*h*) *lingua tua: sicut* (*i*) *rasorium acutum fecisti dolum. Dilexisti malitiam super benignitatem, iniquitatem* (*j*) *magis quam loqui æquitatem. Diapsalma. Dilexisti omnia verba præcipitationis, linguam dolosam. Propterea Deus destruet te in finem,* (*k*) *evellet te, et emigrabit te de tabernaculo tuo, et radicem tuam de terra viventium. Diapsalma. Videbunt justi, et timebunt; et super eum ridebunt, et dicent: Ecce homo qui non posuit Deum adjutorem suum: sed speravit in multitudine divitiarum suarum, et prævaluit in vanitate sua. Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei, speravi in misericordia Dei in æternum, et in sæculum sæculi. Confitebor tibi in* (*l*) *sæculum, quia fecisti, et exspectabo nomen tuum: quoniam bonum est in conspectu sanctorum tuorum.*

(1) Ex codice nostro hic expunximus præpositionem *in*. Exinde legimus: *Et idcirco in Evangelio.*
(2) In anteriori, *ei.*
(3) *Expetendo.*
(4) Ita ex ms. nostro rectius, quam in anteriori, *explemur officio.* Deinde, *servandam.*
(5) In Veron. exemplari sic effertur hic titulus: *In finem intellectus illi David, cum venit Doec Idumæus, et annuntiavit Saul et dixit ei: Venit David in domum Abimelech.*

(*a*) Apud Par. *quid ab eo præmium præmii*, etc. Restituimus *a Deo*, expunximusque *præmium*, Vaticani codicis auctoritate.
(*b*) Adjecimus ex Vatic. ms. *otiosam*, hoc est, sterilem. Mox in eodem ms. *in redditum*: et paulo post, quod et nobis probatur, *de thesauro tuo*, non *thesaurum tuum.*
(*c*) Apud Par. *majoris*; non male, si suffragarentur mss. Mox in editione prima, *quam donasse*; in postrema, *quam dona donasse.* Ex codice Vaticano, in quo corrupte, *quædam indonasse*, corrigimus, *quam damni donasse*; maxime cum ms. Mic. præferat, *quam damna donasse.*
(*d*) *Subaudi* magis.
(*e*) Hilarius Abimelech.
(*f*) Hil. *gloriatur.*
(*g*) Hil. *potens iniquitate tota die?*
(*h*) *Cogitavit.*
(*i*) Hil. *novacula acuta.*
(*j*) Hil. *super quam loqui justitiam.*
(*k*) Hil. *evellat et emigret.*
(*l*) Hil. *seculo*

TRACTATUS PSALMI.

1. Vers. 1, 2. Superscriptio ipsa psalmi sollicitam expetendæ intelligentiæ postulat diligentiam. Est enim in exordio ejus statim positum, *In finem intellectus.* Nam et non sui temporis res psalmus continere ostenditur, cui præscriptio tituli *in finem* est. Et cum in fine (*al.* in finem) intelligentia sit, non potest in eo alicujus alterius magis rei intelligentia esse quam finis. Finis autem est, ut frequenter ostendimus, quo concluduntur omnia, cujus causa cætera sunt, ad quem universa spei, rerum, negotiorum opera festinant.

2. *Quid spectet hic psalmus.* — Intelligentia ergo psalmi in eo consistit, ob quem (*a*) omnia sunt, extra quem nihil est. Et quis iste sit, superscriptio ipsa quæ continere historiam existimatur ostendit. Est enim talis : *In finem intellectus illi* **79** *David. Cum venit Doec* (*b*) *Idumæus, et annuntiavit Sauli, et dixit ei : Venit David in domum* (1) *Abimelech* (*c*). Atque ut absolutius rationem superscriptionis consequi possimus, ipse rerum gestarum ordo subdendus est. Doec præpositus erat mulorum Saul : qui ad Saul ait : *Vidi filium Jesse venientem in Noba ad* (*d*) *Abimelech filium Achitob. Et interrogavit* (*e*) *eum in Domino et manducare dedit illi, et gladium Goliæ alienigenæ dedit ei.* Quibus auditis, rex potestatem Doec sacerdotum et civitatis dedit (I *Reg.* xxii, 9). Dehinc Scriptura subjecit : *Et circumivit*, inquit, *Doec Idumæus, et tetigit sacerdotes, et mortificavit in die illa octoginta et quinque, omnes ferentes ephod,* (*f*) *et Noba civitatem sacerdotum dejecit in ore gladii* (*Ibid.* 18, 19). Hæc itaque omnis gestorum fides est : ex qua tantum ad psalmi titulum (2) præsumptum est, quantum et sacramento psalmi, et propheticæ satisfaceret doctrinæ. Id enim solum in superscriptione est : *Cum* inquit, *venit Doec, et annuntiavit Saul, et dixit : Quia venit David in domum Abimelech.* Et necessario post quinquagesimum psalmum (in quo peccatorum remissio secundum sanctificati hujus, ut in exordio psalmorum (*Prolog. n.* 10) docuimus, numeri virtutem continetur), A psalmus iste tempore anterior, ordine posterior collocatur : ut id quod *in finem intellectus* præscribitur, perfectis undique et absolutis sacramentorum generibus possit intelligi.

3. *Abimelech quid significet.* — Abimelech, interpretatione verbi, *fratris mei imperium* significat. Quod enim nobiscum fratris mei imperium dicimus, id Hebræi Abimelech nuncupant. Cum ergo Sauli dicitur : *Venit David in domum Abimelech ;* illi inimico David nuntiatur, quod domum ingressus sit fratris imperii. Domus autem imperii fratris quæ sit, Petrus apostolus docet, dicens : *Et vos quasi lapides vivi ædificamini* (*g*) *domus spiritalis ad sacerdotium sanctum* (I *Petr.* ii, 5). Et infra : *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, genus sanctum, plebs ad* B *possidendum* (*Ibid.* 9). In hanc igitur spiritalem domum ædificandi in regale **80** genus sumus, si per spiritalem corporum ædificationem conformes Deo facti, genus perfici regale mereamur. Hanc ergo Abimelech domum, id est, domum fraterni regni David ille verus, sanctus, rex, justus, oriens ingressus est ; factus scilicet nostri corpori homo. Quæ domus fraternum (3) ei regnum est : quia in ejusdem corporis gloria cohæredes sumus regni ejus, ipso dicente : *Venite, benedicti patris mei, possidete præparatum vobis regnum a constitutione mundi* (*Matth.* xxv, 34). Quod autem fratres ejus sint, quorum domum regiam fuerit ingressus, per prophetam testatur in psalmo dicens : *Annuntiabo nomen tuum fratribus meis, in media eccle-* C *sia laudabo te* (*Psal.* xxi, 23). Concessa ergo secundum præcedentem psalmum peccatorum remissione, Verbum caro factum habitat in nobis, qui et fratres, et domus spiritalis, et regale genus sumus.

4. *Quis prodat ingressum.*—Populus autem impius et parricidalis et proditor, qui in Doec (*h*) persona (4) significatur, regi suo inimicus, scilicet David, prodit quod in domo Abimelech sit. Et hoc fit, cum Pilato traditur, cum homo crucifigendus offertur, cum repudiato rege regem suum Cæsarem (*i*) confitetur

(1) Heic P. Constantio fucum fecit anonymus auctor Breviarii in Psalterium. Nam dum iste scribit in Psalterium hebraicum errorem facilius irrepsisse propter duplicis characteris כ et ב similitudinem, se litterarum hebraicarum imperitissimum prodit. Etenim in hebraico textu vox *Achimelech* exarata est, quæ neutiquam per ב sed per ח effertur.

(2) *Ab psalmi titulo.*

(3) Legebatur *fratris mei*, minus recte.

(4) *Persona*, abest a nostro exemplari.

(*a*) Sola editio Par. *de quo omnia.*

(*b*) Sic mss. constanter juxta græcum, non *Doech* ut in excusis, aut ut in vulgata *Doeg.*

(*c*) Lips. et Par. hic et deinceps constanter juxta Vulgatam, *Achimelech.* Sic et habet Psalterium hebraicum, in quod, inquit apud Hieronymum auctor Commentarii in Psalmos, eo facilius obrepsit error, quod litteræ beth ב et caph כ apud Hebræos modico apice distinguantur. At Bad. Er. et mss. cum laudato auctore necnon Augustino juxta LXX præferunt, *Abimelech :* de cujus dictionis mysterio fuse disserit Augustinus in hunc Psalm. n. 5.

(*d*) Monent Augustinus ac vulgatus Hieronymus in hoc libri Regum loco scriptum esse *Achimelech.* At nostri mss. etiam hic sibi constant, consentiente editione novissima Interpretum LXX ad plures mss. exacta, in qua hic quoque legere est Αβιμέλεχ, non Αχιμέλεχ.

D (*e*) Ita Bad. Er. et omnes mss. faventibus LXX ἠρώτα αὐτῷ διὰ τοῦ Θεοῦ. At Lips. et Par. *interrogavit eum in domo.*

(*f*) Regius ms. *et civitates :* non probatur. Non enim civitates, sed civitatem Noba, quam incolebat Abimelech, cum sacerdotibus a Saul in potestatem Doec traditam Scriptura memorat.

(*g*) Excusi *in domos spiritales.* At mss. *domus spiritalis*, sacro textui græco et latino consentientes. Mallemus deinde, *ac sacerdotium sanctum.* Infra n. 20, habetur, *ædificamini domus spiritalis, regnum sacerdotale.* At ista *regnum sacerdotale* non ex eodem contextu, sed ex capitis ejusdem versu 9 adducuntur.

(*h*) Adjecimus *persona* ex Regio ms. Mox cum eodem magis placuit *inimicus*, quam cum vulgatis, *inimico.*

(*i*) *Mss.* confitentur.

prodens quidem eum in domo esse Abimelech, sed non intelligens eum, (*a*) cum in domo Abimelech sit in domo esse imperii fraterni, corpus scilicet, in quo ei (*b*) sanctorum Ecclesia, quæ corpus est Christi, conformis conregnabit, ingressum, id est, in qua et desideratum sibi cibum sumpserit : desiderio enim manducare pascha desideravit (*Luc.* XXII, 15); et ex qua Goliæ, id est, diaboli arma sustulerit; fortis enim spolia ipse diripuit (*Luc.* XI, 22) post quod ab hoc eodem Doec (1), id est, populo proditore Apostoli occisi, ecclesiæ subversæ sunt. Hinc ergo titulus psalmi, *in finem intellectus;* quia in Christo, qui David, oriens, justus, rex et æternus et pastor est, totius spei nostræ consummatio, et legis finis intelligitur esse : qui et secundum psalmi titulum et ordinem in ea corporis sui domo proditus est, quæ ei fraterni domus esse significatur imperii.

81 5. VERS. 5. *Gloria alia bona, alia mala.* — *Quid gloriatur* (*c*) *in malitia, poténs* (2) *iniquitate tota die?* Querela Prophetæ est, gloriari eum in (*d*) iniquitate (3) tota die, qui in malitia potens sit. Et hæc quidem gloria iniquitatis arguitur. Cæterum est gloria et expetenda et confitenda, et affectu quodam exsultantis gaudii eloquenda : quod utrumque sub iisdem dictis alius propheta demonstrat, dicens : *Non glorietur sapiens in sapientia sua, neque fortis in fortitudine sua, neque dives in divitiis suis : sed qui gloriatur, in Domino glorietur* (*Jerem.* IX, 23 *et* 24). Vetitis enim primum improbabilis gloriæ causis, causam rursum gloriæ competentis ostendit. Quo exemplo beatus Apostolus scit, in nullo sibi, nisi in uno tantum esse gloriandum, cum ait : *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* (*Gal.* VI, 14). Non ergo gloria istiusmodi, sed gloria iniquitatis offendit; et ejus iniquitatis, quæ die tota sit. Diem pro ætate vel tempore hominis nuncupari solere meminimus, cum dicitur : *Diem hominis non concupivi* (*Jer.* XVII, 16) : vel rursum cum Abraham diem Domini desideravit (*Joan.* VIII, 56) : vel cum Apostolus Satanæ tradit in interitum carnis, ut spiritus salvus sit (*e*) in die Domini (I *Cor.* V, 5), non hunc diem ortu solis occasuque finitum, sed diem constituti temporis vel ætatis ostendens. Potens ergo in malitia, gloriatur in iniquitate tota die.

6. *Doec, id est, Judæi semper in iniquitate.* — Sed absolute intelligitur, in Doec persona rationem querelæ hujus non convenire. Quid enim potentiæ habebat mulorum custos, et jus in animalia vectionis regiæ sortitus, (*f*) aut tantum nuntians David domum Abimelech ingressum? Numquid tota die in iniquitate gloriatur? Verum sub persona ejus, populus cui omnis iniquitate ætas fuit, cui ex potentatu malitiæ, gloria iniquitatis ipsius abundavit, significari intelligendus est. Potens enim fuit, (*g*) cum serviens visitabatur a Domino, cum propter eum tot plagis percussa est Ægyptus, cum in trium dierum tenebris tenebras ipsas lumine secum manente non sensit, cum Ægyptum ipsam argento et omni ornatu despoliatam cladi suæ reliquit, cum secundum diei noctisque tempora columna nunc nubila **82** nunc igneausus est, cum rubrum mare (*h*) pedes (4) transivit, cum Angelorum cibo vixit, cum majestatem descendentis ad montem Dei vidit, cum vocem (*i*) de igne loquentis audivit, cum regna multa bellis gravibus evertit, cum Jordanem refluentem ut sibi areret spectavit, cum prophetas habuit, cum sacerdotibus ad emundationem peccatorum et redemptionem animæ suæ usus est, cum obtinere regnum suum meruit. Sed in his omnibus cum potens esset, tamen in malitia sua potens semper fuit, cum cepas et alia Ægypti et cum carnes desideravit, cum ob vitiorum consuetudinem servitutem impiam libertati piæ prætulit, cum vitulum adoravit, (*j*) Moysi maledixit, Deum abominatus est, filios suos dæmonum (*k*) hostias vovit, prophetas occidit, ipsum quoque Deum ac Dominum suum sui causa natum hominem, proditum (*l*) prætori in crucem sustulit. Ac sic toto vitæ suæ die in iniquitate glorians, cum potens esset, potens tamen in malitia esse permansit.

7. *Linguæ officium.* — Post hanc ergo de eo prophetici doloris querelam, jam in ipsum sermo con-

(1) *Post hoc eodem Doec.*

(2) *Quid gloriaris in malitia, qui potens es*, etc. juxta Hebraica, Græca atque Latina psalteria.

(3) Hic et ubique hujus psalmi codex noster, *in iniquitatem.*

(4) In præcedenti erat *pede.* Ad Psalmum CXIX, littera 5, num. 2, *pedes transiit.*

(*a*) Hæc verba, *cum in domo Abimelech sit*, in prius vulgatis omissa restituimus ex mss.

(*b*) Desideratur *ei* apud Bad. et Er. Ejus loco apud Lips. et Par. præferebatur *et*, in Regio autem ms. *est.* Sequimur Vaticanos.

(*c*) Par. post Lipsium, *quid gloriaris.* Verius antiquiores editiones cum mss. *quid gloriatur;* quomodo legit et Augustinus, qui cum Hilario ἐγκαυχᾶ active habuit ab ἐγκαυχάω, non ab ἐγκαυχάομαι. Mox Bad. Er. et Lips. *Querelam facit Propheta, gloriari,* etc.

(*d*) Abest *in* constanter a ms. Regio. Tum pro *tota die* vertit Symmachus apud Theodoretum *per singulos dies.* καθ' ἑκάστην ἡμέραν. Cui versioni congruit interpretatio Hilarii, cum quo vulgatus Hieronymus verba *tota die* explicat *omni tempore vitæ.* At apud Augustinum *sine intermissione*, et apud Ruffinum *assidue* eadem verba exponuntur.

(*e*) Sic ms. Reg. juxta sacrum textum græc. et lat. At vulgati *in diem.*

(*f*) In excusis, *ut tantum.* Magis placet cum ms. Reg. *aut tantum.*

(*g*) Antiquiores editiones, *cum servus visitabatur.* Reg. ms. *serviens cum visitabatur.*

(*h*) Lips. et Par. *pedes :* refragantibus aliis libris.

(*i*) Bad. et Er. *de nube loquentis.* Reg. ms. *Dei loquentis.*

(*j*) *Ms. Reg.* Moysen.

(*k*) Ms. Reg. necnon Bad. Er. et Hincmarus de Prædest. c. 25, *hostiis.*

(*l*) Apud Lips. et Par. ut superius in ps. II, pro *prætori*, substitutum erat, *præsidi :* renitentibus veteribus libris.

vertitur, VERS. 4 : *Injustitiam cogitavit lingua tua.* Linguæ humanæ officium est, ut naturali impulsa ratione, motu vario eodemque moderato vocem in verba distinguat : exstetque (*a*) per eam ex confuso erumpentis spiritus sono dissonans ad rerum intelligentiam sermo. Et quamvis quidem hic ejus ad id efficiendum rationalis motus sit; tamen ipsa subdita potius esse rationi intelligitur, quam (*b*) sensu rationis intelligens. Quod vero caret sensu intelligentiæ, caret et rationis instinctu. Quidquid autem caret rationis instinctu, caret et meditatione consilii. Et quomodo recte a Propheta dictum intelligitur, linguam injustitiam cogitare, cum cogitatio ex rationabili sensu animæ viventis ineatur; lingua vero non ad naturam rationis ineundæ, sed ad ministerium naturæ sit rationabilis instituta? Sed dicti hujus perfecti et prophetici auctoritatem et alius propheta demonstrat dicens : *In ore stultorum cor eorum est* (*Eccl.* XXI, 29); quia nihil ex rationis consilio tractantes et cordis meditatione pendentes, temerario tantum motu linguæ inconsultæ res **83** fortuitas et inconditas eloquantur. Atque ideo in ore stultorum cor eorum est, quia non quod cogitaverint, loquentur, sed quod locuti fuerint, cogitabunt. Et hoc quidem de lingua stulti. At vero de lingua sapientis ita legimus : (*c*) Lingua intelligentis (1) meditabitur sapientiam; et rursum : *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis* (*Psal.* XLIV, 2) : quia intelligentis lingua ex meditatione sapientiæ sit; et eadem rursum tamquam calamus scribentis, nihil incompositum, nihil incertum agat : sed his quæ aut cogitata aut lecta fuerint, obtemperans celeriter ex ratione consilii obsecundet.

8. *Lingua malum cogitans novaculæ apte comparata.* — Et quia ex ratione naturæ cogitatis potius famuletur lingua, quam cogitet; hæc lingua quæ injustitiam cogitavit, non naturæ suæ usa esse docetur officiis. Sequitur enim : *Sicut novacula acuta fecisti dolum.* Novacula ad nitorem vultus acuitur; ut abradens hirsutam atque horrentem barbam, faciem (*d*) leviget. Hæc si potius vulneret, dolum fecit : quippe cum præparata ad ornatum, ministerium suum præbuerit ad vulnus. Lingua hæc ergo hujus in malitia potentis iniquitatem cogitans, dolum fecit : id est, quam natura ad eloquendas rationabiles cogitationes consulti cordis præparaverat, ipsa potius irrationabiles cogitat iniquitates. Populus enim ille qui in Deo (2) significari intelligendus est, ad magnificandum Dei nomen electus, et ad celebrandas laudes ipsius præparatus, hunc inhonorat, hunc tradit, hunc, quantum in se est, morte crucis perimit : et hoc linguæ suæ novacula acuta, per quam clamavit : *Crucifige, crucifige*, consummat. Dolum itaque tamquam novacula acuta et iniquitatem cogitans fecit hæc lingua; et cujusmodi dolum, consequentia docent.

9. *Malitia quæ neglecta bonitate diligitur.* — Sequitur enim, VERS. 5 : *Dilexisti malitiam super benignitatem, iniquitatem super quam loqui justitiam.* Doli hujus crimen ex comparatione fit gravius, cum malitia diligitur, bonitate neglecta; cum iniquitas agitur, prætermisso sermone justitiæ. Hunc (3) propensæ malitiæ affectum (*e*) Dominus in Evangeliis condemnat, dicens : *Hoc est autem judicium, quia lux venit in hunc mundum, et dilexerunt homines tenebras magis quam lumen* (*Joh.* III, 19). Populus itaque cui ad redemptionem peccatorum Verbum caro factum est, et Deus homo natus est, ut per fidei justificationem **84** maledicto legis liber esset, cum in transgressione legis mavult servire maledictio, ipsum illum Deum suum tradidit (*f*) pœnæ sanguinem ejus, ut prætor esset innocens, in se ipse suscipiens. Et hæc agens, demutat naturæ suæ consuetudinem. Malitiam enim diligit super benignitatem, et ex bonis amorem convertit in pessima. Diligere quoque injustitiam super quam loqui justitiam maluit.

10. *Judæorum in Christum odium.* — Tenuit vero secundum Judaicam consuetudinem, propheticus sermo in ipsa sermonum virtute rationem, cum ait : *Dilexisti malitiam super benignitatem, injustitiam super quam loqui justitiam.* Nam ubi ait : *Dilexisti malitiam super benignitatem;* nihil ultra quam dilectionem ipsam ex comparatione condemnat. Ubi vero ait : *Injustitiam super quam loqui justitiam;* ibi coarguit non jam prælati amoris affectum, sed ipsum illud odium in loquendo, dicens : *Super quam loqui justitiam.* Possunt enim et solent Judæi, licet non ament bonitatem, tamen eam vel loquendo simulare. At vero loqui de Domino nostro Jesu Christo, qui secundum beatum apostolum Paulum factus est nobis justitia et sanctificatio et redemptio (I *Cor.* I, 30), nullo modo possunt. Non continentur ad aliquam sermonis patientiam, si cum quando ex propheticis auctoritatibus ostenditur a nobis unigenitus Deus, qui ante sæcula natus est, in homine et passus et crucifixus et mortuus, tum enim omne de eo elo-

(1) *Meditatur.*
(2) *Significatur, intelligendus est.*

(3) *Propensæ in malitiam dilectionis affectum.*

(*a*) In Regio codice, *per eum* : quod ad varium motum potest referri.

(*b*) Sola editio Par. *sensum rationis* : ac deinde cum cæteris, *intelligens est.*

(*c*) Miciac. ms. *lingua sapientis.* Alter e Vatic. *in lingua intelligentis meditatur sapientia.* Ex quo Scripturæ loco hæc proferat Hilarius, non liquet. Tantum occurrit psal. XXVI, 30 : *Os justi meditabitur sapientiam* : et Prov. X, 31 : *Os justi parturiet sapientiam.*

(*d*) In ms. Regio, *levificet* : cui favet Miciac. in quo, *vivificet.*

(*e*) Sic Regius codex : neque aliter legit Hincmarus de prædest. c. 25. At editi, *propensæ in malitiam dilectionis affectum.* Propensa malitia dicitur, quæ præponderet ac præferatur dilectioni Dei. Habes in psal. I, n. 17 : *Non quod non dilexerint et lumen, sed quod dilectio illis magis fuerit propensa tenebrarum.*

(*f*) Apud Bad. *pœnam sanguinem ejus.* Apud Er. Lips. et Par. *pœnam sanguinis;* renitentibus mss. et editione Hincmari loco citato.

quium evitant et fugiunt : et si discedendi quoquam locus nullus sit, vi quadam taciti doloris oppressi, aures manibus obstruunt, et auditum (1) ne in se penetret excludunt ; bonitatem quidem (*a*) tantam (2) non amantes, interdum tamen eam loquentes, cæterum justitiam nec diligentes, (3) quæ Christus est, nec loquentes.

11. *Diapsalma mutat sensum.* — Intercessio diapsalmæ, etsi personæ non attulerit conversionem, tamen sensus fecisse intelligitur demutationem. Nam cum et ejus cujus antea, et ad eum ad quem antea, sermo sit, idem tamen sermo aliud nunc quam ante significat. Et quidem superiora querelis gravia fuerunt, adeo ut ex Prophetæ dolore antequam ederentur increpita sint : cum injustitiam lingua cogitat, cum tamquam novacula acuta dolum efficit, cum (*b*) malitia super bonitatem diligitur, et injustitiæ super justitiæ eloquium est. Propter quæ quædam quasi Prophetæ accusatio 85 apud Deum præmissa est arguentis, cum dicitur : *Quid gloriatur in malitia, potens iniquitate tota die?* Et ne inanis querelæ dolor reperiretur, ipsa querelæ causa subjecta est.

12. *Peccato exposito subjicitur pœna.* — Nunc vero intercedente diapsalma, non præcessit querela, sed demonstrata ante causa peccati gravissima, tum hæc damnationis est subjecta sententia, VERS. 6 : *Dilexisti omnia verba præcipitationis, (c) linguam dolosam : propterea Deus destruet te in finem, evellat et emigret te de tabernaculo* (4) *tuo et radicem tuam de terra viventium.* Exemplo quo in Genesi dictum legimus his verbis : *Quia fecisti hoc, maledictus tu a terra* (Gen. III, 14), (5) et rursum : *Quia audisti vocem mulieris* (*d*) *tuæ* (*Ibid.* XVII. 2) ; sed et ab Apostolo, cum gravissima humanæ impietatis crimina percensuisset, ita dictum : *Propter hoc tradidit eos* (6) *Deus in sensum reprobum* (*Rom.* I, 28) ; ita et nunc : *Dilexisti verba præcipitationis, linguam dolosam ; propterea Deus destruet te in finem.* Verbi virtutem latinus sermo non tenuit. Quæ enim nobiscum *verba præcipitationis* sunt, ea a Græcis ῥήματα καταποντισμοῦ commemorata sunt : quo dicto significatur id quod nobiscum præcipitatio est, cum illis esse demersio in profundum maris. Potest autem nobiscum secundum generalem sensum præcipitatio, non in mari tantum, sed ex editis aut ædium aut rupium aut quorumcumque generum locis decidentium casus intelligi. Ergo secundum demonstratam præcipitationis rationem, quia verba præcipitationis Doec dilexerit, severissimæ damnationi subjectus est.

13. *Infidelis velut naufragus.* — Omnis etenim anima infidelis, in sæculi hujus tamquam maris profundo naufraga, incerto motu vagoque differtur, et diversarum cupiditatum æstu mobilis fluctuat (*e*) potestate diaboli sæculum incolentis illusa, et nulla ad resistendum obnitendumque ei subjectæ soliditatis firmitate consistit : ex quo facile est, incentivis circumagentium cupiditatum pendulam vagamque jactari. Quod autem sæculi hujus motus atque fluctus undantis maris sit æstibus comparatus, qui dominantis sit diaboli incolatus, secundum propheticam et allegoricam intelligentiam, psalmus centesimus et tertius sub corporali tamen creaturarum significatione demonstrat : *Hoc mare magnum et spatiosum, illic serpentes* 86 *quorum non est numerus. Animalia pusilla et magna : illic naves pertransibunt. Draco iste quem formasti ad illudendum ei.* Et rursum in sexagesimo-octavo psalmo : *Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me.* Unigenitus itaque Dei filius, et Dei Verbum, et Deus verbum (*f*) ad eruendos nos ex profundo sæculi hujus naufragio descendit, doctrinæ suæ reti, cui regnum cœlorum simile est (*Matth.* XIX, 47), hæc universa piscium genera extracturus. Ab impio populo proditur et inhonoratur : seseque (*g*) populus conformatus ad illudendum, draconi socium ipse demergit, et in hoc se profundum ad incolatus ejus consortium præcipitat. Sic et incredulus Moysi Ægyptiorum populus præcipitari demergique meruit, et impiam gentem refusi in se maris fluctus absorbuit, præcipitationis verba tum cum Deo obstitit diligentem.

14. *Judæi avulsi de patria.* — Quia ergo Judæus populus incredulus, et regem suum prodens, verba (7) præcipitii dilexit, *dicens, Regem non habeo nisi Cæsarem* (*Joan.* XIX, 15) : Deo rege neglecto ac rege homine confesso, in hoc se sæculi profundum ipse demersit ; ideo in finem destruitur : (usque in consum-

(1) *Ne ipse penetret.*
(2) *Tantum.* Mox omittitur *tamen.*
(3) *Quia Christus est.*
(4) In nostro libro supprimitur pronomen *tuo* : quod neque apud LXX habetur ; sed tantum, ἀπὸ σκηνώματος.

(5) Hæc verba : *et rursum, Quia audisti vocem mulieris tuæ*, non exstant in ms. nostro.
(6) Reposuimus ex cod. Veron. vocem *Deus*, quam et Græcus textus habet : παρέδωκεν αὐτοὺς ὁ θεὸς, etc.
(7) *Præcipitationis.*

(*a*) *Tantum* pro *tantam*, in ms. Turon.
(*b*) In Regio ms. *malitiam super bonitatem diligit.* Mox cum Bad. et Er. *super justitiam.* Mallemus, *super quam justitiæ.*
(*c*) Ms. Reg. hic et mox, *lingua dolosa* : non omnino male ; suspicio enim est sermonem converti ad ipsam linguam dolosam, seu ad stultos linguæ motus non moderantes.
(*d*) Lipsius reposuerat, *uxoris tuæ*, nulla nixus auctoritate.
(*e*) In prima editione Par. ex ms. Mic. *si potestate*, abundat particula *si*, nec habetur in aliis libris. Mox Bad. Er. et Lips. *illisa*, non *illusa* : dissidentibus mss. et verbis psalmi CIII, 26, ad quæ hic respicitur.
(*f*) Duo mss. Vatic. *ad erudiendos nos.* Tum Bad. et Er. *ex alto in profundum sæculi naufragium descendit.* Verbum *descendit*, omiserunt subsequentes editiones. Deinde in mss. ut apud Bad. et Er. *rete*, non *reti.*
(*g*) Ita Regius codex. At in vulgatis, *populo conformato.* Conjiciebamus primum legendum esse, *conformatus populis*, puta Christus, qui naturæ nostræ particeps in sæculum descendit ; maxime cum in antiquis edit. et mss. subjiceretur, *ad illudendum draconem.* At hanc conformationem de populo Judæo prædicari palam fit ex subjectis.

mationem sæculi enim regnum destructæ civitatis amisit), et de tabernaculo evulsus et transmigratus est: vagus nunc in toto orbe terrarum, et ubique peregrinus, consummatis omnibus suis in Domini passione peccatis.

15. *De legis ritibus.* — Quia præcipitationis verba dilexit, tabernaculo illo caret in quo (*a*) Propheta semper Dei spiritu plenus fuit, in quo sanctarum virtutum tremendæ contemplationes et salutares visiones exstiterunt, in quo hostiarum ad redemptionem animæ utiles oblationes, in quo paschæ agnus in clade Ægypti fidelium custos, et in liminum sanguine potens signum, in quo æmulæ æternorum temporum temporariæ festivitates. Ab hoc itaque tabernaculo evulsi, his spiritalium donorum honoribus carent.

16. *De Christi Dei et hominis corpore.* — Evulsi autem sunt non ex hoc terreno tantum tabernaculo, sed ex illo de quo dictum est: *Elevabo tabernaculum David quod cecidit* (*Amos.* IX, 11): sanctum illud scilicet et venerabile nati ex Virgine Dei corpus et templum, in quo qui crediderit, tamquam consors dominicæ carnis habitabit. **87** Omnis autem infidelis a cognatione hac non crediti corporis, id est, Dei tabernaculo evelletur et emigrabitur, spiritalis hujus tabernaculi indignus habitaculo: quod significare Dominus intelligitur, cum ait: *Ego sum vitis vera, vos estis propagines, pater meus agricola est. Omnis propago in me non manens, neque ferens fructum, eradicabitur. Et omnem* (1) *propaginem in me manentem emundabit pater meus ut fructum ampliorem ferat* (*Joan.*, XV, 1, etc.). Si qui igitur per fidem corporati Dei manere in natura assumpti a Deo corporis merebuntur, hi emundantur in fructus æternos ex se afferendos: quia necesse est, ut naturam veræ vitis propago intra vitem manens teneat. At vero qui incredulus nati (*b*) in corpore Dei fuerit, vel si et credens maneat, fructibus tamen fidei suæ careat, eradicabitur, aut ob infidelitatem, aut ob inutilitatem fructuum negatorum. Natus enim ex Virgine Dei filius, non tum primum Dei filius cum filius hominis, sed in filio Dei etiam filius hominis, ut et filius hominis esset filius Dei (*c*), naturam in se universæ carnis assumpsit, per quam effectus vera vitis, genus in se universæ propaginis tenet. Si qua ergo propago infidelis aut infructuosa est, eradicandam ipsa se præbet; per naturam quidem manens, sed per infidelitatem aut inutilitatem evellitur. Ex hoc ergo tabernaculo, tamquam ex vera vite, hic impius Deec et evellitur et emigratur, manens per naturam et in tabernaculo et in vite, sed per infidelitatem dignus avelli.

17. *De Christi regno.* — Avulsus autem de tabernaculo, eradicabitur et de viventium terra. Qui enim non manebit in Christo, regni Christi incola non erit. Non erit autem, non quod sibi non patuerit incolatus (universis enim patet, ut consortes sint corporis Dei atque regni; quia Verbum caro factum est, et habitavit in nobis; naturam scilicet in se totius humani generis assumens): sed unusquisque pro merito et evellendum se de tabernaculo, et eradicandum de terra viventium præbet; non prohibitus unquam inesse, (*d*) quia per naturæ assumptionem incola sit receptus; sed eradicatur ob infidelitatis crimen, naturæ consortio indignus exsistens. Eradicatur ergo de viventium terra, quæ in beata regione sanctis Domino (*e*) conregnantibus præparatur: cujus ipse in Evangelio meminit, dicens: *Beati mansueti, quoniam ipsi hæreditabunt* **88** *terram* (*Matth.* V, 4); et hic idem propheta: *Et placebo Domino in regione viventium* (*Ps.* CXIV, 9), a qua proditor populus eradicari meruit, postquam destructus in finem, a tabernaculo et emigratus est et evulsus.

18. *Terra viventium: et quod mortui Deo vivant.* — Vivorum autem idcirco terra est, quia omnis fidelis in Domino, licet mortuus sit, Deo tamen vivit; ut dictum est: *Ego sum Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Jacob: non est Deus mortuorum, sed vivorum* (*Matth.* XXII, 32). Et rursum per Jacob: *Vivat Ruben et non moriatur* (*Deut.* XXXIII, 6); et illud: Ismael hic vivat in conspectu tuo (*Gen.* XVII, 18). Sed et illud Apostoli (si ita tamen legenti videbitur, quia duplicem sensus significationem habet): *Et nos qui vivimus, qui residui erimus, rapiemur cum nubibus obviam* (2) *Domino in aera: et sic semper cum Domino erimus* (*Thess.* IV, 14). Interceptio quidem corporum affert temporarium mortis occasum: sed lex constituta moriendi, legem non adimit resurgendi: quia decernenti legem, lex non affert necessitatem: neque sibi Deus jus vivificandi adimit, legem nobis decernendo moriendi. Mors autem in eos tantum, (*f*) in quos est decreta, legitima est. Vivunt autem Deo omnes, ex cujus lege sunt mortui. Neque mors, quæ non nisi per legem decernentis invaluit, potest per se in id invalescere (*g*), ne per decernentem renovandæ vitæ legem demutabilis sit (*h*, 3): cum decernentis potestas constitutam ab exordio in Adam sub condi-

(1) *Omnem mundi propaginem.*
(2) *Obviam Christo.*

(3) Additur a nostro libro, *lege vivendi.*

(*a*) Par post Lipsium. *Prophetæ..... pleni fuerunt:* refragantibus mss. quamvis non alieno sensu. Hic enim *Propheta* indefinite accipitur.

(*b*) Corrupte apud Hincmarum de prædest. c. 25, *natus. Idcirco*, inquit Hilarius, lib. de Trin. IX, n. 54, respiciens eumdem evangelicum locum, *manere nos in se per fidem assumpti corporis monet.*

(*c*) V. lib. II de Trin. n. 25.

(*d*) Lips. et Par. *qui per naturæ assumptionem.* Rectius Bad. Er. et mss. *quia*, etc. Idipsum enim hic repetitur, quod paulo ante, *universis enim patet*, etc., *quia verbum caro factum est.*

(*e*) Apud Hincmarum de Prædest. *congregantibus*: mendose.

(*f*) Editi excepto Par. *in quos decreta legitime est.* Reg. ms. *in quos decreta legitima est.* Hoc sibi vult, morti vim nullam inesse, nisi ex lege ac decreto Dei.

(*g*) Ita mss. At excusi, *in his invalescere.*

(*h*) In vulgatis hic adjicitur, *lege vivendi*, quod re-

tione decreti (1) vitæ legem (*a*) demutaverit lege moriendi. Vivunt itaque sancti quique et (*b*) fideles Deo. Nam cum se Deum eorum qui mortui fuerant, id est, Abrahæ et Isaac et Jacob esse dicat; et continuo testetur, non mortuorum se, sed vivorum Deum esse; docet per id eos qui judicio humanæ opinionis mortui existimentur, sibi legem decernenti non mortuos esse, sed vivos.

19. Intercessio diapsalmæ, etsi non personam, sensum tamen innovavit. Nam post prænuntiatam Doec damnationem, ad quem tamquam ad præsentem fuit sermo, nunc ad alterius expositionis significationem se retulit Propheta, VERS. 8 et 9 : *Videbunt justi, et timebunt, et ridebunt super eum, et dicent : Ecce homo qui non posuit Deum adjutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum, et prævaluit in vanitate sua.* Destructo Doec in finem, et evulso de tabernaculo atque emigrato, et de terra viventium eradicato, sancti 89 quique necesse est metuant : cum videant tot tantisque divinæ misericordiæ auxiliis populum (2) adjutum atque usum post ingentem illam et ultra humanas opes gloriosi regni dignitatem, maximum de se ac ultimum humanæ calamitatis exemplum præbuisse. Quis enim memoria recenseat antiquas gloriæ ejus et innumeras beatitudines, quas superius pro parte memoravimus, cum post Ægypti funera itineri eorum divisum mare cessit, cum ardorem diei columna nubis inumbravit, cum noctis tenebras ignis columna discussit, (*c*) cum cibum cœlum per angelos præbuit, cum fontem petra fluxit, cum Jordanis refluxit, cum civitas (*d*) maxima ad solum arcæ testamenti circuitum concidit, cum sol de cursu suo inhibitus diem distulit, et divinæ legis ordo ex illo elementorum cœlestium indefesso imperturbatoque motu ad belli moram restitit : post illam deinde divinæ majestatis et conspectus et auditus familiaritatem, consumptos eos bellis, fame emortuos (*e*), et antea mortuorum cadaveribus (3) ad moram famis (*f*) pastos, reliquos deinde in servitutem redactos, exules ubique esse, ubique degeneres, nusquam cognitos, semper novos, et demutatione incolatus semper ignobiles, semper alienos? Jam si (4) spiritales quis oculos erigat, de quibus Dominus ait : *Elevate oculos vestros, et videte regiones, quia albæ sunt ad messem* (*Joan.* IV, 35); tum sciat avulsos esse ex consortio corporis Dei, et ex illo beatitudinis regno, ex illo resurrectionis honore, et esse sine Dei

(1) *Vitam legis.*
(2) *Adsumptum.*
(3) Ad mortem fauis.

movimus Regii codicis auctoritate : cum hæc demutatio satis exprimatur per *legem renovandæ vitæ.* Paulo ante *per decernentem*, perinde est ac, per eum qui decernit.

(*a*) In mss. *vitam legis :* forsitan verius ; ut sit tropus Hilario familiaris. Apud Bad. et Er. *vita legis demutaverit legem moriendi.*

(*b*) Regius codex, *fidi Deo.*

(*c*) Ita mss. At Bad. et Er. *cum cœli cibum*, etc. Lips. et Par. *cum cœlum cibum Angelorum præbuit.*

A Spiritu, sine intelligentia prophetiæ, constitutosque gehennæ pabulum, quos immortalis vermis exesurus sit, et inextinguibilis ignis crematurus (*Esai.* LXVI, 24); quorum sciat legislationem, quorum testamenta, quorum patres, ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus (*Rom.* IX, 4 et 5). Quanto ergo has damnationes eorum et præsentis et æternæ calamitatis sancti quique metu contuebuntur; quia punitorum contemplatio sit hoc terribilis exemplo? *Videbunt* ergo *justi, et timebunt :* nihil non sibi metuendum, (5) tanta horum calamitate intelligentes. Sed quia justi sunt, licet timeant de exemplo, tamen de fructu propriæ justitiæ gaudebunt. *Ridebunt* enim *super eum*, ridentes (*g*) igitur et timentes, quia Deo subditi sunt, punitorum severitate terribili. Temperat B 90 ergo metum risus : dum et metus de exemplo, et risus ex merito est. Moderatur autem rursum metus risum, dum ita gaudebunt in bonis, ne desit terror exempli : quia impiæ et diffidentis de se conscientiæ est, timere sine gaudio; et insolentis naturæ est, sine timore gaudere.

20. *Spes omnis nostra in Deo.* — Sed qui timentes ridebunt; id quoque adjicient ad hunc moderatum in timore risum, ut dicant : *Ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum.* Stultitiæ atque impietatis extremæ est, non intelligere se sub Deo et ex Deo vivere, sed in his quæ gerit et exspectat, sua magis velle considere potestate; cum si quid illud in se sit, ex Deo sit. Ad Deum itaque spes omnis nostra sit, et confessio omnis in Deo sit, exemplo Prophetæ C dicentis : *Domine, adjutor meus, et redemptor meus* (*Psal.* XVIII, 15) : et rursum : *Levavi oculos meos in montes, unde veniet adjutorium mihi. Auxilium meum a Domino, qui fecit cœlum et terram* (*Psal* CXX, 1)..... Metuamus itaque semper, ne quando nos æternus ille ignis exurat, et vermis immortalis absumat; cum audiamus quid justi timentes ridentesque dicant : *Ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum; sed speravit in multitudine divitiarum suarum.*

21. *Contra divitum arrogantiam.*—Divites quosdam insolentes esse præstat opulentia, et maxime timorem Dei divitiarum fiducia inanis avertit : stulti, non intelligentes hoc se magis religiosos oportere esse, quod divites sunt; quia gratiam referre largitori bonorum sibi desiderabilium conveniat : et hoc magis D inexcusabilis avaritiæ sit reatus, quia avaritiæ necessitatem non excuset opulentia. Jam vero quam infe-

(4) *Spiritalis.*
(5) *In tanta.*

(*d*) Reponimus, *maxima*, pro *magna*, ex regio codice, in quo deinde *circuitu*, non *circuitum :* atque ita erit sensus, urbem Jericho arcæ circuitu concidisse solo adæquatam.

(*e*) In obsidione Hierosolymit. a Vespasiano facta.

(*f*) Ita ex ms. Turon. maluimus legere, quam *ad mortem famis*, sicut in antea vulgatis.

(*g*) Abest *igitur* a ms. regio. De eadem gaudii ac timoris temperatione similia exstant in *psal.* II, n. 45.

lix fiducia est rei inanis : Deum contemnere habendo A aurum, quasi aurum non ex Dei sit creaturis ; aut aliquem per id, judicio sanæ mentis, beatæ vitæ acquirat profectum, quod sibi aurum jaceat suffossum ; et hinc fiat non generalis animæ et corporis homo (*a*), aliusque possit esse quam natus est ; aut cum vita excedat, auro suo sit usurus in morte ! Utetur plane si eo recte (1) utetur in vita, si esurientem pane suo alucrit, si nudum veste sua texerit, aut ægrum sumptu suo refoverit, aut captivum libertati suæ reddiderit. Hæ sunt plane ambitiosæ apud Deum humani thesauri legationes, hæc potentia deprecandorum criminum et vera suffragia. Sic auro **91** demutabimur, ut ex terrenis cœlestes, et ex mortalibus simus æterni. Hæc infidelis ille populus non cogitans, et Dei mandata contemnens, putansque se per B legem, quæ futurorum bonorum umbra est, esse divitem, et adeptis divitiis male usus, ex viventium terra et tabernaculo eradicatus et emigratus, avulsus est : præpotentem se in vanitatibus credens, in regni scilicet sui gloria, in templi auro, in mandatis hominum, secundum prophetam dicentem : *Sine causa colunt me, docentes doctrinas et præcepta hominum* (*Esai.* XXIX, 13, *sec.* LXX), (*b*) Dei lege contumeliosa humanæ consuetudinis observatione mutata.

22. *David sub lege evangelicus.* — Propheta autem, quem necesse est justum esse intelligi, aliter de se fiducia spei suæ loquitur, VERS. 10 : *Ego autem, sicut oliva fructifera in domo Dei, speravi in misericordia Dei in æternum et in sæculum sæculi.* Differt quidem tempore ætas hominum : sed prophetiæ spiritus idem C est. Propheta manere se in domo Dei sicut olivam fructiferam dicit, arborem semper virentem, et fructus optimi feracem. Apostolus huic oleæ præfractis ob infidelitatem ramis ejus, fideles gentes ex ignobili oleastro esse insitas prædicat (*Rom.*, XI, 17): ut contra naturam generis, naturam radicis acciperent. Sed Propheta in lege dicet manens, evangelicus tamen et propheta simul, et in lege et in Evangeliis cum fructu suo in domo Dei esse persistit : non perfringendus in ramis, non relinquendus (*c*) in truncum, non inutilis jam ipse inserendo sibi præbendus oleastro, nec radicis suæ virtutem arbori transfusurus alienæ ; sed totus integer ut est fidei apostolicæ prædicator, non ex gentibus radici legis ad fidem evangelicam inserendus, sed etiam in gentium evangelica fide, (*d*) propria (2) radicis suæ ramorumque virtute totus ipse ex legis pingui conscientia fructuosus. Est autem Dei domus, secundum apostolum Petrum, Ecclesia et omnes fidei evangelicæ sectatores, sicut ait : *Ædificamini domus spiritalis, regnum sacerdotale* (I *Pet.*, II, 5, *et* 9). Et Paulus : *Ut scias quemadmodum te oporteat in domo Dei* (*e*) *conversari* (3) *columna et firmamentum veritatis, quæ est Ecclesia Dei viventis* (I *Tim.*, III, 15). In hac igitur Dei domo justus et sanctus propheta, tamquam fructifera oliva consistens, (*f*) propria sua usus fructuosa pinguique radice, speravit in misericordia **92** Dei ; non ad tempus, non in hujus corporalis tantum vitæ brevi sæculo, sed *in sæculum sæculi.* Extendit enim spes suas ad infinitam perennitatis ætatem, nec concluditur mortis occasu : cum sciat sibi in Abrahæ sinibus exemplo pauperis Lazari esse vivendum, sciat quoque gloriosæ resurrectionis demutatione coæternum se et conformem Deo esse mansurum : mansurum autem ob id quod sequitur, VERS. 11 : *Confitebor tibi,* (*g*) *Domine, in sæculo* (4), *quia tu fecisti : et exspectabo nomen tuum, quoniam bonum ante conspectum sanctorum tuorum.*

23. *Misericordia Dei opus est ad beatitudinem merendam.* — Spes in misericordia Dei *in sæculum et in sæculum sæculi* est (*h*). Non enim ipsa illa justitiæ opera sufficient ad perfectæ beatitudinis meritum, nisi misericordia Dei etiam in hac justitiæ voluntate humanarum demutationum et motuum vitia non repuiet. Hinc illud Prophetæ dictum est : *Melior est misericordia tua super vitam* (*Psal.* LXII, 4) : quia quamvis probabilis per justitiæ operationem vita justorum sit, tamen per misericordiam Dei plus meriti consequetur. Ex hac enim vita in vitam (5) proficit æternam : et operationem justitiæ in tantum misericordia Dei muneratur, ut miserans justitiæ vo-

(1) *Utatur.*
(2) Propriæ radicis.
(3) *Diversari.*

(4) Ms. Veron. *in sæculum* juxta Hebraicum, LXX, atque Gallicanum Psalterium.
D (5) *Proficiet.*

(*a*) Editi, *et hinc fiant generosioris animæ et corporis, homoque alius*, etc. castigantur auctoritate mss. Non est unde quis putet, Hilarium in sententiam abiisse Pythagoreorum, quos Cato apud Tullium ait : *nunquam dubitasse quin ex universa mente divina animos delibatos habeamus ;* cum sæpius inculcet simplicem, incompositam et omnis divisionis expertem esse Dei substantiam. Alibi quidem divinam animarum originem asserit, non quia ex Dei substantia, sed quia *omnis anima opus Dei sit*, non hominis, ut habet lib. x de Trin. n. 20. Itaque homines generalis animæ et corporis dicit, quia omnes ejusdem generis animam et corpus sortiuntur, corpus ex Adam, animam autem ex Deo. Videsis Tract. ps. LXII, n. 5, et quod de anima disseruimus in Præfat.

(*b*) Bad. Er. cum ms. reg. *diligentes.* Rectius alii libri, *Dei lege :* respicitur enim hic ad verba Matth., XV, 6.

(*c*) Unus codex Vat. cum reg. *in trunco.*
(*d*) Regius ms. *propriæ :* quod idem est.

(*e*) In regio ms. *diversari*, uti magno codicum consensu legitur. In Turonensi autem hæc Apostoli verba meliori ordine sic referuntur : *Ut scias, quemadmodum te oporteat in domo Dei diversari, quæ est Ecclesia Dei viventis, columna et firmamentum veritatis.* Quæ lectio ex tract. psal. LXIV, n. 6, et psal. CXXXII, n. 2, confirmatur.

(*f*) In vulgatis *proprie.* Concinnius in uno ms. Vat. *propria* scil. *radice ;* quod opponitur ramis insitis ex aliena radice viventibus.

(*g*) Editi hic et inferius, *in sæculum ;* tertio autem loco *in sæculo :* quod habet constanter regius codex favente subjecta enarratione.

(*h*) Hæc citat Augustinus, lib. II, contra Julian. cap. 7

luntatem, æternitatis quoque suæ justum quemque tribuat esse participem. Idcirco *in sæculum et in sæculum sæculi* misericordiæ spes est : sed confessio tantum *in sæculo*, non etiam in sæculum sæculi. Non enim confessio peccatorum nisi in hujus sæculi tempore est : dum voluntati suæ unusquisque permissus est, et per vitæ licentiam habet confessionis arbitrium. Decedentes namque de vita simul et de jure decedimus voluntatis. Tunc enim ex merito præteritæ voluntatis lex jam constituta, aut quietis aut pœnæ excedentium ex corpore suscipit voluntatem. Cujus temporis non jam liberam, sed necessariam voluntatem ostendit Propheta, cum dicit : *Non est mihi in diebus illis voluntas.* Cessante enim voluntatis libertate, etiam voluntatis, si qua erit, cessabit effectus (*a*). Transire namque ad Abraham volens dives, chao medio non sinitur (*Luc.* XVI, 26) : cum tamen per libertatem voluntatis in Abrahæ sinibus esse potuisset. Interclusa est ergo libertas voluntatis, quia confessio nulla est mortuis, secundum id quod dictum est : *In inferno autem quis confitebitur tibi* (*Psal.* VI, 6)? Sperans 93 ergo Propheta misericordiam *in sæculum et in sæculum sæculi*, confitetur tantum *in sæculo* : temporaria confessionis officia sæculi tempore gerens, spem vero æternam sæculorum æternitate protendens. Confessionis autem causam addidit dicens : *Quia fecisti* : auctorem scilicet universitatis hujus Dominum esse confessus, nulli alii docens confitendum (*b*), quam qui fecit olivam fructiferam (*c*) spei misericordia in sæculum sæculi.

24. *Psalmista Christum videre exspectat.* — Et quis hic sit qui fecit ista, demonstrat, dicens: *Et exspectabo nomen tuum, quoniam bonum est in conspectu sanctorum tuorum.* Exspectabit ergo Dei nomen cui confitetur, per quem facta sunt omnia, ut ait Paulus : *Unus enim Deus pater, ex quo omnia, et nos in ipso : et unus Dominus noster Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum* (I *Cor.* VIII, 6). Hujus ergo nomen exspectat, Jesum scilicet videre, id est, salvatorem suum nosse, Angelo dicente : *Et cognominabis nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet populum suum* (*d*) *a peccatis*(1) (*Matth.* I, 21). Christum conspicere, ut per professionem generosæ familiæ sit christianus, exspectat. Bonum autem hoc nomen est, quod Angeli atque Archangeli adorant, quod dæmones tremunt et ferre non possunt, quod ad salutem homines assumunt : qui scriptum est : *Et omnis qui invocaverit nomen ejus, hic salvus erit* (*Rom.* X, 13). Exspectat autem non occulte, non trepidus, non solus ; sed in conspectu sanctorum ejus, fide scilicet libera (*e*) testimonium exspectationis suæ vel sub sanctorum cœlestium conscientia non recusans, vel, prophetæ exemplo, sanctis omnibus qui in terra sunt in se ipso præbens exspectationis exemplum.

94 PSALMUS LII.

David (*f*) *in finem* (2) *pro Abimelech* (*g*) *intellectus David* (*h*).

Dixit (*i*) *stultus in corde suo : Non est Deus. Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in iniquitatibus suis: non est qui faciat* (*j*) *bonum, non est usque ad unum. Deus de cœlo prospexit super filios hominum, ut videret*

(1) *A peccatis eorum.* ut apud LXX.

(2) In Veronensi : *In finem pro Meleth intellectum David.*

(*a*) Non occurrit nobis unde hunc locum eruerit Hilarius, nisi forte Malach. I, 10, pro ἐν ὑμῖν, legerit ἐν ἡμέραις. Deinde apud Hincmarum, qui lib. de prædest. c. 25, hunc Hilarii locum cum pluribus aliis descripsit, pro, *Cessante enim voluntatis libertate*, corrupte habetur, *Cessant enim voluntates liberæ.*

(*b*) Dallæo l. IV de Confessione c. 33, hoc Hilarii loco, ut confessionem Dei sacerdotibus faciendam explodat, abutenti respondens insignis Ecclesiæ Senonensis Decanus hist. Conf. c. 8, contendit hic sermonem non esse de confessione peccatorum, sed de confessione laudis. Hujus sententiam egregie confirmat Miciacensis codex, in quo non *nulli alii*, sed *nulli alium*, hoc est, docens a nemine confitendum ac laudandum alium, quam Deum qui fecit olivam fructiferam. Eidem etiam favet quod proxime antecedit, *auctorem scilicet hujus universitatis Dominum* (vel ut in ms. reg. *Deum*) *esse confessus.* Neque minus favet quod sequitur, cum fecisse olivam fructiferam laudis potius materia sit, quam luctus et confessionis peccatorum. Verum etiam si detur de confessione peccatorum hic sermonem esse, utpote cum proxime dictis de ea confessione cui post hanc vitam nullus relictus est locus, apprime cohærentem : nihil tamen inde partes suas juverit Dallæus. Apertum enim est, tum hoc loco, tum pluribus aliis, Hilarium confessionis nomine non eam tantum pœnitentiæ partem intelligere, quæ peccata agnoscat aut declaret, sed totam ipsam pœnitentiam, quæ et voluntatem mutare, et peccata ipsa valeat delere. Certe hujusmodi confessio cum unum respicere debet, in quem unum peccatum est, et a quo uno venia speranda. Atqui ut peccatum omne contra Deum, ita omnis venia ex eo est. Hæc sumit ipse Hilarius c. 18, in Matth. n. 10. *Ergo*, inquit, *venia omnis ex eo est, cum etiam ea quæ in se sint peccata, post reditum confessionis indulgeat.* At vero licet veniam omnem ex Deo esse asserat, eam tamen, apostolorum ministerio obtineri ibidem diserte prædicat : *ut quos*, inquit, n. 8, *solverint, confessione videlicet veniæ receperint in salutem, hi apostolicæ conditione sententiæ in cœlis quoque soluti sint.* Quidni pari ratione pœnitentiæ confessionem, solius quidem Dei intuitu, tamen apostolis et eorum vicariis sacerdotibus faciendam affirmet, ut dignam et congruam sententiam dicere valeant. De eadem re rursum agendi se offeret occasio in prædictum ex Matthæi commentario locum.

(*c*) In ms. reg. *spei misericordiam.* Mallemus *spe misericordiæ*, vel, *spe in misericordia* : maxime cum numerus 21, ab his verbis inchoetur, *Spes in misericordia Dei*, etc. nisi sciremus Hilarium hujusmodi tropos amare. Sic supra n. 17, notavimus in omnibus mss. haberi, *vitam legis*, non *vitæ legem.*

(*d*) In vulgatis *a peccatis eorum.* Vox *eorum* constanter abest a castigatioribus mss.

(*e*) Editi, *testimonio.* Rectius mss. reg. et Mic. *testimonium*, scilicet non recusans præbere in conspectu sanctorum qui in cœlis sunt ; vel si sancti intelliganturqui in terra sunt, iis ut propheta præbens exemplum spei. Hinc minus placet quod apud Bad. Er. et in reg. ms. *prophetiæ exemplo.*

(*f*) Ab Hilario abest, *David.*
(*g*) Hil. *Maeleth.*
(*h*) Hil. *illi David.*
(*i*) *Insipiens.*
(*j*) Hil. *bonitatem.*

si est intelligens aut requirens Deum. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt : non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Nonne scient omnes qui operantur iniquitatem, qui comedunt populum meum ut cibum panis? Deum non invocaverunt : ibi timuerunt ubi non (a) erat timor. Quoniam Deus dissipavit ossa hominibus placentium, confusi sunt ; quoniam Deus sprevit eos. Quis dabit ex Sion salutare Israel? In (b) avertendo 12 *Dominus captivitatem populi sui, exsultabit Jacob, et lætabitur Israel.*

TRACTATUS PSALMI.

1. *Psalmi præsentis et* XIII *discrimen.*—VERS. 1. Præsens psalmus tertio decimo psalmo pene conveniens est : sed habet in hac ipsa verborum similitudine non exiguum intelligentiæ discrimen. Primum virtute inscriptionis ipsius. Nam tertius decimus ita inscribitur : *In finem* (c) *illius David*, quo titulo id significatur, psalmum illum a David prophetatum fuisse : **95** hic vero : *In finem pro* (d) *Maeleth intellectus illi David.* Ubi enim est, *in finem intellectus*, adhortationis et admonitionis est significatio, qua jubemur secundum finis cognitionem intelligentiæ nostræ admovere judicium : ut ea in psalmo denuntiari intelligamus, quæ consummabuntur in fine ; secundum illud Apostoli : *Dehinc finis, cum tradiderit regnum Deo patri. Cum evacuaverit omnem principatum et potestatem et virtutem, tunc et ipse subjicientur subjicienti sibi omnia. Novissima autem inimica evacuabitur mors* (I *Cor.* XV, 24 et seqq.). Hic ergo finis est, qui intelligitur in psalmo. Illud autem, quod *illi David* psalmus inscribitur, ostenditur omnis de Christo, qui David verus est, prophetari : quia ubi *illius* inscribitur, ibi eum qui dixerit significant ; ubi vero *illi* est, ibi eum ad quem dicatur, ostendit.

2. *Deum esse cuique persuasum est, quod nollent impii.* — *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* Vitii humani est, pudenda eloquia verbis oris non audere committere, sed instinctu nequitiæ interioris urgente, ea intra cor eloqui : dum adversum publici pudoris necessitatem (e) voluntatis iniquitate luctante, quod pudet dici, non pudet cogitare. Et idcirco stultus in corde suo dicit : *Non est Deus* : quia si vellet verbis oris hoc eloqui, stultus esse, sicuti est, publici assensus judicio argueretur. Quis enim mundum contuens, Deum esse non sentiat? (f) Sed fit frequenter, ut cum nos veri necessitas ad confessionem Dei cogat, oblectatio tamen vitiorum Deum nobis non esse persuadeat : et quod contra fidem credimus, id tamen de consilio impii cordis eloquamur. Ex quo illud Dei dictum est per prophetam: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* (*Esai.* XXIX, 13) ; quia nolunt credere, quod negare non possunt.

3. *Iniquitas negandi Dei causa.* — Causam vero hujus stultissimi in corde eloquii ostendit, dicens, VERS. 2 : *Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in iniquitatibus suis.* Iniquum est, quidquid extra legem est. Et legem Dei excedentes, primum corruptioni subditi sunt, dehinc abominationi ; quia iniquitas corruptionem affert, corruptio autem abominationem meretur. Cum enim quis transgredietur Dei legem, tum Deum negabit : et Deum negare, corruptio est. Dominus enim noster (g) ad depellendam corruptionem Verbum caro factum est. Oportet enim, secundum Apostolum, corruptionem **96** vestiri incorruptionem. Sed qui iniquus est, et qui Verbum Deum carnem factum esse non credit, (h) et quia Deus non sit loquitur in corde ; corruptus et abominabilis permanebit. Tertius decimus psalmus pro eo quod *abominabiles facti sunt in iniquitate*, ita ait : *Abominabiles facti sunt in adinventionibus suis.* Nec differt (i) sensus et crimen : quia homines ea quæ sibi sunt placita sectantes, divinæ legis constituta transgressi sunt.

4. *Bona in lingua quandoque, vix in factis.* — Consequitur deinde hæc querela : *Non est qui faciat bonitatem.* Versum hunc, quia inferius etiam cum accessione subjectus est, suo loco tractabimus. Qui tamen nunc opportune et competenter adjectus est, corruptis omnibus et abominatis, neminem in operibus repertum esse bonitatis : quia cum loqui quæ bona sunt aliquando soleamus, factis tamen ipsis difficile quæ bona sunt exsequimur.

5. *Dei ad homines varii prospectus.* — Ac ne indiligens Dei erga homines voluntas esse existimaretur ; adjecit dicens, VERS. 3 : *Dominus de cœlo prospexit super filios hominum ut videret* (j) *si est intelligens, aut requirens Deum.* Prospectio Domini de cœlo frequens fuisse cognoscitur : quotiens peccatis

(1) *Filio* David.

(a) Hil. *fait.*
(b) Hil. *dum avertit.*
(c) In Vaticano codice *filio David* ; mendose. Apud LXX, tamen psalmus XIII, non τοῦ, sed τῷ Δαβὶδ inscribitur.
(d) Editi cum Regio ms. *Abimelech.* Vaticanus codex *Amalech*, quod et legitur bis apud Hieronymum in expositione tituli, quamvis ipse psalmus *Mahalath* apud eumdem inscribatur ; quomodo legitur et in edit. Ruffini, cum in ms. exstet, *Melech.* Reponimus *Maeleth* cum Augustino, Theodoreto, et editione LXX idque auctoritate ms. Miciacensis, in quo *Meleth*, ex dictantis forsitan et scribentis errore, mutato *a e* in *e*, dum dictans *a e* sic pronuntiarit quasi *æ*, ac sic exceperit scriptor quasi *e*. Sed hæc vox apud Augustinum, Ruffin. Hieron. quamvis varie scribatur, una tamen ratione exponitur *dolens seu parturiens.*
(e) Sola editio Par. *voluptatis* ; contra mentem Hilarii innuentis intellectum quidem convictum esse quod Deus sit, sed repugnare voluntatem iniquam, quæ nollet eum vitiorum suorum esse vindicem.
(f) *Vin. infra in psal.* 65. *n.* 10.
(g) Editi excepto Par. *ad debellandam.*
(h) Turonensis ms. *qui quia Deus sit* : accessione voculæ *qui* lectio clarior efficitur.
(i) *Sensus* scil. utriusque psalmi verborum, et *crimen* variis licet sonis in utroque expressum.
(j) In prius excusis deerat, *ut videret.* Exstat in codice Vatic. in sacro textu græco et latino, nec omissum ab Hilario fuisse fidem faciunt postrema hujus numeri verba.

humani generis commotus, salutis nostræ causa aut Noe ante diluvium eligit, aut Abraham justificat per fidem, aut Isaac sponsionis suæ promittit hæredem, aut in Jacob (*a*) posterioris populi (1) primogenita præfigurat, aut Moysen prophetam et ducem præficitet latorem legis instituit, aut prophetas in omni tempore legis inspirat. Per has igitur virtutis suæ istiusmodi efficientias ad filios hominum prospexit : ut videret si quis esset intelligens et requirens Deum.

6. *Deum exquirentium paucitas, modus exquirendi.* — Non est autem facile illud, ob quod Deus prospicere dignatur ut videat : magnumque illud est, quod tam studiose an in aliquo reperiri possit inspicitur. Prospicit enim e cœlo Deus, ut videat an se quisquam hominum intelligenter exquirat. Quorum enim quemque hominum invenies, qui secundum perfectam intelligentiam Deum velit exquirere? qui primum causas creaturarum, et dehinc constitutionem humani generis pertractans, per rationem intelligentiæ, auctorem ac parentem tantæ universitatis exquirat? dehinc cur mundus, cur homines, cur sæculi tempora; cur patriarcha electus, cur lex constituta, cur propheta **97** præmissus, et in quem profectum causarum omnium origo constiterit? tum præterea (*b*) quem virtutes cœlorum, et angelorum ministeria, et archangelorum potestates, et diaboli regnum, et sancti Spiritus donum, et Deus ex Deo unigenitus Dei filius, profectum nobis ex tam variis officiorum generibus impertiant? Hunc ergo exquirentem se (*c*) per intelligentiam virum Deus videre prospectat.

7. *Intelligere proprium est hominis.* — Est enim intelligentiæ non exiguum meritum, Salomone dicente : *Intelligentia enim bona omnibus qui inveniunt eam ;* et rursum per alium prophetam : O Israel, quid Deus exquirit a te, nisi facere judicium, et intelligere justitiam (*Deut.* x, 12)? Proprium enim intelligentia humanæ rationis officium est : et idcirco nobis natura animæ spiritalis inserta est, ut per eam ad intelligentiæ sensum, qui solus rationis est particeps, tenderemus. Sed obruti vitiis, et per oblectamenta corporis natura corporeæ gravitatis oppressi, declinamus nos a studio intelligentis exquisitionis.

8. *Peccatum parit affectum declinandi a Deo.* — Declinamus autem postea quam esse inutiles cœpimus : id enim propheticus sermo significat, VERS. 4 : *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt.* Non cum declinant, inutiles fiunt ; sed cum inutiles cœperint esse, declinant. Et virtutem dicti facile est ex consuetudine humanæ demutationis intelligi. Namque cum ex bonis mali esse cœperimus, et ex prudentum familiaritate et publicæ famæ honestate per vitia nos et dedecora secreverimus ; effecti per id inutiles, tum omnes probabilium virorum declinamus occursus, sectantes devia, et præsentiam bonorum conscientiæ nostræ pudore vitamus. Denique Adam per peccatum inutilis factus tum Dei declinavit adventum (*Gen.* III, 10). Vivens autem aliquandiu innocens, et per mandatorum observantiam (*d*) utilis, familiarem sibi occursum antea Dei, simul atque inutilis cœpit esse, refugit.

9. *An bonus nemo, non Abel, non Seth,* etc. — Non repertis autem Deum intelligenter exquirentibus, et omnibus, simul atque inutiles facti, declinantibus, ex affectus dolore iteratur querela dicentis : *Non est qui faciat* (2) *bonum, non est usque ad unum.* Gravis Dei professio est, et indissolubile super humana vitia judicium, cum bonitatem usque ad unum nemo facit. Et quæretur post hæc, quomodo Abel placuerit, Seth probatus sit, Isaac hæres sit, (*e*) Enoch translatus sit, Noe reservatus sit, Melchisedech sanctificatus sit, Abraham electus sit, Jacob Israel sit, Job inculpabilis sit, Moyses amicus sit, Aaron christus sit, David secundum cor Dei sit, **98** Prophetæ spiritales sint, Apostoli cœlorum claves sortiti sint, si excepto uno tantum, bonus nemo sit? Jam vero illud quomodo dictum intelligetur : *Bonus homo de bono thesauro profert bona* (*Matth.* XII, 35) ; et illud : *Serve bone, intra in gaudium Domini tui* (*Matth.* XXV, 21) ? Quomodo enim bonus aliquis nuncupabitur, nemine faciente bonitatem?

10. *In quos cadat,* NON EST QUI FACIAT BONUM. — Ac primum ne etiam in hos quos superius commemoravimus, judicio Dei probatissimos viros, cadere tamquam generalis hujus sententiæ professionem existimemus, superiorum dictorum sensus obsistit. Omnis enim de stultis et corruptis et abominabilibus cœptus est sermo : et Deo prospiciente de cœlo, ut videret si quis intelligenter exquirens esset, omnibus postquam inutiles esse cœperant declinantibus, nemo repertus est bonitatem faciens *usque ad unum*, id est, ex illis qui et stulti et corrupti et abominabiles, et postquam inutiles facti sunt, declinantes esse cœpissent; sententia in eos divini judicii congruente, a quibus cœpit et sermo. Id autem quod ait *usque ad unum*, non unum excepit ex omnibus ; sed omnibus inutilibus et declinantibus, cum usque ad unum bonitatem nemo faciat, ne unum quidem secrevit ex omnibus. Non enim ait, præter unum, sed *usque ad unum.* Et in eo quod præter unum est, exceptio significatur unius : in eo vero quod *usque ad unum* est, universitas generalis per prospicientis e cœlo (*f*) scientis di-

(1) *Potioris populi.*

(2) *Bonitatem.*

(*a*) Vaticanus codex, *potioris populi.*
(*b*) Er. Lips. et Par. *quæ virtutes.* Rectius Bad. cum mss. *quem*, puta *profectum.*
(*c*) *Per intelligentiam veri*, in ms. Turon. quæ lectio veri speciem habet, non veritatem.
(*d*) Apud Par. *sibi utilis.* Abest *sibi* ab editis aliis et ms. reg. a quo et paulo ante abest *autem.*
(*e*) Quæ sequuntur usque ad *electus sit* omittit ms. regius. Vaticanus autem præcedentia verba, *Isaac hæres sit*, post *Abraham electus sit*, ordine meliori exhibet.
(*f*) Editi excepto Par. necnon ms. reg. *scientem diligentiam.*

ligentiam, sub quodam speciali et personali numero continetur.

11. *Bonitas perfecta quæ : et quod hæc in nemine.* — Quamquam vero eam esse infirmitatem humanæ naturæ meminerimus, ut ex comparatione divinæ bonitatis bonus nemo sit : sed incomparabilis illa divinitatis exceptio non interclusit bonitatis officium, ut secundum comparationem humanam inter homines bonus nemo sit. Bonitas namque primum perfecta est, quæ indemutabilis naturæ virtute consistens, nescit aliquando aliud esse quam fuerit, nec potest non id esse quod semper est. Humani vero motus ipsa plerumque mutatione diversi sunt, et terrenæ legis imperfecta natura fit alia, ex alio instinctu se perturbante demutans : et ad id nos diversarum affectionum motus impellit, dum contumelia irascimur, dum damno movemur, dum ira accendimur, dum metu perturbamur, dum amore inflectimur, dum odio impellimur, dum gaudio efferimur, dum dolore stimulamur, dum judicio dissidemus, dum ætate mutamur. His ergo subditi naturæ infirmis motibus, æquales esse **99** non possumus, dum et affectu demutabiles sumus et tempore. Et idcirco perfecta bonitas in nullo est, quia eam naturalium perturbationum incentiva demutent. Sed tamen (*a*) cum in bonitatis sumus vel voluntate vel gestis, non possumus vel tunc non hoc esse quod sumus. Et quamvis imperfecti ad id simus, ne semper id simus : quod tamen sumus in tempore, licet per naturæ infirmitatem demutationi bonitatis obnoxiis, non adimitur nobis bonos nos vel tum esse cum sumus.

12. *Voluntati bonæ indulget Deus lapsus infirmitatis.* — Bonus autem solus per naturam indemutabilem suam semper Deus, non prædurus hujus demutationis A nostræ arbiter fuit, indulgentiam infirmitati nostræ, qua non semper boni permanemus, ex merito voluntatis impertiens, qua bonos nos esse delectat : magisque his (1) (*b*) quæ velimus propitiatus est, quam his quæ non possumus iratus est. Namque cum Moysi, fideli utique amico suo, et quem in Deum Pharaoni constituerat, dixisset, *Quia non glorificasti me* (2) (*c*) *in aquis contradictionis, adscende in montem, et morere :* hunc sibi postea, sepulturæ ejus loco a nemine cognito, una cum Elia ab Apostolis in monte conspectum beati et æterni regni sui consortem et (*d*) martyrem reservavit. Et ne per Aaron et David et (*e*) Salomonem pluresque alios istiusmodi bonitatis Dei exempla percurram, quibus, increpitis demutationum offensis, ob fidei tamen meritum adfuit venia proclivis (*f*), B conscius Dominus infirmitatis humanæ, cum Apostolis dixisset, *Omnes vos scandalum patiemini in hac nocte* (*Matth.* XXVI, 31), et beato Petro ter, non tam ad denuntiationem (*g*) damnatæ negationis, sed quia **100** per timorem carnis demutabilis homo (3), id quod negaturus esset admonito, et neganti quidem claves tamen regni cœlorum non ademit : quia cum per trepidationem obrepsisset negatio (*h*), voluntatis tamen usque ad martyrium confitendi fides firma non deerat. Et aliud est nolle, aliud non posse. Territus enim Petrus, etsi per carnis sensum responsionis non potuit tenere constantiam; per fidem tamen animi statim flevit. Et cum decussum se ab eo quod volebat agnovit, lacrymarum dolore fidei effudit affectum. Et ipsum illud fuit (*i*) negationis tempus et fletus, C scilicet secundum trepidationis demutationem, voluntatis (*j*) firmitate potiore. Nam mox inconstantiam trepidationis, constans fides flevit, probatissimam deinceps apostolicæ (*k*) constantiæ firmitatem mar-

(1) *Vellemus;* et paulo post, *quæ non possemus.*
(2) *In aquæ contradictione.* Ita LXX, ἀπὸ τοῦ ὕδατος ἀντιλογίας.
(3) Codex noster addit *esset.*

(*a*) Excusi *cum boni sumus*, cætera etiam nonnihil perturbate exhibebant. Castigantur ope mss.

(*b*) Ita ex Regio codice. At in editis, *quæ vellemus;* et mox, *quæ non possemus.*

(*c*) Mic. ms. *in aquæ contradictionem.* Turon. *in aquæ contradictione.* Reg. *in aqua contradictione.*

(*d*) Id est, testem. Tum in Regio codice. *reservabit.* Hic confirmat Hilarius quod cap. 20. in Matth. tradit, Moysen postremum Christi adventum una cum Elia præventurum.

(*e*) E regione hujus loci ad oram Regii ms. annotavit manus antiqua, *Ex fidei merito nactum veniam Salomonem scire potes, quisquis veri quæris rationem.* D Hilarii tamen defensor Philippus bonæ Spei Abbas Tractatum edidit *de damnatione Salomonis.* Verum quidquid ex Patribus affert ad confirmandam sententiam suam, hoc tantum ut plurimum probat, Salomonem a pristina sua bonitate excidisse, sed non satis evincit eum in peccato inpœnitentem perseverasse.

(*f*) *Vid. Tract. Psal.* LXVII, *n.* 10.

(*g*) In Mic. ms. *damnatæ mutationis* : quod in idem redit. Vult quippe Hilarius lapsum illum, quo Petrus Dominum negando a pristina bonitate demutatus excidit, æternæ damnationi obnoxium non fuisse, quia sui eum lapsus cito pœnituit. Itaque qui scopum ipsius attendet, non eum judicabit a culpa velle Petrum purgare, sed a bonitate dumtaxat eatenus non excidisse, quatenus culpam cito correxit, et in bona voluntate perseveravit, sicut et prius Aaron, David et Salomonem a culpa non exemit. Huc spectat illud c. 32. in Matth. : *Amarissime flevit recolens trepidationis istius culpam se nec admonitum potuisse vitare.* Juxta hæc Petri culpam appellat August. epist. 185, n. 46, mendacem timorem. Ne vero quis Petri reditum per solam voluntatem sine gratiæ subsidio hic prædicari suspicetur, recolat quæ habentur lib. x. de Trin., n. 41 : *Oratur Pater, ut salvatos per se, nunc in nomine suo salvet ipse. Et adeo salvat, ut Petri fides pœnitentia subsequente non deficiat, licet territa.* Non deficit igitur Petri fides, quia Pater salvat : en gratiæ virtus. Salvat autem Pater postquam Christus oravit : en meritum.

(*h*) Ita Reg. et Mic. mss. Editi vero *voluntati :* utriusque lectionis unus sensus.

(*i*) Apud Bad. *negotiationis*, librariorum lapsu. Apud Par. *demutationis.* Restituimus *negationis* ex Er. Lips. ms. Regio et tribus Vaticanis : hoc est, Petrus pœnitentiam diu non distulit, sed idem tempus fuit et negationis et fletus.

(*j*) Par. *voluptatis*, Hilarii scopum minime assequitur, contendentis Petro ad martyrium usque confitendi Christi non defuisse voluntatem, quæ trepidationi ad modicum cedens, superior tandem exstiterit.

(*k*) Apud Er. et Bad. desideratur *constantiæ.* Ejus

tyrii confessione confirmans. Hæc ideirco in præsenti loco commemoravimus, ne generaliter dictum (1) existimaremus, *Non est qui faciat bonitatem, non est usque ad unum* : cum hi tot et tanti placentes (*a*) Deo viri, etiamsi per naturæ demutationem de proposito fidei aliquantulum decidissent, tamen maximis ac pulcherrimis bonitatis operibus (*b*) gloriam sint cœlestis de se judicii consecuti.

13. Atque hanc quidem intelligentiæ nostræ rationem ea quæ consequuntur, absolvunt, VERS. 5 et 6 : *Nonne scient* (2) *omnes qui operantur iniquitatem, qui comedunt populum meum ut cibum panis? Deum non invocaverunt : ibi timuerunt* (3) (*c*) *ubi non fuit timor. Quoniam Deus dissipavit ossa* (*d*) *hominibus placentium, confusi sunt ; quoniam Deus sprevit illos.* Si enim usque ad unum bonitatem nemo facit; quomodo populus Dei est, qui ut cibus panis manducetur 101 ab operantibus iniquitatem ? Generalitas ergo sententiæ (*e*) amota est, cum a Dei populo, quem in bonitatis operationibus non ambiguum est permanere, iniquitatem secernuntur operantes. Comedunt itaque operarii iniquitatis populum Dei ut cibum panis, qui sanctorum injuriis vivunt, quos vexatio prophetarum, et vastatio Ecclesiæ, et omnis iniquitatis delectat operatio. Comedunt quoque etiam illi ut cibum panis Dei populum, qui eum obtrectationis morsu, et laniatu invidiæ dilacerant, secundum illud Apostoli : *Si autem invicem mordetis et comeditis, videte ne consumamini ab invicem* (*Gal.* v, 15). Sed (*f*) et sunt comedentes populum Dei ut cibum panis, quibus, ut idem beatus Apostolus ait, Deus venter est (*Phil.* III, 19), qui ministerium deputant ad negotiationem, collationibus se plebis et muneribus ditando : dum convivia sub obtentu religionis sumptuosa sectantur, dum apothecas suas (*g*) inutili religiosorum obsequio distendunt (cum consuetudo ab apostolis necessariæ hujus collationis ad diurnam tantum sæculo renuntiantium, aut per inopiam indigentium, alimoniam fuerit instituta); de quibus scriptum est, *Comedentes domos viduarum, et oratione longa orantes* (*Matth.* XXIII, 14). Hi ergo ut cibum panis, Dei populum comedunt, et Dominum non invocaverunt. Stulti enim in corde dixerunt, *Non est Deus*. Non invocant ergo quem negant. Vel certe si qui in Ecclesia positi, (4) Dei plebem obtrectatione, insectatione et sumptu comedunt ut cibum panis, etiamsi Dominum invocare se credunt, audient dictum in Evangelio fuisse. *Scimus enim quia peccatores Deus non audit* (*Joan.* IX, 31). Ili ergo Dominum non invocaverunt : quia oratio (*h*) non verborum sit professio, sed fidei.

14. *Timent non timenda.* — Sed qui Deum non invocant, et illud impietati suæ addunt, ut timeant non timenda (illic enim trepidarunt, ubi non erat timor), saxa, metalla, (*i*) robora, ignem, aquam, æthera, reges mortuos atque morituros, vel cætera religionum superstitiosa commenta venerantes : et hoc ipso impio inanium metu, (*j*) contemptuque necessarii timoris ex comparatione condemnandi ; cum 102 non tam oblivisci timorem Dei impium sit, quam impietate præcellat, timori ejus metum inanium prætulisse. Docuit autem Dominus, solum in nobis metum eorum quæ vere timenda sunt oportere esse, cum dicit: *Nolite timere eos qui possunt corpus occidere, animam autem non possunt occidere. Timete autem magis eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehenna* (*Matth.* X, 28). Impius ergo timor est, cum quæ non timenda sunt timentur, et quæ timenda sunt non timentur. Et plerumque nos tamquam pro debita officii religione pie adulari regibus existimamus, quia in corpus nostrum sit his aliquid potestatis : quibus nihil ultra (5) de nobis licet, quam latroni, quam febri, quam incendio, quam naufragio, quam ruinæ. (6) (*k*) His enim casibus corporum pro summa potestate desæviunt : et propter brevem dolorem (*l*) libertatem Ecclesiæ, spei nostræ fiduciam, confessionem Dei addicimus,

(1) *Existimaretur.*
(2) *Nonne sciunt.*
(3) *Ibi timuerunt timorem* juxta Græcum : ἐκεῖ ἐφοβήθησαν φόβον ; juxta Hebraicum quoque : פחד שם פחדו. Infra tamen iterato, *trepidaverunt.*
(4) *Dei plebem insectationis sumptu comederunt.*
(5) *In nos licet.*
(6) Mss. Veron. *His enim generibus*, omittit vocem *corporum*. Mox infert : *propter brevem corporis dolorem.*

loco in aliis editis vox *fidei* substituta est, ac deinde *firmitate*. Locum hunc resarcimus ope mss.

(*a*) Bad. Er. et Lips. *et placentes*. Vatic. ms. *et tam placiti*. Regius, *et tam placentes*.

(*b*) Vaticanus codex, *gloriæ sint cœlestis de se judicium consecuti*.

(*c*) In Vaticano codice, ut in Vulgata, *illic trepidaverunt timore*. In Græco, ἐκεῖ ἐφοβήθησαν φόβον. Verior tamen videtur lectio librorum aliorum.

(*d*) Græce ἀνθρωπαρέσκων. Regius codex, *hominum placentium*, subnexæ expositioni non congruit.

(*e*) Excusi *admota est* : emendantur ex mss.

(*f*) Interposita est vocula *et*, beneficio ms. Turon. Nam in antea vulgatis deerat.

(*g*) Hoc est, ex non necessaria piorum hominum collatione.

(*h*) In vulgatis *operatio*. Rectius Vaticanus codex, *oratio*. Tum Regius, *non verborum*, sed professione *sit fidei*.

(*i*) Vaticanus codex, *et arbores*. Nil tamen immutandum ducimus. Druidarum enim religionem forsitan hic attendit Hilarius. Idem codex ante *saxa*, præfixum habet verbum *adorantes*.

(*j*) Desideratur *contemptuque* in regio codice. Timoris Dei contemptus in hoc ponitur, quod ei inanium timor comparatus præferatur. *Præferri enim solet dilectioni ex comparatione dilectio*, uti vidimus in Psal. I, n. 17. Præterea hic τὸ *ex comparatione* potest referri ad verbum *condemnandi:* ut qui timori Dei timorem inanium prætulerint, condemnandi sint ex comparatione eorum qui timori inanium prætulere timorem Dei : quomodo in psal. II, n. 44, habemus, comparatione fidei ac timoris justorum, impios impœnitentesque condemnandos. Sic solet Hilarius verba in medio collocare, ut et ad superiora et ad subsequentia æque referantur.

(*k*) Unus e mss. Vatic. *His tantum casibus*. Alter, *his enim generibus*, et mox, *propter brevem corporis dolorem*.

(*l*) Regius codex, *libertatem ac desideria spei nostræ, fiduciæ confessione dejicimus.*

punitorem perditoremque in igne judicii et corporis et animæ nostræ Deum non timentes, et æternis divinæ ultionis pœnis momentanea atque abolenda supplicia præferentes; dum placere nos ipsis, et in eorum gratia permanere famulatu impio gloriamur.

15. *Gratiam humanam sectari quando nefas.* — Hoc ipsum decreto gravissimo sententia divina condemnat. Namque ad illud quod dixerat : *Nonne* (1) *scient qui operantur iniquitatem, qui comedunt populum meum ut cibum panis : Deum non invocaverunt, ibi trepidaverunt ubi non erat timor;* id ad summam cœpti sermonis adjecit : *Quoniam Deus dissipavit ossa hominibus placentium, confusi sunt; quoniam Deus sprevit illos.* Hi ergo qui operantur iniquitatem, et populum comedunt ut cibum panis, et Deum non invocaverunt, et in non timendis trepidaverunt, nonne cognoscent, quia ossa eorum qui hominibus placere volunt, Deus dissipavit (*a*)? Timuit hujus prophetici dicti sententiam sanctus ille gentium doctor, dicens : *Ego si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem* (*Gal.* I, 10). Inutilis est humanæ gratiæ et irreligiosa sectatio. Namque (2) (*b*) Deo magis, quam in contumeliam Dei, hominibus est placendum : ut per divina instituta, et probitatem fidelis vitæ innocentisque placeatur. Cæterum placere tantum hominibus velle, Deo est displicere. Non avocat autem ab hominum gratia Deus justorum mentes, et fidelium rationabilem sanctitatem. Et audiamus eum per Paulum loquentem : *Sine offensione estote Judæis et Græcis, et Ecclesiæ Dei, sicuti et ego* (*c*) *omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi* (3) *utile sit, sed quod multorum est, ut salventur* (I *Cor.* X, 32 et 33). Hoc est, non hominibus, sed Deo placere, cum per id quod Deo placetur, et hominibus sit placendum. Ex causa enim placendi Deo, causa etiam hominibus probabilis fit placendi. Cæterum studium, quod ut hominibus tantum placeatur impenditur, ad id quod Deo placendum est non refertur : quia tantum eorum causa quibus placetur adhibetur. Non est autem majus vinculum hominibus placendi, quam ut nemo sui causa velit (*d*) iis placere quibus placeat : quia quod in profectum propriæ utilitatis efficitur, non potest non aliquam interdum offensionem ex causis accedentibus (*al.* accidentibus) excitare : cum quod alii utile est, alteri sæpe fiat incommodum. At vero qui nihil sui causa velit, et omnia in profectum alienæ utilitatis (*e*) exerceat, necesse est ut causam sibi inoffensæ placabilitatis acquirat; quia et ex alienis utilitatibus placeat, nec offendat ex propriis. Et hanc sibi esse causam probabilem placendi cunctis Apostolus docuit, quia utilitatis suæ negligens, utilitati se dedisset alienæ.

16. *Ossibus æternitatis spes significatur.* — Dissipavit ergo ossa Deus hominibus placentium. Et ossa non hæc corporalia dissipari intelligenda sunt : sed quia spes æternitatis in ossibus significari solet, ex quo dictum est : *Hoc nunc os de ossibus meis* (*Genes.* II, 23). Quod beatus Apostolus, quia magnum mysterium est, ad Christum et ad Ecclesiam refert (*Ephes.* V, 31), quæ ex Adæ sui æternitate æternitatis substantiam mutuatur. Quod in Domini vulnerato licet corpore confixoque non frangitur. *Os*, inquit, *ejus non conteretur* (*Num.* IX, 12); quia cum fuerit iniquis jus (4) passionis in carnem, in æternam (*f*) tamen divinitatis et impassibilem naturam nihil licuit passioni. Integram autem et incorruptam spem æternitatis significari in ossibus etiam illic meminimus, ubi dicitur : *Custodit Dominus omnia ossa justorum, unum ex his non conteretur* (*Psal.* XXXIII, 21), quia secundum demonstratam Ezechieli resurrectionem, sacramentum ejus sub ossium significatione sit revelatum (*Ezech.* 37). Ergo ut custodit Deus ossa justorum, ita et hominibus placentium dissipavit : et dissipavit non ita, ut eo quod essent carerent, sed ut per contemptum Dei tamquam deperdita et abjecta vilescerent (*g*).

17. *Confusio duplex impiis post judicium.* — Id enim sequitur : *Confusi sunt, quia Deus sprevit illos.* Confunditur quisque, et pudore dedecoris sui, et comparatione honoris alieni. Et hic (5) illud est, quod Apostolus significat dicens : *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur* (I *Cor.* XV, 51). Sed et propheta et confusionem resurrectionis et honorem discernit, ita dicens : *Et resurgent alii quidem in vitam, alii autem in confusionem æternam* (*Dan.* XII, 2). Confundentur ergo quorum ossa dispersa sunt, quos sprevit Deus, quos tamquam indignos ne conformes essent gloriæ suæ et resurrectionis abjecit. Resurrecturi adeo, ut confundantur : non immutabuntur vero, et ex eo confundentur. Hæc enim resurrectionis statuta conditio est : et idcirco tamquam ex præterito pro decreti definitione fit sermo, quia id ut ita maneat sit statutum.

18. *Spes, vitæ hujus unum levamen.* — Commemoratis vero humanis et insolentiæ et iniquitatis impietatibus, ut is qui titulo præfertur intellectus in finem possit intelligi : tali Propheta spem beatorum finis ipsius adhortatione confirmat, dicens : *Quis da-*

(1) *Nonne sciunt omnes.*
(2) *Nam ex Deo.*
(3) *Quod meum utile est.* ex Græco, τὸ ἐμαυτοῦ συμφέρον.
(4) *Vis passionis.*
(5) *Et hinc illud.*

(*a*) Excusi hic et inferius, *dissipabit.* At in mss. *dissipavit* : verius. Ut enim infra habet Hilarius, n. 17, *tamquam ex præterito pro decreti definitione fit sermo*, etc.

(*b*) Ita emendamus ex mss. Turon. Antea legebatur : *Nam ex Deo magis.*

(*c*) In excusis *per omnia in omnibus.* Particulæ *per* et *in* non exstant in mss. regio, neque in græco.

(*d*) In excusis, *velit aliquid*, omisso *iis placere quibus placeat*, quod restituimus ope mss. Hic ostenditur vinculum, quo omnes sibi quisque devinciat.

(*e*) Sic mss. melius quam editi, *voluntatis.*

(*f*) Regius codex, *in internam*, quod primum nobis arriserat; minus tamen ad rem. Deinde etiam cum aliis mss. habet, *divinitatis*, non ut vulgati, *divinitatem.* Hic distincte aperit Hilarius quam Christi naturam velit passione caruisse.

(*g*) *Vid. Tract. Ps.* I, *n.* 14 *et* 15.

bit ex Sion salutare Israel? dum avertit Dominus captivitatem plebis suæ, exsultabit Jacob et lætabitur Israel. Una enim hæc spes reliqua fuit humanæ (*a*) infirmitati et fidei, per quam inter tantas præsentis vitæ calamitates æternorum bonorum exspectatione requiesceret. Et idcirco certus hujus beatitudinis Propheta, tamquam ex vasto humanarum miseriarum proclamat profundo, dicens: *Quis dabit ex Sion salutare Israel?* Namque secundum alium prophetam: *Ex Sion exiet lex, et verbum Domini ex Jerusalem* (*Esa.* II, 3). Hoc verbum Domini caro factum est. Hæc caro et Sion et Jerusalem est, civitas (1) (*b*) novæ pacis, et speculatorium nostrum. Hinc salutaris, hinc Jesus. Jesus enim, ut sæpe diximus, ipso nomine salutaris est (*c*). Lex autem ex Sion non fuit salutaris, opere quidem vivificans, sed non justificans ex fide.

19. *Salutaris est Jesus. Datus vero Israel non carnali.* — Hic vero exspectatus est salutaris, et datus est Israel: sed non carnali illi Israel. *Non enim qui filii carnis, filii Dei sunt, sed filii promissionis deputantur in semen* (*Rom.* IX, 8). Testatur et Joannes, non esse secundum carnem Abrahæ filios, cum et filii viperarum sunt: et potens est Deus Abrahæ filios de lapidibus **105** excitare. Dominus autem ipse docuit, ex fidei operibus proprietatem successionis exsistere, nec secundum carnis generationem filiorum originem deputari, cum ait: *Si filii Abrahæ esscetis, opera Abrahæ faceretis* (*Joan.* VIII, 39). Sed et Daniel presbyteros condemnans, ita dicit: non, *Semen Abraham;* sed, *Semen Chanaan, et non Juda* (*Dan.* XIII, 56). Ezechiel quoque increpitis populi iniquitatibus ait: *Pater tuus Chananæus, mater tua Chethæa, radix tua et generatio tua de terra Chanaan* (*Ezech.*, XVI, 3). Non est ergo Israel iste ex successione corporea, cui ob infidelitatem origo profanissimi generis deputatur. Neque huic data salus est, qui non suscepit oblatam (2): sed ei qui aversa captivitate populus Dei factus est.

20. *Populus captivus, gentes.* — Captas autem imperitarum gentium mentes, et impiissimis vitiis ac religionibus subditas, in libertatem fidei et nomen familiæ cœlestis absolvit. Qui enim erant dæmonum servitus, facti sunt Dei populus. Et quis hic sit captivitatem avertens, de se ipse testatus est. Hanc enim non lex, non patriarcha, non propheta, non angelus, non aliqua alia cœlestium, vel dominatuum (*d*), vel potestatum, (3) (*e*) vel thronorum, vel virtutum virtus avertit; sed ille qui accepto libro in synagoga cum ista legisset: *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, prædicare captivis remissionem, et cæcis visionem, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum* (*Luc.* IV, 18, *et seq.*), fidem et (4) (*f*) auctoritatem consummatæ significans prophetiæ, ait: *Quia hodie impleta est prophetia hæc in auribus vestris* (*Ibid.* 21). (5) Hoc igitur populi Dei aversa captivitas est, cum oculi (6) intelligentiæ panduntur, cum præfracta peccatis corda in requiem relaxantur, cum annus Domini acceptabilis nuntiatur, quo pœnitentiæ (7) nostræ Deo accepta est confessio, cum nihil præteritorum reputatur ad crimen, cum nova omnia sunt, nova libertas est, novi filii, et æterna lætitia est.

21. *Jacob supplantator.* — *Exsultabit Jacob, et lætabitur Israel*: idem namque ipse patriarcha utrumque nomen sortitus ex merito est. Nam quia manu calcem fratris continuisset in partu, Jacob nuncupatus est: supplantaturus deinceps et emendo primogenita, et benedictiones occupando (*Gen.* XXVII, 27). (8) Et interpretationis virtutem Genesis exposuit, Jacob eum, quia supplantator fratris sit (*Ibid.* 36), nuncupatum. Per agnitionem autem confessi Dei, tum cum se ab **106** eo homine, cujus in lucta dominabatur, benedici poposcit, quia Deum, adversus quem generis sui populus secundum futuræ passionis sacramentum in lucta carnis invaluit, fidei oculis conspexisset in corpore; Israel, quia Israel Deum videns sit, meruit nominari. Et secundum ipsius Genesis prophetiam, in Jacob juniorem populum, qui esset ex gentibus crediturus, significari absolutum est. (9) (*g*) Hoc ergo *exsultabit Jacob, et lætabitur Israel.* Secundum Ecclesiæ ordinem hic unus est populus, duplicis et professionis et honoris; neque enim geminatis sententiis idipsum cœlestis sermo significat. Sed quia fides prima quo quis invocari super se Dei nomen (*h*) precatur, fide anteriorem populum supplantat, cum Judæo infideli fidelem se optat esse gentilis. Hic ergo Jacob est, spe præoccupatæ benedictionis (*i*) exsultans. Jam vero ubi baptismo renatus, et fide consummatus, Deum intelligentiæ oculis et mente (10) adspexerit; tunc jam Israel lætabitur, quia jam supplantato seniore Deum fide videat, visurus veriore conspectu, secundum illam beatitudinis sponsionem, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V, 8). Do-

(1) *Nobis pacis et speculatorium.*
(2) *Qui non suscipit oblata*, mox, *versa captivitate.*
(3) *Vel thronuum.*
(4) *Auctorem.*
(5) *Hæc igitur.*
(6) In editis, *intelligentia.*
(7) *Quod totius pœnitentiæ*, deinde, *quod nihil præteritorum.*
(8) *Et interpretati nominis.*
(9) *Hic ergo.*
(10) *Mentis.*

(*a*) Editi *infirmitatis:* emendantur ex mss.
(*b*) In uno ms. Vatic. et Mic. *nobis*, non *novæ.*
(*c*) Dictum est hactenus tantum semel in Psal. XIII, n. 5. Potuit tamen dici in Psal. IX, etc. in quibus occurrit vox *salutaris:* quod argumento est psalmos alios quam qui hactenus expositi sunt, ab Hilario fuisse tractatos.
(*d*) *Vid. Tract. Ps.* XIII, *n.* 3.
(*e*) Regius ms. *vel thronum.*
(*f*) Ita mss. At excusi *auctorem.*
(*g*) Excusi *hic ergo.* At ms. reg. *hoc ergo.* Magis aperta sit lectio in ms. Turon. *Hoc est ergo exsultabit.*
(*h*) Regius cod. *prædicatur, fide anteriore*, etc., non placet. Sic tota phrasis videtur intelligenda: sed quia fides prima est, quando quis, etc. gentilis fide supplantat anteriorem populum, cum, etc.
(*i*) Excusi, *insultans:* emendantur ope regii ms.

mini et Dei nostri Jesu Christi, qui est benedictus in A sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS LIII.

In finem (*a*) *in hymnis, intellectus David, cum venerunt Ziphæi, et dixerunt ad Saul: Nonne ecce David absconditus est apud nos?*

Deus, in nomine tuo salvum me fac, et in virtute tua judica me. Deus, exaudi orationem meam, auribus percipe (*b*) *verba oris mei: quoniam alieni insurrexerunt super me, et fortes quæsierunt animam meam, et non proposuerunt Deum ante conspectum suum.* DIAPSALMA. *Ecce enim Deus adjuvat me, et Dominus susceptor est animæ meæ. Averte* (*c*) *mala inimicis meis, in veritate tua disperde illos. Voluntarie sacrificabo tibi, et confitebor nomini tuo, Domine,* **107** *quoniam bonum est: quoniam ex omni tribulatione eripuisti me, et super inimicos meos respexit* (*d*) *oculus meus.*

TRACTATUS PSALMI.

1. *David evangelicæ doctrinæ cultor.* — Sanctus et beatus David non ignarus, sed ut propheta, evangelicæ doctrinæ, et in tempore licet legis hanc corporalem agens vitam, tamen, quantum in se est, apostolici mandati præcepta consummat, (1) testimonio de se Dei fidem præstans, cum dictum est: *Inveni virum secundum cor meum David* (*e*) *qui filius Jesse est* (*Act.* XIII, 22). Non enim inimicos suos bello persequitur, neque insidiantibus sibi decertando armis resistit: sed exemplo Domini, cujus et nomen et lenitatem præfigurabat, proditus orat, periclitans psallit, patiens odia gratulatur; et ideo secundum Domini cor repertus est. Quia cum Domino (*f*) duodecim millia legionum angelorum (*Matth.* XXVI, 53) possent in tempore passionis assistere: tamen ad omne officium humilitatis explendum, passioni se et (*g*) infirmitati ipse permisit, orans tantum, et dicens: *Pater commendo in manus tuas spiritum meum* (*Luc.* XXIII, 46). Quo exemplo hic idem, per similitudinem passionum futuræ ejus passionis propheta, non contradicit, non resistit inimicis, malum pro malo ex præcepto evangelico non reddens: sed dominicæ mansuetudinis æmulator, cum tribulatur, cum proditur, cum fugatur, Dominum, cujus tantum adversus impios armis utitur, deprecatur.

2. *Hoc psalmo Christi personam gerit.* — Psalmo autem huic (2) titulus ex historia præscribitur: sed ante historiam, quatenus et quando et in quem ea, quæ sub historia dicuntur, a nobis sint intelligenda, monstrantur. Est enim primum, VERS. 1: *In finem intellectus illi David.* Tum deinde sequitur, VERS. 2: (*h*) *Cum venerunt Ziphæi, et dixerunt Saul: Nonne ecce David absconsus est* (3) *nobiscum?* Ergo hoc, quod a Ziphæis David proditur, in finem est intelligendum. Per quod ostenduntur ea, quæ in præsens tum erga David gerebantur, præformationem in se futuri temporis continere: cum innocens insectatione vexatur, cum propheta contumeliis illuditur, cum Deo placens ad mortem requiritur, **108** cum rex inimico suo, ut Dominus Herodi atque Pilato, ab his proditur, cum B quibus tutus esse debebat. (*i*) Psalmus ergo intelligentiæ in finem est, et in David illo intellectus, in quo finis est legis, et qui David habet claves, aditum intelligentiæ (*j*) tum aperiens, cum quæ de se a David sunt prophetata consummat.

3. *Ziphæi hebraice oris adspersio.* — Ipsa autem secundum hebræam proprietatem interpretatio nominis affert non exiguum nobis ad intelligendum profectum. Ziphæi namque significantur, quæ nobiscum sunt oris adspersiones: hæ ab Hebræis Ziphæi nuncupantur (*k*). Adspersio autem secundum legem emundatio peccatorum erat, per fidem populum sanguinis adspersione purificans (cujus adspersionis hic idem beatus David ita meminit: *Asperges* (*l*) *me hyssopo, et mundabor*) (*Ps.* L, 9); sacramentum futuræ ex Domini sanguine adspersionis, fide interim legis sanguine holocaustomatum repensante (*m*). Sed hic populus, ut populus Ziphæi, ore potius quam fide adspersus, et emundationem adspersionis labiis magis quam corde suscipiens, infidelis in David suum et proditor exstitit, quod ante per Prophetam dixerat: *Populus hic labiis me honorat, cor autem ejus longe est a me* (*Esa.* XXIX, 13); ad prodendum David ob id pronus, quia cessante fide cordis, omnia per oris fraudulentiam legis sacramenta gessisset.

4. *Christus hominibus per omnia congruit.* — VERS. 3 et 4: *Deus, in nomine tuo* (4) *salvifica me, et in virtute tua judica me. Deus, exaudi orationem meam, auribus percipe verba oris mei.* Secundum demonstra-

D rium scripsisse, ipse indicat versiculum exponens: *Salvificari se in Dei nomine rogat*, tum n. 14, *nam in exordio dixerat, In nomine tuo salvifica me.*

(1) *Testimonium de se.* Mox, *qui Tessæ est.*
(2) *Titulus historiæ.*
(3) *Apud nos*, græce, παρ' ἡμῖν.
(4) *Salvifica* bis est in nostro codice: ita Hila-

(*a*) Ita Miciacensis codex. At editi, *in carminibus..... venissent.... dixissent.* Ab aliis legi *in carminibus*, se vero, etsi hanc versionem permittat, *in hymnis* tamen præferre solere, satis declarat Hilarius initio tract. psal. LIV.
(*b*) Al. *inaurire.*
(*c*) Hil. *convertit.*
(*d*) Par. *despexit.*
(*e*) Regius codex, *qui Jesse est*, græcum τόν τοῦ Ιεσσαὶ ad litteram reddens.
(*f*) *Vid. lib.* X *de Trin. n.* 41; et *Tract. Ps.* LIV, *n.* 6.
(*g*) In ms. Reg. *infirmitati subesse permisit.*
(*h*) Excusi, *convenerunt:* mendose.
(*i*) Editi, *Psalmi ergo intelligentia*, renitentibus mss.
(*j*) Ita mss. At Vulgati, *tum aperit.*
(*k*) Apud Augustinum autem, Hieronymum ac Rufinum Ziphæi aliter enuntiantur, scil. *florentes.*
(*l*) Regius codex, *adsperge me.*
(*m*) Editi excepto Par. *repræsentat:* quod et habet regius ms. ac deinde, *est et hic populus:* ex quo primum putabamus restituendum *repræsentante, sed hic populus.* At potior tandem visa est lectio Par. cui favent mss. Vatic. ac Mic. quorum in uno *repensantes*, in altero *repensatæ.* Nempe hic docetur Judæos per adspersionem sanguinis taurorum purificatos fuisse, fide supplente efficaciam, quam in se habitura erat

tam tituli rationem, passio David prophetæ, Dei ac Domini nostri Jesu Christi passionis exemplum est. Et idcirco oratio quoque ejus, etiam ad intelligentiam orationis ejus, (1) qui Verbum caro factum est, temperatur : ut qui omnia secundum hominem passus est, idem omnia secundum hominem et loquatur (*al.* eloquatur); et quorum infirmitates portavit et peccata suscepit, eorum ad Deum deprecetur obsequio. Proprietates autem virtutesque verborum, etiam invitis licet et cunctantibus nobis, intelligentiæ hujus exigunt sensum : ut omnia ex persona ejus dici non ambigamus in psalmo. Ait enim : *Deus, in nomine tuo salvifica me.* In humilitate corporis unigenitus Dei filius sub prophetæ (*a*) sui dictis hæc precatur, 109 qui et gloriam quam ante sæcula habuerat reposcebat. Salvificari se in Dei nomine rogat, in quo est et nuncupatus et natus : ut se in eo corpore, in quo erat natus, idipsum quod naturæ anteriori suæ et generi erat proprium, salvum faceret Dei nomen.

5. *Dei scilicet nomen ac virtutem.* — Et quia omnis hæc ex persona formæ servilis oratio est, cui formæ servili (*b*) usque ad crucem mortis assumptæ, salutem ejus nominis quod Dei est deprecatur; et salvandus ex Dei nomine id continuo subjecit : *Et in virtute tua judica me.* Namque ob meritum humilitatis, quia se exinanisset formam servi accipiens, formam (*c*) nunc rursum Dei consortem (2) in ea quam assumpserat humilitate repetebat; in Dei nomine homine ipso, in quo Deus nasci obedierat, salvato. Et ut hujus nominis, in quo se salvari orabat, honorem non nudæ tantum nuncupationis doceret esse, judicari se in virtute Dei precatur. Primum enim ex judicio est, quod meretur : *Factus*, inquit, *obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod exaltavit illum Deus, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen* (*Phil.* II, 8 et 9) : ut ei nomen (3) quod super omne nomen est donetur. Tum deinde (*d*) hoc ipsum judicium sit in virtute judicii : quia per virtutem Dei is, qui ex Deo homo mortuus fuerat, idem rursus in Deum ex homine mortuo resurrexit; secundum illud Apostoli, *Crucifixus ex infirmitate, resurrexit ex virtute* (II *Cor.* XIII, 4), et rursum : *Non enim erubesco Evangelium : virtus enim Dei est in salutem omni credenti* (*Rom.* I, 16). Per judicii enim virtutem infirmitas corporalis (*e*) in Dei nomen naturamque salvatur; atque ita ob meritum obedientiæ, in salutem nominis Dei ex judicii virtute provehitur, ut in eo Dei et nomen et virtus sit. Cæterum si ex consuetudine humana sermo iste cœpisset; in misericordia potius vel æquitate, quam in virtute, judicari se Propheta poposcisset. Sed virtutis illic opus fuerat judicio, ubi Dei filio in filium hominis ex partu virginis nato, rursum ipsi hominis filio per judicii virtutem Dei filii et nomen (4) redhibendum esset et virtus.

6. *Orantis hic fiducia non convenit nisi Christo.*—Sequitur dehinc: *Deus exaudi orationem meam*, (5)(*f*) *auribus percipe verba oris mei.* 110 Promptum Prophetæ fuerat dixisse : Deus, exaudi me. Sed quia ex persona ejus loquitur, qui solus sciret orare ; idcirco constans postulatio (*g*) exaudiendæ orationis ostenditur. Paulus beatus neminem hominum, qualiter orare (6) oporteat, scire docet dicens : *Quod enim, quid oremus qualiter oporteat, nescimus* (*Rom.* VIII, 26). Non est ergo infirmitatis humanæ, exaudiri orationem suam postulare : cum Doctor gentium, post constitutam (7) licet jam a Domino formam orandi, quid et quatenus oret ignoret. Sed ejus ista fiducia est, qui solus patrem videt, qui solus Patrem scit, qui solus potest orare pernoctans (secundum (8) Evangelium enim Dominus pernoctavit orans [*Luc.* VI, 12]), qui per speculum verborum formam ipsam occultissimi sacramenti sub communibus verbis, dum oraremus, ostendit. Et qui orationem suam poposcit audiri, ut peculiare hoc fiduciæ suæ doceret esse, subjecit, *Inaurire verba oris mei.* Et quisquam (*h*) hoc humanæ fiduciæ esse existimabit, ut verba oris sui velit audiri? An illa quibus motus animi nostri et impetus pronuntiamus, tum cum de ira exardescimus, tum cum de odio obtrectamus, tum cum de dolore querimur, tum cum de adulatione blandimur, tum cum aut pro spe lucri aut de veritatis pudore dominici sanguinis adspersio. Si cui tamen magis arriserit *repræsentante*, propter verba superiora, *sacramentum futuræ*, etc., seligat quod libet. Imo alterutrum intelligentia nemo separet.

(1) *Qui Verbum caro factus est.*
(2) *In idea.*
(3) *Ut eo nomine.*
(4) *Redimendum.*
(5) Ita noster cum præstantioribus mss. ubi editi, *inaurire.* Inferius subjecit, *inaudire*, non *inaurire.*
(6) *Debeat.*
(7) *Licet etiam.*
(8) *Evangelia.* Re vera tria sunt, quæ id memorant.

(*a*) Abest *sui* a Regio ms. in quo mox *quia gloriam*, non *qui et gloriam.*

(*b*) In ms. Turon. *usque ad mortem crucis, non usque ad crucem mortis.* Hoc tamen nominum inversiones Hilario non sunt insuitatæ.

(*c*) Particula *nunc*, apud Lips. et Par. omissa revocatur ex mss. reg. Hujus loco apud Bad. et Er. mendose legebatur *non.*

(*d*) Subaud. *precatur ut.*

(*e*) Editi, *in Dei nomine naturaque*, non satis exprimunt mentem Hilarii, Christum per gloriæ divinæ consortium etiam secundum formam servi in Dei nomen naturamque transiisse significantis, non abolitione naturæ, sed divinæ immortalitatis atque incorruptionis participatione, ut sæpe jam dictum. Hic obiter observare est, *virtutis* nomine Dei naturam intelligi. Unde quod nunc ait : *in Dei nomen naturamque salvatur*, subinde sic exponit, *ut in eo Dei et nomen et virtus sit.*

(*f*) Sic ms. Mic. consentientibus infra Vatic. et Reg. qui hic habent, *auribus percipe.* At in vulgatis utrobique exstat, *inauri.*

(*g*) Par. post Lipsium *præstandæ.* Erasmus ad marginem, *impetrandæ* : in textu autem cum Bad. et mss. reg. ac Mic. *postulandæ*, quantum conjectamus, librariorum lapsu pro *auscultandæ.* Restituimus *exaudiendæ*, Vaticani ms. auctoritate.

(*h*) Vat. ms. *et quis usquam.*

mentimur, aut de contumeliæ offensione maledicimus? Et quis usquam vitæ ita emendatæ et patientis ad omnia fuit, ut his humanæ demntationis vitiis non esset obnoxius? Solus hoc potuit cum fiducia velle, qui peccatum non fecit, in cujus ore dolus non fuit, qui flagellis dorsum præbuit, maxillas ab alapis non deflexit (*a*), sputamentorum contumeliam non exprobravit, et in nullo voluntatem ejus, cujus ad hæc voluntati in omnibus volens obediebat, offendit.

7. *Querela Christi omnis ex humanæ naturæ affectu est.* — Causam deinde, cur verba sua audiri oret, adjecit, VERS. 5 : *Quoniam alieni insurrexerunt adversus me, et fortes quæsierunt animam meam, et non proposuerunt Deum* (1) *ante conspectum suum.* Unigenitus Dei filius, Dei Verbum, et Deus Verbum (cum utique omnia quæ Pater posset, omnia ea et ipse posset, sicuti ait : *Quæcumque enim Pater facit, eadem et Filius facit similiter* (*Joan.* v, 19) ; (*b*) ut indiscreto ΙΙΙ deitatis naturæque nomine indiscreta quoque esset et virtus) ut absolutissimum nobis humanæ humilitatis esset exemplum, omnia quæ hominum sunt, et oravit, et passus est. Et ex communi nostra infirmitate salutem sibi est deprecatus a Patre : ut nativitatem nostram cum ipsis infirmitatis nostræ (*c*) iniisse intelligeretur officiis. Hinc illud est, quod esurivit, sitivit, dormivit, lassatus fuit, (*d*) impiorum cœtus fugit, mœstus fuit, et flevit et passus, et mortuus est. Et ut his omnibus non natura (*qua Deus est*), sed ex assumptione (*qua et homo est*), subjectus esse posset intelligi, perfunctus his omnibus resurrexit. Omnis ergo ejus in psalmis ex naturæ nostræ affectu querela est. Nec mirum si ita nos intelligimus dicta psalmorum : cum ipse Dominus secundum evangelicam fidem passionis suæ sacramenta scripta esse fuerit testatus in psalmis (*Lucæ* XXIV, 44).

8. *Qui alieni. Qui fortes. Hi Christum, qui Deus et homo, Deum nescierunt.* — *Alieni* igitur super eum *insurrexerunt.* Non enim jam filii Abrahæ sunt, neque filii Dei : sed natio viperarum, sed servi peccati, sed semen Chanaan, patre Amorrhæo, matre Chethæa (*Ezech.* XVI, 3), et diabolo patre, filii diabolicæ voluntatis. Quærunt quoque et animam suam *fortes ;* cum Herodes principes sacerdotum ubi (2) nasci habebat Christus interrogat (*Matth.* II, 4), cum omnis Synagoga edversus eum testis falsa conjurat. Sed animam hanc humanæ naturæ et infirmitatis esse existimantes (*e*) *non proposuerunt Deum ante conspectum suum :* quia Deus ex eo quod Deus manebat, usque ad originem nascendi se hominis humiliasset, id est, ut hominis filius esset, qui erat antea Dei filius. Non enim alius filius Dei, quam qui filius hominis; et filius hominis (3) non ex parte, (*f*) sed natus, forma enim se Dei ex eo quod erat ad id quod non erat, id est, ut nasci posset, in animam suam corpusque evacuante (et idcirco et filius Dei et filius hominis, idcirco et Deus et homo, id est, Dei filius habitu humanæ originis natus est), usque ad naturam scilicet hominis nascendi, qui totus ex anima et carne formabilis est, Dei se humiliante substantia. Ob quod cum insurgunt adversum eum alieni, cum potentes animam ejus ΙΙ2 exquirunt, quæ frequenter in Evangeliis tristis et mœsta est ; Deum ante conspectum suum non proposuerunt, quia Deus Dei filius, ante secula manens, humanæ naturæ habitu, id est, nostri corporis atque animæ homo ex partu virginis natus esset : per operum magnificentiam non intelligentes, quia hominis filius, cujus animam quærebant, ad id quod homo esse cœperat, (*g*) ex Dei filio, quod semper manserat, exstitisset.

9. Interventu (*h*) diapsalmæ, non dicentis, sed cui dicebatur, demutata persona est. Nunc enim generalis sermo est prophetiæ. Nam post eam orationem, quæ ad Deum fuerat, ut fiducia orantis posset intelligi, in eo ipso precationis tempore quod poposcerat (*i*) impetrantis continuo subjecit, VERS. 6 : *Ecce enim Deus adjuvat me, et Dominus susceptor est animæ meæ.* (*j*) *Convertit mala inimicis meis.* Effectus proprios propriis reddidit postulatis, docens non negligentem orationis nostræ Deum esse, neque irrationabilem præstationem misericor-

(1) *In conspectum.*
(2) *Nasci debeat.*
(3) *Non ex patre.*

(*a*) Reg. ms. *deflectit.*
(*b*) Miciacensis codex, *et in indiscreto,* nec forsitan male, subaudito *cum* post *et.*
(*c*) Editi cum regio codice, *inesse :* emendantur ex Mic. et Vatic. mss.
(*d*) Vatic. ms. *in impiorum cœtu fuit.*
(*e*) Non negat animam Christi nostris aut natura aut infirmitate fuisse similem, alias pugnaret cum proxime dictis num. 7, nec staret quod mox vocat Christum *nostri corporis atque animæ hominem* : sed eam ideo negat humanæ esse naturæ et infirmitatis, quia sit divinæ personæ, seu pertineat ad Filium Dei, qui natura Deus et omnipotens est. Ex hoc loco lux nonnulla affulget, cujus ope veritas appareat abstrusissimarum quarumdam lib x. de Trinitate sententiarum.
(*f*) In regio codice post, *sed natus*, secundis curis adjectum est *Dei filius, hominique unitus, id est, factus est filius hominis qui erat.* Absque hac interpolatione abunde patet mens sancti Doctoris tres simul hæreticos Eutychen, Nestorium, Apollinarium, quibus Ariani prælusérant, hoc uno loco diserte prædamnantis.
(*g*) Illud *ex Dei filio*, etc., id est, cum prius Dei filius exstitisset, quod et semper mansit, etiam cum exinde cœpit esse filius hominis. Qua loquendi formula sibi valde familiari vult Hilarius filium Dei et exstitisse prius quam homo fieret, et permansisse post quam factus est.
(*h*) In regio codice hic, *diapsalmi*, alias legere est *diapsalmæ.*
(*i*) Bad. et Er. cum ms. reg. *impetrato*, unde Lipsius confecit *impetratum.* Malumus cum ms. Mic. *impetrantis*, quod verbum refertur ad *orantis.*
(*j*) Editi, *converte mala :* renitentibus mss. ac superioribus dictis, quibus personam cui prius dicebatur, modo demutatam esse significatum est. In græco ἀποστρέψει, *avertet.*

diæ suæ existimandam, cum nos secundum quod precaremur audiret. Namque ad id quod ait : *Quoniam alieni insurrexerunt super me;* proprium illud est, *Deus adjuvat me; ad id autem : Et fortes quæsierunt animam meam;* in eo exauditæ orationis peculiaris effectus est, quod ait : *Et Dominus susceptor est animæ meæ* : ad id vero quod ait : *Et non proposuerunt Deum ante conspectum suum,* hoc competenter adjecit, VERS. 7 : *Convertit mala inimicis meis.* Deus ergo et adversus insurgentes adjuvat, et quæsitam a fortibus animam sancti sui suscipit, et non propositus ante oculos, neque ab impiis cogitatus, ad inimicos mala ipsa convertit : ut dum Deum non cogitant, justi animam quærendo, et adversum eum insurgendo, adjuto eo atque suscepto, (*a*) eum, quem inter iniquitatum opera non cogitabant, ultorem malitiæ ipsius retributione sentirent.

10. *Justi inter calamitates fiducia.*— Habeat itaque hanc innocens religio fiduciam, ut inter humanas insectationes et animæ pericula adjutorem sibi Deum esse non ambigat : et si quando injustæ mortis vis afferatur, excedentem habitaculo corporis animam sciat in (*b*) Dei susceptione **113** requiescere. Habeat ultionis quoque certissimam securitatem, cum mala omnia in eos qui inferant revertantur. Non potest iniquitatis argui Deus; nec perfectæ bonitati, malignæ voluntatis instinctus ac motus admixtus est. Mala enim non malevolus excitat, sed ultor retorquet : neque ea ex malitia sua affert, sed in merita nostra convertit. Statuta enim in omnes sunt, (*c*) ad ultionum ministeria, mala ista cum lege vivendi, justi id (1) (*d*) judicii severa æquitate moderante. Sed hæc et aversa a justis sunt lege justitiæ, et convertuntur in iniquos æquitate judicii. Utrumque justum, ut et justis ad metum prompta sint (*e*) nec admixta, quia justi sunt; et in injustos ad pœnam sint convertenda, quia meriti sunt : nec justis admixta cum prompta sint, nec injustis defutura quia prompta sunt.

11. *Qui in veritate disperditi Judæi.* — Dehinc rursum fit ad personam Dei, ad quem primum deprecatio erat cœpta, conversio : *In veritate tua disperde illos.* Veritas mendacium confutat, et perimitur falsitas veritate. Omnem autem superiorem orationem esse ejus hominis, in quo filius Dei natus est, docuimus, etiam hoc quoque nunc a Deo patre deprecantis, ut inimicos suos in veritate disperdat. Et quæ sit veritas, non ambigitur; nempe ille ipse qui dixit, *Ego sum vita, via, veritas* (*Joan.* XIV, 6). Disperduntur ergo in veritate inimici, cum falsis testibus damnationem Christo comparantes, resurrexisse eum a mortuis audiunt, et in Dei veritate gloriam suam resumpsisse cognoscunt. Nam postea ob pœnam Dei in crucem acti, fame et bello absumpti ac perditi sunt : vitæ auctorem morte damnantes, (2) (*f*) neque Dei in eo veritatem per operum magnificentiam cogitantes. Hos igitur disperdit Dei veritas, cum ad resumendam gloriæ paternæ majestatem resurgens, (*g*) absolutæ in se divinitatis probaverit veritatem.

12. *De passione Christi Hilarii sententia.* — Quod autem et in crucem actum unigenitum Dei filium, et morte damnatum **114** eum, qui nativitate, quæ sibi ex æterno patre est naturalis, (*h*) æternus sit, frequenter, imo semper prædicamus, non ex naturæ necessitate potius, quam ex sacramento humanæ salutis passioni fuisse (*i*) *subditum*, et voluisse se magis passioni subjici, quam coactum. Et quamquam passio illa non fuerit conditionis et generis, quia indemutabilem Dei naturam nulla vis injuriosæ perturbationis offenderet : tamen suscepta (3) voluntarie est, officio quidem ipsa satisfactura pœnali, non tamen pœnæ sensu læsura patientem : non quod illa lædendi non habuerit pro ipsa passionis qualitate naturam ; sed quod dolorem divinitatis natura non sentit. Passus ergo est Deus; quia se subjecit voluntarius passioni : sed suscipiens naturales (*j*) ingruentium in se passionum (quibus dolorem patientibus necesse est

(1) *Justi in judicii severa æquitate moderantes.*
(2) In anteriori, *neque Deum in veritate.*

(3) *Suscepta voluntas voluntarie est.*

(*a*) In vulgatis, *eo.* Concinnius in mss. *eum*, scil. *ultorem.* Deinde in Mic. *malitiæ ex malitiæ ipsius retributione :* non spernenda lectio.

(*b*) Cum hic respiciatur illud psalmi, *Dominus susceptor est*, etc., legendum videtur *Domini*, non *Dei.* Quod et magis congrueret solemni Hilarii doctrinæ, qua vult justos post mortem a Domino suscipi, ut post omnium resurrectionem tradantur Deo. Attamen in Psal. I, n. 9. paradisum, quo latronem aliosque justos admittit, situm esse docet *in possessione regni Dei.*

(*c*) Excusi, *adulationum ministeria* : emendantur ex regio codice. Quid deinde sibi vult, *cum lege vivendi?* An quod quemadmodum Deus mortem ac mala malis, ita vitam ac præmia bonis decernat? Qua de re fusius agitur in ps. II, n. 16. Sed de lege moriendi et de lege vivendi expressius disseritur in psal. LI, n. 18.

(*d*) Voculam *id* huc revocamus ex Bad. et regio codice. Tum vulgati excepto Par. *secura æquitate moderantur :* corrupte. At in uno codice Vatic. *justi in judiciis severa æquitate moderantes.*

(*e*) Reg. ms. *hæc admixta :* mendose. Mox in vulgatis, *et injustis*, non *et in injustos.* Quam utiliter ob oculos justorum pœnæ statuantur, habes in psal. II, n. 36 et 37.

(*f*) Vatic. et Mic. mss. *Dei in eo veritatem.*

(*g*) Sic mss. Editi vero, *absolutam.*

(*h*) In vulgatis, *naturalis et æternus sit :* perturbate. Nitidior est lectio mss.

(*i*) Ita Regius codex. In aliis autem, *subditus fuisse intelligendus est, et voluisse*, etc., glossema. Commodius post *quod autem*, subaudias *spectat;* puta, *Quod autem spectat et in crucem actum*, etc. *frequenter, imo semper prædicamus eum, qui æternus sit nativitate, quæ* etc. *non ex naturæ necessitate*, etc.

(*j*) Regius codex, *naturam.* Tum editi excepto Par. *incongruentium.* Mox etiam Par. *necesse est eas inferri virtutes.* Expunximus *eas* regii ms. auctoritate. Verborum illorum, ad quæ, ut et ad superiora, Hilarius suam de Christi passione sententiam exigendam esse præmonet, hic nativus ordo; *suscipiens naturales ingruentium in se passionum virtutes, quibus* (seu, per quas) *necesse est inferri dolorem patientibus,* ubi dolo-

inferri) virtutes, ipse tamen a naturæ suæ virtute non excidit ut doleret.

13. *Christi oblationis præ oblationibus legis præstantia.* — Sequitur enim, VERS. 8 : *Voluntarie sacrificabo tibi.* Legis sacrificia, quæ in holocaustomatis et oblationibus hircorum atque taurorum sunt, non habent in se voluntatis professionem : quia maledicti sententia legem sit decreta violantibus. Quisquis enim a sacrificio destitisset, ipse obnoxium se efficiebat esse maledicto (*Deut.* XXVII, 26). Necesse ergo erat effici quod fiebat : quia sacrificii negligentiam maledicti non admittebat adjectio. A quo maledicto nos Dominus noster Jesus Christus exemit, Apostolo dicente, *Christus nos redemit* (1) *de maledicto legis, factus pro nobis ipse maledictum* (*Gal.* III, 13), *quia scriptum est : Maledictus omnis qui* (*a*) *pendet in ligno* (*Deut.* XXI, 23). Maledictorum se ergo obtulit morti, ut maledictum legis dissolveret, hostiam se ipse Deo patri voluntarie offerendo ; ut per hostiam voluntariam maledictum, quod ob hostiæ necessariæ et intermissæ reatum erat additum, solveretur. Cujus sacrificii alio loco meminit in psalmis : *Hostiam et oblationem noluisti, perfecisti autem mihi corpus* (*Ps.* XXXIX, 7) ; Deo patri legis sacrificia respuenti, hostiam placentem **115** suscepti corporis offerendo. Cujus oblationis beatus Apostolus ita meminit : *Hoc enim fecit semel se ipsum offerens hostiam Deo* (*Hebr.* VII, 27) ; omnem humani generis salutem oblatione sanctæ hujus et perfectæ hostiæ redempturus.

14. *Christus de obtentis a se postulatis gratulatur.* — Ob quæ omnia ita gesta, laudem Deo patri refert : *Confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum est ;* VERS. 9 : *quoniam ex omni tribulatione eripuisti me.* (2) (*b*) Reddit singulis propositionibus proprias absolutiones. Nam in exordio dixerat, (3) *In nomine tuo salvifica me.* Post precum vero satisfactionem, congruam (*c*) gratulationis esse oportuit professionem, ut ejus nomini confiteretur, in cujus nomine salvari sese fuerat deprecatus ; et quia auxilium contra alienos insurgentes in se poposcerat, (*d*) idipsum adeptum sese fuisse professus, per hoc gaudii exsultationem memoraret, *Quia ex omni tribulatione* (4) *eripuisti me.* Ad id vero quod dum fortes quæsierunt animam ejus, Deum non proposuerunt in conspectu suo, præclare indemutabilis divinitatis suæ docuit æternitatem in eo quod dictum est, *Et super inimicos meos respexit* (*e*) *oculus meus.* Morte enim non interceptus est unigenitus Dei filius. Ad explendam quidem hominis naturam, etiam morti se, id est, discessioni (5) se tanquam animæ corporisque subjecit, et ad infernas sedes, (*f*) id quod homini debitum videtur esse, penetravit : sed manet resurgens, et inimicos suos immortali oculo despicit, glorificatus in Deum, et ex hominis filio in Dei filium, (*g*) ex quo etiam hominis filius esse cœperat, per resurrectionis gloriam jam renatus. Inimicos suos despicit, quibus dixerat, *Solvite templum hoc, et post triduum* (6) (*h*) *reædificabo illud* (*Joan.* II, 19). Ædificato igitur hoc corporis sui templo, eos qui quæsierant animam suam ex edito videt, et ultra humanæ mortis legem auctores mortis suæ sublimis ipse despectat, mortem perpetiens, sed mori nesciens, Deus homo Dominus noster Jesus Christus, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

116 PSALMUS LIV.

In finem in carminibus (*i*) *intellectus David.*

Inaurire Deus orationem meam, et ne despexeris deprecationem meam : intende mihi, et exaudi me. Contris-

(1) *Exemit.*
(2) *Reddidit singulis.*
(3) Codex præmittit nomen, *Deus.*
(4) *Eruisti.* Postea, *quærunt.* mox, *cum Deum non proposuerunt.*
(5) *Descensioni.*
(6) *Ædificabo illud.*

ris capax natura cum ea conjungitur quæ passionem in se excipit ; *ipse tamen* secundum divinitatem, dicet carni conjunctus in quam passio cadat, *a naturæ suæ virtute non excidit ut doleret.* Ratio proxime ante subjicitur : *non quod illa* (passio) *lædendi non habuerit pro ipsa passionis qualitate naturam, sed quod dolorem divinitatis natura non sentit.* Huc possent afferri similitudines lib. X de Trin., num. 23, relatæ de telo in aquam aut ignem aut aerem vibrato, cui cum natum sit pungere, forare, vulnerare, modo in eam naturam, in quam hujusmodi affectiones cadant, immittatur ; nihil horum præstat in aquam, ignem aut aerem, ut pote naturæ in quam passio quidem cadat, sed non vulnus, etc.

(*a*) In vulgatis *pependit.* Ex regio codice, in quo *pendit*, reponimus *pendet* juxta sacrum textum.

(*b*) Editi, *reddidit in singulis.* Rectius mss. *reddit* (nempe in præsenti ac postremo versu) *singulis.*

(*c*) Par. post Lipsium, *gratulationi* : minus bene.

(*d*) Subauditur hic, *oportuit ut.* Mox editi, *gaudii exsultatione* : castigantur ex scriptis.

(*e*) Editi, *despexit.* Iis quidem favent subsequentia Hilarii verba, sed renituntur mss. Alibi etiam memorat Hilarius textum Scripturæ alium a Vulgata nostra, cui tamen deinde inter enarrandum eum congruit.

(*f*) Regius codex, *in quod.* De hoc debito mentem suam Hilarius sic explicat in psal. CXXVIII, n. 22 : *Humanæ ista lex est necessitatis, ut consepultis corporibus ad inferos animæ descendant : quam descensionem Dominus ad consummationem veri hominis non recusavit.* Descensum Christi ad inferos continent symbolum apostolorum quod exponit Rufinus, formulæ Arimini ac deinde Nicææ in Thracia exposita, necnon symbola Gallicana tom. I Musæi Italici, magnoque consensu sancti Patres eum e Scripturis asserunt, ut merito Aug. epist. CLXIV, n. 9, et CLXXXVII, n. 5, inter fidei veritates fundatissima auctoritate firmatas illam accenseat. Ipsius hæc verba sunt epist. CLXIV, n. 9 : *Secundum animam eum fuisse apud inferos, aperte Scriptura declarat, et per prophetiam præmissa, et per apostolicum intellectum satis exposita.* Hæc obiter dicta sint adversus eos qui contra magnum veterum consensum Christi ad inferos descensum ac sepulturam confundentes, idipsum esse volunt.

(*g*) Quid sibi velit *ex quo*, repete ex col. 342, nota *g*. Quid autem sit nova illa Christi per resurrectionis gloriam nativitas copiose disseritur in psal. II, n. 17, et seqq.

(*h*) In regio ms. *ædificabo ;* quam lectionem confirmat quod sequitur, *ædificato igitur*, etc. non *reædificato.*

(*i*) Hilarius infra, *hymnis.*

tatus sum in exercitatione mea, (a) conturbatus sum a voce inimici et a tribulatione peccatoris : quoniam declinaverunt in me iniquitates (b), et in ira molesti erant mihi. Cor meum conturbatum est in me : et formido mortis cecidit super me. Timor et tremor venerunt (c) super me : et contexerunt me tenebræ (d). Et dixi : Quis dabit mihi pennas sicut columbæ? et volabo, et requiescam. Ecce elongavi fugiens : et mansi in solitudine. DIAPSALMA. *Exspectabam eum (e) qui salvum me fecit a pusillanimitate spiritus et tempestate. Præcipita, Domine, (f) divide linguas eorum : quia vidi iniquitatem et contradictionem in civitate. Die ac nocte circumdabit eam super muros ejus (g) iniquitas, et labor in medio ejus et injustitia (h) : et non defecit de plateis ejus usura et dolus. Quoniam si inimicus meus maledixisset (i) mihi, supportassem utique. Et si is qui oderat me (j), super me magna locutus fuisset, abscondissem (k) me utique ab eo. Tu vero homo unanimis, dux meus et notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos : in domo Dei ambulavimus cum consensu (l). Veniat mors super illos : descendant in infernum viventes : quoniam nequitia in hospitiis eorum, in medio eorum. Ego autem ad (m) Deum clamavi : et* ΙΣΖ *Dominus exaudivit me. Vespere et mane et meridie narrabo et renuntiabo : et exaudiet vocem meam. Liberabit in pace animam meam ab his qui appropiant mihi : quoniam inter multos erant mecum. Et exaudiet me Deus, et humiliabit eos, qui est ante sæcula.* DIAPSALMA. *Non enim est illis commutatio, et non timuerunt Deum ; extendit manum suam in retribuendo. Contaminaverunt testamentum ejus, divisi sunt ab ira vultus ejus, et appropiavit cor ejus. Mollierunt sermones ejus super oleum, et ipsi sunt jacula. Jacta in Deum cogitatum tuum (n). Et ipse te enutriet, et non dabit in æternum fluctuationem justo. Tu vero Deus deduces eos in puteum interitus. Viri sanguinum et dolositatis non dimidiabunt dies suos : ego autem sperabo in te (o).*

TRACTATUS PSALMI.

1. *Psalmus hic de Christo est.*—Superscriptio psalmi sine historia est tantum, VERS. 1 : *In finem in hymnis intellectus* est. Hymnos aliqui translatores nostri carmina nuncupaverunt : plerique autem hymnos ex ipsa græcitatis usurpatione posuerunt. De nomine nihil differt, dummodo res una esse, quæ vel in hymnis vel in carminibus significabitur, intelligatur. Hoc ergo de psalmo sentiendum est, quod quæ hymno ejus vel carmine continentur, in finem intelligenda sunt : omni intellectu scilicet nostro ad Dominum nostrum Jesum Christum, quem Apostolus finem legis docuit esse referendo (*Rom.* x, 4).

2. *Christus Deus simul et homo.* — Frequenter autem admonuimus, eam in psalmorum cognitione sensus nostri temperandam esse rationem, ut eum, de quo et per quem omnis prophetia est, ex Dei filio hominis filium natum meminerimus, (*p*) et Dei naturam omnibus ante sæculis manentem in naturam hominis esse ex partu virginis genitam : ita ut naturæ posterioris adjectio nullam defectionem naturæ anterioris afferret ; neque (1) (*q*) qui etiam homo esse cœperat, id quod ante hominem manebat, Deus scilicet, esse desineret. Hic ergo assumens carnis nostræ fragilitatem, et manens suus atque noster, ita agit, orat, profitetur, exspectat ΙΣΣ omnia illa quæ nostra sunt, ut in his admisceat etiam illa quæ sua sunt : loquaturque interdum ex persona hominis, quia et homo et natus et passus et mortuus est ; interdum autem omnis ei secundum Deum sermo sit, quia ex Deo homo, et ex Dei filio hominis filius exstitisset : naturæ scilicet ejus confidentiam non oblitus in verbis, qua (*r*) in assumptione licet hominis non carebat, et ita ex nobis atque ex infirmitate nostra humani sermonis consuetudine usuque loquens, ut ex se atque ex virtute sua quæ Deo sunt propria et digna loqueretur, ut in præsenti psalmo cognosci potest, qui ita cœptus est.

3. VERS. 2—8. *Inaurire Deus orationem meam, et ne despexeris deprecationem meam : intende mihi, et exaudi me. Contristatus sum in exercitatione mea, et conturbatus sum a voce inimici et a tribulatione peccatoris : quoniam declinaverunt in me (s) iniquitatem, et in ira molesti erant mihi. Cor meum conturbatum est in me, et formido mortis cecidit super me. Timor et tremor (2) venit super me, et contexit me tenebra. Et dixi : Quis dabit mihi pennas sicut columbæ? et volabo, et requiescam. Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine.* In exordio psalmi etsi humilitatis voce usus sit, cum ait : *Inaurire Deus orationem meam* : non tamen sine aliqua propria (3) conscientia altioris fiduciæ intelligitur hæc locutus. Non enim cujuscumque est innocentiæ, id postulare ut orationem suam Deus inauriat. Promptæ namque semper precationi hominum Dei aures sunt : quia qui naturam audiendi humano generi impertit, ipse extra auditus non potest esse naturam (*Ps.* XCIII, 9) et qui ubi-

(1) *Qui etiam jam homo esse.*
(2) *Intravit in me.*
(3) *Conscientiæ altioris fiducia.*

(*a*) Hil. *et.*
(*b*) Hil. *iniquitatem.*
(*c*) Hil. *venit.*
(*d*) *Contexit me tenebra.*
(*e*) Hil. *salvificantem me a pusillanimitate*, etc.
(*f*) *Et.*
(*g*) *Et.*
(*h*) Abest infra *et injustitia.*
(*i*) Hil. *improperasset.*
(*j*) *Odiens me.*
(*k*) *Absconderem.*
(*l*) *Ingressi sumus cum concordia.*
(*m*) *Ego ad.*
(*n*) *In dominum cogitationem tuam.*
(*o*) *Domine.*
(*p*) Regius codex, hic omissa particula *et*, mox habet *genitum*, non *genitam* : male.
(*q*) In vulgatis, *qui jam homo.* Concinnius in ms. reg. *qui etiam homo.*
(*r*) Ms. regius *quam.*
(*s*) Sic juxta græcum ms. regius. Editi vero juxta Vulgatam, *iniquitates.*

que hunc in nobis sensum auditionis operatur, non potest non ubique in ipso esse quod præstat. Deus itaque ubique et semper audit : sed non omnium meriti est (*a*) ut quod audit, et inauriat : auditum quidem ejus orantis voce penetrante, sed dignationem eorum quæ audiantur inauriendi sola orationis innocentia promerente.

4. *Orationum triplex genus.* — Triplex autem in exordio (*b*) oratio precationis est edita. Prima enim ea est, ut inauriatur oratio. Sequens est, ne despiciatur deprecatio. Tertia est, ut intendat sibi, seque exaudiat. Et necesse est discretam esse uniuscujusque generis naturam : ut non idem sit inaurire, et non despicere ; rursumque differat ab utroque intendere, et exaudire. Et quia de inaurienda oratione quid intelligi posset ostendimus ; quid illud sit : *Ne despexeris deprecationem meam*, tractandum est. Despiciuntur orationes leves, diffidentes, 119 inutiles, sæculi curis anxiæ, et rerum corporalium desideriis implicatæ, bonorum operum fructibus infecundæ. Hæ igitur despicabiles sunt orationes, Dei dignatione non dignæ, de quibus per Esaiam prophetam ait : *Et cum extenderitis manus vestras ad me, avertam oculos meos a vobis* (*Esai.* I, 15). Et causam despiciendæ orationis continuo subjecit, dicens : *Manus vestræ sanguine plenæ sunt* (*Ibidem*). Ubi ergo operatio iniquitatis exstabit, illic despicitur oratio deprecantis. At vero tum in eum qui sperat intenditur, cum tacitæ spei fides, piæ conscientiæ religione cohibetur. Et est nobis hoc absolutissimum uniuscujusque proprietatis exemplum. Inaurivit Dominus verba Chananææ sæpe clamantis (*Matth.* XV, 28) : despexit orationem adolescentis illius, qui ab æternitatis largitore divisionem patrimonii postulabat (*Luc.* XII, 13 et 14); intendit autem in eam feminam, quæ fidei silentio salutem sibi etiam a vestis fimbria expetebat (*Luc.* VIII, 44).

5. *Christi in hoc mundo exercitatio.* — His ergo totius precationis suæ generibus distinctis, nunc causam ipsam exposuit deprecandi : quia in exercitatione sua conturbaretur *a voce inimici, et a tribulatione peccatoris*. Et quidem exercitatio numquam nisi ad res utiles salutaresque suscipitur : quas quia in sancto quoque impii ferre non possunt, omnibus eum injuriis afficere, et usque ad formidinem mortis defatigare contendunt. Sed hæc in Domino Jesu Christo exercitatio, nostræ salutis operatio est, quam diversarum sanationum, de hinc passionis ipsius exercitatio provehebat. In hoc quoque se mundo consortio nostræ infirmitatis exercens (quam exercitationem egressu suo Isaac in campum præfiguravit, cum invectæ camelo Rebeccæ (*Gen.* XXIV, 65), tamquam sponsæ ex gentibus exercens se in hoc mundo Christus, occurrit), *a voce inimici* etiam turbatur, cum Samaritanus dæmonium habens dicitur (*Joan.* VIII, 48), cum quia se a cruce non eruat, negatur esse cæteris salus. Declinantes in eum iniquitatem falsorum testimoniorum et sententiæ mortis, in ira quoque molesti sunt ei, dum flagellis, dum colaphis, dum alapis desæviunt.

6. *Patientia, infirmitas salva divinitate.* — Sed inter hæc habens potestatem (*c*) duodecim 120 millia legionum cœlestium evocare, non ad iram commovetur, neque ad ultionem exacerbatur. Sequitur enim : *Cor meum conturbatum est in me.* Pati omnia in se ipso constituit, dummodo humanæ salutis sacramenta perficeret. Difficillimum autem hominis infirmitati est, intra se ipsum perturbationes mentis commotionesque cohibere, ut non etiam usque ad ipsam vultus demutationem, tacito licet motu, significatio anxietatis vel indignationis erumpat. Verum unigenito Deo, quamvis infirmitas nostra suscepta sit, tamen divinitatis suæ non est (1) (*d*) abolita natura, ut non his omnibus quæ infirma sunt salva majestatis suæ dignitate perfunctus sit, dum universa quæ mortis nostræ sunt ac timoris ita pertulit, ut in eum inciderent hæc potius quam inessent, (*e*) dum infirmitas nostra magis est, quam naturalis in Deo est. Denique idipsum sequens sermo connexuit, cum dicit : *Et formido mortis cecidit super me. Timor, et tremor venit super me, et* (2) *contexit me tenebra.* Et hæc quidem in eum omnia quæ nostræ necessitatis sunt irruerunt ; sed ab eo naturæ suæ virtute suscepta sunt, dum mortem nostram, potens non mori, etiam (*f*) timorem in se mortis ingruentem non renuit.

7. *Pennas non aliunde sumit.* — Et cum hæc eadem tamquam in hominem imbecillitati ejus dominatura cecidissent : tamen ut non subjectum se his quæ in-

(1) *Oblita.*

(2) *Contexerunt me tenebræ.*

(*a*) Regius ms. *meritis* : non displiceret præposita particula *in*.

(*b*) Idem ms. *in exordii precatione oratio est edita.*

(*c*) Memoriæ lapsum hic arguit Erasmus, quia, inquit, c. 22 in Matth. *non habentur nisi duodecim legiones.* At una et constans est in sinceroribus mss. lectio hic, in psalmum superiorem n. 1, lib. X de Trinit., n. 41, imo et in Matth. ut ipse in vetusto codice se deprehendisse fatetur Erasmus. Sicubi igitur aliter occurrat, hæc diversitas non Hilario, sed notariis aut sciolis est tribuenda.

(*d*) Excusi, *oblita natura* : emendantur ex mss. Tum Er. Lips. et Par. *ut non in his.* Rectius abest *in* a Bad. et mss. ex quibus Regius particulam *non* antiquo more, puncto nimirum subterposito, expunctam habet : quod in eumdem sensum redit.

(*e*) In regio codice hisce verbis, *dum infirmitas nostra magis est, quam naturalis in Deo est*, ea qua modo dicebamus ratione expunctis, superscriptum est, *dum infirmitatis nostræ magis est, quod in assumpto patitur homine, quam divinæ, quæ impassibilis est, naturæ* : ubi Hilarii mentem potius expressam habes, quam verba. Diligenter retinendum, illud dumtaxat apud Hilarium *naturale* esse Christo, quod divinæ illius naturæ convenit ; quod autem humanæ, velut alienum ab eo ac tamquam nostrum et *non suum* spectari. Hinc quod nos diceremus, manens Deus et homo, ipse superius n. 2 dicit, *manens suus atque noster.* Atque adeo hic profitetur Christum prout *noster* et homo est, timorem, dolorem, mortem aliasque humanas infirmitates perpessum esse, quas negat expertum esse, prout *suus* ac Deus est.

(*f*) Ita codex Vatic. Alii vero, *timore in se mortis ingruente.*

gruerent edoceret, subjecit : *Et dixi, quis dabit mihi pennas sicut columbæ? et volabo, et requiescam.* (*a*) Non infirmus est, cui ad evolandum de contegentibus se tenebris metuque mortis pennæ non aliunde sumendæ sunt. Cum enim dicit: *Quis dabit mihi?* non poscentis ab aliquo, sed non aliunde sperantis est. Evolare autem ut columba festinat, id est, in spiritalem redire naturam. Nam et in columbæ specie Spiritus in eum volando requievit (*Matth.* III, 16) habitatione aliquando in eo homine, qui tum de Jordanis aquis adscendebat, inventa. Et hæc quidem precationis est causa, quia infirmitate corporis degravatus, hoc quod nobis est mortale susceperat, ut caro factus (*b*) in spiritum evolaret. Et harum quidem **121** pennarum suarum in psalmo alio ita meminit : *Si sumpsero pennas meas ante lucem, et habitavero in postremis maris. Etenim illuc manus tua deducet me* (Ps. CXXXVIII, 9). Suas itaque sumet, (*c*) ut intelligatur eas ex his evacuatus assumere.

8. *Desertum quo se a requie recipit.* — Sed sumptis pennis ut volando requiescat, quo sit quieturus ostendit, dicens : *Ecce elongavi fugiens, et mansi* (*d*) *in deserto.* Ceciderunt quidem super lucem tenebræ, sed tenebræ eam non comprehenderunt. Elongavit enim fugiens, qui ne(1)(*e*)a contegentibus quidem potuit comprehendi. Fugit ergo etiam eos qui se persequebantur, et ab his longe factus habitat in deserto. Et quod desertum hoc vel quæ sollicitudo sit (nam eodem verbo utrumque græcitas elocuta est), et ita alius propheta declarat : *Lætare desertum sitiens, exsultet desertum, et floreat tanquam lilium : et floreant et exsultent deserta Jordanis. Invalescite manus invalidæ et genua dissoluta : consolamini modici animi, sensu invalescite, et nolite timere. Ecce Deus* (*f*) *noster judicium reddet, ipse veniet et salvabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum audient, erudietur lingua mutorum. Tunc saliet claudus tanquam cervus* (*Esa.* XXXV, 1 *et seqq.*). Venerat quidem ad oves perditas domus Israel ; sed ab iis fugatus hæc deserta lætificat. In his enim manet, (*g*) et manet postquam volando requievit. Est enim Dei requies, quæ A impiis denegatur cum dicitur : *Si intrabunt in requiem meam* (*Ps.* XCIV, 11). Resumpta spiritali gloria, unigenitus Deus in his, tanquam in templo digno se corporibus quæ erant antea deserta requiescit, quia plures jam filii desertæ magis quam ejus quæ habet virum (*Esai.* LIV, 1).

9. *Litteram solam in psalmis volentes.* — Non sum autem nescius, plerosque solum verborum sonum et litteram contuentes, nihil de omnibus fere psalmis (2) (*h*) congruum personæ Domini nostri Jesu Christi existimare, putentque totum querelis Prophetæ increpari. Sed nos litem non movemus. Neque enim destruimus, sed adstruimus, addentes potius de obscuris intelligentiam, quam simplicibus detrahentes : quia quæcumque David aut passus aut questus est, B etiam passionibus ejus, qui universitatis nostræ caro est factus, impleta sunt. Et, ut **122** arbitror, ea quæ sequuntur intelligentiæ nostræ cursum probabunt.

10. *Salutem exspectat Christus.* — Intercedens vero diapsalma demutavit et sensum. Nam omnis rursum adversus eos, de quibus est querela, fit sermo, honore tamen ejus, ad quem omnia est referre solitus, antelato. Sequitur enim, VERS. 9 : *Exspectabam salvificantem me a pusillanimitate et tempestate.* Non nova hæc ejus exspectatio est : nam et in eo psalmo, quem ex persona ejus esse non dubium est, sic precatus est : *(i) Salva me, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi, et non est substantia. Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me* (*Ps.* LXVIII, 2 *et* 3). Ab hac igitur tempestate C atque ab hac pusillanimitate (*humiliatus* (*j*) *enim erat usque ad mortem crucis*) salvari exspectat ab eo ad quem precatus est, dicens: *Pater, clarifica me apud temetipsum claritate, quam habui apud te prius quam mundus esset* (*Joan.* XVII, 5).

11. *Judæi qualiter jam demersi et linguis divisi.* — Sed exspectans salvari se, plus jam quam spem salutis exspectat. Sequitur enim, VERS. 10 : *Præcipita, Domine, et divide linguas eorum.* Proprietatem verbi sive hebraici sive græci latinitas, uti in multis, non elocuta est. Nam id quod *præcipita* dicitur, cum illis

(1) *A continentibus.*

(2) *Congruum aliquid personæ.*

(*a*) In vulgatis, *nam infirmus est* : mendum. Mox apud Er. Lips. et Par. *pennæ aliunde sumendæ sunt*, expuncto *non* : mendum ex mendo. Utrumque corrigunt mss. D

(*b*) Regius codex, *in spiritu.* Verius alii, *in spiritum*, quod paulo ante dixerat Hilarius, *in spiritalem redire naturam*, quod alibi dicit, etiam secundum hominem fieri Deum, alibi in perfectum Dei filium gigni, quandoque redire ad unitatem naturalem Patris quam secundum hominem amiserat, sæpius eam apud Deum resumere gloriam, quam apud eum habebat priusquam mundus esset.

(*c*) Er. et Lips. *ut non intelligatur* : quod prima edit. Par. bene correctum, prave in postremum revocatum est, renitentibus mss. Deinde ms. reg. *eas et his.* Ac tum sola editio Par. *evacuatis.* Retinendum *ex his evacuatus*, nimirum ex illa gloria qua supra homines et Angelos elatus erat Christus, ex qua se evacuans, et ab angelis paulo minoratus ad homines usque descendit.

(*d*) Regius ms. *in solitudine* : quam lectionem æque ac aliam mox probat Hilarius.

(*e*) In vulgatis, *a gentibus.* In uno *e* ms. Vatic. *a continentibus.* In altero simul et reg. *a contingentibus.* Verius in tertio necnon et Miciac. *a contegentibus*, tenebris scilicet, de quibus num. 7 jam dictum erat : *Non infirmus est, cui ad evolandum de contegentibus, se tenebris*, etc.

(*f*) Abest *noster* a ms. reg. hic et infra in Psal. LXV, n. 11.

(*g*) In vulgatis, *et mansit.* Rectius in mss. *et manet.* Amat Hilarius hujusmodi repetitionem, quoties rei adjunctum vult attentius perpendi.

(*h*) In mss. Mic. et Vatic. post *congruum*, additur *aliquid.*

(*i*) Ita in ms. reg. ut et infra suo loco. At in vulgatis, *salvum me fac.*

(*j*) Reg. codex, *humiliatus temeratusque ad mortem.*

(1) καταπόντισον enuntiatum est : quo sermone non ut præcipitentur, sed ut in profundum demergantur oratur. Demergi ergo eos, linguasque eorum (2) dividi rogat. Quorum aliud sub Noe (*Gen.*, VII, 4), aliud post ædificationem turris scimus effectum (*Gen.* XI, 8), cum illos diluvio submersos consumpsit profundum, hos vero linguarum divisio ad causam æternæ (*a*) inter se concertationis discrevit : ut conspirationem adversus Deum initam, dum se invicem et nesciunt et metuunt, non tenerent. Non dispar ergo nunc in hos pœna deposcitur, scilicet (*b*) ut jure gentium, quas in aquis significari meminimus, absumpti, et in omnes linguas cum quibus nunc habitant et quibus loquuntur divisi, amitterent vitæ ac regni sui dignitatem.

12. Ut autem ob vitia civitatis contradictionemque præceptorum suorum hæc consecutura nosceremus, adjecit : *Quia vidi iniquitatem et contradictionem in civitate.* VERS. 11 et 12. *Die ac nocte circumdabit eam* (*c*) *super muros ejus et* **123** *iniquitas, et labor in medio ejus : et non defecit de plateis ejus usura et dolus.* Ob hæc igitur vitia et crimina futuræ captivitatis et dispersionis pœna deposcitur ; sed potissima inter crimina sunt iniquitas et contradictio. Nam eum, quem lex et prophetæ nuntiaverant, rejicientes contradictione impia respuerunt. Quæ contradictio nocte et die circumdans muros civitatis ipsius supergressa est, qui et ipsa passionis suæ nocte, cum se videndum in consessu et a dextris virtutis profiteretur, discissa veste etiam cum blasphemiæ invidia contradixerunt (*Matth.* XXVI, 64 et 65). In muris autem, tuitionem salutis significari meminimus : sicut cum novæ Jerusalem ædificatio et munitio, id est, constructio et custodia Ecclesiæ cœlestis optatur, ita scriptum est : *Benigne, fac Domine, in bona voluntate tua Sion, ut ædificentur muri Jerusalem* (*Ps.* L, 20). Erat ergo tum in eo populo custodia spiritalis : et dispositæ per angelos legis administratio communicabatur. Sed ubi ipso Mediatore legis rejecto, hos muros et hanc custodiam circumdans iniquitas supergressa est : tum cœpit majus esse ipsa munitione peccatum, ut iniquitas vinceret (*d*) custodiæ voluntatem, usura et dolo, cæterisque quæ in lege sunt vetita redundantibus.

13. *Non de passione, sed de proditore queritur Christus : cur non de passione.* — Et indignitatem tantæ hujus iniquitatis ostendens, subjecit : *Quoniam si inimicus meus improperasset mihi, supportassem utique, et si odiens me super me magna locutus fuisset, absconderem me utique ab eo. Tu autem homo unanimis, dux meus et notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ingressi sumus cum concordia.* Querela non de passione est, sed de Apostolo proditore. Nam cum salutem generi humano suscepta crucis morte donaret, non potest videri sacramentum hoc magnæ pietatis arguere. Nam utique si inimicus esset, querelæ causa non esset : cum id in se consummaretur, quod ad salutem nostram perpeti ipse voluisset. Et sicuti si odiens se (3) locutus super se magna esset, absconsus ab eo fuisset : quia ei non cognitus in homine Deus esset, et ob hoc minus esset criminis nescienti (non enim gentes Verbum carnem factum (*e*) prænuntia sibi lege didicerunt, quod utique his qui sub lege sunt, etiam ipsis gestis ad speciem futuræ veritatis aptatum est, cum et hominem Abraham adoravit (*Gen.* XVIII, 2), et Jacob in homine Deum vidit) (*Gen.* XXXII, 30) portasse se utique (*f.* portasset utique) hæc opprobria (*f*) gentium, quod cum esset homo Deum se faceret, quod dæmonium habens populum seduceret; quia ignorassent **124** hæc omnia in lege, quæ ad Israel lata est, contineri. Verumtamen cum unanimis et dux et notus hæc faciat : unanimis, cum electus (*g*) in Apostolum est ; dux, cum demorante Domino, ipse ad prædicationem adventus sui ad castella præmissus est, futuri regni dux ab eo ac princeps est constitutus ; notus autem, cum omnes ingressus ejus egressusque didicisset, cognosceretque in hominis filio, et Dei filium, qui et particeps in demutando ex aqua vino, et dulcificando (*f.* multiplicando) in populi cibum hordeo exstitisset, convivioque eodem usus esset, secumque Dei domum semper esset ingressus : majorem de se querelam in hoc consortium divini ministerii assumptus exhibuit.

14. *Iniquorum pœna.* — Sed quamquam specialia hæc in impietatem ejus dicta essent, tamen pœnæ decretum refertur ad plures. *Veniat mors super eos, et descendant in infernum viventes, quoniam nequitia in hospitiis eorum* (*h*) *in medio eorum*, ita super eos morte ventura, ut ad pœnæ sensum viventes descendant in infernum, cum *in hospitiis eorum* et *in medio eorum* : id est, totos ipsos intra extraque nequitiæ opera circumdent.

15. Verum ille hæc his agentibus atque meditantibus ad quem spes et precatio sua esset ostendit, dicens, *Ego ad Deum clamavi, et Dominus exaudivit me.* VERS. 17—20. *Vespere et mane et meridie narrabo et annuntiabo, et exaudiet vocem meam.* Vespere, mane et meridie, quia in his temporibus sol occidit, oritur, et in medio cœli est, omnia tempora diei significantur. Et quia in his temporibus sol occidit, oritur, et in medio cœli est, ideo tria tempora nominata sunt, quia in his tribus temporibus sol occidit, oritur, et in medio cœli est. Et quia in his tribus temporibus sol occidit, oritur, et in medio cœli est, ideo tria tempora nominata sunt, quia in his tribus temporibus sol occidit, oritur, et in medio cœli est.

(1) *Catapontison* in nostro libro latinis characteribus scribitur, quamvis alibi græcos præferat.

(2) *David rogat.*

(3) *Elocutus super se.*

(*a*) In editis, *in se.*

(*b*) Editi, *ut in morem gentium :* refragantibus mss. quorum in uno legitur, *ut immanitate gentium ;* in cæteris, *ut jure gentium.*

(*c*) Reg. ms. *supra muros ejus et iniquitas et dolor, et non deficiet.*

(*d*) In vulgatis, *custodis.* Præferimus cum mss., *custodiæ.* Non enim in superioribus *custos* memoratur, sed *custodia :* quæ cum spiritalis sit, non caret voluntate, et voluntate bona, cujus tamen bonitas Judæorum malitia superanda hic prædicatur.

(*e*) Mic. ms. *prænuntiata.*

(*f*) *Subaud.* in ore.

(*g*) Regius codex, *ad apostolatum.*

(*h*) Quod sequitur valde perturbate et confuse exhibent excusi. Sinceriorem lectionem præstamus ex mss.

rabo et renuntiabo; et exaudiet vocem meam. Liberabit in pace animam meam ab his qui appropiant mihi quoniam inter multos erant mecum. Et exaudiet me Deus, et humiliabit eos, qui est ante sæcula. Clamorem fidelem mox Dominus exaudit, et hanc ipsam exauditi clamoris sui gratulationem vespere et mane et meridie narrabit, diem omnem in his diei partibus per quas dies continetur ostendens. Talis autem temporum ordo non nisi ex prophetica scientia distributus est, ut *vespere et mane et meridie* nuntiet (*a*) quia secundum legem et observantiam legis a vespere dies cœpta (*Lev.* XXIII,32), eadem ipsa usque in meridiem deputatur, cum inchoationem dici non mane lux reddita, sed vespere nox facta perficiat. Narrat ergo et renuntiat ea quæ psalmo continentur, quod vocem ejus audiat, et in pace animam suam liberet (pacificavit enim omnia in cœlo et in terra(*Coloss.* I, 20)) et liberet ab appropiantibus sibi. Superior enim querela de proximis, cum etiam unanimis et dux et notus hæc ageret, cum apostolis cæteris et ipse electus in apostolum. Deus ergo qui est ante sæcula, id est, per quem 125 omnia sunt, (*b*) quia ante omnia sit, exaudiet eum, et humiliabit eos; cum indigni gloria æternæ resurrectionis effecti sunt.

16. *Judæorum pœna ob impœnitentiam.* — Nam interjecto diapsalma omnem his ob impœnitentem impietatis professionem spem recidit, dicens: *Non enim est illis commutatio, et non timuerunt Deum.* Omnes secundum Apostolum resurgent, sed non omnes commutabuntur (I *Cor.* XV, 51), quia non timuerunt Deum. Fas enim fuerat (*c*) ignorantes in homine Deum, resurgentem tamen Deum ex mortuis credidisse, patente his etiam post passionis piaculum pœnitentia et indulgentia (*d*). Non enim solum non timuerunt Deum; sed cum ad retribuendum his manum extendisset, id est, auxilium obtulisset; contaminaverunt testamentum ejus: cum eum qui testamento legis ad salutem prænuntiatus est, repulerunt. Sequitur enim, VERS. 21 et 22: *Extendit manum suam in retribuendo. Contaminaverunt testamentum ejus: divisi sunt ab ira vultus ejus.* Et idcirco demutatio his non relicta est, quia pro peccato semel mortuus est, et resurgens eos tantum demutatione donavit, qui secum per fidem et commortui sunt et resurgent. Hos autem ab ira vultus sui eversa civitate divisit, partemque eorum cum infidelibus ponens, eos vel dispersit in omnia, vel divisit a sanctis.

17. *Judæ blandiloquium.* — Dehinc de generali querela ad significationem ejus qui ei et dux et unanimis et notus fuerat sermo se retulit: *Et appropiavit cor ejus. Mollierunt sermones ejus super oleum, et ipsi sunt jacula.* Admixtus apostolis, et curam pauperum agens, maximum scilicet (*e*) ministerii opus curans, appropiavit cor suum (ab appropiantibus enim liberari animam suam gratulatus est): non utique ministerio fidei appropians, sed iræ Dei et contaminationi testamenti ejus. Cæterum ipse blandiloquus, emollito super oleum sermone curam agere se pauperum fallens, etiam tum cum pretiosi unguenti effuso alabastro conquestus est, tamquam id magis(1) (*f*) venire in sumptum inopum debuisset (*Mat.* XXVI, 9). Sed ille occasionem furti de pecuniæ collatione quærebat. Et istiusmodi (*g*) forte blandiloquii oleum psalmo alio evitat Propheta, cum dicit: *Oleum peccatoris non impinguet caput meum* (*Ps.* CXL, 5), quia sub specie boni operis, malitiæ arma commoveat. Sunt autem etiam in verbis jacula, sicuti dentes 126 scutum et sagittæ sunt, et lingua machæra acuta est (*Ps.* LVI, 5). Hæc igitur sermonum jacula detestatur, quæ magis sub blandimento et adulatione nocitura sunt.

18. *Curare quid debeamus.* — Sed inter ista inimici jacula imperterritus manet, nobisque portum securitatis(2) (*h*) fidum tutumque demonstrat. Sequitur enim, VERS. 23: *Jacta in Dominum cogitationem tuam, et ipse te enutriet: non dabit in æternum fluctuationem justo.* Ademit nobis etiam in Evangeliis Dominus sollicitudinis necessitatem, dicens: *Nolite solliciti esse de crastino; sufficit enim diei malitia sua* (*Matth.* VI, 34). *Quærite primum regnum Dei et justitiam* (*i*) *ejus et omnia præstabuntur vobis* (*Ibid.* 33): omnem scilicet curam in promerendo Dei regno et justitia collocandam. Jactanda ergo super eum cura est: ipse enim enutriet, secundum illud: *Super aquam refectionis enutrivit me* (*Psal.* XXII, 2). Enutriens autem non relinquet in fluctibus istius sæculi, sicuti enutritus Jacob omnem tempestatem et odiorum et duræ servitutis evasit dicens: *Deus qui enutrivit me a juventute mea* (*Gen.* XLVIII, 15). Ipse enim vitæ auctor est, ipse cibi largitor, non terreni tantum, sed etiam spiritalis.

19. *Puteus vitæ, et puteus mortis.* — Sed illo super aquam refectionis educato, et a procellæ fluctibus liberato, digna impios pœna consequitur, cum dicit: *Tu vero Deus deducet illos in puteum interitus. Viri sanguinum et dolositatis* (*j*) *non dimidiabunt dies suos:*

(1) *Veniri.*
(2) *Fidum* addidimus ex codicis nostri fide, quæ dictio desideratur in editis.

(*a*) In excusis particula *et* hic adjecta, non est unde percipiatur ratio ab Hilario allata, cur a vespere diem Propheta ordiatur.
(*b*) In ms. reg. *qui*, non *quia*.
(*c*) Editi, *ignorasse in homine Deum, si resurgentem tamen Deum ex mortuis credidissent.* Ab his non dissidet ms. reg. nisi quod particulam *si* non habet. Castigantur ex mss. Vatic. et Mic.
(*d*) In uno e mss. Vatic. *pœnitentiæ indulgentia.*
(*e*) Reg. codex, *ministerio.* In uno Vatic. *sancti licet*, pro *scilicet.* Utrumque in antiquis libris una ratione pingitur.
(*f*) Reg. ms. *veniri.*
(*g*) Miciac. codex, *furti blandiloqui oleum*: male.
(*h*) *Tutum fidumque demonstrat*, in ms. Turon.
(*i*) Abest *ejus* a ms. reg. Habemus etiam infra, *et justitia collocandam*, sine *ejus*: ubi in Mic. ms. *et justitiam collocandam.*
(*j*) Regius codex, *non dimidiaverunt.*

ego autem sperabo in te, Domine. Est quidem puteus aquæ vivæ : sed est puteus interitus, secundum illud : *Non me demergat tempestas aquæ, neque* (1) *absorbeat me profundum, neque contineat super me puteus os suum* (*Ps.* LXVIII, 16). Non relicto igitur (2) in fluctuatione justo, illi in puteum interitus deducentur ; cujus os clausum (*a*) resurgenti ex inferis unigenito Deo esse non potuit. Cæterum post passionem Domini, statim eos belli victoria cum excidio civitatis absumpsit : omni promiscua ætate ad satisfactionem vincentium interempta, non dimidiatis vitæ diebus juventute prostrata. Dies autem pleni sanctis et fidelibus reservantur, secundum illud : *Et dies pleni inveniuntur* (3) *in his* quorum spes semper in Domino est : qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

127 (4) PSALMUS LV.

In finem pro populo, qui a sanctis longe factus est, David in tituli inscriptionem, cum tenuerunt eum allophyli in Geth.

Miserere mei, Domine, quoniam conculcavit me homo, tota die pugnans tribulavit me, conculcaverunt me inimici mei tota die. Ab altitudine diei (*b*) *non timebo : quoniam multi qui debellabant me, timebant* (*c*) *: ego vero in te sperabo. In Domino laudabo sermones meos tota die : in Deo sperabo, non timebo quid faciat mihi caro. Tota die verba mea exsecrabantur : adversus me omnia consilia eorum in malum. Habitabunt, et abscondent : ipsi calcaneum meum observabunt. Sicut exspectaverunt animam meam, pro nihilo salvos facies illos, in ira populos confringes* (*d*). *Deus vitam meam nuntiavi tibi : posuisti lacrymas meas in conspectu tuo, sicut in promissione tua. Convertantur inimici mei retrorsum, in quacumque die invocavero te. Ecce cognovi quia Deus meus es tu. In Domino laudabo sermonem* (*e*), *in Domino sperabo : non timebo, quid faciat mihi homo. In me sunt Deus vota tua, quæ reddam laudationes tibi* (*f*) *: quoniam eruisti animam meam de morte, et pedes meos de lapsu : ut placeam coram Deo in lumine viventium.*

TRACTATUS PSALMI.

1. *David passio passionum Christi prophetia.* — Multa psalmi superscriptio comprehendit, quæ præter rerum gestarum notionem alterius intelligentiæ intimant sensum : cum, VERS. 1 : *pro populo qui a sancti longe est* psalmus est, cum *tituli inscriptio* præfertur, cum postremo exordium ipsum *in fine* præscribitur. Si enim eam solam querelam præsens sermo (*g*) concineret 128 quod cum fugeret ab allophylis, in Geth David teneretur ; totum se circa id tantum hic iniquitatis increpitæ motus exsereret. At vero cum hæc ante rei gestæ significationem ad imbuendum (*h*) legentium sensum dirigendumque prælata sint ; sine dubio intelligimus, per rerum gestarum quæ in David gerebantur effectus, imprimi nobis, secundum spiritum prophetiæ, earum rerum quæ sub his præscriptionibus (*i*) significatæ sunt notionem : ut quod David passus est, præfiguratio fuerit passionum Domini nostri Jesu Christi : ut quod *tituli inscriptio* est, ejus qui moriendo vicerit significata videatur æternitas, quia tituli inscriptio, quam stelographiam (*j*) sermo græcitatis enuntiat, his maxime, qui probabilem vitam degentes etiam pro salute patriæ mori in bello non timuerunt, ad æternitatis gloriam deferatur. (*k*) *Populo* autem *qui longe sit factus a sanctis*, Israel indignus factus sanctificatione gentium longeque ab ea discedens esse noscendus est. Quod autem *in finem* est, proprium ei esse qui finis legis est intelligatur : quod idipsum psalmi fine noscetur, cum hujus ipsius intelligentiæ nostræ absolutionem (*l*) is maxime, quo psalmi finis concluditur, sermo declaret.

2. *Psalmus hic de David simul et de Christo tractandus.* — Per hæc ergo, quæ superscriptioni præter rerum (*m*) gesta connexa sunt, psalmum etiam ex persona Domini tractabimus, non tamen a prophetæ ipsius dissidentes querelis. Neque cum in his quæ pertulit, non etiam (*n*) non gemuisse existimandum est ; quia idcirco his ipsis quæ spiritalem sensum intimant, rerum gesta connexa sunt, ut per actionem prophetæ sensus ac sermo notesceret prophetiæ; cum propheta non tam spiritu quam passionibus prophetarit. Erit ergo sermo inter David ipsum et hominem Jesum Christum temperatus : ut quia infirmitates omnium portavit, et peccatorum nostrorum frequenter et voce sit usus et lacrymis, extra contumeliam Dei sit et affectus et sermo qui hominis est.

3. *Impii in pios dæmonum adjumenta.* — VERS. 2 et 3. *Miserere mei, Domine, quoniam conculcavit me homo, tota die pugnans tribulavit me, conculcaverunt me inimici mei tota die.* Diem frequenter significari pro ætate cognovimus (*o*) ut ubi dies tota est, ut est in Græco atque in Vulgata.

(4) Tractatus in hunc atque in subsequentem psalmum liber noster non habet.

(1) *Sorbeat.*
(2) Legebatur, *in fluctuationem.*
(3) Præpositionem *in* addidimus ex codice Veron.,

(*a*) Ita ex mss. At in vulgatis *resurgente.* Tum in reg. ms. *et ex inferis.*
(*b*) Hil. *dierum.*
(*c*) Hil. *quia multi qui debellant me, timebunt.*
(*d*) Hil. *deduces.*
(*e*) Hil. addit, *et in Deo laudabo verbum.*
(*f*) Hil. *vota quæ reddam laudationis.*
(*g*) In vulgatis, *contineret.*
(*h*) Mic. ms. *legendis.*
(*i*) Sic ex ms. Turon. emendavimus. Nam hucusque mendose obtinuit : *significata sunt.*
(*j*) In vulgatis, *stelographia.* In ms. Mic. *stylographiam.* In cæteris *stelographiam.* Hæc tumulis consignabatur ex tractatu subsequente, num. 2.
(*k*) Lips. et Par. *populus :* reluctantibus Bad. Er. et mss. Mallemus tamen *pro populo*, ut est supra juxta græc. ὑπὲρ τοῦ λαοῦ.
(*l*) Editi, *his maxime :* mendose.
(*m*) Vulgati cum reg. ms. *genera.* Magis cum mss. Vatic. et Mic. *gesta.*
(*n*) Particulam *non*, quamvis abundare videatur, huc revocamus ex mss. estque hellenismus Hilario familiaris.
(*o*) Videsis Tract. Ps. LI, n. 5.

illic omne vitæ tempus ostensum sit. Neque enim vel David, vel Dominus unius tantum diei insectatione vexatus est. Sed qui misericordiam Dei postulat, seseque conculcatum esse conqueritur, habet securitatis et virtutis suæ arma, quibus non solum terrena odia, sed et spiritalium **129** nequitiarum bella sustentat, adversum quas potius, quam adversum carnem et sanguinem, pugnam nobis Apostolus docet esse (*Ephes.* VI, 12). Ministeriis enim impiorum utuntur (*a*) ad vexationes tribulationesque sanctorum : cum eorum corda penetrantes in omnem eos impetum turbulentæ mentis instigant.

4. *Iniquorum terror.* — Hanc igitur supereminentem in hoc sæculo efferentemque se altitudinem propheta non pertimescens, ait, VERS. 4 : *Ab altitudine dierum* (*b*) *non timebo, quia multi qui debellant me timebunt.* Scit æterni judicii diem, novit etiam æternum ignem pœnis æternis præparatum : atque ideo magis illi qui eum debellare tentant timebunt; quia hoc sancto non timente, in eos magis judicii terror incumbit. Pro fiducia vero securitatis suæ subjecit, VERS. 5 : *Ego vero in te sperabo. In Domino laudabo sermones meos tota die.* Spes omnes in Deo collocat, sermonesque suos toto tempore vitæ suæ laudat. Neque obscurum est quid in loquente se laudet.

5. *Non timet a carne sperans in Deo, aut carnem assumens Deus.* — Vox enim hæc sancto est digna quæ sequitur, *In Deo sperabo, non timebo quid faciat mihi caro.* Non hunc frangit sæculi terror, neque conspirantium adversus se odia perturbant. Spes enim quæ in Deo est, terrores humanorum non pertimescit odiorum. Carnem autem pro significatione hominum, per quam in corpore continentur, frequenter accipimus; (*c*) vel cum hic de impiis dicit : *Non habitabit spiritus meus in hominibus istis, quoniam caro sunt* (*Genes.* VI, 3); vel illud : *Videbit omnis caro salutare Dei* (*Luc.* III, 6); vel illud Apostoli : *Nonne estis carnales, et secundum hominem ambulatis* (I *Cor.* III, 3)? Manet itaque imperterritus sub misericordia Dei : atque ideo in eo sperans, omnes carnis impetus insectationesque non metuit. Sed digna plane etiam hæc unigenito Deo vox est, cui exinanienti se ex Dei forma, virtutem Dei atque naturam servilis forma non abstulit. Factus enim caro Deus, etiam in assumptione carnis Deus esse permansit, utens virtutis suæ sub consortio nostri corporis potestate (*Vid. l.* X *de Trin.*, *n.* 23). Non enim carne est degravatus, ne super undas ambularet, neque non ut usque ad fimbrias vestis virtus divinæ potestatis exiret, neque ut non peccata dimitteret, et sputo suo naturam videndi cæcis ab utero oculis accenderet, et auro producta de vulnere abcisæ auris vulnus obduceret, neque ut non solida parietum, corpore interlabente, penetraret. Non ergo metuit a carne, vel in Deo sperans **130** propheta; vel sub assumptione carnis Deus opera divina consummans.

6. In his etiam quæ consequuntur, rei in eo quoque gestæ significatio continetur. Ait enim, VERS. 6, 7 : *Tota die verba mea exsecrabantur : adversus me omnia consilia eorum in malum. Habitabunt et abscondent : ipsi calcaneum meum observabunt.* Nusquam enim nisi occultis consiliis adversum eum testimonia falsa, et captiosæ interrogationes sunt comparatæ : in commune habitantes, et consilia malitiæ occulentes. Sed et increpationem verborum ejus, quibus impietatem eorum exprobrare non destitit, non tulerunt : egressus quoque omnes ipsius in calcaneo contuentes, dum in ejus supplantationem fraudulenta conspiratione consentiunt : ob quod eos digna hæc (*d*) judicis sententia comprehendit.

7. *Salus ad nihilum, resurrectio impiorum, hanc eis meruit Christus.* — Sequitur enim, VERS. 8 : *Sicut expectaverunt animam meam, pro nihilo salvos facies illos, in ira populos deduces.* Novus hic prophetæ sermo est, ut eos qui expectant animam suam ad nihilum Deus salvet : et cum aliud sit in nihilum, aliud salvari, nunc salus quæ in eos fiet in nihilum sit. Est ergo quod salvetur in nihilum? Est plane, quidquid resurrectione concessa demutatione non dignum est. Nam cum omnis caro redempta in Christo sit ut resurgat, et omnem assistere ante tribunal ejus necesse sit; non tamen omnibus gloria et honor est promiscuus resurgendi. Quibus ergo tantum resurrectio, non etiam demutatio est tributa, hi salvantur in nihilum. In ira enim deducentur hi populi, quibus ad pœnæ sensum salus resurrectionis est constituta : a qua ira eripiendos nos Apostolus pollicetur, dicens : *Quoniam si cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est; multo magis* (*e*) *justificati in sanguine ejus salvabimur per eum ab ira* (*Rom.* V, 8, 9). Pro peccatoribus igitur ad salutem resurrectionis est mortuus, sed sanctificatos in sanguine suo salvabit ab ira.

8. *Spes justorum et unde meritum.* — Denique pro nihilo populis salvatis, et in ira deductis, spem vitæ suæ sanctus hic nuntiat, dicens, VERS. 9 : *Deus, vitam meam nuntiavi tibi, posuisti lacrymas meas in conspectu tuo, sicut in promissione tua.* Dignus promissione Dei est ob constantiam prædicandi, et ob meritum non tacendi; lacrymæ enim suæ, quas vel (*f*) pro se propheta, vel pro nobis Dominus profudit, in enim omnem hominem ante Christi tribunal sistendum esse mox asserit, nisi ut quisque judicis sententiam excipiat?

(*a*) Mss. *adversus vexationes.*

(*b*) Hieronymus epist. ad Suniam et Fretelam contendit additam esse particulam hanc negantem, eamque expungendam esse.

(*c*) Ms. Turon. *vel cum hoc de impiis dicitur.*

(*d*) In vulgatis, *judicii.* Præferimus cum ms. Reg. *judicis*, de quo nimirum subjicitur, *pro nihilo salvos facies.* Locum hunc expendendum habent, qui circa judicium erroris non ferendi Hilarium insimulant, quasi malos minime judicandos esse sensisset. Ut quid

(*e*) Regius codex, *justi*, non *justificati.*

(*f*) Editi, *per se.* Rectius mss. *pro se.* Hic discrimen inter Christum et prophetam ponitur, quod hic unde pro se fleret habuit, ille non habuit. Huc spectat illud Cleri Romani apud Cyprianum, epist. 31 : « Mittant (lapsi) legatos pro suis doloribus lacrymas, advocatione fungantur ex intimo pectore prolati gemitus, dolorem probantes commissi criminis et pudorem. »

Dei sunt conspectu, legatione earum ad obtinenda quæ Deus promisit usurus.

131 9. *Impiorum pœna.* — Sed se (*a*) gratiam æternæ promissionis inituro, inimici ejus convertentur retrorsum, ut quo in ira deducerentur ostenderet. Id enim sequitur, VERS. 10 : (*b*) *Convertentur inimici mei retrorsum, in quacumque die invocavero te.* Illo Deum invocante, illi eo unde processerint convertentur : deducente eos Dei ira, et resumpto ad pœnas corpore puniendos.

10. *Verbum Deus.* — Sed illis ad æternitatem pœnæ in infernum post resurrectionem reversis, hic officio gratulationis suæ fungitur, dum ait, VERS. 11 : *Ecce cognovi quia Deus meus es tu, et in Deo laudabo verbum.* Hoc ergo verbum suum in Deo laudat, quod Deum suum esse cognovit.

11. *Vox digna sanctis inter humanas insectationes.* — Neque id tantum laudat, sed etiam illud, quod speravit in eo, non metuens quid homo sibi faciat. Hæc plane digna sanctis omnibus vox est, constantem inter insectationes humanas fidem tenere, et metu terrenæ turbulentiæ non moveri, speque certissima (*c*) quod aliquid adversum animæ æternitatem homo effecturus sit non timere : cum post intercessionem mortis istius, in immortalem gloriam et corruptio et infirmitas nostra mutetur. Atque ob id sermones suos, quibus se sperantem in Domino humanam vim protestatur non metuere, collaudat dicens: *In Domino laudabo sermonem, in Domino sperabo : non timebo quid faciat mihi homo.* Ob hoc ergo sermonem suum laudat in Domino, quia sperans in eo hominem non timebit.

12. *Christus resurrectionis suæ dominus. Resurget idem corpus. Qui Deus in suscitatis.* — Sed ut doceret, idcirco se nihil ab homine pertimescere, quia si quid potestatis suæ exseruisset in corpore, id rursum resurrectionis gloria sine corporum labe redhiberet; subjecit, VERS. 12, 13 : *In me sunt, Deus, (d) vota quæ reddam laudationis tibi : quoniam eruisti animam meam a morte, et pedes meos de lapsu ; ut placeam coram Deo in lumine viventium.* Non extra se sunt ista quæ sperat : nec laudationis vota, quæ (*e*) reddet, sunt extrinsecus capessenda. Ipse enim sibi resurrectionis est dominus; ipse huic emortuo et intra sepulcrum relicto corpori divinæ naturæ suæ (*f*) tribuit consortium. Neque enim resurrecturis omnibus ab exteriore materia corpus acquiritur, neque peregrinæ originis externarumque causarum natura (*g*) redhibetur : sed idipsum in profectum æternæ claritatis emergit, fitque in eo demutatione potius **132** quam creatione, quod novum sit. Sunt ergo in se vota quæ reddet, tum cum infirmitas corporum detrahetur, id est, lapsus et lacrymæ : tum cum corruptionem incorruptio devorabit, tum cum mortem potestas immortalis absorbet, tum cum sit Deus omnia in omnibus, tum cum lumen viventium sit in eodem viventium lumine Deo ipse placiturus. Nam si sibi in creatione mundi, secundum Sapientiæ professionem (*Prov.* VIII, 31), super filios hominum adgaudebat Pater, longe magis in reconciliatione mundi intelligendus est Patri esse placiturus. Est enim lux vera mundi, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, Dominus noster Jesus Christus, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS LVI.

In finem, ne disperdas, David in tituli inscriptionem, cum fugeret David a facie Saul in speluncam.

Miserere mei Deus, miserere mei : quoniam in te confidit anima mea. Et in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas. Clamabo ad Deum altissimum, Deum qui benefecit mihi. Misit me (h) e cœlo, et liberavit me : dedit in opprobrium conculcantes me. Misit Deus misericordiam suam, et veritatem suam : (i) et eripuit animam meam de medio catulorum leonum ; dormivi conturbatus. Filii hominum dentes eorum arma et sagittæ, et lingua eorum machæra acuta. Exaltare super cœlos Deus, et super omnem terram gloria tua. Laqueos paraverunt pedibus meis, et incurvaverunt animam meam. Foderunt ante faciem meam foveam, et inciderunt in eam. Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum : cantabo et psalmum dicam tibi. Exsurge gloria mea, exsurge psalterium (j) in cithara : exsurgam diluculo. Et confitebor tibi in populis **133** *Domine (k), psallam tibi in gentibus : quia magnificata est usque ad cœlos misericordia tua, et veritas tua usque ad nubes. Exaltare super cœlos Deus, et super omnem terram gloria tua.*

TRACTATUS PSALMI.

1. *Psalmi hujus cum superiore connexio.* — De suo mortuum intra sepulcrum relictum erat, et non alteri recens creato, indultam esse resurrectionis gloriam, quam corpus per naturæ divinæ consortium ac participationem de novo obtinet. Hoc igitur uno verbo hic sibi vult : Ei ipsi corpori quod mortuum erat, idem ipse qui mortuus erat, tribuit gloriam.

(*a*) Vaticanus codex, *in gratiam :* et mox cum Reg. *ituro*, non *inituro*. Codex Turon. *ad gratiam æternæ promissionis ituro*. Mox ex eodem mendosam lectionem castigavimus : *quod in ira*, etc.

(*b*) Bad. er. Lips. et Reg. ms. *convertantur*.

(*c*) Ms. Muron. *quod nihil adversum*. Retinendum *aliquid*, si sic legeris, *non timere quod aliquid*, etc. Sed si particulam *quod* cum proximis verbis *speque certissima* conjunxeris, revocandum *nihil*.

(*d*) Sic Regius codex consentiente græco, quod et confirmat subnexa enarratio. Ad editi, *Vota tua quæ reddam laudationes tibi*.

(*e*) Editi, *quæ reddenda sunt extrinsecus*.

(*f*) Illud iis favere videtur, qui Hilarium sensisse putant, Verbi divinitatem a carne Christi mortua fuisse separatam. At alio spectant hæc ipsius verba, quibus tantummodo vult, eidem ipsi corpori, quod

(*g*) Par. ex ms. Mic. *adhibetur*. Editiones aliæ cum ms. Vatic. *recipitur*. Ex mendosa lectione regii codicis, *redibitur*, constat restituendum esse *redhibetur*. Favetque prædictus ms. Vatic. in quo jam paulo ante pro *redhiberet*, legere est *reciperet*.

(*h*) Ab Hilario abest *me*, et hic præfigitur *diapsalma*.

(*i*) Abest *et*.

(*j*) Hil. *et cithara*.

(*k*) Hil. *psalmum dicam*.

perioris psalmi superscriptione id tantum demutatum in consequenti est, quod ubi *pro populo longe a sanctis facto* (*a*) ænigmatum est, nunc *ne corrumpas vel disperdas* præscribitur : quod uno verbo τὸ μὴ διαφθείρῃς utrumque græcus sermo complexus est. Consequens enim erat, ut quia corruptio eos qui longe a sanctis discederent mansura esset, ne huic sanctus subderetur oraret. Nam in psalmo alio gratulationem aversæ hujus a se corruptionis ostendit, dicens : *Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem* (*Ps.* XV, 10). Neque ambiguum est, psalmum (*b*) hunc secundum apostolorum professionem ex persona esse Domini intelligendum.

2. *Tituli expositio.* — Itaque David ad humanæ carnis gloriam resurrectionis dominicæ tempus exspectans, nunc et non corrumpi se rogat, et aversam a se corruptionem in eo, in quo primitiæ resurrectionis sunt, (*c*) prophetæ præscientia gratulatur. Ideo autem, VERS. 1 : *In finem tituli inscriptio* est, quia et gloriosa ad æternitatis honorem vita suscepta, et mors plurimis salutaris virorum fortium inscribatur (*d*) sepulturis ; et hæc omnia ad eum referri oporteat, qui vel finis est legis, vel quem psalmi ipsius finis ostendat. Id autem quod in spelunca clausus hæc loquitur, tempus est prophetiæ, quo psalmum intelligitur scripsisse ipsa illa speluncæ habitatione (*e*) mansuri in corpore Domini humilitatem prophetans. Cæterum videri non potest, ut qui ob metum erat intra speluncam reconditus, psalterio et cithara, ut testatur in psalmo, id est totius artis musicæ perstreperet apparatu.

3. *Misericordia Dei quibus speranda. Quo fructu, quamdiu.* — Cœpit autem ita, VERS. 2 : *Miserere mei, Deus, miserere mei : quoniam in te confidit anima mea.* 134 Misericordiam rogat ; quia confidit in Deo, docens ab his misericordiam Dei sperandam esse qui crederent. Et misericordiæ Dei quod momentum quive sit effectus, ostendit dicens : *Et in umbra alarum tuarum sperabo donec transeat iniquitas.* Avibus naturæ est infirmitatem pullorum alis inumbrare, eosque a prætervolantium vi atque improbitate defendere. Quod et in gallinis maxime noscimus, cum collectos intra pennas fœtus suos (*f*) aut opacant aut A tuentur. Quarum consuetudinem ad exemplum sollicitudinis suæ Dominus commemorat, dicens ad Jerusalem interfectricem prophetarum : *Quoties volui colligere filios tuos, sicut gallina quæ congregat pullos suos sub alis suis, et noluisti* (*Matt.* XXIII, 37) ? Sperat ergo in umbra alarum Dei sanctus, *donec iniquitas transeat*, id est dum aut sæculi scandala, aut iniquitates impiorum, aut terrenæ humilitatis infirmitatem, dum (*fort.* quemadmodum) hanc ipsam quasi speluncam (*g*) habitaculi et corporis sui David qua nunc est clausus, evadit.

4. *Prophetica scientia. Diapsalma. Mors somnus. Dormientis conturbatio, Christi passio. Leonum catuli qui.* — Sperans sub umbra alarum Dei, officio spei suæ semper intentus est, dicens, VERS. 3 : *Clamabo* B *ad Deum altissimum, Deum qui benefecit mihi.* Clamat fide potius quam voce, qui fugiens et latens clamat. Porro autem non est in sermone sperantis gratulatio adeptorum : sed propheticæ scientiæ ac fidei est, gerendis non aliter gaudere quam gestis : et idcirco ad eum qui sub indemutabili constitutione bonitatis jam sibi benefecerit, clamat : Et quatenus benefecerit Dominus, consequentibus docet, dicens, VERS. 4 *et* 5 : *Misit e cœlo, et liberavit me, dedit in opprobrium conculcantes me. Misit Deus misericordiam suam et veritatem suam, eripuit animam meam de medio catulorum leonum ; dormivi conturbatus.* Dignum fuit, etiamsi nulla demutatio personæ esset ac sensus, diapsalma intervenire : quia ad intelligentiam dictorum sensus esset credentium erigendus. Benefecit C Deus sancto suo, mittendo de cœlo : ut liberato eo, in opprobrium hi qui eum conculcabant darentur. Et misit misericordiam suam ac veritatem ad eripiendam de catulorum medio animam ipsius, tum cum conturbatus dormisset. Si (*h*) mors significatur in somno, vel cum dormiturus 135 David cum patribus suis est, vel cum dormiens Lazarus excitandus est, vel cum centurionis illius non est mortua puella sed dormit, vel cum eos qui dormierunt non præveniemus in resurrectione : si conturbatio dormientis significatio est passionis, cum dicitur : *Nunc anima mea turbata est* valde (*Joan.* XII, 27) : quam tamen eripi de manu canis ita antea est deprecatus : *Libera*

(*a*) Verbum hoc in duo sic divisit Lipsius : *ænigma tum*. Deinde Parisiensis editor illius loco posuit *enotatum*, renitentibus aliis libris. Ex græco *αἰνίσσομαι*, seu *αἰνίττομαι*, quod Budæo teste nonnumquam *do intelligendum*, seu *alludo ad aliquid* significat, expressum est. Ex quo *ænigma* in Isidori gloss. *figura sive typus sive species* definitur. Sic Prudentius docens formam et lineamenta vultus resurrectione esse reddenda, hym. 10, cat., v. 133, ait :

> Tu depositum tege corpus :
> Non immemor illa requiret
> Sua munera lictor et auctor,
> Propriique ænigmata vultus.

Ut igitur in psal. IX, n. 2, titulus psalmorum dicitur *index eorum de quibus scribitur*, ita etiam appellari potest vultus et effigies, proinque *ænigma* (a quo *ænigmari*) per quod de quo psalmus sit agnoscatur.

(*b*) Puta XCV, proxime memoratum, et a Petro, Act. II, 27, ex Christi persona intellectum. Ex quo Actorum loco Augustinus quoque, epist. 187, n. 5, D Christi animæ ad inferos descensum et psalmis prædictum et apostolica doctrina prædicatum esse demonstrat.

(*c*) Lips. hic reposuit *prophetiæ*, loco *prophetæ* : et contra inferius *prophetæ*, loco *prophetiæ*.

(*d*) Sola editio Par. *sepulcris*.

(*e*) Par. post Lipsium, *mansuram*. Aliæ edit. *mansuro*. Sed ex ms. Turon. veram licuit revocare lectionem.

(*f*) Sic mss. Reg. et Mic. nisi quod in hoc, *opacantur*. At in vulgatis, *aut operiant*, *aut tueantur*.

(*g*) Ms. Turon. *habitaculum scilicet corporis sui David qua nunc est clausus evadat. Et sperans.*

(*h*) Par. *Sic mors*. Editiones aliæ, *sicut mors*. Mox Er. Lips. et Par. *sic conturbatio dormientis*. Utrobique restituimus, *si*, pro *sic* vel *sicut*, auctoritate ms. Regii. Est quippe longa periodus, in qua multis conglobatis argumentis hoc tandem concluditur : *non ambigitur quin illi in opprobrium dedantur*, etc.

me de ore leonis, et de manu canis unicam meam (*Ps.* XXI, 22) : et non alii canum vel leonum catuli intelligi possunt, quam qui sunt et natio viperarum, de quorum medio anima eripitur, et eripitur (*a*) per missam e cœlo misericordiam et veritatem ; secundum illud : *Misericordia et veritas obviaverunt* (*Ps.* LXXXIV, 11), et si misericordia et veritas Dominus Jesus Christus est : non ambigitur quin illi in opprobrium (*b*) dedantur, qui conculcantes Dominum in passione, ista non credunt; quibus utique opprobrium est, unigeniti Dei adventum et peccatorum indulgentiam perdidisse.

5. *Vitia mentium designantur officiis corporum.*— Et quia huic sanctorum spei vel persequentum odia vel negantum adversatura semper essent ; commemoratis humanæ salutis sacramentis, subjecit : *Filii hominum, dentes eorum* (*c*) *arma et sagittæ, et lingua eorum machæra acuta.* Vitia motusque animarum sub corporalibus officiis divinus sermo significat : ut in Deuteronomii cantico (*Deut.* XXXII, 15), Incrassavit, et calcitravit dilectus, impietatis luxu sub significatione consuetudinis corporalis increpito; vel illud : *Qui devorant plebem meam ut cibum panis* (*Ps.* LII, 5); vel etiam : *Dentes peccatorum contrivisti* (*Ps.* III, 8); nec non et illud Apostoli : *Quod si mordetis invicem, videte ne consumamini ab invicem* (*Gal.* V, 15) : ut quod singulis quibusque membris officii actionisque mandatum est, id ad efficientiam mentium animorumque referatur : ut nunc vel persequentium vel obtrectantium commemoraturus effectus, ait : *Filii hominum, dentes eorum* (*d*) *scutum et sagittæ, et lingua eorum machæra acuta*, cum et consumerent sævitia potestatis, et obtrectationum jaculis vulnerarent.

6. *Deus exaltari nequit, nisi prius descenderit. Spiritus sancti dono omnis terra Domini gloria plena.* — Sed inter hæc (*e*) quæ scit et exspectat Propheta non tacuit. Deprecatus enim ne corrumperetur, absorbendæ corruptionis istius tempus exoptat, dicens, VERS. 6 : *Exaltare super cœlos Deus, et super omnem terram gloria tua.* Quæ in altum de humilibus efferuntur, ea **136** exaltari videntur : quia per profectum quemdam in id quod sublimius est evadunt. Quod autem super cœlos exaltandum est, necesse est ut prius descenderit ad inferiora de cœlis, per quod rursum exaltandum sit super cœlos. Quod ipsum Apostolus absolutissime ita dicit : *Qui cum adscendisset in altitudinem, captivam egit captivitatem, dedit* (*f*) *dona hominibus. Ascendit autem quid est, nisi quia et descendit in inferiora terræ? Qui descendit, ipse est et qui adscendit super omnes cœlos, ut adimpleret omnia* (*Ephes.* IV, 8, *seq.*) : hinc exaltandi super cœlos causam significans exstitisse, quod descendendi usque in inferiora terræ humilitas esset assumpta. Ex voto ergo propheta prænuntiat exaltari super cœlos Deum. Et quia exaltatus super cœlos impleturus esset in terris omnia sancti Spiritus sui gloria ; subjecit : *Et super omnem terram gloria tua :* cum effusum super omnem carnem Spiritus donum, gloriam exaltati super cœlos Domini protestaretur.

7. *Qui gloriam aut passionem Christi suam David dicat.* — Omnis autem hic profectus non naturæ divinæ, sed infirmitati hominis optatur : quia se per assumptionem carnis in cœlestibus collocandum propheta non nescit, quippe cum (*g*) concorporales et comparticipes effecti simus in Christo Jesu. Et idcirco hæc ad carnis suæ infirmitatem, quæ et in passionibus Domini vexanda, et super cœlos esset exaltanda, connexuit, VERS. 7 : *Laqueos paraverunt pedibus meis, et incurvaverunt animam meam. Foderunt ante faciem meam foveam, et inciderunt in eam.* Per compassionis fidem (*h*) etiam se ipso in Domino propheta patiente, tanquam et ipse sit passus, hæc quæritur. Sed in eos qui majestatis Dominum persecuti sunt, cum in foveam præparatam inciderint, mortis ipsius et sensus refertur et pœna.

8. *Diapsalma. David psalterio et cithara se significat.* — Et quia compatiendi et commoriendi fides nos glorificat in Christo : velut in procinctu spei fideique hujus propheta consistit dicens, VERS. 8-10 : *Deus, paratum cor meum : cantabo et psalmum dicam tibi. Exsurge, gloria mea, exsurge psalterium et cithara. Exsurgam diluculo, et confitebor tibi in populis, Domine, psalmum dicam tibi in gentibus.* Interjecto diapsalma hunc ad Deum retulit propheta sermonem, psalmi interim fide hæc eadem in quæ cor ejus paratum est concinendo : et animi sui et corporis gaudia sub significatione psalterii et citharæ adhortatus, sese ipsum **137** in eo quod cantet psalmumque dicat ostendit. Ait enim : *Exsurge, gloria mea, exsurge, psalterium et cithara : exsurgam diluculo ;* se ipsum scilicet (*i*) ostendi in psalterio citharaque declarans, cum ad exsurgendum non *concorporales*, non *concorporales* : sed visum est eos corrigendos esse ex similibus locis in psal. LX, LXVIII, CXXVIII, etc., cum manifestus sit lapsus librariorum, quibus ob præcedentem particulam *cum* facile excidit sequens *con*. Simili loquendi ratione Athanasius, or. 2, contra Arian., p. 549 : « Neque stupore percellentur (cœlestes virtutes) videntes nos Christi concorporeos in ipsorum sedes ac regiones induci. » Et Leo, serm. 1 de Ascens. Dom. : « Quos virulentus inimicus primi habitaculi felicitate dejecit, eos sibi concorporatos Dei Filius ad dexteram Patris collocavit. »

(*a*) Apud Par. *promissa e cœlo misericordia et veritate* : antiqua lectio, quæ et mss. est, non debuit immutari.

(*b*) Sic ms. Mic. faventibus Bad. Er. et ms. Reg. in quibus exstat *dedentur*. Lipsio magis placuit *dentur* : editori autem Paris. *deducantur*.

(*c*) Ms. Turon. *scutum*.

(*d*) Apud Par. hic restitutum erat *arma* : ubi in libris aliis, ut et in psal. LIV, n. 17, legitur *scutum* ; quamvis superius præferatur vocabulum, *arma*.

(*e*) Lips. et Par. *quæ sitit et exspectat* ; quod prius Erasmus de suo invexerat ; quem refutant hæc n. 7 : *se in cœlestibus collocandum propheta non nescit*. Scit autem per fidem, et exspectat per spem.

(*f*) Editio Par. ex ms. Mic. *donationes in homine*.

(*g*) In vulgatis et scriptis exstat quidem *corporales*, non *concorporales* : sed visum est eos corrigendos esse ex similibus locis in psal. LX, LXVIII, CXXVIII, etc., cum manifestus sit lapsus librariorum, quibus ob præcedentem particulam *cum* facile excidit sequens *con*. Simili loquendi ratione Athanasius, or. 2, contra Arian., p. 549 : « Neque stupore percellentur (cœlestes virtutes) videntes nos Christi concorporeos in ipsorum sedes ac regiones induci. » Et Leo, serm. 1 de Ascens. Dom. : « Quos virulentus inimicus primi habitaculi felicitate dejecit, eos sibi concorporatos Dei Filius ad dexteram Patris collocavit. »

(*h*) Hoc est, cum etiam ipse esset in Domino patiente propheta patiens.

(*i*) Editi, *ostendit* : castigantur ex ms. reg.

gendum cithara psalterioque commonitis, ipse potius qui in his significetur exsurgat. Exurgens autem diluculo, cum gloria sua spei evangelicæ gloriam cantat, congruenti diluculi et orationis tempore et salutis. Nam id sequitur : *Et confitebor tibi in populis, Domine, psalmum dicam tibi inter gentes.* Laudaturus in populis et in gentibus Deum, necesse est ut in eo salutem gentium laudet : quia jam non in uno Israel funiculus hæreditatis arctatus sit, neque Jacob portio, sed terræ plenitudo jam Dei sit; neque simus jam imago terreni, sed imago cœlestis.

9. *Veritas usque ad nubes quid. Misericordia usque ad cœlos, caro corruptionis expers.* — Quid autem confitendum in populis, psallendumque inter gentes esset ostendit. VERS. 11. *Quia magnificata est usque ad cœlos misericordia tua et veritas tua usque ad nubes.* Hæc est ergo in populis gentibusque confessio, quia magnificata usque ad cœlos sit misericordia, et veritas usque ad nubes. Nam cum Domino obviam Sancti rapientur in nubibus (I *Thess.* IV, 16), ipso illo nube in resurrectionis corpore elati (*a*), et creatura omnis secundum Apostolum a corruptione sit liberanda (*Rom.* VIII, 22), pacificataque (*b*) omnia per eum quæ et in cœlo sint et in terra (*Coloss.* I, 20), merito et usque ad nubes veritas nostra (*forte* nostræ) in eo resurrectionis effertur, et magnificatur usque ad cœlos misericordia ejus, congemiscentis creaturæ corruptione depulsa. Sed horum quidem usque ad nubes et usque ad cœlos significatur elatio, verum illi proprium est cœlos transgredi, et omnem sensum existimatæ sublimitatis evadere.

10. *Gloria Dei omnem excedens sensum, qui in terris maneat.* — Repetita itaque spei suæ precatione propheta sic clausit, VERS. 12 : *Exaltare cœlis, Deus, et super omnem terram gloria tua.* Nullus exaltando Deo modus est; nam super cœlos ejus elatio est. Dominus enim creaturarum ultra creaturas intelligendus. Et cum nobis non aliud sit in cognitione quam cœlum, ultra omnem sensum est, qui super cœlos exaltatus sensum notionis excedit (*c*). Misericordia quidem ejus usque in nos redundavit : sed magnificata usque ad cœlos in cœlestibus mox futuris. Et cum usque ad nubes veritas ejus elata sit, nobis obviam in nube rapiendis, 138 sed (*d*) cœlos omnes tamen concessurus a Dei dextris ipse transcendit, gloria quoque ejus in terris, id est, nobiscum mansura, cum dicit : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vitæ usque in consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20), Dominus noster Jesus Christus, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS LVII.

In finem, ne disperdas, David in tituli inscriptionem.

Si vere utique justitiam (1) *loquimini, justa* (*e*) *judicate filii hominum. Etenim in corde iniquitates operamini, in terra iniquitatem complectuntur manus vestræ. Alienati sunt peccatores ab utero : erraverunt a ventre, locuti sunt falsa. Indignatio* (*f*) *illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ, et obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium, et veneficii* (*g*) *quod medetur a sapiente. Deus contrivit dentes eorum in ore ipsorum : molas leonum confregit Dominus.* (*h*) *Ad nihilum devenient velut aqua decurrens : intendet arcum suum donec infirmentur. Sicut cera liquefacta auferentur : supercecidit ignis, et non viderunt solem. Priusquam producat spinas vestras rhamnus sicut viventes, sic in ira absorbebit* (*i*) *eos. Lætabitur justus cum viderit vindictam : manus suas lavabit in sanguine peccatoris. Et dicet, si utique erit fructus justo. Utique est, Deus judicas* (*j*) *eos in terra.*

TRACTATUS PSALMI.

1. *Argumentum psalmi.* — VERS. 1. De superioris psalmi superscriptione, sola deest significatio aliqua gestorum. Nam et *in finem*, et *ne disperdas*, et *tituli inscriptio* est. Neque 139 enim psalmus quidquam per rerum gesta continet prophetiæ; ut (*k*) sicut in cæteris, sanctus David et dictis prophetet et gestis : sed increpatio in impios, et denuntiatio judicii Dei in peccatores, et retributio lætitiæ in sanctos, et fructus homini (*l*) justitiæ continetur. Hic ergo finis, in psalmo est, hæc depellendæ (*m*) corruptionis fiducia, hæc ei, qui nos per mortem redemit, tituli inscriptio est.

(1) *Justitias*, exhibet codex Veron., sicut infra n. 2.

(*a*) Editio Par. *elevato*. Aliæ, *ipso illa nube in resurrectionis corporeæ gloriam elato* : nisi quod Bad. non habet *gloriam*. Sequimur mss. reg. Hic Sancti dicuntur elati in Domino, qui nubes sit ratione corporis suscitati. Nubes autem ideo corpus suscitatum, quia, ut innuitur in psal. LXVII, n. 3, nubium ab instar ultra terrenam originem mortalemque degit, per aera sistitur ac movetur, etc.

(*b*) Sic ms. reg. non *pacificandaque*, ut in excusis. Sic et vulgatus Hieronymus hic Hilarium, uti videtur, imitatus habet : *Magnificata est usque ad cœlos misericordia tua : mea enim resurrectione pacificata sunt omnia tibi quæ in cœlo et quæ in terra sunt.*

(*c*) Editi excepto Par. necnon mss. reg. et Vatic. *excludit*. Retinemus ex Par. et ms. Mic. *excedit*. Idem quoque verbum apud Hieronymum ad v. 6, exstat, ubi hæc habentur ad imitationem Hilarii expressa : *Nullus est modus exaltationis divinæ. Nos vero nihil aliud de cœlis quam quæ vidimus novimus. Nam cum ait, super cœlos, notitiam excedit humanam. De gloria autem quæ super terram est, illud intelligitur, quod alibi ipse Dominus ait : Ecce ego vobiscum sum*, etc.

(*d*) Apud Er. Lips. et Par. *scilicet*, loco *sed*. Non debuit immutari antiqua lectio quæ est Bad. et mss.

(*e*) Hilarius, *directa*.

(*f*) Hil. *furor*.

(*g*) Hil. *medicamenti medicati*.

(*h*) Hilarius, *spernentur*.

(*i*) Hil. *absorbet vos*.

(*j*) Hil. *judicans*.

(*k*) Particulam *ut* ab Er. expunctam, et deinceps omissam revocamus ex Bad. et mss. Mox restituimus *prophetet*, ubi reg. ms. et edit. Bad. habent *prophetæ*. Aliæ autem edit. *prophetat*.

(*l*) In vulgatis et reg. ms. *omnis*. In Vatic. *hominis*. Verius, ut videtur, in Mic. *homini* scil. justo fructus est justitiæ suæ juxta v. 12.

(*m*) Excusi, *depellenda* : castigantur ex ms. Mic.

2. *Justitiæ sermo communis, non studium. Peccatum cordis. Cor Deo patet.* — Et quidem talem totus (1) psalmus ipse se profert. VERS. 2 et 3 : *Si vere utique justitiam loquimini directa judicate filii hominum. Etenim in corde iniquitates operamini, in terra iniquitatem complectuntur manus vestræ.* Justitiæ sermo communis est; sed æqui judicii studium et consuetudo paucorum est. Sed plane tum vere quis loqui justitiam existimandus est, cum judicium retineat veritatis; Deo ob id non eloquia humana, sed cordis opera, id est, cogitationum molitiones judicante. Solet autem iniquitas (2) sub publicæ conscientiæ pudore non peragi : et ideo licet complexæ manus non sint iniquitatem, tamen iniquitatem Deo cor operatur in terra. Hinc adulterium solo conceptum corde jam crimen est : hinc secundum Pauli Evangelium secreta hominum Deus judicat, voluntates hominum Deo in ipsis humanæ nativitatis exordiis contuente. Nam cum naturæ potentis virtus non tam viscerum fibras, quam appetitus mentis introeat (*a*); necesse est non per motus sensuum perspiciendi sumat exordium, sed per naturæ scientiam etiam futuros motus sensuum præsciens apprehendat.

3. *Præscientia peccati non infert necessitatem.* — Et idcirco de his, qui complexas (*b*) manibus iniquitates corde perficiunt, continuo subjecit, VERS. 4 : *Alienati sunt peccatores ab utero, erraverunt a ventre, locuti sunt falsa.* Sic Esau alienatus ab utero est, cum major minori serviturus, etiam ante quam existeret (*c*), **140** nuntiatur, Deo futuræ non nescio voluntatis, cum et sermonis falsitas, et vitæ error a ventre est : ipso potius hoc sciente, quam aliquo ad necessitatem genito naturamque peccati. Ac ne vitium referri posset ad originem (*d*); præduratæ in his ad obediendum voluntatis crimen exprobrat, dicens, VERS. 5 et 6 : *Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ et obturantis aures suas : quæ non exaudiet* (3) *vocem incantantium, medicamenti* (*e*) *medicati a sapiente.* Non excusatur (*f*) quædam necessitas naturalis in crimine. Nam serpens innocens esse potuisset, cui aures per se ut surdæ sint obstruuntur : vocemque incantantis non audit, cum medicata medicamina a sapiente non percipit. Neque hic Marsorum (*g*) cantus et consopita viperarum sibila memorat, quia hæc eadem majore cum inertia (*h*) per fidem nominis Dei virtutemque torpescunt ; sed illam contumacem atque insolentem antiqui serpentis inobedientiam docet adversum sanctorum cantus et medicata a sapiente medicamina obsurdescentis; cum ei quotidie (*i*), ne fallat, ne subrepat, ne mordeat, etiam sub divini nominis denuntiatione mandetur et tamen obstructo desævit auditu; ex quo non obedientes Evangelio natio (*j*) viperarum sunt.

4. *Impiorum contritio et inanitas.*—Sed quia potestas ejus suorumque conteritur, et omnia in his sævitiæ arma franguntur ; hæc subdita sunt. VERS. 7, 8, 9 : *Deus contrivit dentes eorum in ore ipsorum, molas leonum confregit Dominus. Spernentur velut aqua decurrens : intendet arcum suum donec infirmentur. Sicut cera liquefacta auferentur : supercecidit ignis, et non viderunt solem.* De peccatorum (*k*) dentibus et molis leonum frequenter nobis fuit sermo, quia in his desævientis malignitatis significatur instinctus. His ergo confractis contritisque, velut decurrens aqua spernentur. Omnis enim superfluentium **141** aquarum cursus est otiosus, cum unusquisque ex his id tantum quod sibi utile putet esse derivet, cæteris meatu transcurrente perituris, cum ad solam sui abolitionem usque ad maria deferantur. Atque (*l*) hujus quidem in his naturæ atque contemptus in psalmo alio meminit, cum dicitur : *Effusus sum tamquam aqua, et dispersa sunt ossa mea. Factum est cor meum tamquam cera liquefiens in medio ventris mei* (*Psal.* XXI,

(1) *Totus*, addidimus auctoritate libri nostri.
(2) *Solent autem iniquitates.*

(3) *Quæ non exaudit.*

(*a*) Vaticanus codex, *interroget* : vim dictis Hilarii detrahit.
(*b*) Par. *complexis manibus.*
(*c*) In uno e mss. Vat. *ante quam exiret.* Deinde in Mic. *nominatur*, non *nuntiatur*. Respicitur illud Pauli Rom. IX, 11. *Cum enim nondum nati fuissent*, etc.
(*d*) Uti volunt Manichæi.
(*e*) Bad. et Er. post. reg. ms. *medicamentis medicati.* Lips. et Par. *medicamentis medicatis.* Editio Hincmari, apud quem hic locus laudatur de Prædest. c. 25, *medicamentis medicata.* Vatic. ms. *medicamenti meditati.* Restituimus ex Mic. *medicamenti medicati*, quomodo legit et Augustinus, juxta castigatiorem LXX editionem φαρμάκουτε φαρμακευομένου, pro quibus apud Theodoretum exstat φαρμακοῦται φαρμακευομένη : quam lectionem Theodorus apud Corderium in catena inscitiæ reprehendit. *Hic enim*, inquit, *sensus est. Similes sunt aspidi, quæ neque attendit voci incantantium, neque medicamento quod ab ipsis medicatum est. Medicamentum vocat ipsam incantationem. Atque hoc Symmachus declarat manifestius, dicens carmen incantantium.*
(*f*) Lips. et Par. *quidem*, Er. *quidam* : emendantur ex Bad. et mss.
(*g*) Apud Bad. *morsorum* : mendose. Nec melius in uno ms. Vat. *sanctorum.* Marsus autem apud Augustinum, Hieronymum ac Ruffinum in hunc locum vocatur, qui aspides incantat, et e tenebrosis cavernis educit ad lumen. De Marsorum gente et hac eorum arte V. Leandr. Albert. descript. Ital. pag. 225.
(*h*) Bad. *enertia* : ex quo Erasmus confecit *energia*; quod deinceps etiam apud Hincmarum obtinuit contra fidem mss. et Hilarii mentem, qua vult posse quidem alias bonam in partem intelligi hanc surditatem, cum nimirum ob fidei virtutem inanius in cor fidelium exseritur ars veneficorum, quam in obturatas aspidum aures cantus Marsorum ; sed hunc sensum modo locum non habere.
(*i*) Par ex Mic. ms. *cui et quotidie.*
(*j*) Apud Bad. Er. Hincmarum, necnon in mss. Vatic. et reg. *nati viperarum* : quod maxime arrideret, nisi in psal. LVI, n. 4, et in psal. LIX, n. 4, etc., constanter præferretur, *natio* : quod hic etiam habet Mic. ms.
(*k*) In ms. Mic. *de peccatoribus dentibus.* De his nonnihil habetur Tractatu superiori, n. 5. At de molis leonum nihildum occurrit, sicut et de judicii severitate per arcum significata, quod tamen jam frequenter ostensum proxime memorabitur.
(*l*) In duobus mss. Vatic. *aquæ hujus.*

15). Et multa quidem quæ ex solidis in liquida solvuntur, demutant habitum sine abolitione naturæ, ut ex rigentibus (*a*) fluant : cera autem solo susceptа igni sic liquescit, ut pereat. Eodem nunc modo creationis utriusque in perdendis peccatoribus posuit exemplum : *Spernentur velut aqua decurrens, intendet arcum suum donec infirmentur : sicut cera liquefacta auferentur*. Primum ergo spernentur sine consistendi spe et manendi, inutiliter defluentes : dehinc arcus Domini erit donec infirmentur intentus : infirmati autem liquefacti (*f.* liquefactæ) ceræ modo auferentur. Et in arcu severitatem judicii Dei significari frequenter ostendimus, peccatorum hunc semper pœnis his qui punientur intentum. Et sane intento arcu, igne judicii eos ut liquefactam ceram auferendos sequens sermo declarat : *Supercecidit ignis, et non viderunt solem*. Superjectus ergo ignis eo auferet, ne solem justitiæ contemplentur ; indigni enim sunt, qui sint coherædes æterni luminis.

5. *Impii statim a morte ignis pœnas luunt.* — Ac ne id, quod tamquam cera liquefacta auferentur (*b*) igne super eos ne solem videant decidente, abolitionem eorum potius quam pœnam significaret ; adjecit, VERS. 10 : *Priusquam producat spinas vestras rhamnus, sicus viventes, sic in ira absorbet* (*c*) *vos* (1). Rhamnus sentium genus est, quod plures ex se condensasque spinas modo rubi effert : florescit autem cum cæteris vere confotum. Ergo antequam rhamnus peccatorum spinas producat, ut (*d*) viventes eos ignis in ira absorbet. Neque enim suspenso adhuc (*e*) judicii tempore quiescere peccatores sine pœna erat dignum **142** : viventes itaque eos, cum pœnæ scilicet sensu, absorbet ignis etiam antequam resurgant. Corporum enim resurrectio significatur in rhamno, quæ ipsa (*f*) in se spinas, quibus compungenda sunt, exhibebunt : aliis fructus æterni floris habituris, his vero tantum ad efferendos in se modo rhamnorum spinarum aculeos excitandis. Peccatorum autem vim et dolorem significari meminimus in spina, cum dicitur : *In ærumnam incidi* (2) (*g*), *dum configitur spina* (*Psal.* XXXI, 4) ; quia usque ad mortem humiliatus de peccato condemnavit peccatum in carne, velut cum configens spina configitur. Et unusquisque, secundum Apostolum, sive bona sive mala percipiet in carne (II *Cor.* V, 10) cum ipsam materiam ac sensum, in qua compungatur, habiturus sit peccator. Ante resurrectionem carnis, id est, antequam spinas suas rhamnus emittat ; vivens absorbetur ad pœnam anima ejus, secundum divitem evangelicum punienda quæ vivens sit (*Luc.* XVI, 23).

6. *Manus lotæ in sanguine peccatoris, innocentia.* — Sed inter hæc (3), [justi cujusque, tamquam Lazari in sinu Abrahæ requiescentis,] lætitia monstratur. Sequitur enim, VERS. 11 et 12 : *Lætabitur justus cum viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris. Et dicet* (4) : *Si utique erit fructus justo ? Utique est Deus judicans eos in terra*. Lætitia justi est cum viderit vindictam ; quia peccatoribus puniendis, deductum se per Angelos in æternam requiem lætatur : manus suas (*h*) non peccatorum sanguine abluens, sed cum peccatores in sanguine sint, quia rei sanguinum sunt, manus ille ab omni reatu sanguinis ablutas continebit. Idipsum psalmo alio testatus est, cum dicit : *Odio habui* (5) *congregationem malignorum, et cum impiis non sedebo : lavabo inter innocentes manus meas* (*Psal.* XXV, 5 et 6). Et commemoratis innocentiæ (*i*) officiis, adjecit : *Ne perdas cum impiis animam meam et cum viris sanguinum vitam meam* (*Ibid.*, 9). In peccatorum scilicet sanguine manus ille abluet inter innocentes. Adeo autem hi viri sanguinum sunt, ut omnium ab Abel usque ad Zachariam **143** interfectorum ab his sanguis sit reposcendus (*Matth.* XXIII, 35), et abluente manus suas Pilato, super se suosque esse justi sanguinem sint professi (*Matth.* XXVII, 24 et 25).

7. Sed manus suas lavante justo atque lætante, *dicet homo : An fructus erit justo ?* Et utique eum esse

(1) *Vos* in libro nostro prætermittitur. Habent ὑμᾶς LXX, αὐτοὺς alii ; neutrum Aquila, Symmachus ac Theodot.

(2) *Incidit.*

(3) Quod uncinis mox concluditur, supprimit ms. Veronensis.

(4) *Et dicit homo : Sic utique erit fructus justo. Sic utique est Deus judicans eos in terra.* Consonat Hebraicum.

(5) *Odivi.*

(*a*) Apud Bad. *agentibus* : quod retinens Erasmus ad marginem adscripsit, *forte algentibus*. Illo audacior Lipsius substituit *fornacibus* : nec vox illa in posterum mutata est. Verius mss. *ex rigentibus*, hoc est, cum prius essent rigentia et non liquida. Respicitur hic cera quæ igni admota evanescit, non quæ liquefit in vasis.

(*b*) Bad. Er. Lips. ac postrema editio Par. cum ms. reg. *tamquam cera autem liquefacta auferentur*. Mox apud Bad. et in mss. reg. *decedente et ut abolitionem*. In aliis edit. pro *decedente*, positum est *descendente*. Ex his conficiebatur sententia S. doctoris menti prorsus opposita. Genuinam exhibemus ex romanis mss. Mic. et Vatic. a quibus tamen an absint particulæ *et ut* ante *abolitionem*, non notarunt qui Romæ prædictis codicibus recognoscendis operam dederunt. Verum eas aut abesse debere, aut in aliud ; v. g. in *velut*, mutandas esse manifestum est. Vid. tract. psal. I, n. 15.

(*c*) Lips. et Par. hic et deinceps *absorbebit* : quibus Bad. et Er. tantum inferius consentiunt. Verius, ut ex subnexis liquet, in mss. constanter legitur *absorbet* in præsenti.

(*d*) Particulam *ut* ex ms. reg. huc revocamus. Mox in Vatic. *interea* (pro, *in ira*) *absorbet*.

(*e*) *Vid. Tract. Ps.* II, n. 48.

(*f*) Vaticanus codex, *quando ipsas*. Illud *quæ ipsa* refertur ad corpora.

(*g*) Bad. Er. Lips. et regius codex, *incidet*. Tum iidem, excepto Lips. *dum confringitur spina*. Frustra hunc unum locum, quem Christi passioni aptat, adduceret Hilarius, ut in spina peccatorum vim et *dolorem* significari probaret, si dolorem in Christum non cecidisse sensisset.

(*h*) Qui apud Hieronymum auctor enarrationis psalmorum, sequentia ab Hilario mutuatur cum hac laudis præfatione : *Quia difficilis est hic versiculus ad intelligendum, ipsa verba quæ anteriores tractaverunt educam. Hilarius beatus antistes, et, ut ita dicam, inter procellas mundi magnus sustentator Ecclesiæ, ita de eo dicit*, etc.

(*i*) In vulgatis hic additur *Deus* ; quæ vox abest a reg. ms. ut a græco.

dicit, quia Deus sit in terra eos judicans. Dicens ergo homo : *an fructus sit justo*, non ambigitur exspectare judicium ; justo tamen jam in terris (*a*), quia per Angelos in Abrahæ sinum deductus sit, judicato, secundum illud : *Qui credit in me, non judicatur, sed transit de morte in vitam : qui autem non credit, jam judicatus est* (*Joan.* III, 18, 19). Cum ergo sanctus non judicandus sit, qui in vitam sit transiturus ex morte ; et infidelis jam judicatus ad pœnam sit (*b*) : intelligitur in eos reliquum esse judicium, qui pro gestorum qualitate inter peccata fidemque sint judicandi, per Dominum nostrum Jesum Christum, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS LVIII.

In finem, ne disperdas, David in tituli inscriptione, quando misit Saul, et custodivit domum ejus, ut interficeret eum.

Eripe me de inimicis meis (*c*), *et ab insurgentibus in me libera me. Eripe me de operantibus iniquitatem, et de viris sanguinum libera me : quia ecce* (*d*) *captaverunt animam meam, et irruerunt in me fortes. Neque iniquitas mea, neque peccatum meum, Domine, sine iniquitate cucurri, et direxi. Exsurge in occursum mihi, et vide, et* (*e*) *tu, Domine, Deus virtutum, Deus Israel, intende ad visitandas omnes gentes : non* (*ne*) *miserearis omnibus qui operantur iniquitatem.* DIAPSALMA. *Convertentur ad vesperam, et famem patientur ut canes, (et) circumibunt civitatem. Ecce loquentur in ore suo, et gladius in ore eorum : quoniam quis audivit? Et tu Domine derides eos, pro nihilo habebis omnes gentes. Fortitudinem meam ad te custodiam, quia Deus susceptor meus* (*f*). *Deus meus misericordia* 144 *ejus præveniet me. Deus* (*g*) *ostendit mihi inter inimicos meos, ne occideris eos : ne quando obliviscantur legis tuæ. Disperge illos in virtute tua, et destrue eos, protector meus Domine. Delicta oris eorum, sermonem labiorum ipsorum et comprehendantur* (*h*) *in superbia sua. Et de exsecratione et mendacio convellentur consummatione* (*i*) *: in ira consummationis, et non erunt. Et scient quoniam Deus dominabitur Jacob* (*j*) *et finium terræ.* DIAPSALMA. *Et convertentur in vesperam : et famem patientur ut canes, et circuibunt civitatem. Ipsi dispergentur ad manducandum : si vero non saturabuntur, et murmurabunt. Ego autem cantabo virtuti tuæ, exaltabo* (*k*) *mane misericordiam tuam : quia factus es susceptor meus et refugium meum in die tribulationis meæ. Adjutor meus tibi psallam : quia Deus susceptor meus, Deus meus misericordia mea.*

TRACTATUS PSALMI.

1. *Christi passio hoc psalmo prænuntiata.*—VERS. 1. Superscriptio psalmi a superiore non differt : sed psalmus eo differt, quod quædam ex his quæ in David ipsum gesta sunt præferuntur, cum Saul misit et custodivit ad interficiendum eum domum ejus. Verum si ob id dirigenda ad Deum esset oratio : superiora illa, id est, *in finem*, et *ne disperdas vel corrumpas*, et *in tituli inscriptione*, non necesse fuerat anteferri. Hæc autem maxime quamquam spiritali sint distributa ratione, cum et finis legis sit Christus, et corruptioni subjecta non fuerit ejus æternitas, et gloriosæ mortis ipsius titulus in salute sit gentium : tamen etiam ipsa quæ de gestis ejus præscripta sunt, prophetica esse declarant, cum passionis dominicæ propheta (*l*) non nescius, sub occasione ac tempore eorum quæ perpetiebatur odiorum, et patiendo prophetam se docuerit et loquendo. Tractabimus autem psalmum, ut eorum qui secundum litteram sapiunt intelligentiam non gravemus : sed et ut quod a Saul custoditus ad interficiendum est, non minus ejus sit temporis prophetia (*m*) quam a populo, et in Jerusalem tamquam in domo sua conclusus, et custoditus sit ad mortem.

145 2. *Iniquitatis progressus.* — VERS. 2 et 3. *Eripe me de inimicis meis Deus, et ab insurgentibus in me libera me. Eripe me de operantibus iniquitatem, et de viris sanguinum libera me.* Vitiorum humanorum causas profectusque complexus est : ut unde orta est et quo evaderet impietas, nosceremus. Et idcirco iras et simultates et inimicitias Evangelium compressit, (cum irasci sine causa fratri reatus gehennæ sit, et oblatio muneris nisi post reconciliationem non concessa sit simultatis, et inimicos non solum diligendos (*Matth.* v, 22 et 23), sed et pro his orandum esse decernit (*Ibid.*, 44), quia ex his ad virum sanguinum pervenitur. Nam primum inimici sunt : dehinc insurgunt in eum cujus inimici sunt : insurgentes autem, iniquitatis operarii sunt : postremo iniquitatis operarii usque ad viros sanguinum profecerunt. Viros autem sanguinum non solum admissa cædes, sed et cogitata (*n*) consummat.

(*a*) Diserte hic ait Hilarius justos ante extremum judicium judicari : idque probat ex beata sorte illis jam concessa. Idipsum de iniquis ex allato Joannis loco satis innuit : quod et ipsius in multis imitator vulgatus Hieronymus illustrat in eumdem locum dicens : *illi ante judicium finis in hac terra judicantur, de quibus superius diximus, qui non crediderit, jam judicatus est.*

(*b*) *Vid. Tract. Ps.* I, n. 17.

(*c*) Hil. addit, *Deus.*

(*d*) Ab Hilario abest *ecce*, ac mox *et.*

(*e*) Abest, *et.*

(*f*) Hil. addit *es.*

(*g*) Addit *meus.*

(*h*) Hil. *comprehendentur.*

(*i*) Hil. *Convellentur in consummatione. Consummatio in ira consummationis.*

(*j*) Hil. *Jacob dominatur finium.*

(*k*) Hil. *exsultabo.*

(*l*) Editio Par. *ut propheta.*

(*m*) Ita Par. ex ms. Mic. In aliis autem libris, *propheta quam apostolus.* Neutra lectio integra aut absoluta est : sed nostra facile resarciri potest, si pro *quam* ponatur *quo* aut *quando*, ac subinde aut suppleatur aut subintelligatur *Christus.*

(*n*) Unus e mss. Vatic. *cognita.* Alter, *ad cogitata.* Tertius, *concitata.* Regius, *agitata.* Ac primum non satis significare videbatur verbum *cogitata* : quia cum simultatis supremus gradus ponatur esse virum sanguinum ; vir sanguinum majore quodam scelere, quam operarius iniquitatis propter cædem admissam sic nuncupatus, consummari debere videbatur. Sed vir sanguinum Hilario dicitur reus sanguinis propter cædem actu vel affectu perpetratam. Ponitur

3. *Querela David Christo magis congruit.* — Sequitur enim, VERS. 4 *et* 5 : *Quia captaverunt animam meam, irruerunt in me fortes. Neque iniquitas mea, neque peccatum meum, Domine, sine iniquitate cucurri, et direxi.* Captata anima David est, cum ad interficiendum domo clausus est. Et quamquam erutus de Saul manibus sit : tamen viri sanguinum sunt sanguinem ejus optantes. Sed secundum psalmi præscriptionem adversum unum esse precationem convenerat, regem utique hæc volentem (*a*) (1). Sed orationi propheticæ fuit sermo moderandus : ut querela referretur ad populum, cum captant animam fortes irruentes : quippe quos fortis (*b*) armavit, qui et cor Judæ ad ministerium proditionis ingressus est. Hi ergo fortes captant animam, et ejus animam in quo neque iniquitas neque peccatum est, qui currens sine iniquitate direxit.

4. *David non sine peccato.* — Et nescio si anterior psalmus referri in David ita patitur (*c*), quo dicitur (2) : *Ecce iniquitatem meam ego agnosco, et peccatum meum contra me est semper* (*Ps.* L, 5). Non convenit psalmorum ordini tanta diversitas, ut ab eodem dictum esse utrumque intelligendum sit. **146** Sed si quia anterior confessi peccati psalmus posterior in tempore est, videatur David ante peccatum, ut peccati nescius hæc locutus : meminerimus eum sub eodem peccato (*d*) de humanæ necessitatis confessione dixisse: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum et in delictis peperit me mater mea* (*Ibid.*, 7); secundum illud : Quis enim gloriabitur castum se habere cor coram Deo, nec si unius diei fuerit infans? manente in nobis etiam secundum Apostolum et origine et lege peccati (*Rom.* VII, 23). Non ergo conscientiæ humanæ vox ista conveniet.

5. *Christus culpæ nescius.* — Sed videamus ne forte ejus querelis hic abnegatæ de se iniquitatis competat sermo, qui peccatum non fecit, et in quo inventus dolus non est, qui et dixerit : *Ecce veniet princeps mundi, et non inveniet in me quidquam* (*Joan.* XIV, 30), peccati scilicet in se calumniam non reperiendam; per quod de peccato peccatum condemnaturus esset in carne. Ergo hic intelligendus est conqueri captatam animam suam, et irruisse in se fortes; qui et (*e*) habuit hanc querelæ securitatem, ut in se neque iniquitatem neque peccatum esse profiteretur, et qui sine iniquitate cucurrisse se dixerit; secundum illud : (*f*) *Exultabit ut gigas ad currendam viam, a summo cœli* (3) *egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus* (*Psal.* XVIII, 6, 7).

6. *Precatur sibi remeanti, de cœlis occurri.* — Hic ergo solus currens (*g*) direxit, qui infirmitatis nostræ humilitate suscepta egressus cœlos, regressus ad cœlos : qui revehens nos secum, oblaturusque Deo munus precatus sit, VERS. 6 : *Exsurge in occursum mihi, et vide tu, Domine, Deus virtutum, Deus Israel. Intende ad visitandas omnes gentes : ne misereris omnibus qui operantur iniquitatem.* Exsurgere enim sibi in occursum Deum virtutum ad visitandas omnes gentes precatur : in eo namque (*h*) coexcitatæ et collocatæ a dextris ejus in cœlestibus gentes sunt. Et dignum fuit, reditum ejus ambitione occursus cœlestis ornari; ne ingressuro cœlos dignatio paterna (*i*) de cœlo deesset. Neque id mirum : cum primo nominis sui martyri Stephano (*Act.* VII) **147** velut in (4) primoribus (*j*) cœli in occursum a Deo patre descensum sit. Visitari itaque (*k*) in occursu suo omnes gentes precatur, secundum illud: *Neque enim misit Deus filium suum in hunc mundum, ut judicet*

(1) Noster cum reliquis mss. *rege utique hæc volente.*
(2) *Ista patitur, quod dicitur.*

in supremo iræ gradu, non tamquam alius nequitiæ gradus, sed tamquam postremus effectus; sicut *operarium iniquitatis* esse, tantum denominatio est, quæ sequitur virum in alium insurgentem. Videsis superiorem Tract., n. 6. Itaque non mutamus, *cogitata*, licet non displiceat *agitata* aut *concitata*. Hic obiter annotamus in ms. reg. favente uno Vatic. haberi *cædis*, non *cædes*.

(*a*) Bad. et Er. *volente*. Mss. *rege utique hæc volente*. Horum sensus est : in titulo solus Saul memoratur volens occidere David : cur igitur hic *viri sanguinum*, et non potius *vir?*

(*b*) In mss. *fortes* : lectio non spernenda.

(*c*) Ita codex Reg. Alii vero *ista patiatur*. Tum ex Vatic. restituimus *quo*, ubi in aliis *quod dicitur*. Horum omnium ea est nativa sedes, ac sensus : *Nescio si anterior psalmus, quo dicitur, Ecce iniquitatem meam ego agnosco*, etc. *patitur ita in David* ut in Christum *referri* illud, *Sine iniquitate cucurri*, etc.

(*d*) Hoc est, adhuc peccato subditum; nisi quis malit, *sub eodem psalmo*.

(*e*) Verbum *habuit* in prius vulgatis omissum restituitur ex mss.

(*f*) Ita ms. Reg. juxta græc. ἀγαλλιάσεται. At excusi, *exultavit*.

(*g*) Par. *dixerit* : male. Hic respiciuntur verba psalmi, *cucurri, et direxi*.

(*h*) Editi, *quo excitata* : antea apud Lips. et Par. *utique* pro *namque*. Corriguntur ex mss. Quod omnes gentes prædicat Hilarius una cum Christo coexcitatas, a Dei dextris collocatas, in eo visitatas, etc., ex eo sequitur quod, ut in Psalm. LI, n. 15, docet, Christus carnem assumens *totius generis humani naturam in se assumpsit*.

(3) *a summo cœlo*.
(4) Abest *in*.

(*i*) A Regio ms. et tribus Vaticanis abest *de cœlo*.

(*j*) In ms. Mic. *in prioribus*. In uno Vatic. *uni de primoribus*. Retinemus cum aliis libris, *in primoribus* hoc est, Pater non descendit quidem per se, sed per primarios cœli incolas. Quid hic sibi velit Hilarius, intelligere est ex Liturgia Gallicana, tomo I, Musæi Italici, e ms. ante annos mille exarato vulgata : rebus enim liturgicis ordinandis operam eum dedisse nemo nescit. Sic autem habet collectio missæ de S. Stephano, p. 292 : *Domine, qui ambulanti de virtute in virtutem S. Stephano martyri tuo aperuisti cœlos ad gloriam, quos ei aperueras ad meritum sanctitatis, ut confessionis suæ fructum caperet.* Magis ad rem nostram missæ ejusdem contestatio : *Dum terrena tamen terris membra componit, cœlestem spiritum angelicis manibus evexit ad cœlum.* Patrem itaque in cœli primoribus descendisse, quid aliud intelligemus, nisi eum sancti Stephani spiritum angelicis manibus cœlos evectum excepisse? Nec proinde existimavit Hilarius cœlum ad extremum usque judicium nulli patere. Verum tum illius, tum etiam antiquorum eade re sententiam alibi forsitan diligentius expendemus. Adsunt enim multa, quibus non ita novam esse, ut multi sibi persuadent, fidem in ecclesia nunc receptam demonstremus.

(*k*) Sic mss. At editi, *in occursum suum*.

mundum; sed ut salvus fiat mundus per eum (*Joan.* III, 17). Descensum namque ejus in carnem, et ex Maria nativitatem, lætantes angeli et patentes cœli honoraverunt. Non impudens ergo hæc occursus sui oratio est, cui ad salutem gentium, sicuti et psalmo alio et apostolico testimonio continetur, primogenito ex mortuis vox occurentis hæc fuerit : *Filius meus es tu, ego hodie genui te* (*Psal.* II, 7; *Act.* XIII, 33). Hanc itaque occursus sui significationem visitandis (*a*) in se gentibus deprecatur; non tamen judicii (*b*) severitate prælerita, cum misericordia ab omnibus qui iniquitatem operantur avertitur : omnibus quidem in eo, quia caro factus est, gentibus visitatis; sed æque (*c*) omnibus iniqua operantibus judicatis.

7. *Judæorum miseria. Jerusalem ingredi vetantur.*— Interjecto enim (*d*) diapsalma, quæ in (1) impietatem (*e*) populi essent mansura declarat. Mox namque et templi desolatio, et civitatis eversio, et ipsos illos captivitas consecuta est. Quin etiam nunc (*f*) ingressu civitatis ejusdem, edicto romani regis inhibentur. Et cum deserta sanctorum sancta, et prophetias silere et placationum hostias deesse, et dignitatem omnem deformatam ministerii levitici recordantur; conversi nunc, et fame verbi Dei et cibi salutaris affecti, ad solatium præsentium miserarium circumire sunt soliti civitatem. Id enim sequitur, VERS. 7 : *Convertentur ad vesperam, et famem patientur ut canes, et circumibunt civitatem.* Famem hujus temporis (*g*) per prophetam (2) **148** alium denuntians dicit (*Amos.* VIII, 11) : *Ecce induco famem super terram : non famem panis, neque sitim aquæ; sed famem verbi, ut audiatur verbum Dei* : impudentiam eorum ac rabiem in nuncupatione canum arguens, secundum illud : *Libera me de ore leonis, et de manu canis unicam meam* (*Psal.* XXI, 22). Et hunc quidem habent interioris conscientiæ suæ dolorem, cum se dispersos, cum captivos, cum tributarios congemiscunt, sine templo, sine sacerdote, sine regno : et hoc postea quam in majestatis Dominum Salvatoremque mundi manus impias intulerunt.

8. *Invidentiæ eorum. Gentes omnes, id est pleræque, irridendæ; cur.*— VERS. 8-9 : Sed ubi de peccato crucifixi unigeniti Dei arguuntur, impii esse non desinunt : et dolore translatæ ad gentes divinæ cognitionis accensi, ore adhuc verbisque desæviunt. Sequitur enim, *Ecce loquentur in ore suo, et gladius in labiis eorum.*

9. Sed hanc obtrectandi atque insectandi impietatem, non solum in his, sed etiam in gentibus, quæ audire detrectant, ita divinus sermo condemnat, *Quoniam quis audivit? Et tu, Domine, deridebis eos, pro nihilo habebis omnes gentes.* Nemine audiente irridentur a Deo; quia ubi dicitur, *quis?* ibi aut rarus significatur, aut nullus : nullus, secundum illud : *Quis similis tibi in diis, Domine* (*Psal.* LXXXVIII, 7)? rarus autem, in eo cum dicitur : *Quis dabit ex Sion salutare Israel* (*Psal.* LII, 7)? Irridentur igitur non audientes, et in quorum ore labiisque sit gladius (*Psal.* II, 4) : quia in cœlis habitans Deus subsannabit adversus Deum et Christum ejus reges ac principes congregatos. Gentes etiam omnes spernet, visitatas et non obedientes : quia quamvis ex his sit portio quantulacumque credentium, tamen universitas reputatur in **149** plurimis, secundum illud Domini dictum : *Numquid cum venerit Filius Hominis inveniet fidem super terram* (*Luc.* XVIII, 8)? Non quod non in aliquibus reperietur, quibus et dicetur : *Venite, benedicti Patris mei, possidete præparatum vobis regnum a constitutione mundi* (*Matth.* XXV, 34) : sed cum pauci ex omnibus gentibus sint fideles, non (*h*) per paucos efficitur ne non omnes gentes sint infideles. Irridendarum autem gentium ea maxime causa

(1) Omittitur *in*.

(2) *Famis hujus tempus et per prophetam.*

(*a*) Editi, *a se*, reluctantibus mss. et mox habetur *in eo... visitatis*, non *ab eo*.

(*b*) In prius vulgatis, *severitatem. Præterita enim misericordia* : lectio perturbata et contrariis sententiis constans. Veram exhibent mss.

(*c*) Particulam *in* a Lipsio hic perperam adjectam, ac deinceps retentam, removemus auctoritate veterum librorum.

(*d*) Editi, *diapsalmate*, renitentibus mss.

(*e*) Cod. Turon. *quæ impietatem* sine *in*, cui lectioni favet hoc n. 12 : *Illos interim.... manet pœna*; sed refragatur illud lib. x de Trinit., n. 15 : *ut in suspensam carnem dolor manserit.*

(*f*) In vulgatis, *ingressus*. Rectius in mss. *ingressu*. Porro edictum hoc est Adriani imp., an. Dom. 137, Pompeiano et Aciliano coss. datum, postquam bellum judaicum quod in Palæstina gerebatur finem accepit: « Ex quo tempore, » inquit Eusebius in Chronico, « introeundi eis Hierosolymam licentia ablata, primum Dei nutu, sicut Prophetæ vaticinati sunt, deinde romanis interdictionibus. » Et l. IV. Hist. c. 6 : « Aristo Pellæus narrat, universæ genti ex illo tempore prorsus interdictum, ne pedem in agrum Hierosolymitanum aliquando inferrent, et legis decreto institutisque Adriani (ille plane sic in mandatis dederat) ne vel ex edito loco paternum solum aliquando oculis adspicerent. » Hoc edictum ad Tertulliani tempora perseverasse, testis est ipse Apolog. c. 21, de Judæis referens, « Dispersi, palabundi, et cœli et soli sui extorres (quæ verba exscribit Cyprian., lib. de Idol. vanit.) vagantur per orbem, sine homine, sine Deo rege, quibus nec advenarum jure terram patriam saltem vestigio salutare conceditur. » Rursum contra Jud. c. 13 : Interdictum est, ne in confinio ipsius regionis demoretur quisquam Judæorum. » Tum quasdam ea de re referens prophetias, et in iis illud Isaiæ, XXXIII, 17 : *Oculi vestri videbunt terram de longinquo*, prosequitur : « Quod vobis pro meritis vestris post expugnationem Jerusalem prohibitis ingredi in terram vestram, de longinquo eam oculis tantum videre permissum est. » Hujus igitur edicti severitas paulatim relaxata est. Nam 1° nec patrium solum ex edito loco adspicere eis licuit ex Eusebio : deinde Tertulliani ævo licuit quidem adspicere, sed non adire : demum Hilarii nostri temporibus, negato Jerusalem ingressu, permissum est circumjacentes tantum regiones obire. Dispersionis ejusdem meminit Hieronymus in Dan. IX et in Jerem. XXXI.

(*g*) Miciacensis codex, *famis hujus tempus*. Tum sola editio Par. *propheta alius*. Post *denuntians* subaud. *Deus*, qui proprio nomine deinde dicat : *Ecce induco*, etc.

(*h*) Particula negans apud Par. male rejecta revocatur ex aliis libris.

est, quod dum crucifixum, dum mortuum, dum sepultum stultitia prudentiæ sæcularis exprobrant, magnæ pietatis sacramentum non intelligentes, Filium Dei resurgentem ex mortuis, et majestatis esse Dominum non credunt.

10. *Deus Christi in morte susceptor.* — Sed habens ille potestatem animæ ponendæ, et animæ resumendæ, quia hoc mandatum accepit a Patre (*Joan.*, x, 18), irrisis spretisque gentibus, subjecit, VERS. 10-12 : *Fortitudinem meam ad te custodiam, quia Deus susceptor meus es : Deus meus misericordia ejus præveniet me, Deus meus ostendit mihi inter inimicos meos.* Fortitudinem suam ad Deum custodiet, animam suam scilicet quam deposuit resumendo, nemo enim auferet (1) eam ab eo (*Luc.* XXIII, 45); et quia virtus sua et refugium suum sit, in cujus manibus commendaverit spiritum suum. Cujus misericordia eum præveniet, ut etiam ante resurrectionem Dei filius intelligatur, cum moriente eo, obscurato sole lux deperit, cum pendente eo in cruce tremit terra (*Matth.*, XXVII, 52), cum descendente eo ad inferos (*a*), sanctos ejus inferi non tenent, cum emittente eo spiritum, velum templi tamquam custodia illinc spiritali erumpente discinditur, cum postremo centurio proclamat : *Veri Dei Filius erat iste* (*Marci* XV, 39). Custodita igitur ad Deum fortitudine sua, quia *lux lucet in tenebris, et tenebræ eam non comprehenderunt* (*Joan.*, I, 4), et præveniente eum misericordia sua, ostendit ei inter inimicos ejus, quia susceptor ejus esset, cum id etiam inimici confessione patuisset; vere enim eum Dei filium esse centurio proclamat. Et hæc quidem tum ita cognita sunt.

11. *Judæi sub finem sæculi Christi fidem recepturi.* — Sed quia secundum illud : *Et videbunt* [illegible] *in quem compunxerunt* (*Zach.*, XII, 10) ; etiam in futurum inter inimicos ejus ostendet Deus, quod ejus sit susceptor : quippe cum secundum Apostolum introgressa gentium plenitudine, id quod (*b*) Israel sit reliquum salvabitur ; ut quod scriptum est impleatur : *Veniet ex Sion qui liberabit et avertet impietates ab Jacob* (*Esa.*, LIX, 20). *Et hoc illis a me testamentum, cum auferam impietates eorum* (*Rom.* XI, 25). Ad significationem itaque repositæ hujus misericordiæ speique, subjecit, VERS. 13, 14 : *Ne occideris eos ; ne quando obliviscantur legis tuæ. Disperge illos in virtute tua, et destrue eos, protector meus Domine. Delicta oris eorum, sermonem labiorum ipsorum, et* (*c*) *comprehendentur in superbia sua, et de exsecratione et mendacio convellentur in consummatione. Consummatio in ira consummationis, et non erunt, et scient quoniam Deus Jacob, dominatur* (*d*) *finium terræ.* Inimici quidem propter nos, sed dilecti propter patres (*Rom.*, XI, 28) ; misericordiæ id quod eorum est reliquum reservatur. Dispersi quidem interim circum omnes fere gentes, sed conspersione eorum (*e*) sancta (*f*) æque radice liberabuntur. Destruentur ergo secundum prophetiam non occisi, sed dispersi, et destruentur in delictis oris eorum, et sermone labiorum, cum ex Sion veniat liberator, de quo clamaverunt : *Crucifige, crucifige* (*Joan.*, XIX, 6) ; et cui dixerunt : *Nos patrem habemus Abraham* (*Joan.*, VIII, 33) ; et rursum : *Quis tibi dedit hanc potestatem* (*Luc*, XX, 2) ? et : *In qua potestate hæc agis* (*Matth.*, XXI, 23) ? In hac igitur superbia comprehendentur, cum Salvatori suo hæc a se ingesta esse non cognoscant : aversaque impietate de exsecratione ac mendacio avellentur, et hoc in consummatione, quia cum introierit gentium plenitudo, tum quod Israel est reliquum salvabitur. *In ira* autem *consummationis non erunt* : quia impietates ex Sion veniens avertet. Non autem non erunt, qui et sunt cognituri, cognoscentque quia Deus Jacob dominetur finium terræ : non jam in funiculo hæreditatis et in Jacob portione noscendus ; sed *Deus Jacob*, id est, qui (*g*) in homine (2)

(1) *Auferet.*

(*a*) Augustinus peccatores ex inferis eductos fuisse mavult quam sanctos. « Illud, » inquit, lib. XII de Gen. ad lit., cap. 33, n. 65, « me nondum invenisse confiteor, inferos appellatos, ubi justorum animæ requiescunt. Et Christi quidem animam venisse usque ad ea loca, in quibus peccatores cruciantur, ut eos solveret a tormentis, quos esse solvendos occulta nobis sua justitia judicabat (et mox, *ea potestate qua Dominus est*), non immerito creditur. » In hanc abit sententiam motus verbis Act., II, 24, quibus Christus prædicatur a Deo suscitatus *solutis doloribus inferni.* Sed si justi dicantur ideo doluisse quia ardenter exoptabant Christum, quo Salvatore indigebant ; præsentia ipsius dolores eorum soluti quidni dicantur ? Apposite Origenes, in I Reg., XXVIII, apud Huetium, t. I, p. 53, Christi in infernum descensus causam explicans ait : « Internum desiderium, quod non potest ab aliis curari, curat ipse : quod a nemine potuit medicorum sanari, sanatur a Christo Jesu. » Et paulo post subjicit : « Neque vero qui Christo indiget, prophetis iisque qui Christi præsentiam et adventum præparant, non indiget. » Tum post nonnulla addit justos in infernum descendisse, « non simpliciter, sed ut sanctos : » et hoc, quia « quamvis eo descendant ubi sunt animæ quæ in infernis ; loco quidem inferius, at non inferius sunt voluntate. Et certo persuasum habeo illos super cœlestia prophetasse. » Ita Hilarium illustrat Origenes, quem illi prælusisse non dubium est. Quamquam ex his necdum satis perspicuum est quomodo justos inter et injustos magnum chaos intercesserit, si unus utrosque locus continuerit. Sed et ad illud reponi queat, non ita dissitos fuisse, qui sese mutuo viderint.

(2) *Quia in homine.*

(*b*) Vulgati *de Israel.* At mss. *Israel* in secundo casu, ut est inferius vulgatis etiam consentientibus.

(*c*) Antiquæ edit. cum Reg. ms. juxta græcum, *comprehendantur.*

(*d*) Sic mss. ut et in græco. At editi, *dominabitur.*

(*e*) In ms. Turon. *sed conspersiones eorum.*

(*f*) Vulgati, *sancta atque radice.* Malumus cum ms. Reg. *sancta æque radice*, hoc est, licet conspersi propter scelera, liberabuntur tamen ob radicem, quæ semper æque sancta permanet.

(*g*) Regius ms. cum duobus Vatic. *quia in homine.* Sensus integritas postulat, *id est, noscendus quia qui in homine.* Hic acute observatur eum qui a Judæis terræ dominator noscendus prædicitur, non simpliciter vocari Deum, sed Deum Jacob, hoc est, Deum corporatum, seu Deum hominem factum, *qualis scil.* Jacob visus est.

Jacob Deus intellectus **151** et visus est, dominator A sit terræ finium, quorum et creator est confitendus.

12. *Judæorum dispersio, fames spiritalis, cibi inanes, impœnitentia.* — Sed illos interim desolationis ac dispersionis suæ manet pœna. Nam etsi consummationi temporum propter patres et electos hæc dispensatio misericordiæ reservetur : interjecto tamen (*a*) diapsalma, quid in eos interim repetita significatione constitutum fuerit, ostenditur. Sequitur enim, VERS. 15, 16 : *Et convertentur in vesperum, et famem patientur ut canes, et circumibunt civitatem. Ipsi dispergentur ad manducandum : si autem non saturabuntur, et murmurabunt.* Amissa civitate, temploque deserto, et secundum romani regis edicta circumeuntes tantum, non etiam ineuntes civitatem, B fames eos non hujus panis et cibi, sed oblationum, hostiarum, visionum, quibus omnibus (*b*) saturabuntur, afficiet : adversum custodem suum canum improbitate latrantes. *Et dispergentur ad manducandum :* quia per diversa speciem sacerdotii (*c*) illius legitimi (1), et holocausti, et circumcisionis imitantur : cum hæc tantum non nisi intra Hierosolymam sint legitima constituta. Sed ad manducandum dispersi non saturantur. Non enim (*d*) nisi sanctis et Deo placitis et loci ipsius hac templi constitutione religiosis solemnitatibus explebuntur. Sed adhuc *murmurabunt* : ne hac quidem fame festivitatum suarum edomiti, ut secundum murmur, quo in deserto Deum exacerbaverunt, pœnitentiæ quiete resipiscant.

15. *Prophetæ in Deo gratulatio. Resurrectioni* C *Christi probe convenit.* — Sed inter hæc spes omnes suas et gratulationes psalmi fine concludit, dicens, VERS. 17, 18 : *Ego autem cantabo virtuti tuæ* (*e*) *exaltabo* (2) *mane misericordiam tuam : quia factus es susceptor meus et refugium meum in die tribulationis meæ. Adjutor meus tibi psallam : quia Deus susceptor meus, Deus meus misericordia mea.* Et ista omnia (3) possunt ad prophetæ gratulationem referri ; sed neque a Domini sunt confessione diversa. Hæc enim eorum dispersio passionis impietatem est consecuta. Sed quod in misericordia Dei mane (*f*), quia susceptor (4) et refugium ejus factus est, exsultaturus est ; videtur id ad resurrectionis tempus esse referendum : quia cum omni tempore laus Dei cantanda sit a propheta, resurgenti tamen ex mortuis diluculo, in cœlosque rediturо, exsultatio matutinæ gratulationis est propria Domino Jesu Christo, qui est benedictus in omnia sæcula sæculorum. Amen.

152 PSALMUS LIX (5).

In finem, pro his qui (*g*) *immutabuntur, in tituli inscriptione* (*h*), *David in doctrinam, cum succendit Mesopotamiam et Syriam Sobal, et convertit Joab, et percussit in valle salinarum duodecim millia.*

Deus, repulisti (6) *nos, et destruxisti nos : iratus es* (*i*), *et misertus es nobis. Commovisti terram, et conturbasti eam : sana contritiones ejus, quia mota est* (*j*). *Ostendisti populo tuo dura, potasti nos vino compunctionis, dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus.* DIAPSALMA. *Ut liberentur dilecti tui, salvum* (*k*) *fac dextera tua, et exaudi me. Deus locutus est in sancto suo ; lætabor et partibor Sichimam, et convallem tabernaculorum dimetibor* (*l*). *Meus est Galaad, et meus est Manasses, et Ephrem fortitudo capitis mei, Juda rex meus, Moab olla spei meæ. In Idumæam extendam calceamentum meum, mihi allophyli subditi sunt. Quis deducet me in civitatem circumstantiæ ? quis deducet me usque in Idumæam ? Nonne tu, Deus, qui repulisti nos ? et non egredieris Deus* (*m*) *in virtutibus nostris. Da nobis auxilium de tribulatione, et vana salus hominis. In Deo faciemus virtutem : et ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.*

TRACTATUS PSALMI.

1. *Psalmus non consonat historiæ. Translatio Aquilæ. Septuaginta.* — VERS. 1, 2. Multa in psalmo ante rerumgesta præscripta sunt, quæ necesse est ad alicujus intelligentiæ significationem his quæ effecta sunt anteferri : cum *In finem*, cum *pro his qui demutabuntur ;* cum *tituli inscriptio* (*n*), cum *in doctrinam David* superscriptio comprehendit. Post quæ gestorum tempus adscribitur : *Succendit Mesopotamiam* **153** *et Syriam* (*o*) *Sobal : et convertit Joab, et percussit in valle Salinarum duodecim in his quæ immutantur in titulis David in doctrina..... et percussit vallem Salinarum*, etc., juxta græcum, φάραγγα.

(6) *Reppulisti.*

(1) *Alius legitimi.*
(2) In editis, *exsultabo.*
(3) *Ista quidem omnia.*
(4) Legesis cum nostro exemplari, *qui susceptor.*
(5) *Explicit psal.* LVIII. *Incipit psalmus* LIX. *In finem,*

(*a*) Rursum hic editi, *diapsalmate :* refragantibus mss.
(*b*) Codex Turon. habet sicut apud Bad. *saturabantur.* Non displiceret, *quibus olim saturabantur.* Aut certe leg. *quibus non saturabuntur.*
(*c*) In uno ms. Vatic. *alias legitimi.*
(*d*) Particulam *nisi* in vulgatis omissam restituimus ex Reg. ms.
(*e*) Ita ms. Reg. juxta græcum, ubi in vulgatis, *exultabo.*
(*f*) Editi, *manet :* emendantur ex ms. Miciacensi.
(*g*) Hil. *Demutabantur.*
(*h*) Hil. *Tituli inscriptio.*
(*i*) Hil. *nobis.*
(*j*) Hil. *commota.*
(*k*) Hil. *salva dextera.*
(*l*) Infra *dimetiar.*
(*m*) Abest ab Hil. *Deus.*
(*n*) Excusi, *in tituli inscriptione :* refragantibus mss.
(*o*) Vatic. ms. *Jobal.* Reg. *Subab.* Tum Par. *et convertit Jacob.* Deinde Regius codex, *et percussit vallem Salinarum*, juxta novissimam LXX edit. καὶ ἐπάταξε τὴν φάραγγα τῶν ἁλῶν, quæ tamen II Reg., VIII, habet ἐν γεβελεμ. Et hic quoque apud Augustinum, Hieronymum, Theodoretum, Ruffinum exstat *in valle*, quam lectionem mox sequitur noster Hilarius.

millia (II *Reg.*, VIII). Quo psalmus (1) omnis (*a*) ab historia dissentit. Nam cum Sobal percussus cum Mesopotamia (2) et Syria, quæ ab eodem ad bellum commota et accensa capta est; hanc maximi belli victoriam ingens gratulationis lætitia consecuta est. Psalmus autem totus tristis et mœstus est; cum super repulso destructoque (3) populo (*b*) dolor est, cum commotæ turbatæque terræ querela est, cum sanandæ contritionis ejus oratio est. Deinde id quod *in Salinarum valle* memoratum est, neque in historia (*c*), neque in aliquorum translatorum intelligentia est. Nam secundum Aquilam, qui translator legis (*d*) Judæis post passionem Domini fuit, ita scribitur : *Cum percussit valles.* Sed hic secundum litteram scribens, et extra spiritalem intelligentiam (*e*) manens, belli locum edidit. Translatio autem illa seniorum septuaginta et legitima et spiritalis, ante passionem Domini (*f*) gestaque suscepta (4), per nominum naturarumque species nunc quoque, ut in omnibus psalmis, causam sensumque manifestat, in commemoratione gestorum non argumentum psalmi, sed tempus ostendens; ne ob id quod continetur in gestis (*Subaud.* scriptus esse noscatur), sed ut tum cum ea gesta sunt, scriptus esse noscatur.

2. *Ad quos, ad quid scriptus est psalmus. Quo tempore scriptus.* — Sed ante quam de tempore loquamur prophetiæ, quia multum ad intelligentiam psalmi proficit scire quando sit scriptus, de superscriptione tractemus, quæ intelligenda refertur *ad finem* et *his qui immutabuntur* : qui ex impietate scilicet ac vitiis desinentes, ad religionem atque innocentiam transferentur, et ex peccatis Synagogæ, ad Ecclesiæ gratiam demutabuntur : sicut in eo psalmo, qui primus *pro his qui immutabuntur* est scriptus (*g*), ostendimus cum dicitur : *Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere* **154** *populum tuum, et domum patris tui; quoniam concupivit rex speciem tuam* (*Ps.* XLIV, 11) : *et rursum in eodem : Pro patribus tuis, nati sunt* (5) (*h*) *tibi filii, constitues eos principes super omnem terram* (*Ib.*, 17). Filiorum itaque demutatione facta pro patribus, paternam domum obliviscitur, Deo regi magis regina placitura, cujus morte renovatur ad vitam. Et idcirco *tituli inscriptio pro his qui immutabuntur*, adscribitur (*i*) gloriæ mortis ejus, qui pro omnibus mortuus est, tituli inscriptione testante : et testante *ad doctrinam David*, ut omnes cum David, qui et oriens et justus et rex et æternus est, noverimus; qui inimicas nobis infestasque virtutes cum duce suo peremit, omnibus his qui adversum nos vitiorum bella accendere erant soliti, exstinctis : non in valle planctus, neque in valle tabernaculorum, sed *in valle* (*j*) *salium;* id enim magis quam *salinarum* græcus sermo declarat : cum ex se jam non flebiles habitationes, nec lamentanda tabernacula, sed salem potius hæc mundi hujus vallis exhibeat, eos scilicet eorumque similes, quibus dictum est : *Vos estis sal terræ* (*Matth.* v, 13), in quibus maxime antiquus ille nosque (*k*) incendens hostis exstinctus est. Pro his igitur in fine commutandis, et sub testimonio ac tituli inscriptione ad (*l*) David edocendis (6) psalmus hic scribitur : non alio tempore, quam cum Nathan propheta throni æterni regem ex David semine (*m*) esse nuntiavit (II *Reg.* VII, 12, 13). In eo enim tempore hæc, quæ in rebus gestis præscribuntur, effecta sunt, in quo prophetia æterni regis ostensa est. Intelligendus ergo psalmus pro his est qui immutabuntur, in David æternum regem edocendis, et qui pro amissis patribus erunt ex commutatione jam filii. Ita enim cœpit.

3. *Ira misericors patrum in filios, Dei in homines.* — VERS. 3-6. *Deus, repulisti nos, et destruxisti nos : iratus es* (*n*) *nobis, et misertus es nobis. Commovisti*

(1) *Quod psalmus.*
(2) *Percussus sit Mesopotamia.*
(3) *Detractoque.*
(4) *Passionem Dei, gestorumque suscepta.*
(5) *Facti sunt.*
(6) *Edocentis.*

(*a*) Huc revocamus *omnis*, ex ms. Reg.

(*b*) Mss. *detractoque populo.*

(*c*) Hieronymus vulgatus observat quæri solere ubi hæc historia scripta sit : Ipse vero respondet eam in libris Regnorum manifestissime legi, sed quia ibi pro *valle Salinarum*, LXX *interpretes hebræa verba posuerunt gemelach* (nunc habetur γεβελεμ), ab his qui hebræi sermonis notitiam non habent, quid hæc significent ignorari. Hæc porro historia in Vulgata legitur II Reg. VIII, 13, nisi quod ibi percussa memorentur non *duodecim*, sed *octo et decem millia* : nec dissident LXX.

(*d*) In uno ms. Vatic. *Judaicæ.* In altero, *Judæus* : quæ lectio nobis satis arrisit : cum Aquila a christiana ad judæam religionem deficiens, infensissimi Christianorum hostis Akibæ, ut auctor est Hieronymus in Isaiæ c. VIII, discipulus fuerit. Vulgatam tamen lectionem, quæ est mss. Reg. et Mic. non mutamus. Et Judæos quidem illius operam tanti fecisse discimus, ut secundam illius versionem, Hieronymo teste, in Ezech. c. 3, κατ' ἀκρίβειαν dicerent. Hanc adeo post passionem Christi suscepit, ut ex Epiphanii et Euthymii supputatione, 12 Adriani imp. anno eam publicarit.

(*e*) Regius codex, *habens* : non displiceret *abiens.* Quippe, ut habet Hieronymus lib. de optimo genere interpret. « Aquila proselytus et contentiosus interpres, qui non solum verba, sed et etymologias verborum transferre conatus est, jure projicitur a nobis. » Deinde ms. Mic. *belli locum dedit.*

(*f*) Bad. Er. cum mss. *gestorumque.* In ms. autem Turon. *gestorumque ordinem suscepta.*

(*g*) Non extat hic Tractatus.

(*h*) In ms. Reg. *facti sunt* : sicque vertit Symmachus, cujus lectionem probat Eusebius.

(*i*) Turon. codex, *gloriam*, quæ lectio si sincera est, interpunctio sic erit mutanda; *tituli inscriptio pro his qui immutabuntur adscribitur, gloriam mortis ejus... inscriptione testante.*

(*j*) Regius ms. *sallium*, et mox *sallem* : græc. τῶν ἁλῶν.

(*k*) Lips. et Par. *inscendens* : depravate. Respicitur illud tituli, *cum succendit.*

(*l*) Particulam *ad* ex mss. Mic. et Reg. huc revocamus. Deinde Bad. Er. et ms. Mic. *edocentis* : favente Regio, in quo *edocentes*. Potest referri *edocentis* ad vocabulum *tituli* : sed altera lectio mox confirmatur.

(*m*) Abest *esse* a Reg. ms.

(*n*) Ex Regio codice adjectum est *nobis.*

terram, et conturbasti eam : sana contritiones **155** A *ejus, quia commota est. Ostendisti populo tuo dura, potasti nos vino compunctionis. Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus.* Secundum communem sæculi sensum iræ miserationique non convenit : neque (*a*) ipsius in eosdem uterque hic conveniet affectus, (*b*) ut ultionis voluntati voluntas miserationis admixta sit. Solis autem hoc patribus pie irascentibus congruit, ut misericors eorum ira in peccatis sit filiorum, secundum etiam illud beati Pauli (I *Cor.* v, 5), cum ita Satanæ in interitum carnis tradit, ut spiritus salvus sit in die Domini, vindictæ præsentis severitatem ad salutem spiritus proficere demonstrans. Æternus ergo ille cœlestis omnibus pater, qui et dixit : *Ego occidam et ego sanabo* (*Deut.* xxxii, 39), sic repellit et destruit suos, ut misereatur iratus. Destruxit enim Jerusalem templum (*c*), sed cœlestem sanctis reddidit civitatem : repulit ab operationibus legis, sed justificationem fidei justificans ex fide impium tribuit : dissolvit terrestre regnum, sed reges constituit cœlorum. Ita iram misericordia consecuta est, dum damno terrenorum præsentium, ingens æternorum (*d*) bonorum retributio repensatur.

4. Totum genus humanum spectant præmissa psalmi verba. Arcus, pœnæ præparatio Signa Christianorum. Calix iræ, calix vitæ. — Et hæc quidem non magis ad Israel, quam ad universitatem humani generis aptata sunt : quia ex uno in omnes sententia mortis et vitæ labor (*e*) exiit (*Rom.* v, 18), cum dictum est : *Maledicta terra in operibus tuis* (*Gen.* iii, 17); nunc autem C per unum in omnes donum vitæ (*f*) et justificationis gratia abundavit (*Rom.* v, 18) : ut quorum terra maledicta est, horum nunc conformia Deo corpora sint; et quæ commota metu, et ignoratione turbata, et labore contrita est, et ipso illo lætificantis vini compuncta potu, nunc (*g*) susceptæ significationis secura virtute, futuræ iræ defugiat potestatem. In arcu enim, ut frequenter tractavimus, præparatæ ad pœnam impiis iræ terror ostenditur (*V. Tract. ps.* lvii, *n.* 4; *psal.* vii, 12, *etc.*), secundum illud, Numquid irascetur per singulos dies (*h*)? Arcum suum tetendit, et paravit in eo (1) vasa mortis, sagittas suas arsuris operatus est. Metuentibus igitur significationem dedit, vel signi in frontibus, **156** vel fidei in cordibus, vel testimonii in operibus, vel gloriæ in confessionibus, vel victoriæ in martyriis (*i*) (2) : ut a facie arcus iræque fugiatur, ut dictum est : *Natio viperarum, quis monstravit vobis fugere ab ira ventura* (*Matth.* iii, 7)? Gratulantis igitur humani generis hæc vox est, post regnum mortis, post diaboli terrores, post laborum peccatorumque onera, post infelicis lætitiæ dolorem; quia vitiorum gaudia cum sint intellecta, compungunt. In vino etenim secundum B Apostolum (*Ephes.* v, 18) lascivia est. Et sicut est vinum cor hominis lætificans, ita et vinum est cor hominis compungens. Nam et calix iræ est, sicuti et calix vitæ est.

5. Post hæc ergo, et post hoc compunctionis vinum, significatione fugiendi arcus iræque concessa, universitas fidelium æternis spebus exsultat. Id enim mox diapsalma interveniente declarat, Vers. 7 : *Ut liberentur dilecti tui, salva dextera tua, et exaudi me. Dextera Domini fecit virtutem* (*Ps.* cxvii, 16), et a dextera Deo (*j*) (3) virtus Dei coexcitata secum humilitatis nostræ carne consedit. Data ergo significatione fugiendi a facie arcus, liberantur dilecti, et per Dei dexteram salvantur. Et a qua facie arcus liberentur salventurque, Apostolus docuit, dicens : *Qui liberavit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum filii dilectionis suæ* (*Coloss.* i, 13). Liberandi ergo dilecti salvandique per dexteram Dei sunt.

6. *Sanctus Christus. Samaria fide divisa, judicio dividenda.* — Sed salutis hujus ad fidei firmitatem noscenda est prophetia. Sequitur enim, Vers. 8-10 : *Deus locutus est in sancto suo : Lætabor et partibor Sichimam, et convallem tabernaculorum dimetiar* (4). *Meus est Galaad, et meus est Manasses,*

(1) *Et parabit eum, et in eo paravit.*
(2) *In martyribus.*

(3) *Dextris Deo.*
(4) *Dimetibor* pro *dimetiar.*

(*a*) Hoc est *ejusdem.* Nam pronomen *ipse* apud D Hilarium hanc ut plurimum habet significationem. Mox in vulgatis, *uterque hic idem.* Expunximus *idem* Regii ms. auctoritate. Et certe uterque ille affectus non idem, sed diversus est.

(*b*) Editio Par. *ut vitio.* Aliæ *ut ultio.* Tum simul omnes, *voluntati, voluntas miserationi,* etc., perturbata oratione, quam nitidam reddunt mss.

(*c*) Cum hic memoret quæ proxime post destructum Jerusalem templum, et cæremonias legis antiquatas bona secuta sunt; nihil aliud significare videtur, nisi cœlum sanctis jam tum fuisse apertum. Ad eos tamen quorum corpora post Christi passionem Jerosolymis visa sunt, referre quis posset : sed magis generalis videtur hæc sententia, similibus dictis mox confirmata.

(*d*) In Vatic. ms. *donorum,* non *bonorum :* quod verbum abest a Regio, in quo mox *apta*, pro *aptata.*

(*e*) Apud Par. *extat.* Verbum *exiit* pœnam peccati ex uno manantem expressius significat.

(*f*) Conjunctio *et* ex ms. Vaticanis adjicitur. Hæc in aliis libris, ac præterea in ms. regio verba superiora *per unum in omnes*, omissa erant.

(*g*) In ms. Turon. *susceptæ sanctificationis,* conjectura satis probabili; nisi ad verba, *dedisti metuentibus te significationem,* alludi manifestum esset.

(*h*) Removimus hinc, *nisi convertamini :* quod non habent Bad. Er. Lips. et Reg. ms.

(*i*) Mss. *in martyribus.*

(*j*) Ita mss. Mic. et Reg. nisi quod in Reg. *secus* pro *secum.* At vulgati, *et a dextris Dei virtus coexcitata cum humilitatis nostræ,* etc., non reddunt mentem Hilarii, cui *virtus Dei* divinitas Verbi, in quam non cadit *coexcitari.* Coexcitatio autem illa nos spectat. Horum omnium hæc nativa sedes : *et Virtus Dei consedit Deo secum coexcitata a dextera,* seu per virtutem dexteræ, *humilitatis nostræ carne.* In Turon. ms. *et ad dexteram Dei,* quæ non est præferenda nostræ lectioni modo explicatæ.

et (*a*) *Ephræm fortitudo capitis mei, Juda rex meus. Moab olla spei meæ. In Idumæam extendam calciamentum meum : mihi allophyli subditi sunt.* In sancto Deus locutus est in eo nempe, cui etiam dæmones clamant : *Scimus quia tu sanctus Dei es* (*Luc.* IV, 34); et de quo angelus evangelizat: *Et quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei* (*Luc.* I, 35). In hoc itaque sancto locutus est, cum dicit (*Joan.* XIV, 10) : *Pater qui in me loquitur, ipse facit opera* **157** *sua.* Locutus ergo Deus in sancto, in principio sermonis exsultat. *Exsultabit* (*b*) *enim ut gigas ad currendam viam* (*Psal.* XVIII, 6); et exsultabit in Sichima partienda. Sichima (*c*) Samaria est, quæ eadem et Sichem est, quam Jacob Joseph filio suo (*d*) sub benedictione spiritus deputavit (*Joan.* IV, 5). Hæc cum omnibus antea legis temporibus in impietate mansisset, Evangelium Domini ex parte suscepit. Nam hodieque pars ejus irreligiosissimis studiis de studio vetere detinetur. Illic enim vaccæ adoratæ, illic mons relicto sacrario electus, illic regnum (*e*) adversum Judam excitatum. Sed eo primum Dominus accedens (*Joan.* IV), etiam credente Samaritana, et aquæ vivæ potum precante, fidem intulit : mox etiam apostolis prædicantibus participes sancti Spiritus facti sunt (*Act.* VIII, 5). Partita ergo Sichima est, cum fideles ab infidelibus separantur. Et est futuri judicii (*f*) certa divisio, sicut scriptum est : *Veniet Dominus servi illius in die qua non sperat, et hora qua ignorat : et dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis* (*Luc.* XII, 46). Divisa ergo Samaria est, vel judicio, vel fide, secundum illud : *Non veni pacem mittere in terram, sed divisionem* (*Matth.* X, 34).

7. *Mortalium dimensio.* — Neque solum loquens in sancto Deus Sichimam partitus est, sed etiam convallem tabernaculorum dimensus est : hanc siquidem habitationis humanæ (*g*) demersam humilemque sedem, quam et alio loco ob ægritudines vitæ ac lamentationes calamitatum, vallem planctus esse commemorat, dicens (*h*) : *Deposuerunt in valle plorationis* (*Psal.* LXXXIII, 7) : Dimensus ergo hanc est, quia gentium plenitudo exspectatur. Et ubi modus est credentium futurus, illic dimensionis examen est ; partem (*i*) intra (1) Ecclesiam congregandis, parte alia in eadem valle residentibus.

8. *Galaad et Manasses.* — Quisquis autem aliqua metitur, necesse est ut ea quæ sua sunt metiatur. Suus enim est Galaad, et suus est Manasses. Mons iste Phœnicum est, Arabiæ Mesopotamiæque contiguus, ex parte Manassæ in possessionem deputatus : et ideo suus est Manasses, **158** sub Manassis nomine terræ plenitudinem, sicuti et sub Galaad omnem orbem suum esse demonstrans. Sed in his usurpandis nihil præter jus proprietatis ostensum est.

9. *Ephrem typus Ecclesiæ.* — Ephrem autem assumptio capitis ejus, et Juda rex ejus est. Hæc sanctus loquente in se Deo loquitur, qui et per Jacob Ephrem conversa manuum sanctificatione benedixerit, et regem ex Juda, qui et exspectatio gentium futurus esset, ostenderit (*Gen.* XLVIII, 13). Assumptio ergo Ephrem est, non etiam Manasses (*Alias Manassis*) : cum Joseph uterque sit filius. Sed cum in capite significatio contineatur et corporis, secundum illud : *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput* (*Psal.* CIX, 7) ; et omnis sanctus caput est corporis Christi : idcirco assumptio capitis ejus Ephrem est, quia contra generationum ordinem, ad præferendam Ecclesiæ santificationem in prælato Ephrem et postposito Manasse, minor majori est antelatus. Assumptio itaque capitis sui (*j*) est Ephrem, id est (*k*) populi quem in Ephrem præfiguravit : vel potius Ecclesia in corpus assumitur.

10. *Christus nasciturus de Juda.* — *Juda* etiam *rex meus* est, id est a se dispositus et electus. Non utique vel David (*l*) ipsi rex Juda est (cum ex Juda rex ipse sit primus), vel loquenti in sancto suo Deo rex est : sed loqui hæc sanctus iste ei in quo Deus loquitur intelligendus est, qui et spiritu Jacob repleverit ad æterni regis istius prophetiam, cum ait : *Non deficiet princeps de Juda, nec dux de femoribus ejus* (*Gen.* XLIX, 10), donec veniat cui repositum est : et ipse est (2) expectatio gentium.

11. *Christus nasciturus de peccatoribus. Olla spiritalis.* — Et quia non solum ex hac generatione sanctorum, sed etiam ex peccatorum origine huic Dei Sancto carnis esset ineunda susceptio ; quia in simi-

(1) *Partim intra.*

(2) *Donec veniat semen cui*, deinde, *et ipsum est.*

(*a*) Turon. *Ephrem assumptio*, ut non semel legitur Num. IX.

(*b*) Editi hic et mox, *exultavit* : corriguntur ex ms. Reg. in quo deinde *gigans*, non *gigas*.

(*c*) Regius codex, *Sichima in Samaria est.* Apud Hieronymum hic, *Quidam Sicemam Samariam putant.*

(*d*) Ita Reg. ms. At vulgati *sub benedictionis spiritu.*

(*e*) Vulgati, *adversum Judæam.* Rectius mss. *adversum Judam* : ex eo enim dissidio Judææ cœpit distinctio.

(*f*) In vulgatis *ista divisio.* Præferimus cum Reg. ms. *certa divisio.* De utraque hac divisione Augustinus in hunc versum : « Divisi sunt enim nunc fide, postea dividentur in judicio, oves ad dexteram, hædi ad sinistram. »

(*g*) Editi, *dimensam* : emendantur ope mss.

(*h*) Hunc locum ex psalmo LXXXVII excerptum esse non dubium est. Ubi tria observanda sunt, 1° quod legerit Hilarius διέθεντο in plurali, cum alii legant διέθετο, 2° quod verbum hoc verterit *deposuerunt*, non *disposuerunt*, 3° quod cum subsequentia, scil. *in valle*, etc., apud plerosque alios fixo puncto ab eodem verbo separentur, hic tamen copulata sint. Quamquam Theodoretus ac nonnulli alii hac interpungendi ratione cum Hilario consentiunt.

(*i*) In vulgatis *partim*, et mox tantum apud Lips. et Par. *partim in eadem valle* : dissidentibus mss. In Turon. solo, *parte.*

(*j*) Editi hic omisso verbo *est* subjiciunt, *Effrem, id est, populus.* Reponimus *populi* addito prius verbo *est* ex mss.

(*k*) In Turon. *populus quem.*

(*l*) In excusis *David ipse* : contraria hic simul exstabant.

litudine carnis peccati Deus filium suum misit (*Rom.* VIII, 3): idcirco etiam Moab olla spei ejus est. Et hæc quidem Moab generatio secundum eam quæ in Genesi sententia est, divinæ (*a*) maledictionis suscepit opprobrium. Sed post decem generationes per gradus successionis sancto digna fit genere (*Deut.* XXIII, 3): Sanctusque hic ex Juda et ex Moab **159** (*b*) originem sumens, decocta tamquam per ollam carnis cruditate, in speciem cibi significatur æterni, cum caro ejus vere cibus vitæ sit (*Joan.* VI, 56). Est et olla secundum Jeremiam urens peccata atque tollens (*Jerem.* I, 13): sicuti et Dominus ipse mittere ignem venit super terram (*Luc.* XII, 49) : et multi secundum Apostolum tamquam per ignem erunt salvi (I *Cor.* III, 15): cum defœcatis et perustis vitiis, ut argentum ignitum probabiles judicentur. Hinc ergo Moab spei suæ olla est, cui etiam ex Moab (*subaud.* carne), cruda utique atque vitiosa, jam cœlestis illa ad cibum vitæ sanctificatio carnis in spe est.

12. *Evangelio imbuendum totum genus humanum.* — Quin etiam usque in Idumæam calciamentum suum extensurum esse se dicit, scilicet usque ad defectionem Esau; quia Idumæa Esau sedes est, et prædicationis apostolicæ dirigat gressus. Speciosi enim pedes evangelizantium sunt (*Rom.* X, 15): et in calciamento pedes, in pedibus autem gressus ostenditur. Neque solum in Idumæam cursum prædicationis extendit, sed etiam *allophyli subditi sunt;* secundum illud : *Exaudi* (*c*) (1) *orationem, ad te omnis caro veniet* (*Psal.* LXIV, 3): quia Deo dignum sit gentes ei omnes esse subjectas, et universitatem carnis ad confessionem æternæ hujus misericordiæ erudiri.

13. *Judæi primum destituti, demum recipiendi. Deo deserente, virtus nulla.* — Sed cognitis his qui immutabuntur secundum tituli inscriptionem, et doctrina ejus qui David est æternus accepta, æternam illam primitivorum (*d*) in cœlis Jerusalem et circumstantium Deo sanctorum civitatem ingredi propheta festinat (*Hebr.* XII, 23), ducem qui se eo deducat exspectans. Sequitur enim, VERS. 11, 12 : *Quis deducet me in civitatem circumstantiæ? quis deducet me usque in Idumæam? Nonne tu Deus qui repulisti nos, et non egredieris* (2) *in virtutibus nostris?* Esau defectio est : et Edom secundum Genesim deficiens est (*Gen.* XXV, 30): et secundum Apostolum (*Rom.* XI, 25), quod est reliquum Israel, salvandum est. Optans ergo propheta in civitatem circumstantiæ deduci, scit se ante usque in Idumæam esse venturum, id est in illamdefectionem populi anterioris, (3) qua major (*e*) serviet minori (*Gen.* XXV, 23). Et ultima prædicatio convertet corda patrum ad filios (*Luc.* I, 17), cum veniens ex Sion peccata et impietates ab Jacob auferat. Sed hic idem deducet, qui et ob impietatem ante **160** destruxit et repulit : quia capta Jerusalem, destitutoque regno indignos spretosque deseruit, solitus ante eos spiritalibus auxiliis confovere, et cœlesti militia adversum inimicorum bella tutari. Nunc autem deserente eos custodia Spiritus sancti, nullum in virtutibus eorum, id est in exercitibus (*f*), divinæ propugnationis auxilium est. Et ideo quia destruxit, non egredietur in virtutibus eorum.

14. *Salus nostra pendet a Deo.* — Sed repositæ spei, quia quod Israel est reliquum salvabit, misericordiam propheta non tacuit dicens, VERS. 13, 14 : *Da nobis auxilium de tribulatione, et vana salus hominis. In Deo faciemus virtutem, et ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.* Scit vanam salutem esse quæ ab hominibus speratur : quia et vitæ hujus sine misericordia Dei nullus sit usus, secundum illud : *Melior est misericordia tua super vitam* (*Psal.* LXII, 4) : quia nisi ad profectum æternitatis vita suscepta sit, miseriarum in nobis potius erit origo, non vitæ. Auxilium itaque a Deo in tribulationibus superat, quia hominum salus vana sit. Postulat ergo de tribulatione auxilium, in Deo virtutes concesso auxilio facturus : cum liberati omnes a lege peccatis (*Rom.* VI, 22), in Dei potius justificatione maneamus : cum pugnam non adversus carnem et sanguinem, sed adversus spiritales nequitias (*Ephes.* VI, 12) et (*g*) mundi potentes, Satanam ipso spiritu oris sui Deo interficiente, peragamus; cum non regnet jam in immortali corpore nostro (*Rom.* VI, 12) tribulans nos ante peccatum, cum ab-

(1) *Exaudi*, *Deus*.
(2) *Non egredieris Deus*, ut in Vulgata.
(3) *Quia major*. Subinde, *convertere*.

(*a*) In Regio ms. *divina :* et mox, *post gradus successionis :* ubi in vulgatis male legebatur *susceptionis*. Verum ubi in Genesi maledictus sit Moab, nobis non occurrit. Præterea Deut. XXIII, 3; et II Esdræ XIII, 2, Moabitas neque etiam post decimam generationem intram Ecclesia Dei admittendos esse leginus. Cum Hilario tamen consentit vulgatus Hieronymus in hunc eumdem locum habens : « Moab in Genesi maledictionis suscepit opprobrium, qui post decem generationes recipitur in Ecclesia. » Imo Ambrosius, in psal. XLVIII, n° 24, tantum *usque in tertiam et quartam generationem* Moabitas ab Ecclesiæ Domini introitu prohibitos esse commemorat.

(*b*) Quatenus ex Ruth Moabitide, Hunc locum Paulinus; epist. alias 3, nunc 23, omnino videtur imitatus his verbis : « Ideo dicit, Moab olla spei meæ, quia non solum ex Juda, sed ex Moab, hoc est, non solum de sanctorum, sed de peccatorum origine corpus assumpsit, qui decocta quasi per ollam carnis nostræ cruditate, sanctificavit in æternum nobis cibum carnem suam; caro enim ejus, ut ipse ait, vere cibus vitæ est. » Clare adeo hic Hilarius adstruit Christi carnem non solum a Maria, sed a Mariæ etiam avis fuisse acceptam, ut vix excusari possit Erasmi suspicio, qua eum veluti contraria sentientem traduxit.

(*c*) Regius codex, *exaudi, Deus*. Deinde Vulgati, *orationem meam*. In mss. non extat *meam :* et in authenticis non extare, Hilarius ipse observat, in ps. LXIV, n. 3; *universitatem* autem *carnis*, in eumdem psal., n. 5, exponit *ex omni hominum genere*.

(*d*) Editi, *in cœlestibus :* dissentiente sacro textu græco et latino una cum mss.

(*e*) In ms. Reg. *quia major :* et mox, *convertere*, non *convertet*.

(*f*) Verba, *id est in exercitibus*, non extant in ms. Reg. Eodem verbo hebræo et exercitus et virtutes pariter significantur.

(*g*) Sic mss. juxta græcum, τοὺς κοσμοκράτορας. At editi, *mundi potestates*.

sorbeatur mors a vita (*a*) in contentionem victoriæ, per Dominum nostrum Jesum Christum, qui est benedictus in sæcula sæculorum (I *Cor.* xv, 55). Amen.

PSALMUS LX.

In finem (1) *hymnus David.*

Exaudi, Domine, deprecationem meam, intende (*b*) *orationem meam* (2). *A finibus terræ ad te clamavi, dum anxiaretur cor meum. In petra* **161** *exaltasti me. Deduxisti* (*c*) *me; quia factus es spes mea, turris fortitudinis a facie inimici. Inhabitabo in tabernaculo tuo in sæcula.* DIAPSALMA. *Protegar in velamento alarum tuarum, quoniam tu Deus exaudisti orationem meam, dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum. Dies super dies regis adjicies: annos ejus usque in dies generationis et* (*d*) *generationum. Permanet in æternum in conspectu Dei: misericordiam et veritatem ejus quis requiret eorum? Sic psallam nomini tuo* (*e*) *Deus in sæculum sæculi, ut reddam vota mea de die in diem.*

TRACTATUS PSALMI.

1. *Psalmus est spe æterna gestientis.* — VERS. 1 : Simplex est psalmus, æternæ gratulationis continens prophetiam. Nam neque res gestas, neque significationis alicujus (*f*) cognomenta subscriptio comprehendit : tantum *hymnus in finem* est : ut id quod a Propheta cantatum est, in finc (*g*) vel psalmi vel temporum explicandum esse noscatur. Oratio autem est justi æterna sperantis, seseque in Christo coexcitatum in cœlestibus gratulantis. Cœpit enim ita.

2. *Justi fiducia. Inde ei est, quod in carne a carne sit peregrinus.* (*Vid. Tr. ps.* LXIV, *n.* 10.) — VERS. 2-3. *Exaudi, Deus, orationem meam, intende* (3) *precationi meæ. A finibus terræ ad te clamavi, dum anxiaretur cor meum.* Exaudiri precationem suam sanctus hic postulat, cujus et ea fiducia est, ut in orationem suam velit intendi, utrum sit innocens, casta et fidelis, et ex intimo conscientiæ atque cordis metu profecta quia secundum Paulum (4) (*Rom.* x, 10), et corde credendum, et ore confitendum sit ad salutem. Intendendæ autem orationis hinc precatio est, quod dum corde anxio est, a terræ finibus clamaverit. Non hic extrema solitudinum aut contigua Oceani incolebat, qui a terræ finibus anxio corde clamabat. Sed sciens se in carne quidem quæ terra est degentem, jam in fine carnis habitare, dum secundum Apostolum habitans in corpore (*h*) peregrinatur a corpore (II *Cor.* v, 8), dum vivens jam non sibi vivit; neque ipse vivit, sed vivit in eo Christus (*Gal.* II, 20) : congemiscens tamen (II *Cor.* v, 4) in hoc suo habitaculo, **162** supervestirique festinans, et ideo anxio corde a terræ finibus clamat, quia et necessitatem habeat in carne vivendi, et spem teneat a carnis vitiis desinendi, dicens :

3. *Christus spes et fortitudo ejus.* — VERS. 4-5 : *In petra exaltasti me. Eduxisti me* (*i*) ; *quia factus es spes mea, turris fortitudinis a facie inimici. Habitabo in tabernaculo tuo in sæcula.* Hinc itaque jam sanctus a terræ finibus clamat quia exaltatus in petra sit. Petra autem secundum Apostolum (I *Cor.* x, 4). Christus est, quem exaltavit Deus, et donavit illi nomen quod est super omne nomen (*Phil.* II, 9). In quo et elegit nos ante mundi constitutionem in cœlestibus (*Ephes.* I, 4). Per eum enim sumus in spem æternitatis deducti, et in hac spe non confundimur (5); quia ab inimici facie hæc eadem spes nobis fortitudinis turris est facta. Nam cum in muris sit valida et firma munitio : murorum tamen ipsorum firmitas in turribus omnis est. Et idcirco turris fortitudinis exaltans nos in petra Deus factus est, quia per hanc spem vim diaboli ejusque insidias sustinemus, tutissima adversus eum spiritalesque ejus nequitias fidei munitione consepti : cum in tabernaculo Dei habitaturi simus in sæcula, sine ullo scilicet ætatis modo in æternum fluentibus sæculis temporibusque mansuri.

4. *Protectio ejus misericordia Dei. Hanc meretur oratio.* — Sed quia hæc, quamvis spe reposita (*j*) jam sanctis sint, tamen adhuc sub dispensatione temporum differantur (*k*) ; qua munitione interim tutus fit, interjecto diapsalma demonstrat, dicens, VERS. 6 : *Protegar in velamento alarum tuarum quoniam tu Deus exaudisti orationem meam.* Protectionem misericordiæ Dei sub velamento alarum divinus sermo significat : de quo quia superioribus psalmis (*l*) tractatum est, superfluus nunc et otiosus erit sermo. Sed protectionis meritum ex fide ora-

(1) *In Hymnis*, cum græco.
(2) *Orationi meæ.*
(3) *Deprecationi.*
(4) *Secundum Apostolum.*
(5) *Confundemur.*

(*a*) Regius codex, *in contentione victoriæ.* Respicitur hic locus Pauli, ubi in græco extat εἰς νῖκος, , *in victoriam :* vel secundum alios, et ipsummet Hilarium, lib. XI, de Trin., n. 35, εἰς νεικος *in contentione.* Hic vero lectionem utramque simul componit.

(*b*) Hil. *Deus orationem.*

(*c*) Hil. *eduxisti.*

(*d*) Hil. *generationis.*

(*e*) Abest infra, *Deus.*

(*f*) Reg. ms. *cognomen.* Bad. Er. et Lips. *significationis alicujus cognomenti.*

(*g*) Reponimus *in fine* ex ms. Mic. ubi alii præferebant *in finem* Regius codex, omissa prius particula *ut*, nec habet deinde, *explicandum esse noscatur.*

(*h*) Prave apud Par. *peregrinatur a Domino.* Respicitur quippe illud Pauli, *Voluntatem habemus magis peregrinari a corpore.*

(*i*) Verba *eduxisti me* in vulgatis omissa restituimus ex mss. Legimus in græco ὡδήγησάς με, in vulgata, *deduxisti me*, juxta quam mox habemus *in spem æternitatis deducti*, non *educti.*

(*j*) Ita ms. Mic. favente Vaticano, in quo minus bene, *spes reposita jam sanctis sit.* At in vulgatis, *spe reposita jam sancti sint.*

(*k*) Particulam *et* præfixam hic habebant editi, renitentibus mss.

(*l*) De hac significatione hactenus nihil, nisi forte in psal. LVI, n. 3, idque ita tenuiter; ut vix percipiatur.

tionis indultum est, secundum illud : *Petite et dabitur vobis* (*Matth.* VII, 7).

5. *Sancti hæreditas. Christus rex regum futurus, post communem resurrectionem.*—Quin etiam ad quam spem protectione alarum Dei inumbrandus esset ostendit dicens : *Dedisti hæreditatem* (*a*) *timentibus nomen tuum.* VERS. 7, 8. *Dies super dies regis adjicies, annos ejus usque in dies generationis et generationis. Permanet in æternum in conspectu Dei.* Hæc enim hæreditas sancti est, vita et incorruptio et regnum et coæterna (*b*) Deo habitatio. Non Israeli tantum hæc hæreditas scripta est, sed timentibus Dei nomen. Dies enim æterni sunt *regis*, sive quia sancti, qui peccati **163** servi non erunt, reges sunt (*V. Tract. ps.* II, *n.* 42), secundum illud Apostoli : *Jam sine nobis* (1) *regnantis, et utinam regnaretis, ut et nos vobiscum conregnaremus* (1 *Cor.* IV, 8) : sive quia hic idem etiam rex sit Propheta, sive quia in æterno regno consedentem a dextris *oportet regnare, donec ponat inimicos suos sub pedibus suis*, non ut rex ipse tum non sit, sed cum tradiderit regnum Deo patri, conregnabit his ipse (*c*) qui reges sunt. Ex quo mihi videtur hæc nunc ratio servata, ut *usque in dies generationis et generationis* adjicerentur super dies dierum anni ejus; in conspectu autem Dei (*d*) maneat in æternum ; ut tempus illud, quo eum regnare donec ponat inimicos suos sub pedibus suis oportet, a generatione usque in generationem sit comprehensum, quia generationem hanc spiritalis nativitatis generatio ex mortuis consequatur ; æternitatis autem suæ exceptio, dum in æternum in conspectu Dei est, prædicetur. Est autem ipse primogenitus ex mortuis (*Coloss.* I, 18). Sed hujus regenerationis Dominus ad apostolos ita meminit : Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, *et vos sedebitis super duodecim thronos judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX, 28). Hujus igitur generationis tempus ostendit, et usque in hanc super dies dierum anni regis augentur. Cæterum ipse in conspectu Dei (*e*) manebit æternus, jam omnibus quos redemit in reges cœlorum et cohæredes æternitatis assumptis, tradens eos regnum Deo Patri.

6. *Beatis nil desiderandum.* — Et quia compartícipes et concorporales et conformes ejus effecti sint jam in his nec corruptione nec morte dominante, cum in omnem plenitudinem Dei repleantur ; subjecit spiritus prophetiæ : *Misericordiam et veritatem ejus quis requiret* (*f*) *eorum?* Non inopes jam misericordiæ veritatisque ejus hæ scilicet generationes erunt, quas in se ex mortuis regenerabit ad vitam, quæque in spe gloriæ Dei manserint : tum cum in regnum traditæ Deo patri suscipientur in reges, consummata in omnes ejus misericordia ac veritate, per quem redemptos se gratulentur ad vitam, sitque omnibus accessus ad Patrem. Post quod misericordiæ ac veritatis nihil requiratur a Domino, cum in Dei plenitudinem impleantur. Simile autem huic prophetæ dictum est id, quod ad Apostolos Dominus ita locutus est (*Joan.* XVI, 22) : *Nunc quidem* **164** *tristitiam habetis ; rursum autem videbo vos, et lætabitur cor vestrum, et gaudium vestrum nemo* (2) *tollet a vobis. In illa die me non rogabitis quidquam, quia jam gaudium nemo ablaturus* (*g*) *ab his sit.*

7. *Beatorum opus.* — In hanc igitur æternitatis spem sese Propheta confirmat, dicens, VERS. 9 : *Sic psallam nomini tuo in sæculum sæculi, ut reddam vota mea de die in diem.* Psallet in sæculum sæculi, et vota de die in diem reddet, nullo temporum fine conclusus, hymnis æternis æternorum votorum gaudia redditurus : cum absoluta omni terrenorum corporum infirmitate cœlestem atque Angelorum agat vitam de die in diem vota reddendo; secundum illud : *Vota mea Domino reddam in atriis domus Domini, in conspectu omnis populi ejus, in medio tui, Jerusalem* (*Psal.* CXV, 18, 19), cœlestis utique matris et liberæ per Deum ac Dominum nostrum Jesum Christum, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS LXI.

In finem pro Idithum Psalmus David.

Nonne Deo subdita erit anima mea? ab ipso enim salutare meum. Etenim ipse Deus meus et salutaris meus, (*h*) *adjutor meus : non movebor amplius. Quousque irruitis in hominem? interficitis universi tamquam parieti inclinato, et maceriæ impulsæ? Verumtamen honorem meum* (*i*) *cogitaverint repellere, cucurri in siti : ore suo benedicebant, et corde suo maledicebant. Verumtamen Deo subdita erit* (*k*) *anima mea : quoniam ab ipso est patientia mea. Quia ipse Deus meus et salutaris meus* (*l*), *adjutor meus, non emigrabo. In Deo salutare meum est, et gloria mea,*

(1) *Regnastis.*

(2) Auferet.

(*a*) Mss. Reg. et Mic. *timentibus te.* Retinemus, *timentibus nomen tuum :* quia huic lectioni congruit subjecta enarratio.

(*b*) Sic mss. At editi, *cum Deo.*

(*c*) Vulgati, *ipsis.* Elegantius ms. Reg. *ipse.* Quem Marcello tribuit Eusebius de fine regni Christi errorem, Hilarius hic prudenter cavet.

(*d*) Editi, *manere in æternum*, vitiosa prorsus ante et post interpunctione. Hilarius verba hæc, *usque in dies generationis et generationis*, interpretatur de regno Christi quod universa resurrectione excipitur ; sequentia autem : *Permanet in æternum in conspectu Dei*, ad regnum Dei refert, quod a prædicta omnium resurrectione initium ducit, sed finem nullum habet.

(*e*) In vulgatis hic repetitur *ipse*, non in mss. Tum in Reg. *manebit æternus jam in omnibus.*

(*f*) Reg. ms. *eum :* dissidente græco, ut et subjecta expositione.

(*g*) Primo conjectabamus legendum, *a vobis sit :* sed antiqua lectio retinenda, quia illa non amplius Christi, sed interpretis verba sint, verba prophetæ Christi sermone confirmantis.

(*h*) Hil. *susceptor.*

(*i*) Infra, *cogitaverunt.*

(*j*) Hil. hic habet, *diapsalma.*

(*k*) Hil. *est.*

(*l*) Hil. *est Deus et salvator.*

Deus (*a*) *auxilium meum : spes mea in Deo est, Spe- A rate in eum omnis* (*b*) *conventus plebis, effundite coram eo corda vestra; quia Deus adjutor noster est.* DIAPSALMA. *Verumtamen vani filii hominum, mendaces filii* 165 *hominum in stateris : ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum. Nolite sperare in iniquitate, et in rapinas nolite concupiscere. Divitiæ si* (*c*) *affluent, nolite cor apponere. Semel locutus est Deus : duo hæc audivi, quia potestas Dei est, et tibi, Domine, misericordia? quia tu reddes* (*d*) *singulis secundum opera eorum* (*e*).

TRACTATUS PSALMI.

1. *Prophetiæ scopus. Quid psalmus iste doceat.* — Prophetiæ sermo non nisi ad aliquem profectum audientium scriptus est, ut aut (1) scientiam doceat, aut ad voluntatis innocentiam confirmet : ut nunc B hic psalmus. VERS. 1. *Pro Idithum* (*f*) a David cantatur, in quo ad Dei timorem, ad humanarum sive spiritalium nequitiarum constantem tolerantiam eruditur (*g*), et ad contemptum opum, quia avaritia malorum omnium radix est, firmatur. In his enim beatæ æternæque vitæ status certus est, si et pietas in Deum sit, et patientia in adversis, et contemptus opulentiæ. A dei itaque confessione cœptus est psalmus.

2. *Theologia ethnicorum caligans et errans. Ex sacris libris quanta lux affulgeat. Per fidem habet unde sedetur animus.* VERS. 2, 3. *Nonne Deo subdita erit anima mea? ab ipso enim salutare meum. Et ipse Deus meus, et salutaris meus* (2), *susceptor meus ; non movebor amplius.* Confessio Dei communi hominum affectu a propheta ita cœpta est, ut cum post multam inscientiæ noctem, C post ambiguam humanarum sententiarum incertamque doctrinam, post diversarum religionum (3) variam opinionem, cum diu erratum quæsitumque de Deo sit, an unus an plures, et sexus (4) an (*h*) unius an duplicis, et potestatis an æqualis an disparis, et ætatis an uniformis an variæ, et naturæ an innascibilis omnium, an aliquorum aliquando (5) generatæ (*i*) : tum deinde cum ab aliquibus magna ætate et longo labore certatum sit, aut nullos omnino esse, aut a cura humanæ vitæ abesse : jam porro cum a plerisque tractatum sit, vel solem astraque cætera deos esse, vel mundum ipsum in æternitatis specie 166 hujus ac mutationum manentem cum omnibus suis quæ ex se efferat Deum esse : jam vero ut plerique ignem, vel aquas, vel spiritum divino nomine atque honore donaverint : alii quoque ligna, lapides, metalla sub specie hominum, volucrum, ferarum adoraverint : postremo cum jam fessis omnium destitutisque studiis plerique eorum, maximeque (*Socrates, apud Cic., l.* IV *Acad. quæst.*) prudentes, unum hoc se scire, id est, nihil horum hominem scire docuissent : tum post hanc quasi necessariæ confessionis (6) inscientiam (*j*) prudens quisque conversus ad prophetas atque apostolos, Dei legem omnem sub sacramento æternæ dispositionis perceperit, in qua rationem deductæ in hoc corpus animæ (*k*) connexæque tractaverit, in qua (*Deut.* XXXII, 8 ; *vid. tract. ps.* II, *n.* 31) divisionem gentium secundum angelorum numerum acceperit, in qua et esse principem mundi (*Joan.* XIV, 30), et (*Deut.* XXXII, 9) unius electionem gentis audierit, in qua humanæ mortis auctorem non ignoraverit, et habitare (*Rom.* VII, 23) in carne sua peccati legem obnitentem legi mentis suæ senserit et congemuerit ; postea quam Dei spiritum, Dei Virtutem, Dei Sapientiam, Dei Filium, et (*l*) unigenitum Deum ad remissionem peccati condemnationemque peccati legis, hominem natum esse cognoverit, qui humanarum passionum sorte perfunctus, ad condemnanda in se cœlestium nequitiarum impia tentamenta sit mortuus, ut æternitatem omnibus, qui per habitantem in carne nostra peccati legem moriebamur, inveheret ; ac tum hoc sacramento pietatis accepto, post ignorationis noctem in scientiæ lumine collocatus, ita (7) dicit : *Nonne Deo subdita erit anima mea? ab ipso enim salutare meum. Etenim ipse Deus meus est, salvator meus, susceptor meus : non movebor amplius.* Reperta itaque fidei sede post vagos errores impietatisque sententiam, (*m*) quia susceptorem suum salvatoremque cognoverit, amplius non movetur. Quid enim ultra

(1) Sustulimus *ad* auctoritate codicis nostri.
(2) *Salvator meus.*
(3) *Vanam.*
(4) *Aut unius.*
(5) *Generatas.*
(6) *Inscitiam.*
(7) *Dicat.*

(*a*) Hil. *auxilii mei.*
(*b*) Hil. *cœtus.*
(*c*) Hilarius, *fluant.*
(*d*) Hil. *unicuique.*
(*e*) Hil. *ejus.*
(*f*) Sic. ms. Reg. At editi, *ad Idithum.... a Dei timore.*
(*g*) Ms. Turon. *erudimur.... firmamur*, pro *eruditur.... firmatur.*
(*h*) In ms. Reg. et Mic. *aut*, et sic deinceps constanter loco *an.*
(*i*) Unus e mss. Vat. *generator* alter, *generatus ;* Reg. et Mic. *generatus.* Mox editi, *cum aliquibus*, omisso *ab.*
(*j*) Sic. mss. At editi, *inscitiam.* Mallemus *necessariam inscientiæ confessionem ;* sed hujusmodi inversionum exempla jam non semel advertimus. Non modo Socrates apud Tullium generatim confessus est hoc unum se scire quod nihil sciret ; sed Tullius D ipse, lib. IV Acad. quæst., speciatim de Dei notitia hanc edit. confessionem : *Cogimur dissensione sapientum Dominum ignorare.*
(*k*) In ms. Reg. *connexæ* sine particula *que.* Hoc illud præ se ferre videtur, nos ex Scripturis accipere, quomodo anima in corpus deducta sit, et in quo situm sit illius cum corpore vinculum. Re autem vera hoc unum sibi vult Hilarius, animæ corpori connexæ nobis testatam esse in Scripturis æternitatem. *Secundum enim Evangelium* (*Matth.* X, 28), *homo cum corpore animam non perimit*, inquit disertius in ps. LXII, n. 11.
(*l*) Apud Par. *unigenitum Dei :* minus bene. Notatu dignum est quod inter cognomina Verbi carnem assumentis primum recenseat *Spiritum Dei*, deinde *Dei virtutem :* quia nimirum in his angeli verbis : *Spiritus sanctus superveniet in te et virtus Altissimi*, etc., Verbi personam inteliexit.
(*m*) Reg. ms. *qui susceptorem.*

ignorationi anxietatique hominum (1) est relictum, cum æternitas animæ et corporis, id est, totius hominis prædicetur, cum assumptio atque susceptio terrenæ nostræ carnis a Deo sub sacramento magnæ hujus pietatis ostensa sit, cum peccatorum remissio condemnata peccati lege sit præstita, cum homini 167 nostro a dextris Dei consessus in cœlis sit?

3. *Dei corporationem negantes. Disputiones eorum quam perniciosæ.* — Sed hanc humanæ beatitudinis spem gentilium impietatum studia comminuunt, prudentiæ sæcularis inanitate profectum homini ad Deum denegantes, et Deo consortium assumpti corporis detrahentes, arbitri moderatoresque divinæ potestatis; quasi difficilius Deo sit assumpsisse hominem (*a*) quam eum in tanta naturæ ac vitæ suæ ratione formasse. Hanc itaque impiam eorum (2) obtrectationem propheta mox arguit, dicens, VERS. 4 : *Quousque irruitis in hominem? interficitis universi, tamquam parieti inclinato, et maceriæ impulsæ?* Impellunt enim hæ ignorantes atque impiæ disputationes hominem ad vitia proclivem, et quassum jam cadentemque demergunt, consiliis adhortationum fallaciumnoxiarumque perimentes : quasi parva sibi ipsa conciliatrix vitiorum (*b*) voluntas sit, quam adhuc desperatio judicii æterni retributionisque in usum tantum præsentium et corporalium adhortetur.

4. *Justitiam sitit David. Obtrectationi locum non dat.* — Sed hunc corporis sui parietem, quem ante libido, ebrietas, avaritia, ira perfoderat, jam in se in domum Dei vivis lapidibus extructum esse non nescit, et in imaginem Dei creatum esse recolit : certusque conformem se Dei gloriæ præparari, subjecit, VERS. 5 : *Verumtamen honorem meum cogitaverunt repellere, cucurri* (*c*) *in siti.* Illis honorem suum detrahere cogitantibus, ille in siti cucurrit. (*d*) Est enim sitis bonorum æternorum et spiritalis esuries in sanctis, de qua dictum est : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam* (*Matth.* v, 6). Cursum ergo justitiæ suæ (*e*) sitiens tenuit omnem vitam integram etiam ab ipsa contradicentium sibi obtrectatione conservans. Nam et a Domino suo didicit, ut opera omnia sua etiam gentilis testimonii judicio laudentur, cum dicitur : *Sic luceant opera vestra coram hominibus, ut magnificent Patrem vestrum qui est in cœlis* (*Ibid.*, XVI). Sic et Paulus (I *Cor.* x, 33) placens (*f*) omnia in omnibus, neque Judæis, neque Græcis, neque Ecclesiæ scandalum est; ne habeat adversarius male de se quid loqui, illo quidem obtrectandi studium voluntatemque retinente, quamvis se ille liberum ab omni obtrectationis occasione præstaret; quod et 168 in hoc sancto in siti currente cognoscimus. Sequitur enim : *Ore suo benedicebant, et corde suo maledicebant :* cum et (3) conservantes (*g*) honorem suum probabilis vitæ confessione benedicerent, et interioris odii malignitate maledicerent.

5. *Patientiam interim colit.* — Sed id quod sibi maxime salutare est, sanctus iste etiam diapsalma interveniente congeminat, indefessæ in nobis confessionis perseverantiam oportere esse demonstrans. Sequitur enim, VERS. 6-10 : *Verumtamen Deo subjecta est anima mea, quoniam ab ipso est patientia mea. Quia ipse est Deus et salvator meus, adjutor meus, non emigrabo. In Deo salutare meum, et gloria mea, Deus* (*h*) *auxilii mei, et spes mea in Deo meo.* Impellant quidem isti inclinatum parietem, maceriamque jam quassam, et benedicente licet ore, corde maledicant : scit tamen subjectam animam suam Deo esse oportere quia ab ipso patientia sua sit. Didicit enim ab eo non avertere faciem a sputamentis, nec subtrahere alapis maxillas, nec potandum cum felle acetum renuere, nec post colaphos et flagella maledicere. Ipse enim Deus suus est atque salvator, ipse etiam adjutor, ne de patientiæ hujus perseverantia speique suæ fiducia motus emigret. In eo enim est salus et gloria ejus et spes, qui se coexcitatum sibi, conformem sit cœlesti suæ gloriæ redditurus.

6. *Ad cordis effusionem alios excitat. Quid illa sit.* — Et quia spei hujus ipse etiam cæteris, ut propheta, sit prædicator; subjecit : *Sperate in eum omnis cœtus plebis, et effundite coram illo corda vestra; quia Deus adjutor noster est.* Nihil occultum, nihil clausum, nihil obligatum sub Dei confessione in corde retinendum est. Effundendus coram eo omnis affectus est : ut nihil de nobismetipsis fiduciæ sit, sed ut per eum, ante quem nos tanquam pro peccato effun-

(1) *Est reliquum.*
(2) *Obtrectationem formasse.*
(3) *Conservant.*

(*a*) Difficilior quippe videtur animæ cum corpore, seu incorporei cum corporeo, quam Dei incorporei cum homine secundum animam incorporeo conjunctio. Mentem Hilarii illustrat Augustinus, l. x de Civ. Dei, c. 29 : « Quid vobis, » inquit adversus Porphyrium et Platonicos, « incredibile dicitur, cum Deus dicitur assumpsisse humanam animam et corpus?... Facilius quippe in fidem recipiendum est, etsi humanum divino, etsi mutabile immutabili, tamen spiritum spiritui, aut, ut verbis utar quæ in usu habetis, incorporeum incorporeo, quam corpus incorporeo cohærere : » quod postremum quotidie fit in homine. « Nam, » inquit epist. alias 3, nunc 137, n. 11, « Si anima in sua natura non fallitur, incorpoream se esse comprehendit : multo magis incorporeum est Verbum Dei : ac per hoc Verbi Dei et animæ credibilior debuit esse permixtio, quam animæ et corporis. » Idipsum non minus luculenter exponit ipse vel alius, Ser. 371, c. 3.

(*b*) Apud Par. *voluptas sit :* prave, ut liquet ex sequenti relativo *quam.*

(*c*) Editi hic et deinceps, *in sitim :* renitentibus mss. et græco.

(*d*) Reg. ms. *Etenim sitis bonorum æternorum est spiritalis*, omisso *esuries.*

(*e*) Vulgati, *sciens* : emendantur ex ms. Vatic.

(*f*) Editi hic præferebant particulam *per :* quæ abest a Reg. ms. ut et a græco, et supra in psal. LII, n. 16, ubi deinde *omnibus* sine *in*, consentiente græco.

(*g*) In ms. Mic. *conservant.* Nihil immutandum, Hic indicantur qui probabilis vitæ viros exterius laudant, dum interiori odio discerpunt.

(*h*) Apud Par. *auxilium meum.* Mox reponimus ex Reg. ms. *in Deo meo*, ubi vulgati præferebant *in Deo est.*

dimus, adjuvemur. Effundenda autem coram eo corda nostra lacrymis et fletibus sunt; secundum illud : *Fuerunt mihi lacrymæ meæ* (*a*) *panis die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie : Ubi est Deus tuus? hæc recordatus sum, et effudi in me animam meam* (*Ps.* XLI, 4); effusionem animæ in lacrymarum profusione esse demonstrans, quia per eas rogandus est, qui est solus fidelis adjutor.

169 7. *Apud vanos nil proficit. Vani mendaces.*—Sed officio suo functus propheta, admonitionem suam parvi apud impios scit esse momenti : nam continuo diapsalma intercedente subjecit, VERS. 10 : *Verumtamen vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris; ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum.* Vani homines (1) quia aut ipsi vana sperent, aut in eos sperare sit vanum (*b*), mendaces quoque; quia impietatis suæ sensu aut falluntur, aut fallunt : et in eo mendaces, ut decipiant in stateris, sub justitiæ scilicet nomine injusta peragentes. Nam ubi examen de se moderatæ prudentiæ pollicentur, ibi studia immoderatæ impietatis exercent : errore se ipsos, quem a cæteris depellere se professi sunt, implicantes. Et idcirco *ipsi de vanitate in idipsum*, illo scilicet recidente, ex quo se excedere gloriantur.

8. *Divitiarum cupiditas resecanda.* — Sed radix maxime iniquitatem in pecuniæ cupiditate est : quam qui appetit, gravissimæ tempestatis naufragio mergitur. Sequitur enim, VERS 11 : *Nolite sperare in iniquitate, et in rapinas nolite concupiscere. Divitiæ* (*c*) *si fluant, nolite cor apponere.* Magnæ enim in hisce desiderii sui et amoris illecebræ sunt : rapiunt ingenia, mentesque pendulas apprehendunt. Non solum itaque non concupiscendæ earum rapinæ sunt, verum ab his voluntas nostra, etiam si præbeantur (*d*) fluantque, referenda est; ne desideratæ cupitæque dominentur. Non enim hæc spebus nostris bona sunt coæterna, neque nobiscum aut condescendunt in infernum, aut conresurgunt de inferno. Fides, pietas, continentia, benignitas expetenda est : et maxime Dei cognitio sectanda est. Cæterum hæc vana, et per naturam sui ad omnem iniquitatum necessitatem captiosa vitanda sunt.

9. *Pater et filius unus Deus. Potestas utriusque una.*— Et quod illud magis ad spem æternitatis expetendum esset, propheta subjecit, dicens, VERS. 12, 13 : *Semel locutus est Deus, duo hæc audivi, quia potestas Dei est, et tibi, Domine, misericordia, quia tu reddes unicuique secundum opera ejus.* Semel Deo loquente duo audivit : et necesse est ea sibi esse connexa, quæ sub unius sermonis significatione sunt cognita. Ad Deum namque in exordio psalmi (2) propheticam (*e*) confessionem retulerat, dicens : *Nonne Deo subdita erit anima mea? ab ipso enim salutare meum.* Depellendus itaque absolute fuit Judaicæ impietatis furor : ut in Deo patre significari doceretur et Filius, ut nunc in uno etiam alter ostenditur. Eam enim fidem subdendæ Deo animæ suæ esse testatus est; quia ab ipso esset salutare ejus (3). Et salutarem Jesum esse sæpe tractatum est. Semel autem Deo loquente duo intellecta sunt et audita : **170** sicut illud : *Pater, manifestavi nomen tuum hominibus* (*Joan.* XVII, 6), in Patre significavit et filium, (*f*) uti nunc semel loquente Domino Deo duo hæc audivit : *Quia potestas Dei est, et tibi, Domine, misericordia, quia tu reddes unicuique secundum opera ejus.* Novit Paulus in uno utrumque, id est, neutrum sine altero confiteri, dicens : *Unus Deus est, et unus Dominus* (1 *Cor.* VIII, 6), quia et in Deo Dominus, et Deus significetur in Domino. Semel itaque loquente Deo hæc duo audiuntur : *Quia potestas Dei est, et tibi, Domine, misericordia.* Ab ipso enim Salutare ejus est; et Filius omnia accepit a Patre : et idcirco in eo Dei potestas vel accepta vel nata est. *Pater enim non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio* (*Joan.* V, 22). Retributor ergo uniuscujusque est ille, qui judex est. Sed potestas ejus est, a quo unigenitus Deus est natus in judicem; et potestas ejus a Deo est, qui judicium accepit a Patre : atque ita nec caret potestate qui judex est, nec miseratione qui Deus est. Certe necesse est æterni judicii reus maneat in uno utrumque non confitens, cum tamen non unus intelligendus sit esse, qui uterque sit, dicens : *Pater in me, et ego in Patre* (*Joan.* X, 38), Dominus noster Jesus Christus, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS LXII.

Psalmus David, cum esset in desertum Idumææ.

Deus Deus meus, ad te (*g*) *diluculo video : sitivit in te anima mea, quam simpliciter caro mea.* (*h*) *In deserto et invio et inaquoso, sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam, et gloriam tuam. Quia melior misericordia tua super vitam, labia mea laubabunt te* (*i*). *Sic benedicam te in vita mea : in nomine tuo levabo manus meas. Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea; et labia exsultationis laudabunt nomen tuum. Si* (*j*) *memor fui tui supra stratum meum, in matutinis* (*k*) *meditabor in te, quia fuisti adjutor meus. Et in velamento alarum tuarum* (*l*) *exultabo : adhæ-*

(1) *Qui aut.*
(2) *Profetica confessione.*
(3) *Salutaris ejus.*

(*a*) Ita juxta græc. Reg. ms. Editi vero *panes.*
(*b*) In vulgatis, *vani homines ipsi vana sperant, aut in eo sperare sit vanum :* lectio mutila, quæ resarcitur ope mss.
(*c*) In græco ἐὰν ῥεῖ : quod expressius reddit ms. Reg. *si fluant*, quam vulgati, *si affluant.*
(*d*) Ita ms. Reg. et Mic. At excusi, *affluantque refrenanda.*
(*e*) In mss. Mic. et Reg. *prophetica confessione.*
(*f*) Par. *ut in uno semel*, etc. Non displiceret, *ita nunc.*
(*g*) Hil. *de luce vigilo.*
(*h*) Al. *terra deserta et in invia et inaquosa.*
(*i*) Hilarius addit, *Domine.*
(*j*) Hil. *memoratus sum tui.*
(*k*) Hil. *meditabar.*
(*l*) Infra, *sperabor.*

sit anima mea post te, me suscepit dextera tua. Ipsi vero in vanum **171** *quæsierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt. Rex vero lætabitur in* (*a*) *Domino* : (*b*) *laudabitur omnis qui jurat in eo ; quia obstructum est os loquentium iniqua.*

TRACTATUS PSALMI.

1. *David Christi typus in deserto rebus divinis intentus.*—VERS. 1. David in deserto habitasse libro Regnorum continetur (I *Reg.* XXII, 5) : ut qui passiones Domini præfigurabat, etiam tum eas cum desertum habitat prophetaret, unigenito Deo æque in deserto moraturo. Sed ut sancto viro congruum, et tanto propheta erat dignum, cum declinans odia impiorum solitudini se dedisset : maximis rerum cœlestium sacramentis occupatur, et ab omni humanæ aut impietatis aut ignorationis cœtu remotus, animum ad ea quibus æternitatis cognitio ac meritum acquirebatur intendit. Non occupatus, non impeditus communium rerum ac sæculi curis, sed in illo solitudinis suæ quieto otiosoque secreto, cum nihil in oculos et in mentem offensionis incurreret, solis est divinis studiis (*c*) negotiosus. Et videamus unde psalmi sermo sit cœptus.

2. VERS. 2. *Deus Deus meus ad te* (*d*) *de luce vigilo.* Huic plane ad gratulationem cognitionemque Dei dies cœpta est, cui idipsum orandi ad Deum initium, quod lucis est. Deum quidem universitatis, sed tamen per cognitionis scientiam Deum suum, deprecatur.

3. *Æternitatis spes nobis insita. Insitum et animas esse a Deo. Ut animæ, ita carnis erit æternitas. Distinguantur. Sitis David spiritalis. Videre Deum sitit.* — Oratio autem non tam verborum est, quam affectus : et idcirco subjecit, VERS. 3 : *Sitivit tibi anima mea, quam simpliciter caro mea, in terra deserta, et in invia et inaquosa.* Deo igitur, penes quem fons vitæ est, anima ipsius sitit, desiderio intenta potandi. Et quidem uniuscujusque mens ad cognitionem (*f*) spemque æternitatis naturali quodam fertur instinctu : quia veluti insitum impressumque omnibus **172** sit, divinam inesse nobis animarum originem opinari, cum non exiguam cœlestis, in se generis (*g*) cognationem mens ipsa cognoscat. Porro autem terrena hæc corpora, quæ ad vitiorum concreta materiam sunt, dum his quibus quasi naturaliter delectantur infecta sunt, desperant (2) se (*h*) consequi posse consortium munusque cœleste : quasi non et animæ naturam vitia corporis, quibus oblectatur (*i*), inficiant; aut cum delectatio corporis redundet ad mentem, non et mentem secum corpus retrahat ad oblectationis affectum. Necesse est autem ut in eadem condemnatione sit voluptatis, quod in eadem est voluptate (3). Sed nos spiritalibus doctrinis eruditi, scimus et anima et (4) corpori salutem a Deo esse datam, si modo post regenerationis gratiam mentis gaudiis sensus corporis imbuatur, id est, si non secundum carnem, sed secundum spiritum vixerimus (*Rom.* VIII, 4) : quia spiritus carnisque opera, secundum Apostolum (*Gal.* V, 19 *et seq.*) vitiorum et continentiæ studiis (5) distinguantur (*j*). Arduum autem, sed maxime verum est, æternitatem ita corporis ut animæ sperare. Et ideo ad sitim animæ propheta subjecit : *Sitivit tibi anima mea, quam simpliciter caro mea*, nihil in se sub infidelitatis ambiguitate retinens incertum : sed (*Subaud.* profitetur quod) tam simpliciter, quam anima Deo sitiens, et caro sua sitiat. Sitit enim non corpori, sed Deo sitiens. Nam quamvis eum in deserto et in invio et inaquoso manentem necessitas ipsa naturæ ad sitim corporis detineret : tamen etiam per has inediæ et sitis passiones scit fidem probandam esse credentium; ut magis esse credamus, sed creaturam; nec de Deo natam, sed ab illo factam, atque in ejus genus adoptandam mirabili dignatione, non parili dignitate naturæ. Hilarii quoque sententiam illustrant hæc Prudentii Apoth. v. 829 :

> Sit res illa Dei, non abnuo; pars tamen illa
> Haud quaquam dicenda Dei est, quæ tempore cœpit.

Et v. 853 :

> Illa quidem flatus Domini est, sed spiritus et vis
> Non est plena Dei, tanto moderamine missa,
> Quanto flans voluit flandi servare tenorem.

Quod vero Quintilianus, l. I, c. I, ait, *Origo animi cœlestis creditur ;* necnon illud Tullii sub finem lib. II de Fin. : *Doctissimi veteres in animis inesse quiddam cœleste et divinum putaverunt*, confirmat quod hic asserit Hilarius hominibus velut insitum.

(1) *Et caro mea.* Exinde, *et invia* cum Græco, καὶ ἀβάτῳ.

(2) *Si* non *se.* Deinde omittitur, *consequi posse.*

(3) *Voluntate.*

(4) *Corporis*, mox *donatam.*

(5) *Distinguitur.*

(*a*) Hil. *Deo.*

(*b*) Hil. addit *et.*

(*c*) Ms. Mic. *otio usus.*

(*d*) Par ex. ms. Mic. *diluculo.*

(*e*) Reg. ms. hic et infra, *quam multipliciter :* cui versioni repugnat subjecta enarratio. Hilarii interpres pro græco ποσαπλῶς, legerit necesse est πῶς ἁπλῶς. Deinde editi excepto Par. *in terra deserta et in invio et inaquoso.* Legit inferius Hilarius, *in deserto et in invio*, etc.

(*f*) Apud Bad. et Er. *spem æternitatis.* Exinde vox *spem* a Lipsio expuncta mansit. Huic subjungimus particulam *que* cum mss.

(*g*) In Reg. ms. et uno Vatic. *cognitionem.* In quo autem sit illa in anima divini generis cognatio, disseritur in psal. CXXIX. Ita autem Deo cognatam prædicat, ut et factam doceat, *cum omnis anima opus Dei sit*, inquit, lib. X de Trin., n. 20. Atque ita nihil ei commune cum errore, cujus suspicione laborat Origenes, quemque Augustinus, hær. 70, priscillianistis tribuit, qui volunt animam esse partem Dei, ejusdem naturæ et substantiæ cujus est Deus, ipse potius præ-lusit Augustino hanc de animarum origine, epist. 190, n. 4, tradenti regulam : « ut non eam partem Dei

(*h*) In Reg. ms. *si* non *se.* Mallemus *hi.* Deinde in eodem ms. desideratur *consequi posse.*

(*i*) Editi *oblectantur.* Rectius ms. Reg. *oblectatur*, scil. anima.

(*j*) Ex codice Turon. sic emendamus. In excusis, *distinguatur.*

anima Deo, quam corpori sitiat, siliens et corpori : quia neque fames, neque angustiæ, neque ulla genera passionum a charitate Dei quæ est in Christo sint Apostolum separatura (*Rom.* VIII, 35). Sitit ergo Deo sanctus. Et quid sitiat, psalmo alio testatus est, cum dicit : *Sitivit anima mea ad Deum vivum, quando veniam et parebo ante* (1) *faciem tuam* (*Psal.* XLI, 3) Hoc animæ desiderium, hæc sitis spei ejus est, ut Dei sibi proveniat adspectus, ut quamprimum raptus **173** in nubibus, Deo Christo obviam elevatus appareat.

4. Prophetia pro gerendis refert gesta. Filio apparens, apparet et Patri. — Et desiderii hujus affectum nunc quoque prophetа declarat. Nam post sitis protestationem, post deserti et invii et inaquosi inopiam, quia in his veluti militia et victoria sit fidei, subjecit, VERS. 4 : *Sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam, et gloriam tuam : quia melior misericordia tua super vitam.* (*a*) Prophetiæ scientia est pro gerendis gesta memorare. Et hinc frequens auctoritas est, cum aceto potaverunt adhuc passione potandum (*Ps.* LXVIII, 22), cum disciderunt vestem (*Ps.* XXI, 19), quæ discindenda post esset. Ut nunc in siti corporis Deo sitiens, ei in Sancto suo talis apparet, in simplicitate carnis, in siti animæ, in oratione diluculi : quia non nisi per hæc probati, vel assumpti habebuntur a Christo, vel ei obviam rapientur in nubibus. Sed in Sancto Dei non aliter apparebunt Deo, quam secundum illud : *Qui me vidit, vidit et Patrem* (*Joan.* XIV, 9); atque illud : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30). Quia in Filii et natura et nomine, paternæ naturæ ac nominis significatio continetur; apparens Filio (*b*), vel susceptus a Filio, Patri apparebit in Filio.

5. Sanctum sitiens, videre Filium cupit. — Atque ut in sancto appariturus Deo, cujus sancti (2) desiderium (*c*), in hac sitis suæ significatione ostenderet; subjecit : *Ut viderem virtutem tuam, et gloriam tuam :* eum videlicet ut videret, qui secundum Apostolum (I *Cor.* I, 24; *Phil.* II, 11) et Virtus Dei est, et in gloria Dei est : visurus autem non ad aliud, quam ad consortium æternitatis merendum, et ad regni cœlestis æternitatem sortiendam : quia hæc per misericordiam Dei ultra vitæ hujus beatitudinem præparentur.

6. Vita præsente præstat spes futura. Resurrectio Dei misericordia. — Id enim sequitur, VERS. 4 : *Quia melior est misericordia tua super vitam.* Magnum quidem Dei munus est, quod venimus in vitam : et ipsa natura duce nasci nos gratulamur. Sed quia plena omnis anxietatum ac dolorum ætas nostra est, plus in misericordia Dei spei est, quam in vita : quia hanc mors ex peccati lege consequitur, hæc vero æternitatem ex morte restituit. Sicuti tritici satio ac dissolutio ipsa tritici conservatione præstantior est (I *Cor.* XV, 37, 38); hoc enim Deus prout vult vestit in spica : **174** ita magnum misericordiæ Dei munus est, si commortui Christo vivamus in Christo. Nam et ipsa Adæ mors, ne in æternitatis pœna maneret, sub misericordiæ significatione est constituta, et Apostolus dissolvi se, melius sibi esse decernit (*Philipp.* I, 23). Et propheta gaudium (*d*) mansuræ se mortis ostendit, dicens : *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus* (*Ps.* CXV, 15); (3) quia per eam (*e*) peccati lege resoluta, cum denutationis gloriosæ profectu, æternitas animæ corporisque jam sine peccati corpore rependetur.

7. Manuum elevatio opus arduum. Vita in Abrahæ sinu. Vita alia beatior.—Certus ergo misericordiæ Dei, quæ supra vitam melior sit, propheta officium gratulationis exsequitur, dicens, VERS. 5 : *Labia mea laudabunt te, Domine. Sic benedicam te in vita mea, et in nomine tuo levabo manus meas.* Et sermone suo et opere laudat Deum atque benedicit; nam in vita sua benedicens, in nomine suo manus suas elevabit. In elevatione manuum non habitum orandi, sed excelsi operis (*f*) indicium significari frequenter docuimus. In hac igitur vita sua Deum, quia misericordia ejus supra (*g*) vitas sit melior, laudavit. Est enim et vita post vitam, quia in Abrahæ sinibus vivendum est, in qua Dei nomen (4) pauperis quiete benedicitur; secundum illud prophetæ : *Non mortui laudabunt te,*

(1) *Ante faciem Dei* juxta græcum textum.
(2) *Desiderio.*
(3) *Quia per eum cum peccati lege resolutis demutationis.*
(4) *In pauperis quietem.*

(*a*) Excusi excepto Par. *propheticæ scientiæ est.*

(*b*) In vulgatis perperam hic denuo sumitur : *Apparens autem filio.* Notatu dignum est quomodo hic distinguat Hilarius eos *qui assumpti habebuntur a Christo*, et eos *qui ei obviam rapientur in nubibus.* Hinc enim solvitur ænigma de distinctione regni Christi, et regni Dei : ut primo loco recenseantur beati ante resurrectionem, non regnantes nisi in glorioso Christi corpore, qui idcirco passim prædicantur cum Christo coexcitati et a dextris Dei collocati, altero autem post resurrectionem jam regnantes in proprio.

(*c*) Post *desiderium* subaud. *ei inesset*, aut quid simile. Nec displicet cum ms. Reg. *desiderio*, subaud. *sitiret.*

(*d*) Bad. Fr. Lips. et Reg. ms. *mansuræ sibi mortis.* Unus codex Vatic. *mansurum ex morte.*

(*e*) Sic ms. Turon. In Reg. *quia per eum. Deinde in* editis, *cum peccati lege resolutis demutationis*, etc. Sed nitidior, quam expressimus, ms. Turonensis lectio.

(*f*) Editio Par. *indictum.* Aliæ, *judicium.* In psalm. CXL, habetur, *officium.* Sed hactenus in Tractatibus quos modo habemus, de hujusmodi significatione nihil dictum.

(*g*) In ms. Reg. etiam hic *vitam.* Licet in superioribus Hilarius prætulerit *vitam*; hic tamen cum græco *vitas* legisse credendus est. Aperte enim triplicem distinguit vitam, primam in sæculo doloribus et anxietatibus plenam, n. 6; alteram in sinu Abrahæ quietam et laudibus Dei vacantem; postremam his duabus beatiorem, quæ quod oculus non vidit, etc., percipiat. Hæc *misericordia* nuncupatur : *nec ideo*, ut Augustini ep. 194, n. 19, verbis utamur, *quia non meritis datur, sed quia data sunt et ipsa merita quibus datur.* Addimus, apud Augustinum, lib. II cont. Jul., c. 8, n. 29, ubi Hilarii verba ex Tract. ps. LI, n. 23, laudantur, ex mss. restitutum esse *super vitas.*

Dominè, neque omnes qui descendunt in infernum; sed nos qui vivimus, benedicimus Dominum (*Ps.* CXIII, 17, 18). Super has igitur vitas misericordia ea est, quæ quod oculus non vidit, et auris non audivit, et in cor hominis non adscendit, his qui Dominum diligunt præparavit (I *Cor.* II, 9).

8. *Viva et intelligenti hostia colendus Deus.* — Hanc igitur laudat atque benedicit, non etiam nunc ab holocaustis pecudum, adipisque pinguedine sacrificia legis exspectans, sed in sola animæ confessione benedictionisque laude se ipsum Deo hostiam statuens; secundum illud: *Sacrificium laudis honorificabit me* (*Ps.* XLIX, 23); et illud: *Immola Deo sacrificium laudis* (*Ibid.* 14), et illud: *Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique, holocaustis non delectaberis* (*Ps.* L, 18): quia litteræ ac (*a*) legis allegoricorum præscriptione cessante, Deus vivæ intelligentisque hostiæ sit laudibus honorandus. Subjecit enim, VERS 6: *Sicut adipe et pinguedine repleatur* 175 *anima mea, et labia exsultationis laudabunt nomen tuum.* Neque illa quasi abominanda condemnat, sed hæc ut magis exspectata confirmans; cum sicut adipe et pinguedine, quæ sacrificiorum primitiæ habebantur, repleri animam suam exsultationis laude deposcat.

9. *Meditatio Dei nocturna et matutina.* — Verum hæc non tam verborum officia quam mentis sunt, ut sacrificium laudis ex operum sanctitate descendat. Itaque continuo subjecit, VERS. 7: *Si memoratus sum tui supra stratum meum, in matutinis* (*b*) *meditabar in te.* Meditationem matutinam recordatio nocturna consummat: et idcirco de luce ad Deum vigilat, quia ex strati, id est, ex lectuli puritate, et fiducia et conscientia orationis est matutinæ. Obrepentes itaque sub secreto noctis cogitationes, Dei recordatione compressit: seseque adversum carnis incentiva luctantem, metus nominis Dei sui juvit. Sequitur enim, VERS. 8: *Quia fuisti adjutor meus, et in velamento alarum tuarum sperabo,* Dei se meditatione, per quam sibi adjutor est, protegente. Non enim ei alia quam placendi Deo cura est, cujus tantum in strato meminit. In eo quoque (1) in matutinis ex nocturna recordatione meditatur, quia adjutor suus est: et sub velamento alarum ejus exsultat, id est, tegmine protegentis est tutus.

10. *Amore sibi hærent etiam dissiti.* — Sed horum omnium hinc profectus, hinc causa est, quia sequitur, VERS. 9: *Adhæsit anima mea post te, me suscepit dextera tua.* Amoris hæc vis est, ut his quos amamus, etiamsi absentes sint, hæreamus: dum affectum insitum nequaquam aut locus divellit, aut tempus. Adhæsit ergo Deo propheta, non blandimentis sæculi, non corporis vitiis amorem suum ab eo charitatemque retrahentibus: quia, secundum Apostolum (I *Cor.* VI, 17), adhærenti Deo unus est spiritus (*c*) et Dominus pro discipulis oravit: *Pater, sicut nos unum sumus, ut et illi unum sint in nobis* (*Joan.* XVII, 22). Adhærens ergo Deo, susceptus a Dei dextera est: id est, per virtutem Dei, quæ significatur in dextera, ab eo, qui Dei et Virtus et Sapientia et Verbum caro est factus, assumptus est, conformis gloriæ corporis jam futurus.

11. *Justorum securitas, iniquorum sors. Vulpes, dæmones.*—(2) Et qui (*d*) susceptus est a Dei dextera metum omnem a se qui ab inimicis suis esse possit abjecit, et fiduciæ suæ non tacuit securitatem, neque justi judicii Dei ignorat severitatem dicens, VERS. 10 et 11: *Ipsi autem in vanum quæsierunt* 176 *animam meam, introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.* In vanum itaque animam suam quæsierunt. Secundum enim Evangelium (*Matth.* X, 28) homo cum corpore animam non perimit, et misericordia Dei melior (3) super vitas est, et hic jam susceptus a dextera Dei est. Terræ autem inferiora introibunt, (*e*) quia chao invio separantur a sanctis (*Luc.* XVI, 26): et in manus gladii tradentur; quia secundum divitem potestas pœnæ, quæ in ore gladii significatur, in impios exseretur. Partes etiam vulpium erunt, fallacium bestiolarum sortem adepturi: quia et Herodes est (*f*) vulpes (*Luc.* XIII, 32), et vineam sponsi exterminant vulpes (*Cant.* II, 15), et foveam sibi filio hominis caput suum nusquam reclinante in impiorum cordibus condiderunt (*Luc.* IX, 58): et dæmonum in his significatas esse nequitias non dubium est, quibus cum principe eorum præparatus ignis gehennæ est.

12. *Christus agnoscendus Deus, nec jam fas est negare.* — Sed inter hæc lætitiam ejus, qui ob humanæ salutis gaudium frequenter ad Patrem (*g*) exsultavit, ostendit, VERS. 12: *Rex autem lætabitur* (4) *in Deo, et laudabitur omnis qui jurat in eo: quoniam obstructum est os loquentium iniqua.* Causam cur rex lætetur significat, quia quisquis in eo jurabit, in Deo sacramenti hujus religione laudabitur: qui sciat scilicet regem Christum Jesum, qui etiam Deum super omnia (*Rom.* IX, 5), qui secundum Paulum testetur magni Dei salvatoris adventum (*Tit.* II, 13), qui secundum Esaiam (*Esai.* LXV, 16), (5) jurans (*h*) jura-

(1) *Matutinus*, non *in matutinis*.
(2) *Et quia*.
(3) *Super vitam est, et hinc*.

(4) *In Domino, laudabitur*.
(5) *Jurans in Deo jurabit*.

(*a*) Apud Par. *legis allegoricæ*.
(*b*) Ita Reg. ms. juxta græcum, ἐμελέτων. Sic quoque deinceps de meditatione sermo est ut de re præterita, non autem futura: ac perinde male in vulgatis exstabat, *meditabor*.
(*c*) Vulgati hic subjiciunt *cum eo*: quod verius abest a ms. Reg. ut et a græco apostoli textu.
(*d*) In Turon. *Et quia*.

(*e*) Reg. ms. *quæ a chao*.
(*f*) Reg. ms. hic et alibi, *vulpis*.
(*g*) Apud Par. verbum *exsultavit*, in aliis autem edit. verbum *ostendit* desideratur. Sed Erasmus ut sensum perficeret, post verba *sed inter hæc*, adjecit *audi*: renitentibus mss.
(*h*) Reg. ms. *jurans in Deo*. Magis placeret *jurans in eo* vel *in eum*. Ut hic, ita lib. V de Trin., n. 29,

vit in Deum verum. *Obstructum* enim *est os loquentium iniqua*; quia prædicetur ex lege et ex prophetis; atque ab Apostolo in eo nos ante constitutionem mundi, et elegisse Pater, et benedixisse doceatur (*Ephes.* I, 3, 4), et ipse nos (*a*) coexcitaverit et collocaverit a dextris Dei in cœlestibus (*Ibid.*, 20), et cum videbunt eum in majestate sua judicare de vivis et mortuis. Per hæc itaque obstructur os loquentium iniqua. Ipse enim est rex in æternum, et in nomine Domini Jesu Christi omne genu flectetur, cœlestium, terrestrium, et inferorum : et omnis lingua confitebitur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei patris, qui est benedictus in omnia sæcula sæculorum (*Phil.* II, 9). Amen.

177 PSALMUS LXIII (1).

In finem psalmus David.

Exaudi, Deus, orationem meam cum (*b*) *deprecor ad te : a timore inimici eripe animam meam. Protexisti me a conventu malignantium, a multitudine operantium iniquitatem* : (*c*) *quia exacuerunt ut gladium linguam suam, intenderunt arcum rem amaram : ut sagittent in occultis* (*d*) *immaculatum. Subito sagittabunt eum, et non timebunt ; firmaverunt sibi verbum malum. Disputaverunt ut absconderent laqueos : dixerunt : Quis videbit eos? Scrutati sunt iniquitates, defecerunt scrutantes scrutinio. Accedet homo* (*e*) *ad cor altum, et exaltabitur Deus. Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum, et nihil habuerunt contra eos linguæ eorum. Conturbati sunt omnes qui videbant eos, et timuit omnis homo. Et annuntiaverunt opera Dei, et facta ejus intellexerunt. Lætabitur justus in Domino, et sperabit in eo, et laudabuntur omnes recti corde.*

TRACTATUS PSALMI.

1. *Psalmus iste spiritaliter intelligendus.* — VERS. 1. Psalmi superscriptio historiam non continet. Simplex est, et prophetali spiritu editus : tantum per id quod *in finem* præscribitur, res non sui temporis quo scriptus est continere testatur. Sed quærendum est, ex qua persona sit dictus, quidve ex se intelligendum enuntiet : nam sine dubio esse spiritalis est opinandus. Cum enim ipsi illi psalmi, qui secundum titulorum inscriptiones res gestas continere creduntur, in plurimis a tituli sui et rerum ac personarum proprietate dissentiant, magisque per editiones nominum atque gestorum, spiritalium operationum significent effectus quid de eo erit intelligendum, in quo simplex tantum psalmi *in finem* intelligendi inscriptio continetur; nisi quod spiritalis in eo doctrinæ forma sit constituta?

2. **178** *Omnia psalmorum dicta ad Christum referentes laudandi, non probandi.* — Esse autem plures memini, qui omnia quæ in libris psalmorum scripta sunt, ad personam Domini nostri unigeniti filii Dei existiment esse referenda (*f*), nihilque in eis aliud, quam quod ei sit proprium, contineri. Quæ eorum opinio argui non potest. Omnis enim ex affectu religiosæ mentis hic sensus est : et caret culpa, propensione studio omnia ei per quem ipsa omnia sunt coaptare. Quamquam enim idipsum interdum imperite fiat, tamen per id quod ad eum cuncta referuntur, necesse est ut ea, quæ ei sunt propria, vere ac fideliter prædicentur. Cavendum autem est, ne dum omnia convenire in eum æqualiter opinamur, per assertionis hujus studiosam intentionem plurimum et divinitatis suæ dignitati, et corporationis sacramento, et operationum potestati, et passionis virtuti, et resurrectionis gloriæ detrahatur.

3. *Quomodo ad Christum referri recte queant.* — Tenendus igitur modus est, et diligenter ac caute (*g*) constituendum est, quid de divinitatis suæ nativitate quæ ei a Patre est fuerit prophetatum, quando ejus hominis quem assumpsit (*h*) persona tractetur, ubi operatio, passio, et resurrectio prædicetur : quid vero unicuique tempori congruat, quando fides gentium nuntietur, quando peccata anterioris populi arguantur, quando doctrina timoris Dei et confessionis eruditio ex prophetæ oratione præstetur. In his enim prophetiæ spiritalis ordo consistit. Et si Dominus prædicatur, profectus scientiæ hujus ad fidem utilis est. Si ad timorem et confessionem ejus docemur; Domino formamur, proficimus, acquirimur, ut per passionem ejus redempti, ita eidem per doctrinæ suæ instituta placituri.

4. *Psalmo præsenti quædam aptari possunt Christo.* — Esse autem in præsenti psalmo quædam intelligo, quæ ei homini quem Dominus assumpsit aptari posse videantur, ubi dicitur : *Perscrutati sunt* (*i*) *iniquitates, defecerunt scrutantes scrutinio.* Significari enim forte in eo existimabitur Judæorum conspiratio : cum testimonia quibus argui posset quæruntur, nec reperiuntur, et omnia scrutantium ingenia deficiunt : dehinc quod sagittis parvulorum, id est, doctrinis Apostolorum vulnerentur, adversum quos nullam causam justæ persecutionis invenerint, et ideo defecerint contra ipsos linguæ eorum. Hæc quidem non ex his Isaiæ verbis próbat Hilarius Christi divinitatem.

(1) In hunc et in subsequentes duos Tractatus variantes Veronensis codicis lectiones hic non afferimus, quod ab editis longe abeuntes integros exscripsimus, et in præmissa Dissertatione exhibuimus.

(*a*) Bad, et Er. *exercitaverit.* Lips. et Par. *excitaverit :* corriguntur ex mss.

(*b*) Hilarius infra *tribulor*, omisso *ad te.*

(*c*) Hilarius, *qui... linguas suas.*

(*d*) Infra, *in obscuro.*

(*e*) Hil. *et cor.*

(*f*) Sic ex ms. Turon. Editi, *nihilque in eo aliud.*

(*g*) Turon. codex, *caute contuendum est :* non male.

(*h*) Id est, substantia ac natura. Idem ejusdem vocis usus est in his Tract. psal. CXXXVIII, n. 5 : *Non confundenda autem persona divinitatis et corporis est.* Hilarium autem unicam in Christo personam agnovisse, ita innumeris locis constat, ut illud probare prorsus supervacaneum sit.

(*i*) Regius codex hic et infra, n. 9, *in iniquitates,* posteriore loco consentiente etiam Par. cum *ms.* Mic.

tamqnam improbabilia (*a*) prætermittimus; sed quædam alia in psalmo sunt, quæ ordinem intelligentiæ hujus impediant. Non longe tamen ab his sermo expositionis nostræ dissentiet.

179 5. *Est psalmus justi cujusque inter procellas sæculi. Tentationes variæ.* — Existimamus enim non modo Apostolorum qui primi fuerunt, sed cujusque sancti in Domino sperantis confessionem præsenti psalmo contineri. Inter maximas enim sæculi tempestates, et gravissimas humani generis in Deum impietates sumus constituti : cujus per nos fidelem et veram confessionem nunc philosophia irrideat, nunc hæreticorum furor incurset, nunc avaritiæ studia condemnent, nunc ambitionis favor inquietet. Quibus omnibus dissimulandis, tolerandis, vitandis et coarguendis, mens nostra nisi per Deum erudita non sufficit. Quantis enim et quam molestis disputationum aculeis Dei providentiam, et principalem atque ininitiabilem in creato ab eo mundo dominatum ejus philosophia impugnat : nunc aquis, nunc terræ, nunc atomis, nunc cœlo Dei nomen indulgens? Quam vero ingenioso calliditatis usu fidei doctrinam hæreticus mentitur? Quanto deinde audientium periculo opum gloriam avarus affirmat? Quanto quoque continentiæ excidio gaudia corporis voluptatum assertor exsequitur? Quam pestifera autem ambitiosorum in honoris adhortatione facundia est? Quibus omnibus pervigil cura, pernox oratio, et æterna ad Deum confessio repugnabit. Ob hæc igitur fidei nostræ et æternæ salutis excidia, propheta orare intelligitur in psalmo, ex persona sua quatenus in Deum sperare nos conveniat ostendens.

6. *Vigilantia et assidua oratione sunt avertendæ. Etiam antequam ingruerint.* — Ait enim, VERS. 2 : *Exaudi, Deus, orationem meam, cum tribulor; a timore inimici eripe animam meam.* Ingruentibus his quæ superius memoravimus, per quæ fides nostra et spes periclitatur, ad eum qui solus mederi his potest refertur oratio. Metus est enim, ne infirmam per naturam et consortium carnis animam, undique subrepentium illecebrarum æstus absorbeat. Adsunt namque quotidie, et pugnant blandimentis fallacibus, quasdam machinas excidii admoventes. Itaque per doctrinam cœlestis eruditionis, pervigilem curam fidei impendere admonemur, timere (*fort.* et timere) insidiantem semper hostem, ne incautam securitatem nostram ipse in speculis positus incurset. Vigilandum ergo in oratione Dei est, et semper orandum : ut cum fatigari anima et affligi subrepentium illecebrarum aculeis cœperit, Deus semper oratus exaudiat, nosque ab his quæ timemus eripiat. Ait enim : *A timore inimici eripe animam meam.* Deus enim non tum tantum orandus est, cum quæ timentur ingruerint; sed timenda ea sunt, quæ cum cœperint adesse dominantur : et semper atque indefessis precibus orandus est, ut nos **180** a timore eorum, quorum dominatum timemus, eripiat. Scriptum est enim in Proverbiis : *Cum vocarem, non exaudistis; et cum extenderem verba, non intendistis; sed inania fecistis consilia mea, et consiliis meis non intendistis. Et ego perditionem vestram irridebo. Erit ergo, cum invocabitis me, et ego non exaudiam* (*Prov.* 1, 24 *seq.*). Propheta ergo, licet prior tempore (*puta, Salomone, cujus sunt proxime dicta*), non tamen eorum quæ postea dicerentur ignarus est; sed impendentibus semper tribulationibus anxius, et ad omnem timorem inimici sollicitus, Deum orat ob ea quæ timet : (*b*) et ut secum in tribulatione sit, et ut exaudiat, deprecatur. Neque enim Dei misericordiam metus noster, sed fides promeretur : et longæ præparationis (*c*) documento opus est, ut mereamur audiri. Meminit ergo propheta ab his se omnibus (*d*) precatu liberari : et docet orationem suam non ex dominatu eorum quæ timuerit (*e*), sed ex metu esse dominatus.

7. *Lingua homicida. Adversus recens renatos intenta.* — Ait enim, VERS. 3-5 : — *Protexisti me a conventu malignantium, a multitudine operantium iniquitatem qui exacuerunt ut gladium linguas suas, intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in obscuro immaculatum.* Non hic propheta arma bellica, nec enses, aut jacula, aut tormenta arcum pertimescit. Omnis enim (*f*) ei in lingua timor est : hujus gladios, hujus spicula metuit. Ab his quidem fide sua tutus est; ait enim : *Protexisti me a conventu malignantium :* sed arcus homicidæ linguæ semper intentus est, et acumen gladii in lingua ejus præsto est. Volant autem letales ejus sagittæ, et non ambiguum est quid efficiant : scilicet *ut sagittent in obscuro immaculatum.* Et proprietas verbi intelligenda est. Non sanctum, non fidelem, non justum, sed *immaculatum* sagittant, cum cui per sacramentum Baptismi sordes et macule veterum criminum recens ablutæ sunt, nondum tamen firmatæ fidei, nondum doctrinis spiritalibus eruditum, nondum contra hæc pugnacis linguæ arma certantem, sed simplicem, et ex novæ nativitatis infantia tenerum. Hunc ergo sine metu contradictionis alicujus, intento jam pridem arcu, per rerum ignorantiam in obscuro positum vulnerabunt. Ait enim, VERS. 6 : *Subito sagittabunt eum, et non timebunt :* naturam simplicem, et (*g*) immaculati novitate imperitam. Hanc enim fallunt, huic occultos laqueos prætendunt, insidiarum secretis latentibus gloriantes.

(*a*) In vulgatis, *præmittimus*. Rectius in ms. *prætermittimus*. Quo verbo Hilarius aliam se a prædictis interpretandi rationem inire quam modeste declarat.

(*b*) In Turon. cod. *et se, cum in tribulatione sit, exaudiat :* minus sincere.

(*c*) Reg. ms. *documento*.

(*d*) Editi excepto Par. *precantem liberari*. Reg. ms. *peccatis liberari*.

(*e*) Regius codex, *sed ex merito esse dominatus*. Apud Bad. Er. et Lips. *sed ex merito esse fidei exauditam :* glossema.

(*f*) Vox *ei*, quæ desiderabatur in vulg. restituitur ope Reg. ms.

(*g*) In vulgatis, *immaculatam*. At in mss. *immaculati :* hellenismus est, quo neutrum pro substantivo nomine ponitur. Aut post *immaculati*, subauditur *status*, vel quid simile.

8. *Fidei præsto sunt semper insidiæ.* — Sequitur enim : *Firmaverunt sibi verbum malum, disputaverunt ut absconderent laqueos : dixerunt : Quis videbit eos?* Tempus discernitur, 181 et inferendi vulneris, et consilii firmati. Nam cum dicitur : *Subito sagittabunt*, futuri temporis opus docetur : cum autem : *Firmaverunt verbum malum*, jam ex præterito consilium firmatæ pridem voluntatis ostenditur. Semper enim excidia adversus fidem præsto sunt, et occultis ac fallentibus insidiis pestiferæ adhortationis doli adjacent, quos a raris quibusque conspici opinantur. Et ideo dictum est : *Absconderunt laqueos, et dixerunt : Quis videbit eos?* Si enim hæreticus pervertere fidem tentet, incredibile est quantis eam dolis subvertere contendat ; si spem æternitatis nostræ philosophus impugnet, mirum in modum omne bonum præsentis vitæ ponet in corpore : omni ingenii sui alacritate ea, quibus doctrinæ cœlestis institutio subrui possit, uterque scrutantes.

9. *Nil valent contra Deum. Mundus non ex fortuitis. Anima immortalis. Carnis resurrectio. Deo cura hominis.* — Sed quid ad Deum humana perversitas ? quid adversus opificem operis ingenium ? Exquirant licet omnibus argumentationis suæ quæstiunculis excidium veritatis ; deficiet tamen in veritatis destructione falsitatis assertio : atque ideo subsequitur, VERS. 7 : *Perscrutati sunt iniquitates, defecerunt scrutantes scrutinio.* Defectio scrutantium, defectionem supervacuæ contra Deum adhortationis ostendit. Quæ enim non labefactabuntur ingenia, contradictioni veritatis intenta ? Rimentur licet omnia naturalium causarum secreta, pervicacique studiorum suorum vigore ipsa cœlestium motuum interna scrutentur : in ipsa tamen operis sui intentione deficient, doctrinis spiritalibus refutati. Qui enim fortuitis motibus agi omnia docent, audient a nobis æternæ virtutis Deum non (*a*) in fortuitis manere, sed esse mundi creatorem, indefinitæ ut essentiæ, ita et virtutis ; ipsum a nemine, sed ex eo omnia, moderantem ea ipsa omnia continentem. Qui vero prædicabit animæ cum corpore occasum, audiet animam non esse terrenam, sed ex afflatu Dei ortam elementis corporis admisceri ; mortem autem non interitum esse, sed discessionem ejus a corpore. Qui autem resurrectionem carnis abnegabit, sciet non difficilem ejus instaurationem futuram ei, cui inchoatio prima sit facilis. Porro qui curam humanæ conversationis Deo auferet, cognoscet æterni regni Deum judicem : neque hominem idcirco tantum conditum ut esset (quid enim esse hominem Deo utile fuit ?) sed ut in cognitionem Dei editus, profectum sibi ex opificis sui cognitione speraret.

10. *Filii Dei natura et opera.*—Jam si fidem hæreticus destruet, Dei filium semper fuisse cognoscet, nullo a Patre intervallo temporis separatum ; ipsum 182 esse Verbum, Virtutem, Sapientiam Dei ; hunc mundi opificem fuisse, hunc et hominis conditorem ; hunc prima mundi crimina diluvio abluisse, hunc Moysi legem dedisse, hunc in prophetis fuisse, et per eos ingentia illa corporationis et passionis suæ sacramenta cecinisse ; hunc in corpore resurgentem caducæ carni claritatem spiritalis gloriæ intulisse, et in naturam divinitatis suæ terrenæ corruptionis absorbuisse primordia.

11. *Scientiæ divinæ cedit profana.* — Deficient igitur adversum ista scrutantes : et per virum doctrina Dei eruditum, et in altum humilitatem cordis sui erigentem, hæc divinæ operationis præconia proferentur : ita ut hæc eminentia Dei, eorum ipsorum qui hæc audiant confessione laudetur. Atque ideo ita sequitur, VERS. 8 : *Perscrutati sunt iniquitates, defecerunt scrutantes scrutinio. Accedet homo* (*b*) *et cor altum, et exaltabitur Deus.* Cognita enim scrutantium defectione, et accedente homine cordis alti, magnificentia divinæ bonitatis agnoscitur. Quantus autem fiet doctrinæ spiritalis profectus ? Nam quis non magnificabit Deum, quem mundi hujus cognoverit conditorem ? Quis non metuet, quem judicem sciet ? Quis non renasci in innocentiam volet, cum peccati (*c*) remissionem sacramentum novæ nativitatis indulgeat ? Quis non a peccato desinat jam renatus, et in innocentia velit parvuli permanere, cum talium sciat regnum esse cœlorum (*Matth.* XIX, 14) ? Hæc professio nostra scrutantium ingenia debilitat : hæc doctrinæ nostræ spicula, quæ per regeneratorum exordium sagittæ sunt parvulorum, stultas disputationes et ridicula de Deo dogmata vulnerant. His adversari profanæ linguæ contradictio non potest ad horum omnium (*d*) disputationum et adhortationum nostrarum fidem, et trepidatio abnuentium et metus est audientium.

12. *Fides nostra terret iniquos, recreat justos.* — Annuntiatis enim operibus Dei, tunc incipient facta ejus intelligi, tunc in his lætabitur justus, tunc eum omnes recti corde laudabunt. Et hoc ipsum (*ms.* ipsud) psalmus ita edocet, VERS. 9-11 : *Accedet homo, et cor altum, et exaltabitur Deus. Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum, et* (*e*) *nihil habuerunt contra ipsos linguæ eorum. Conturbati sunt omnes qui videbant eos, et timuit omnis homo. Et annuntiaverunt opera Dei, et facta ejus intellexerunt. Lætabitur justus in Domino, et sperabit in eo, et laudabuntur omnes recti corde.* Adversus vulnerantes sagittas parvulorum loqui aliquid adversantium lingua non habuit. Et qui videbant parvulos sagittantes, contur-

(*a*) Reg. ms. caret particula *in*.

(*b*) Ita mss. necnon Augustinus, Theodoretus et Psalteria vetera juxta græcum, immo juxta antiqua Vulgatæ exemplaria. Excusi vero hic et inferius, *ad cor altum*.

(*c*) Mic. ms. *peccati remissio*, tum Reg. *sacramento*. Subinde forsitan leg. *indulgeatur*.

(*d*) Reg. ms. *disputationum nostrarum et trepidatio abnuentium est. Annuntiatis enim*, etc. Mallemus, *Ad horum omnium disputationes, adhortationum nostrarum fides et trepidatio abnuentium* hæreticorum *et metus est audientium* gentilium (*V. Tract.* ps. CXLIII, *n.* 12).

(*e*) Regius codex, *pro nihilo habuerunt*. Verbum græcum ἐξουθένησαν vertendum potius fuerat, *pro nihilo habitæ sunt*. Sed receptam lectionem confirmant subjecta.

bantur et **183** metuunt ; cum se (*a*) in errore sitos recognoscunt, cum diem judicii et retributionem actæ in corpore vitæ agnoscunt, cum opera Dei audiunt, et facta ejus intelligunt. In his est lætitia sanctorum, in his spes firmissima. Ob hæc Deum qui recto corde sunt laudant, scientes esse (*b*) remissorem peccatorum, mortis peremptorem, et diaboli debellatorem, judicem sæculi, æternitatis largitorem, Deum et Dominum nostrum, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS LXIV.

In finem Psalmus David.

Te (*c*) *decet hymnus Deus in Sion, et tibi reddetur votum in Jerusalem. Exaudi orationem, ad te omnis caro veniet. Verba iniquorum* (*d*) *prævaluerunt super nos, et* (*e*) *impietatibus nostris tu propitiaberis. Beatus quem elegisti et assumpsisti, inhabitabit* (*f*) *in tabernaculis tuis. Replebimur in bonis domus tuæ, sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate. Exaudi nos, Deus salutaris noster, spes omnium finium terræ, et in mari longe. Præparans montes in virtute tua accinctus potentia, qui conturbas* (*g*) *profundum maris, sonum fluctuum ejus. Turbabuntur gentes, et timebunt* (*h*) *omnes qui habitant fines a signis tuis : exitus matutini et vespere* (*i*) *delectationis. Visitasti terram, et inebriasti eam, multiplicasti locupletare eam. Flumen Dei repletum est* (*j*) *aquis, parasti cibum illorum, quoniam ita est præparatio* (*k*) *ejus : rivos ejus inebria, multiplica generationes ejus, in stillicidiis ejus lætabitur* (*l*) *exoriens. Benedices coronam anni benignitatis tuæ, et campi tui replebuntur ubertate. Pinguescent fines deserti, et exultatione colles accingentur. Induti sunt arietes ovium, et convalles abundabunt frumento ; etenim clamabunt, et hymnum dicent.*

184 TRACTATUS PSALMI.

1. *Quid præcinat psalmus.* — VERS. 1. Opportune superiorem psalmum hic qui subjacet consecutus est. Est autem et ipse *in finem :* et congregationem gentium, quæ Dominum laudaturæ sunt, nuntiat. Ipse hujus interpretationis nostræ fidem reddet.

2. *Nil sine Dei laude inchoandum. Sion Ecclesia.* — In exordio autem ejus, secundum consuetudinem suam, propheta orationem omnem ad Deum dirigit. Omnis enim nobis res atque sermo cum confessione Dei ineundus est. Sed sciens propheta plures pro diversitate (*m*) rerum ac studiorum in supervacuis demorari, specialem et proprium Dei a nobis honorem requirit, dicens, VERS. 2 : *Tibi ducet hymnus Deus in Sion.* Sion mons quidem Jerusalem adjacens est ; sed montem hunc ejusque nomen atque etiam urbis ipsius, Ecclesiam quæ corpus est Christi nuncupatam semper accepimus, Domino in psalmis dicente : *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus* (*Ps.* II, 6). Et ne in regno eum collis hujus constitutum arbitraremur, in Prophetis (*Zach.*, IX, 9), atque etiam in Evangeliis (*Matth.* XXI) dictum est : Gaude valde, filia Sion, prædica filia Jerusalem : ecce rex tuus venit tibi. Et Apostolus (*Gal.* IV, 26) : Ea autem quæ sursum est Jerusalem libera (*Reg. ms.* liberata) est, quæ est mater nostra. Hymnus ergo hic Deo condecet, qui sit in Sion spiritali et ecclesiastico cantico innocens, et Dei (*n*) laudibus dulcis.

3. *Vita austera philosophorum et hæreticorum. Vota extra Ecclesiam inania, Spiritu non interpellante.* — Omnia autem superstitionum genera quæ extra religionem Dei sint condemnat. Plures enim sunt in demersissimo erroris profundo locati, qui doctrinæ suæ perversitatem quadam inanis laboris probitate commendent. Cernimus namque nudis philosophos corporibus algere : ipso etiam conjugiorum usu magistri (*o*) abstinent : hæretici sicco panis cibo vivunt. Sed qui tandem otiosi hujus propositi profectus est ? totum hoc inane atque ridiculum est, et cum ipsis superstitionis causis miserabile. Deo ergo vovenda sunt contemptus corporis, castitatis custodia, jejunii tolerantia. Atque ideo ait : *Et tibi reddetur votum in Jerusalem.* Vota enim tantum ecclesiasticæ religionis utilia sunt. Quæ cum et dignis Deo cantionibus, et propositæ in Ecclesia observantiæ studio probabuntur, tum digni erimus pro quibus Deum sanctus Spiritus interpellet. Idem namque per Prophetam loquitur, et docet. Ipse autem, secundum Apostolum (*Rom.* VIII, 26), pro nobis inenarrabilibus gemitibus interpellat : atque ideo hic ita dictum est, VERS. 3 : *Exaudi orationem :* non enim subsequitur, *meam* (*p*) ; **185** ut dicentis persona possit intelligi. Licet enim multi tamquam hoc deesset addiderint, non tamen in authenticis exstat. Propheta enim non suo sensu, sed inspiratus hæc loquitur : *Exaudi orationem.*

4. *Caro omnis homo. Errore et delictis est liberandus per Christi sanguinem.* — Sequitur ut quorum oratio sit exaudienda demonstret. Nec longe exspectationem

(*a*) Editi, *in errores istos :* emendantur ex ms. Reg. Recognoscunt autem ; quia *splendor doctrinæ Dei condensam illam et conspiratam dæmonum virtutem coruscationis luce dispergit*, ut explicatur in ps. CXLIII, n. 11.

(*b*) In vulgatis, *remissionem.* Concinnius in ms. Reg. *remissorem.*

(*c*) Hil. infra, *tibi.*

(*d*) Hil. *invaluerunt.*

(*e*) Hil. *impietates nostras tu propitiabis.*

(*f*) Infra, *ut inhabitet.*

(*g*) Hil. *fundum.*

(*h*) Hil. *qui inhabitant.*

(*i*) Hil. *delectationes.*

(*j*) Hilarius, *aqua*

(*k*) Hil. *tua.*

(*l*) Hil. *cum exorietur.*

(*m*) Regius codex, *pro diversitate studiorum*, etc.

(*n*) In Reg. ms. a prima manu, *Deus*, a secunda, *Deo :* male.

(*o*) Ms. Reg. *magi abstinent.* An primo loco notatur nuditas gymnosophistarum apud Indos ; secundo, continentia magorum apud Persas celebrium ; tertio, Montanistarum xerophagiæ, *quas novum affectati officii nomen et proximum ethnicæ superstitionis* fideles vocant apud Tertull. de Jejun. c. 2.

(*p*) Abest etiam hæc vox a psalterio quod vertit Hieronymus ex hebræo. Exstat vero in græcis exemplaribus, et apud Augustinum, Theodoretum, etc.

nostram differt : subjecit enim : *Omnis caro ad te veniet.* Humani generis universitatem Scriptura sub carnis nomine designat : ut in lege : *Et dixit Deus, non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quoniam caro sunt* (*Gen.* VI, 3); et in eadem : *Quoniam corrupit omnis caro viam ejus* (*Ibid.*, 12), et in propheta Dominus : *Et effundam de spiritu meo super omnem carnem* (*Joel.* II, 28); et in Evangelio : *Et Verbum caro factum est, et inhabitavit in nobis* (*Joan.* I, 14). Hujus igitur humani generis orationem exaudiet Deus, quod vanis infelicium superstitionum doctrinis tenebatur : cum præcepta gentilia omnes eos ad studium impietatis imbuerent, Deum in lignis et saxis et metallis prædicando, et mundi opificem, atque animæ nostræ parentem intra inanimem materiam collocando (*a*). Hunc igitur errorem gentes fatentur, quod eos philosophiæ facundia detinuerit in errore : scientes tandem vetera delicta sua et antiquæ impietatis crimina Deo propitianda esse per Christum. Ipse enim secundum Apostolum nostra placatio est : ait namque : *Quem proposuit Deus placationem per fidem in suo sanguine* (*Rom.* III, 25), et iterum : *Ipse est placatio pro peccatis nostris* (I *Joan.* II, 2). Veniet ergo ad eum omnis caro, dicens, VERS. 4 : *Verba iniquorum invaluerunt super nos, et impietates nostras tu propitiabis.*

5. *Qui omnis homo liberandus.* — Sed qui tandem propitiationis effectus est? Vel quid proderit errorem gentilem reliquisse, et doctrinam impiam sprevisse? Et idipsum non dissimulavit, dicens, VERS. 5 : *Beatus quem elegisti et assumpsisti, ut inhabitet in tabernaculis tuis.* Omnis quidem caro veniet, id est, ex omni hominum genere congregamur (*b*) : sed beatus est quisquis fuerit electus. Multi enim secundum Evangelium vocati sunt, sed pauci electi (*Matth.* XXII, 14). Electi autem sunt nuptiali veste conspicui, puro atque integro novæ nativitatis corpore splendidi. Itaque non res indiscreti judicii electio est : sed ex meriti delectu (*c*) facta discretio est. Beatus ergo quem elegit Deus : beatus ob id, quia electione sit dignus. Scire autem nos convenit, hic beatus in quam rem fuerit electus, **186** scilicet ad id quod sequitur : *Inhabitabit in tabernaculis tuis.* Omnis perfectio bonorum, inhabitationis cœlestis est requies (*d*). Multas mansiones Dominus in cœlis esse testatur (*Joan.* XIV, 2) : sed Patrem orat, ut apostoli ubi et ipse sit maneant, dicens : *Pater quos mihi dedisti, volo ut ubi ego sum, ibi et illi sint mecum* (*Joan.* XVII, 22). Ex plurimis ergo mansionibus, apostolis suis eam quæ sibi est propria A communicat. Scit Propheta quanta beatitudo sit in tabernaculis Dei esse, alio loco dicens : *Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini* (*Ps.* LXXXIII, 3). Sed non ob id bonorum cœlestium spes adimitur, si non omnes ad cohabitationem Dei eligentur. Plures enim mansiones diversæ dignitati habitantium præparantur. Sed licet diversa sit dignitas; differt enim stella stellæ in gloria (I *Cor.* XV, 41), tamen quotquot habitationibus, variis licet, digni habebuntur, fidei fructum et honorem cœlestis gloriæ sortientur.

6. *Quæ Dei domus, quæ illius bona, quo merito comparantur.* — Post enim beatitudinem ejus, qui ad habitandum in tabernaculis Dei fuerit electus, hoc sequitur : *Replebimur in bonis domus tuæ : sanctum est templum tuum*, VERS. 6, *mirabile in æquitate.* His ergo bonis Domus Dei replebimur; quia in tabernaculis Dei beatus habitabit. Et quidem interim bona domus quæ sint possumus existimare, Ecclesiæ scilicet munera, quæ ei secundum multiplicem fructum Christus indulsit; quia et ipsa secundum Apostolum domus Dei est : *Ut scias*, inquit, *quemadmodum oporteat te in domo Dei diversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis* (I *Tim.* III, 15). Hæc ergo habet tricesimum, sexagesimum, centesimumque (*e*) fructum. His ergo bonis domus Dei fides credentium explebitur, quæ interim donorum divisionibus adornatur, sicut scriptum est : *Huic enim datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ* (*f*), *alii fides in eodem Spiritu, alii dona sanationum, alii genera linguarum, alii* (*g*) *interpretatio linguarum* (I *Cor.* XII, 8 *et seqq.*) Verum sunt et alia plena et perfecta domus Dei munera nequaquam (*h*) naturis carnalium sensuum æstimanda. Novit hæc usque ad tertium cœlum Apostolus raptus : et prædicat dicens : *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus his qui diligunt eum* (I *Cor.* II, 9). Ilis igitur domus Dei bonis replebimur. Et meritum percipiendorum horum fructuum docet, dicens, *Sanctum est templum* **187** *tuum, mirabile in æquitate.* Omnia namque credentium corpora templum Dei esse Apostolus docet, dicens, *An nescitis quod templum Dei estis, et spiritus Dei habitat in vobis? Si quis templum Dei corruperit, corrumpet eum Deus. Templum enim Dei sanctum est* (I *Cor.* III, 16, 17). Ornandum ergo hoc Dei templum est sanctitate atque justitia, ut bonis domus Dei repleatur, ut æquitatis ac fidei operibus mirabile sit. Domum autem Dei etiam ipsum assumptum a Dei filio hominem intelligere erit promp-

(*a*) Vulgati, *intra inanem materiem collocando. Hinc igitur*, etc. Verius ms. Reg. *intra inanimem* : ut sit quædam oppositio inter *animæ nostræ parentem* esse, et *intra inanimem materiam* concludi.

(*b*) Reg. ms. *congreganur.*

(*c*) Regius codex a prima manu, *dilectu* : a secunda *dilectionis*, male. Totus ille locus non de electione ac prædestinatione æterna est, sed de temporaria gloriæ æternæ retributione. Hinc *electi* proxime dicti sunt, non qui erunt, sed qui jam *sunt nuptiali veste conspicui*, etc. Hinc, n. 6, invitamur festinare illuc, ubi sunt *jam ad habitandum electi.* Hanc autem electionem ex meriti delectu fieri nemo nisi hæreticus negaverit. Hunc itaque locum frustra recenset Scultetus inter Hilarii nævos.

(*d*) Par. *requiei.* Editi alii, *inhabitationis cœlestis est requie.* Sequimur mss. Tota hæc phrasis claritatis ergo ita est invertenda : *Requies inhabitationis cœlestis est perfectio omnis*, seu omnium, *bonorum.*

(*e*) Ms. reg. *tricenum, sexagenum, centenumque.*

(*f*) In ms. reg. *hinc enim datur aliis sermo sapientiæ, aliis sermo scientiæ.*

(*g*) Editi, *interpretatio sermonum* : renitentibus mss. qui juxta græcum habent hic, ut lib. II de Trin., n. 33, et lib. VIII, n. 29, *interpretatio linguarum.*

(*h*) Apud Par. *in naturis.*

tum : quia in eo inhabitet omnis plenitudo divinitatis, et per naturæ proprietatem in eo Pater habitet, bonis itaque (*a*) ejus, id est, virtutis, gloriæ, æternitatis, unoquoque eo replendo, qui se templum Deo sanctum et mirabile in æquitate servaverit. Omnium itaque nostrum spes ista est, ut bonis domus Dei repleamur, ut sanctum et mirabile templum illius simus. Beati quidem sunt, qui jam a Deo ad habitandum in tabernaculis ejus electi sunt: sed festinare nos in consortium hujus beatitudinis congruum est, operationibus id atque orationibus expetentes (*b*).

7. *A beatitudinis spe nulla gens exclusa.* — Ob quod ita sequitur : *Exaudi nos, Deus salutaris noster, spes omnium finium terræ, et in mari longe.* Non competit hæc oratio Judæo. Et quamquam hic liber legis sit, prophetia tamen non est gentis unius. Spes enim hæc omnium finium terræ est : et quacumque se habitabilis mundi hujus temperies extendit, omnibus Christus in spe est. Quin etiam interni atque externi maris (*c*) insulæ in hujus nominis virtute requiescunt. *Spes enim omnium finium terræ, et in mari longe est.* Sed spem oportet non ex inani esse præsumptam : ne magis sit incertorum præsumptio, quam expectatio cognitorum.

8. *Montes non terreni hic significantur.* — Itaque cur in eo spes omnium sit, in consequentibus docet, dicens, VERS. 7 et 8 : *Præparans montes in virtute tua accinctus potentia, qui conturbas (d) fundum maris, sonum fluctuum ejus.* Ad terrenorum montium naturam sermo iste non pertinet : firmati enim sunt, non præparati ; præparatio autem, futuræ operationis est cœptum. Dehinc memoratorum montium præparatio in accinctu potentiæ atque virtute est : terra autem omnis ex nihilo est jussa subsistere ; resque ea potentiæ non eguit accinctu, quæ ex jubendi facilitate pendebat. Utile est autem cognoscere sicubi in Scripturis montium facta sit mentio. Ait namque propheta : *Audite, populi omnes,* **188** *et attendat terra, et omnes habitantes in ea. Et erit vobis Dominus Deus in testimonium, Dominus de domo sancta sua. Propter quod ecce Dominus descendet de loco suo, descendet super excelsa terræ, et conteret montes subtus se, et valles liquescent tamquam cera a facie ignis propter impietatem Jacob. Hæc omnia propter peccata domus Israel* (*Mich.* I, 2 *et seqq.*). Et rursum : *Et commota est et intremuit terra, et fundamenta montium conturbata sunt et commota sunt, quoniam iratus est his. Adscendit fumus ab ira ejus, et ignis a facie ejus* (*e*) *exardescet, carbones accensi sunt ab eo. Inclinavit cœlum, et descendit, et caligo sub pedibus ejus.* Et in consequentibus est : *Misit sagittas suas, et dispersit eos ; et fulgura multiplicavit, et conturbavit eos* (*Psal.* XVII, 8 *et seqq.*). Et in his, quantum lectio docet descensionem Domini de cœlo per Prophetam Spiritus sanctus ostendit, (*f*) metum terræ, montium trepidationem, ob id quia his Dominus iratus sit, fumo de ira ejus exorto, igne deinceps de conspectu ejus accendendo. In fumo qui adscendit, præteriti temporis res est : in igne autem accendendo, futuri significatio continetur. Dehinc ne quidquam de natura hebeti et immobili dictum existimaretur : hos montes sagittæ missæ dispergunt, et fulgura multiplicata conturbant.

9. *Montes diabolus cum suis. Hi a Christo obtriti.* — Hoc igitur montium nomine omnem supereminentem virtutem intelligi oportet : quæ se contra Deum exaltans atque efferens, iræ Dei subdidit. Descendens igitur Deus Verbum, assumptum sibi hominem potentia accingens, primum hæc cacumina montium depressit, diaboli, scilicet et suorum contumacem excellentiam protrivit, quos per hanc primæ obtritionis potestatem, pœnæ æterni judicii præparavit. Servavit autem hanc eamdem propheta rationem, dicens : *Ascendit fumus ab ira ejus, et ignis a conspectu ejus ardescet.* Fumus enim eos interim arsuri ignis involvit : atque ob id in præsenti psalmo ita scriptum est : *Præparans montes in virtute tua accinctus potentia.* Accinctio potentiæ ei quod indigebat (*g*) corpori coaptatur. Non enim Virtus accingitur ; sed in virtute Dei potentia homo quem Dominus assumpsit accingitur.

10. *Mare, sæculum.* — Contemplandum autem est, quid præparationem montium consequatur : *Qui conturbat fundum maris, sonum fluctuum ejus.* Conturbat non mare, sed *maris fundum* : neque **189** fluctus ejus, sed *sonum fluctuum.* Mare autem, ut prophetiæ sermo edocet, pro sæculo nuncupatur : ut ait : *Superinducet Dominus machæram terribilem et magnam, super draconem serpentem pravum, et perimet draconem qui in mari est* (*Isa.* XXVII, 1). Et iterum : *Mare hoc magnum et latum ; ibi requiescet draco, quem figurasti ad illudendum ipsum* (*Ps.* CIII, 25). Vel certe illud absolutius : *Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me* (*Psal.* LXVIII, 3). Montes igitur, id est, adversariæ omnes supereminentesque virtutes pœnæ judicii præparantur, et maris fundamenta turbantur.

(*a*) Vocabulum *itaque* in vulgatis omissum, restituimus ex mss.

(*b*) Par. *consequentes.*

(*c*) Reg. ms. *interni maris,* sine verbis *atque externi* : quæ si ab aliis abessent, maris interni insulas putaremus ad imitationem propheticorum verborum vocari eas quæ longe sunt intra mare, e quibus tract. psal. XIV, n. 3 : *Quin etiam in Oceani insulis habitationes Deo plurimas paraverunt* apostoli. Sed et *externi intestinique maris* meminit Florus l. IV, c. 2. Externum mare Oceanum, vocavit Ptolemæus ; Plinius autem l. III Hist. nat., c. 3, et l. V, c. 2, etc., Mediterraneum mare internum dixit.

(*d*) In vulgatis, *profundum.* Verius ms. reg. *fundum,* juxta græcum κῦτος ; quomodo legere est et apud Augustinum et in veteribus psalteriis.

(*e*) Editi, *exardescit* : quam lectionem videre est apud Augustinum, in veteribus psalteriis German. Mediolan., Rom. sed non patiuntur subjecta, *in igne autem accendendo futuri significatio continetur*, quæ necessario postulant *exardescet*, quod habet ms. reg. necnon Theodoretus et vetus psalterium Carnutense.

(*f*) Vulgati, *motum terræ* : minus ad mentem Hilarii, non terrenum aliquid superioribus demonstrari contendentis, castigantur ex mss.

(*g*) *Subaud.* potentia.

In harum enim inimicarum virtutum fiducia sæculum consistebat, et hæc in invisibilibus sæculi hujus profundis latebant. Sonus autem fluctuum cum fundo maris perturbatur. Turbato enim diabolo, omnia terroris sui ministeria turbantur : et ipse, quo gentes pavebant, adversantium potestatum sonus trepidat. Recordemur vatum murmura, et inconditos bacchantium fremitus, et nonnumquam confuso audientium sensu incertum nescio quid simulacrorum æra sonuisse, omnem denique profano cerimoniarum cantu mundum resultantem. Nunc vero Domino Christo prædicato, silere omnia confutata et trepida, cum hi templorum et gentium dii virtute fidelium subjiciuntur ad pœnam : cum credentium verbis torquentur, laniantur, uruntur, et invisibiles nobis atque incomprehensibiles naturæ verbo continentur, puniuntur, abiguntur, cum vates silent, cum muta sunt templa. Per hæc itaque jam judicio præparantur. Et præparatio ista quid proficit? profecit (*a*), namque : *Turbabuntur gentes*, VERS. 9, *et timebunt* : cernentes scilicet deos suos mutos, et tantum ad impositionem manuum nostrarum pœnæ suæ vocibus ingemiscentes. Sed post turbationem gentium alii timebunt; timorem enim erit illatura turbatio. Numquid omnes qui et turbabuntur, et timebunt? Non utique omnes qui et turbabuntur, et timebunt.

11. *Timebunt neque prorsus sectantes, neque dimittentes quæ carnis sunt.* — Qui ergo timebunt? Qui inhabitant fines. Non subjecit Scriptura, ut assolet, fines terræ; non enim hic de terræ finibus loquebatur. Dehinc ergo sermonis ratio non 190 patitur, ut id adjectum (*b*) existimemus. Ait enim, *Qui inhabitant fines*. Numquid et gentes, quæ intra fines sunt, non timebunt; et terrarum tantum extima Deum metuent, ab ejus metu cæteris quæ in medio habentur alienis? Finis autem est, non res ipsa, sed rei extimum. Extimum vero est, in quo res ipsa deficiet. Qui ergo fines inhabitant? Scilicet qui in carne positi, neque in totum adhuc secundum carnem agunt, neque jam omnino finem peccati per desinendi a peccatis consuetudinem tenent; sed volentes desinere, nec penitus desinentes, et finem etiamnum, id est, quamdam proximam defectionem peccati, carnis habitantes, nec a carne absunt, nec in totum interna carnis exercent. Apostolus autem cum in corpore sit, peregrinatur a corpore (II *Cor.* v, 8). Apostolus cum in vita sit, quotidie tamen moritur (I *Cor.* xv, 31) : vivit autem jam non ipse, vivit vero in eo Christus (*Gal.* II, 20). Omnes ille fines ambiguæ voluntatis excessit, etiam extra fines corporis peccatique habitat, peregrinando a corpore dum in corpore est, et quotidie moriendo dum vivit (*c*), et jam non ipse in se vivendo, sed Christus. Cæterum timentium trepidatio ex ambiguæ habitationis incerto est : dum adhuc habitando (*d*) fines timent, nondum penitus quod jam habitant transeundo; et tamen desinendi voluntate finem (*e*) jam habitent desinendi.

12. *Signa Dei misericordiæ. Matutinæ et vespertinæ Dei laudes.* — Sed videamus, hi qui fines habitant cur timebunt, et unde illis metus ingruat. Neque id occultum est : sequitur namque : *Et timebunt qui inhabitant fines a signis tuis.* Metus ergo omnis a signis est. Sed quæ hæc erunt signa? *Exitus matutini, et vespere delectationes.* VERS. 10. *Visitasti terram, et inebriasti eam, multiplicasti locupletare eam. Flumen Dei repletum est aqua, parasti cibum illorum, quoniam ita est præparatio tua.* Ab his igitur signis metus ortus est. Est enim magnum in singulis quibusque eorum signum. Nam post præparationes montium in accinctu potentiæ, et conturbationem maris fundi et sonitus (*f*) fluctuum ejus, progressus Ecclesiæ (*g*) in matutinorum et vespertinorum hymnorum delectationes maximum misericordiæ Dei signum est. Dies in orationibus Dei inchoatur, dies 191 in hymnis Dei clauditur, secundum quod dictum est : *Suavis ei sit laudatio mea* (*Psal.* CIII, 34), et rursum : *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum* (*Ps.* CXL, 2).

13. *Ebriens et opulentia spiritalis.* — Succedit igitur et hoc sequens signum, VERS. 10 : *Visitasti terram, et inebriasti eam, multiplicasti locupletare eam.* Terra hæc qua utimur non locupletatur, sed ex fructuum suorum ubertate locupletat. Non ergo in eam sermo con-

(*a*) Ita mss. At Bad. et Er. *proficit*, Lips. et Par. *proficiunt*. De oraculorum silentio non tacuit Juvenalis :

Delphis oracula cessant.
Et genus humanum damnat caligo futuri,

inquit Satira 6. Immo Plutarchi liber est, cui *cur oracula edi desierunt* titulum indidit. Sed de dæmonum fidelibus subjectione est præclarum illud Tertulliani Apologet. n. 23 : *Christum timentes in Deo, et Deum in Christo, subjiciuntur servis Dei et Christi : ita de contactu, deque afflatu nostro, contemplatione et repræsentatione illius ignis correpti, etiam de corporibus nostro imperio excedunt inviti et dolentes, et vobis præsentibus erubescentes*, etc. Nec minus disrete Hilarii dicta confirmant et illustrant hæc Cypriani ad Demetrianum : *Pudeat tutelam de iis sperare quos tu ipse tueris. O si audire eos velles et videre quando a nobis adjurantur, et torquentur spiritalibus flagris, et verberum tormentis de obsessis corporibus ejiciuntur, quando ejulantes et gementes, voce humana et potestate divina flagella et verbera sentientes, venturum judicium confitentur..... Videbis nos rogari ab eis, quos tu rogas, timeri ab eis quos tu adoras, videbis sub manu nostra stare vinctos et tremere captivos*, etc. V. lib. in Constantium, n. 8.

(*b*) In vulgatis, *ut ita dictum*. Concinnius in ms. reg. *ut id adjectum*, scil. *terræ* vocabulum.

(*c*) Editi, *moriendo Deo vivit* : castigantur ex ms. reg. Idipsum aliis verbis hic repetitur quod paulo ante : *Cum in vita sit, quotidie tamen moritur.*

(*d*) Regius codex, *habitandi fines* : non probatur. Hinc enim eorum timor, quia etsi in extremis carnis, tamen in ea adhuc habitant, seu necdum quæ carnis sunt non sapiunt.

(*e*) Sic mss. At editi, *in fine;* et paulo ante, *quod jam habitatum sit transeundo.*

(*f*) Par. cum mss. *conturbati maris fundi et sonitu.*

(*g*) Ms. reg. *processus Ecclesiæ*. Deinde pro *in matutinum*, restituimus ex conjectura *in matutinorum*, faventibus his apud Hieronymum in eumdem locum : *Matutinis vespertinisque hymnis Ecclesiæ delectatur Deus per animam fidelem, quæ relicto inanium superstitionum ritu eum devote laudaverit.*

veniet, quæ et locupletandi se caret sensu, et cujus id est ut locupletet officium. Visitavit autem Deus terram, id est, humani generis nativitatem : eaque visitata a Deo multiplicatis gratiarum muneribus ditescit. Apostolo dicente : *In omnibus ditati estis in ipso, in omni verbo et scientia* (I Cor. I, 5). His enim bonis replemur, et sine cessatione potandi quotidie cœlestium bonorum munus haurimus, pleni divinis copiis atque ebrii. Locupletatio enim ostensa est esse ea quæ superius nuncupabatur ebrietas.

14. *Spiritus sancti munus.* — Et locupletationis atque ebrietatis hujus fructus est contuendus. Et qui hic tandem sit, non tacetur : *Flumen Dei repletum est aqua, parasti cibum illorum, quoniam ita est præparatio tua* (a). Et de flumine ambigendi locus nullus est. Ait enim Propheta : *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei* (*Ps.* XLV, 5). Et ipse Dominus in Evangeliis ait : *Qui biberit ex aqua quam ego dedero, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ salientis in vitam æternam* (*Joan.* IV, 13, 14). Et iterum : *Qui crediderit in me, sicut scriptum est, flumina de ventre ejus exient* (*Joan.* VII, 38, 39). *Hoc autem dicebat de Spiritu sancto, quem accepturi erant credentes in eum* (*Joan.* VII, 38, 39). Hoc ergo flumen Dei aqua repletur. Spiritus enim sancti muneribus inundamur, et in nos ex illo vitæ fonte fluvius Dei aqua repletus infunditur. Habemus etiam et cibum paratum. Et quis hic cibus est ? Ille scilicet in quo (b) ad Dei consortium præparamur, per communionem sancti corporis in communione deinceps sancti corporis collocandi. Id enim præsens psalmus significat, dicens : *Parasti cibum illorum, quoniam ita est præparatio tua* : quia cibo illo quamvis in præsens salvamur, tamen in posterum præparamur.

15. *Prædicta spectant futurum.* — Servat autem consuetudinem suam Propheta, ut tempora de quibus loquitur distinguat. Superior namque sermo tamquam de præterito fuit : quæ autem adhuc gerenda erant, gerendorum fide et scientia tamquam jam gesta memoravit. Ut autem ea omnia futuri temporis doceret esse, ait, VERS. 11 : *Rivos ejus inebria, multiplica generationes ejus : in stillicidiis ejus lætabitur cum exorietur*. Omnis hic orantis est sermo, et ut ea quæ commemorata sunt Deus expleat deprecantis. Terra **192** autem visitata, inebriata est : et quomodo nunc rivi ejus inebriantur? Sed meminisse debemus, quod si quis ex aqua Domini potaverit, flumina de ventre ejus effluent : ergo potatione aquæ opus est, ut flumina fluant. Inebriamur autem ipsi, cum Spiritum sanctum qui fluvius est nuncupatus accipimus. Dehinc, quia ex nobis diversi gratiarum rivi emanant, orat propheta ut hos eosdem Dominus inebriet : ut his inebriatis, et dono divini muneris perfusis, generationes nostræ multiplicentur ; terra scilicet bona, secundum evangelicam comparationem, verbi semen excipiens, fructu tricesimo et sexagesimo et centesimo ditescat (*Matth.* XIII, 8). Est autem nobis per sacramentum baptismi renatis maximum gaudium, cum quædam in nobis Spiritus sancti initia sentimus, cum subeat nos sacramentorum intelligentia, prophetiæ scientia, sermo sapientiæ, spei firmitas, sanationum charismata, et in dæmonia subjecta dominatus. Hæc enim tamquam stillicidia nos penetrant, quæ paulatim cœpta fructu multiplici exuberant. In his ergo stillicidiis cum exorietur terra lætabitur. Sed stillicidia multiplicantur ut rivi sint ; rivi autem inebriantur ut flumina sint.

16. Consequens autem est, ut omnem exspectationem nostram propheta confirmet : et doceat quid montium præparatio, fundi maris turbatio, terræ visitatio et ejus inebriatio, et fluminis plenitudo consummationis habitura sint. Docet itaque in his quæ consequuntur, dicens, VERS. 12, 13 et 14 : *Benedices coronam anni benignitatis tuæ, et campi tui replebuntur ubertate. Pinguescent fines deserti, et exultatione colles accingentur* (c). *Induti sunt arietes ovium, et convalles abundabunt frumento ; etenim clamabunt, et hymnum dicent.* Annum benignitatis Dei ex propheticis atque apostolicis doctrinis cognovimus. Dictum enim est ex persona Domini : *Spiritus Domini super me, propterea unxit me, evangelizare pauperibus misit me, prædicare captivis remissionem, et cæcis visionem, vocare annum Domini acceptum, et diem retributionis* (*Esa.* LXI, 1, 2) : annum æterni et beati illius sæculi sine dubio declarat. Namque bonitatis Domini hic annus est, quo erunt indefessa illa benignæ retributionis tempora auspicanda. Hujus igitur anni Dei benedicet coronam (d) jucundissimus et suavissimus visitatæ terræ inebriatæque fructus. Hæc enim Christi est, depulsa corporum nostrorum corruptione et perempta mortis potestate, victoria. Hæc corona sanctificatæ terræ nostræ flore benedicta est Dominus sanctorum suorum choro atque ambitu gloriosus. Tunc ubertate campi replebuntur, tunc deserti **193** fines pinguescent, tunc colles exsultatione (e) accingentur, tunc arietes ovium induentur. Illud enim retributionis est tempus.

17. *Gloriæ discrimen in sanctis, in martyribus, in Ecclesiæ ducibus.* — Sed discrimen ipsius (f) retributionis est contuendum. In campis enim, quorum in cultura usus est, ea quæ sub lege et cultura Dei (g) fuerint opera ubertatem consequentur. Ubi autem

(a) Editi, *sua* : quod et infra reposuit Lipsius, superius retinens *tua*. Hoc constanter habent mss.

(b) In vulgatis *a quo*. Rectius in mss. *in quo*. Duplex hic insinuatur sanctæ communionis effectus, animæ scil. in præsens salus per exceptionem Salvatoris, in futurum autem gloria et consortium Dei, ad quod præparat hic consortium corporis sancti.

(c) Excusi *erigentur* : renitentibus mss. et græco.

(d) In mss. *benedicetur corona*. De qua apud Hieronymum, *Circulum et semper in se currentia anni tempora coronam vocavit.*

(e) Ms. reg. *exsultanter accingentur.*

(f) In vulgatis *prius*, loco *ipsius.*

(g) Mic. ms. *ex cultura Dei.* Abstrusam Hilarii mentem perspicuiorem reddunt hæc vulgati Hieronymi : *Campi legis, qui nullum jucunditatis fructum in littera protulerunt, nunc spiritaliter intellecti, fructus evangelici dogmatis ubertate complentur.*

fines deserti pinguescent, Ecclesiæ quæ deserta diu fuit populus, repromissionis bonis opimatur. In collibus vero exsultatione accinctis, gloriosa martyrum gaudia nuntiantur; hi enim sunt terris cæteris celsiores. Cum autem arietes ovium induentur, æterna illa et beata patriarcharum et prophetarum et apostolorum, qui duces gregis sancti sunt, vestis ostenditur; de qua ait beatus apostolus Paulus: *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem* (I *Cor.*, xv, 53); et iterum: *In quo nolumus dispoliari, sed superindui, ut absorbeatur hoc mortale a vita* (II *Cor.*, v, 4). Hoc ergo indumento arietes ovium induuntur, et hoc gloriosæ immortalitatis habitu vestiuntur.

18. Sed quamquam diversa retributionum dona monstrata sint, spem tamen præter hæc non exiguam misericordiæ suæ Deus tribuit, dicens per prophetam, *Et convalles abundabunt frumento*: humiliores scilicet, sed tamen non impiæ fidei atque operis homines, fructum vitæ sortientur. Non enim ubertate replebuntur ut campi, neque ex deserto pinguescent, neque exultatione accingentur ut montes, neque tamquam arietes ovium induentur, in quibus omnibus definitæ (*a*) gloriæ munus ostenditur; sed frumento abundabunt, vivendi scilicet substantia non carebunt, quia per infirmitatem fidei humiles sunt, et editis circum se collibus vallium more depressi.

19. *Prædicta spiritaliter sunt intelligenda.* — Ac ne propheticus sermo hos campos, hæc deserta, hos colles, hos arietes, hæc convallia, quæ adspectui nostro subjacent, voce et sensu carentia significare existimaretur; adjecit: *Etenim clamabunt, et hymnum dicent*, Dei scilicet laudes ob hæc diversa retributionum præmia indefessis et maximis vocibus concinentes.

194 PSALMUS LXV.

In finem, canticum psalmi.

Jubilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini ejus, date gloriam laudationi ejus. Dicite Deo: Quam terribilia sunt opera tua, Domine, in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui. Omnes terræ adorent te, et psallant tibi: psalmum dicant (*b*) *nomini tuo.* Diapsalma. *Venite et videte opera Dei, terribilis in consiliis super filios hominum. Qui convertit mare in aridam, in flumine perambulabunt* (*c*) *pede: ibi lætabimur in ipso, qui dominatur* (*d*) *in virtute sua in æternum. Oculi ejus super gentes respiciunt: qui in iram provocant, non exaltentur in se.* Diapsalma. *Benedicite gentes Deum nostrum, et obaudite vocem laudis ejus. Qui posuit animam meam ad vitam, et non dedit commoveri pedes meos. Quoniam probasti nos Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum. Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorsum nostrum: imposuisti homines super capita nostra. Transivimus per ignem et aquam, et induxisti* (*e*) *nos in refrigerium. Et introibo in domum tuam in holocaustis, reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea. Et locutum est os meum in tribulatione mea. Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum* (*f*), *offeram tibi boves cum hircis.* Diapsalma. *Venite et audite, et narrabo vobis, omnes qui* (*g*) *timent Deum, quanta fecit animæ meæ. Ad ipsum ore meo clamavi, et exsultavi* (*h*) *sub lingua mea. Iniquitatem si conspexi in corde meo, non exaudiet* (*i*) *Deus. Propterea exaudivit* (*j*) *Deus, et intendit voci orationis meæ. Benedictus Deus qui non amovit deprecationem meam, et misericordiam suam a me.*

195 TRACTATUS PSALMI.

1. Vers. 1. Superscriptio psalmi a superiore eo distat, quod in se habet *Canticum psalmi*, cum in anteriore *Psalmus cantici* editus sit. Cæterum æqualiter præscribuntur *in finem*. Itaque secundum illam, quam in exordio attulimus (*k*) de titulorum inscriptione rationem, perspicuum est psalmum hunc ob adepta per meritum boni operis spiritalis doctrinæ instituta cantari: quia quando in superscriptione *Psalmus cantici* est, per cognitionum cœlestium prædicationem gesta boni operis continentur in psalmo; cum autem *Canticum psalmi* est, ex operationis obedientia adeptæ spiritalis scientiæ hymnus ostenditur. Canticum enim vocis officium est: psalmus autem ex coaptatione, quam harmoniam nuncupant, organi comparatur, fitque ex imparibus ac dissimilibus modis artificis ingenio apta et consonans et amœna modulatio. Quo exemplo, variis officii nostri et scientiæ ministeriis, gratum Deo (*l*) opus et sibi consonans comparamus. Et hujus quidem intelligentiæ ipsi nobis psalmi auctores erunt; cum quando sit in psalmo cantici per scientiæ et cognitionis doctrinam boni operis prædicatio, in cantico vero psalmi per gestorum meritum gratulatio adeptæ scientiæ intelligatur. Ob eam igitur causam in psalmo præsenti, spiritus prophetiæ a gratulationis doctrina cœpit. Psalmum autem ex persona prophetarum consistere, res ipsa et ratio demonstrat.

2. Vers. 2 et 3. *Jubilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini ejus, date gloriam laudationi ejus.*

(*a*) In vulgatis *indefinitæ*. Magis placet cum reg. ms. *definitæ*, hoc est meritis eorum commensuratæ et speciatim significatæ per collium exultationem, per indumentum arietum, etc. Quod de fidelibus, quorum humilior et magis vulgaris est justitia, hic habet Hilarius, necnon quod supra ait, n. 5, non omnes sanctos ad cohabitationem Dei esse eligendos, dubium moveret an sanctis omnibus cœlestem gloriam ac beatitudinem concesserit, nisi eodem num. 5 subjiceret: *Sed licet diversa sit dignitas... tamen quotquot habitationibus, variis licet, digni habebuntur, fidei fructum et honorem cœlestis gloriæ sortientur.* Ex quibus liquet *cohabitationem Dei* ibi vocari specialem quemdam gloriæ gradum apostolis præsertim singulari prærogativa concedendum.

(*b*) Hilarius *omnis terra adoret te, et psallant tibi: psalmum dicat.*

(*c*) Hil *pertransibunt.*
(*d*) Hil. *dominabitur.*
(*e*) Hil. *eduxisti.*
(*f*) Hil. *cum incenso et arietibus.*
(*g*) Hil. *timetis.*
(*h*) Hil. *exaltavi.*
(*i*) Hil. *exaudiat.*
(*j*) Hil. addit *me.*
(*k*) In prologo, n. 20.
(*l*) Regius codex, *Dei opus..... comparemus.*

Dicite Deo : Quam terribilia opera tua ! In multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui. Primum ergo jubilandum Deo præmonet, secundo psallendum nomini ejus, dehinc gloriam dandam laudationi ejus, tum dicendum Deo : *Quam terribilia opera tua!* postremo id confitendum : *In multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.* Sed ut rationem atque ordinem ita dispositi hujus sermonis intelligamus, necessarium est id quod difficultatem affert paucis absolvere.

3. *Jubilum quid vulgo. Secundum vim vocis græcæ sonus est militaris.* — In latinis codicibus ita legimus : *Jubilate Deo omnis terra.* Et quantum ad eloquii nostri consuetudinem pertinet, jubilum pastoralis agrestisque vocis sonum nuncupamus, cum in solitudinibus aut respondens aut requirens, per significantiam ductæ in longum et expressæ in nisum (*a*) sonus vocis auditur. In græcis vero libris, qui ex hebræo proximi **196** sunt, non eadem significantia scribitur. Namque ita se habent : ἀλαλάξατε τῷ Θεῷ πᾶσα ἡ γῆ, et cum illis ἀλαλαγμὸς, quem latine jubilum ponunt, significat vocem exercitus prœliantis, aut in concursu proterentis hostem, aut successum victoriæ exsultationis voce testantis. Quam rem ubi ita se translationis ratio temperavit, absolutius in psalmo altero intelligimus, cum dicit : *Omnes gentes, plaudite manibus, jubilate Deo in voce exsultationis* (*Ps.* XLVI, 2). Vox autem exsultationis dissentit ab jubilo ; sed pro translationis conditione, quia propria exsultantis vocis nuncupatio non reperta est, per id quod jubilum dicitur, vox exsultantis ostenditur.

4. *Eo uti admonetur contra dæmonem certantes.* — Positi igitur in vitæ istius prœliis, et in hoc carnis et sanguinis nostri certamine adversum diabolum exercitusque ejus armis spiritalibus dimicantes, Deo monemur in voce exsultationis jubilare. Et ne ad inanimem hanc terræ molem esset sermo referendus, universitas nostra ex terra in primo Adam parente genitorum (*b*) sub plurali numero monstratur cum dicitur : *Jubilate Deo omnis terra.* Simul enim et officium omnium docetur, et origo. Terrendus ergo est confessionis nostræ sermone omnis profanus auditor : et adversum diabolum armaque ejus orationum nostrarum sonitu certandum est, et belli nostri victoria exsultationis voce monstranda est. Audiat orantis populi consistens quis extra ecclesiam vocem, spectet celebres hymnorum sonitus, et inter divinorum quoque sacramentorum officia responsionem devotæ confessionis accipiat. Necesse est terreri omnem adversantem, et bellari adversus diabolum, vincique A resurrectionis fide mortem, tali exsultantis vocis nostræ, ut dictum est, jubilo. Sciat hoc Deo placitum esse, hoc spei nostræ testimonium, publicas victricesque exsultationis nostræ voces personare : quarum propheta non negligens est, loco alio memorans : *Circuivi et immolavi in tabernaculo ejus hostiam jubilationis* (*Psal.* XXVI, 6). Et ne inanem jubilationis hujus doctrinam atque observantiam crederemus, alibi protestatur (*c*) : *Beatus populus, qui scit jubilationem* (*Ps.* LXXXVIII, 16). Necessarium ergo id fidei nostræ est, in cujus scientia beatitudo est.

5. *Corpore etiam Deo placendum.* — Nam primum in admonitionum ordine propheta disposuit, ut jubilet Deo omnis terra, secundo ut psalmum dicat nomini ejus. Deo itaque jubilandum est ; quia debitum B ei a nobis exsultantis vocis officium est. Psallendum autem nomini ejus est ; quia ut per organum psalmus est, ita et corporis nostri, **197** quod animæ et affectionis et negotiorum omnium organum est, artificiosis operibus est placendum. Digne ergo Dei nomine agendum est, ut in quantum effici licet, dictis Domini obsecundemus dicentis : *Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et magnificent patrem vestrum qui in cœlis est* (*Matth.* v, 16). Vitæ enim nostræ honestas ad ejus laudem erit referenda cui vivimus. Denique idipsum ex subjectis docetur. Sequitur enim : *Psallite nomini ejus, date gloriam laudationi ejus :* quia ex organi nostri psalterio, id est, corporis animæ famulantis effectibus, præbetur per nos Deo gloriosa laudatio ; cum C gentes opera nostra contuentes, patrem nostrum qui in cœlis est magnificent. Et dabitur laudi ejus gloria, si digne nomini ejus, organi, id est, corporis nostri operatione psallamus.

6. *Deus quam tremendus.*—Docemur etiam (*d*) consequentibus monitis ad ordinem obsequelæ, Propheta vel spiritu per Prophetam ita admonente : *Dicite Deo : Quam terribilia sunt opera tua!* Quis enim non trepidet ad majestatem ejus, qui sæcula instituerit, mundum condiderit, tempora revolubili vicissitudine cursuque dimensus sit, cœlum astris ornaverit, terram fructibus repleverit, mare obicibus concluserit, hominem ut his aut uteretur aut dominaretur elegerit? Per hæc enim omnia virtutis ac potestatis ejus æternitas noscitur, Apostolo D dicente : *Quæ enim invisibilia ejus, a creatura mundi ipsius factis* (*e*) *intellecta adspiciuntur, æterna quoque virtus ejus et divinitas?* (*Rom.* I, 20.) Hæc terribile nomen conditoris efficiunt ; et operum dignitas majestatem ejus qui ea sit operatus ostendit. Horum

(*a*) Apud Bad. *in emensum.* In editionibus aliis, *in immensum.* Verior videtur lectio Reg. ms. *in nisum*, jubili novum adjunctum exprimens. *Jubilum* Augustino enarr. 2 in Ps. XXXII, n. 8, *sonus quidam est, significans cor parturire, quod dicere non potest.* Idque non solum prœliantis, sed eorum *qui cantant sive in messe, sive in vinea, sive in aliquo opere fervenli.... impleti tanta lætitia, ut eam verbis explicare non possint, avertunt se a syllabis verborum, et eunt in sonum jubilationis.* Nec longe aliter exponitur jubilum apud Hieronymum in Psal. XXXII, et Ruffinum in hunc LXV. *Cæterum*, inquit Theodoret. in Ps. XXXII, *alalagmus est victoriæ clamor, qui contra fugitantes a vincentibus editur.*

(*b*) Illud *genitorum* refertur ad *nostra*, eamdem vim habens ac *nostrum.*

(*c*) Reg. ms. *propheta testatur.*

(*d*) Ita mss. At excusi *docemur ergo.... ad ordinem obsequelæ prophetalis spiritu*, etc.

(*e*) Excusi excepto Par. *ipsius facta :* Par. *ipsius facti.* Rectius mss. *ipsius factis :* nisi quis ex græco τοῖς ποιήμασι malit *ipsis factis.*

igitur operum conditor esse Deus et a nobis prædicandus est, et a cæteris confitendus : non hæc omnia esse dii mentienda sunt.

7. *Ethnicorum de Deo varii errores. Unde Deos plures finxerint.*— Alii enim fortuitu hæc exstitisse commemorant, alii æterna mansisse confirmant. Et idcirco mundum ipsum Deum esse contendunt: dum aut suapte cum voluit potestate constiterit, aut dum initio caret, careat dominantis arbitrio. Alii autem solum cœlum, quia igneum sit ; alii aera, quia motu ac natura indissecabili circumferatur, alii aquas, quia indefesse effluant, Deum nuncupant. Plures terræ metalla, robora, scopulos, herbas, deos adoraverunt. Nonnulli deos esse aut putrefactorum corporum ossa, aut deflagrantium rogorum busta mentiti sunt : horum omnium conditorem Deum nescientes. Et idcirco talem confessionis nostræ 198 ordinem Propheta esse docuit oportere : *Dicite Deo : Quam terribilia sunt opera tua! In multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui :* ex multitudine scilicet virtutum Dei, venerationem falsorum in diis nominum mentientes.

8. *Ab iis ad unum revocatur homo.* — Sed quia mentiuntur inimici, quid a cunctis fieri oporteat docetur ita, VERS. 4. : *Omnis terra adoret te, et psallat tibi : psalmum dicat nomini tuo, Altissime.* Mendacio inimicorum in nuncupatis diis demonstrato, salutis nostræ instituta præbentur : ut terrena omnis origo nostra adoret et psallat Altissimo, verum Deum et universorum conditorem relictis impietatum mendaciis recognoscens.

9. *Qui longe a Deo, advocantur ad contuenda Dei opera.* — Sensum diapsalma distinxit. Sermo enim ad Deum cum oratione directus, ad homines nunc refertur : quos tamquam longe a cognitione Dei consistentes, Propheta ad proximum advocat, dicens : *Venite, et videte opera Dei.* Docuit autem et Apostolus esse plures longe a Deo positos, quos doctrinæ adhortatio tamquam in vicinia collocaverit, cum ait : *Et cum venisset, evangelizavit pacem vobis qui longe, et pacem his qui prope* (*Ephes.* II, 17). Ex lege enim multi tamquam de prope manentes crediderunt, gentibus longe advocatis.

10. *Ea scilicet quibus humanæ saluti legis tempore consuluit.* — Prophetica igitur prædicatio omnes ad Dei opera contuenda advocavit : sed non ea opera, quæ cunctorum adspectui subjecta sunt, cœli, aeris, terræ ac maris (hæc enim omnes contuentur) ; sed ea quæ fidelium tantum studiis comperta sunt, quibusque saluti humanæ cum ingenti admirabilium virtutum terrore consultum est, Pharaone impietatis A suæ pœnis in exemplum humani timoris coercito, ut terror damnationis irreligiosorum metu religionem inchoaret ; cum in terræ iter mare aruit, et aquæ in aridam conversæ sunt : cum Jordanem pedibus populus egressus est, et ingressuro repromissionis terram Israel fluentis stare jussis, reliquus ad gradiendi securitatem fluvii alveus decucurrit. Ad hujus igitur legis et prophetarum Dei opera contuenda Propheta gentes advocat, dicens, VERS. 5 et 6 : *Venite, et videte opera Dei, terribilis in consiliis super filios hominum. Qui convertit mare in aridam, in flumine pertransibunt pede.* Ipse enim Deus esse intelligendus est, ex cujus terribilibus consiliis humanæ saluti per hæc opera consultum est : ut opinionem de Deo (quia nemo cœlum contuens Deum B esse non sentiat) (*a*) scientia nos et cognito talium operum de auctore confirmet.

11. *Qui illa ad omnes pertineant.*—199 Verum hæc quamvis virtutum Dei opera sint, non tamen spei et saluti satisfaciunt universorum. Populo enim tantum legis mare in terram demutatum est, ejusque itineri Jordanis aruit. Sed quid hoc ad universæ terræ salutem proficit? Omnibus enim hoc quod *Venite* dictum est, competit ; quia de universis præscriptum erat : *Omnis terra adoret te.* Quid ergo mihi ad salutem tanto postea genito Jordanis tum arefactus impertit? Impertit plane. Hujus enim primum aquis, peccatorum ablutio Joanne pœnitentiam prædicante donata est : et per quem populo in repromissionis terram iter fuerat, per eum via nobis cœlestis regni, C et novæ generationis lavacro possessio æternorum corporum inchoatur, aquis ipsis baptismo Domini consecratis. Ob quod ab id quod dictum erat : *Venite et videte opera Domini, quam terribilis in consiliis super filios hominum, qui convertit mare in aridam : in flumine pertransibunt pede.* Ne ab his quæ gesta sunt antea, spei nostræ esset intercisa securitas, cum de futuro *transibunt* dixisset ; ideo subjectum est : *Ibi lætabimur in ipso.* Per has enim Jordanis aquas, in illa quæ a prophetis promissa sunt terræ bona, gressu abluendorum corporum transitum est atque transitur : et ibi cœlestis sacramenti lætamur exordiis. Cujus lætitiæ et tempus et causam alius propheta testatur, dicens : *Lætare desertum sitiens, et exultet desertum, et floreat tamquam lilium, et efD floreant et exultent deserta Jordanis. Invalescite manus invalidæ et genua dissoluta, consolamini* (*b*) *modici animi, sensu invalescite, nolite timere. Ecce Deus noster* (*c*) *judicium reddet, ipse veniet, et salvabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum*

(*a*) Hoc fatetur Tullius, l. II de Nat. Deor. : *Quid potest esse tam apertum tamque perspicuum, cum cœlum suspeximus, cœlestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod numen præstantissimæ mentis, quo hæc regantur?... Quod qui dubitat, haud sane intelligo, non idem, sol sit an nullus sit, dubitare possit.* Sic Lactantius, l. I div. Inst. c. 2 : *Nemo est enim tam rudis, tam feris moribus, qui non oculos suos in cœlum tollens, tametsi nesciat cujus Dei providentia regatur id omne quod cernitur, aliquam tamen esse intelligat ex ipsa rerum magnitudine, motu, dispositione, constantia, utilitate, pulchritudine, temperatione.* Hinc Orosius initio lib. VI hist. : *Deum enim quilibet hominum contemnere ad tempus potest, nescire in totum non potest.* Hoc est quod noster dixit Hilarius in ps. LII, n. 2, Deum posse negari consilio impii cordis, sed contra fidem ac judicium sanæ mentis.

(*b*) Turon. codex, *consolidamini* : quod verbum aptius videretur quam *consolamini*, nisi in græco extaret παρακαλέσατε.

(*c*) Abest *noster* a reg. ms. ut et superius in psal. LIV, n. 8.

audient, et audietur lingua mutorum (*Esa.* XXXV, 1, *et seqq.*). Tunc saliet claudus tamquam cervus. Hoc ergo illud est, quod significatur : *Ibi lætabimur in ipso*. Quæ in adventu Domini et Jordani baptismos et infirmitatum omnium curatione expleta sunt. Quod autem, *ibi lætabimur;* ad Jordanem pertinet. Ita enim dictum est : *in flumine pertransibunt pede, ibi lætabimur.*

12. *Christus nostri dominaturus. Quatenus homo, qui ut Deus semper regnat.*—Quod autem *in ipso*, quis iste sit in quo lætabimur in ipso, Propheta subjecit, dicens, VERS. 7 : *Qui dominabitur in potentia sua in æternum.* Non ambigimus quis iste erit, si dicti hujus evangelici recordemur : *Data est mihi* (*a*) *omnis potestas in cælo et in terra : euntes nunc docete omnes gentes* (*Mat.* XXVIII, 18) ; et Apostoli dicentis : *Propter quod exaltavit eum Deus, et donavit illi nomen quod est super omne nomen ; ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium et terrestrium ei infernorum, et omnis* 200 *lingua confiteatur, quia Dominus Jesus in gloria est Dei patris. Et hæc non de divinitatis suæ dicta sunt potestate* (*Phil.* II, 9 *et seqq.*). Illa enim ut semper est dominans, ita et dominabitur semper : sed in æternam gloriam ejus assumptæ ex Virgine carnis natura transfertur. Jesus enim ejus hominis qui ex Maria natus est, nuncupatio est ; et Jesu nomen, quod super omne nomen, est donatum. Non enim hic, ut in cæteris, Jesu Christo, sed Jesu tantum. Ei enim a cœlestibus et terrestribus et infernis adorato, et per omnem linguam in Dei patris gloria esse confesso, æterni regni donatur arbitrium. Sed ut in pluribus, nunc quoque latinitas nostra non satis proprie significationem dicti græci elocuta est. Quod enim nobiscum scribitur : *Qui dominabitur in virtute sua in æternum*, in græcis ita legitur : τῷ δεσπόζοντι (*b*) ἐν δυναστείᾳ αὐτοῦ τοῦ αἰῶνος. Quod nobiscum *in æternum ;* id simplex et in omne tempus sine definitionis alicujus proprietate commune est : quod cum illis τοῦ αἰῶνος, id certi et designati sæculi significationem habet.

13. *Quando illud regnum suum obtinebit.* — Unigenitus enim Dei filius etsi regnavit semper, non tamen semper regnavit in corpore. Ergo ubi designati et tamquam demonstrati sæculi dominatio, per id quod τοῦ αἰῶνος dicitur, virtute verbi ipsius continetur ; tempus illud ostenditur, quo glorificato in gloriam Dei corpori et nomen Dei donatur et regnum. Et hujus quidem dominandi sæculi tempus absolute Apostolus docet dicens : *Cum evacuaverit omnem principatum et potestatem et virtutem, novissima inimica devincetur mors* (I *Cor.* XV, 24) : tunc solus in virtute sua sæculo dominabitur. Nunc enim quamvis regnet, tamen princeps hujus sæculi petiit, ut modo tritici apostolos cerneret (*Luc.* XXII, 31) : et sunt spiritales nequitiæ in cœlestibus, adversum quas spiritalibus nos armis beatus Paulus instruxit, adversus quas militantes nos fidei nostræ Angeli, qui secundum Evangelia quotidie in cœlis Deum patrem vident, prosequuntur, et misericordia Dei protegit (*Matth.* XVIII, 10).

14. *Qui Deus oculos aut avertat aut convertat.* — Atque ob id consequitur : *Oculi ejus super gentes respiciunt.* Ab omni enim in peccatis morante, vultus Domini aversus est. Hæc namque indemutabilis Dei significata conversio est : non quod tamquam per naturam corporalem se quoquam aut avertat, aut referat ; sed quod par atque idem æqualiter semper manens, uniuscujusque auxilio pro meritorum diversitate, aut desit, aut adsit. Ex persona enim peccatorum ita scriptum est : *Averte faciem tuam a peccatis eorum* (*Ps.* L, 11) : et iterum : *Quare avertis faciem tuam et dexteram tuam* (*Ps.* LXXIII, 11); et rursum : *Avertisti* 201 *faciem tuam, et factus sum conturbatus* (*Ps.* XXIX, 8). Ubi autem justorum persona tractatur, hæc dicta sunt : *Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum* (*Ps.* XXXIII, 16), et iterum : *Oculi tui videant æquitates* (*Ps.* XVI, 2) ; et deinceps : *Designatum est super nos lumen vultus tui, Domine* (*Ps.* IV, 7) : ergo incorporalis Deus misericordiæ suæ oculis, et tamquam ministerio famulantium angelorum protegit gentes, et in omnes credentes donum se (*c*) divinæ miserationis effundit.

15. *Judæi Deum in iram qui provocent.* — Hoc Judæi denegant, his operibus Dei infidelis populus contradicit, gloriam sibi in Abraham electi generis usurpans. Et consequentibus istud dictis Propheta demonstrat, ad id quod dixerat : *Oculi ejus super gentes respiciunt*, connectens illud : *Qui in iram provocant, non exaltentur in se.* Hoc quod in se exaltantur, Dominus in Evangeliis condemnat, dicens : *Nolite proferre* (*d*) *inter vos, dicentes : Patrem habemus Abraham; potens est enim Deus ex lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* (*Matth.* III, 9.) Quod autem in iram provocant, omnifariam prophetæ loquuntur : Esaias : *In iracundiam provocastis* (*e*) *sanctum Israel* (*Esai* I, 4) : ad Ezechiel quoque Spiritus loquitur : *Filii hominis mitto te ego ad domum Israel, qui exacerbaverunt me* (*Ezech.* II, 3) : et in Psalmis : *Exacerbaverunt spiritum ejus* (*Ps.* CV, 33); et rursum : *Frequenter liberavi eos, ipsi vero me exacerbaverunt* (*Ibid.*, 43). Omnes ergo operationem et misericordiam Dei in salutem gentium denegantes, in iram provocant misericordiæ et salutis auctorem :

(*a*) Apud Bad. Er. Lips. et in reg. ms. omittitur *omnis*.

(*b*) Cum constanter legat Hilarius, *qui dominabitur*, neque moneat verbum græcum a latino differre, legerit necesse est, τῷ δεσπόζοντι. Mox in ms. Turon. ante δυναστείᾳ, præmittitur articulus τῇ, cui latine ab eadem manu superscribitur *ti*, ut fit quoties occurrit vocabulum græcum, quod notamus, ut pronuntiatio tunc recepta non ignoretur.

(*c*) Addimus *se* ex reg. ms. Proxime innuit Hilarius, quod in Ps. CXXIX, n. 7, apertius exponit, angelos posse dici membra Dei, quibus nobis prospiciat.

(*d*) In reg. ms. *præferre :* verbum Hilarii scopo satis aptum, sed dissidens a græco λέγειν.

(*e*) Sic ms. reg. juxta græc. παρωργίσατε. At excusi, *in iracundiam provocasti.* Vulgata nostra, *blasphemaverunt.*

quia in se gloriosi et exaltati, iram ejus qui solus gloriosos potest efficere exacerbant.

16. *Hactenus propheticus, jam apostolicus est sermo.* — Interjectio rursum diapsalmi, et sensus et personæ demutationem docet. Nam sub hac significatione frequenter alterum, nonnumquam utrumque distinguitur. Superior enim sermo ex Prophetæ persona omnis fuit, dicentis: *Venite, et videte opera Dei, quam terribilis in consiliis super filios hominum;* sequentem vero apostolicum esse oportebat: ut his invitantibus, istis prædicantibus, eadem doctrina veteris ac novi Testamenti prædicatio contineretur.

17. *Hortatio ad laudem Dei veri.* — Horum igitur adhortatio refertur ad gentes, cum dicitur, VERS. 8: *Benedicite gentes Deum nostrum.* Non ex inani *nostrum* Prophetæ sermo subjecit. Non utique illos, quos deos putabatis (*a*), heroum nomina, vel elementorum creationes, vel materiem metallorum, sed *nostrum*, et eum cujus opera recensentur, qui terribilis in consiliis super filios **202** hominum, qui convertit mare in aridam, qui dominatur in virtute sua in æternum. Hoc enim proprium apostolicæ doctrinæ est, Deum ex lege ac prophetis in Evangeliis prædicare.

18. *Deus publice laudandus.* — Sed id quod consequitur: *Et obaudite vocem laudis ejus,* intelligentiam confundit. Nam vox laudis, non ejus qui laudatur, sed ejus qui laudet, auditur. Et quomodo gentes ut vocem laudis obaudiant admonentur? Verum et hic latinitas nostra proprietatem dicti in translatione non reddidit. Nam hoc quod nobiscum scribitur: *et obaudite vocem laudis ejus,* a Græcis ita dictum est: καὶ (*b*) ἀκουτίσατε τὴν φωνὴν τῆς αἰνέσεως αὐτοῦ. Quo verbo id significatur, ut obaudiri posse efficiant vocem laudis ejus: quod plenius intelliget, qui meminerit Dominum in Evangeliis dixisse: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, et quod in aure auditis, prædicate super tecta* (*Matth.* x, 27). Deus namque constanti et publica prædicatione laudandus est: neque debet in commemorandis virtutibus ejus fides nostra trepidare.

19. *De apostolorum et martyrum constantia.* — Sed quæ tandem vox laudis ejus audiri efficienda est? Nempe ea quod credentium animam posuerit in vitam, quod apostolicæ prædicationi et martyrum confessioni constantiam et perseverantiam (*c*) largitus sit confitendi, quorum discursibus orbem terræ quibusdam quasi pedibus cœlestis regni prædicatio transcucurrit. *In omnem enim terram exiit sonus eorum* (*Psal.* XVIII, 5). Et alibi spiritalis discursus gloriam clamat Spiritus sanctus: *Quam speciosi pedes evangelizantium bona, evangelizantium pacem* (*Rom.* x, 16)! Hæc ergo vox laudis Dei prædicantium audienda præconio est, Propheta testante, VERS. 9: *Qui posuit animam meam ad vitam et non dedit commoveri pedes meos.* Non enim humanarum comminationum terriculis a cursu prædicationis suæ apostoli deflexi sunt: neque firmitas pedum insistentium a fidei gressu commota est, quin semper judicii et regni æterni Dominum prædicarent.

20. *Quod pluribus convenit, de uno effertur ob unanimitatem.* — Locutus autem ex unius persona Spiritus prophetiæ, rem ipsam non uni tantum nomini competere significat. Nam cum dixisset: *Et non dedit commoveri pedes meos;* subjecit, VERS. 10: *Quoniam probasti nos Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.* Sermo itaque cœptus ex uno refertur ad plures. Est namque unus Spiritus, et una credentium fides; secundum quod in gestis apostolorum est: *Erat credentium anima* (*d*) *et cor unum* (*Act.* IV, 32). **203** Atque ita cum ab uno cœptum designatur in plures, unanimitas docetur in pluribus. Sed quæ tandem comparationis similitudo est, examinatos eos igni, sicut examinatur argentum? Et, ut arbitror, examinandi argenti illa sola ratio est, ut sordes quæ ex prima terræ materie (*e*) adhæserint decoquantur, ut quæ fraudulenter ex alterius metalli natura admixta fuerint purgentur. Deus itaque credentes in se non tamquam fidei eorum ignarus examinat: sed quia etiam secundum Apostolum tentatio probationem affert, examinantur credentes non ad cognitionem Dei, sed ad sui probationem: ut igne purgati, et ab admixtione vitiorum carnalium defæcati, splendeant examinatæ innocentiæ claritate.

21. *Martyrum pœnæ et victoriæ.* — Tentationum autem genera et diversas martyrum victorias contuentes, scimus quibus modis anima ponatur in vitam, cujus contemptu desævientibus pœnarum (*f*) ingeniis, a fidei gressu et testimonio non moventur. Alii enim in vinculis carcerum gloriantur, alii cæsi in verberibus gratulantur, alii potestati irreligiosorum desecanda felicium capitum colla submittunt: plures in exstructos rogos currunt, et trepidantibus pœnæ ministris, ignem saltu devotæ festinationis insiliunt: alii in profundum demergendi, non in aquas necaturas; sed in refrigerium æternæ beatitudinis decidunt, toto ipso se corpore Deo hostiam tamquam holocausta præbentes.

22. *Has prævidit David.* — Percurrit ergo per hæc passionum genera ex persona apostolorum, Evangelistarum, martyrum propheticus sermo, dicens: *Igne nos examinasti, sicut igne examinatur argentum.* VERS. 11. *Induxisti nos in laqueum,* id est, in custodiæ catenas. *Posuisti tribulationes in dorsum nostrum,* pœnas scilicet verberum, quibus cum apostolis Petrus

(*a*) Par. ex ms. Mic. *perturbatis.*

(*b*) Er. et Lips. ἀκουστίσατε. Par. ἀκουσήσατε. Restituimus ex reg. ms. justa castigatiora psalmorum exemplaria græca ἀκουτίσατε, ab ἀκουτίζω: quod verbum his duobus, ἀκουστὴν ποιήσατε, Symmachus expressit, ac deinde totidem, scil. *auditam facite,* Vulgata nostra reddidit, Hilario quidem non nota, sed certe quantum ad hunc locum jam approbata.

(*c*) In ms. reg. desideratur *et perseverantiam.*

(*d*) Sic mss. constanter juxta græcum, ubi in vulgatis, *anima una et cor unum.*

(*e*) Mendose in vulgatis, *materiæ.*

(*f*) Id est, pœnis ingeniose excogitatis. Sic rursum in Psal. CXVIII, lit. 18, n. 9: *Mortes non dico inferantur, sed cum pœnarum ingeniis innoventur.* Eo fere modo Plinius junior in Paneg. *ingenium cœnæ* vocat cœnam ingeniose exquisitam.

gaudet, et Paulus exsultat. VERS. 12. *Imposuisti homines super capita nostra. Transivimus per ignem et aquam.* Gloriosas videlicet martyrum mortes commemorat, gladii, ignis, profundi. Sed qui transit per ignem et aquam, non in his aboletus, sed in aliud per illa transducitur. Et quo transducatur Propheta non nescit, dicens : *Et eduxisti nos in refrigerium.* Hujus refrigerii et in loco alio meminit, dicens : *Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit mihi. Eripuit animam meam de morte, oculos meos de lacrymis, pedes meos de lapsu. Bene placebo Domino in regione viventium* (*Ps.* CXLIV, 7 *et seqq.*) : animam videlicet suam in requiem beatæ illius resurrectionis hortatus, in qua post mortis istius tempus omni humanarum calamitatum labe detersa, non doletur, non fletur, **204** non peccatur, sed vivitur. In hujus igitur beatitudinis per ignem et aquam refrigerium educti sunt.

23. *Quod aqua, ignis et refrigerium spiritaliter intelligantur.* — Et ne aut pertranseuntis aquas natatus, aut transilientis ignem saltus, aut introductio in refrigerium communis alicujus et terreni loci requies significari existimaretur, adjecit, VERS. 13 : *Introibo in domum tuam in holocaustis.* Holocausta sunt integra hostiarum corpora : quæ quia tota ad ignem sacrificii deferebantur, holocausta sunt nuncupata. Per hæc igitur genera pœnarum, martyres in fidei testimonium corpora sua holocausta voverunt : ut in Dei domum, id est in cœlestis (*a*) domicilii habitationem consummatis hostiarum suarum sacrificiis introirent.

24. *Martyres et se et eos Deo vovent, qui ipsos imitaturi sunt.* — Sed quid tandem in hac corporum suorum oblatione voverunt ? Scilicet ut per hæc martyrii sui exempla gentes ad spem regni æterni erudirent. Qui enim tum Christum prædicabant, non sibi quibus tum erat cognitus, sed nobis qui futuri adhuc eramus, vel quibus tum erat incognitus, prædicabant. Quæ eorum prædicatio omnis posteritatis (*b*) fidem ad martyrii desiderium accendit. Non enim causa alia prædicabant, nisi ut fidei suæ et martyrii exemplo plures martyres erudirent. Quod Paulus docuit, dicens : *Ego Paulus vinctus Christi Jesu pro vobis gentibus* (*Ephes.* III, 1). Atque ob id in hujus prædicationis fructu Deo se vota reddere confitentur, dicentes : *Reddam tibi vota mea,* VERS. 14 et 15, *quæ distinxerunt labia mea. Et locutum est os meum in tribulatione mea. Holocausta medullata offeram tibi cum incenso et arietibus, offeram tibi boves cum hircis.* An ignorat Propheta ex persona Dei in Spiritu se locutum : *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos* (*Psal.* XLIX, 9)? et : *Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo* (*Ibid.* XIII)? et rursum : *Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique, holocaustis non delectaberis* (*Psal.* L, 18)? Cesset igitur opinionis nostræ error, ut hæc vovisse martyres existimemus. Sed in martyriis posterorum reddunt Deo quæ locuti sunt vota, ipsi quidem se primum Deo voventes, et se ipsos holocausta præbentes ; quia in his domum Dei introibunt, in passionum suarum tribulationibus Pauli voce clamantes : *Quis nos separabit a charitate Dei? tribulatio an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum* (*Rom.* VIII, 45)? et : *Confido quod neque mors, neque vita, neque præsentia, neque futura, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu* (*Ibid.*, 38). Hæc ergo in tribulatione primum (*c*) beatorum Martyrum vota sunt, quæ in tribulationibus **205** suis loquuntur et spondent : tum deinde, ut ex nobis holocausta medullata consummentur. *Medullata* ob id, quia fides animæ et cordis officium est, resque hæc voluntatis internæ est. *Cum incenso* quoque arietes offeruntur. Quid autem sit incensum, ita hoc eodem psalmorum libro docemur (*d*) : *Fiat oratio mea tamquam incensum in conspectu tuo* (*Psal.* CXL, 2), in incenso, orationes intelligendas esse significans. Qui vero sub arietum nomine ostendantur, anterior psalmus ostendit, cum ait : *Induti sunt arietes ovium* (*Psal.* LXIV, 14) : in his enim tamquam in principibus gregum significat sacerdotes, quos doctrinæ apostolicæ eruditio cum orationum odore (Bonus enim, secundum Apostolum, in Christo odor sumus (II *Cor.* II, 15), ad martyrii studium prosequitur. Non solum autem arietes cum incenso offeruntur, sed etiam boves offeruntur, id est, contumacis naturæ pecora in culturam Dei mitigantur, in hoc martyrium Christi nominis doctrinis apostolicis edomita.

25. In eo autem quod dicitur : *Offeram tibi boves cum hircis*, virtutem verbi ex hebræo in græcum demutati latinus sermo non tenuit. Nam quod nobiscum est, *offeram tibi boves cum hircis;* cum illis ita habetur, ἀνοίσω σοι βόας μετὰ χειμάῤῥων (*e*). Χείμαῤῥοι cum Græcis non proprium, sed appellativum nomen hircorum est, et eorum maxime qui in ipso hiemis tempore editi sint. Et Scriptura hoc in loco tantum χειμάῤῥους nuncupavit ; cæteris autem locis τράγους

(*a*) Jam in psal. LVIII, n. 6, observavimus innui, cœli ingressum Stephano post mortem patuisse. Idipsum hic de Martyribus cæteris disertius prædicatur. Quid enim *cœlestis domicilii habitatio*, nisi cœli possessio? quæ si martyribus consummatis hostiarum suarum sacrificiis concedatur, necesse est non differatur diu post mortem, per quam vitæ ac corporis sui sacrificia consummant.

(*b*) Reg. ms. *omnem posteritatis fidem.*

(*c*) Ita cum ms. reg. editio Bad. At Er. Lips. et Par. *prima.*

(*d*) *Subaud.* cum ait.

(*e*) Verba græca in Badii editione omissa Erasmus, cum sibi deessent horum tractatuum exemplaria mss. ex vulgatis bibliis græcis utcumque supplevit, ex quibus hic posuit μετὰ χιμάρων, omisso subsequente vocabulo χείμαῤῥοι. Ex regii codicis valde deformibus litteris, utpote exaratis a viro legendi ac scribendi græce prorsus imperito, totum hunc locum, quoad potest, resarcimus. Ac primum ex eo, loco χιμάρων, ponimus χείμάῤῥων, a vocabulo χειμὼν seu χειμὰς, *hiems*, maxime cum subjiciat Hilarius eodem vocabulo torrentes hiemalibus pluviis auctos significari : qui certe χειμαῤῥοι, non χίμαροι enuntiantur. Deinde ex eodem ms. adjicimus χείμαῤῥοι, cui vocabulo aliquot characteres, præfiguntur, ex quibus conjectamus, imo prope constat legendum esse, *a* χείμας, χείμαῤῥοι *cum græcis*, etc.

quos nos hircos dicimus, posuit (*a*). Confirmat autem spiritalis intelligentiæ sensum aliorum consonans sibi et concors translatio, qui pro *χειμάῤῥοις, τράγους καιρίους* transtulerunt (*b*) *τράγοι καίριοι* autem significantur, qui ex ipso tempore editi sunt; *χείμαῤῥοι* autem, quos hiems genuit : unde et torrentes eodem vocabulo græcitas nuncupat, quos ex nihilo in fluvios hiems auxerit.

26. *Martyrum exemplo martyrium subiere fidei ignari.* — Ergo cum ait *βόας μετὰ χιμάρων* (*c*), non de pecudibus se loqui propheticus sermo demonstrat, sed in bubus Ecclesiæ se homines ostendere, in *χειμάῤῥοις* autem, eos quos ipsa persecutionis tempestas in martyrii gloria genuerit (*d*) Scimus enim plures sacramentorum **206** divinorum ignaros, exemplo martyrum ad martyrium cucurrisse : et extra scientiam fidei ante viventes, facto fidei præsentis edoctos, ipsam illam consummatæ in martyrio fidei gloriam consecutos. Qualis fuit ille qui Dominum in ipsa sua damnatione confessus est, dicens : *Memento mei, Domine, cum veneris in regnum tuum* (*Luc.* XXIII, 42) : Qui mox tale martyrii hujus a Domino munus accepit : *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso* (*Ibid.*, 45). Hujus (*e*) igitur similes apostolicæ doctrinæ eruditio Deo offert, cum hominibus diuturnæ frugiferæque culturæ, sub ipsa desævientis hiemis tempestate (*f*) progenitos. Dicente autem Deo : *Quo mihi multitudinem hostiarum vestrarum? Plenus sum. Holocausta arietum et adipem agnorum et sanguinem taurorum et hircorum nolo. Quis enim hæc exquisivit de manibus vestris?* superfluum est existimare, in bubus et hircis tamquam perfecta solemniorum vota placuisse.

27. *Diapsalma. Piis refert David sibi ei Deo indulta.* Demutat ut in cæteris interjectio diapsalmæ personam atque sensum, doctrinæ tamen ordine non dissidente. Postea enim quam ex persona apostolorum, evangelistarum, martyrum, prophetarum (*g*) ostenderat, quibus modis anima ejus posita esset in vitam, id est, per passionum pœnas atque mortes, per quas in locum beatitudinis transisset reddens in holocaustis Deo vota : post hunc ergo sermonem quem omnem ad Deum habuerat, eos nunc quos ad holocaustorum solemnia erudierat affatur, dicens, VERS. 16 : *Venite et audite, et enarrabo vobis omnes qui timetis Deum.* Advocat non incertos neque ad incerta. Nam qui sint quos advocet, docet : *Omnes qui timetis Deum* irreligiosis enim neque adeundi, neque audiendi voluntas est. Dehinc quid enarraturus sit significat : *Quanta fecit animæ meæ.* Hanc enim posuit in vitam, hanc in refrigerium induxit, hæc in holocaustis domum Dei introibit.

28. *Quæ oris et et cordis clamore meruit.* Sed ut hæc animæ fierent, ex causis meruit ut fierent. Quibus vero causis meruit, edicit, VERS. 17 : *Ad ipsum clamavi ore meo.* Meruit ergo bona animæ, quia ad eum ore clamavit. Sed clamor oris plerumque mendax **207** est : et non semper verborum sonus affectum mentis enuntiat. Sequi ergo clamorem oris debet et sensus : et secutus est. Nam Propheta connexuit : *Et exaltavi sub lingua mea* : non in lingua, sed *sub lingua* : in occultis scilicet linguæ, et quodam intra se tacitæ voluntatis eloquio. Quod idipsum in Evangeliis Domino placuit dicenti : *Intra in cubiculum tuum, et claude ostium tuum, et ora : et pater tuus qui videt in absconso, reddet tibi* (*Matth.* VI, 6). Ergo nunc qui ore clamatus est, exaltatur sub lingua Deus.

29. *Meruit ei ob cordis puritatem.* Sed qui sub lingua exaltatur, omni cordis puritate venerandus est : nec sufficit non egisse aliquid impium, si mente cogitatur impietas. Ab eo autem qui sub lingua exaltet Deum, hanc impietatis cogitationem abesse oportere Propheta docuit, dicens, VERS. 18 et 19 : *Injustitiam si conspexi in corde meo, non exaudiat* (*h*) *Deus. Propterea exaudivit me Deus, et intendit voci orationis meæ.* Iniquitatem non modo re non effecit, sed nec corde conspexit. Vel certe iniquitatem non conspexit in corde, nullum scilicet vitium iniquæ suæ voluntatis in corde suo contuens : et ob id dignus audiri. In vitam enim ejus anima posita est, pedesque ejus non commoti sunt, et in refrigerium inductus est, et domum Dei introibit (*i*), et quæ distinxerat labiis vota persolvit Deo. Honoris et gloriæ confessione subnixus, ait, VERS. 20 : *Benedictus Deus, qui non amovit deprecationem meam, et misericordiam suam a me*, laudem Dei cœptam in exordio psalmi, in fine confessus, cui gloria est in sæcula sæculorum. Amen.

(*a*) In regio codice hic latinis litteris verbum *tragos* repetitur, sicut et paulo ante vox *χειμάῤῥους* latinis et græcis characteribus exprimitur.

(*b*) Editi post Erasmum, *qui pro χιμάρους, τράγους transtulerunt : τράγοι autem significantur..... χίμαροι autem*, etc., restaurantur ex ms. reg. in quo tamen *καιρίμους* aut *καιριάλους* ac deinde *καίριμοι* potius exhibetur quam *καιρίους* ac *καίριοι*. Verum illud constat, vocabulum hoc a verbo *καίρος*, quod est *tempestas*, originem ducere. Hujus porro translationis, cujus hic Hilarius mentionem facit, vestigia nobis non licuit apud veteres deprehendere. In Turon. ms. *qui pro χειμάροις, καιρικοὺς transtulerunt ; καιρικοὶ autem.*

(*c*) Verba *μετὰ χιμάρων* in prius vulgatis omissa restituimus ex dicto codice Regio, cujus scribendi rationem, et si superioribus non consentientem, retinemus. In Turon. quidem *μετὰ χειμάρων*.

(*d*) Par. ex ms. Mic. *per martyrii gloriam.* Editiones aliæ, *in martyrii gloriam.* Reponimus ex ms. reg. *in martyrii gloria*, quamvis ex aliis lectionibus nulla displiceat. Vult Hilarius bobus significari homines in Ecclesiæ sinu natos, *χειμάῤῥους* autem eos qui primum extra Ecclesiam nati, martyrum exemplo fidem amplectentes ac publice profitentes, martyrii gloriam continuo assequantur.

(*e*) *Supple* latronis.

(*f*) Apud Par. *potestate.*

(*g*) Turon. codex, *Propheta ostenderat.* Hanc lectionem confirmat initium num. 22.

(*h*) Ita cum Theodoreto et LXX reg. ms. At vulgati *non exaudiet.*

(*i*) Excusi hic, *introivit* : superius autem ad calcem n. 27, *domum Dei introibit.* Utroque loco mss. habent, *introibit.* An utroque legendum *introivit?*

PSALMUS LXVI.

In finem hymnus (f. *in hymnis*) *Psalmus cantici David.*

Deus misereatur nobis, et benedicat nos : illuminet vultum suum super nos, et misereatur nobis. DIAPSALMA. *Ut cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum. Confiteantur tibi populi, Deus, confiteantur tibi populi omnes. Lætentur et exultent gentes : quoniam judicas populos in æquitate, et gentes in terra deduces* (*a*). DIAPSALMA. *Confiteantur tibi populi, Deus, confiteantur tibi populi* 208 *omnes : terra dedit fructum suum. Benedicat nos Deus noster, benededit nos Deus, et metuant eum omnes fines terræ.*

TRACTATUS PSALMI.

1. *Qui in eo psalmo loquantur.* —VERS. 1. Psalmus brevis est, et evangelica prædicatione absolutus. Nam et (1) *in finem* est, et *psalmus cantici* est : per quod confessio per scientiam gerendorum, et per doctrinam proficientia gesta cantantur. Et principium ejus unde oportuit sumptum est. Est autem omnis in eo sermo vel prophetarum, vel apostolorum : quorum alii venturum in corpore unigenitum Deum, alii venisse docuerunt, sancto Spiritu illuminati et honore gloriæ cœlestis expleti. Oratio ergo eorum in psalmi exordio esse noscenda est.

2. *Peccatorum remissio est gratuita.* — VERS. 2. *Deus misereatur nobis, et benedicat nos; illuminet vultum suum super nos, et misereatur nobis.* Secundum doctrinæ ordinem, primum misericordia Dei poscitur. Ex copia enim bonitatis suæ misericordiam in peccatorum remissione (*b*) largitur : et peccatorum remissio non probitatis est meritum, sed spontaneæ indulgentiæ voluntas, ex bonitatis divitiis admiserandi munus exuberans. Ergo qui misericors est, ut benedicat oratur. Et benedictionis quidem fructum jam in exordio formati hominis cognovimus, cum talis ad Adam tum adhuc peccati nescium sermo est : *Crescite, et multiplicamini et replete terram, et dominamini ejus* (*Gen.* I, 28). Ista quidem quamvis corporaliter tantum dicta plerique arbitrentur : tamen spiritali doctrina eruditis plus de se virtutis præbuerunt. Hæc enim benedictio non creationis (*c*) tantum corporalium successionum Adæ largita est. Quamvis A enim fecundæ ejus soboles futuræ essent, tamen terram implere non poterant : quæ pro copia hominum licet habitetur, non tamen adimpletur (2). Verum terram corporis nostri impleri doctrinis spiritalibus voluit, et multiplicari et crescere scientia (*d*) Dei. Per Adam enim atque in ipso Adam, qui primus opus Dei fuerat, oportuerat cognitionem Dei inchoari : sed eo peccatis coinquinato, benedictionis istius fructum Prophetæ (3) sibi atque Apostoli deprecantur. Quem beatus Apostolus consecutus, ita de se gloriatur : *Benedictus Deus, qui benedixit nos in omni benedictione* (4) *spiritali in cœlestibus in Christo* (*Eph.* I, 3). 209 Hi ergo crescunt, multiplicantur, replentur, qui in Christo cœlestes sunt : et benedicti sunt, qui spiritali benedictione in cœlestibus benedicuntur. Et B videamus an benedictionis istius fructum præsentis (5) psalmi oratio deprecetur.

3. *Lux nostra Dei munus:* — Post misericordiam enim et benedictionem id sequitur : *Illuminet vultum suum super nos, et misereatur nobis.* Benedictione Dei opus est, ut nos vultus ejus illuminet ut tenebrosa corda nostra cognitionis suæ lumen irradiet, ut majestatis suæ Spiritus (*e*) lucem obscuratis intelligentiæ nostræ sensibus tribuat; et gloriari deinceps liceat, dicentes : *Designatum est super nos lumen vultus tui Domine* (*Psal.* IV, 7). Hanc autem illuminationem vultus sui super nos misericordia ipsius, quæ in peccati remissione (*f*) in nobis est cœpta, largitur. In quem autem profectum illuminationem vultus Dei super se precentur, sermo consequens docet.

C 4. *Notitia viæ Dei Gentibus oratur.* — DIAPSALMA. VERS. 3. *Ut cognoscamus in terra viam tuam; in omnibus gentibus salutare tuum.* Interjectio diapsalmi, etsi conversionem personæ non (6) attulit, sensum tamen demutavit (*g*). Nunc enim sermo est ad eum qui nunc usque fuerat in votis. Quod autem in latinis libris ita scribitur : *Ut cognoscamus in terra viam tuam*, in græcis ita est τοῦ γνῶναι ἐν τῇ γῇ τὴν ὁδόν σου (*h*). Inter γνῶναι (*i*) et *cognoscamus*, id differt, quod sine personæ definitione est γνῶναι; *cognoscamus* autem, ipsos eos qui hæc loquuntur ostendit. Ergo secundum veram illam græcitatis translationem, illuminari se Dei vultu ob id deprecantur, ut cognita

(1) *In fine.*
(2) *et impletur.*
(3) In ms. *Profeta.* David tantummodo intelligit.
(4) *In omnibus.*
(5) *Fructus præsens.* præsens *oratio.*

(6) *Personæ attulit, sensum tamen non demutavit.* Ita codex et Erasmiana editio. Sensus quidem demutatio heic apparet nulla, et personæ conversionem videtur Hilarius statim innuere : *Nunc enim sermo est ad eum*, etc.

(*a*) Hil. *dirriges.*
(*b*) Excusi; *in peccatorum remissionem.*
(*c*) Reg. ms. *concreationis*, Mic. *congregationes*, loco *non creationis.*
(*d*) Par. *crescentia Dei :* renitentibus al. edd. et mss.
(*e*) Editi, *lucem obscuritatis :* emendantur ex reg. ms.
(*f*) *Reg. ms.* remissionem.
(*g*) In vulgatis hic desideratur particula negans, quæ ab Erasmo ante verbum *demutavit* adjecta, deinceps obtinuit. Ex qua lectione efficiebatur, hic mutationem esse personæ non sensus, cum prædicet Hilarius conversionem esse sensus non personæ. Nam D et ad Deum, ad quem cœpit sermo, deinceps continuatur; et ut ait n. 1, *omnis in eo* psalmo *sermo vel Prophetarum vel Apostolorum* est. Eo autem demutatur sensus, quod qui prius sibi, nunc aliis deprecari incipiant, maxime secundum vim sermonis græci, ex quo mallet Hilarius translatum esse *ut cognita fiat*, quam *ut cognoscamus*. Veram lectionem exhibuit ms. Reg.
(*h*) In codice Turon. græca verba latine sic enuntiantur : *tu gogne en ti gi tin odon su;* quod alterum exemplum sit pronuntiationis olim usitatæ.
(*i*) Restituimus ex Reg. ms. *inter γνῶναι*, quod in ante excusis desiderabatur.

fiat in terra Dei via, quæ est doctrina vitæ religiosæ. Per eam enim ad Deum pergitur. Religiosæ autem viæ (1) doctrina Christus est, quam se esse in Evangeliis ostendit, dicens : *Ego sum veritas, via et vita* (*Joan.* XIV, 6) ; et rursum : *Nemo ad Patrem vadit, nisi per me* (*Ibid.*). Et hunc esse viam, ipse ille connexus sibi psalmi sermo testatur. Quæ *in terra*, id est, vel ex terra ortis, vel terram inhabitantibus cognoscibilis, et nota præstanda est. *Ut cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum.* Jesum salutarem dici (*a*) ipse ille proprietatis sermo loquitur. Nam quod nobiscum *salutare* est, id apud Hebræum Jesus est. Confirmat autem istud Angelus **210** ad Joseph de Maria loquens, *Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum : quia ipse salvum faciet populum suum a peccatis* (*b*) (*Matth.* I, 21). Jesum itaque ostendit angelus idcirco, quia salutaris esse populo, nuncupandum. Tantæ ergo prædicationi se impares esse nisi illuminentur ostendunt : nisi quodam vultus Domini splendore lucescant. Sunt enim (*Matth.* V, 14) et ipsi secundum Evangelium lumen mundi (Dominus autem ipse lux vera est) (*Joan.* I, 9) a luce illuminati, ut lumen essent apostoli et prophetæ. Cæterum superfluum est ideo illuminari se velle, ut cognoscant ea de quibus quasi cognitis prædicabant.

5. *Unde gentibus lætitia.* — Hanc autem omnem propheticam atque apostolicam doctrinam necesse est confessio populorum, et remissorum peccatorum lætitia consequatur. Neque solum peccatorum remissorum : sed quod eum, qui peccata remiserit, æquitatis futurum judicem sciant, quod per eum in viam vitæ omnes gentes terram inhabitantes dirigantur, relicto idolorum errore ad cognitionem Dei eruditæ. Idcirco hæc sequuntur, VERS. 4 et 5 : *Confiteantur tibi populi omnes. Lætentur et exsultent gentes; quoniam* (*c*) *judicabis populos in æquitate, et gentes in terra* (2) *diriges.* Cum confitentur populi, designari videntur ex tribubus duodecim vel credentes vel credituri. Cum confitentur omnes populi, exceptio nulla fit gentium. Cum lætantur et exsultant gentes, quoniam judicabit populos in æquitate, et gentes in terram diriget, causa lætitiæ ex spe judicii æterni, et directarum in viam vitæ gentium prædicatur.

6. *Confessio duplex.* — Interjectio diapsalmi videtur hic nihil innovasse, cum præsertim sub iisdem verbis sensus iteratus sit, VERS. 6 : *Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes.* Sed cum adjicitur, VERS. 7 : *Terra dedit fructum suum*, intelligitur non ex nihilo eorumdem verborum facta esse repetitio; si tamen idipsum sub iisdem verbis significatum intelligere debeamus. Invenimus enim confessionem duplici ratione tractandam esse : unam confessionem peccatorum (*d*), ubi in deserto Jordanis confitebantur peccata sua esse : aliam laudationis Dei, ubi Dominus loquitur ad Patrem, *Confiteor* (*e*) *tibi, Domine pater cœli et terræ, quoniam* **211** *abscondisti hæc a sapientibus, et revelasti ea parvulis* (*Matth.* II, 25). Prima ergo illa et superior confessio peccatorum esse credenda est maxime quæ prædicationi propheticæ atque apostolicæ connectitur : sequens hæc laudationis Dei intelligenda est populorum, deinde omnium, id est, gentium universarum ; et ob id, quia terra fructum suum dederit.

7. *Fructus terræ proprius per primum Adam amissus, per secundum redditus.* — Sed quærendum est quem fructum terra dederit, ob quem populi omnes Deum laudent. Causa quidem Deo debitæ laudationis æterna est, quod corporales hos et nobis necessarios fructus terra suppeditet : sed terræ non sunt. Aut enim nostri sunt quibus præbentur, aut Dei sunt per quem ministrantur. Requiramus ergo quos fructus terra et habuerit, et amiserit. Per id autem quod amisit, ostendemus habuisse. Adæ terram meminimus post peccatum datarum sibi benedictionum honore fuisse spoliatam. Ipsi enim dictum est : *Quoniam terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III, 19). Ergo quia terra est, hac (*f*) post peccatum maledictione damnatur : *Maledicta terra in operibus tuis, in doloribus edes eam omnibus diebus vitæ tuæ, spinas et tribulos generabit tibi* (*Ibid.*, 17). Terræ elementum extra crimen fuit : caret ergo maledictione, quod carebat et crimine. Verum hic Adæ terra, quæ per illecebram cibi erat criminosa, maledicitur. Hæc ergo ab eo omnibus præsentis vitæ mœroribus consumitur, et ægritudinum doloribus editur omnibus, in spinis et tribulis vitiorum et cupiditatum aculeis compuncta. Omnis ergo terreno Adæ similis, hos maledictos fructus terræ suæ reddit. Cæterum qui jam cœlesti Adæ configuratur, habet innocentem terræ suæ fructum, primum Dei cognitione locupletem, deinc castitatis, justitiæ, misericordiæ operibus gloriosum, vetere homine cum vitiis et concupiscentiis ejus exuto. Ob id ergo Deo est reddenda confessio, quod terra fructum suum dederit. *Suum* : quia eum Adam cum habuisset, amiserat. Dedit ergo quod suum est, id est, fructum qui ei et in cognitione Dei est, exhibuit in ipso illo primum Domino nostro, qui terrenum corpus assumpsit nihil peccans.

8. *Deus Patriarcharum quasi hæreditate jam noster.* — Ob quæ demonstranda et docenda, rursum bene-

(1) *Vitæ.*
(2) *In terram*, ut paulo infra explicans Hilarius ipse, *et gentes*, inquit, *in terram diriget.*

(*a*) Excusi, *Jesum salutare ac salutarem dici.*
(*b*) Iterum hic in vulgatis subjicitur *eorum* : quam vocem a sincerioribus mss. abesse jam observatum est in ps. LI, n. 24.
(*c*) Reg. ms. *judicas.* Mox juxta græcum *in terra*, non *in terram.* At subnexæ enarrationi magis consentit lectio vulgata.
(*d*) Bad., Er., Lips. et ms. Reg. *confessorum peccatorum.*
(*e*) Par. ex ms. Mic. *confitebor*, quod et Regius videtur habuisse.
(*f*) Ms. Reg. et Veron. *hæc.*

dictionis Dei munus oratur, cum dicitur : *Benedicat nos Deus.* Ac ne de incerto et incognito Deo sperari benedictio existimaretur, adjectum est : *Deus noster :* patriarcharum scilicet et prophetarum, et apostolis ipsis tamquam successionis hæreditate jam proprius (*a*) : in quibus fructum suum dedit terra, continentiæ et fidei et justitiæ et **212** misericordiæ, quin etiam inter ipsos sævissimarum persecutionum cruciatus atque mortes, ipso jam divini nominis devota martyrio.

9. *Timor Dei, qualis esse debeat.* — Repetitur deinde benedictionis oratio, cum dicitur : *Benedicat nos Deus.* Non ex nihilo iterantur hæc vota : sed ut per benedictionem Dei augescente doctrina Deum omnes terræ fines timeant. Ait enim : *Et metuant eum omnes fines terræ.* Metuant ergo omnes fines terræ Deum, sed Deum nostrum, sed Deum benedicentem. Non est minimum officium fidei, metus. Nam inter præcipua spiritualium gratiarum dona numeratur, cum dicitur per Esaiam : *Et* (*b*) *replevit eum spiritus timoris Dei* (*Esa.* XI, 3). Et per Salomonem : *Initium sapientiæ timor Domini est* (*Eccl.* I, 16). Beatus cui provenerit timere (1) non ex naturæ humanæ trepidatione, sed ex cognitione rationis. Qui enim ex infirmitate in rebus trepidis metuit, hic in secundis rebus rursum ex naturæ vitio insolescit. At qui ex scientia timet, semper timet, neque minus secunda quam adversa formidat. Sumit igitur originem sapientia ex timore, res utiles atque probabiles exsequendo, quæ propriæ peculiaresque sapientiæ sunt. Hunc ergo Dei timorem omnibus terræ finibus Propheta optat, ut nulla gens terram incolens extra metum ejus sit, Apostolo voti ipsius summam explicante, cum dicit : *Et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus in gloria est Dei patris* (*Phil.* II, 11), qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS LXVII.

In finem ipse David psalmus cantici (2).

Exsurgat Deus, et (3) *dissipentur inimici ejus : et fugiant odientes eum a facie ejus. Sicut deficit fumus, deficiant ; sicut liquefit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei. Et justi lætentur lætitia : exsultent in conspectu Dei, epulentur in lætitia. Cantate Deo, psallite nomini ejus, iter facite ei qui adscendit super occasum ; Dominus nomen est illi ; et exsultate in conspectu ejus. Turbabuntur a facie ejus, patris orphanorum et judicis viduarum. Deus in loco sancto suo : Deus inhabitare facit unimores in domo.* **213** *Educes vinctos in fortitudine, similiter eos qui exacerbant* (al. *exacerbabant*), *qui inhabitant in sepulcris. Deus dum egredereris coram populo tuo, dum transgredereris in desertum, terra mota est. Etenim cœli distillaverunt a facie Dei, mons Sina a facie Dei Israel. Pluviam voluntariam segregabis, Deus, hæreditati tuæ : et infirmata est, tu vero perfecisti eam. Animalia tua habitabunt in ea : parasti in dulcedinem tuam pauperi Deus* (*c*). *Dominus Deus dabit verbum evangelizantibus virtutibus multis : rex virtutum dilecti : et pulcritudini domus dividere spolia. Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ : et posteriora dorsi ejus in viriditate auri. Deum discernit cœlestis reges super eam, nive dealbabuntur in Selmon : mons Dei, mons uber, mons consecratus, mons pinguis : ut quid suscipitis* (*d*) *montes caseatos ? Mons in quo beneplacitum est Deo habitare : in eo etenim Dominus habitabit usque in finem. Currus Dei decem millium multiplex, millia lætantium : Dominus in illis in Sina in Sancto, adscendit in altum, cepit captivitatem, dedit dona in hominibus. Etenim non credentes inhabitare Dominum Deum* (*e*). *Dominus Deus benedictus de die in diem, prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum. Deus noster Deus salvos faciendi : et Domini Domini* (*f*) *exitus mortis. Verumtamen conquassabit capita inimicorum suorum : verticem capilli deambulant* (*g*) *in delictis suis. Dixit Dominus : Ex Basan convertar* (*h*) *in profundum maris ; ut intinguatur pes tuus in sanguine ; lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso. Visa sunt itinera tua, Deus, itinera Dei mei, regis qui est in sancto. Prævenerunt principes conjuncti psallentibus : in medio juvenum tympanistriarum. In ecclesiis benedicite Dominum Deum de fontibus Israel. Ibi Benjamin junior in pavore, principes Juda duces eorum, principes Zabulon, principes Nephtalim. Manda* **214** *Deus virtutis* (*i*) *tuæ . confirma Deus quod operatus es in nobis. A templo tuo in Jerusalem, tibi offerent* (*j*) *reges munera. Increpa feras sylvæ, concilium taurorum inter vaccas populorum, ut* (*k*) *excludantur hi qui probati sunt argento. Dissipa gentes quæ bella* (*l*) *volunt. Venient legati ex Ægypto, Æthiopia præveniet manus ejus Deo. Regna terræ, cantate Domino* (*m*) *et psallite Domino. Psallite Deo nostro* (*n*), *qui adscendit super cœlum cœli ad Orientem. Ecce dabit vocem suam vocem virtutis : date gloriam Deo. Super Israel magnificentia ejus, et virtus ejus in nubibus. Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ : benedictus Deus est.*

(1) *Timor.*
(2) *In fine Psalmus cantici David.*
(3) *Dispargantur.*

(*a*) Apud Par. *jam proximis* : male.
(*b*) Bad. Er. et Lips. *replebit eum* : consentientibus LXX, sed dissidentibus mss. Tum editio Par. *spiritu timoris Domini.* Quæ deinde sequitur sententia Salomonis nomine laudata, ex ipso verborum ordine judicatur non ex Prov. I, 7, sed ex Ecclesiastico esse petita. Sed et in Psal. CXL, n. 4 et cap. 7 in Matth. Ecclesiastici liber Salomoni nuncupatur.
(*c*) Hilarius, *in dulcedine tua pauperi* sine *Deus.*
(*d*) Hil. *suscepistis.*
(*e*) Hil. omittit *Dominum Deum.*
(*f*) Hil. non repetit *Domini.*
(*g*) Infra, *deambulantium.*
(*h*) Infra rursum, *convertar.*
(*i*) Infra, *virtuti.*
(*j*) Hil. *afferent.*
(*k*) Hil. hic addit *non.*
(*l*) Hil. *bellum.*
(*m*) Infra, *Deo.*
(*n*) Infra abest *nostro.*

TRACTATUS PSALMI.

1. *Psalmus hic totus ex veteris ac novæ legis sacramentis contextus.*—VERS. 1. Psalmus non a David, sed *illi David in finem* præscribitur. Deinde non Canticum psalmi, sed *Psalmus* est *cantici* : ut in eo cognitionis et scientiæ propheticæ enuntiatio doceretur. Est autem totus ipse sacramentis legis Evangeliorumque contextus, magnaque et ex præteritis et ex futuris allegoricorum dictorum interpretatione confertus : qui et legis latæ in se doctrinam contineat, et assumptæ a Domino carnis afferat notionem, et impietatem populi anterioris exprobret, et futuræ cognitionis nostræ fidem nuntiet, et Domini super cœlos complectatur ascensum, et futuri regni ejus gloriam comprehendat. Initium autem ex eo sumpsit Propheta, in quo salutis nostræ consistit (*a*) effectus. Cœpit enim ita.

2. *Optatur resurrectio Christi, ac per eam fuga dæmonum.* VERS. 2. *Exsurgat Deus, et dissipentur* (1) *inimici ejus; et fugiant odientes eum a facie ejus.* Sermo votorum est (*b*), non ex incerto poscentis, sed ex cognitione scientiaque sperantis : resurrectionis enim nunc in Deo tempus optatur : cum de peccato peccatum in carne condemnans, potestates hujus mundi ostentui fecit, cum fiducia triumphatis his in semetipso (*c*) (*Coloss.* II, 15). Venit enim mundum vincere, et principem mundi cum peccati lege configere, et decretum mortis, peccati remissione delere. Hanc igitur Propheta fugam horum inimicorum ejus exspectat. Neque enim resurgentis ex mortuis occursum ejus potuit hæc odientium (*d*) eum turba dæmonum ferre (2), 215 cum ad primam (*e*) apostolicæ fidei post subjectas his spiritales nequitias potestatem cecidisse de cœlo Satanam modo sit fulguris prædicatum (*Luc.* X, 18), et princeps mundi in passione sit judicatus (*Joan.* XII, 31). Sed fugientes a facie Dei, trepidationem suam quidem dum fugiunt ostendunt; evadere tamen faciem Dei, quamquam fugiant, non possunt. Nam et trepidationem earumdem nequitiarum spiritalium psalmo anteriore declarat, dicens : *Misit sagittas suas; et dissipavit eos; et fulgura multiplicavit;* A *et conturbavit eos* (*Ps.* XVII, 15). Conturbantur itaque, et fugiunt dissipati. Verum Dei vultus non effugiunt potestatem, secundum illud : *Adscendit fumus in ira ejus, et ignis a facie ejus exardescet* (3 *f*), *carbones succensi sunt ab eo* (*Ibid.*, 9). Horum itaque inimicorum fugam, hæc et interitus et judicii pœna consequitur (*g*).

3. Et sane idem nunc qui in anteriore psalmo prophetiæ ordo distinguitur. Sequitur enim, VERS. 3 : *Sicut deficit fumus, deficiant; sicut liquefit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei.* Fumus cum emerserit, licet globosus et crassus, tamen paulatim ita deficit aboleturque, ne exstet ; sicut in conspectu ignis cera sic liquescit, ut non sit : fumo quidem in igne (4) per levitatem sui tenuitatemque dilapso, cera autem vi et calore ignis absumpta ; quia infirmis (*h*) B ipsa per sese, naturæ potioris diripiatur ardore : quem in modum omnis iniquorum (*i*) potestas a facie Dei, id est, Dei judicio deliquescit.

4. *Lætitia justorum qualis.* — Et hunc peccatorum a facie Dei interitum, necesse est ut justorum lætitia consequatur. Nam et continuo subjectum est, VERS. 4: *Et justi lætentur lætitia* (5). Æqua enim (*j*) judicii cœlestis et justa moderatio est, ut peccatores morte conficere, ita, et justos lætitia munerari. Idipsum autem ad ostendendum judicii examen est consecutum : *Exsultent in conspectu Dei, epulentur in lætitia.* Mundo enim corde, secundum evangelicæ benedictionis merita, conspectu Dei digni sunt (*Matth.* V, 8). Verum lætari in lætitia significationis est 216 altioris (*k*), causam scilicet perfectæ lætitiæ ostendens. Plerique enim in his quæ sibi sunt nocitura C lætantur ut gaudet lascivus in scortis, ut fur lætatur in furtis, ut unumquemque pro vitiis suis ea quæ exercet oblectant. Verum qui in lætitia lætatur, causam lætitiæ ex ipsius lætitiæ (*l*) honesta utilique veritate suscipit. Et idcirco ait : *In lætitia lætentur*, quia in conspectu Dei exultabunt : eam veræ exsultationis docens esse lætitiam, quæ conspectus Dei jucunditate perfecta sit. Exsultationis autem hujus atque epulantium gaudia (*m*), ex quibus est lætitia justorum, sanctus Moyses in divina illa Deuteronomii

(1) Heic rursus, *dispargantur.*
(2) *Perferre.*
(3) *Exardescit.*
(4) *Inane.* Forte *in inane*, non *in igne.*
(5) *In lætitia.*

(*a*) Reg. ms. *constitit.*

(*b*) Lips. et Par. *Summa votorum est :* refragantibus Bad., Er. et omnibus mss.

(*c*) Ita mss. hic, ut et lib. I de Trin. n. 13, nec dissidet græcum τριαμβεύσας αὐτοὺς ἐν αὐτοῦ. Editi vero, *triumphans in semetipso.* Ac deinde Lips. et Par. *Venit enim in mundum*, addito *in.*

(*d*) Reg. ms. *odio habentium :* ex eodem codice deinde ponimus *ferre*, ubi in vulgatis *perferre.* Sic in Psal. LI, n. 24, Jesu nomen commendatur, *quod dæmones tremunt, et ferre non possunt.*

(*e*) Editi, *ad primam apostolicæ fidei vocem post subjectas hic spiritalis nequitiæ potestates excidisse de cœlo*, etc. In ms. Turon. *ad primam apostolicæ fidei doctrinam, post subjectas his spiritalis nequitiæ potestates excidisse de cœlo* : quod quamdam veri speciem præ se fert quam veritatem. Aliter autem in reliquis mss. et evangelicis dictis. Nempe allusio fit ad potestatem quam Christus mittens septuaginta discipulos dedit eis in dæmonia. Videsis Lucæ X, 18.

D (*f*) Reg. ms. *exardescit.* Nil immutandum, ut observatum est in psal. LXIV, n. 7.

(*g*) Editio Par. *pœnam consequitur;* aliæ, *pœna consequentur.* Emendantur ex mss.

(*h*) Editi, *infirmæ.* At mss. *infirmis* in recto casu, subaud. *cera.*

(*i*) In ms. Mic. *inimicorum :* quod posset referri ad superiora, *dissipentur inimici*, nisi propiora essent, *sic pereant peccatores.*

(*j*) Bad. *Et quia enim.* Exinde expuncto *quia* editiones cæteræ, *Etenim :* restaurantur ex mss.

(*k*) Reg. ms. *interioris :* non male. Forte legendum, *ulterioris.*

(*l*) Bad. *ex ipsis lætitiæ honestamen talique veritate*, etc. Quod Erasmus in textu retinens ad marginem adscripsit, *Forte : ex ipsis honestis mortalique.* Deinde Lipsius, substituit, *ex ipsius honesta mentalique.* Veram lectionem exhibent mss.

(*m*) In ms. Turon. *epulantium gaudii.* Mox codex Vatic. *lætitia justorum.* Alii vero *lætitia justo.*

cautione ita meminit, dicens : *Jucundamini cœli simul cum eo, et adorent eum omnes angeli Dei. Jucundamini gentes cum populo ejus, et confortent* (*a*) *eos omnes filii Dei* (*Deut.* XXXII, 45). In hac itaque lætitia lætabuntur et justi, cœlesti gaudio unanimes, exsultationis divinæ societate lætantes (*b*).

5. *Hortatio plus valet, si ratio agendi non sileatur.* — Ad cujus nos temporis gratulationem sub fidei evangelicæ confessione nunc Propheta advocat dicens, VERS. 5 : *Cantate Deo, psallite nomini ejus, iter facite ei qui adscendit super occasum. Dominus nomen est illi : et exsultate in conspectu ejus :* Adhortatio omnis licet multum ad quemdam impulsum et voluntatis nostræ proficiat et mentis, cum ad aliquid optandum agendumque conciliante (*c*) casu vel illiciente deducimur : tamen si maxime adhortationis ipsius causa proposita sit, jam ratione animus ac via tamquam certissimo duce nititur. Ut nunc Propheta nos ad cantandum Deo psallendumque nomini ejus hortatus, ne quid forte ambiguitatis relinqueret ; et cui Deo, et cujus nomini psallendum esset, ostendit : ut jam non adhortatio adhibita, sed cognitio percepta (*d*) in Dei nos exsultatione et cantico collocaret.

6. *Ratio cur psallendum Domino, illius de morte victoria.* — Psallendum itaque ei, iterque ejus parandum est, *qui adscendit super occasum*. Occasu autem universa quæ veniunt in vitam intelliguntur aboleri. Abolitio autem omnium occidentium, secundum humanam communemque **217** opinionem, existimatur in morte. Ei ergo psallendum, ejusque iter nobis est præparandum, qui (*e*) occasum mortis adscenderit, id est, qui occasum omnem occasu ipso non deinceps excesserit. Huic autem nomen est Domino (1 *f*), qui se ex forma Dei exinaniens, et formam servi suscipiens, obedientem se usque ad mortem crucis egit. Propter quod eum exaltavit Deus, nomenque ei super omne nomen donavit, ut in ejus nomine genu cœlestia ac terrestria flecterent et infera : linguaque omnis confiteatur (2) Dominum Jesum in gloria Dei patris. Adscendit ergo super occasum, cui nomen est Domino : idque quo occidunt universa transgrediens, legem mortis (3) ex mortuis æternus egressus est. Huic itaque iter parandum est, secundum illud : *Parate vias Domini, rectas facite semitas ejus. Omnis vallis implebitur, et omnis collis humiliabitur* (*Luc.* III, 5). Parato itinere nostro (*g*), id est vitiorum infidelitatisque nostræ vel compressis tumoribus, vel elevata humilitate (4) terrenæ labis (*h*), initurus cum rectis æquitatis vitæque semitis in corda nostra descendet. In hujus itaque conspectu exsultabimus, cui iter exæquatis (*i*) et insolentiæ tumoribus et libidinum voraginibus sit parandum, et in quo nos resurgentes ex mortuis contuebimur. Super occasum enim nostræ mortis adscendit, qui vitam (*j*) nobis ex mortuis in se resurgente quæsivit. Hæc illa apostolorum est lætitia, cum eum post resurrectionem contemplantes contrectantesque viderunt.

7. *Orphanorum et viduarum duplex sensus : qui Deus horum pater, illarum judex.* — Sed hanc sanctorum lætitiam, trepidatio eorum quos cum mundo vicit insequitur : id enim ait, VERS. 6 : *Turbabuntur a facie ejus, patris orphanorum et judicis viduarum.* Causam turbationis hanc docuit etiam, quod pater orphanorum sit, judexque viduarum (a facie enim patris orphanorum viduarumque **218** judicis fugient), non reliquens eos orphanos, qui agnoscentes patrem in cœlis, diabolo patri, renuntiaverint, easque viduas quæ legi (*k*) mortuæ sponsum sese secutæ sunt judicans. Viduam enim, quæ a lege sit libera, beatus Paulus transire ad nuptias alterius sine adulterii crimine docuit (*Rom.* VII, 3) : idque exemplum omne ad Ecclesiam, quæ legis se mortua (5 *l*) Christo

(1) *Dominus.*
(2) *Confiteretur.*
(3) *Lege mortis.*

(4) *Terribilis objectionis.* Paulo post *descendat*, non *descendet.*
(5) *Se mortuam.*

(*a*) Editi, *et confortentur omnes*, renitentibus mss. quos sequimur. Quamquam Hilarius, lib. IV de Trin. n. 31, locum hunc aliter referat, nimirum, *et honorificent eum omnes Angeli Dei.* In græco LXX, quibus cætera consentit hic locus, habemus; ἐνισχυσάτωσαν αὐτοῦ, quomodo legit et Epiphan. hær. LX, n. 60.

(*b*) Editi, *societatem :* castigantur ex mss.

(*c*) Par. *conciliante ea.* Ex aliis edit. et ms. reg. revocamus *conciliante casu :* ut casus opponatur rationi, quæ ut voluntatem moveat, per se majorem vim obtinet, quam merus casus. Neque tamen priorem lectionem prorsus spernimus.

(*d*) In vulgatis *præcepta.* Veram lectionem debemus Regio ms.

(*e*) Erasmus hic perperam adjecit *omnem*, quod deinceps obtinuit : cum hæc vox non exstet in Bad. aut mss. neque in sacro textu, ex cujus tamen indefinita propositione *adscendit occasum*, elicit sanctus interpres generalem, *id est omnem occasum.*

(*f*) Duo mss. hic et infra, *Dominus* ; sacro textui consentiunt, in quo *Dominus nomen est illi* : sed vulgata lectio elegantior estque mss. Regii.

(*g*) Sic ms. Vatic. At Reg. et Mic. *nos.* Turon. *apud nos.* Editi vero, *in nobis.*

(*h*) Loco *labis* habet unus codex Vatic. *objectionis :* minus displiceret *abjectionis.* Tum apud Bad., Er. et Lips. *iturus*, in ms. Reg. *ituros.* In Turon, *iturus correctis æqualisque vitæ semitis in corda nostra descendat.*

(*i*) In vulgatis; *ex æquitatis :* omnino male. Minus male in Mic. ms. *ex iniquitatis.* Verius Vaticani, *exæquatis.*

(*j*) Unus codex Vatic. *cum vitam.* Eo quod Christus nostræ consors factus est naturæ, quod assumptæ humanitati concessit, nobis quoque concessum esse hic pro more suo prædicat Hilarius. Quo spectat et illud proxime dictum, *In quo*, scil. resurgente, *nos resurgentes ex mortuis contuebimur.*

(*k*) In uno ms. Vatic. *lege.* Rectius in aliis, *legi*, hoc est, quæ a lege sunt liberæ, seu, quibus lex jam non vivit. Tum vere Bad., Er. et mss. *sponsum sese* (puta Christum) *secutæ sunt.* Nec debuit Lipsius de suo reponere, *sponsum subsecutæ sunt.*

(*l*) In codice Turon. *quæ legi sit mortua, ut Christo se postea sociaret.* Magis placet nostra lectio, quæ et sic potest reddi : *idque exemplum omne ad Ecclesiam aptavit, quæ legi mortua, Christo se postea sociatura esset.*

postea sociaret (*a*), aptavit. Est autem etiam secundum hujus sæculi fortem sensus aptissimus, ut Deus, qui advocatum nobis a Patre alium dedit, ne orphani essemus in sæculo orbatorum pater sit judexque viduarum (*Joan.* XIV, 18) : quia et desolatæ a parentibus misereatur infantiæ, viduarumque quæ in se adquieverint judex sit. Judex autem ideo, quia sub nomine viduarum pleræque non viduæ sunt, quæ vel delicatæ (1) in Christo nubere volunt (I *Tim.* V, 11), vel fallunt humana judicia : et quia dignitas nominis in conservato proposito sit voluntatis; scrutans corda et renes Deus idcirco sit judex, quia solus earum mentem sensumque dijudicet. Et quidem hæc, ut dixi, secundum desolationem conditionis humanæ, de orphanis viduisque sint dicta.

8. *Tempus gratiæ, qua Deus educit vinctos exacerbantes, habitantes in sepulcris.* — Cæterum ut ad Ecclesiæ totius demonstrationem hæc ita significata esse possint intelligi, continuo subjecit : *Deus in loco sancto suo*, VERS. 7 : *Deus inhabitare facit unimores* (*b*) *in domo, educens vinctos in fortitudine, similiter eos qui exacerbabant, qui inhabitant in sepulcris.* Hic ergo locus Deo sanctus est, ubi sit vidua ex lege, ubi orphanus ex sæculo, ubi unius moris ac voluntatis pacificus unanimisque conventus (Erat enim secundum Actus Apostolorum credentium anima et cor unum, *Act.* IV, 32), ubi qui vincti sunt, educentur in fortitudine. Ligato enim prius intra domum suam forti, eos qui peccatis suis vinciebantur absolvit (*Luc.* XIII, 16) : ut Abrahæ filiam septem et **219** decem annis (*c*) ligatam, in libertatem verbo virtutis eduxit. Eduxit autem etiam eos qui ante exacerbabant, id est, qui transgressione legis iram in se Dei judicis incitabant, vel adversum nomen ejus gentili eloquio disserebant, A ad doctrinam divinæ cognitionis instituit : ut ex persecutore Paulum gentium Apostolum doctoremque præfecit (2). Hos itaque exacerbantes, inhabitantes antea in sepulcris, id est, intra corporum suorum emortua domicilia consepultos, in cœlestem vitam spiritalemque deduxit. Sunt enim multi in viventibus mortui. Nam et in Evangeliis mortui non putati (*d*) non differre docentur a mortuis, Domino dicente : *Sinite* (3) *mortuos sepelire mortuos suos* (*Matth.* VIII, 22) : et Apostolus scit quasdam mortuas vivere (I *Timot.* V, 6), id est, dum vivunt esse jam mortuas. Sed hos omnes (*e*) de sepulcris Dominus qui in filios Dei regenerantur, eduxit.

9. *Deus idem legis et Evangelii.* — Verum hæc qui in nobis Deus super occasum adscendens per virtutem resurrectionis operatus est, idem omnia ad hujus spei nostræ præparationem adumbrata gessit in lege : ut non alius prophetarum, alius Evangeliorum Deus possit intelligi. Atque ideo erga nos quoque paribus hæcmomentis, quibus ex Ægypto populum eduxit, implevit. Nam et patres nostri sub nube fuerunt et in Moysen (*f*) in mari (4) baptizati sunt, et in similitudinem cœlestis panis manna e cœlis decidente saturati sunt, et Christo aquam petra præbente (g) potati sunt : quæ quidem in illis salutariter gesta, figuram quoque nostræ (5) in se salutis habuerunt, ut sequens prophetiæ sermo declarat, dicens, VERS. 8, 9 : *Deus, dum egredereris* (6 *h*) *coram populo tuo, dum transgredereris in desertum* (7 *i*), *terra mota est. Etenim cœli distillaverunt a facie Dei, mons Sina a facie Dei Israel* (*j*). Præisse Deum iter populi sui, **220** dum desertum transgreditur, in columna nubis ignisque cognovimus, et usque ad populi errorem (*k*) de cœlis stillasse manna (*Exod.*, XVI). Sed cum superiora omnia, quæ

(1) In anterioribus, *sunt, vel deliciatæ*. Voculam *quæ* opportune sufficit liber noster, et vocem nihili *deliciatæ* abjicit, *delicatæ* substituens, vetustis præcipue lapidibus notum vocabulum ac familiare.

(2) *Perfecit.*

(3) *Sine*, suffragante græco textu, ἄφες.

(4) *In Moyse et in mari.*

(5) *Symbola quoque nostra.* f. *nostræ.*

(6) Veronensis quoque, *dum egredieris..... dum transgredieris.*

(7) *In deserto.*

(*a*) Ita ms. Mic. At unus e Vatic. *quæ lege se mortuam;* alter, *quæ legi se mortuam.* Regius cum vulgatis, *quæ legi sit mortua.* Tum Bad. et Er. *Christo postea se sociari.* Lips. et Par. *Christo postea se sociantem.* Rursum sequimur ms. Mic. consentientibus aliis, nisi quod *se* præmittunt verbo *sociaret.* Sensus ita perspicuus est : *quæ legi mortua, ut Christo se sociaret aptavit.* Allusio est ad illud Pauli Rom. VII, 4, ubi de vidua a lege viri libera sermone habito subjicit : *Itaque, fratres mei, et vos mortificati estis legi per corpus Christi, ut sitis alterius qui ex mortuis resurrexit,* etc.

(*b*) Ita Par. ex ms. Mic. juxta græcum μονοτρόπους. At in ms. Reg. a prima manu mendose, *unimoris*, ac subinde secundis curis *unius moris*, quod Bad., Er. et Lips. arripuere. Mox in dicto codice Reg. *qui exacerbant.* Favet verbum sequens, *qui inhabitant :* cum utrumque in græco eodem modo exprimatur, puta τοὺς παραπικραίνοντας, et τοὺς κατοικοῦντας.

(*c*) Par. *octo et decem annis* : suffragante sacro textu, sed refragantibus mss.

(*d*) In uno e mss. Vatic. *computati.* Apud Par. *nuncupati.* Magis placet cum Bad., Er., Lips., altero ms. Vatic. necnon Reg. *non putati;* id est qui vulgo non putantur.

(*e*) Ita duo codices Vatic. Alii vero, *hos homines.*

(*f*) Regius ms. secundis curis, *a Moyse ;* primis autem, uti videtur, *in Moysen* : quod græco εἰς Μωσῆν consentiens, præferimus vulgatæ lectioni *in Moyse.*

(*g*) Sic antiquæ edit. cum uno ms. Vat. At Par. *aqua petram præeunte.* Mic. mss. *aquam petra præeunte.* Reg. *aqua petra præeunte.* Quæ lectio aliquantum placuit, ut non modo petra, sed et aqua dicatur Christus, de quo, teste Apostolo, *omnes eumdem potum spiritalem biberunt.*

(*h*) Bad., Er. et Reg. ms. *egredieris ;* et mox, *transgredieris.*

(*i*) Nobilius notis in editionem LXX monet in plerisque exemplaribus græcis haberi ἐν τῇ ἐρήμῳ. His consonat regius codex, exhibens *in deserto*, quod est etiam apud Augustinum. At cum Hilarius hic, ut solet desertum interpretetur gentes prius a Deo desertas, ac præterea deceat a Judæis ad gentes transitum hic significari, retinendum duximus *in desertum.*

(*j*) Miciacensis codex, *a facie Dei Sinai, a facie Dei Israel* : quam lectionem typographorum incuria in editionem LXX irrepsisse conqueritur Nobilius. Similis huic versus 5 exstat lib. Jud. cap. V.

(*k*) Ita cum ms. Mic. unus e Vatic. Alii vero *libri, terrorem.*

Ecclesiæ propria sunt atque apta, memorasset, scilicet cum super occasum adscendit Dominus, cum orphanorum pater est judexque viduarum, cum in loco sancto suo, id est, in domo congregat (*a*) unimores, et vinctos in fortitudine et exacerbantes extrahit e sepulcris : hæc tamen coram populo egrediens et in desertum transiens consummare memoratus est, ut nunc ex præterito motam esse terram, distillasse cœlos, et hoc a facie Dei Israel in Sina refertur effectum. Hoc ideo, ut cum illa quæ Legis sunt gessit, in his quoque ea quæ Evangeliorum sunt præformasse sciretur. Egressus enim coram populo suo in desertum transgressus est : in illud (*b*) videlicet desertum Jordanis, in quo lilia floruerunt, in quo fons aquæ vitalis desolatos et aridos irrigavit (1) (*Deut.* XXXII, 9). Funiculus namque ante erat hæreditatis Jacob (2) desertæque gentes elementorum subditæ fuerunt potestati. At nunc inspectante eo (*c*) qui fuit Dei populus, Deus ad ea quæ ante erant desolata transivit ; et jam irrigata (*d*) ab eo finium deserta pinguescunt. Et hic idem est, qui manna de cœlis dedit populo. Si enim lex disposita est per angelos, panemque Angelorum manducavit homo, cœlique stillasse in Sina scribuntur ; profecto ministerium hoc a cœlis, id est, ab Angelis expletum esse non dubium est (3). Estque idem largitor ejus qui de cœlis est panis qui in Sina mannæ fuerat indultor (*e*).

10. *Præscientia et prædestinatio Dei.* — Sed transiens ad desertum Deus, id est, ad gentium (4) arida et desolata quondam corda transcendens, felicem illam bonæ voluntatis pluviam segregavit (*Galat.* I, 13 ; *Rom.* VIII, 29). Segregavit enim ipse ex utero matris Paulum in **221** apostolum (*Rom.* VIII, 29) : quia quos et præscivit, hos et prædestinavit (5). Hanc etiam eloquii prædicationisque pluviam, et in psalmo Salomon terræ ad spei (6) securitatem nuntiavit, dicens : *Et descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram* (*Psal.* LXXI, 6). Et aliquibus nubibus ne super vineam pluerent meminimus esse præceptum (*Esa.* V, 6). Sanctus quoque Moyses qui (*f*) sub velamento verborum communium ingentia cœlestis spei sacramenta condebat, verba sua excipi ut pluviam imbremque cantavit (*Deut.* XXIII, 2), pluviam irrigantem deserta et arida et (7) præparatam Dei hæreditatem (*g*). Atque ideo sequitur, VERS. 10 et 11 : *Pluviam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ : et infirmata est ; tu vero perfecisti eam. Animalia tua habitabunt in ea, parasti in dulcedine tua pauperi* (*h*). Providus enim voluntatum Deus, segregavit voluntariam pluviam præsciendo (*i*). Quæ infirmata est, cum judicium in se mortis habuit Paulus (II *Cor.* I, 9), cum Petrus scandalo crucis motus est, cum ter denegat admonitus ne negaret, cum Apostoli timent, fugiunt, diffidunt. Sed quia in his bonæ voluntatis esset affectus, perfecti ita sunt, ut et fundamenta ecclesiarum fierent et columnæ. Hæc ergo hæreditati Dei pluvia segregatur.

11. *Hæreditas Dei quæ.* — Quæ autem hæreditas sit, non obscurum est, ea scilicet quæ data est poscenti cum dicitur : *Posce a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam* (*Psal.* II, 8). Gentes itaque animantium et pecorum ritu non intelligentes (et ideo cum cura pecorum Deo nulla sit (1 *Cor.* IX, 9), hæreditas illa in hac segregata (8) voluntaria pluvia est (*j*) in ea habitare monstrantur. Sequitur enim : *Animalia tua habitabunt in eo, parasti in dulcedine tua pauperi.* Habitabunt ergo animalia vel in hæreditate Dei, vel in pluvia voluntaria : et hæc in dulcedine pauperi vel hæreditas vel pluvia est parata. Eloquia enim Dei sanctorum (9) faucibus dulcia sunt (*Ps.* CXVIII, 103), et *beati sunt pauperes spiritu, quia ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* V, 3). Animalia autem cum essent, facta sunt spiritalia. Hæc ergo omnia in usum hæreditatis, **222** vel voluntariæ pluviæ ministerium sunt segregata.

(1) Noster cum reliquis mss. *in illo videlicet deserto*. Mox, *desolatis et aridis irrigavit*.

(2) *Spes Jacob*. Deinde, *spectante* pro *inspectante*... *pinguescent* pro *pinguescunt*.

(3) *Expletum est, non dubium est, qui idem;* l. *quin* exinde, *panis sit, qui*.

(*a*) Bad. Er. et Lips. *congregatos unius moris*. Par. *congregatos congregat*, omisso *unius moris*. Emendatur ex regio et Vaticanis mss. Quamquam in his extat *unius moris* in illo *unimoris*.

(*b*) Omnes mss. *in illo videlicet deserto*. Mox regius solus, *desolatis et aridis irrigavit*.

(*c*) Unus codex Vatic. *peccante eo* : perperam, cum allusio fiat ad verba psalmi, *dum egredereris coram populo*.

(*d*) Sic mss. Vatic. favente regio, in quo, *et jam pinguescent*. In vulgatis autem, *ut jam... pinguescerent*.

(*e*) Prima editio Par. *et quidem*. ms. reg. *qui idem*, Vatic. unus, *quia idem*. Hic veri similitudine non caret, præsertim si ante *qui in Sina*, addatur aut subintelligatur verbum *sit*, quod ibi exhibet ms. Mic. in quo paulo ante, *et quidem largitor*. Alter Vatic. glossematis nonnusquam corruptus præfert, *id est ab Angelis expletum est ;* ac deinde, *non dubium est quin idem largitor ejus*. In hac mss. diversitate sequimur veteres edit. Neque obscura est Hilarii sententia, quam apud Hieronymum auctor Comment. in psalmos clarius sic expressit : *Per quem apud Sina huic generationi manna defluxit, ipse christianæ genti corporis sanguinisque sui manna in Ecclesia subministrat.*

(*f*) Ita Regius codex ubi vulgatis *que*, non *qui*.

(*g*) In uno e mss. Vat. *præparantem Deo hæreditatem :* præter mentem S. doctoris, *præparatam* intelligentis præscitam ac prædestinatam gentium plebem. Non ita male Miciacensis codex, *irrigantem desertam et aridam et præparatam. Deo hæreditatem*. Turon. *præparatam Dei hæreditati :* neque hæc lectio nostræ præferenda.

(*h*) Editio Par. cum ms. Reg. a secunda manu, *dulcedinem tuam pauperi*. Deinde prædicta editio subnectit *Deus :* quæ vox abest a mss. et LXX, sed versui subsequenti jungitur.

(*i*) Ex Bad. Er. et mss. revocamus *præsciendo :* cujus loco Lipsius perperam substituerat *perficiendo*.

(*j*) Par. tribus his voculis *est in ea* expunctis, subjicit deinde *habitare monstratur*.

(4) *Gentilium*.
(5) *Prædistinxit*.
(6) *Solomoni ad spei*.
(7) *Desertam et aridam et præparantem Dei*.
(8) *In hac sit segregata*.
(9) *In sanctorum*.

12. *Apostoli unius Christi virtutes multæ.* — Atque ut secundum præparatam dulcedinem pauperi, vel Ecclesiæ congregatio, quæ hæreditas Deo(*al.* Dei) est, vel apostolicæ prædicationis significatum esse intelligeretur eloquium; subjecit, VERS. 12, 13 : *Deus Dominus dabit verbum evangelizantibus virtutibus multis : rex virtutum dilecti, et (a) pulchritudini* (1) *domus dividere spolia.* Segregatæ itaque pluviæ ad Evangelium irrigandum Dominus dabit verbum idipsum in sensum nostrum et ora diffundens ; secundum illud : *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus patris vestri qui loquitur in vobis* (*Matth.* x, 20). Sed virtutes multæ evangelizantes sunt (*b*) quibus dabit verbum, ut sit in Paulo virtus, in Petro virtus et in Joanne virtus, et in cæteris virtus, multasque ob id Evangelii prædicandi significet esse virtutes (*c*) quibus quamvis Deus et Dominus et rex dabit verbum, virtutes tamen istæ *dilecti* sunt, id est,(*d*) ejus qui Regi et Domino et Deo sit dilectus. Laboriosius autem id et obscurius, dum collocationes verborum non demutat, translatio latina declarat : cæterum absolutius totum hoc sermo e græco enuntiatus eloquitur, hunc scilicet Deum et Dominum regem earum quæ dilecti sint esse virtutum : ut *virtutes* ad Apostolos, *dilectus* vero referatur ad Christum, cujus vel in his, vel hi omnes intelligantur esse virtutes. Oportuit autem propter ea quæ sequuntur, licet in omnibus unus atque idem esset Spiritus,(*e*)numerosarum tamen virtutum fieri mentionem : quia ad pulchritudinem domus ipse (*f*) virtutis spolia divideret. Ad Ecclesiæ enim decus detracta ab his diabolo gentium spolia dividuntur, atque etiam ex his spoliis domus pulchritudo perficitur, cum in sacerdotes Dei ad ministerii sanctificationem (*g*) ab aris templisque dæmonum, abstrahuntur, sanctoque Spiritu irrigati, evangelizantes effectæ sunt dilecti esse virtutes (*h*).

13. *Hic Spiritus sancti donis ornati, post gloria immortali sunt decorandi.* — Ad has enim easdem virtutes quæ ad pulchritudinem domus vel spolia dividunt, vel 223 ipsæ sunt spolia, divinus sermo se retulit, dicens, VERS. 14 : *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, et posteriora dorsi ejus in viriditate auri.* Prophetæ vota sunt, quibus manere in mediis cleris hæc ad pulchritudinem domus divisa spolia exoptat : ut usque ad consummationis suæ diem (quia significari mors soleat in somno) in domus pulchritudine perseverent. Qui quidem sunt in usum prædicationis, tamquam deargentatæ pennæ columbæ, id est sancti Spiritus munere ornatuque pretiosi. In his autem quæ post eos sunt, in auri viriditate consistent : ut his post prædicationem Evangelii honor regius et indefessa æternitas ex conscientiæ suæ fructu in auri viriditate reddatur : dum et aurum refertur ad honorem, et viriditate vigor æternus ostenditur. *Posteriora* itaque *dorsi*, quæ *interscaplia*, τὰ μετάφρενα, magis græcus sermo significat, id est quæ bonæ conscientiæ atque honoris posteriora sint tempore, ultra prædicationis hujus honorem sunt honoranda : cum interim deargentatæ pennæ sub munere sancti Spiritus (2) permanentes (*i*), post etiam ad conscientiæ suæ fructum auri viriditatem, id est florem honoris perpetui consequentur.

14. *Reges sunt cum Christo : hos decet pax et candor.* — Ut autem hæc ad pulchritudinem domus spolia divisa, quibus ut inter medios cleros dormirent, id est, ut morte tales consummarentur (*j*), optatum est, ad principes ecclesiarum, per quos pulchritudo domus consistit, relatum possit intelligi (*k*), continuo subjecit, VERS. 15, 16 : *Dum discernit cœlestis reges super eam, nive dealbabuntur in Selmon ; mons Dei, mons uber, mons consecratus, mons pinguis.* Dum itaque hos cœlestis super eam reges discernet (3), id est, dum Dominus de cœlis descendens, eos qui spolia fuerint, constituit in reges, super eam domum, quæ per eos pulcherrima est, unumquemque disponit ; *in Selmon nive dealbabuntur*, in pace scilicet, quia Selmon interpretatio pacis est, gloriam æternitatis accipient. Hic enim Dei mons, in quo pax Dei, nominis ipsius est significata virtute, et uber et consecratus et pinguis est. Reges autem esse eos non obscurum est, de quibus 224 dictum est : *Jam sine nobis regnatis* (4) *et utinam regnaretis : ut et nos vobiscum conregnaremus* (I *Cor.* IV, 8). Dominus ergo cœlestis (quia qualis cœlestis, tales et cœlestes) hos in Selmon re-

(1) *In ulcritudine.*
(2) *Permanentis.*
(3) *Ddiscernit.*

(4) *Regnastis*, constanter habet liber noster, ubicumque hunc Pauli locum præfert.

(*a*) Mss. Reg. et Vatic. *pulcritudine.* Magis nobis probatur *pulcritudini*, hoc est *ad pulcritudinem*, ut exstat infra.

(*b*) In vulgatis hic præfixo puncto repetitur verbum *sunt :* male et renitentibus mss.

(*c*) Apud Par. *hæ autem virtutes, quibus*, etc.

(*d*) Mss. reg. et Mic. *id est ei.* Hic dicere videtur Hilarius virtutes esse hominis qui Christo sit dilectus, ac perinde vocem *dilecti* ad apostolos referri : sed cum inferius ad Christum eam referri asserat, de quo, ut observat vulgatus Hieronymus in eumdem locum, Pater non semel testatus est : *Hic est Filius meus dilectus ;* superius *rex et Dominus* intelligi debet Pater, cujus dilectus est Filius.

(*e*) In reg. ms. vox *spiritus* addita est a secunda manu. Ejus loco in duobus Vatic. exstat *Christus :* non male.

(*f*) Legendum videtur, *ipsæ virtutes spolia dividerent*, ut innuunt subnexa : *Ad Ecclesiæ enim decus detracta ab his*, puta virtutibus, quibus apostolos intelligi superius dictum est. Hic in prius vulgatis legebatur *ab diabolo*, omisso *his*, quod ex reg. ms. revocamus.

(*g*) Bad. et Er. *ad mysterii sanctificationem.* Lips. et Par. *ad mysterii significationem.* Emendantur ex mss.

(*h*) Verbum *esse* desideratur in vulgatis, qui excepto Par. antea habent, *effecti sunt*, non *effectæ sunt.*

(*i*) Unus e ms. Vatic. *permanentis.* Verius alii libri *permanentes*, scil. virtutes evangelizantes.

(*j*) Reg. ms. cum altero Vatic. *ut mortales consummarentur.*

(*k*) Turon. codex, *consistit, esse relata possit intelligi*; et mox, *discernit* pro *discernet.*

ges super domum suam, per quos divisis spoliis ornabitur, exalbatos nive disponet in reges. *Factus est enim in pace locus ejus* (*Ps.* LXXV, 3) et Phœniciam, secundum Isaiam, ut nix dealbabitur (*Isa.* I, 18). Sed reges necesse est, penes quos sit domus pulchritudo, ultra candorem nivis esse præstari (*a*). Lux enim mundi sunt : et quisquis dignus erit cum Domino montem regni cœlestis adscendere, super nivem dealbabitur : quia cum se apostolis in habitu quo cum sanctis conregnaturus esset ostendit, vestimenta ejus super nivem alba sunt visa (*Matth.* XVII, 2). Hic ergo mons, et hoc regnum Deo pacis est.

15. *Hæretici pacem mentiuntur.* — Sed plerique sunt, qui Ecclesiæ pacem sub hæreticorum consortio mentiuntur, dissolventes novi ac veteris Testamenti connexam sibi conjunctamque rationem : dum plerique alium Evangeliorum, alium Deum Legis effingunt. Nonnulli vero adversum unigeniti Dei naturam nomenque venientes, ex tempore natum solum hominem confitentur : neque ex forma Dei in formam servi esse deductum, sed ex forma servi tantum esse cœpisse confingunt. Plures autem non veræ divinitatis Deum, neque ex paternæ majestatis naturæque proprietate, subsistere disserunt : sed externæ substantiæ, Deoque diversæ, quæ in adoptionem filii electa sit, modo creaturarum ex nihilo, quibus nulla origo anterior sit, constiterit. Plures etiam in corpus atque ex se protensum (1) permanantemque (*b*) patrem loquuntur : ut assumptio illa carnis ex Virgine filii nomen acceperit, non qui ante erat Dei filius, idem hominis filius sit natus in corpore. Et quidem omnia hæc ad speciem humanæ prudentiæ coaptantur, postquam rationem cœlestis sapientiæ non comprehenderunt : quibus, ut spero (*c*), aliis locis uberius copiosiusque responsum est.

16. *Hæresis caseo similis.* — Quia ergo veræ fidei una, hæc sedes (*d*) est Deo quæ sit placita, et hic æterni regni mons unus in pace sit ; de susceptis (*e*) plurimis 225 arguit nos Propheta, dicens, VERS 17 : *Ut quid suscepistis montes caseatos ?* (Ὄρη τετωρωμένα.) Lac cum corrumpitur, densatur, et ex vitio in coaguli caseique speciem concrescit. Nam utrumque id unus græcitatis sermo complectitur. Ergo sicuti ex natura sua lac ipsum vitio accedente degenerat, et quadam sui corruptione coalescit (2 *f*) : ita hæc genera doctrinarum, quæ initia cognitionis ex innoxio sincerique lacte deducant, corrumpuntur in vitia, fiuntque corruptione sui coagulata vel caseata ne lac sint. Quod idipsum loco alio ita meminit : *Coagulavit sicut lac cor eorum* (*Psal* CXVIII, 70) : ego vero legem tuam meditatus sum : quia consiliis gestisque impietatis cor infectum, cum per infantiæ simplicitatem naturam lactis habuisset, vitiorum postea corruptione degenerans, in coagulum densatum esset atque concretum. Referendus ergo ab his omnibus et sensus et studium est : neque quisquam alius magis, quam hic mons pacis, habitandus est. Nam post exprobrationem caseatorum coagulatorumque montium, continuo subjecit : *Mons in quo beneplacitum est Deo habitare : in eo etenim* (*g*) *Dominus habitabit usque in finem :* in eo monte æternæ habitationis sedem Deo ostendens esse complacitam, qui ad sedem pacis esset electus.

17. *Legis veteris ac novæ unus lator, una fides.* — Sed quia post legis tempora, circumcisionisque præscripta, sacrificiorumque præcepta per evangelicæ (*h*), confessionis fidem ab his qui gloriantur in lege, id est, a carnali Israel, quædam per nos videtur pacis Dei facta esse mutatio, cognitionisque alterius, quam (*i*) in lege præscripta est, introducta confessio ; cum nos omnia per Dominum Jesum Christum quæcumque præcepta sunt lege, in spem (*j*) evangelicam adum-

(1) Veronensis liber, *progenitum ;* sed minus recte ; cum verbo *protendendi* tamquam Sabellianæ hæresi peculiari uti soleat ad illam designandam Hilarius, lib. de Synodis, n. 45. *Quidam enim ausi sunt innascibilem Deum usque ad sanctam Virginem substantiæ dilatatione protendere.* De Trinit. l. I : *Ut protensio sit potius in hominem ;* tum paucis interjectis : *Usque ad Virginem Pater protensus.*

(2) *Coacescit.*

(*a*) In vulg. *præstare*, omisso prius verbo *esse :* quod immutamus auctoritate mss. Reg. et Mic. Sicque est vertendum : *Necesse est præstari reges*, etc., *esse ultra candorem nivis.*

(*b*) Editi, *permanentemque.* Rectius Reg. ms. *permanantemque ;* hic enim indigitantur Sabelliani, qui suam hæresim exemplo solis ad nos per radios permanantis explicabant. Qua de re commodius agendum erit ad lib. I de Trinit. n. 16.

(*c*) Id est, *ut confido :* quo sensu verbum *spero* adhibet Innocentius I, epist. 183, apud August., n. 2. His autem hæreticis copiose respondit Hilarius libris de Trinitate, qui toti sunt adversus Sabellii, Arii, Hebionis atque Photini necnon et aliorum hæreticorum sectatores, de quibus statim lib. I, n. 15, toto lib. III, ac deinceps, uti hic, frequens conqueritur, quod potentem Dei naturam naturæ suæ finibus moderantes, intra finem sensus sui infinita concludant.

(*d*) Editi excepto Par. *una hæc est fides.*

(*e*) Apud Par. desideratur *susceptis :* cujus loco Lipsius perperam substituerat *suspectis ;* renitentibus aliis libris. Docet Hilarius quod cum una fides una in Ecclesia sit, arguat Propheta multas ab hæreticis fides multis in congregationibus seu potius ut vocat Augustinus serm. 71, n. 37, *dispersionibus* susceptas. Lipsio autem hæc errandi causa fuit, quod mox cum prioribus edit. legeret, *ut quid suspicitis ;* ubi apud Par. ex ms. Mic. *ut quid suscipitis.* At in mss. reg. et Vat. *ut quid suscepistis :* quibus consentit Miciacencis in psal. CXLIII, n. 9.

(*f*) Editi, *coacescit*, mox, *sinceroque lacte deducunt*, sicut in Turon. legitur : corriguntur auctoritate reliquorum mss. Porro *sincerus* ac *sinceris*, quomodo *infirmus*, et *infirmis* Hilarium legisse aliunde etiam liquet. Legit quoque Augustinus in psal. XCI, n° 3, *sinceres.*

(*g*) Decrat apud Bad. Er. et Lips. *etenim :* cujus loco *et eum* apud Par. substitutum erat.

(*h*) Reg. ms. *per evangelicam.* Magis placeret, *per evangelicæ fidei confessionem*, Hilarium in hujusmodi vocum inversionibus frequentem esse non expertis.

(*i*) Particula *quæ* hic in uno codice Vatic. expressa, in aliis subauditur.

(*j*) Duo mss. *in speciem.* Vocabulum *spei* amat sanctus Doctor ad significandam fidem cui annexa est

brata esse doceamus, illis contra Deum patrem secum locutum, ac legem dedisse jactantibus : respondendum est, hac ipsa psalmi prophetia per angelos potius legem in manu Mediatoris **226** esse dispositam, neque a nobis quidquam esse mutatum, sed in his manere que sola (*a*) sunt, id est, unam eamdemque sedem Dei pacis incolere: cum quando eumdem prædicatorem Evangelii Dominum Jesum Christum, quem et latorem legis, habeamus. Post unius enim complaciti Deo montis sedem, quam usque in finem cœlestis habitabit, ut sedes hæc evangelicæ pacis præformata per Mediatorem legis intelligeretur in lege; continuo subjecit, VERS. 18 et 19 : *Currus Dei decem millium multiplex, millia lætantium: Dominus in illis in Sina in sancto adscendit in altum, cepit captivitatem, dedit dona in* (1 *b*) *hominibus, etenim non credentes inhabitare* (*c*).

18. *Fidei totius summa, sedis Dei decus, legis Christus lator.* — Fidem omnem brevia hæc quidem verba significant, sed quæ virtutibus suis magna et infinita complexa sunt. Hanc autem currus sive sedis Dei dignitatem, haud dissimiliter Daniel propheta descripsit, dicens: *Sedes ejus flamma ignis ardens, rotas* (2) *ejus flumen ingens ducebat ante eum: millia millium serviebant ei, et dena millia* (*d*) *denum millium adstabant ei* (*Dan.* VII, 9 *et* 10). Atque in his quidem, sive sub specie talis ornatus, sive sub significationis exemplo, nobis in curru opinio et sensus comitatus cœlestis affertur: ut sub concordi jugo millibus lætantium obsequelam cœlestem intelligamus. Et hoc illæ in Sina ardentes faces, collucentesque ignes, ingravescentiaque tonitrua, et totius Domini adventus terror ostendit, ministeria scilicet angelorum, legem in manu Mediatoris disponentium, adstitisse. Hic ergo currus Dei decem millium multiplex est, milliaque lætantium sunt. Et quia Mediator Dei hominumque sit Dominus, in cujus manu per angelos, ut dictum est, lata lex fuerit; sequens sermo subjecit: *Dominus in illis in Sina*, in illis scilicet lætantibus millibus : currusque numero multiplici decem millium, id est, infinitorum intelligentia sub decem **227** millium multiplicatione subjecta. In his itaque Deus in Sina est.

19. *Evangelia Legis supplementa.* — Sed ne forte Evangelia non supplementa Legis aliquatenus viderentur, qui in illis in Sina est Dominus, hic rursum in sancto adscendit in altum, captivamque cepit captivitatem, in eo scilicet sancto, cujus formam ex forma Dei evacuatus accepit. Quod autem sanctus sit, cum plures prophetiæ, tum Gabriel angelus ad Mariam testatur, dicens: *Et quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei* (*Luc.* I, 35); et dæmones clamant: *Scimus qui sis* (*e*), *sanctus Dei* (*Luc.* IV, 34). In sancto ergo adscendit in altum. Et quid illud sit adscendere in altum, sub hujus ipsius dicti significatione Paulus docuit, dicens: *Ascendit autem* (*f*) *quid est, nisi quia et descendit in inferiora terræ? Qui descendit, ipse est qui adscendit super omnes cœlos* (*Eph.* IV, 9). Adscendens ergo in altum, et sese hominem ex mortuis in cœlestibus revehens, accepit eos qui a diabolo erant capti, quos et ad pulchritudinem domus spolia divisit. Dehinc dona in hominibus accepit, cum primogenitus ex mortuis de se ipse testatur, dicens: *Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te. Posce* (*g*) *a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (*Psal.* II, 7 *et* 8). Accepit ergo dona in hominibus, gentes scilicet in hæreditatem; in quibus in sancto in altum primogenitus ex mortuis capta captivitate conscendit. Et quia ultra humanæ spei fidem sit, eum terrenæ carnis corruptionem in cœlestem gloriam transtulisse, gentesque impias, et ante vitiorum ac superstitionum furore pervasas (*h*), ad cognitionem Dei consortiumque esse deductas; ob hoc in his dona hominibus accepit, qui se cum Deo habitaturos esse non crederent. Atque ita hujus Mediatoris ex lege consummata cognitio est:

(1) A nostro quoque ms. supprimitur particula *in*.

(2) *Rota*, in græco, *οἱ τροχοὶ αὐτοῦ πῦρ φλέγον*.

æternitatis promissio. Hic præcinit Augustino lib. de Catech. rudibus, c. 4, dicenti : *In veteri Testamento est occultatio novi, et in novo Testamento est manifestatio Veteris.* Idem Aug., cap. 6, in epist. ad Gal. consentit veterem ac novam Christi esse legem : *Manifestum est*, inquit n. 58, *etiam illam legem Scripturarum, quæ priori populo data est, legem Christi esse, quam venit implere charitate, quæ non implebatur timore. Eadem igitur lex, et idem mandatum, cum bonis terrenis inhiantes premit servos, Testamentum Vetus, cum in bona æterna flagrantes erigit liberos, Testamentum novum vocatur.* Quæ Augustini verba Hilarii mentem apprime illustrant. Hoc tamen ab eo ille dissentit, quod apud illum lib. LXXXIII, quæst. 3, idem Deus Pater aut potius Deus Trinitas legem Hebræis dederit per Moysen, qui per Filium dedit Evangelium Christianis; apud hunc autem Filius utramque legem dederit, veterem per Angelos, novam per se ipsum.

(*a*) Non liquet qua ratione nitatur Erasmi conjectura, pro *sola*, *salem* legendum esse opinantis. Veri est similius post hanc vocem subaudiri *credenda et profitenda.* Vult quippe Hilarius a nobis mutatam non esse fidem Veteri Testamento prædicatam; simulque innuit unam ac solam fidem esse, unam domum patris, unam Dei sedem, unam Ecclesiam in antiquis ante Christum inchoatam, et post in nobis perseverantem. Certe ad montem *Selmon* potius alludit, quam ab urbem *Salem.*

(*b*) Abest *in* a Reg. ms. et antiquis editionibus. In expositione autem constanter legitur, non *dedit*, sed *accepit dona in hominibus.* Utramque lectionem in hunc locum probat Augustinus, ut idem Christus quæ dedit ut Deus, in corpore suo quod est Ecclesia acceperit.

(*c*) Subjungit editio Par. *Dominum Deum:* quæ duæ voces apud LXX, ut in mss. nostris pertinent ad versum subsequentem.

(*d*) Ita mss. Mic. reg. et editionis LXX, versio latina. Græcum autem *μύριαι μυριάδες*. At in vulgatis, *decies centena millia.* Apud Tertullian. cont. Prax. n. 3, *Millies millia ministrabant ei, et millies centena millia apparebant ei.*

(*e*) Par. *quia sis.*

(*f*) Editi hic subjiciunt, *in altum:* renitentibus mss.

(*g*) Ms. Reg. *postula a me.*

(*h*) Unus e mss. Vat. hic præfixum habet verbum *omni :* Mox in omnibus *pervasas*, non ut in vulgatis *perversas.*

ut qui in lætantium millibus in Sina fuisset, hic idem in sancto rursum in altum (*a*) captiva captivitate conscendens, dona nos, qui secum cohabitaturos diffidebamus, acciperet.

20. *Benedicendus in æternum Deus.* — Post hanc itaque contra spei nostræ diffidentiam acceptorum in hominibus donorum hæreditatem, digna hæc ad Deum Prophetæ subjecta confessio est, VERS. 20 : *Dominus Deus benedictus de die in diem, prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum.* Benedictus itaque Dominus et Deus est, ascendens in **228** altum, capiens captivitatem, in hominibus dona percipiens, eos scilicet qui inhabitaturos se esse non crederent. Quotidie autem per populi credentis accessionem, benedictionis multiplicatur augeturque confessio, cum gentiles superstitiones impiæque de diis fabulæ, cum aræ dæmonum, cum idolorum inania relinquuntur, et iter omnibus ac profectus dirigitur in salutem. Hic igitur salutarium nostrorum Dominus ac Deus est, cujus de die in diem benedictionum significatur æternitas. In eo enim quod quotidie est, continuatur et semper; cum tanta ævi protendatur infinitas, quanta et dierum post dies successio consequatur.

21. *Crucis sapientia et virtus.* — Cautissime autem semper propheticus sermo, (*b*) ne qui (1) per gentiles fabulas philosophiæque doctrinam, notionem nostram de divinæ veritatis scientia perturbaret, admonuit: quia variæ eorum impiissimæque sententiæ multa de Deo stulte profaneque complexæ sunt. Nos vero ad cognitionem Dei patris et Dei filii instituti, sacramentum sumus veræ cœlestisque prudentiæ, in eo quod Verbum caro factum est, consecuti. Ipsum enim nobis, quod Judæis scandalum, gentibus vero stultitia est (I *Cor.* I, 23), id est, Dei passio, crux, mors, sepultura, sive per rationem divinæ voluntatis perfecta cœlestisque sapientia est, sive per resurrectionis potestatem virtutis æternitas. Ad hujus igitur nos Propheta scientiam Dei, qui nobis et passus, et A mortuus est, et resurrexit, et Dominus est, instituit dicens, VERS. 21 : *Deus noster Deus salvos faciendi, et* (*c*) *Domini exitus mortis:* eum nobis Deum intimans, qui cum esset Deus, omnia ad salutis nostræ incrementa susceperit. Et idcirco hic Deus *noster* est: quia Deus eorum sit, qui fient salvi. Salvos autem nos per id Deus noster (*d*) effecit, quod exitus sit mortis egressus: id enim his verbis, quæ latine minus expresse atque absolute translata sunt, continetur. Admonui enim superius, plerumque interpretes cunctos, dum collocationem ordinemque verborum demutare ac temperare non audent, minus dilucide proprietatem declarasse dictorum. Verumtamen in his quæ dicta sunt: *Deus noster Deus salvos faciendi, et Domini exitus mortis;* et salutis nostræ B Deus, et exitus ejus ultra exitum mortis ostenditur. Qui mortis (*e*) exitus *Domini* sint. Omnibus enim qui veniunt in vitam, **229** ingressus (*f*) in mortem (2) est: sed primogenito ex mortuis (*g*) tantum (3) proprius fuit egressus ex morte. Atque ideo proprius exitus mortis est Domini, quia assumptæ ab eo carnis hæc virtus sit, ut naturæ nostræ corruptionem in gloriam cœlestem post exitus mortis efferret. Verum (*h*) hæc susceptæ mortis ipsius non fuit occultanda vel causa, vel ratio: et quid nobis unigenitus Deus ex forma Dei exinanitus, et formam servi assumens afferret auxilii, oportuit ad fidei nostræ et securitatem et scientiam revelari.

22. *Æquum fuit ut Deus vitam nobis in se redderet.* — Et primum quidem non alienum a Dei misericordia et bonitate videri potest, ut vitam omnibus C in se ipso restitueret (4) ex mortuis, (*i*) namque qui primum animam nobis ad flatum respirationemque vivendi, cum hominem secundum imaginem sui similitudinemque constituit, (*j*) de thesauris potestatis suæ divinitatisque diffuderit. Secundum Apostolum enim ipsius genus sumus (*Act.* XVII, 28) : et secundum eumdem (*Rom.* XI, 36) : *Omnia ex ipso, et per*

(1) *Ne quid.*
(2) *In morte.*

(3) *Propius.*
(4) *Mortuis* absque *ex.*

(*a*) Tur. ms. *capta captivitate:* cui favet illud n. 20 *capiens captivitatem.*

(*b*) Editi, *ne quid.* Concinnius codex regius, *ne qui*, hoc est, ne quisquam.

(*c*) Apud Par. hic repetitur vox *Domini:* renitentibus aliis libris et græco.

(*d*) In vulgatis, *efficit.* Magis placet cum ms reg. D *effecit*, propter subsequens verbum *sit egressus.* Hoc est, quod alibi dicere solet, nos a Christo secum coexcitatos, et ad dexteram Patris collocatos, quatenus nostram in se naturam a mortuis excitavit, et ad dexteram Patris collocavit. Subsequens vox *exitus* est in quarto casu plurali.

(*e*) Rursum hic vocabulum *exitus* pluraliter effertur juxta græcum, *κυρίου αἱ διέξοδοι τοῦ θανάτου.*

(*f*) Mss. Mic. et reg. *in morte.*

(*g*) Sic Par. cum mss. Mic. et Vat. At Bad. et Er. cum regio codice, *tanto proprior.* Pessime autem Lipsius *tanto propior* reposuerat.

(*h*) Particula *hæc*, qua proxime dicta *ut naturæ nostræ*, etc., indicantur, in prius vulgatis omissa restituitur ex ms. uno Vatic. ac reg. In altero Vat. et Mic. legitur, *vere susceptæ.*

(*i*) Sic Bad. Er. et reg. ms. At Lips. et Par. *nempe:* eodem sensu. V. Tract. subseq. n. 6, mox ubi in vulgatis *ac flatum respirationemque*, auctoritate ms. reg. restituimus *ad flatum:* maxime cum in Vaticanis exstet *afflatum:* et rursum paulo inferius mss. reg. et Mic. præ se ferant, *initia vitæ ad exordia spiritus*, non ut vulgati, *ac exordia.* Ad hujus loci intelligentiam lucem mutuari licet ex tract. psal. CXVIII, litt. 10, n. 8, ubi in hominis institutione veluti triplex distinguitur Dei operatio, *cum fit ad imaginem Dei* anima, *et formatur e terra* corpus, *et inspiratione spiritus*, qua utraque substantia connectitur, *in viventem animam commovetur.*

(*j*) Nihil hic Hilario cum iis qui apud Augustinum epist. CLXVI, n. 12, volunt animas non subinde creari, *sed ex fonte aliquo sive thesauro quodam quem tunc fecit* (initio conditionis rerum) *eas mittere in corpora.* 1° enim non ait, miserit, sed, *diffuderit:* 2° non de thesauro aliquo creato, sed *de* increatis *thesauris potestatis suæ*, etc., quod quid est aliud nisi omnipotentia sua creavit? 3° quia si ex thesauro aliquo creato missas animas sentiret, frustra contenderet eas prius intra Deum, et ex Deo nobis tribui; ille enim thesaurus Deo esset externus. Hinc quoque apparet quatenus intelligat animas genus esse Dei.

ipsum, et in ipso sunt : scilicet ut *in ipso* habitatio nostra atque incolatus ostensa sit sedes, dum omnia immensa virtutis potestate complexus est ; *per ipsum* vero originis inchoatæ opus effectusque monstretur, cum in nobis id ipsum quod sumus operatus sit ; *ex ipso* autem initia vitæ ad exordia spiritus indulta notescerent. Non fuit ergo a beneficentia divinæ bonitatis alienum ut qui ex seipso nobis, qui ejus genus sumus, vitæ ac spiritus elementa tribuisset, in se ipso quoque nobis per unigenitum Deum æternitatis nostræ inchoaret exordia : vereque nunc et ex ipso et per ipsum et in ipso maneremus ; cum (*a*) quando nos in hac ipsa habitatione ac sede mundi hujus, (*b*) qui omnia in omnibus est, collocatus, rursum plenius jam atque perfectius in se ac per se (*c*) atque ex se inita carnis nostræ societate post exitus mortis jam collocaret **230** æternos. Hæc quidem ad significationem divinæ bonitatis ita dicta sint.

23. *Hanc ex mortuis resurgens Christus reddidit.* — Sed suscipiendæ ab unigenito Deo carnis, adeundæque mortis, et per Apostolum, et nunc per Prophetam grandior profundiorque ratio tractatur. Ac primum quid in crucis sacramento atque mortis ab unigenito Deo et Domino majestatis effectum sit, per Apostolum intelligamus ; ut duce eo docti, (*d*) prophetiæ scientiam consequamur. Ait enim ita : *Et vos cum essetis mortui in peccatis et præputio corporis vestri, convivificavit cum illo donans nobis omnia peccata, delens quod adversum nos fuit chirographum in sententiis, quod erat contrarium nobis tollens illud de medio, et affigens illud cruci, spolians se carne, et principatus et potestates ostentui fecit, cum fiducia triumphans eos in semetipso* (*Coloss.* II, 13 *et seqq.*). Sacramentum itaque salutis nostræ primum resurgens ipse ex mortuis, decretumque mortis nostræ quo ante detinebamur absolvens, in se ipso qui ex mortuis æternus jam maneret, implevit. Sed in eo ipso, quod nobis vitæ auctor in se est, dum per assumptionem corporis homo natus et mortuus, jam rursum æternus ex mortuis est : omnes quoque inimicas virtutes, mundique potestates, principesque aeris hujus (1) ostentui reddidit, id est, vel nostræ spei, vel suæ damnationis fecit ostenta, et ipsos quædam quasi ex diis sæculi portenta constituit : his ipsis in se cum fiducia triumphatis ; dum et per securitatem æternitatis mors ipsa in Deo moriente fiducia est, et auctores mortis humanæ, dum etiam in se ipso per occupatum a Satana cor Judæ auctores sunt mortis, triumphat ex mortuis : ut neque a pœna mortis abessent, cum se usque ad mortis infirmitatem subjecisset æternus ; et omnem pœnam humanæ mortis (2) exciperent (*e*) ut auctores, cum in **231** æternitatis Dominum auctores mortis, per id quod Verbum caro factum est, exstitissent. Hæc quidem ita Apostolus.

24. *Quod modo Paulus, hoc jam David docet.* — Sed Propheta brevibus licet, (3) eamdem (*f*) intelligentiam verbis significantibus, eadem ista complexus est. Nam ubi Dominum (4) in exitum mortis ostenderat ; subjecit, VERS. 22 : *Verumtamen* (*g*) *conquassabit capita inimicorum suorum, verticem capilli deambulantium in delictis suis.* Principatus enim ac potestates, in quibus capita inimicorum significantur, fecit ostentui. Hæc igitur in mortis exitu conquassat, quorum spiritalem nequitiam atque naturam, in eo quod capilli verticem perambulent, docet : dum et tamquam dominantes hominum capitibus insistunt, et tamquam nequitiæ spiritales, sine sensu eorum quibus insistunt, ipsum illum capilli verticem proculcent : quia et ipsa scilicet corpora usque ad animæ mentisque sedem sine sensu adeundi interlabantur et penetrent. Aeris enim hujus sunt potestates : et ideo capilli verticem perambulant, vel insistendi levitate, vel potestate dominandi, (*h*) et toto in orbe per momenta singula commeantes. Sed hæc in delictis suis peragunt, dum unicuique in eo quod delinquat auctores sunt ; secundum illud apostoli : *Deus filium suum misit in similitudinem carnis peccati, et de peccato condemnavit peccatum in carne* (*Rom.* VIII, 3) : cum causam in his exordiumque peccati ex eo ipso, quod in carne sua per instinctum proditionis peccant, id est, de peccato carnis, peccatum in carne condemnat.

25. *Lege adumbrantur evangelica gesta.* — Tenet itaque divinæ dispensationis ordinem propheticus sermo : et Evangeliorum opera adumbrata esse per

(1) *Ostentui fecit.*
(2) *Exciperet.*
(3) Præmittitur *sed.*
(4) *In exitu.* mox, *conquassavit*, non *conquassabit.*

(*a*) Particulam *quando* hic pro more expunxerat Erasmus. Deinde apud Par. præpositum erat *in* ante *nos*. Horum verborum nonnihil perplexorum nativus is ordo est : *cum quando qui omnia in omnibus est, in hac ipsa habitatione*, etc. *collocatus, nos rursum*, etc. *jam collocaret æternos*. Non displicet tamen *in nos*, ceu *in nobis*, hac nimirum intelligentia, ut Christus dum hic viveret, in nobis seu in nostra natura collocatus, post mortem nos in se collocarit.

(*b*) In Turon ms. verbis *qui omnia in omnibus est* inferius rejectis, habetur *collocatos*, loco *collocatus :* minus bene.

(*c*) Verba *atque ex se*, apud Bad., Er., Lips. et in aliquot mss. omissa restituimus ex uno codice Vatic. His significare solet Hilarius carnem Christi non ex viro et fœmina natam, sed a Verbo ipso de Virgine fuisse susceptam. Pro his verbis apud Par. ex ms. Mic. male repetebatur, *atque in se*. Tum pro *inita*, editi excepto Par. habebant, *in ista* vel *ipsa*.

(*d*) Ms. Reg. *prophetæ scientiam.*

(*e*) Editi, *exciperet* : quod ad Christum referri necesse erat. Rectius mss. reg. et Mic. *exciperent*, ii scilicet de quibus ante dictum est : *ut neque a pœna mortis abessent* ; et hoc quia mortis humanæ primum auctores, etiam in æternitatis Dominum, quatenus Verbum caro factum est, mortis auctores exstiterunt.

(*f*) In Turon. additur *sed.*

(*g*) Regius codex, *conquassavit :* cui lectioni favent subjecta.

(*h*) In cod. Turon. omittitur *et*. Mox verba, *secundum illud Apostoli, Deus filium suum misit*, etc. usque *condemnavit peccatum*, transponuntur post voces *proditionis peccant.*

legem, ipsis illis legis operibus declarat. Multa enim plerumque per nominum proprietates ita expressa atque absoluta sunt, ut non magis gerendis in præsens potius quam in futurum significandis rebus impensa sint : ut nunc post tantas ac tam manifestas evangelicæ spei prædicationes, altius quiddam nobis et ultra aurium sensum affert subjectus ordo dictorum (*a*). VERS. 23. *Dixit Dominus : Ex Basan convertar, convertar in profundum maris.* Videtur enim hic sermo Domini fuisse, cum ad dividendum ad iter mare, exserendamque in Pharao iram est conversus. Sed numquid ex Basan conversum eum esse lex docuit ? Non utique. Basan vero est civitas hostilis quondam regni, quæ fuit Og regis habitatio : sed interpretatio nominis pudorem confusionemque significat. **232** Potest quidem videri, ut ex pudore populi in Ægypto servientis, cum depressus (*b*) a Pharao ipsam illam conservandi educandique generis libertatem perdidisset, in profundum maris, id est, ad liberandi populi sui magnificentiam Deus sit conversus. Sed qui secundum proximum huic psalmum dixerit : (*c*) *Salva me, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam; infixus sum in limum profundi, et non est substantia ; veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me* (*Psal.* LXVIII, 2 *et* 3) : non ambigendus est post humani corporis pudorem (*d*) (quia ipsæ illæ corporum atque elementorum nostrorum origines sint pudendæ) in hoc mare, id est in hanc sæculi tempestatem esse conversus, ut usque ad ultimæ confusionis verecundiam subjectus crucis morti, per eam in se inimicorum capita conquassaret, spiritales scilicet nequitias potestatesque omnes et principatus aeris hujus reddens ostentui triumpharet, cum eos æternitati (*Reg. ms.* æternæ) pœnæ, postquam ipse et passus et mortuus est, destinaret. Ob id ergo conversus in profundum maris intelligendus est, id est, usque ad ultimas descendisse sæculi passiones, ut conculcans capita inimicorum, ultionem divinæ potestatis (*e*) exsereret.

26. *Divina ultio humanæ exemplo exprimitur.*—Quod ipsum videtur sequens sermo complecti, cum dicitur, VERS. 24 : *Ut intinguatur pes tuus in sanguine : lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso.* Divinæ autem ultionis ira sub humanæ vindictæ significatur exemplo. Ex Basan enim in profundum maris conversus ob id est, uti pes tinguatur in sanguine : atque ab ipso sanguine qui ex inimicis est, canum quoque lingua tinguatur. Hæc vero accidere solent omnibus bello consumptis, et captivitate deletis, et pro victorum arbitrio atque ultione punitis. Per humanæ itaque, ut dixi, consuetudinis morem, cum gladius, cum arcus, cum sagitta, cum framea, cum reliqua pœnarum ac mortium arma memorantur, divinæ severitatis significantur officia. Et hæc quidem Judæis post crucem et mortem Domini omnia acciderunt, cum a Romanis capti universa suppliciorum ac miseriarum genera perpessi sunt : ut peremptorum sanguine et incedentium pedes tincti sint, et canum lingua satiata sit. Sed id non minus ad eorum pœnam damnationemque referendum est, qui ostentui redditi cum fiducia triumphantur.

27. *Gentium salus legis temporibus inchoata.* — Et quia sub his quæ in Judæorum populo **233** temporibus legis expleta sunt, universarum fere gentium ad speciem futuræ misericordiæ salus est inchoata ; ut per id quod tum gestum est, id quoque quod postea gerendum esset doceretur : cum ipsos illos, in quos illa tum gerebantur, et inumbratio nubis, et iter maris, et mannæ spiritalis cibus, et spiritalis potus ex petra in spe evangelica fideque concluderet : nunc quoque, ut et semper, in his ipsis Novi ac Veteris Testamenti per Prophetam facta connexio est, cum dicit, VERS. 25-28 : *Visa sunt itinera tua, Deus, itinera Dei mei, regis qui est in sancto. Prævenerunt principes conjuncti psallentibus, in medio juvenum tympanistriarum. In ecclesiis benedicite Dominum Deum de fontibus Israel. Ibi Benjamin junior in pavore, principes Juda duces eorum, principes* (*f*) *Zabulon, principes Nephthalim.* Dei quidem itinera sunt visa, cum coactis in glaciem aquis, præeunte eo in columna ignis et nubis, iter populo siccatum est, cum in medio tympanistriarum juvenes psallentes gloriose glorificatum Dominum cantaverunt. (*g*) Sed novimus itinera et alia regis *in sancto*, cum virtutibus (*h*) cœlestibus animisque sanctorum iter ejus præcuntibus, in eo (1) qui primæ sabbati psalmus est cantatur : *Tollite portas* (*i*) *principis vestri, et elevamini, portæ æternales, et introibit rex gloriæ? Quis est iste rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est rex gloriæ* (*Psal.* XXIII, 9 *et* 10). Et hæc itaque Dei nostri et regis in sancto itinera sunt visa, cum ingressum ejus tanta cœlestium cœtuum gaudia præeunt.

(1) *Qui primus sabbatis psalmus est cantatus.*

(*a*) Subjiciunt excusi, *vel gestorum.* Mox apud Par. non repetitur, *convertar :* renitentibus mss.

(*b*) In excusis, *a Pharaone.* Hæc vox in mss. græci ad instar, nusquam fere declinatur.

(*c*) Ita mss. Editi vero, *Salvum me fac, Deus :* et mox, *in limo profundi.*

(*d*) Cum his pugnare videntur illa lib. III de Trin. n. 19 : *Certe non suscepit* Maria *quod edidit, sed caro carnem sine elementorum nostrorum pudore provexit.* Ea vero eodem modo concilianda sunt, quo illa lib. I de Trin., n. 13 : *Carnem enim peccati recepit,* cum his lib. X, n. 25 : *Neque caro illa caro peccati, sed similitudo carnis peccati :* ut primum dictum sit ad ostendendam carnis nostræ in Christo veritatem, alterum ad removendam ab eo concupiscentiam.

(*e*) Editi, *exerceret :* renitentibus mss.

(*f*) Reg. ms. hic et infra, *Diabulon.*

(*g*) Bad. *sed nominis.* Alii deinceps editi, *sed non minus :* emendantur ex mss.

(*h*) Apud Par. omittitur *cœlestibus.* Ex proximis verbis nihil in mentem aliud venit, nisi animos sanctorum qui ante Christum abdormierant, una cum Christo cœlum ingressos. Atque ita quod sanctus doctor in psal. II, n. 26, quibusdam, corporibus jam receptis, concessum opinatur, hoc etiam non negat sanctorum animis, de quorum corporibus nunc silet.

(*i*) Miciacensis codex, *principes vestras.*

28. *Prophetia electionis Apostolorum, Pauli de tribu Benjamin, aliorum de Zabulon et Nephthalim.* — Sed quia quæ ante præformata in Pharao et in Israel fuerant, in diaboli suorumque clade et populorum omnium salute perfecta sunt: non ad synagogæ confessionem, sed ad Ecclesiæ benedictionem (*a*) nos cohortatur propheta, (1) quibus Dei et regis in sancto itinera (*b*) esse visa firmaret, dicens: *In Ecclesiis benedicite* (*c*) *Dominum Deum de fontibus Israel:* ex initiis scilicet legis atque (*d*) adumbratione gestorum doctrinam Ecclesiæ defluxisse commemorans. Ac ne quid benedicentibus ecclesiis ambiguitatis existeret; (2) quis **234** hic maximus evangelicæ spei prædicator futurus esset, ostendit dicens: *Ibi Benjamin junior in pavore;* in Ecclesiæ scilicet fontibus Benjamin junior in pavore mansurus; post consternationem enim pavoris in Evangelium Christi de tribu Benjamin Paulus electus est, matutino devoratas carnes ad vesperum dividens in salutem (*Gen.* XLIX, 27). Cæteros quoque principes Juda ne ignorentur ostendit: id est, qui ab eo, qui de Judæ frutice exspectatio gentium futurus erat (*Ibid.*, 10), eligendi essent, (3) revelans: *Principes* (*e*) *Zabulon, principes Nephthalim.* Ex his enim, ut Evangelia declarant, apostolorum est cœpta delectio, hos principes eorum qui in ecclesiis congregarentur ostendens. Nam cum ex omnibus tribubus, singulis quibusque populis secundum legem sint principes instituti: nunc tamen ubi evangelicæ dispensationis principes declarabantur,(*f*) earum (4) tantum tribuum, ex quibus vocandi essent, commemorata sunt nomina. Orta enim in finibus Zabulon et Nephthalim luce magna post umbram mortis, piscatores ex his sunt hominum constituti. Solum ergo id sub prophetiæ significatione ex illa principum universitate memoratum est, quod ad Evangelii confirmationem ipsis rerum effectibus et Apostolorum electione esset explendum.

29. *Christi adventus exoptatur.* — Et quia tantæ exspectationis spe (5) detinerentur (quia non ambiguum est omnes sanctos et prophetas cœlesti desiderio evangelicæ beatitudinis tempus optasse, Domino dicente: *Amen dico vobis, quia multi prophetæ et justi* (6) *cupierunt videre quæ vos videtis, et audire quæ vos auditis* (*Matth.* XIII, 17) (*g*), consummari id quod tantopere concupiscit precatur, dicens, VERS. 29 et 30: *Manda Deus virtuti tuæ, confirma Deus quod operatus es in nobis. A templo tuo in Jerusalem tibi* (*h*) *afferent reges munera.* Distinguit intelligentiæ significationem, ne quid confusum ambiguumque subrepat in eo quod ait. *Manda Deus virtuti tuæ:* quod utique contra humanum sensum et usum naturalis consuetudinis est locutus. Mandare enim quisquam virtuti suæ aliquid non videtur **235**, quia per eam internæ potestatis insit effectus: et cum omnia virtute fiant, non existimatur virtuti ipsi aliquid mandari solere faciendum. Sedenim (7) Dei virtus Deique sapientia est Dominus Jesus Christus, qui et ponendæ animæ ac resumendæ mandatum accepit a Patre (*Joan.* x, 18). Idcirco non contra intelligentiæ communis sensum dictum videtur, quod tamen propheticæ scientiæ proprietate memoratum est, ut virtuti suæ mandaret Deus, unigenito scilicet Deo, qui et Dei virtus est. Dehinc quia rerum subitarum in Deum non cadit nova (*i*) repensque molitio, cujus scientiam non subterfugiant quæ gerenda sunt, quia natura ejus universa quæ erunt, virtutis suæ potestate complexa est; id nunc confirmari Propheta postulat, quod jam sit idem Deus operatus in nobis, secundum illud Apostoli: *Benedictus Deus et pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus: in quo et elegit nos ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in ipso* (*Ephes.* I, 3 *et seqq.*). Deus itaque, qui secundum Prophetam fecit quæ ventura sunt, ea quæ jam ante constitutionem mundi (*j*) per definitionem gerendorum operatus in nobis est, confirmavit in Domino (*Isai.* XLV, 11, *sec.* LXX).

30. *Quod templum, qui reges inde munera Deo ferentes.* — Et quid illud sit, mox continuat ordo dictorum: *A templo tuo in Jerusalem tibi afferent reges munera.* Templum in Jerusalem est, in quo hostiarum legitima offerebantur: nunc autem a templo in Jerusalem a regibus sunt munera (8) afferenda.

(1) *Ut quibus... essent visa.*
(2) *Quis hic ipse maximus.*
(3) *Revela?*
(4) *Coram.*
(5) *Detinentur.*
(6) *Et sancti,* non *et justi.*
(7) *Sed quia.*
(8) *Offerenda.*

(*a*) Verba, *sed ad Ecclesiæ benedictionem,* non exstant in ms. reg. Horum loco in Miciacensi ms. habetur, *sed ad cœlestem benedictionem:* quæ quidem, ut et ea quæ præcedunt, ad superius verbum *perfecta sunt,* non ad subsequens *cohortatur* referenda esse nonnihil suspicati sumus.

(*b*) Editi cum mss. Vatic. *essent visa,* prius apud Bad. Er. Lips. et in iisdem mss. præfixa particula *ut* ante *quibus Dei.* Sequimur regium codicem.

(*c*) Regius ms. *Dominum de sanctis Israel.* At ex subnexis liquet Hilarium ad fontes alludentem docere doctrinam Ecclesiæ ex legis initiis defluxisse.

(*d*) Bad. et Er. *adumbrationem.* Lips. et Par. *adumbrationum:* castigant mss.

(*e*) Et hic habet ms. reg. *Diabulon:* inferius autem *Ziabulon.*

(*f*) Ms. reg. *eorum:* habens etiam paulo ante *tribus* non *tribubus:* cujusmodi tertium casum pluralem sic expressum exhibent plerique mss. in Matth.

(*g*) Editi hic subjiciunt, *non audierunt:* quæ verba expunximus auctoritate ms. reg. cum antea non exstet *et non viderunt,* ac sine illis idem locus referatur in psal. LXVIII, n. 8, sine quibus hic nitidius confirmatur Hilarii sententia.

(*h*) Par. hic et infra, *offerent:* a cujus verbi intelligentia Hilarius non recedit.

(*i*) Editi, *recensque.* At mss. *repensque,* hoc est, et repentina. Deinde in uno Vatic. *motio,* non *molitio.*

(*j*) In reg. ms. omittitur *per definitionem gerendorum.* In Turon. autem abest vox *gerendorum.*

Quod utique contra locorum significationem ratiomemque gestorum est : ut illinc quo inferri magis oporteret, id est de templo, offerenda sint munera. Sed quia est cœlestis illa nobis mater Jerusalem, et primitivorum conscriptorum, et frequentantium cœtus (*Hebr.* XII, 22), omnisque in Christo renatus Dei templum est, maxime in quo non mors magis sit regnatura, sed vita; et qui ipse rex sit ejus, cujus servus fuerat ante, peccati, hostiam se ipsum vivam et rationabilem et placentem Deo offerens : tum ergo ab hoc templo, id est, ab hac sancta corporis sui habitatione, in illo conventu angelorum (1) frequentantium, id est, in illa cœlesti Jerusalem, si qui reges sint, id est, qui peccato ultra non serviant, offerent se ipsos Deo munus.

31. **236** *Taurorum concilium. Feræ sylvæ probati argento.* — Quod quia carnalis Israel, dum sibi tantum peculiarem Dei misericordiam usurpat, videtur tamquam soli ei sit proprium defendere; mox propheta subjecit, VERS. 31 : *Increpa feras sylvæ, concilium taurorum inter vaccas populorum; ut non excludantur hi, qui probati sunt argento : dissipa gentes* (*a*) *bellum quæ volunt.* Vaccas in Samaria adoratas esse, cognitio ex libris est. Principes vero populi istius, jam non populi sed gregum duces esse propheticus sermo est, cum dicitur ex Domini persona : *Tauri pingues obsederunt me* (*Psal.* XXI, 13). Feras autem sylvæ, nequitiarum spiritualium supra verticem capilli in peccatis suis deambulantium significatio intelligenda est, secundum illud : *Devastavit eam aper de sylva, et singularis ferus depastus est eam* (*Psal.* LXXIX, 14). Quo in loco ipsius principis mundi, id est Satanæ, et immanitas significatur et virtus. Id ergo nunc poscit Propheta, (*b*) ut vel in has feras sylvarum, vel in hoc concilium taurorum inter populorum increpet vaccas : ne hi qui probati argento sunt, excludantur. Probati autem argento hi sunt, qui secundum argentum (*c*) defæcati, et passionum omnium igne decocti, immaculati et sine terrenæ sordis admixtione jam splendent.

32. *Electis Dei scientia et pax optantur.* — Cum enim propheticus sermo fidem gentium prædicet, populique hujus exacerbantis improbam voluntatem A sæpissime increpet, jamque salus a Deo in omnes per omnesque sit cognita, idque ex scientia dispositionis Dei notum sit : cum impietate populi (*d*) exprobrata, sancti quique in spem regni cœlestis vocantur (*Non enim Judæorum Deus tantum est, et non gentium : imo et gentium* (*e*) *: Unus enim Deus est, qui justificat circumcisionem ex fide, et præputium per fidem* (*Rom.* III, 29, 30); postea ergo quam increpitis his qui principes Sodomorum, et (*f*) principes Gomorrhæorum esse meruerunt; tum ad gentes cognitio Dei scientiaque defluxit, et jam (*g*) non intra errorem neque contradictionem inscientiæ detinentur. Increpitis autem sylvarum feris, taurorumque conciliis vaccisque populorum, eos qui adhuc perpetuis adversum gentium spem ac salutem infidelitatis odiis persistunt decertare, condemnat dicens : *Dissipa gentes bellum quæ volunt.* Pacificavit enim omnia Dominus in cœlo et in terra et secundum Apostolum (*Coloss.* I, 20; II *Cor.*, V, 29), Deus in **237** Christo erat, mundum reconcilians sibi. Earum ergo gentium dissipationem, quæ cœlestis pacis fœdus abnuant, magisque dissentionum volent bella, sub diversarum tamen gentium congregatione denuntiat.

33. *Ægyptus prope tota fidelis, baptisma, apostolicum ministerium.* — Nam ad conservationem conjunctionemque totius sensus, increpitis taurorum conciliis ferisque sylvarum, gentibusque bellum volentibus dissipatis, ne quid sibi ultra arrogans Israel impiusque præsumeret; subjecit, VERS. 32, 33 : *Venient legati ex Ægypto, Æthiopia præveniet manus ejus. Deo regna terræ : cantate Deo, psallite Domino.* Expleta enim hæc eadem sunt, vel Magis ex Oriente venientibus, vel tunc cum in apostolos Spiritus sanctus divisi ignis modo venit. Nam illic ad prædicationis evangelicæ cognitionem etiam ex Ægypto convenisse scribuntur, quibus magnitudinem divini muneris, tamquam legatis, renuntiantibus Ægyptus prope universa est jam fidelis. Æthiopia vero in Candacis (*h*) eunucho fidei (*i*) confessione (2) prævenit; manu autem sua (3), dum ipse baptismi gratiam sibi postulat, dicens : *Ecce aqua, quis prohibet me baptizari* (*Act.* VIII, 36)? Sacramentum ipsum baptismi adeo impatientis desiderii cupiditate prævenies : ut

(1) *Frequentium.*
(2) Professione.
(3) *Manu sua;* hanc lectionem, hæc quæ infra sunt, confirmant : *manu autem sua, dum ipse baptismi gratiam*, etc.

(*a*) Par. hic et infra, *quæ bella volunt.* In enarratione autem habemus *bella* ad calcem num. 32, et *bellum* sub initium num. 33.

(*b*) Sic mss. At. editi, *ut videlicet has*, etc. Mox in uno ms. Vat. *increpatio sit*, pro *increpet.*

(*c*) In vulgatis, *de peccati.* Rectius in mss. *defæcati.* Sic in psal. LXV, n. 20 : *Examinantur credentes... ut igne purgati, et ab admixtione vitiorum carnalium defæcati, splendeant examinatæ innocentiæ claritate.*

(*d*) Bad. cum reg. ms. *exprobata.*

(*e*) Omittitur *imo et gentium* in reg. ms.

(*f*) Editi excepto Par. *populus Gomorrhæorum*; Esaia, cujus verba I, 10, hic respiciuntur, consentiente, sed dissentientibus mss.

(*g*) Apud Par. desideratur particula negans : et mox loco *inscientiæ*, habetur *inscitia*, in aliis autem edit. *in scientia.* Probabilius ms. reg. *scientiæ*, cui scil. fiat contradictio. Verius tamen unus e Vaticanis, *inscientiæ :* ut ex mentis cæcitate significetur orta esse contradictio. Quo sensu subsequens tractatus n. 20, eorumdem Judæorum cæcitatem vocat *obcæcati cordis inscientiam.*

(*h*) Reg. ms. *in Candacis*, omissa voce *eunucho.* Favet Vatic. in quo, *in Candace est fidei confessione prævenit.*

(*i*) Bad. et Er. *confessionem :* tum cum mss. Vat. reg. et Mic. *prævenit : manu autem sua :* pro quibus Lipsius de suo substituerat, *prævenit manus suas.* Potius forsitan esset restituendum supra, *Æthiopia prævenit manu sua*, quodam modo favente græco, Αἰθιοπια προφθάσει χεῖρα αὐτῆς.

a diacono ministerium apostolici officii salutis suæ cupidus exigeret. Et quia exinde per omnes fere gentes prædicatio divinæ cognitionis illuxit ; (1) quia et omnia regna Dominum Christum Deum intellectura licet sero sint, et omnis lingua confitebitur quia Dominus Jesus in gloria Dei Patris sit , (2) consummationem temporis hujus exoptat , dicens : *Deo regna terræ : cantate Deo, psallite Domino.* Omnes scilicet ad canendum Deo ac psallendum adhortatur, vel quia salutem (*al.*, salute) omnium prophetica sollicitudine lætatur, vel quia regnis omnibus Deum cognoscentibus regni cœlestis succedit æternitas.

34. *Christi divinitas.* — VERS. 54. Atque ut in cæteris solet, nunc quoque cui Deo (*a*) Dominoque cantandum psallendumque esset, ostendit dicens : *Psallite Deo , qui ascendit super cœlum cœli ad Orientem ; ecce dabit vocem suam vocem virtutis.* Competenter nunc ascendentis *super cœlum cœli ad Orientem* Dei honor poscitur : ut quia superius significata humilitas ejus fuisset, cum vel super occasum ascendit, vel exitum mortis egreditur ; nunc ubi non cœlum, sed *cœlum cœli* transgressus esse notescitur, divinitatis ac magnificentiæ ejus non ignoraretur æternitas. *Ad Orientem* vero idcirco, **238** quia ipse, secundum prophetam, *Oriens ex alto sit* (*Luc.* I, 78) , ut regressus eo unde descenderat nosceretur (*b*) ipseque sit hominibus (*c*) in hunc cœlestis sedis ascensum rursus auctor oriundi.

35. *Vox virtutis. Corporum excitatio.*—Nam idipsum sequens sermo significat, cum dicitur : *Ecce dabit vocem suam vocem virtutis.* In omnibus quidem quæcumque in corpore manens gessit, virtutis vocem dedit ; cum paralytico dicit : *Surge et ambula* (*Matth.* IX , 6) ; cum Lazarum vocat e sepulcro (*Joan.* XI, 43) ; cum Petro cæterisque Apostolis ait : *Quæcumque ligaveritis super terram, ligata erunt et in cœlis ; et quæcumque solveritis super terram, soluta erunt et in cœlis* (*Matth.* XVIII, 16, 18). Vox plane est ista virtutis, humanæ infirmitati tantum posse concedere. Sed scimus adhuc aliam vocem superesse virtutis, de qua ipse testatus est, dicens : *Amen amen dico vobis, quoniam venit hora, et nunc est , in qua audient mortui vocem filii Dei : et qui audierint, vivent* (*Joan.* V, 25). Numquid alia vox potest major esse virtutis, quam dissolutorum corporum pulverem in formam cogere soliditatemque membrorum , et vitam rursum in homines animasque revocare (3), et corruptionem naturæ imbecillis naturæ cœlestis incorruptione mutare? Hæc humanæ spei vera et perfecta constantia est, hæc divinæ magnificentiæ bonitas absoluta. Ob quod universos ad honorem hujus tantæ virtutis hortatur dicens : *Date honorem Deo :* ut perceptæ immortalitatis laudem ad honorem ejus, qui tanti nobis muneris parens est, referamus.

36. *Resurrectio quorum erit gloriosa.* — VERS. 55. Dehinc ne quid sibi vel carnalis Israel vel universitas gentium impiarum ex his pietatis scientiæque Dei meritis præsumeret, a quibus hic honor Deo reddendus esset , ostendit dicens : *Super Israel magnificentia ejus, et virtus ejus in nubibus :* super eum scilicet Israel magnificentiam futuram esse demonstrans , qui jam ex comparatione nubium spiritalis existeret, vel qui secundum Apostolum rapi obviam Christo in nubibus mereretur (I *Thess.* IV, 10, 16). Et idcirco *virtus ejus in nubibus* est : quia his qui ultra terrenam originem mortalemque degentes, se in sensum cœlestem et vitam, ut ita dicam, aeream extulissent, obviamque elati in nubibus adstitissent, his esset proprium virtute Dei magnificentiaque lætari (Frequenter autem memini (*d*) his ipsis nubibus, tamquam ratione scientiaque perfectis, ne super impiam Israel vineam pluerent (*Esa.* V, 6), esse præceptum : quia indigni sancto eloquio, quos jam spinæ et tribuli, id est, **239** terrena vitia obsederant exstitissent). Namque cum omnibus sit ad novam resurrectionis originem voce virtutis utendum, non universis tamen gloriosus, id est, resurrectionis honor est præparatus, Domino dicente : *Nolite mirari ista, quoniam venit hora, in qua omnes qui sunt in monumentis audient vocem ejus : et prodient qui bona gesserunt in resurrectionem vitæ, qui autem iniqua gesserunt, in resurrectionem judicii* (*Joan.* V, 28 *et* 29). Et idcirco super eum Israel magnificentia et virtus Dei est, qui esset in nubibus : quia pro discrimine vitæ innocentis atque impiæ, resurrectionis sit aut in vitam aut in judicium distincta diversitas.

37. *Beatorum cum Deo unitas, immortalitas.* — Deinde id ipsum sequens sermo designat, dicens : *Mirabilis Deus in sanctis suis* (*e*). In eis scilicet mirabilis, quos in vitæ resurrectionem excitabit æternos. Mirabilis autem est, cum omnem beneficentiæ suæ in eos (4) conferet voluntatem, cum ipsos intra perfectionem cœlestis gloriæ collocabit : sicuti ad Patrem pro his precatus est, dicens : *Pater, volo ut ubi ego sum, et hi mecum sint ;* (*Joan.* XVII, 24) vel illud : *Ut omnes unum sint* (*Ibid.* 21), *ego in illis* (*f*), *et tu in me* (*Ibid.*, 24). Mirabilis ergo in sanctis Deus

(1) *Cum quia ;* mox, *Jesum Christum.*
(2) *Confirmationem,* secunda manu.

(*a*) Editi, *cum Deo.* Rectius ms. Reg. *cui Deo,* hoc est, cui personæ divinæ.
(*b*) Verbum *Oriens* hic in vulgatis frustra repetitum expunximus auctoritate ms. Reg.
(*c*) Duo mss. Vatic. cum Reg. *omnibus,* non *hominibus.*
(*d*) Mss. *meminit.*
(*e*) Reg. ms. *in eo ;* ac deinde *quod,* non *quos.* Mox *benevolentiæ,* loco *beneficentiæ,* et *conferat* pro *conferet.*

(3) *Et vias rursum in hominis animas revocare.*
(4) *Conferat.*

(*f*) Sic mss. At editi, *et hi in me.* Hic pars versus 21 cum parte 24 in unum componitur. Insignis est hic locus, quo Christi cum Patre et nostra cum Deo unitas, maxime post perceptum gloriosi corporis munus, toties apud Hilarium decantata intelligatur. Pater igitur est in Christo homine per naturam divinitatis, quæ ante glorificationem veluti latens et exinanita, per carnis glorificationem clarius se prodidit ; rursum Christus est in nobis per consortium carnis, cui cum conformes erimus per resurrectionis glo-

est, quos cum conformes gloriæ corporis sui fecerit, per se qui mediator est, etiam in unitatem paternæ majestatis assumet; dum et in eo per naturam Pater est, et ille rursum per societatem carnis in nobis est : quos in regnum præparatum illis ante constitutionem mundi obtinendum locaverit, quibus absorpta morte immortalem vitam æternamque reddiderit. Non enim jam incrementis corporum, escarumque alimentis, infirmitatumque casibus vitæ humanæ demutatio laborque tolerabitur : sed æternitas cunctis, quæ naturæ suæ virtute ipsa se continens, id est, quæ se ipsam alat conservetque (1) (*a*) donabitur : certique omnes fore se sempiternos, (quod) non aliunde jam, id est, non extrinsecus (2) contineantur ad vitam, sed ex Deo, per quem resurrexerint, et immortales maneant et æterni. Et ideo hæc humanæ spei sacramenta tali confessionis fide Propheta conclusit, VERS. 36 : *Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ* (*b*), *benedictus Deus est.* Dat itaque virtutem plebi suæ et fortitudinem Deus, quæ immortalis effecta intra vitam virtutemque contineatur, dispoliatoque corpore **240** superinduta sit honore cœlesti : ut omni corruptione et infirmitate depulsa, Deum æternitatis suæ laude benedicat, per unigenitum et primogenitum suum Deum ac Dominum nostrum Jesum Christum, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS LXVIII (3).

In finem pro his qui vel immutabuntur, Psalmus ipsi David.

(Hil. *Salva me.*) *Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. Infixus sum in limo* (Hil. *in limum*) *profundi, et non est substantia. Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me. Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ; defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum. Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis. Convaluerunt qui persequuntur me inimici mei injuste : quæ non rapui tum exsolvere repetebar. Deus, tu scis insipientiam meam, et delicta mea a te non sunt absconsa. Non confundantur in me qui exspectant te, Domine virtutum : non vereantur super me qui quærunt te, Deus Israel. Quoniam propter te sustinui improperium, operuit reverentia faciem meam. Exter factus sum fratribus meis, et hospes filiis matris meæ : quoniam zelus domus tuæ comedit me, et opprobria exprobrantium te ceciderunt super me. Et operui in jejunio animam meam* (*et*) *factum est mihi in opprobrium. Et posui vestimentum meum saccum, et factus sum illis in parabolam. Adversum me detrahebant qui sedebant in porta, et in me psallebant qui bibebant vinum. Ego vero orationem meam ad te, Domine, tempus beneplaciti Deus. In multitudine misericordiæ tuæ exaudi me, in* **241** *veritate salutis tuæ. Eripe me de luto ut non hæream, et de profundo* (*c*) *aquarum. Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque contineat puteus super me os suum. Exaudi me, Domine, quoniam suavis est mihi misericordia tua : secundum multitudinem misericordiæ tuæ conspice in me. Ne avertas faciem tuam a puero tuo : quoniam tribulor, velociter exaudi me. Intende animæ meæ, et libera eam : propter inimicos meos eripe me. Tu enim scis improperium et confusionem et verecundiam meam, in conspectu tuo sunt omnes tribulantes me : improperium exspectavit cor meum et miseriam. Et sustinui commærentem, et non fuit : et consolantem, et non inveni. Et dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto. Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, et in retributionem, et in scandalum. Obscurentur oculi eorum ne videant, et dorsum eorum perpetuo incurva. Effunde super eos iram tuam, et animatio iræ tuæ comprehendat eos. Fiat habitatio eorum deserta, et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet : quoniam quem tu percussisti persecuti sunt, et super dolorem vulnerum meorum addiderunt. Appone iniquitatem super iniquitatem ipsorum : et non intrent in justitiam tuam. Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur. Pauper et dolens sum ego, et salus vultus tui, Deus, suscepit me. Laudabo nomen Dei in cantico, et magnificabo* (*tuum cum cantico, magnif.*) *eum in laude : et placebit Deo super vitulum novellum, cornua producentem et ungulas. Videant pauperes, et lætentur : quærite Deum, et vivet anima vestra : quoniam exaudivit pauperem Dominus, et vinctos suos non despexit* (*sprevit*). *Laudent eum cœli et terra, mare et omnia repentia in eis* (*eo*) *: quoniam Dominus salvificabit Sion, et ædificabuntur civitates Judæ, et inhabitabunt in ea, et hæreditabunt* **242** *terram. Et semen servorum ejus possidebit* (*possidebunt*) *eam : et qui diligunt nomen ejus, inhabitabunt eam.*

TRACTATUS PSALMI.

1. *Psalmus est de Christo; de passione illius.*—VERS. 1. Tertius hic *pro his qui immutabuntur* est psalmus : qui etsi nihil sub historiæ commemoratione complexus est, ut in quinquagesimo et nono inesse tractavimus, neque ut in quadragesimo quarto aliquid proprium in superscriptione prætulerit, ubi, *Pro dilecto cantifinem pro his quæ commutabuntur, ipsi David :* græco pressius adhærens.

(1) *Donetur.*
(2) *Conserventur.*
(3) Ms. liber : *Incipit Psalmus* LXVIII *feliciter. In*

riam, ei etiam, ut Hilarii verbo utamur, concorporabimur; atque ita Christo mediante unum cum Patre erimus. Hujusmodi autem unitatis assertio prorsus caret suspicione, ne corporum suscitatorum veritati quidpiam detrahere videatur, præsertim cum num. 35 præmissum sit, *dissolutorum corporum pulverem in formam soliditatemque membrorum esse cogendum.*

(*a*) Mss. *donetur :* et mox omisso *quod*, subjiciunt *continentur*, non *contineantur*.
(*b*) Regius codex, *plebi ejus, benedictus es Deus.*
(*c*) Addit hic Vat. cod. *libera me ex odientibus me :* quæ verba ab Hilario lecta fuisse liquet ex num. 15, quamvis præter morem versuum singulorum explanationi nusquam expresse præmissa sint.

cum prænotatur (*Psal.* XLIV, 1) : in eo tamen quod non illius David, sed, (1) : *illi David psalmus in finem* præscribitur ; in illum potius David, qui et oriens et justus et finis est legis, convenire intelligenda prophetia est. Per id enim non ab illo, sed (2) in illum (*a*) psalmus docetur esse cantatus. In his autem *qui immutabuntur*, evangelicæ spei fideles significari (*In ps.* LIX, *n.* 2) docuimus, qui aut ex legis observatione, aut ex gentili impietate ad cognitionem Dei demutati, tamquam renascentes incorruptæ æternitatis candore (*b*) florerent ; quod idipsum psalmi fine tractabitur. Non ambigitur autem psalmus ipse sacramentum passionis Domini continere. Nam præter Joannem apostolum (XIX, 28), qui in potatione aceti consistere consummationem Scripturarum testatus est, cum etiam dictum hoc ab eodem sub apostolorum recordatione præsumptum sit: *Zelus domus tuæ comedit me* (*Ibid.* II, 17) ; adimit ambiguitatem, confirmatque omnia ad eum dicta gestaque esse referenda. Universarum itaque humanarum passionum sorte perfunctus, secundum susceptas infirmitates nostras loquitur : et dolet ipse quidem extra necessitatem et timoris positus et doloris, sed his se tamen quæ suscepit accommodans : ut qui carnis nostræ homo natus esset, (*c*) et dolorum nostrorum querelis et infirmitatis precatione loqueretur. Cœpit itaque ita.

2. VERS. 2, 3. *Mortis lex in omnes. Christus ut homo salutem orat.* — *Salva me, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. Infixus sum* (*d*) *in limum profundi, et non est substantia.* Vivendi omnibus finem mors in cunctos constituta præscribit. Et quid sibi nunc oratio ista vult, quæ se salvari deprecatur ; cum lex mortis in omnes sit constituta ? Dehinc nunc orandæ salutis hæc causa est, quia (3) intraverint aquæ usque ad animam ; introeundi autem aquis ad animam hinc facultas sit, quod infixus sit in limum profundi ; defixi **243** vero in limum profundi nulla substantia sit. Ergo quia nemo nisi quod sperat precatur (sperat autem nemo se non mori), talis hæc ejus merito oratio est, (*e*) qui, moriturus licet, morte non erat obtinendus. Assumpta ergo infirmitas habuit officium deprecandæ salutis, divinitatis vero conscientia spem tenuit salutis in morte sperandæ. Salvari se ergo orat qui et dixerit : *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti* (*Matth.* XXVII, 46) ?

3. *Aquæ quid.* — Introeuntibus enim aquis usque ad animam, subjectus morti crucis fiebat, cum passionum universarum impetus usque ad mortem animæ perrumperet. In aquis autem insectationes populi motusque gentium significari solere non dubium est, cum dicitur : *Torrentem pertransivit anima mea* (*Psal.* CXXIII, 5), vel illud : *Et pertransivit anima mea, aquam immensam* (*Ibidem*). Sunt et aquæ arenosam domum subluentes, eamque in casum ruinamque pellentes (*Matth.* VII, 27). Hæ ergo nunc aquæ usque ad animam intrantes, ad precem eum orandæ salutis coegerunt.

4. *Christo unde mors et passio. Dei exinanitio. Deus et homo in Christo qua vi uniti.* — Verum ineuntium harum passionum, non aliunde quam ex assumptione carnis, et virtus est et potestas. Non enim (4) incidere in Deum hic infirmitatum nostrarum terror valebat, aut exserere se nisi in carne corporis nostri, (*f*) tamquam in subjacente materia, potuerant passiones. Porro autem haurienda fuit natura cœlestis (divina), ut exinaniens se ex Dei forma, in formam servi hominisque decideret. Et ideo usque ad animam aquæ penetrant : quia substantia ei non sit, (*g*) infixo in limo profundi. Non utique substantia ea non erat quæ assumpta habebatur, sed quæ se ipsam inaniens hauserat. Nullo autem modo se caruit, qui se ipsum exinanivit evacuans : nec tamen idipsum videbatur exstare, quod jam in aliud se evacuando concesserat. Non est ergo substantia, per id quod infixus est in limo profundi. Primus enim homo de terræ limo : et secundus Adam in hujus limi profundum de cœlis descendens, se ipsum tamquam ex alto (5) veniens defixit. Evacuans ergo se, quippe cui substantia non erat, non jam usque ad carnis, verum etiam usque ad mortis profunda descendit, et omnis in eum terror desævientis in nos tempestatis incubuit. Cum enim se, contra naturæ cœlestis **244** terrenæque diversitatem, (*h*) in hunc limum potestatis suæ virtute defixit ; quia ea quæ natura dissident, ad quamdam connexionis suæ soliditatem non generis

(1) *Ipsi David.* tum, *in fine.*
(2) *In illo psalmus doceatur.*
(3) *Intraverunt.*
(4) *Incedere.*
(5) *Veniens deficiens defixit.*

(*a*) Mss. *in illo :* superius etiam *in fine*, quod prope semper præ se ferunt, non *in finem*.

(*b*) In ms. Reg. *florent.*

(*c*) In vulgatis *ex dolorum.* Concinnius in mss. *et*, pro *etiam.*

(*d*) Ita reg. ms. juxta græcum εἰς ἰλύν : qui tamen cum vulgatis quandoque exhibet *in limo* : quod iis locis a nobis non est immutatum.

(*e*) Editi, *quæ moriturus.* Rectius mss. *qui* scil. obtinendus seu detinendus non erat a morte, cujus victor evasurus erat per vitæ receptionem.

(*f*) In mss. Vaticanis, *tamquam in subjacentem materiam* : quod non displiceret, si prius *in carnem*, non *in carne* legeretur. Hoc loco in antiquis editionibus valde depravato, paucis aperit Hilarius de passione Christi quid sentiat, eum videlicet tamquam Deum non habuisse unde pateretur, quod habuerit tantum ex hominis assumptione.

(*g*) Regius codex secundis curis, *infixa*, quod et in vulgatis obtinuit, quamvis longe melius a prima manu cum ms. Mic. præ se ferat *infixo*, hoc est, ei qui infixus est. Exinde subtiliter exponit noster Interpres de qua Christi natura dicatur : *Non est substantia :* non, inquit, de humana, sed de divina ; non quod Christus homo factus divinitatis substantia umquam caruerit, sed quod ea ita latuerit, ut non exstare videretur : quæ ipsius verba aliis difficilioribus explicandis lucem afferunt non modicam.

(*h*) Editi, *in hanc humum.* Clarum est hic *naturæ cœlestis terrenæque* nomine divinam humanamque designari.

ipsius propinquitate conveniunt, sed (*a*) potiore vi tamquam confixa sociantur : tunc et pati cœpit et mori posse, per occasum mortis in inferna descendens.

5. *Mortis Christi prophetia. Mortis sedem quibus verbis exprimat Scriptura.* — Sequitur enim : *Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me.* Imitator ille et dominicæ mortis et temporis Jonas, mari mersus cetoque susceptus, non tam in mari se quam in inferno positum testatur : *Clamavi in pressura mea ad Deum meum, et exaudivit de ventre inferorum clamores meos* (*Jonæ* II, 3). Et quamvis eum cetus ad speciem infernæ mortis hausisset, ait : *Introivit caput meum in scissuras petrarum, descendi in terram cujus seræ* (*b*) *tenaces et æternæ.* Sancto etiam Job post illud universarum passionum gloriosissimum bellum, eum dignus jam esset eloquio divino scientiaque naturæ, post confracti intra se maris portas, rugientesque ejus in matris suæ ventre terrores, rursum quid etiam in mari significaretur, Dominus revelavit, dicens : *Venisti autem super fontes abyssi, aut in vestigiis maris ambulasti? aperiuntur autem tibi præ timore portæ mortis* (*Job.* XXXVIII, 16, 17), in vestigiis utique maris, tamquam in profundo vel altitudine maris, portas mortis esse significans. Nam cum profunda maris inferiora sint terræ ; necesse est in profundo maris, id est in inferioribus sedem mortis ostendi. Veniens ergo in hoc profundum maris, tempestate demersus est, cujus in anteriore psalmo ita meminit, dicens : *Omnia excelsa tua et fluctus tui super me transierunt* (*Psal.* XLI, 8). Sed et ille, ut dixi, dominicæ mortis imitator, quem ex tenacibus æternisque terræ seris immanissimus ille maris istius cetus evomuit, haud dissimilia conquestus est : *Omnes suspensiones tuæ et fluctus tui super me* (*c*) *transibant* (*Jonæ* II, 4). Usque ad mortis igitur veniens profundum, mortis ipsius tempestate demersus est, adversariarumque virtutum depressus procellis est.

6. *Christi clamor. Qua de causa.* — Non tamen (*d*) tacitus eorum, qui se ipsos diabolo præbituri erant velut ministerii arma peccato (quippe qui et nonnumquam consilia (*e*) initæ mortis suæ exprobraverit, et **245** stans in templo sæpe clamaverit, et elevatis ad Deum frequenter oculis intenderit, ut (1) ad unumquodque divinitatis suæ opus maximum (*f*) aspectarent intelligitur ad Patrem ; ob quod sequitur, VERS. 4 : *Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ : defecerunt oculi mei,* (2) *dum spero in Deum meum.* Infirmitates nostras suscipiens, portansque peccata, usu et consuetudine humanæ defatigationis locutus est : (*g*) namque qui se somno et lassitudini sæpe commiserit, etiam usque ad sitis et esuritionis necessitatem. Fauces itaque ejus raucæ sunt, oculique defecti. Causam vero maximi clamoris et intentionis oculorum hanc esse docuit, quia speraret in Deum, vel cum clamat dicens : *Qui credit in me, non in me credit, sed in eum qui me misit* (*Joan.* XII, 44) : vel cum clamaturus Lazarum voce magna, elevatis sursum oculis, ait : *Pater, gratias tibi ago quoniam audisti me* (*Ibid.* XI, 41).

7. *Odientium numerus cur supra capillos. Quam gratis oderunt.* — Sed illo vel paterni nominis magnificentiam testante, vel humanæ salutis opus moliente, odia in eum multiplicantur in cassum. Sequitur enim, VERS. 5 : *Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis. Convaluerunt qui persequuntur me inimici mei injuste, quæ non rapui tunc exsolvere repetebar.* Numerus odientium ultra capillos capitis est multiplex : sive ob impiorum copiosam multitudinem, sive quia indigni sint Dei cura (nam Apostolorum capillos, quia tanta eorum Deo cura est, scimus esse numeratos [*Matth.* X, 30]), sive quia infidelium numerus ultra numerum sit fidelium. Nam cum decus capitis in capillis sit, et Ecclesiæ, quæ corpus est Christi, in Apostolorum decore omnis ornatus est. Super hoc capitis sui decus, odientium est multitudo. Oderunt autem eum *gratis*, id est, causam odii non habentes. Et convalescentes inimici, injuste sunt persecuti. Non enim peccatum egerat, nec dolum habuerat : et ideo quæ non rapuerat, tunc repetebatur exsolvere. Cum enim debitor mortis peccatique non esset, tamquam peccati et mortis debitor tenebatur, ab his scilicet, qui in eo peccati legem quæ in membris nostris est exserebant. De peccato enim condemnavit peccatum in carne (*Rom.* VIII, 3).

8. *Stultitia Christi crux. Hujus fructus justi expectatio.* — In quo quia magnum divinæ sapientiæ explebat consilium, crucisque mors in Deo stultitia gentibus videbatur, magnaque in eo cœlestis terrenæque spei exspectatio inerat ; **246** subjecit, VERS. 6 et 7 : *Deus, tu scis insipientiam meam, et delicta mea a te non sunt abscondita. Non confundantur in me qui expectant te, Domine virtutum : non vereantur super me qui quærunt te, Deus Israel.* Insipientiæ suæ Deus conscius est, et delicta sua abscondita ab eo non sunt : pœnas scilicet insipientiæ et delictorum, quas non rapuerat, repetebatur exsolvere. Usque ad crucis autem stultitiam (id est, quia stultum sit gentibus peccata nostra sic suscipi), ut peccator

(1) *Ad unum ut ad quodque,* deinde, *adspectare intelligitur et ad Patrem.*

(2) *Dum speravi.*

(*a*) In vulgatis, *potiore vita, qua* (vel *quam*) *confixa.* Horum emendationem uni ms. Vaticano debemus, aliis etiam faventibus.

(*b*) In antiquis libris scribitur constanter *serræ* cum duplici *r*.

(*c*) Reg. ms. *transiebant :* et mox *maris* (non *mortis*) *ipsius tempestate.*

(*d*) Lips. et Par. *coactu eorum.* Er. in margine *forte actu,* in textu autem cum Bad. et mss. Vaticanis. *tactu.* Reg. *taciti.* Restituimus ex Mic. *tacitus eorum,* scil. *intelligitur ad* (seu *apud*) *Patrem.*

(*e*) Unus codex Vatic. *inita.*

(*f*) Editi, *aspectare intelligeretur.* Sequimur reg. ms. in quo tamen *aspectaret,* non *aspectarent.*

(*g*) Editi, *nempe qui,* littera, non sensu a mss. dissentes. Vide tractatum superiorem, n. 22.

et stultus gratis injusteque vexatur. Sed quia stultitiam atque delicta propter sapientiam nostram vitamque susceperat, ut principem sæculi judicaret, et de peccato condemnaret in carne peccatum (cum quando in se, in carne scilicet corporis sui, in qua nihil inveniri poterat peccati, secundum quod ait : *Ecce veniet princeps mundi, et non inveniet in me quidquam* (*Joan.* XIV, 50), veniens hic mundi princeps, nihilque inveniens, peccati tamen pœnam, id est, jus mortis (*a*) exseruit ; per quod humanæ mortis auctor, quia in auctorem vitæ peccati nescium mortem molitus sit, judicatur : et hæc sanctorum exspectatio fuit, ut omnis caro redimeretur in Christo, ut in eo æternæ resurrectionis primitiæ exsisterent) : non confundi in se eos rogat qui exspectent Dominum, neque quærentes Deum Israel super se vereri aut pudere : quia suscipiendæ ab eo carnis tempus desideratum sit, secundum illud : *Multi prophetæ et justi cupierunt videre quæ vos videtis, et audire quæ vos auditis* (*Matth.* XIII, 17). Ne quid ergo in se imbecillum infirmumque maneat deprecatur ; ne spem exspectantium infirmitas corporis carnisque confundat. Per eum enim et in eo exspectatio nobis omnis ad Deum est. Veniens ergo in corpus, ne in se sanctorum spes confundatur orat.

9. *Infirmitas Christi est assumpta, non naturalis. Peccati necessitas nulli inest.* — Quod autem infirmitates nostras ad salutem generis humani ex paterna voluntate susceperit, quia non voluntatem suam facturus venerit, sed voluntatem ejus qui se miserit Patris (*Joan.* VI, 38) ; nunc quoque per subjecta declarat, VERS. 8-10 : *Quoniam propter te sustinui improperium, operuit reverentia faciem meam. Exter factus sum fratribus meis, et hospes filiis matris meæ : quoniam zelus domus tuæ comedit me.* Non fuit ergo in unigenito Deo naturalis infirmitas, sed assumpta : quia(*b*) propter eum hæc improperia susceperit passionum. Quamquam ne in naturis quidem hominum inest 247 necessitas aliqua peccati ; sed ex appetitu voluntatis et oblectatione viliorum peccati usus arripitur. Et ideo Dominus non se rapuisse quæ ut solveret repetebatur ostendit : quia ea quæ contra naturam sint desiderata (*c*) rapiantur, solutoris omnibus quadrantem novissimum talium debitorum (*Matth.* V, 26) : et ob hoc orationis dominicæ præscripto, remitti nobis debita deprecamur. Sustinuit ergo improperium propter Deum, dum alienum a natura sua corpus assumit, dum, secundum Apostolum (II *Cor.* V, 20), peccati nescium Pater facit esse peccatum, dum fit obediens usque ad mortem crucis, dum ipsi exprobratur quod cæteros salvans se ipse non salvet, dum contumelias sputorum alapasumque perpetitur (*Vid. lib.* X *de Trin., n.* 46).

10. *Qui dissideat a nobis. Zelus ejus.* — Hoc igitur pudore coopertus ob Deum, fit alienus a fratribus suis, et filiis matris suæ hospes efficitur, a vitiis scilicet eorum, qui sibi secundum carnem consanguinei habebantur, (*d*) alienus ; dum nummulariorum mensas templum ingressus evertit (*Joan.* II, 15), dum nundinas ovium ac boum prohibet, dum vendentibus columbas cur domum patris sui domum fecerint negotiationis exprobrat. Zelo enim domus Dei pervasus hæc egit. Est autem hæc amoris pii indignatio, ut eorum quos diligimus contumeliis tamquam zelo effervescente moveamur. Hoc enim pollutæ domus zelo, ut Evangelium (sicut superius docui) testatum est, turbam omnem ementium ac vendentium templum ingressus ejecit. Zelo autem Dei etiam usque ad mortis severitatem et finem placuisse, laudabile est.

11. *Convicia ipsi concitavit.* — Per hanc igitur exprobratarum his cupiditatum indignationem, omnium in eum maledictorum congesta convicia sunt. Quæcumque autem in impios dirigi solent, hæc in eum opprobria sunt relata : cum blasphemus, cum Samaritanus, cum Beelzebub, cum dæmonium habens dicitur (*Joan.* VIII, 48). Id enim subjecit : *Et opprobria exprobrantium te ceciderunt super me.* Blasphemiæ opprobrium ei potius, qui Deo contumeliam exprobret, ingeritur ; sicuti dæmonii infamia ei magis, qui a Deo sit alienus, est propria. Quæ cum omnia ei exprobrata sint propter domus Dei zelum, eorum (1) qui Deum exprobrant, super eum opprobria congeruntur. Et hujus dicti ad Romanos Apostolus scribens (XV, 3) sub 248 hujus significationis meminit intelligentia.

12. *Quæque Christi gesta omni hominum genere obtrectantur. Lazarum excitaturus quid fleverit.* — Ipsa etiam jejunii continentia recidit in opprobrium, (2) cum a diabolo tentatur, cum in templi pinna locamonis in psal. LXIII. *Zabuli progeniem, Zabuli potestatem, ut tentaretur a Zabulo*, legimus in Hilarii commentario in Matth. apud Erasmum. Neque apud Hilarium tantum, sed et apud alios christianos scriptores idem invenire est. Hieronymus quidem *de*

(1) *Qui Domino exprobrant.*

(2) *Quo a Zabulo tentatur.* Ita scribitur in codice, idque nominis ita passim occurrit in mss. *Zaboli debellatorem*, præfert idem liber noster sub finem ser-

(*a*) In vulgatis hic, ut passim, pro *exseruit*, substitutum erat *exercuit :* quam hujus molitionis suæ pœnam sæculi princeps cum asseclis suis dederit, habes in superiorem psalmum, n. 23.

(*b*) In vulgatis, *propter Deum :* At in mss. *propter eum :* referturque ad Patrem, cujus voluntatem facturus venisse Filius mox dicebatur. Jam observatum est in psal. LIV, p. 119, not. id ab Hilario negari Christo naturale, quod ei non convenit ut Deus est. Hinc ex quod mox ait : *Alienum a natura sua corpus assumit.* Quomodo autem corpus alienum a natura illius est, ita et corporis infirmitas. Ut enim corpus, ita et infirmitas assumpta est. *Assumptio autem infirmitatis*, inquit in psal. CXXXVII, n. 5 : *non fecit infirmum : quia aliud est naturam esse, aliud est assumpsisse naturam.* Præterea naturalem hic negat, quatenus hoc necessitatem sonat ; contenditque infirmitatem a Christo fuisse susceptam voluntaria assumptione, non necessitate naturæ.

(*c*) Hic respiciuntur peccata, quæ contra naturam ex inordinato voluntatis appetitu ortum habere proxime dicebantur.

(*d*) Mss. *alienans.*

tur, cum supra montem fertur, cum postremo ad adorandum Satanam totius mundi habitatione tentatur. Flet interdum, et ingemiscit, et tristis est (*Matth.* IV, 1, *etc.*), et id ipsum ad infirmitatis tributur exemplum. Omni denique generi hominum et obtrectatio efficitur et canticum. Ipsi enim qui in portis orandi victus causa sedeant, obloquuntur et detrahunt : et in eo ebrii psallunt. Hæc autem omnia vel secundum gestorum fidem, vel secundum humanæ consuetudinis modum in se ita gesta esse conqueritur. VERS. 11-13. *Et operui in jejunio animam meam, et factum est mihi in opprobrium. Et posui vestimentum meum saccum, et factus sum illis in parabolam. Adversum me detrahebant qui sedebant in porta, et in me psallebant qui bibebant vinum.* Fuit itaque jejunium ei in opprobrium : quia per esuriendi opprobrium usque ad adorandi Satanæ contumeliam tentatus est (*Matth.* IV, 9). Vestis autem de sacco, habitus est luctus. Luctus vero omnis affectus (1) in fletu est. Et cum Lazarum excitaturus illacrymat, infidelitatem humani generis lugebat : in habitu enim luctus, flendi significatur (*a*) affectus. Quod autem non Lazarum, cujus et morte lætatur (*Joan.* XI, 15), quem et ex mortuis excitaturus erat, fleverit, omnis ipse Evangelii sermo declarat. Sed cum resurrectionis fidem nullam futuram, in ipso resurrectionis opere flevisset ; fletus ejus in parabolam (2) profecit, ut et tum (*b*) documentum amoris sui in Lazarum flendo dictus sit præbuisse : et a plerisque hodie, quia fleverit, arguatur infirmus (*V. lib.* X *de Trin.*, *n.* 24 *et* 25). In ebriis autem psallentibus, et his qui in porta sederent detrahentibus, omnium etiam infirmorum in eum contumeliæ per hanc consuetudinem vulgi docentur. Adeo autem nullum genus hominum de eo tacuisse manifestum est, ut Gleophas ei, qui tamquam rerum ignarus causam sermonis interrogaret, respondisse ita scribatur : *Tu solus peregrinus es in Jerusalem, et non cognovisti quæ facta sunt in ea in diebus his* (*Luc.* XXIV, 18) ? Stupor enim est de ignoratione unius, in cognitione universorum.

13. *Christi oratio.* — Sed inter has omnium de se et obtrectationes et contumelias, humanæ salutis sacramenta peragebat : et salutem a Deo **249** homini quem assumpserat deprecatur. Id enim sequitur, VERS. 14—16 : *Ego vero* (3) *oratione mea ad te, Domine, tempus beneplaciti Deus. In multitudine misericordiæ tuæ exaudi me, in veritate* (4) *salutis tuæ. Eripe me de luto, uti non hæream,* (5) *et libera ex odientibus me, et de profundo aquarum. Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque contineat puteus super me os suum.* Cæteris in contumelias et opprobria ejus intentis, ipse oratione sua totus ad Deum est ; susceptas quidem infirmitates nostras in se habens, sed in his quibus afficitur cœlestis erga nos misericordiæ munus exsequitur : neque invitus hæc sumens, in multitudine misericordiæ beneplacitum Deo esse tempus ostendit. In hoc ergo beneplacito tempore rogat : quia non ignorat hanc Patris de se prophetiam etiam ab Apostolo Paulo recognitam : *Tempore accepto exaudivi te* (II *Cor.* VI, 2 ; *Isa.* XLIX, 8).

14. *Malum ex se nihil, sed vitio humano. Tempus beneplacitum quid per Christum præstitum mundo.* Omnia quidem Deo pro magnificentia operum intelligenda sunt placere quæ gesta sunt : et cum in Genesi scribitur : *Et vidit Deus quia bona sunt* (*Genes.* I, 31), vitium nullum in rerum relinquitur creaturis. (*c*) Nam etsi quædam humani ingenii corrupta nequitiis sunt, ut ex remediis venena, ut ex ferro ensis, ut ex igni conflagratio, ut ex cibis cruditas, ut ebrietas ex vino, ut postremo partes ipsæ et membra corporum ad naturales utique usus utilesque formatæ, vitiorum se ac criminum ministeria præbuerunt ; et cum Deo cuncta sint placita, beneplacitum tamen tempus hoc est, quo unigenitus Deus in sanguine corporis nostri, tamquam inimica ac dissidentia, reconciliaturus omnia in cœlis et in terra Deo esset : cum multiformis illa Dei Sapientia aliis occulta temporibus, nullisque principibus ac magistrationibus sæculi cognita, ad laudem claritatis Dei esset revelanda (*Coloss.* I, 20 ; *Ephes.* III, 5, 9 *et* 10), cum cohæredes et concorporales et comparticipes Christo gentes fierent ; cum in eo omnes adversæ Deo virtutes dehonestarentur ; cum mors postquam in Deo esset grassata desineret ; cum lex peccati quæ in carne nostra est tolleretur ; cum revelationem filiorum Dei congemiscens omnis creatura speraret ; cum in passione unigeniti Dei omnium ante constitutionem mundi causarum et originum (6) consummaretur effectus, principem sæculi judicando, hominem ex peccati lege redimendo, creaturis a corruptionis vanitate cui serviebant liberandis, nequitiis spiritalibus Domini **250** morte damnandis, Deo in omnibus et per omnes

Nom. Hebr. plurifariam interpretatus est vocem, velut ab Hebraico. Cangius in Glossario a Dorica dialecto arcessit ; Macrius ab Æolica. Sed ejusmodi inflexionem eadem pronuntiationis mollities invexit, qua ζια effertur pro διά. Sic apud Commodianum *Zacones* habetur pro *diacones*. Hæc enuntiandi ratio apud neotericos Græcos etiamnum obtinet.

(1) *Effectus.*

(2) *Proficitur et tum documentum.* Sic *monimentum* scripsere.

(3) In anteriori, *orationem meam.* Nobiscum faciunt LXX. interpretes, atque Augustinus, imo Hilarius ipse ex subjectis, n. 15, *ipse oratione sua* totus *ad Deum est.*

(4) *Salutis meæ.*

(5) *Et libera ex odientibus me*, supplevimus e libro nostro, cum et in græco habeantur, atque ab Hilario lecta fuisse, explicatio manifestat : *liberari se etiam ex odientibus se deprecatur, et de profundo aquarum*

(6) *Consumeretur*, mox, *principes.*

(*a*) Ita mss. At vulgati, *effectus.*

(*b*) Reg. ms. *documentum* ; quam vocem ita scriptam constanter exhibet.

(*c*) Editi, *tametsi quædam* : emendantur ex Reg. ms.

æternitatis munere et immortalitatis nostræ claritate laudando. Omnia autem hæc virtutis resurrectionis implevit : (*a*) quia per primitias ex mortuis ab hominum genere morte depulsa, in auctores mortis æternæ mortis pœna decreta est. In se enim ipso principatus et potestates dehonestatas cum fiducia triumphavit.

15. *Christi in corruptio et duæ naturæ. Puteus infernus.* — Et ideo post beneplaciti temporis significationem, omnis tribuendæ veræ salutis oratio est : ut ea ipsa salutis veritas intelligeretur, quæ ex resurrectione speratur. Dehinc qui infixus esset in limo profundi, ut luto non inhæreret rogat, secundum illud : *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem* (*Psal.* XV, 10). Qui enim de terra est, et in terram ex qua acceptus est revertetur (*Gen.* III, 19), luto et limo quo infixus est inhærebit, (*b*) in naturæ suæ, id est, corporis originem dissolutus. Liberari se etiam ex odientibus se deprecatur, et de profundo aquarum : quia usque ad animam suam, id est, usque ad passionem insectantium odia proruperint. Veniens quoque in altitudinem maris, ac tempestate demersus, nunc ne demergatur orat : ut superius assumptæ infirmitatis nostræ professio sit, cum se demersum esse profitetur : nunc vero consciæ (*c*) in se salutis fiducia est, cum ne se aquæ tempestas demergat precatur. Nam ejusdem naturæ non est, et demersam jam esse, et ne demergatur orare : sed ejus quæ (*d*) per corpus licet mersa, non tamen sit detinenda per spiritum. Et ideo nunc ne absorbeatur profundo, neve super se puteus os suum claudat, precatur. In puteo enim infernæ mortis sedem significari, et psalmus alius testis est, cum dicitur : *Tu vero, Domine, deduces eos in puteum interitus* (*Ps.* LIV, 24), demersum hoc profundumque puteorum inferna terræ significari demonstrans. Ne contineat ergo super eum puteus os suum postulat. Impossibile enim est Deum vitæ, portis inferni detineri.

16. *Christum præter hominem aliquid præ se ferre.* — VERS. 17 — 19. Ac ne in eo quod mortem nostræ infirmitatis assumpsit, secundum humanam necessitatem aliquid ex mortis acerbitate (1) mœreret (*e*); ideo subjecit : *Exaudi me, Domine, quoniam suavis est mihi misericordia tua : secundum multitudinem misericordiæ tuæ conspice in me.* **251** Hoc enim in multitudine misericordiæ beneplacitum est tempus, cum in se universorum hominum vitam Deus miserans, ut miserator Deus vitam esset largiturus ex mortuis. (2) Sed (*f*) quia suavem hanc sibi esse Dei misericordiam testabatur, susceptæ tamen infirmitatis nostræ sollicitudinem non relaxat, dicens : *Ne avertas faciem tuam a puero tuo : quoniam tribulor, velociter exaudi me. Intende animæ meæ, et libera eam : propter inimicos meos eripe me.* Omnia ut homo et patitur et loquitur. Nam ex susceptione carnis et puer est, secundum illud: *Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus in quo complacuit animæ meæ* (*Esai.* XLII, 1); et citum auxilium tribulationi suæ orat, et intendi in animam suam rogat : ut per id quod in eam intendit Deus, digna sit liberari. Et hæc quidem, ut homo noster, obediens usque ad mortem crucis precatur. Sed cum eripi se propter inimicos suos rogat, consuetudinem humanæ et spei et moris (*g*) excedit. Nemo enim salvus aliqua magis quam salutis suæ causa vult esse : et a malis quis eripi se ob id necesse est, ne malis afficiatur, optabit. At vero nunc eripi se non sua causa, sed *propter inimicos suos* ex his quibus afficitur deposcit : quia hi inimici dehonestandi in se patiente, et triumphandi cum fiducia in se ex mortuis resurgente mox essent.

17. *Nil sua causa agit, aut patitur. Ad passionem anhelat. Sacramentum divinæ communionis.* — Denique nihil se sua causa agere ac pati consequentibus docet, dicens, VERS. 20, 21 : *Tu enim scis* (3) *improperium et confusionem et verecundiam meam in conspectu tuo sunt omnes tribulantes me. Improperium exspectavit cor meum et miseriam.* Superior non dispar professio est, cum dicit : *Deus, tu scis insipientiam meam, et delicta mea a te non sunt absconsa.* Contra humanæ enim opinionis (*h*) errorem, soli Deo assumpta magis hæc ab eo infirmitas, quam naturalis esse, erat nota. Et quia propter inimicos suos hæc perpetienda sibi fuerant, per quæ humanæ saluti atque æternitati consulebat ; hujus beneplaciti temporis testatur affectum, dicens : *Improperium exspectavit cor meum et miseriam ;* desideratas sibi esse hujus temporis significans passiones, secundum illud divinæ communionis sacramentum : *Desiderio cupivi hoc* (*i*) *manducare* (*Luc.* XXII, 15) : quia in his pas-

(1) *Hæreret et subjecit.*
(2) *Sed qui.*

(3) *Improperium meum.* Huic lectioni concinunt græca atque reliqua latina psalteria.

(*a*) Ita mss. Reg. et Mic. In vulgatis autem *et*, loco *quia*. De hac mortis pœna in auctores nostræ mortis retorta, jam sup. n. 8, et in ps. LXVII, n. 23, tractat.

(*b*) Bad., Er. et Lips. cum Reg. ms. *naturæ suæ, id est corporis origine dissolutus.*

(*c*) Sola editio Par. *conscius*. At Bad. *consciæ se*. Er. et Lips. *consciæ suæ salutis*. Familiare autem est Hilario, ut rem cujus quis conscius est, ipse consciam significet. Cujusmodi est illud lib. VII de Trin. n. 1 : *Quamvis consciæ infirmitatis nostræ trepidatione revocemur*. Vide eumdem lib. n. 21.

(*d*) Ut per *corpus* hominem, ita per *spiritum* Deum more antiquorum hic intelligi liquet ex postremis hujus numeri verbis.

(*e*) Editi, *ei ex mortis acerbitate hæreret*. Præferimus cum ms. Mic. *mœreret*, maxime cum in aliis quoque non exstet *ei*, ac verbum *mœreret*, recte opponatur verbo *suavis est*, ad quod fit transitus.

(*f*) Ita Reg. ms. ubi in editis, *sed qui suavem*.

(*g*) Sola editio Par. *et mortis*. Mox in vulg. *alia magis*, loco *aliqua*.

(*h*) In uno codice Vatic. *terrorem :* male. Tum *soli Deo* refertur ad *erat nota*, non ad *assumpta*.

(*i*) Unus e mss. Vat. *manducare pascha*, quomodo

sionis suæ desideriis beneplaciti temporis consistebat effectus.

18. *Mœrentis solatium fides nostra. Plenitudo legis Christus.* — Sed pati ad profectum nostræ salutis exspectans, alterius quoque exspectationis **252** desiderio detentus est. Sequitur enim: *Et sustinui commœrentem et non fuit; et consolantem, et non inveni.* Commœrentis et consolantis non solatium, sed fidem quærit: ut si quis veniens ex lege, et harum omnium passionum intelligens prophetiam, secum tamquam in consummatione ipsius legis assisteret; ut postea Paulus (*Coloss.* I, 24) adimplens passiones Jesu Christi, et consepultus in baptismo, Christum finem esse scit legis. Nam ad consummationem humanarum passionum propheticorumque dictorum, qui gestorum (*a*) futurus finis erat, idem est et querelarum. Id enim sequitur, VERS. 22: *Et dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.* Hæc enim ita, ut scripta leguntur, expleta sunt. Nam et fel ingestum ei, et aceto potatum Evangelia testantur. Oblatum quidem secundum Matthæum (*Matth.* XXVII, 34) fel renuens; sed secundum Joannem, ut acetum potaret, sitivit (*Joan.* XIX, 28, *etc.*). Locus autem ipse his verbis est dictus: « Post hæc Jesus sciens, quoniam omnia consummata sunt, ut impleretur Scriptura, ait: Sitio; et erat concha posita aceto plena. Spongiam igitur plenam aceto hyssopo admiscentes, obtulerunt ori ejus. Cum ergo accepisset Jesus acetum, dixit: Consummatum est. Venerat ad oves perditas domus Israel, et exspectans consolantem commœrentemque non habuit: non quod consolatione eguit volens pati atque mori, sed qui secum super totius populi impietate mœreret, et qui se ipsum ipsa mœrentis secum salute consolaretur: ut omnibus tanto scelere perfunctis, solatium in his saltem qui salvi fierent acciperet, secundum illud: *Et in servis suis consolabitur* (*Deut.* XXXII, 36): quia non credente Israel, gentes (*b*) in eum essent credituræ. Verum prophetice non sitisse scribitur, sed ut implerentur omnia, sitisse se dixit: quia cunctæ nostræ quæ in eo fuerunt infirmitates, non naturales sunt (*c*), sed assumptæ. Dehinc ut satisfecisse Scripturæ propheticæ nosceretur, potato aceto omnia consummata esse testatus est: ut plenitudo legis et prophetarum, qui legem et prophetas consummabat exsisteret.

19. *Mensa sacrificiorum. Mensa scientiæ. Judæi cæcitate percussi; sub onere legis depressi.* — Jam vero quia intra consummationem oblati fellis et potandi aceti, consummanda quoque erat passionis totius prophetia; ad ea quæ postea impietatem tanti facinoris consecuta sunt sermo se retulit, dicens, VERS. 23, 24: *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, et in captionem* **253** *et in retributionem, et in scandalum. Obscurentur oculi eorum ne videant, et dorsum eorum perpetuo incurva.* Esse mensam sacrificiorum, ut de lege, quæ in se futuri est speciem complexa, taceamus, Apostolus testatus est (I *Cor.* X, 21), dicens: *Non potestis mensæ Domini* (*d*) *participes esse, et mensæ dæmoniorum.* Sed esse mensam scientiæ, cum nonnullis locis cognitum sit, tum etiam in his ipsis dictis intelligi oportere, idem beatus Apostolus ad Romanos scribens interpres est, cum eos obcæcatos esse ne quid intelligerent testatur (*Rom.* XI, 7 *et* 8). Hæc ergo mensa, unde cibus vitæ spiritalis accipitur, *coram ipsis in laqueum et in captionem et in retributionem et in scandalum*, facta est: cum vel præscripta legis vel prophetarum voces ab Ecclesiæ viris ad revelationem divini consilii tractantur, cum ad assumendæ carnis fidem unigenitus Deus in hominis specie et ab Abraham (*e*) adoratus et cum Jacob colluctatus ostenditur, cum ex Juda princeps veniens idem exspectatio gentium nuntiatur, cum in Abraham semine omnes patriæ gentium benedicendæ sunt, cum ex David utero æterni regni Dominus prædicatur, cum, secundum Esaiam (*Esa.* LIII, 7), Dominus tamquam ovis ad occisionem ductus, nec maxillas ab alapis nec faciem avertit a sputis, cum, secundum Jeremiam, hic Deus noster est, qui disciplinis omnibus Israel dilecto suo traditis, postea in terris visus sit, et inter homines conversatus sit (*Baruch.* III, 36, *etc.*), cum denique de adventu ejus omnium prophetarum dicta conveniunt. Hæc itaque doctrinæ mensa, vel hic vitalis cibi sermo, et laqueus et captio et retributio et scandalum est; cum a nobis Deus Jacob esse, qui ab his sit crucifixus, ostenditur. Hæc enim est retributio tantæ impietatis, ut quod nobis est Dei virtus, his scandalum sit. Nam cum illaqueati captique sint scriptis, intelligentiæ tamen carent sensu: et ideo obscurati sunt oculis *ne videant*, id est ne lumen intelligentiæ contuerentur; quia secundum Evangelium: *Omni habenti dabitur; qui autem non habet, etiam quod habet auferetur ab eo* (*Matth.* XXV, 29): indigni videlicet, qui intelligentiæ sensum ac lumen acciperent; et ideo evangelicæ libertatis scientiam non adepti, perpetuo adhuc legis onere deprimuntur, ut ferant quod sustinere non possunt. Id enim in incurvando dorso per corporalium operum speciem significatur.

20. *Ira Dei.* — **254** Sed hanc eorum obcæcati cordis (*f*) inscientiam alia etiam debitæ ultionis pœna

legitur in ps. LI, n. 4. Hic pro *pascha* potest subintelligi *sacramentum divinæ communionis.*

(*a*) Vocabulum *gestorum* abest a Reg. ms. et ab interpolatore adjectum suspicamur.

(*b*) Reg. ms *ei essent crediturœ. Vera prophetia non*, etc.

(*c*) Erasmo hic quærenti. *Quomodo non naturales, qui naturam assumpsit?* facilis est responsio: Quia natura assumpta est, etiam cætera, quæ naturam consequuntur, assumpta sunt. Ut enim ait August. in psal. XCIII, n. 19, *Sic tristitiam assumpsit, quomodo carnem*, quam scil. non habuit natura, sed dispensatione.

(*d*) Ms. Reg. *participare.*

(*e*) In vulgatis, *adoratur*: mendose.

(*f*) Ex codice Mic. præfertur *inscientiam*, ut vox Hilario familiarior, quam quæ in aliis obtinet, puta *inscitiam.* Sic in Psal. LXVII, n. 32, legimus *contradictionem inscientiæ.*

consequitur. VERS. 25, 26. *Effunde super eos iram tuam, et animatio iræ tuæ comprehendat eos. Fiat habitatio eorum deserta; et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet.* In ira Dei pœnæ constitutionem, non motum animi ad ultionis voluntatem exardescentis significari sæpe tractavimus (*V. Tract. Ps.* II, *n.* 16), quam non subito puniturus intenderet, sed in quam (1) pœna (*alias*, pœnam) dignus incideret. Mansit autem hæc a prophetis omnibus huic genti impiæ denuntiata damnatio. Nam eversa mox ac diruta civitate deleti sunt, gloriosissimo illo templi cultu deleto, ornatuque detracto. Et ideo habitatione deserta, in tabernaculis eorum nullus (*a*) habitavit.

21. *Judæorum crimen et pœnæ causa.* — VERS. 27—29. Verum adhuc, secundum impietatis incrementa, prophetia quoque pœnæ et ultionis extenditur. *Quoniam quem tu percussisti persecuti sunt, et super dolorem vulnerum meorum addiderunt. Appone iniquitatem super iniquitatem ipsorum, et non intrent in justitiam tuam. Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur.* Causam apponendæ iniquitatis super iniquitatem ipsorum, et repellendi eos ne in justitiam intrarent (*b*), et delendis de viventium libro non scribendisque cum justis eam esse demonstrans, quod quem Deus percusserit, hi persecuti (2) sunt, et super dolorem vulnerum suorum addiderunt quod doleret.

22. *An percussus a Deo non injuste percutiatur. Percussio Dei misericors.* — Et forte non injuste, quem Deus percusserit, persecuti esse videantur. Ac de his, quæ percussa a Deo sint, quid sentiri oporteat ante tractandum est: ut quatenus et hæc percussio salutaris, (*c*) et illa percussi persecutio impia sit, possit intelligi. Percussit Dominus Sodomam et (3) Gomorrha ultimis sceleribus pollutas et abominatas (*Gen.* XIX, 24) : et invenio his ad misericordiæ reconciliationem (4) id quod percussæ sunt profecisse; cum tolerabilius his in die judicii sit futurum, quam his civitatibus, in quibus de Apostolorum pedibus pulvis excussus sit (*Matth.* X, 15). Percussam quoque synagogam Dathan et Abiron plaga dignissima cognitum est (*Num.* XVI, 32) : sed in animis eorum ea, quibus maxime peccaverant, (*d*) sanctificata sunt opera. Et ne per singula quæ sunt multa discurram, cum et Apostolus in interitum carnis ad salutem spiritus tradat (I *Cor.* V, 5); Dominus ipse quid percutiens proficiat, ostendit dicens : *Videte, videte quia ego sum, et* 255 *non est Deus præter me. Ego interimam, et ego vivificabo; percutiam, et ego sanabo* (*Deut.* XXXII, 39) : ut percutiendi causam proficisci ex causa sanationis ostenderet.

23. *Percussus a Deo Christus. Percutitur et a Judæis.* — Percussus ergo est Dominus, peccata nostra suscipiens, et pro nobis dolens : ut in eo usque ad infirmitatem crucis mortisque percusso, sanitas nobis per resurrectionem ex mortuis redderetur. Percussum autem se ipse testatus est, commonefaciens discipulos (5) dicti hujus : *Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis* (*Matth.* XXVI, 31; *Zach.* XIII, 7). Sed et Apostolus dicti hujus significationem haud dissimiliter confirmat, dicens : *Qui Filio suo dilecto non pepercit* (*Rom.* VIII, 32). Non pepercit itaque dilecto Filio suo : quem et colonis vineæ, non ignarus quod occisuri eum essent, destinavit (*Matth.* XXI, 37). Non pepercerat autem primo illi de terræ limo Adæ, quem de paradiso post culpam, ne lignum vitæ attingens (6) in æternitatem (*e*) pœnæ maneret, ejecit : ut naturam corporis ejus Adam e cœlis secundus assumens, parique morte percussus, eam rursus in vitam æternam jam sine pœnæ æternitate revocaret. Hunc igitur ita a Deo percussum persecuti sunt, super dolorem vulnerum dolorem persecutionis hujus addentes. Pro nobis enim secundum prophetam dolet (*Esai* LIII, 4); et idcirco (7) eum in doloribus (*f*) esse æstimantes. Quod enim postea nominis sui odium susceperint, quatenus silentium resurrectionis pecunia emerint, quibus Apostolos terroribus injuriisque vexaverint, cognitum est. Et quia hæc super dolorem vulnerum addiderunt, apponetur super iniquitatem iniquitas.

24. *Ideo a Dei justitia exclusi Judæi, a libro viven-*

(1) *Pœnam.*
(2) *Sint*, deinde, *addiderint.*
(3) *Gomorram.*
(4) *Hoc quod.*
(5) Hic interponit *suos.*

(*a*) In vulgatis, *habitabit.* Concinnius in mss. *habitavit.*

(*b*) Turonensis, *et delendi... non scribendique.*

(*c*) Editi, *et illa percussio impia sit.* Verior videtur lectio quam damus ex ms. Mic.

(*d*) Apud Par. *significata sunt* : repugnantibus summo consensu aliis libris. Hic alluditur ad id Num. 16, 37, ubi de thuribulis Core, etc., testatur Deus, *Sanctificata sunt in mortibus peccatorum.* Græc. autem, ὅτι ἡγίασε τὰ πυρεῖα τῶν ἁμαρτωλῶν ἐν ταῖς ψυχαῖς αὐτῶν. Sic Nadab et Abiu ob idem nefas igne consumptis, Levit. III, 10, ait Dominus, *Sanctificabor in eis qui appropinquant mihi.* Quem locum respiciens Sidonius lib. VIII epist. 14, quod noster Hilarius de Dathan et Abiron innuit, hoc de Nadab et Abiu disertius ait: *Quorum quamlibet interremptorum credamus absolvendas animas, punitas tamen scimus esse personas.*

(*e*) In ms. Turon. *in æternitate pœne.*

(*f*) Bad., Er. Lips. et reg. ms. *æstimandus.* Magis nobis probatur cum Par. et mss. Vatic. ac Mic. *æstimatus*, consentiente libro X de Trin., n. 46. Respiciuntur hæc Esaiæ, *Pro nobis dolet, et nos existimavimus eum in doloribus esse*: ubi priora Esaiæ verba *pro nobis dolet* ad humanam Christi naturam, posteriora autem ad divinam ab Hilario referri manifestius est ex his tract. Ps. CXXXVIII. n. 5 : *Suscepit ergo infirmitates, quia homo nascitur; et putatur dolere, quia patitur : carel vero doloribus, quia Deus est.* In id fere redit illud hujus tract. num 12 : *Flet interdum, et ingemiscit, et tristis est: et id ipsum ad infirmitatis tribuitur exemplum* : quod conciliari nequit, nisi a sola divinitatis natura arceatur infirmitas, ac vera humanæ naturæ tristitia attribuatur. Sic in psal. LIII, n. 4. Christus prædicatur *mortem perpetiens, sed mori nesciens.*

tium deleti, nec scripti cum justis. — Appositæ autem iniquitatis pœna est, ne intrent in justitiam Dei, id est ne concorporales et comparticipes Christo fiant, qui nobis secundum Apostolum (I *Cor.* I, 30) justitia et sanctificatio et redemptio a Deo factus est. Exclusi vero a justitiæ ingressu, necesse est a libro viventium deleantur. Scripti enim erant in Abrahæ benedictionibus, cujus semen sicut stellæ cœli et sicut arena maris ad **256** oram littoris abundaret. A quo libro cum omnem populum deleri Moyses metueret, se primum deleri deprecatus est (*Exodi* XXXII, 32), optans, ut opinor, secundum Apostolum anathema pro fratribus suis esse (*Rom.* IX, 3). Et quia super dolorem vulnerum dolorem persecutionis addentes, (*a*) recursum pœnitentiæ perdiderunt, deleti de viventium libro, ne postea quidem scribi cum justis meruerunt : ut intelligi possit alius viventium, alius liber esse justorum. Nec ambiguum est eos in viventium libro esse, qui antea sine ulla Christi cognitione pie in lege versati omnia præscripta legis impleverint (*Levit.* XVIII, 5) : de quibus secundum legem apostolus Paulus ita docuit : *Quia qui fecerit ea, vivet in illis* (*Rom.* X, 5). Scribuntur autem in libro justorum, quibus justitia Christus est factus. Justus enim ex fide vivit (*Gal.* III, 11 ; *Habacuc.* II, 4). Quo de libro ad apostolos Dominus ita loquitur, dicens : *Gaudete et exsultate, quia nomina vestra scripta sunt* (1) *in cœlo* (*Luc.* X, 20). Et idcirco duplex significatio delendorum de libro viventium, et non scribendorum in libro justorum fuit : quia post librum viventium, liber esset reliquus justorum. Apostolis autem hinc magnæ gratulationis causa suggeritur : quia plus sit in libro scriptos esse justorum, quam de viventium libro non esse deletos (*V. Tract. Psal.* CXXXVIII, *n.* 54).

25. *Natura in uno Christo duplex ; humana per gloriam accepta est in divinam.* — Tenet autem in se eum confessionis modum, quem in nobis esse oportet fidei, ut in eo tam natura hominis quam natura Dei cognita sit. In forma enim servi veniens, evacuavit se a Dei forma. Nam in forma hominis existere, manens (*b*) in Dei forma qui potuit ? Aboleri autem Dei forma, ut tantum servi esset forma, non potuit. Ipse enim est et se ex forma Dei inaniens, et formam hominis assumens : quia neque evacuatio illa ex Dei forma naturæ cœlestis (divinæ) interitus est, neque formæ servilis assumptio tamquam (*c*) genuinæ originis conditionisque natura est ; cum id quod assumptum est, non proprietas interior sit, sed exterior accessio : quod ipsum consequentibus docet, dicens, VERS. 30 : *Pauper et dolens* **257** *sum ego ; et salus vultus tui Deus suscepit me.* Pauper est qui, secundum Apostolum, *cum esset omnium dives, seipsum ut nos ditesceremus* (*d*) *paupertavit* (II *Cor.* VIII, 9) : dolens est, qui secundum prophetam pro nobis dolet (*Esa.* LIII, 4). (2) Sed hunc pauperem ac dolentem salus ea, quæ vultus Dei est, suscepit. Forma et vultus et facies et imago non differunt. Idipsum enim (*e*) in utro horum significari communis est sensus. Hunc igitur pauperem in salutem vultus Dei, qui forma Dei est, suscepit, id est assumptum (*f*) ab se hominem unigenitus Deus, qui imago invisibilis Dei est, in æternitatis suæ vita, quæ in Deo salus esse intelligitur, collocavit. Omnis enim lingua confitebitur, quia Dominus Jesus in gloria Dei patris est, id est, susceptus homo in naturam divinitatis acceptus.

26. *Sacrificium laudis in Christo ; legis hostiis præfertur.* — Esse autem in eo finem legis et sacrificium laudis evangelica confessio est : ita ut hostiarum sanguine (*g*) et oblatione cessante sacrificium gratiæ laudisque prælatum sit. Hoc enim isto paupere et dolente in salutem vultus Dei formæque suscepto continuatur, et sequitur, VERS. 31 et 32 : *Laudabo nomen tuum cum cantico, magnificabo eum* (3) *in laude. Et placebit Deo super vitulum novellum cornua producentem et ungulas.* Hæc itaque laudatio nominis Dei, laudisque ipsius magnificatio, super vitulum novellum placebit (*Levit.* IV). Talis enim ante in lege pro peccato offerebatur ; cujus ætatem per tenera ungularum et cornuum incrementa, significat. Placebit ergo super vitulum peccati, honor laudis ; secundum illud, *Sacrificium laudis honorificabit me, et illic iter* (4) *in*

(1) *in cœlis* Ita græce, ἐν τοῖς οὐρανοῖς.
(2) *Sed nunc*, paulo post, *in utroque.*
(3) *Cum laude.*
(4) Abest *in*, sicut in græco

(*a*) In ms. Reg. *cursum.*
(*b*) In vulgatis, *in Dei forma potuit.* Regii codicis auctoritate particulam *qui* præponimus verbo *potuit.* Et hoc quidem prima specie male sonare videtur. At collatis aliis locis, v. g. lib. IX de Trin, n. 50, ubi legere est : *Erat enim naturæ proprietas, sed Dei forma jam non erat, quia per ejus exinanitionem servi erat forma suscepta :* et longe ante num. 14 : *Cumque accipere formam servi nisi per evacuationem suam non potuerit qui manebat in Dei forma, non conveniente sibi formæ utriusque concursu :* his, inquam, et aliis inspectis sincerior probatur lectio ms. reg. Atque ita *Dei forma*, ubi exinaniri prædicatur, non naturam ipsam, sed naturæ divinæ congruentem habitum gloriosum significat ; ubi autem deinde docetur aboleri non potuisse, jam non habitum solum indicat, sed ipsammet naturam. Confer superiora num. 4.
(*c*) Editi, *geminæ originis :* emendantur ex mss. Clarius hic apparet ratio, cur supra negentur naturales Christo infirmitates, quia nimirum pertinent ad formam servilem, quæ ipsa ei ut filio Dei genuina ac naturalis non esse hinc probatur, quia accepta, juxta illud Pauli, *Formam servi accipiens ;* adeoque accipienti *exterior accessio est, non interior proprietas ;* ubi male apud Par. *proprietatis.* Demum quid sit *genuinæ originis conditionisque natura*, illustratur ex his tract. psal. LIII. *Quamquam passio illa non fuerit conditionis et generis*, etc.
(*d*) Par. post Lipsium, *pauperavit :* renitentibus aliis libris.
(*e*) Editi, *in utroque.* Concinnius mss. *in utro.*
(*f*) Huc revocatur *ab se* ex reg. ms. Ex subjectis verbis : *in æternitatis suæ vita collocavit*, intelligi debent quæ paulo post habentur, *id est, susceptus homo in naturam divinitatis acceptus.*
(*g*) Ita mss. At editi, *ex oblatione.*

quo ostendam illi salutare Dei (*Ps.* XLIX, 23). Iter igitur ostendendi salutaris Dei in laudis est sacrificio.

27. *Salutis nostræ causa.* — Et ipsum in consequentibus psalmus ostendit. Nam post placituram magnificentiam laudis super vitulum novellum, subjecit, VERS. 33 et 34 : *Videant pauperes et lætentur. Quærite Deum, et vivet anima vestra : quoniam exaudivit pauperem Dominus, et vinctos suos non sprevit.* Hoc scilicet tempus lætentur videntes, cujus sacrificium in laude sit : quia illic ostendetur salutare Dei. Et ideo Deus ab his ad vitam animæ quæretur. Carnis enim et corporis timeri judicem vetuit : quia animam in gehennam mittere solus potens sit Deus (*Matth.* x, 28). Quærendi autem Dei ad vitam animæ ea causa est, (*a*) quia exaudivit Deus pauperem, eum scilicet qui se pauperiavit ut nos ditesceremus, **258** quem in salutem vultus sui suscepit, in quo nobis peccata donavit; non spernens vinctos suos, sive qui vincti sunt Christi, ut Paulus in vinculis gloriatur (*Ephes.* III, 1), sive quos Satanas peccatis vinctos ut armatus et præpotens obtinebat (*Luc.* XI, 21); secundum illud : *Disrupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis* (*Psal.* CXV, 16 *et* 17). Lætentur ergo in his quæ vident pauperes : quia scriptum est : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* V, 3).

28. *Creata omnia laudant Deum de salute nostra.* — Et quia, his qui pauperes spiritu sunt in cœlorum regno constitutis, creatura omnis congemiscens et dolens in gloria filiorum Dei liberanda est, vanitati non sua sponte subjecta (*Rom.* VIII, 19 *et seq.*); nunc quoque ob lætantes pauperes vitamque quærentes, exauditumque pauperem, vinctosque non spretos, ipsa illa ad laudem Dei exspectans revelationem pauperum gloriæ creatura advocatur, VERS. 35. *Laudent eum cœli et terra, mare et omnia repentia* (*b*) *in eo :* Sub horum elementorum commemoratione creaturarum omnium liberandarum sensum mentemque significans : ut dum cœlum et terra et mare dicitur, cognoscantur Domino Jesu Christo cœlestia et terrestria et inferna genu flectere. In his enim quæ in mari repunt (cum tamen in aquatilibus (1) natatus magis sit ex natura, quam reptio), ea quæ in inferis degunt docentur; cum profundum maris sedem intelligamus inferni.

29. *Laudis causa cœli laus. Terræ fecunditas.* — Causam autem, cur adhuc cœlum et terra et mare Deum laudent, ostendit dicens, VERS. 36 et 37 : *Quoniam Dominus salvificabit Sion, et ædificabuntur civitates Judæ. Et inhabitabunt in ea, et hæreditabunt terram. Et semen servorum ejus* (*c*) *possidebunt eam, et qui diligunt nomen ejus inhabitabunt* (2) *eam.* Laus igitur universa ex rerum admirabilitate proficiscitur. Tunc enim aliquid laude dignum videtur, cum opus ipsum ita magnificum atque præclarum est, ut et (*d*) (3) prudentiam ac virtutem gerentis, et gestorum decus usumque contineat. Quod itaque sensum atque opinionem ingenii communis excellat, id per admirationem sui meretur et laudem. Cœlum ergo (*supple*, meretur laudem) quod tanto ornatu distinctum impletumque est, tantosque motus atque cursus incredibili constantia ac varietate conservat, ut annum inter hyemem caloremque æstatis temperatis autumni et veris temporibus moderetur et finiat. Terra autem, quæ supernis inumbrata naturis, vel (4) complexa in sese **259** vel suscepta sinu semina et contineat et alat et fecundet, et secundum uniuscujusque generis naturam (5) usu (*e*) ac maturitate consolidet. Mare autem, quod vitæ nostræ modo, nunc hausto spiritu nunc refuso animetur et maneat, motumque in tanta sui varietate rationibus se lunaris incrementi detrimentique moderetur, et profunda infinitaque sui obice mentem humanæ opinionis excedat, ut neque quid extra se neque quid intra sit sensu persequente capiamus. In his tamen tantis tamque admirabilibus rerum naturarumque virtutibus in Deo hoc, quod Sion salva sit, civitatesque Judææ ædificandæ sint, cœli, terra, maria laudabunt? humana utique opera et caduca, et ipso tempore ac vetustate solvenda. Quod si exstructas eas esse ut sint, laude sit dignum; nonne magis conservatas esse eas, ne destruerentur, proficeret ad laudem?

30. *Non ob Sion aut civitates terrenas ad laudem Dei excitantur omnia.* — Non ergo hæ maximæ utique præstantissimæque rerum omnium, vel magis quibus universæ res contineantur alanturque, naturæ maris, terræ et cœli ad inanium pene ac levium operum laudem advocantur : id est, quia Sion salvificata sit, exstructæque Judææ civitates, (6) quas post Babyloniorum Antiochique victoriam, bellum quoque Romani regis absumeret. Dehinc ipsam hanc inopem impiamque sententiam, rei quoque communis scientia et ratio condemnat. Nam ob id ædificari civitates Judææ propheticus sermo declarat, ut in ea quæ salva facta sit Sion inhabitet. Et quid hic secundum humanas exstructiones civitatumque fabricas intelligentiæ loci est? cum neque in ædificandis his laus ulla sit, quæ sint postea destruendæ, neque ratio et natura patiatur ædificari ob id civitates, ut (*ipsæ* scil. *civitates*) inhabitent civitatem.

31. *Sion speculatio. Sion corpus Christi gloriosum.* — Est autem digna plane Deo laus, cœli, terræ ac

(1) *Prius natatura.* tum *in infernis.*
(2) *In ea.*
(3) *Providentiam.*

(4) *Complexa sit vel suscepta.*
(5) *Usum maturitate.*
(6) *Quas Babyloniorum Antiochique victoria.*

(*a*) Apud Par. *quia est :* abundat et abest a mss.
(*b*) Par. juxta Vulgat. *in eis.* Verius alii libri juxta græc. *in eo.*
(*c*) Sic ms. reg. juxta græc. κατέξουσιν. At in edit. *possidebit.* Paulo ante etiam cum græco legendum *civitates Judææ*, non *Judæ*, et litteram *æ* propter subsequentem *et* excidisse, conjectamus ex subjectis.
(*d*) Par. *providentiam.*
(*e*) Particula *ac* in regio codice omissa opinionem ingerit prius legendum esse *usui*, non *usu*. Verbum autem *consolido* eodem fere modo intelligendum est, quo tract. psal. XCI, n. 2, *soliditas mundi*, pro eo nimirum quod perfectum et integrum atque ad finem suum perductum est.

maris confessione tribuenda, quod illa filia Sion, A quæ invecta in Jerusalem tanto præeuntium sequentiumque comitatu, salva per Deum sit : in quam Angeli concupiscunt, in quam creatura omnis gemens dolensque prospectat, in qua æternitatis nostræ gloriam laudemque speculamur, in qua (1) ædificatæ ecclesiarum civitates manebunt. Sion enim, licet colliculus templo quod in Jerusalem fuit junctus sit, tamen secundum interpretationem ex hebræo in latinum græcumque sermonem speculatio dicitur. In hoc ergo corpore Domini, (*a*) quod resurrexit ex **260** mortuis, quod a dextris virtutis consedit, quod in gloria Dei patris est, spem nostram vitamque speculamur. Et quia revelationem nostræ in eo claritatis et ipsa in eamdem liberanda creatura omnis exspectat; salutem hujus Sion sub significatione cœli et B terræ et maris laudat : quia omnia in cœlis et in terra pacificata et reconciliata per eam Deo sint (*Colos.* I, 20), quia in resurrectionis gloriam, cujus spem in ipso ex mortuis resurgente speculamur, peccatum, mors, corruptio a vita et immortalitate devorata sint et exhausta. Nam si super unius peccatoris pœnitentiam magnum in cœlis gaudium est Angelorum : quanto major in totius mundi reconciliatione lætitia sit? (*Luc.* XV, 7.)

32. *Civitates Judææ, Ecclesia, non Synagoga.* — Et quia *in finem pro his qui immutabuntur est psalmus* : Judææ etiam civitates, ut in Sion inhabitarent, ædificandæ esse laudantur. Et civitates ipsas conventus hominum esse quis dubitet? Ecclesiam vero ex conventu (2) plebium effici notum est. In hac ergo C Sion, quæ in se etiam illam primitivorum conscriptorum in cœlis complexa sit civitatem, habitatio nostra perficitur, qui ut semen Abrahæ, ita et semen Judæ manemus. Non enim (3) qui in carne Judæus (*b*), sed qui in spiritu (*Rom.* II, 28). Ob quod in his nostris conventibus civitates quoque (4) Judæ sumus.

33. — Ac ne sibi Israel impius civitatis Judææ gloriam, eo quod secundum carnem servorum Dei semen est, vindicaret ; eorum hæreditatem, eorum habitationem in Sion esse demonstrat, qui nomen Domini diligant ; ut pietatis magis sit, non generis electio : quia præstet omnibus charitas Dei, (5) quæ in Christo est ; et Petrum nihil aliud, quam utrum se amaret, interrogat Dominus noster Jesus Christus Dei filius (*Joan.* XXI, 15) qui est benedictus in omnia sæcula sæculorum. Amen. D

(1) Ms. *ædificaturum;* l. *ædificatarum.*
(2) *Plebis.*
(3) *Qui in occulto Judæus.*
(4) *Judææ.*
(5) *Quæ in Christo est, et Petro est, et Petrum.* Etiamsi hæc in textum referre ausi nequaquam simus, genuina tamen existimamus. Petri enim, super quem Ecclesia fundata est, commendatur charitas ab Hilario non uno loco. Vide cap. 30 in Matth., lib. x de Trin., n. 27, etc.
(6) *In finem in commemorationem quod.* εἰς ἀνάμνησιν.

(*a*) Reg. ms. *quo resurrexit ex mortuis, quo,* etc.
(*b*) Mss. reg., Mic. et unus Vatic. *qui in occulto Judæus.* Forte an *qui in oculo Judæus?* In altero e Vaticanis legitur, *qui in manifesto Judæus : sed qui in occulto.*
(*c*) Sic mss. At editi, *expectat.*
(*d*) Nempe trigesimo septimo, cui, ut paulo ante dicitur, eadem superscriptio est, *in rememoratione :* cui etiam competunt quæ sequuntur, ut *totus* sit *ex persona dolentis Domini pro nobis, portantisque peccata nostra.*
(*e*) Particulam *ut* hic in vulgatis abundantem expunximus auctoritate mss.

PSALMUS LXIX.

(6) *In finem Psalmus David in rememoratione, eo quod salvum me fecit Dominus.*

Domine Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina. Confundantur et revereantur, qui quærunt animam meam. **261** *Avertantur retrorsum et erubescant, qui volunt* (Hil. *cogitant*) *mihi mala. Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi : Euge, euge. Exsultent et lætentur in te omnes qui quærunt te, Domine* (Abest infra, *Domine*), *et dicant semper, Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum. Ego vero egenus et pauper sum : Deus adjuva* (Hil. *adjuvat*) *me. Adjutor meus et liberator meus esto, Domine* (Hil. *tu Domine*), *ne tardaveris.*

TRACTATUS PSALMI.

1. *Rememorationis precatio de quibus fiat. Quid petatur hoc psalmo.* — VERS. 1. Alius hic *in rememoratione* psalmus est : nam trigesimo et septimo eadem inscriptio est. Ex ipsa autem verbi hujus significatione usuque communi, quid *in rememoratione* præscribi intelligendum sit, edocemur. Nam rememorationis precatio ei competit, qui se incidere in oblivionem ejus, a quo vel auxilium vel veniam (*c*) expetat, pertimescit : et aut sui ad salutem commemorationem fieri desideret, aut eorum ad pœnam, qui sibi semper infesti sunt. Et quidem in (*d*) anteriore superscriptionis ipsius psalmo de venia et salute tractatum est : qui totus ex persona dolentis Domini pro nobis, portantisque peccata nostra consistit. In hoc vero necessitas poscendæ veniæ non relicta est : quia jam superior et contiguus huic psalmus in salvificatæ Sion, ædificatarumque civitatum Judæ laude conclusus est. Sed est in eo rememoratio in impios ultionis, et retributionis in sanctos. Et quia non illi David, sed *in illum David psalmus in finem* est ; secundum editam in anterioribus ex nominis proprietate rationem, ex persona Domini tractabitur, ut ipso psalmi fine noscetur.

2. *Quod Christus in eo oret.* — VERS. 2. *Domine Deus in adjutorium meum intende.* Piæ confessionis hæc vox est, adjutorium a Domino et Deo sperare : sed plus hic nunc, quam in deprecationibus sperandi auxilii solet, sermo significat. Videri enim id potest, (*e*) qui in adjutorium positus sit super potentem, nunc in adjutorium in quod positus est ut intendatur, orare. Et quis hic sit, non **262** ambigitur ex psalmo in

quo inest scriptum : *Posui adjutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea. Inveni David servum meum* (*Ps.* LXXXVIII, 20). Et ne aliquid in illum David Jesse referri posset, adjecit, *Et ego primogenitum ponam eum, excelsum super reges terræ* (*Ibid.*, 28). Ac ne, quod primogenitus est, ad primitias indulti ei a Deo regni trahi posset ; id quod soli (*a*) Domino Jesu Christo proprium esset ostendit, dicens : *Et sedes ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta manet in æternum, et testis in cœlo fidelis.* (*Ibid.*, 38.)

3. *Pœna adversariorum Christi.* — Nunc ergo qui (*b*) adversum potentem positus sit adjutor, et qui intendi in adjutorium suum precatur, pœnam in eos qui sibi adversantur expostulat, dicens, VERS. 3 et 4 : *Confundantur et* (*c*) *revereantur, qui quærunt animam meam : Avertantur retrorsum et erubescant, qui cogitant mihi mala. Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi, Euge euge.* Ex verbis loquelæ sermonisque nostri divinus sermo pendendus est. Pudor et confusio ex dedecore est, aversio ex repulsa est ; reditus vero non in alia loca magis, quam in ea est, unde digressio est. Qui quærunt ergo animam sancti hujus, qui in adjutorium suum orat intendi, primum confundentur, post etiam avertentur, dehinc avertentur non in alia, (*d*) sed *retrorsum*. Et idem est dictorum ordo, qui et rerum. Confundentur enim ejus animam quærendo, quem cum peremerint, scient eum vivere : quia Deus vitæ et resurrectionis est dominus. Dehinc postea avertentur, ne occurrant cum sanctis obviam Christo in nubibus (*e*) rapti. (I *Cor.* XV, 5.) Postremo aversi (*f*) non in alia quam retrorsum. Resurgentes enim ex mortuis, rursum ad pœnæ ultionisque judicium in infima terræ unde emerserant revertentur. (*g*) Omnis enim caro resurget, sed non omnis demutabitur (I *Cor.* XV, 51) : et unumquemque in carne sive bona sive mala, prout gessit, recipere constitutum est. Ergo et quærentes animam (1) justi (*h*) et mala cogitantes, et euge euge dicentes, et confundentur et avertentur et revertentur resurrectione confusi, ab occursu repulsi, in inferna revocati. *Euge* (*i*) *euge* autem irridentium vox est, eorum scilicet qui dixerint, *Salvos fecit alios, se ipsum salvum facere non potest.* (*Marc.* XV, 31.)

263 4. *Merces quærentium Deum. Deus nullius egens. Qui magnificetur a nobis.* — Sed post hanc de impiis precationem, quia rememorationis erat psalmus, pro sanctorum quoque fuit spebus orandum. Sequitur enim, VERS. 5 : *Exsultent et lætentur in te omnes qui quærunt te, et dicant semper, Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.* Ut confusio et reverentia justi animam quærentibus, ita exsultatio et lætitia quærentibus Deum est : quia secundum prophetam resurgent alii in confusionem, alii in lætitiam. (*Dan.* XII, 2.) Et ut retrorsum erubescentes (2) avertentur, qui mala cogitant, qui dicunt euge euge ; ita qui salutare Dei diligent, ad confessionem magnificentiæ Dei proficiunt : ut ex gratia (3) indultæ sibi a Deo exsultationis, laudis confessio augeatur. Non enim (4) aliquo (*j*) Deus qui idem atque æternus est, indiget, aut quidquam in rerum naturis et mentium opinionibus est, quod exspectet. Quod enim incremento demutabile est, id detrimento sæpe demutatur. Deus autem, qui idem origo et causa gignentibus est, ad æternæ beatitudinis naturam sibi ipse sufficiens, nihil extra quod sibi desit, (*k*) ne aliunde exspectet, derelinquit. Magnificatur autem per beneficiorum suorum incrementa nobiscum, cum magnificentia ejus et commodorum nostrorum sensu ac jucunditate, et referendæ gratiæ laude cumuletur. Ergo quotienscumque *magnificetur* dicimus, totiens aut optandi nobis a Deo muneris vota sunt, aut sumpti perceptique confessio est, magnificentiæ ejus laude nobiscum per commodorum nostrorum incrementa nascente.

5. *Quod Christo, non David conveniat Psalmus.* — Oportuit autem psalmum, qui rememorationis in finem est, digno rememorationis ipsius fine concludi. Sequitur enim, VERS. 6 : *Ego autem egenus et pauper sum : Deus* (5) *adjuva me* (*l*). *Adjutor meus et liberator meus tu Domine, ne tardaveris.* Neque regis dignitati, neque regni opulentiæ, paupertatis atque inopiæ professio congruit ; sed (6) ejus vox est (*m*), qui ut nos ditesceremus pauperem se præstitit,

(1) Abest *justi*.
(2) *Avertantur*.
(3) *Indulgenti sibi Deo*.
(4) Vulgatos textus comprobat vetustissimus liber noster ; necnon sermonis contextus ipse. In præcedenti : *non enim aliquid Deus qui æternus est.*
(5) *Adjuvat me*.
(6) *Ejus vox est*, non habetur in ms.

(*a*) Abest *soli* a reg. ms.

(*b*) Ita cum ms. reg. antiquæ editiones. At Par. *super potentem*.

(*c*) Sequens explicatio videtur hic postulare *revertantur*. Mox apud Par. *qui volunt*, non *qui cogitant*.

(*d*) Editi excepto Par. *sed in eadem*. Quid sibi velit *non in alia*, explanatur infra, quia nimirum nec mutabitur eorum caro, neque ipsi migrabunt in cœlum, sed ad terram, immo in infima terræ revertentur.

(*e*) Par. *raptis* : mendose.

(*f*) Bad., Er. et Lips. *non ibunt in aliena loca. Surgentes enim impii ex mortuis rursum detrudentur in infima terræ unde emerserant*, omisso deinde verbo *revertentur*. Par. *non in alia quam retrorsum surgentes, ultionisque judicio in infima terræ*, etc. Hunc locum resarcimus ope mss. Vatic. et reg.

(*g*) Editi, *Nam ut Apostolus ait, Omnis quidem caro*, etc. castigantur regii codicis auctoritate : cum apostoli sententia hic respiciatur potius, quam reddantur verba, quæ aliter apostoli nomine referre solet Hilarius.

(*h*) Abest *justi* a regio codice. Tum Par. *et male cogitantes :* quæ verba in edit. aliis desiderantur.

(*i*) Apud Bad., Er. et Lips. *euge autem justo dixisse constat, qui dixerunt, Salvos fecit*, etc. lectio mutila simul et interpolata.

(*j*) In vulgatis, *aliquo Deus qui idem atque æternus est.*

(*k*) In codice Turon. *nec quod aliunde expetat dereliquit.*

(*l*) Reg. ms. necnon editiones parisiensi antiquiores, *adjuvat me :* dissidente Vulgata et græco.

(*m*) Deest in ms. Reg. *ejus vox.*

(II *Cor.* VIII, 9), cui ne ad paschæ quidem cœnam nisi quæsita et aliena domus fuerit. (*a*) Adjuvari se itaque rogat. In forma enim servi obediens usque ad crucis mortem factus est. Citum quoque auxilium ut liberetur, orat; (*b*) ne qua rememorationis tarditas sit: qui et ipsas illas passionis moras non ferens, proditori dixerit: *Fac quod facis cito* (*Joan.* XIII, 26), (*c*) dum liberari in se susceptæ carnis infirmitatem maturatæ resurrectionis 264 virtute festinat Dominus noster Jesus Christus, qui est benedictus in sæcula. Amen.

TRACTATUS
De titulo Psalmi XCI.

Psalmus Cantici in die Sabbati.

Ex bibliotheca Vaticana, in qua hactenus latuerat, prodit in lucem ex eo ipso codice, qui et superiorem tractatum de titulo psal. IX *suppeditavit, et tract. psalmi* XIII *redintegrandi materiam præbuit. Vel ex locutione Operis hujus agnoscere est auctorem. Quem enim alium præter Hilarium animo sistunt hæ voces,* cum quando, dehinc, concorporales, cohæredes et comparticipes, genus, sacramentum, incrementa subsistit ac manet, auctor, indulta æternitas, etc. *Huc accedit quod sicut in psal.* LXVII, *n.* 2, *dicuntur animæ* de thesauris potestatis *Dei diffusæ; ita hic, n.* 4, *asseritur Deus* de thesauris in se conditis secundum arbitrium potestatis æternæ singula quæque *protulisse. Alios hujusmodi locos cum aliis tractatibus consentientes notulis indicabimus. Præterea, num.* 2, *ea prorsus methodo, qua in aliis solet, attendit psalmi litteram non sibi cohærere, ut hinc ad intelligentiam spiritalem exquirendam moneamur. Neque hic omittit, quod valde ipsi solemne est, ut quoties de sabbato incidit sermo, ad unum et idem Patris ac Filii opus asserendum latius excurrat. His aliisque permoti, huic Tractatui inter genuinos locum negare nefas ducimus, quamvis librarium, qui in aliis quoque nonnulla resecando aut demutando sibi permisit, neque in hoc sibi temperasse suspicemur. Quidni hujus negligentia totius psalmi explanationem, quæ ad calcem promittitur, nobis ereptam doleamus? Hic igitur si cui minus aliis elaboratus videatur, id vel librarii incuriæ licebit attribuere, vel etiam opinari eum ad nos pervenisse, qualem Hilarius fuderit ex tempore et ex cathedra, non qualem ex secretiori cella politum ediderit.*

1. *Lex fide potius quam effectu profuit.* — Bonum est *confiteri Domino, et psallere nomini tuo, Altissime,* et reliqua. Post Legis tempora et cognitionem veritatis, convenit corpus ipsum potius, quam umbram corporis contueri. Lex enim eorum, quæ in Domino nostro Jesu Christo implenda erant, speciem complectitur. Non ipsa veritas, sed in ea meditatio veritatis, (1) utilis fide (*d*) potius quam effectu, imitatione quam genere. Ea enim, quæ observari præcepta 265 sunt, non virtute efficientiæ ipsius utilia erant, sed observantium fide salutaria, ut sacrificiorum diversitates, et holocaustomatum religiones, et circumcisionis cura, et sabbati otium. Hæc enim omnia et prætermissa culpam (*e*) habebant, et gesta sub futurorum fide proderant, sicut ait beatus Apostolus; *Prius autem quam veniret fides, sub lege conclusi custodiebamur in ea fide quæ incipiebat revelari. Itaque lex* (*f*) *pædagoga nostra facta est in Christo, ut ex fide justificemur. At ubi venit fides, jam non sumus sub pædagogo; omnes enim filii estis fidei.* (*Gal.* III, 23 *et sqq.*) Ergo quotienscumque aliquid ex lege relegitur, in opere præsentium mandatorum, speculum futurorum est contuendum. Et erat quidem congruum de singulis superius comprehensis afferre rationem; ut secundum Apostoli doctrinam universa intelligerentur fide futurorum potius quam virtute ipsius efficientiæ profuisse: tamen in unum congesta omnia audientibus ne non tam cognitionem potius quam onus afferant, unam ex superioribus partem retractemus, et eam scilicet quæ tempori necessaria est, id est, sabbati diei; quia ita psalmus inscribitur, *Psalmus cantici in die sabbati:* ut cum per Scripturarum cœlestium auctoritatem, quæ ratio in sabbati requie contineatur, cognoverimus; parem cæterarum quoque rerum, quæ in lege sunt, efficientiam sentiamus.

2. *Sabbatum Judaicum. Aliud in psalmis canitur.*— Et de otio quidem diei hujus multa præcepta sunt. Nam et in ea Dominus perfecta mundi hujus (*g*) soliditate requievit: scriptum est enim, *Et requievit Deus in die septima ab omnibus operibus suis quæ inchoavit facere* (*Gen.* II, 2). Et rursum hæc eadem sanctificatur in lege, adeo ut omne opus agi vetitum sit, sicut scribitur in Exodo: (2) *In mente habeto diem sabbatorum sanctificare eum: sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua; septimo autem die sabbatum Domini Dei tui: non facies in illa die ullum opus.* (*Exodi.* XX, 8 *et seq.*) nem græcus textus, atque contextus ipse commendant.

(1) *Et illis fide.*

(2) *In mentem habete.* Mox *sabbata;* quam lectionem græcus textus, atque contextus ipse commendant.

(*a*) Apud Par. *adverari se itaque:* mendum. In editionibus aliis, *auxilium pro nobis itaque:* glossema.

(*b*) Bad., Er. et Lips. *in quo nullius morationis tarditas sit:* castigant mss.

(*c*) Editi excepto Par. pro *dum liberari*, habent *memorari*; et mox *paterni numinis*, loco *maturatæ resurrectionis.* In his ac superioribus locis videtur editor fugientes litteras ac voces per se ut potuit supplevisse. Veras lectiones substituimus ex mss. nunc primum addentes ex Vaticano conclusionem *Dominus noster*, etc.

(*d*) Ita legendum putamus, cum in ms. exstet *et illis fide*, quod legi deerat, fidem supplevisse docetur in psal. LIII, n. 5.

(*e*) *Quisquis enim a sacrificio destitisset, ipse obnoxium se efficiebat esse maledicto*, inquit in psal. LIII, n. 13, ubi non voluntariam fuisse probat legis observantiam, hoc est, non ita liberam, ut sine reatu posset prætermitti.

(*f*) Sic in psal. CXVIII, lit. 12, n. 11, *legis justificatio evangelicæ justificationis fideique pædagogia* prædicatur.

(*g*) Hic *soliditas* integritatem sonat, ac mundum numeris suis absolutum significat, qua intelligentia habemus in ps. LXVIII, n. 29, quod terra suscepta sinu semina *maturitate consolidet.*

Ergo sabbato et quies Dei est, et hominum otium. Sed quid hoc proficiet ad psalmum, in quo factura Dei gaudium est, et profundæ cogitationes ejus et exoriendus (1) peccator ut fœnum, et justus ut palma florescens et multiplicandus ut cedrus? Nulla hic diei septimi requies, nullum humanorum operum otium decantatur. Ergo quia nihil in psalmo de requie hujus sabbati continetur; proprietas requietionis et sabbati, **266** quod in lege præscribitur, requirenda est in psalmis. Legimus itaque de impiis dictum, *Sicut juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam.* (*Ps.* XCIV, 11.) Deus in sacramenti religione confirmat, non adituros requiem suam: non ut opinor hujus sabbati requiem significat, in qua post mundi ædificationem scribitur quievisse. Nam solemnitatem ac lætitiam diei hujus omnes Judæi in eam gloriantes introeunt, ex quibus necesse est plures in peccatis agere ac vivere: hanc enim diem ad quoddam testimonium dignationis in se Dei honorant. Si hæc ergo Dei est requietionis dies, quod cum venia dictum sit, jam Deus mendax est, cum in se contumaces, in Filium parricidæ, requiem diei hujus obtineant.

3. *Operari non cessat Deus.* — Dehinc cum omnibus omnino, sine exceptione aliqua, nihil operis agere, sed in otio quiescere jussum sit; quomodo rursum Dominus sabbatum solvit, dicens, Nescitis quia sacerdotes in templo sabbatum violant, et sine crimine sunt? Ergo non hæc quies est sabbati, nec hoc ejus otium est; cum quando non quiescentes in sabbato maledicti sint (2) (*Exod.* XXXI, 14) . . .

. C

sub legem firmitatis accipiens. Si sol signaque cætera cursus suos obeunt, et habent ab eo permanendi in his in quibus sunt substantiam, a quo in hos cursus atque in hæc officia composita sunt: si terra fructus suos profert, materiem fecunditatis in dies sumens, per quam ei secundum temporum vicem quædam fertilitatis natura subjecta est: si quotidie animarum origines et corporum figurationes occulta et incognita nobis divinæ virtutis molitione procedunt: et magnum est muneris tanti dona sentire, cum tamen eorum institutio nesciatur. Sed hæc etsi opus Dei sunt, verum in his labor est nullus. Et quamquam habeant ex auctore suo ac (3) donante quod talia sunt, non tamen eum a quo orta, et per quem quotidie talia sunt, defatigant.

4. *Ut Christus et in Christo Pater quotidie operetur.* — Et quidem hæc magna Dei opera sunt, cœlum continere, solem cum astris cæteris luminare, sementis terræ incrementa sufficere, (4) hominem firmare, animam reprovehere: sed longe his majora opera perfecta sunt. Moyses enim tantum divisibilium rerum creationes enarravit rudibus hominum animis, **267** ea ad cognitionem Dei proferens, quæ possent intelligi et videri: ut per hanc conspicabilium operum magnitudinem, virtus ejus qui operatus est cognosceretur; ut Creatoris potestas per creaturæ admirationem posset intelligi. Sed Paulus (5) Testamenti (*a*) interpres, non jam lactis sed panis cibum ingerens, ita de Domino tradidit: *Qui est imago Dei, primogenitus omnis creaturæ, quia in ipso constituta sunt omnia in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates, omnia in ipso et per ipsum facta sunt, et ipse est ante* B *omnes, et omnia ipsi constant.* (*Coloss.* I, 15 *et seqq.*) Pertrahit ergo nos doctor gentium de cognoscibili materia, in invisibilium intelligentiam, et nos ad cognoscendos principatus et potestates et thronos et dominationes de terrenis atque humilibus educit. Verum hæc ex nutu Dei patris et in cœlis et in terra manent atque existunt: et licet per Filium omnia, tamen a Deo omnia. Ipse est etenim caput et principium universorum, et in ipso universa sunt condita; licet postea de thesauris in se conditis, secundum arbitrium potestatis æternæ, singula quæque protulerit. Verum cum in omnibus Christus operetur, ejus tamen opus est qui operatur in Christo; et ideo, *Pater meus*, ait, *quotidie operatur, et ego operor* (*Joan.* V, 17) quia opus Patris est, quidquid manente in se Deo patre filius Dei Christus operatur; atque ita per filium quotidie omnia (*f. addendum* fiunt), quia omnia Pater operatur in Filio. Igitur quotidie Christus operatur: et, ut arbitror, animarum initia, configurationes corporum, profectus et incrementum viventium opus ejus ostendunt.

5. *Paralytici curatio sabbato.* — Ut autem absolutius intelligere possimus quæ operatio Dei sit, et quomodo operans Pater (*f.* operante Patre) operatur et Filius, originem dicti hujus nosse debemus. Inter cæteras enim curationes, quibus se Dominus in carne hominis Deum docebat, sub visibili materie potestatem invisibilis virtutis ostendens, paralyticum triginta octo annorum in natatoria porticus Salomonis invenit exspectantem alicujus auxilium, per quem D ad motum aquæ per Angelum incitatæ devehi posset. Erat autem hoc et in tempore et in homine virtutis, ut cum fons piscinæ commotus esset, ille, qui primus aquas esset ingressus, omnem infirmitatem qua af-

(1) *Exurgendus.*

(2) Lacunam supplere nequaquam licuit, nam in ms. quoque nostro quatuor versuum spatium interjacens albicat. E regione annotatum fuit antiqua manu: *Hic deest quod addendum est.*

(3) *Dominante.*

(4) Ea verba, *hominem firmare, animam reprovehere*, quæ in superiore editione desiderabantur, addidimus e libro nostro: respiciunt autem quæ superius dixit; *si quotidie animarum origines*, etc.

(5) *Testamenti Novi.*

(*a*) In ms. recens manus adjecit *Novi*. An non rectius adjecisset *Veteris?* Non est prætermittendum quod proxime ante habetur *per creaturæ admirationem*. Sic enim prædicatur lib. VII de Trin. n. 5, Sabellium *per gestorum admirationes* Christum Deum agnovisse, et lib. VIII, n. 30, *per datæ unicuique utilitatis admirationes* Spiritus donum non latere, ac demum lib. in Constant. n. 8, coram venerandis martyrum ossibus cerni *admirationum opera*.

flictaretur evaderet **268**. Erant autem hæc et præsentium effectibus utilia, et futurorum speculo imaginata, cum angelo ad aquas vocante omnium ægritudinum prompta esset abolitio. Hunc ergo paralyticum die sabbati Dominus ubi vidit, verbo curat, præcepto salutem infirmantis efficiens, Dicit ergo paralytico : *Surge, tolle grabatum tuum, et ambula.* (*Joan.* v, 8.) Jam non solum sanus paralyticus, sed etiam oneri utilis factus est. Judæi paralyticum violati sabbati arguunt, dicentes : *Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum. Quibus respondit, Qui me fecit sanum, ille mihi dixit, Tolle grabatum tuum et ambula* (*Ib.*, 10) ; eumdem auctorem facti sui proferens, quem salutis ; ut non existimaretur ab eo culpa violati sabbati posse proficisci, cujus in verbo humani corporis instauratio constitisset. Ergo quia paralyticum Dominus curasset in sabbato, ubi facti veneratio consequi debuisset, illic Judæorum omnium odium commovetur. Quibus Dominus respondit : *Pater meus usque modo operatur, et ego operor.* (*Ib.*, 17.)

6. *Patris et Filii æqualitas.* — Sed surgit hic ad violati, ut putabant, sabbati (*adde*, reatum) gravior indignatio, quod patrem suum Deum dixerit, æqualem se faciens Deo. Sed unde hic Judæis dolor est ? Non enim ita locutus est, Deus pater meus est. Sed vim attulit veritas, et confessionem invitis ratio extorsit; Deo enim esse æqualem opera loquebantur. Illi irascuntur quod non audiunt, et pati nolunt quod ignorare non possunt ; et hoc in Christo oderunt, quod eos intelligere est necesse. Opus ergo Patris in quo est ? In eo scilicet quod agit filius : ait enim, *Non potest filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem* (*Ibid.*, 19). Non utique virtutem sibi ademit ; sed obsequio, se paterno devinxit arbitrio. Non enim nudo sermone significat, *Non potest Filius facere*, sed adjecit, *ab se quidquam nisi quod viderit Patrem facientem.* Ergo (1) quod facit ille, famulatus est (*a*) : quia non a se quidquam, sed id quod viderit, facit ; ministerium veniens (*b*) de exemplo, non operis, sed voluntatis ; quia opus Patris in voluntate est. Id enim Dominus ait, *Non veni voluntatem meam facere, sed ejus qui me misit* (*Joan.* VI, 38), docens non aliud velle se, quam quod vellet ille qui eum miserat. Ergo voluntatem Patris Filius tamquam A exemplum operationis introspicit ; quia (2) omnia intra paternarum **269** cogitationum providentiam quadam futurarum rerum prædestinatione formantur. Introspicit autem per mutuam charitatem atque naturam : ait enim, *Pater diligit Filium, et omnia demonstrat ei quæ ipse facit.* (*Joan.* v, 20.) Ita et huic Dei, ex quo ipse Deus natus est, voluntatem nosse pervium est ; et illi, quod voluntatis suæ cognitionem filio congenuerit, est benignum.

7. *Sabbato Deus operatur.*—Ergo ad sabbati diem, ex quo odium commovebatur, responsum est, *Pater meus usque modo operatur, et ego operor.* Est ergo opus Dei sabbato ? Est plane : nam nisi esset, cœlum dilaberetur, lumen solis occideret, terra non staret, fructuum omnium incrementa deficerent; vitæ hoB minum interirent, si sabbati lege virtutum (3) omnium constitutio otiaretur. Sed requies nulla est, et cursus idem est, et ut sex diebus, ita et sabbato elementorum omnium continentur officia (*V. lib. IX de Trin., n. 44*). Ergo omni in tempore per hæc Pater operatur ; operatur autem in Filio, quia ex eo est : et per quem omnia hæc opus ejus sunt, (*c*) qui ista in se operetur (4) operante : et ministerii opus in opus refertur auctoris. Itaque Filius in paralytico, ut in cæteris, operatus in sabbato est : et per Filium opus Patris in sabbato est : atque ita non est in Deo requies, cum dies Deo nulla sine opere sit.

8. *Quies Dei.* — Quia ergo opera Dei exstant, quæ (*d*) sit ejus requies quærenda est (5). Dei itaque opus, opus Christi est ; verum et requies Dei, Deus C Christus est : quia ita omnia, quæ Dei sunt, in eo vera sunt, ut his Pater quiescat. Perfectus enim a perfecto est, quia, ut Apostolus ait, *omnia ipsi constant* (*Coloss.* I, 17). Et sicut de se ipso testatus est, *Sicut habet Pater vitam in semetipso, ita et Filio dedit habere vitam in semetipso* (*Joan.* v, 26) ; et rursum Apostolus ait : *Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*Coloss.* II, 9). Itaque quod in eo est, (*e*) vel quod ipso, perfectum est, neque jam quod subsistit ac manet, eget atque exspectat aliunde, sed charitate Patris atque virtute (*f*). Ita et in Filio vita est, ut licet sit natus ex Patre, tamen in ea vita, in qua et Pater vivit, existat. Nam et in eo universorum, quæ deinceps crearentur, principia

(1) *Omne quod facit.*

(2) Vox *omnia* cum in priori editione deesset, sententia non constabat.

(3) *Omnium* addidimus codicis nostri fide.

(4) *Operantem.*

D (5) Ut constet quam præclare hic capitularis codex S. Hilarii contextum integret, mancam atque hiulcam prioris editionis orationem subjicimus : *quæ sit ejus quærenda est. Dei itaque opus, opus Christi est : quia ita omnia*, etc.

(*a*) Filii *famulatus* ac *ministerium* intelligentia ea hic prædicatur, qua lib. IV de Trinit. n. 16 docetur efficere quod Pater ei jubeat, ratione scil. auctoritatis qua eum gignit. Sic Tertullianus, I. contra Prax. n. 12, Patrem cum Filio et Spiritu sancto *quasi cum ministris et arbitris* loquentem inducit ac dicentem, *Faciamus hominem*, etc.; et paulo post : *Cæterum etsi ubique teneo unam substantiam in tribus cohærentibus : tamen alium dicam oportet ex necessitate sensus eum qui jubet, et eum qui facit.*

(*b*) Quod videl. *potestatem efficiendi non per incrementa indultarum ad unumquodque opus virium sumeret, sed de cognitione præsumeret : præsumeret autem non de aliquo operis corporalis exemplo, ut aliquid prius Pater faceret*, et cætera quæ videsis lib. VII de Trin. n. 16. Consule et lib. IX, n. 44.

(*c*) Ita emendamus, ubi in ms. *quia ista in se operetur operantem.*

(*d*) Aut legendum, *quies ejus quærenda est*, aut, *quæ sit quies ejus quærendum est.*

(*e*) Forte, *velut in ipso*, puta Patre : ut sit respectus ad superiora, *Sicut habet Pater vitam in semetipso*, etc.

(*f*) Supplendum hic videtur verbum *est*, aut *subsistit.*

constiterunt; et in eo universa contemplans, consummatis per eum omnibus delectatus est: cum et in Filio creatore quiesceret, et in his quæ digna dilectionis filio essent creata gauderet. Hinc illud est in Proverbiis, *Cum pararet cœlum, aderam illic* (*Prov.* VIII, 27). **270** Et, *Ego eram apud eum disponens* (*Ibid.*, 30): mihi aggaudebat cum lætaretur opere perfecto. Hæc requies, in qua lætatur Pater, quam etiam per sacramenti confirmationem impii non adibunt. Est etiam intelligenda Domino Jesu Christo requies eorum quæ invisibilia sunt, Throni, Dominationes, Principatus, Potestates: hæc enim omnia manent incorrupta, indefessa, perpetua. Et idcirco in his requies existimanda est, quia indulta æternitate jam in eorum perfectis creationibus quiescatur.

9. *Quies justorum, quibus pateat.* — Oportet autem cognosci quidem quomodo in requiem, quam impii non adibunt, pii et Deo subjecti poterunt introire: necesse est enim spem, quæ malis negata est, bonis relinqui. Sed si Christus Dei requies est, ergo hi qui in Christo erunt, erunt in Dei requie. In Christo autem velle esse se Apostolus clamat, dicens: *Sequor autem si apprehendam, in quo et apprehensus sum* (*Philip.* III, 12): et rursum, *Omnia autem detrimenta esse duxi, et arbitror stercora, ut Christum lucrifaciam* (*Ib.*, 8): et rursum, *Benedictus Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spiritali in cœlestibus in Christo, in quo elegit nos ante mundi constitutionem in ipso, ut simus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate: qui ante prædestinavit nos in adoptionem* (1) *per Christum in ipso* (*Ephes.* I, 3, 4 *et* 5); quia Verbum caro factum est; quia cum aliquando essemus alienati et inimici sensus ejus in factis malis, nunc autem reconciliati sumus corpore carnis ejus. Ergo per conjunctionem carnis assumptæ sumus in Christo: et hoc est sacramentum Dei absconditum a sæculis et generationibus in Deo, quod nunc revelatum est sanctis ejus, esse nos cohæredes et concorporales et compartícipes pollicitationis ejus in Christo. Patet (*a*) ergo universis aditus in Christo per conjunctionem carnis, si exuant veterem hominem, et cruci ejus affigant, et ab his, quæ ante gesserunt, in baptismo ejus consepeliantur ad vitam; et ut in consortium Christi carnis introeant, carnem cum vitiis et concupiscentiis affigant. Istius modi enim corpora configurabit in transformatione corporis sui, et horum humilitatem in gloriam carnis suæ transferet, qui contundentes omnes cupiditatum aculeos, et voluptatum sordes abluentes per novæ nativitatis sacramentum, meminerint se non suam carnem habere, sed Christi.

10. *Quæ ante paranda.* — Est autem hoc perfectum sabbatum, hæc vera requies, cui more sabbati sæcularis **271** omnia vitæ necessaria pridie præparare præcipimur. Judæi enim secundum præceptum legis, die quæ anterior sabbato erit, omnia quæ sabbato sunt necessaria parant (*Exod.* XVI, 23); (*b*) et cibus omnis ac potus ante providendus, parandus, recondendus est; non intelligentes in eo umbram futuræ veritatis ostendi. Ut enim ad otium sabbati obtinendum superioris diei geminanda officia sunt (nam et quod ipsi diei et sabbato necessarium sit, curandum est); ita et nobis æterna sabbata exspectantibus, quibus illic possimus uti, præsentis vitæ negotiis sunt præparanda; et nunc quidem necessaria, sed requiem sabbati redemptura. Ut igitur ab hujus sabbati requie, id est, ut superius ostendimus, a consortio Christi angelorumque, non etiam sacramento Dei arceamur; operandum et promerendum est, et per sollicitudinem operum anteriorum, æternitatis est requies præparanda, orationum vigiliis, lectionum frequentia, jejunii voluntate, humilitatis tranquillitate, bonitatis operibus, castitatis nitore, virtute patientiæ. Hæc pridie in otium æterni sabbati sunt paranda; ut corruptionis nostræ infirmitate in cœlestem gloriam transformata, nec vitium voluntas, nec ambitio gloriam, nec honorem superbia, nec otium labor, nec cibum corpus, nec somnum noctis diei lassitudo desideret: sed sit nobis æterna lux pervigil (2) vita communis usus bonorum, cœlestis satiatus sermo Dei, laudium Deo et cum angelorum choris hymnus æternus. Hoc fidei est præmium, hæc corporeæ resurrectionis est gloria, in qua nihil desiderandum est, quia nullo egendum est; non per invidiam æmulandum, quia in communione vivendum; non aut infirmitate aliqua dolendum, aut ætate crescendum, quia immortalitate durandum est. Sed urendus potius diabolus, et malum omne perimendum, et æternitatis nostræ flos obtinendus. Pro hujus igitur sabbati requie Deo patri Filius confitetur. Hoc ex persona ejus in fine cantatur, hoc, sicuti singulorum versuum interpretatione noscemus, acquisita hominum immortalitate celebratur.

(3) 272 TRACT. PSALMI CXVIII.

PROLOGUS.

1. *Elementa vitæ piæ tradit hic psalmus.* — Qui ad doctrinam rationabilis et perfectæ prudentiæ præparantur, ab ipsis statim litterarum elementis docendi sunt: ut perfectam veramque rationem tamquam ab exordio primæ institutionis consequantur. Sciens istud sanctus Paulus apostolus, eam solam veram at-

(1) *Per Jesum in ipso.*

(2) *Vita* supplevit liber noster, exinde, *laudium*, quod minus displicet quam *laudum*, ut antea legebatur. Quæ præcedunt, *cœlestis satiatus sermo Dei*, parum feliciter procedunt. Legendum forte, *cœlestis satietas sermonis Dei*, ut cæteris membris aliquanto melius respondeant.

(3) In ms. nulla *tractatus psalmi*, nulla *Prologi* mentio; sed tantum, *Incipit psalmus* CXVIII. *Alef. Alleluia.*

(*a*) Similia sunt hæc tract. ps. LI, n. 17: *Universis enim patet, ut consortes sint corporis Dei atque regni, quia Verbum caro factum est*, etc.

(*b*) Connaturalius hic præmitteretur *non intelligentes in eo umbram futuræ veritatis ostendi: ac tum: ita et cibus nobis ac potus ante providendus*, etc.

que utilis doctrinæ esse prudentiam, quæ ab ætatis initiis atque ab infantiæ ipsius inchoaretur exordiis, hæc ad Timotheum inter magna atque præclara fidei studiique præconia in secunda epistola scribit: *Tu vero permane in his quæ didicisti, et credidisti, sciens* (1) *a quo* (*a*) *didicisti, et quod ab infantia sacras litteras nosti, quæ te possint instruere in salutem* (II *Tim.* III, 14 *et* 15). Hoc propter præsentem psalmum ita dictum sit, in quo cum cognitio veritatis ad eruditionem humanæ ignorantiæ esset (2) edenda, per ipsa litterarum atque elementorum initia doctrinæ ordo est distributus. Secundum enim Hebræorum litteras in singulis octonis versibus singulæ litteræ præferuntur. Est autem omnis numerus versuum in centum (*b*) septuaginta sex versibus. Nam cum ex viginti duabus litteris omnis hebræus sermo conveniat, et octonos versus litteræ singulæ explicent; numerus iste versuum octonis partibus multiplicatus expletur. Hanc igitur exstitisse causam existimo, ut per litteras (3) totius istius psalmi ordo decurreret; ut sicut parvuli et imperiti et ad legendum imbuendi hæc primum, per quæ sibi verba contexta sunt litterarum elementa cognoscerent; ita et humana ignoratio ad mores, ad disciplinam, ad cognitionem Dei per hunc singularum litterarum octonarium numerum ipsis velut (*c*) infantilis doctrinæ initiis erudiretur.

2. *Gratia Dei doctrinæ percipiendæ necessaria.* — Arduum enim et difficillimum homini est, per se ipsum vel per sæculi doctores rationem præceptorum cœlestium consequi: nec naturæ nostræ recipit infirmitas, divinis institutis, nisi per ejus gratiam (*d*) qui hæc ipsa dederit, erudiri. Namque qui simpliciter ea quæ inter manus sibi inciderint legunt, existimant nihil differentiæ in verbis, nihil in nominibus, nihil in rebus existere. Sed si istud communis colloquii sermo non patitur, ut sub diversis rerum nuncupationibus non **273** diversa significata esse intelligantur; numquid Dei eloquia tam imperita, tam confusa esse credimus, ut aut inopia verborum quibus uterentur(*e*) laboraverint, aut distinctionum genera nescierint?

3. *Aliud sunt lex, præcepta, judicia,* etc. — Plures enim cum audiunt legem, justificationem, præcepta, testimonia, judicia, quæ omnia Moyses sub diversa uniuscujusque generis virtute disposuit, unum atque idem esse existimant: ignorantes aliud legem, aliud justificationem, aliud præceptum, aliud testimonium, aliud esse judicium: quæ multum a se differre et discrepare, testis nobis est octavus decimus psalmus, quo continetur proprietas uniuscujusque et nuncupationis et generis. *Lex* enim *Domini immaculata* (*Ps.* XVIII, 8, etc.), *convertens animas. Testimonium Domini fidele, erudiens parvulos. Justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda. Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos. Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi. Judicia Domini vera, justificata in ipsum* (*f*). Sunt ergo distantiæ in singulis quibusque rebus: et prudentis atque intelligentis viri est, in his quæ scripta sunt discernere, ubi lex, ubi præceptum, ubi testimonium, ubi justificationes, ubi judicia constituta sint: ne illa quæ sermo propheticus mirabili uniuscujusque rei proprietate distinxit, ea ignorantiæ nostræ infirmitas indocta imperitiæ opinione confundat. Itaque per litteras singulas hæc omnia maximus et ultra cæteros copiosissimus psalmus iste discrevit: ut per hæc verborum elementa, credendi et vivendi et erudiendi in Dominum (*g*) doctrinæ ratio et distinctio doceretur.

4. *Fides nuda non sufficit, non probitas naturalis. Octonarius numerus quam absolutus.* — Plures autem arbitrantur simplicitatem fidei ad absolutam æternitatis spem posse sufficere: tamquam innocentia secundum judicium sæculi, doctrinæ (*h*) cœlestis institutis non egeat. Et quia aliter se res habeat, idcirco nunc vivendi in Deo innocenter, et in innocentia religiose manendi cognitio multa cum copia prophetici sermonis exposita est; quia difficile est quemquam per semetipsum, id est, per sæculi instituta hanc innocentiæ religiosæ cognitionem (4) et verum (*i*) usum vitæ piæ et innocentis adipisci. Novit etiam infirmam per se esse humanam naturam Apostolus, **274** ad hanc vivendi scientiam capessendam. Nam cum de charismatum et munerum Dei donis doceret, cum primum sermonem sapientiæ prætulisset, statim sermonem scientiæ subjecit. Hoc enim scientiæ post sapientiæ sequens a Deo donum est: quia usus sapientiæ in usu scientiæ perfectus est.

5. Occurrit autem in præsenti psalmo etiam ea nobis difficultas, quod cum duos tantum psalmos acceperimus per litteras hebræas conscriptos, id est, centesimum decimum atque undecimum (*j*), ita ut a

(1) *A quibus didiceris.* Alexandrinus codex favet, παρά τίνων ἔμαθες.
(2) *Tendenda.*
(3) *Totus istius.*
(4) *Ad verum.*

(*a*) Editi, *a quibus didicisti*: renitente sacro textu necnon mss.

(*b*) Ita mss. quibus reipsa consentit versuum numerus. Editi vero, *septuaginta octo.*

(*c*) Bad., Er. et Par. *infantulis*: castigantur a Lips. et mss.

(*d*) Ita in tribus mss. concinnius quam in vulg. *quæ hæc ipsi dederit.*

(*e*) In solis excusis, *iterantur.*

(*f*) Sic mss. Vatic. et Mic. juxta græc. εἰς τὸ αὐτό. Alii juxta Vulgatam, *in semetipsa.*

(*g*) Duo mss. Vatic. *in Deum*, deinde cum cæteris, *doctrinæ ratio*, etc. Editi vero, *in Domini doctrina ratio distincte doceretur.*

(*h*) Editi, *innocentiæ secundum judicium sæculi, studium doctrinæ*, etc., reluctantibus mss.

(*i*) In vulgatis, *ad verum.* Mox abest *per se* a ms. Regio ac S. Albini Andegavensis.

(*j*) Editi et duo mss. *centesimum undecimum atque duodecimum.* Verius Mic. et Vaticani, CX *atque* XI, qui duo psalmi apud Hebræos per singula hemistichia singulis alphabeti litteris distinguuntur, uti etiam observat vulgatus Hieronymus in prædictos psalmos CX et CXI, cujus hæc in centesimum decimum verba sunt: *Psalmus iste primus secundum or-*

prima usque vigesimam secundam litteram secundum Hebræos versuum numerus conveniret, versusque singuli a singulorum elementorum initiis inchoarentur : in hoc nunc psalmo octonos versus elementa singula obtinerent. Sed cum omnia vivendi, credendi et placendi Deo præcepta contineantur in psalmo ; in eo numero omnia litterarum initia continentur, qui maxime secundum plenam et religiosam ejusdem numeri virtutem, primus (*a*) omnium convenientium in se undique partium æqualitate perfectus est. Primum etenim per duas in se partes ex partibus coæqualis (1), tum deinde per quatuor æque partes convenit : ut (*b*) virtutes psalmorum, qui in hoc numero vel singulari vel multiplicato collocati sunt, doceant numeri hujus esse sanctam et religiosam plenitudinem. Hic autem numerus, etiam in lege sanctus est. Jussum enim est, ut qui natus esset, in octavo signum circumcisionis acciperet (*Gen.* XVI, 12). Hæc etiam in circumcisione Domini ratio servata est : et in hoc dierum numero, cum ipse circumcisione non egeret, oblatus in templo est, ut in corpore ejus humanæ carnis recideretur infirmitas (*Luc.* II, 21). Hic etiam numerus omnia genera pecudum, ut digna sacrificiis habeantur, emundat; octava enim die jubentur offerri (*Exod.* XXII, 30). Et in hoc numero diluvii diebus origo rursum humanæ generationis eligitur (I *Petr.* III, 20). Consummatio igitur nunc doctrinæ et eruditionis nostræ sub perfecti hujus numeri absolutione per singula elementa concluditur : ante quem neque munda Deo hostia fuit, neque in generis familia quis cessante circumcisione susceptus est, et ex quo rursum iterandæ generationis (*c*) cœpit exordium. Primæ igitur litteræ hi versus sunt (*d*).

275 PRIMA LITTERA.

ℵ Aleph.

Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Beati qui scrutantur testimonia ejus, in toto corde exquirunt eum. Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt. Tu mandasti mandata tua custodiri nimis. Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas. Tunc non confundantur (Hil. *confundar*), *cum perspexero* (*respicio*) *in omnia mandata* (*tua*). *Confitebor tibi in directione cordis, in eo quod didici justitiam tuam* (*judicia justitiæ tuæ*). *Justificationes tuas custodiam : non me derelinquas usquequaque nimis.*

1. *Luminis consequendi quæ sit præparatio.* — VERS. 1 et 2. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Beati qui* (2) *scrutantur testimonia ejus, in toto corde exquirunt eum.* Dictorum ordo non negligendus est : qui si non diligenter a nobis cognoscitur, ne dispositæ quidem beatitudinis ordinem consequimur. Non enim primum, *Beati scrutantes testimonia Dei ;* sed primum, *Beati immaculati in via.* Prius enim est, confirmatis moribus et in innocentiæ studium (*e*) ex communi probitatis honestate compositis, viam veritatis ingredi; sequens deinde est scrutari Dei testimonia, et expurgato emundatoque animo ad investiganda adesse. Ordinis autem hujus et alius propheta (*Osee* X, 12) non immemor est, dicens, « Serite in justitia (3) vosmetipsos, et metite vos in fructu vitæ, et illuminate vos in lumine scientiæ. » Non illuminatio primum, sed satio nostra præcepta est : ut cum antea nosmetipsos, id est, vitæ nostræ usum in spem fructuum severimus (*f*), deinde cum quæ sata sunt messuerimus, tunc nos lumine scientiæ illuminemus. Tenendus igitur hic ordo est, sationis messis et illuminationis. Plures enim nostrum illuminari se prius quam serere ac metere festinant; cum satio atque messis quædam consequendi luminis præparatio sit.

2. *Viam Domini non sufficit inire. Via Christus.* — Prima igitur hæc beatitudo est, beatos esse qui immaculati in via sint : sed non **276** in via fortuita et in incerta et in erratica, sed in via in qua in lege Domini ambulatur. Plures etenim utilem et necessariam viam sese ingressos existimant ; sed immaculati in via non erunt, quia non in lege Domini ambulant. Sed via hæc non solum ineunda est, sed etiam pergenda (*g*). Nemo enim dum in via est, id ad quod per viam tendit obtinuit ; secundum quod (*h*) beatus Paulus ait, *Non quod aliquid acceperim, aut jam perfectus sim : sequor autem si apprehendam, in quo et apprehensus sum a Christo* (*Phil.* III, 12). Ergo adhuc ille pergebat : sed pergebat (*i*) ea quæ retro sunt

(1) *Et partibus coæquales.*
(2) *Scrutant*, ita et infra num. 4, constanter.

(3) *In justitiam*, mox, *in fructum*; græce εἰς δικαιοσύνην, et εἰς καρπόν.

dinem scribitur litterarum : licet multi vigesimum quoque quartum et trigesimum sextum scriptum putent in hebræo secundum ordinem litterarum : sed in illis vel desunt aliquæ litteræ, vel supersunt. V. Ambros. Prol. in psal. CXVIII, num. 3.

(*a*) Apud. Par. expuncta est vox *primus*, refragantibus aliis editis et scriptis.

(*b*) Ita mss. reg. et Albin. At in vulgatis *et* loco *ut*, et mox *docent*, pro *doceant*.

(*c*) Ms. Mic. cum prima editione Par. *regenerationis*.

(*d*) Hæc verba in prius vulgatis statim excipiebat primus dumtaxat versus, *Beati immaculati in via*, ac post *exquirunt eum* subjiciebatur, *Dictorum ordo*, etc., ut est infra, absque ullo titulo, quem supplemus ex mss. Reg. et Albin. in quibus neque hic, neque deinceps usquam præmittitur octonarius integer. Neque hic repetendum quod ea de re in Admonitione præfati sumus. Tantum monemus lectorem, nos primum hunc octonarium apud Par. ex Miciacensi ms. Prologo superiori præpositum, huc tamquam in aptiorem locum retulisse.

(*e*) Excusi, *in innocentiæ studiis :* emendantur ex mss.

(*f*) Duo mss. *seruerimus :* mox cum iisdem magis placet *illuminemus*, quam cum vulgatis, *illuminemur*. Prophetæ quippe verba habent, *illuminate vos*, non *illuminamini*.

(*g*) Sic mss. ubi excusi, *peragenda*. Verbum *ineunda* ingressum viæ, *pergenda* vero progressum et indeficientem in ea perseverantiam declarat.

(*h*) In vulgatis desideratur hic, *secundum quod*, et mox vocabulum *aliquid*, cujus loco apud Bad., Er. et Lips. exstat particula *jam*.

(*i*) Nunc primum repetitur, *sed pergebat*, auctoritate mss. Mic. et Vatic.

obliviscens, his autem quæ in priora sunt se extendens. Itaque viam hanc agens beatus est, qui cum oblivione præteritorum in futurorum spem extenditur. Et quæ via sit in qua unusquisque ambulans beatus sit, Dominus docet dicens: *Ego sum via* (*Joan.* XIV, 6). Quisquis igitur in præceptis ejus institerit, hic beatus est: dum vitia carnis coercet, dum animi petulantiam edomat, dum avaritiæ famem vincit, dum terrenorum honorum gloriam evitat. Qui in his ergo manserit, hic est immaculatus in via, et in lege Domini ambulans.

3. *Lex est Dei et lex peccati.* — Adjectio autem ea, qua dictum est, *in lege Domini* (*Rom.* VII, 23), non est otiosa. Est enim et peccati lex, de qua ait beatus Apostolus, Video aliam legem in membris meis contramilitantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem (*a*) in legem peccati. Ergo quia et lex peccati esset, idcirco lex Domini dicta est. Nisi enim et lex esset exterior, non cum adjectione proprietatis legem Domini propheticus sermo dixisset.

4. *Lex in genere.*— Sequens deinde versus est primæ litteræ: *Beati qui scrutantur testimonia ejus, et in toto corde exquirunt eum.* In primo versu est, *Qui ambulant in lege Domini:* in secundo, *Qui scrutantur testimonia ejus;* in quarto, quia tertius supplementum dedit secundo, de mandatis ait dicens, *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis:* in quinto de justificatione, *Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas:* in sexto rursum de mandatorum effectibus, *Non confundar, cum respicio in* (1) *omnia* (*b*) *mandata tua:* in septimo de judiciis, *Confitebor tibi Domine in directione cordis, in eo quod didici judicia tua:* in octavo (2) de justificatione, *Justificationes tuas* (*c*) *custodiam, non me derelinquas usquequaque nimis.* Si ergo aliud lex, aliud præceptum, aliud judicium, aliud justificatio, **277** aliud testimonium, necessarium est ab eo, qui hæc omnia constituit et condidit, intelligentiæ gratiam nos et munus orare. Totum hoc autem in commune lex dicitur. Sed est quiddam in his speciale, quod propriam in se habet legis nuncupationem.

5. *Lex umbra futurorum. Mandatum quid.* — Quid ergo est lex? Umbra scilicet, ut Apostolus ait, futurorum: quod de cæteris scriptum nusquam est, scilicet ut futurorum umbra sit aut justificatio, aut testimonia, aut mandata: sed tantum id legi proprium est, ut Apostolus in plurimis docet, non secundum litteræ intelligentiam Legem esse tractandam, sed secundum spiritalem doctrinam futurorum in ea umbram esse noscendam. Ait enim, *Non obturabis os bovis triturantis* (I *Cor.* IX, 9): Et adjecit, *Numquid pecudum Deo cura est? Annon propter nos dicta scriptaque sunt* (*Ib.*, 10)? Et rursum: *Legem legentes non audistis, quod Abraham duos filios habuit, unum ex ancilla, et unum ex libera? sed qui ex ancilla, secundum carnem natus est; qui autem ex libera, secundum repromissionem* (*Gal.* IV, 21, *etc.*). Et quia lex futurorum umbra esset, adjecit, *Quæ sunt allegorumena* (*d*), *hæc enim sunt duo Testamenta* (*Ib.*, 24). Ergo quæcumque doctrinarum spiritalium umbram (*e*) complexa sunt (3), hæc lex esse dicenda est; *quia lex et spiritalis est, et umbra futurorum* (*Rom.* VII, 14).

6. Mandatum autem Domini est, in quo observatio præceptorum et custodia continetur; ut illud, *Non occides, non mœchaberis* (*Exodi*, XX, 13), et cætera horum similia. Et quia hæc simplicia et splendida sunt, nosque in verum lumen per observantiam sui dirigentia; idcirco ita dictum est, *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos* (*Ps.* XVIII, 9). De lege autem non convenerat ista dixisse, quæ per umbram (4) futurorum (*f*) sancta est, et animas per futurorum cognitionem convertens; mandatum autem per observantiam sui illuminans.

7. *Testimonia Dei quæ et quam multa. Angelis plenus omnis mundus.*— Ergo quia beati sunt scrutantes testimonia Dei, et aliud legem, aliud mandatum, aliud testimonium esse sicut cætera diximus; quæ hæc Dei sint testimonia, noscendum est. Legis enim totius liber sub testimoniis datus est. Cœlum namque et terram Moyses librum Testamenti traditurus in testimonium advocavit. Et sunt plurima in causam testimoniorum constituta, cum Jacob ait (*Gen.* XXXI, 52), *Testimonium erit vobis collis iste, et testimonium erit lapis iste.* Et in Jesu scriptum **278** est, *Duodecim lapides efferte, ut sint hi testimonium filiis vestris* (*Jos.* IV, 5 *et* 6). Curato etiam leproso Dominus ait, *Offer munus tuum* (5) *in testimonium, quod constituit Moyses illis.* Apostolus plura ad Timotheum per epistolam loquens denuntiat sub testibus, dicens: *In conspectu multorum testium denuntio tibi, et in conspectu Dei vivificantis omnia, et Jesu Christi, et electorum Angelorum, ut hæc custodias* (I *Tim.* V, 21). Plura igitur et innumerabilia sunt Dei testimonia, quæ si quis scrutari per cognitionem Legis, Prophetarum, Evangeliorum, Apostolorum vellet, in beatitudine permaneret; neque velut vacuo et solitario orbe vivens, sciret se nisi sub teste peccare. Plena sunt enim omnia divinis testimoniis: et omne hoc vacuum quod putatur, repletum est angelis Dei nihilque est quod non hæc divinorum ministeriorum frequentia incolat.

(1) *Omnia* non habetur in ms.
(2) *De justificationibus.*
(3) *Complexabant.*
(4) *Quia per umbram.*
(5) *In testimonia.*

(*a*) Reg. ms. *captivam ducentem* Paulo ante in Mic. *repugnantem*, non *contramilitantem*.
(*b*) Deerat in vulgatis vox *omnia*, quam consentiente Scriptura habent mss.
(*c*) Expunximus hic, *Domine*, auctoritate mss. et Scripturæ.
(*d*) Verbum *allegorumena* omiserant Bad., Er. et Lips. Hujus loco apud Par. substitutum erat *allegorica*, renitentibus mss.
(*e*) Ita mss. At excusi, *umbra complexa est*.
(*f*) Excusi *aucta est*: emendantur ex mss. Respicitur quippe illud psal. XVIII: *Lex Domini immaculata*, seu *sancta*.

8. *Horum præsentia deterrere debet a peccatis. Angeli voluntatis nostræ testes. Diaboli vis et malitia.* — Horum itaque cognitionem per doctrinam quis adeptus, scit se sub testibus vivere. Et cum natura humanæ infirmitatis proclivis ad vitia est, refugit tamen vel sub teste peccare : quod ipsum docet nos communis consuetudinis ratio. Quis enim furari sub teste non metuit? Quis ad scelus nisi secretum elegit? Quis ad adulterium non aut solitudinem aut noctem optavit? (1) Et si quando incalescentibus vitiis jam ad crimen animus promptus est (*a*), tamen furor insanientis voluntatis occursu testis coercetur : et in sese abruptam humanæ petulantiæ naturam nonnumquam intercessio repentina revocavit. Si ergo metus intercessionis jam præsumptum animo facinus demoratur; quid Christianum hominem agere conveniet, scientem se tot undique spiritalium virtutum testimoniis, non dico operum suorum, sed ipsius tantum voluntatis obsessum? Nonne cum in aliquam turbidæ affectionis voluntatem infirmitatis nostræ aculeis commovemur, metuimus adsistentes undique nobis choros Angelorum, et plenum ministeriis cœlestibus mundum? Si enim Angeli parvulorum Patrem nostrum quotidie vident, qui in cœlis est (*Matth.* XVIII, 10) : possumus testimonia eorum metuere, quos et nobiscum manere, et Deo quotidie scimus adsistere. Quin etiam ipsum illum diabolum, per quem ipsa illa vitiorum nostrorum incentiva præbentur, suosque omnes testes metuere debemus, puncto temporis omnem amplitudinem mundi hujus obeuntem (*b*) : cui dulce est peccare nos, ut peccatorum nostrorum 279 testimonio gloriatur. Est enim ejus hæc propria calliditas, instigare ad peccandum, et arguere peccantes. Dictum est enim, *Aut nescis* (2) *quia adest diabolus* (*c*) *accusator fratrum vestrorum* (*Apoc.* XII, 10).

9. *Testimonia Dei toto corde inquirenda.* — Et quia essent adversariæ nobis virtutes in testimonio cum cæteris permanentes, de sanctis tantum prophetam meminisse dignum fuit dicentem, *Beati scrutantes testimonia ejus :* non aliena scilicet, sed illa quæ Dei sunt. Non negligentem autem testimoniorum Dei oportet esse scrutationem; ob quod dictum est, *In toto corde* (3) *exquirunt eum.* Non pro parte studium cœlesti doctrinæ adhibendum est; sed toto corde Dei testimonia inquirenda sunt : ut quia sunt et alia quæ Dei non sunt, ea quæ Dei discimus esse, non avocato in alia negotia corde scrutemur.

10. *Viæ multæ bonæ et una optima quid.* — VERS. 3. Succedit deinde hic versus : *Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt.* In primo versu singulariter via commemoratur, viæ in hoc tertio plures. Ex quo intelligendum est, per multas vias ad unam perveniri; in qua quisque immaculatus si sit, hic beatus est. De plurimis autem viis atque una Jeremias paria testatus est, dicens, *State in viis, et interrogate vias Domini æternales : et quærite quæ sit via bona* (*Jerem.* VI, 16). In plurimis ergo viis standum est, et plurimæ interrogandæ sunt : et hæ quidem plures et Domini sunt et æternales, et in his cernendum est quæ sit via optima. Viæ plures sunt, et plura Dei mandata, plures prophetæ per quos omnes in unam viam pergitur : sed in his operarii iniquitatis non ambulaverunt. Nam si in lege mansissent, usque ad optimam illam Novi Testamenti viam pervenirent. Est via per Moysen, est per Jesum, est per David, est per Esaiam, est per Jeremiam, est per Apostolos; et per has omnes ad eum necesse est (4) pervenire qui dixit, *Ego sum via;* et *Nemo vadit ad Patrem, nisi per me* (*Joan.* XIV, 6). Simile quiddam sub margaritæ nomine dictum esse intelligendum est. Multarum enim margaritarum negotiatorem esse oportet, ut unam margaritam multi pretii consequatur (*Matt.* XIII, 45). De margaritis cum fit sermo, sufficit ad honorem earum quod margaritæ sunt nuncupatæ; una autem illa margarita quæ reperta est magni esse pretii dicitur : ita et cum de viis plurimis prophetatur; quod et Domini et æternales sint dictum est; cum autem in his viis quæritur quæ sit utilis via, ea quæ reperta est optima 280 prædicatur. Ergo quamvis vel illæ viæ æternales sint, vel margaritæ ipso suo nomine honorabiles sint : in multis viis standum est, ut bona via reperiatur; et vendendæ omnes margaritæ sunt, ut ea quæ multi pretii est reperta coematur.

11. VERS. 4. Dehinc consequitur hic versus : *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.* Superius commemoravimus, aliud significare mandata, aliud legem. Et de lege, quantum arbitror, Apostolus nobis testis fuit, quia umbra sit futurorum, in qua species veritatis tamquam corpus in umbra describitur (*Coloss.* II, 17). Mandatum vero est, quod per observantiam implendum est : ut illud, *Non mœchaberis, non occides* (*Exodi*, XX, 13). Non enim in eo species futuræ imaginis continetur, sed præsentem habet operationis effectum : *Tu mandasti mandata tua custodiri valde.* Nihil igitur dissoluto animo, nihil incurioso agendum est, sed sollicitos atque anxios curam mandatorum Dei exsequi nos oportet : ut id quod agimus, in profectum fidei nostræ, cum reverentia ejus (*d*) cui agi-

(1) *Et si quando incalescentibus jam ad crimen animis promptum est*, deinde, *voluptatis.*
(2) *Quid sit*, mox, *essent hæc.*

(3) *Exquirent*, cum græco, ἐκζητήσουσιν.
(4) *Perveniri.*

(*a*) Editio Par. *Et si quid incalescentibus jam ad crimen animis promptum est.* Mox in omnibus mss. *voluptatis*, non *voluntatis.*

(*b*) Ita Tertullianus, Apologet. n. 22 : *Omnis spiritus ales. Hoc et Angeli et dæmones. Igitur momento ubique sunt : totus orbis illis locus unus est. Quid ubi geratur, tam facile sciunt quam enuntiant : velocitas divinitas creditur.* V. Tract. Psal. LXVII, n. 24.

(*c*) Duo mss. *quid est diabolus :* cum quibus mox magis placet *et quia essent*, quam cum vulgatis *et quia hæ sunt.*

(*d*) Bad. *cujus.* Deinde ab Erasmo addita vox, *negotium*, in aliis editis retenta est : absque ulla auctoritate mss.

mus, exsequamur. Cæterum si aliquid remissa voluntate et occupata in res alias cogitatione egerimus; officia quidem corporis in agendo occupabuntur, sed devotionis meritum per negligentiam non consequemur.

12. *Justificationes Dei plures; earum nexus; sine gratia non comparantur.* — VERS. 5. *Utinam dirigantur viæ meæ, ad custodiendas justificationes tuas.* Habemus nunc post mandatorum custodiam, etiam justificationum observantiam. Et mandata jam superius, quæ esse existimaremus, ostendimus. Justificationes autem sunt plures atque diversæ in observandis singulis officiorum generibus temperandæ: ad quorum custodiam, nisi a Deo dirigamur, infirmes (*a*) per naturam nostram erimus. Adjuvandi igitur per gratiam ejus, dirigendique sumus, ut præceptarum justificationum ordinem consequamur. Est nobis justificatio circa (1) servum (*b*) distributa, est circa filium, est circa patrem, est circa fratres, est circa fideles viros, est circa Ecclesiæ principes, est circa Angelos, est circa Deum ac Dominum nostrum unigenitum Dei Verbum. In singulis ergo quibusque generibus atque nominibus justificationis ratio servanda est: quia nisi hæc omnia ex comparibus devotæ voluntatis officiis retineantur, (*c*) justificationem Dei non tenebimus. Religiosus in patrem, si oderit filium, modum justificationis amisit. Religiosus in fratrem, si oderit servum, (*d*) perdidit justificationis Dei ordinem. Religiosus in Dominum, 231 si oderit sacerdotem, (2) nequaquam (*e*) justificationis observantiam in religione Dei explevit, odia in ipsa ministeria divinæ justificationis exercens. Jam vero (*f*) in ipsa fidei veritate, id est, de Dei patris et Domini intelligentia, per quam maxime justificatio nobis erit probata, quanta opus est nobis Dei gratia, ut recta sapiamus, ut ex propheticis atque evangelicis auctoritatibus unum idemque teneamus ne in uno aut altero opinio nostra et sermo dissideat, (3) sed ad universas (*g*) Dei justificationes æqua ac pari operum ac doctrinæ observantia dirigamur.

13. *Mandata omnia, non ex parte servanda.* — VERS. 6. Quod cum consequemur, tum dicere id quod consequenti versu continetur licebit: *Tunc non confundar, cum respicio in omnia mandata tua.* Nisi enim attenti in omnibus mandatis ejus erimus, ac diversabimur, eruntque alia præterita (*h*), alia pro voluntate observata; justificationis ordinem non (4) tenebimus. Cæterum si directis viis (*i*) nostris erit par in omnibus æqualisque custodia; nullo oblivionis vel negligentiæ pudore confusi, confidenter omnium mandatorum observatione gaudebimus.

14. *Recti cordis cognitæque justitiæ auctor Deus.* — VERS. 7 et 8. Sequitur deinde hic versus: *Confitebor tibi in directione cordis, in eo quod didici judicia justitiæ tuæ. Justificationes tuas custodiam.* Abjicienda ergo est omnis animæ perversitas, et directo atque in nullam aliam partem (*j*) deflexo corde est confitendum: ne decedat animus in sæculi curam, ne ex illis doctrinæ Dei semitis in devia evagetur. Sed directæ hujus confessionis ea causa est, quæ consequenti versu continetur: *In eo quod didici judicia justitiæ tuæ.* Primum igitur oravit, ut ad custodiendas justificationes directæ viæ ipsius fierent. Secundo in nullo confundendum se esse subjecit, cum in omnia Dei mandata respiceret. Tertio quoque in directione cordis Deo se confessurum spopondit ob id, quia judicia justitiæ ejus didicisset; per doctrinam scilicet directi cordis cognitæque justitiæ, laudem Deo reddens. Sed justitiæ cognitæ hic fructus est, ut justificationes Dei retineantur: et idcirco subjecit: *Justificationes tuas custodiam.* Qui enim didicisse judicia Dei fructus est, nisi cognitionem nostram justificationum observantia consequatur?

15. *Orandus semper Deus; ne in tentatione deserat.* — Sed meminisse debemus, licet cognitio 232 præstanda a Deo sit, tamen esse semper orandum, ut his quæ in custodiendis justificationibus suis custodire volumus faveat (5): scientes quidem frequenter nos ab eo ob tentationes derelinqui, ut per eas fides nostra probabilis fiat. Verumtamen secundum Prophetam ne nos penitus derelinquat deprecandus est: ait enim, *Non me derelinquas usquequaque nimis.* Quod et in dominicæ orationis ordine continetur, cum dicitur, *Non derelinquas nos* (*k*) *in tentatione quam ferre* (6) *non possimus* (*Matth.* VI, 15). Scit Apostolus

(1) *Servum hebræum.*
(2) *Quam* pro *nequaquam*, MOX, *explebit.*
(3) *Sed universas*, tum, *dirigamus.*

(4) *Tenemus.*
(5) *Ut in his*, deinde, *foveat.*
(6) *Non possumus.*

(*a*) Regius codex cum Albin. *per naturam erimus. Adjuvandi igitur per gratiam ejusdem sumus.*

(*b*) Apud Par. *servum hebræum*, abundat vox *hebræum.*

(*c*) Duo mss. *in justificatione Dei non tenebimur.*

(*d*) Par. *perdidit justificationes.* Editiones aliæ, *prædictæ justificationis ordinem dereliquit*; quod et habet unus e mss. Vatic. Horum alterum sequimur regio et Albinensi consentientem.

(*e*) Sic mss. At excusi, *quam*, loco *nequaquam.* MOX, *explebit.*

(*f*) Excusi, *in ipsam fidei veritatem, id est, Dei patris et Domini intelligentiam.* His præferimus mss.

(*g*) Editi *sed universas*; ac deinde *dirigamus*, pro *dirigamur*: castigantur ope mss.

(*h*) Bad., Er. et Lips. *fuerintque alia præterita.* Par. *ac diversabimus eruntque*, etc. Restituimus ex mss. *diversabimur*, quod verbum eamdem vim hic habet ac frequentativum verbi *diverto*; et ante illud subintelligitur particula *si*, puta *nisi attenti erimus, et si* hac illacque *divertemus, eruntque*, etc.

(*i*) Tres mss. *indeflexis vitiis.* Forte pro *indeflexis viis.*

(*j*) Mss. Reg. et Albin. *in nullam malam partem*: quod satis arrisit.

(*k*) Sic mss. Editi vero *in tentationem, quam ferre non possumus*: quæ postrema verba ut ad orationem dominicam pertinere credamus, inducimur ex Serm. 84 Appendicis Augustini, n. 4, necnon ex lib. apud Ambrosium V de Sacram. c. 4, unde prædictus sermo descriptus est. Utrobique enim eadem verba tanquam ex oratione Domini memorantur.

derelinqui nos ad tentandum : sed novit et mensuram infirmitatis nostræ Deum nosse, dicens : *Fidelis est Deus, qui non permittat nos tentari super quam possumus* (I *Cor.* x, 14). Job Deus tentationi permittens (*a*) a jure diaboli potestatem animæ ejus excerpsit, et secundum modum infirmitatis humanæ tentandi jus dereliquit. Infirmitatis suæ igitur Propheta conscius orat, ne valde derelinquatur : ut imbecillitatem ejus, tamquam Petri (*b*) demergendi fluctibus, Dominus assumat : ut quamquam ad tentandum sese relicturus sit, non tamen *usquequaque et valde* (*c*), scilicet ne usque ad animæ et fidei periculum derelinquat.

LITTERA II.

ב Beth.

In quo corrigit junior (Hil. *adolescens*) *viam suam? In custodiendo sermones tuos. In toto corde meo exquisivi te : ne repellas me a mandatis tuis. In corde meo abscondi eloquia tua : ut non peccem* (Hil. *peccarem*) *tibi. Benedictus es, Domine : doce me justificationes tuas. In labiis meis pronuntiabo* (Hil. *pronuntiavi*) *omnia judicia oris tui. In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis. In mandatis tuis me exercebo* (Hil. *exercebor*), *et considerabo vias tuas. In justificationibus tuis meditabor.*

283 1. *Moribus bonis præstat a puero imbui. Consuetudinis vis.* — In secunda consequentium octo versuum littera ipse sibi Propheta his quibus responsurus sit proposuit, dicens, VERS. 9 : *In quo corrigit adolescens viam suam* (*d*)? Hæc ex proponentis persona dicta sunt. Dehinc nunc tamquam respondentis confessio subditur, *In custodiendo sermones tuos.* Contuendum autem est, secundum eum quem in exordio habuimus sermonem, vera atque perfecta timoris Dei instituta sub his elementis litterarum contineri, quibus quasi ad usum confessionis Dei per ipsa infantiæ rudimenta formamur. Ergo intelligendus est Propheta non otiose locutus esse, *In quo corrigit adolescens viam suam?* Omnem quidem ætatem (*e*) optabile est ex his corporis sui vitiis ad innocentiæ studium transferri : quia et sera licet emendatio utilis sit oblivione vitiorum. Sed placiturum Deo virum Propheta (*f*) conformans, non exspectat post longam ac diuturnam criminum consuetudinem doctrina Dei et præceptis timoris institui : sed rudes a peccatis annos, et ætatem adhuc criminum nesciam, vult non modo studiis aliquando innocentiæ, sed etiam ipsa adolescentiæ consuetudine imbui. Difficile est enim ab usitatis desinere, difficile est a familiaribus abstrahi, magnum in se consuetudo habet vinculum : et idcirco optimus ille fuerit (1) cultor, quem non modo delictorum remissio sine crimine constituerit, sed ipsa illa præstiterit vitiorum ignoratio innocentem.

2. *Juvenis Deo mancipati prærogativa.* — Novit Jeremias propheta ætatis hujus beatitudinem, dicens : *Bonum*, inquit, *est* (2) *juveni viro, cum auferet jugum grave in juventute sua : sedebit singulariter, et tacebit* (*Thren.* III, 27). Non exspectat frigescentes senectute annos, nec emortuam jam per ætatem vitiorum consuetudinem. Vult longi prælii militem : vult eum Christi servum, quem ne ipsa quidem præteritorum criminum recordatio polluat. Nam in his, qui jam provectioris ætatis crediderunt, inest quidem per donum gratiæ præteritorum indulgentia ; sed non abest per conscientiæ naturam gestorum recordatio. « Bonum, inquit, juveni (*g*) auferre jugum grave. » Onus istud (*h*) rudes ad obediendum anni ægre ferunt : cæterum ætas tenera gravis oneris molestiam per virtutis incrementa non sentit. Sed suscepto in juventute onere quid faciet? *Sedebit*, inquit, *singulariter et tacebit.* Rarus iste est, cum **284** quo perfectio timoris Dei per annorum augmenta concrescat : et idcirco singularis sedebit, lascivos adolescentiæ cœtus derelinquens, et ab ipso senum nuper credentium consessu remotus : (*i*) quia ei non competit dicere, *Delicta juventutis meæ Domine ne memineris* (*Psal.* XXIV, 7). Silebit etiam, congruam fidei et juventuti existimans taciturnitatem : non tumultibus negotiorum sæcularium admixtus, sed per modestiam tacens, sola (*j*) divina sacramentorum cognitione occupatus, et sermones Dei tacita rerum atque operum observatione custodiens.

3. *An repellat Deus quemquam a mandatis.* — Redit deinde ad personam suam Propheta, ut id, quod superius dixerat, significasse de se nosceretur, dicens, VERS. 10 : *In toto corde meo exquisivi te : ne repellas me a mandatis tuis.* Competere bonitati Dei non videtur, ut a mandatis suis quemquam repellat : sed sermonum adjectio et virtus verborum, quæ ex perfecta cœlestis doctrinæ ratione disposita est, nihil dubium, nihil contrarium in se habet. Qui ergo, secundum prophetam (*Ezech.* XVIII, 23), mavult peccatorum pœnitentiam, quam mortem, numquid existimandus est a mandatis suis quemquam repellere? Procul sit istud existimare. Sed neque hoc nunc

(1) *Erit.*

(*a*) Duo mss. *ac juri diaboli :* quod ad *permittens* non male referatur.

(*b*) Ita mss. Editi vero, *demergentis.* Respicitur ad verba Matth. XIV, 30. *Et cum cœpisset mergi*, etc.

(*c*) Addimus *et valde* ex mss.

(*d*) Mss. Reg. et Albin. superiorum loco nil præ se ferunt aliud quam, *Finit littera* I. *Incipit Beth littera* II ; tum prosequuntur, *In quo corrigit adolescentior viam suam. Hæc*, etc.

(*e*) In vulgatis, *omni quidem ætati ;* mox apud Bad. et Er. *sera scilicet ;* tum apud Par. *emundatio :* refragantibus mss.

(2) *Bonum quid est.*

(*f*) In duobus mss. *confirmans.*

(*g*) Vulgati hic *ferre*, superius autem *cum fert ;* ubi ex mss. restituimus *cum auferet*, ut hic *auferre.* Deinde in codice Mic. *jugum gratiæ :* mendose. Abest autem vox *grave* a græco et latino textu, nec legit Ambrosius in psal. CXVIII, serm. 2, n. 2.

(*h*) Editi, *maturi ab obediendum.* Ms. Mic. *rudi.* Vatic. *crudi.* Verius reg. et Albin. *rudes.*

(*i*) Bad. et Er. *quia competit se non dicere :* Lips. et Par. *quia comperit se non dicere :* castigant mss.

(*j*) Unus e mss. Vatic. *divinorum.*

Propheta sentit, maxime qui in toto corde Deum perquisierit.

4. *Quam hoc non senserit David.* — Sed absolutio difficultatum in his ipsis requirenda est, e quibus videtur exsistere. Propheta enim quid senserit, in promptu est noscere. Legimus scriptum in Jeremia (*Jer.* XLVIII, 10), *Maledictus qui facit opera Domini negligenter*. Legimus et in Evangeliis scriptum, *Omni enim habenti dabitur, et abundabit : et qui non habet, etiam quod habet auferetur ab eo* (*Matth.* XXV, 29). Ergo habens abundabit; (*a*) non habens vero ipso illo quod habet indigebit. Propheta non est obnoxius maledictionis conditioni; quia non negligenter opera Dei egit, eum toto corde perquirens. Deinde confidenter petit, ne a mandatis Dei repellatur; quia eum toto corde perquirat. Secundum Evangelia enim habenti dabitur, et ei qui non habet etiam quod habet auferetur. Deus igitur non auferet (1) nisi non habenti, secundum quod neque repellet nisi negligentem. Adeo autem bonitate plenus est, ut habentem abundantia (*b*) muneretur : adeo vero non vult quemquam non habere, ut non habenti ipsum quod habet adimat.

285 5. *Quem repellet.* — Neminem igitur nisi obnitentem repellit, neminem nisi negligentem rejicit. Hanc enim Propheta prætulit causam, cur se non repelli a mandatis Dei precaretur, quia non ex parte, neque per desidiam Deum, sed toto corde quæsisset : per quod intelligimus eum a mandatis repelli, qui per multam incuriam fuerit indignus admitti : et extra inhibentis invidiam est, quod de culpa proficiscitur non merentis.

6. *Secreta Dei quædam revelare piaculum est.*—VERS. 11. Tertius iste secundæ litteræ versus est :*In corde meo abscondi eloquia tua, ut non* (2) *peccarem tibi.* Meminimus simile huic dicto legi solere ubi dicitur, Mysterium regis bonum est abscondere. Meminimus et Paulum ad Corinthios adhuc in fide parvulos scribentem (*c*), quædam Dei eloquia occuluisse, cum dicit : *Lacte vos potavi, non cibo; nondum enim poteratis, sed neque adhuc potestis* (I *Cor.* III, 2). Legimus et in Evangelio (*Matth.* XIII, 44) in agro uberi atque fecundo repertum thesaurum, eumdemque empto agro occultari. Novimus neque margaritas ante porcos projiciendas esse (*Matth.* VII, 6), neque sanctum canibus (3) dare oportere. Ergo intelligimus quædam nos cordis nostri secreto continere, quæ divulgata inexpiabilis peccati culpam comparabunt. Ita enim dixit : *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccarem tibi :* quia cum cætera peccata secundum differentias rerum aut in nos ipsos aut in alios (4) exsererentur (*d*); tamen tum fierent in Deum propria, cum quæ occultorum cordium essent condenda secreto, hæc in profanæ cognitionis scientiam proderentur.

7. *Justificationum scientia est Dei munus.* — Contuendus autem est in quarto hoc qui consequitur, versu ordo doctrinæ. Primus versus de custodiendis ab adolescente mandatis Dei (5) constitit : sequens, quia in toto corde Deum exquisierit, ne a mandatis Dei repellatur : dehinc quod sacramenta absconsa sapientiæ et occulta Dei mysteria mentis suæ secreto continuerit. Quarto nunc id deprecatur, ut justificationes suas eidem ostendat : et deprecatur confessionis honore prælato, dicens, VERS. 12 : *Benedictus es, Domine : doce me justificationes tuas.* De justificationibus nonnulla aliqua anteriori sermone complexi sumus (*Ad litt.* 1, *n.* 12), et superfluum est eadem frequenter iterare. Maximus igitur ac præcipuus labor est, hanc justificationum Dei scientiam consequi, et humanæ naturæ infirmitas difficulter tot tantarumque rerum cognitionem consequitur : **286** atque ob id ut doceatur orat, quia divinæ bonitatis munus est, animi humani imperitiam ad congruam atque unicuique generi competentem officiorum observantiam temperare.

8. *Judicia Dei inenarrabilia, non judicia oris Dei.* — Succedit deinde etiam de judiciis Dei sermo, quo dicit, VERS. 13 : *In labiis meis pronuntiavi omnia judicia oris tui.* Quanta rerum, (*e*) et nuncupationum differentia est. Primum a juventute mandata Dei custodiuntur, dehinc Deus toto corde inquiritur, tum Dei eloquia occuluntur, et justificationes disci desiderantur, nunc judicia prædicantur. Sed Propheta forte existimabitur a se excidisse, et vel suorum, vel alienorum dictorum immemor fuisse. In hoc enim psalmorum libro legimus : *Judicia tua sicut abyssus multa* (*Psal.* XXXV, 7). Paulus apostolus ait : *Inscrutabilia sunt judicia Dei* (*Rom.* XI, 33), et rursum (*f*) propheta : *Magna enim sunt judicia tua, et inenarrabilia* (*Sap.* XVII, 1) : et quomodo audebit propheta dicere : *In labiis meis pronuntiavi omnia judicia oris tui?* Sed nihil neque contra se, neque contra alium ejusdem spiritus propheta nunc elocutus est. Non enim ait, In labiis meis pronuntiavi omnia judicia tua; sed ait, *Omnia judicia oris tui :* sciens nonnullam differentiam esse judiciorum Dei, et judiciorum oris Dei. Numquid cum ait, Judicia tua sicut abyssus multa; dixit, Judicia oris tui sicut abyssus multa? Nunc autem ait, *Judicia oris*

(1) *Aufert*, exinde, *repellit.*
(2) *Peccem.* Consentiunt græcum ac vulgata.
(3) *Donari.*
(4) *Exercentur.*
(5) *Constituit.*

(*a*) Hæc verba, *non habens vero ipso illo quod habet indigebit*, absunt a mss. ut et apud Hincmarum, qui in lib. de Prædest. cap. 25, hunc Hilarii locum cum ejusdem laude invexit.
(*b*) In duobus mss. *muneret.*
(*c*) Verbum *scribentem* huc revocamus ex mss.
(*d*) Ita mss. At editi, *exercentur.*
(*e*) Editi, *et nuncupatuum.* Unus ms. *enuncupatarum.* Cæteri, *et nuncupationum :* ante quod subintelligitur *tanta.*
(*f*) Vides Sapientiam tamquam prophetæ opus spectari. Sic spectatur et in Psal. CXXXV. n. 11. Salomoni tribuitur in Psal. CXXVII, n. 8. Sed ante Hilarium Cyprianus ad calcem libri de Mortalit. eumdem librum citavit et Salomonis nomine, et ut eloquium Spiritus-sancti.

tui annuntiavi. Ea ergo, quæ cognita esse per prophetas vel ex Dei verbis judicia esse potuerunt, (*a*) ei propheta non tacuit : quæ idcirco prædicata sunt, ut docerentur.

9. *Conscientiæ rectæ securitas. Opibus spiritalibus gaudet propheta.* — Post judiciorum autem oris Dei publicam et constantem prædicationem id sequitur, VERS. 14 : *In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis.* Non timet propheta vitæ suæ testes, sed in his delectatur : et ei (1) conscientia spectantium se et contuentium jucunda est. Trepidat enim ad omnem intercessionem pollutæ conscientiæ metus : cæterum ubi constans innocentis vitæ fiducia est, plurium testium interventio grata est. Sed non de communis consuetudine gaudii jucundus propheta est : delectatur enim *sicut in divitiis omnibus ;* (*b*) non tantum in divitiis, sed *in divitiis omnibus*. Sunt opes in auro, sunt in argento, sunt in pecuniis, sunt in vestibus, sunt in domibus, sunt in agris ; eorumque aut vitibus, aut oleis, aut frugibus : 287 sed Domini propheta doctrinarum fruge perfectus est, et (*c*) legis ac prophetalium institutionum facultatibus dives est : et anteriore licet tempore, non tamen evangelicorum et apostolicorum præceptorum ignarus est. Novit enim et has divitias Paulus ad Corinthios loquens : *Gratias ago Deo meo semper pro vobis* (*d*) *super gratiam Dei, quæ data est vobis in Christo Jesu : quoniam in omnibus ditati estis in ipso, in omni verbo et in omni scientia* (I *Cor.* I, 4). In his ergo dives est, et in his delectatur propheta. Cæterum non est existimandus sæcularium opum comparatione delectatus esse, qui nisi cum contemptu atque inopia sæculi dives in Domino esse non potuit.

10. *Has exercitationes conservat.* — Delectatus autem in viis testimoniorum Dei, opus delectationis suæ agere debebat ; et non ambiguum est quin agat. Ait enim, VERSU 15 : *In mandatis tuis exercebor, et considerabo vias tuas.* Exercitatione igitur et assiduitate opus est, ut usus rerum necessariarum retineatur ; quia periculosa est humanarum mentium et molesta desidia : ac ne otii consuetudo subrepat, assiduitas exercitationis adhibenda est. Sed retentus etiam hic ordo rationis est. Nam prius exercendum est in mandatis Dei ; tum deinde viæ ejus considerandæ : quia nisi fidelium operum usus præcesserit, doctrinæ cognitio non apprehendetur ; et agendum a nobis antea fideliter est, ut scientiam consequamur. Vias ergo, secundum superiorem expositionem (*num.* 10), legem, prophetas, omnia Evangelia, et apostolos esse existimamus : quos in mandatis Dei se exercens Propheta consideravit, ut noverit.

11. *Mandata. Justificationes. Meditationis et exercitationis usus.* Conclusit autem octavum numerum hoc, VERSU 16 : *In justificationibus tuis meditabor, non obliviscar sermonum tuorum.* — A doctrinæ perfectæ ordine Propheta non (2) excedit. In justificationibus Dei, quas doceri se oravit, exercetur, sicut meditatur in mandatis. Mandatorum enim hæc est ratio, quia nos (*e*) ad observantiam atque opus innocentiæ instituunt : ut illud est, Non occides, non mœchaberis, et cætera his similia. (*f*) In his ergo exercetur (quia in his operationis est 288 usus), per præsentium se exercitationem ad futura confirmans. Justificationes autem sunt, quibus hebræus puer (3) sex annis servus, liber deinceps anno septimo fiet ; et post sex annorum fructus, ager otiosus relinquendus est, et cætera in justificationum observantiam constituta, quæ ingentem in se habent futuræ spei meditationem per negotii præsentis (*g*) effectum. Atque ideo in his meditatur, ut in mandatis (*h*) exerceatur : quia exercitatio usum retinet consuetudinis institutæ ; meditatio autem se in id quod nondum obtinuit extendit ; ut per meditationem id quod expetit consequatur : (4) quæ meditatio justificationis id consequitur (*i*) ne sermonum et promissionum subrepat oblivio (*j*).

(5) LITTERA III.

ג Gimel.

Retribue servo tuo, (6) *et vivam : et custodiam sermones tuos. Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua. Incola ego sum in terra : non abscondas a me mandata tua. Concupivit anima mea cupere*

(1) *Constantia.*
(2) *Excidit.*
(3) *Sexennii.*
(4) Addidimus auctoritate libri nostri, Vaticano alio adstipulante, quæ in aliis mss. prætermissa sunt, solemni ac fere perpetuo exscribentium lapsu, ubi eodem repetito verbo oculi ad secundum referuntur, cum ad primum redeundum esset.
(5) *Explicit littera II. Incipit littera III.* feliciter.
(6) Abest *et* ut etiam a græco, et a Romano psalterio.

(*a*) In vulgatis *ea propheta*. Magis placet cum mss. *et*, quasi *etiam*. Porro Ambrosius, qui etiam in cæteris cum Hilario passim consentit, hoc judiciorum Dei et judiciorum oris Dei discrimen apertius explicans, *Possumus*, inquit Serm. 2, num. 30, in hunc Psal. *judicia Dei æstimare, quæ occulta nobis non patefecerit ; judicia autem oris ejus, quæ annuntiaverit et per os prophetarum locutus est. Os enim Dei propheta intelligitur*, etc.

(*b*) Hic subjiciunt mss. reg. et Albin. *Sunt opes in auro*, aliis omissis.

(*c*) In duobus mss. *legalium :* deinde in omnibus, *et prophetalium*, non *et prophetarum*, ut in vulgatis. In eadem verba Ambrosius : *Delectabatur ergo David in omnibus divitiis cognitionis, scientiæ, sapientiæ, et in omni actu bonorum operum.*

(*d*) Bad., Er. Lips. et postrema editio Par. *per gratiam Dei ;* renitentibus mss. quorum duo subjiciunt, *quæ data est mihi in vobis.*

(*e*) Editi *quo nos :* emendantur ex mss.

(*f*) In vulgatis, *Hæc ergo exercentur :* non congruunt subsequentia.

(*g*) Ita mss. rectius quam excusi, *affectum*, ut liquet ex Tractatu subsequenti n. 21.

(*h*) Vulgati hic, *ut in mandatis exerceatur ;* quomodo et sub initium hujus numeri, *sic ut meditetur in mandatis*. Utrobique præferimus lectionem mss.

(*i*) In altero e mss. Vatic. hic insertum est, *quæ meditatio justificationis id consequitur.*

(*j*) In ms. reg. et Alb. ea est hujus Tractatus clausula atque exordium sequentis, *Finit Beth littera* II. *Incipit Gimel littera* III. *Retribue servo tuo, vivam* (sine *et* juxta græcum), *et custodiam sermones tuos. Quibus non est constans*, etc.

justificationes tuas (Hilarius, *ut desiderem judicia tua*) *in omni tempore. Increpasti superbos : maledicti qui declinant a mandatis tuis. Auser a me opprobrium et contemptum : quia testimonia tua exquisivi. Etenim sederunt principes, et adversum me loquebantur : servus autem tuus exercebatur in tuis justificationibus. Nam et testimonia tua meditatio mea est, et consolatio* (Hilarius, *et consilia*) *mea justificationes tuæ sunt.*

1. *Insontis vox est*, RETRIBUE.—Quibus non est constans emundati cordis conscientia, precari ista Prophetæ voce non possunt, VERS. 17 : *Retribue servo tuo* (*a*). Si enim digna secundum opera nostra retributio aderit, in peccatorum ac delictorum nostrorum (*b*) pœnis manebimus. Satis est autem, si cui vel hæc saltem fiducia 289 gratulandi ad Dominum fuerit: *Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum injustitias nostras reddidit nobis : quia secundum altitudinem cœli a terra* (1) *longavit* (*c*) *iniquitates nostras a nobis ; quia ipse cognovit figurationem nostram* (*Psal.* CII, 10). Magnum est tantam in se Dei misericordiam recognoscere, et scire consuetudinem criminum procul a se abesse, (*d*) et dignum Dei misericordia se esse cœpisse. Propheta autem hic, in cujus scilicet corpore habitatio Dei digna est, quia sancto Spiritu plenus non communia nec terrena (2) cogitat et effatur, libertatis ejus est, ut oret, *Retribue servo tuo.*

2. *Non insolenter a David profertur.* — Sed forte insolentis istud audaciæ est, sine aliqua confessionis modestia meritum retributionis optasse, nec se in corpore situm, id est, in vili atque in humili sorte esse meminisse. Exclusit autem Propheta omnem de se vanitatis ac jactantiæ opinionem. Nam cum dixisset *Retribue* ex fiducia innocentiæ ; *servo tuo* ex servitutis officio et ex conditionis suæ confessione subjecit. Constanter igitur hæc postulat, qui se Dei servum, non peccati esse (3) meminit : quia omnis qui peccat, servus est peccati (*Joan.* VIII, 34).

3. *Vita vera non est hujus temporis.* — *Vivam*, inquit, *et observabo sermones tuos. Vivam* atque *observabo* non præsentis temporis res est ; sed significatio sermonis hujus in (4) futurum (*e*) se tempus extendit. Scit enim Propheta quando beata illa et vera viventium vita sit. Nunc enim et in pulvere mortis manemus, et in mortis corpore sumus, a quo se liberari Apostolus orat, dicens : *Miser ego homo, quis me liberabit a corpore mortis hujus?* (*Rom.* VII, 24.) Habemus autem etiam nunc admixtam nobis materiam, quæ mortis legi et peccati obnoxia est ; et in hujus caducæ carnis infirmisque domicilio corruptionis labem ex ejus consortio mutuamur : ac nisi (*f*) glorificato in naturam spiritus corpore, vitæ veræ in nobis non potest esse natura. Audiamus eum, 290 qui se meminit in corpore mortis habitare dicentem : *Quia vita nostra abscondita est* (*g*) *cum Christo in Deo* (*Col.* III, 3 *et* 4). Cum autem Christus apparuerit vita nostra, tunc et vos apparebitis (5) cum ipso in gloria. Hanc ergo retributionem sibi Propheta orat, ut vivat : futuræ hujus vitæ tempus in loco altero docens, quo ait : *Et placebo Domino in regione viventium* (*Ps.* CXIV, 9). Scit hanc mundi istius sedem regionem non esse viventium. Scit nos adhuc secundum præfigurationem legis emundandos esse. Nunc enim admiscemur morticinæ : et in lege quisquis mortuum contrectat, immundus est (*Num.* XIX, 11).

4. *Lex de mortuo non contrectando; qui intelligenda.* — Sed absit istud, ut quidquam horum in lege corporaliter intelligatur, tamquam per contrectationem mortui quisquam fiat immundus. Joseph ossa egrediens Ægyptum Moyses ipse lator legis (6) abstulit (*Exod.* XIII, 19), Eliseus mortuo ut eum vivificaret incubuit (IV *Reg.* IV, 34) : Dominus ipse mortuos manu apprehensos in vitam retraxit (*Matth.* IX, 25) : et contrectatio mortui si immundum effectura fuisset, nequaquam a tantis viris, neque a Domino violata lex esset, ipso dicente : *Non veni legem solvere, sed adimplere* (*Matth.* V, 17). Sed (*h*) quia lex umbra est futurorum bonorum ; idcirco per hanc præ-

(1) *Elongavit.* Exinde, *figmentum nostrum.*
(2) *Cogitans hæc effatur.*
(3) *Meminisset.*
(4) *Futuri tempus.*
(5) *Cum ipso*, codex noster non habet.
(6) *Advexit*, paulo post, *mortuum manu apprehensum.*

(*a*) Ed. hic addunt, *et vivam* : quod rectius abest a mss.
(*b*) Excusi, *pœnas merebimur*, superius omisso *in* : dissidentibus mss.
(*c*) In duobus mss. *prolongavit*, et mox, *figmentum nostrum*, non *figurationem.*
(*d*) Desideratur in mss. reg. et Albin. et *dignum Dei misericordia se esse.*
(*e*) Mss. reg., Mic. et Albin. *futuri.*
(*f*) Hoc est, post gloriosam resurrectionem, quæ ita corporibus obveniet, *ut corruptibilium corporum in incorruptionis gloriam resurrectio non interitu naturam perimat, sed qualitatis conditione demutet*, ut legimus in ps. II, n. 41. Ex quo liquet Hilarium minime asserere aliam esse per resurrectionem corporum naturam, sed tantum conditionem. Neque vero hic ait, *mutato*, sed *glorificato in naturam spiritus corpore*, hoc est, ut ad calcem numeri subsequentis habemus, *post demutationem resurrectionis terreni corporis nostri effecta gloriosiore natura.* Augustinus ep. 148, n. 16, censet corpus tum ita futurum spiritale, *ut propter ineffabilem quamdam facilitatem spiritus dicatur.* Et lib. cont. Adim. c. 12, n. 4, *corpus spiritale* interpretatur corpus *omni modo spiritui subditum sine aliqua corruptione vel morte.* At noster Hilarius spiritale corpus vocat potius ex comparatione cum spiritali ac divina natura : quia nimirum incorruptione, æternitate aliisque dotibus ornandum sit, quæ soli naturæ spiritali ac divinæ per se conveniant.
(*g*) Miciacensis codex, *cum Christo Deo.* Mox regius et Albin. necnon antiquæ edit. *et nos apparebimus cum ipso.*
(*h*) Quæ sequuntur, ita cum superioribus connexa sunt, ut nullum prorsus locum permittant, quo hic deesse quidpiam suspicemur. Ea tamen adversus Julianum, lib. II, c. 8, n. 26, referens Augustinus innuere videtur dicta ex occasione verborum Domini, *Pacem meam do vobis. Audi*, inquit, *et beatissimum Hilarium, ubi speret et hominis perfectionem. Cum enim loqueretur de pace evangelica, ubi Dominus ait, Pacem meam do vobis. Quia lex*, etc. Re autem vera

formatam significantiam docuit nos in hoc terreni et A dala, quæ prohibent perfectam in nobis mandatorum morticini corporis habitaculo mundos esse non posse, nisi per ablutionem cœlestis misericordiæ emundationem consequamur, (*a*) post demutationem resurrectionis, terreni corporis nostri effecta gloriosiore natura.

5. *Baptismata sunt diversa.* — Et forte si quis existimet sibi in Sacramento baptismi perfectam illam (*b*) innocentiæ, et cœlesti vita dignam redditam puritatem; Joannem Baptistam dixisse recolat, *Ego quidem baptizo vos in aqua pœnitentiæ; qui autem* (1) *post me venit* (*c*), *fortior me est* (*Mat.* III, 11): *ipse vos baptizabit Spiritu sancto, et igni :* ipsum autem Dominum baptizatum a Johanne (*Luc.* III, 21) cum adhuc esset in corpore meminerit **291** locutum, *Adhuc habeo* (2) *alio baptismo baptizari* (*Luc.* XII, 50). Est ergo, quantum licet existimare, perfectæ illius emundatio puritatis etiam post baptismi aquas reposita : (*d*) quæ nos sancti Spiritus sanctificet adventu, (*e*) quæ judicii igni nos decoquat, quæ per mortis injuriam a labe morticinæ et societate purgabit, quæ martyrii passione devota ac fideli sanguine abluet.

6. *Mandatorum non est hic perfecta custodia.* — Et idcirco sanctus Propheta victurum se dicit esse cum vivat, per nanc scilicet umbram vitæ ad veram illam regionem viventium transferendum. Secundum quod exemplum, ut dixit *vivam ;* ita et (*Subaud.* dicit) *custodiam sermones tuos.* Custodiuntur interim secundum apostolum Paulum pro parte et per speculum (I *Cor.* XIII, 9 *et* 12). Sunt enim multa sæculi scan- C rat. Induci quoque in terram sanctam, terram fluen-

esse custodiam. Taceo de naturis corporum, quæ nos interim aut per infirmitatem, aut per incentiva vitiorum imperfectos esse compellunt. At vero morte victa, et aculeo ejus obtuso, et cum facie ad faciem audiemus atque cernemus; tunc vere et vivemus, et mandata Dei servabimus.

7. *Lege adumbrata : hæc optat David cernere.* — Ordo intelligentiæ, qui primo versu continetur, hic idem in consequentibus est. Ait enim, VERS. 18 : *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua.* Scit mortalibus oculis atque corporeis nubem obscuritatis obsistere. Scit ea quæ corporaliter in lege præcepta sunt, umbram esse et speculum futurorum. Legem quidem legit : sed optat legis mira- B bilia contueri. Meminit sancta esse sabbata : sed in æternorum sabbatorum requie esse desiderat. Utitur quidem azymis panibus : sed fermentum ejicere naturæ veteris festinat. Immolat paschæ ovem : sed assistere ei qui per Joannem revelatur Agno concupiscit (*Joan.* I, 29). Septimi anni legi satisfacit : sed ipse exactis septem millibus, sæculi esse liber expostulat. (3) Jubilei quinquagesimi anni legem explet : sed (*f*) pentecostes remissionem ac renovationem **292** obtinere festinat. Scit ex præcepto Dei secundum cœleste exemplar et altarium a Moyse institutum, et Aaron sacerdotali habitu ornatuque vestitum : sed Principis (Christi) sacerdotum, in cujus exemplum hæc fiebant, interesse ministeriis prope-

(1) Deest, *post me* in Veron. Exinde *baptizat* pro baptizabit.

(2) *Aliud baptisma baptizare.*

(3) *Jubet legi quinquagesimi anni satisfieri ; ipse legem explet, sed pentacostadis.*

hæc Domini verba ipse adjecit Augustinus, ut ob oculos poneret tempus, quo Hilarius hominis perfectionem exspectandam assereret. Quod ut magis inculcaret, descriptis Hilarii dictis subjecit : *Vides quemadmodum venerabilis catholicus disputator nec in hac vita mundationem nostram neget, et tamen humanam perfectionem speret, id est, perfectioris mundationis in ultima resurrectione naturam.*

(*a*) In duobus mss. *per demutationem.* Retinemus *post* cum aliis libris ac pervetustis Augustini exemplaribus.

(*b*) In vulgatis, *innocentiam.* Præferimus cum mss. *innocentiæ* scil. *puritatem.* Non hic negat Hilarius baptizatis eam esse innocentiam quæ cœlum consequatur, sed eam puritatem quæ cœlestem et incorruptam vitam deceat, quæque baptismatis aliis perfici non egeat, utpote manente nobis etiam post baptismum concupiscentia, quæ peccati lex et origo prædicatur in psal. LVIII, n. 4.

(*c*) Abest *post me* a duobus mss.

(*d*) Hic subaudiendum, *ea scilicet emundatio.* Tum in his verbis, *quæ nos sancti Spiritus sanctificet adventu,* nil vetat quominus Confirmationis sacramentum intelligamus, quod rursum in Matth. c. XIX, n. 3, sic indigitari videtur : *In typicam consummationem,* baptismo initiatis hoc Sacramento conferendam, *prohibendorum infantium subrepit instinctus. Quos Dominus ait non oportere prohiberi, quia talium sit regnum cœlorum : munus enim et donum Spiritus sancti per impositionem manus et precationem, cessante Legis opere, erat gentibus largiendum.* Quibus similia sunt illa Tertulliani de baptismo c. 8. ubi de baptismi effectu sermone habito, statim subjicit ; *Dehinc manus imponitur, per benedictionem advocans et invitans Spiritum sanctum.*

(*e*) Illud *quæ*, quod apud Bad., Er. et Lips. deerat, et cujus loco apud Par. prælatum erat *qui* dissentibus mss. nostris, rursum refertur ad emundationem : de qua Ambrosius in hunc psalmum Ser. 3, n. 14, habet, *Est etiam baptismum in paradisi vestibulo... romphæa ignea quam posuit Deus,* docetque ea purificari, qui sordium nonnihil habentes in paradisum redire cuperent. Eamdem illam baptismi speciem attendit Origenes in Luc. hom. 14, cum ait : *Ego puto quod et post resurrectionem ex mortuis indigeamus sacramento eluente nos atque purgante : nemo enim absque sordibus resurgere poterit.* Hic Hilarii sermo de quatuor D baptismatis præter baptismum aquæ, fundatur in duobus Scripturæ locis supra memoratis, in quibus occurrit baptismi vocabulum. Primus est : *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, et igni :* alter, *Adhuc habeo alio baptismo baptizari.* Priorem illum et de Spiritus sancti per impositionem manuum et precem super baptizatos adventu, et de igne judicii sordium reliquias decoquente interpretatur; alterum autem vel de morte simpliciter, vel de martyrii passione. Hinc perspicitur ratio, cur baptismum ignis judicii ante memorarit, quam baptismum mortis aut passionis. Aliud quidem postulabat ordo temporum; at prævertendum non erat quod allatis Scripturæ locis continebatur. Facilis quoque subest ratio cur non plura afferat exempla rerum quibus peccata abluuntur : quia nimirum in Scripturis non invenit plura quibus *baptismi* nomen attributum sit.

(*f*) In vulgatis, *pentecostadis.*

tem lacte et melle, (*a*) tamquam totius hujus orbis peregrinus orat. Universa quidem ista Judæi corporaliter gerunt : sed hæc Paulus aliter intelligit, dicens : *Scimus enim quia lex spiritalis est* (*Rom.* VII, 14). Hæc igitur legis mirabilia, quæ velatis oculis adumbrantur, Propheta orat ut cernat : scilicet ut caduco atque infirmo corpore absolutus, hæc quæ per corporalem observantiam legis magna et mirabilia in cœlis præfigurantur, adspiciat.

8. *Peregrinandum a carne.* — Non demutatur affectus orantis. Post hæc enim ait, VERS. 19 : *Accola ego sum in terra; ne abscondas a me mandata tua.* Accola non juris sui terram incolit, (1) (*b*) sed aliena : neque peregrinus fructum ex ea temporariæ operationis exspectat. Novit incolatus hujus Apostolus ordinem, dicens peregrinandum a corpore et cum Christo manendum esse (II *Cor.* V, 8). Propheta itaque quasdam imagines cœlestium conversationum fide cernens, licet corpus incolat, tamen rem non suam incolit, oculis mentis in cœlum erectis. Scit in cœlo thesauros collocandos; quia ubi thesaurus sit, illic et cor futurum sit (*Matth.* VI, 21). Non erat illo (*c*) sensu (2) suæ terræ accola, qui in evangelica comparatione horrea extruit capacia ingentium fructuum, et animam suam per præsentium copiam ad delicias adhortatur; stultus anima ipsa eadem nocte privandus (*Luc.* XII, 18 *et seqq.*).

9. *Mandatum unum lucidum, alia absconsa.*— Ergo accolam se propheta confitens, orat ne mandata Dei a se occulantur. Nemo enim nisi peregrinus corporis sui, cognitione mandatorum Dei dignus est. Quod mandatum Dei quod lucidum sit, et illuminans oculos (*Ps.* XVIII, 9); absurde nunc videbitur dixisse, ne sibi mandata Dei occulantur, quæ hoc **293** naturæ in se habent, ut et lucida sint, et illuminent. Sed negligentia aurium affert (*d*) sensus difficultatem. Illic enim mandatum lucidum et illuminans est, hic mandata absconsa sunt. Lucidum mandatum est, per quod ad contuendum lumen mandatorum illuminamur. Per mandatum quod in lege primum est, quo A Deum ex tota anima et ex tota virtute amare præcipimur (*Deut.* VI, 5), (3) digni (*e*) illuminatione cognitionis efficimur. Et sicut de gloria in gloriam transibimus (*f*); sic et in lumine videbimus lumen, sic et per speculum faciem ipsam aliquando cernemus. Per hoc enim nunc corporalis vitæ mandatum, sacramento baptismi et præcepto Dei illuminamur, et lumine utimur, et in gloria manemus. Per hoc rursum ex mandato (4) mandata (*g*) cernemus, per hoc ex lumine lumen videbimus, per hoc ex gloria in gloriam transferemur.

10. *Angelorum ministeria sunt diversa.* — Scit autem in cœlis Propheta plura Dei esse mandata, scit per diversitatem ministeriorum diversas esse præceptorum observantias, angelorum, archangelorum, B thronorum, dominationum, potestatum, et principatuum. Quos utique necesse est, ut nominibus, ita et officiis esse diversos, perpetuam tamen mandatorum custodiam pro naturæ suæ firmitate retinentes. Atque ob id revelari sibi cœlestium mandatorum sacramenta orat : quia sciat se in terræ hujus corpore esse peregrinum.

11. VERS. 20. Quartus hic tertiæ litteræ est versus : *Concupivit anima mea, ut desiderem* (*h*) *judicia tua in omni tempore.* Non est Prophetæ hujus cum cæteris communis vel sæculi sermo : altius sub significatione familiarium verborum intelligentiæ suæ extulit sensum, dicens : *Concupivit anima mea* (5) *ut desiderem judicia tua* **294** *in omni tempore.* Multis enim videbitur rectius dictum fuisse, desiderat anima mea judicia C tua in omni tempore. Et forte quidam existiman id ipsum sub his dictis contineri.

12. *Judicia Dei quam tremenda homini.* — Sed meminit Propheta, arduum esse et naturæ humanæ periculosissimum, Dei desiderare judicia. Cum enim nemo vivens in conspectu ipsius mundus sit; quomodo desiderabile judicium ejus potest esse? An cum ex omni otioso verbo rationem simus præstituri, (6) diem judicii concupiscemus, in quo nobis est ille indefessus ignis (*i*) subeundus, in quo sub-

(1) *Sed advena, neque peregrinus.*
(2) *Ille sensu suo.*
(3) *Dignique.*
(4) *Et mandata.*
(5) Legebatur in anteriori, *desiderare justificationes tuas;* sed ut liber noster præ se fert, Hilarium legisse, cum quod præcedit, demonstrat, tum quod statim subsequitur.
(6) *In diem;* deinde *obeundus,* non *subeundus.*

(*a*) Ms. Mic. *jam totius.* Alii duo, *tamquam totus.*
(*b*) Editi, *sed advena et peregrinus fructum extemporariæ,* etc.; castigantur ope mss.
(*c*) Excusi, *ille sensu,* etc. Concinnius duo mss. *illo* (scil. mox dicto) *sensu.* Nec displicet quod in aliis duobus, *ille sensu suo,* id est, animo, *terræ accola,* etc.
(*d*) Sic mss. concinnius quam excusi, *sensuum difficultatem*: deinde *illic* intellige Psalmo XVIII; eamdem eadem ratione quæstionem solvit Ambros. in Ps. CXVIII, Serm. 3, n. 39 : *Si lucidum mandatum, quomodo absconditur; cum lucernam nemo ponat sub modio? nisi forte lucidum est unum mandatum, multa autem mandata abscondita sunt.* Idcirco Hilarius infra n. 17 testatur se hoc loci *de uno et de plurimis mandatis* egisse.
(*e*) In tribus mss. *dignique.*.
(*f*) Duo mss. *transimus;* deinde in prius vulgatis desideratur *sic.*
D (*g*) Prima editio Par. cum ms. Mic. *et mandata.* Alter Vatic. *et in mandata.*
(*h*) Apud Par. *justitiam tuam.* Alii vero libri, *judicia tua,* juxta græcum *κρίματά σου.*
(*i*) Sic mss. At editi, *obeundus.* Hæc sententia nititur verbis Gen. III, 24. Unde Ambrosius in hunc ps. serm. 20, num. 12 : *Omnes oportet per ignem probari, quicumque ad paradisum redire desiderant : non enim otiose scriptum est, quod ejectis Adam et Eva de paradisi sede posuit Deus in exitu paradisi gladium igneum versatilem.* Eamdem confirmat illud Pauli I Cor. III, 13 : *Uniuscujusque opus quale sit ignis probabit.* Sed licet omnibus subeundum illum ignem, non tamen omnibus sentiendum putant Lactantius l. VII, c. 21, et Origenes hom. 3, in psal. XXXVI. Unum quidem Christum ab ignis sensu excipere videtur Ambrosius loco laudato n. 14. At revera Joannem Evangelistam excipit n. 12, sicut et Petrum n. 13, ubi et generatim

cunda sunt gravia illa expiandæ a peccatis animæ supplicia? Beatæ Mariæ animam gladius (*a*) pertransibit, ut revelentur multorum cordium cogitationes (*Luc.* II, 35). (*b*) Si in judicii severitatem capax illa Dei Virgo ventura est, desiderare quis audebit a Deo judicari? Job omnium humanarum calamitatum militia et victoria perfunctus, qui cum tentaretur, ait: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen ejus benedictum in sæcula* (*Job*, I, 21), cinerem se esse confessus, audita de nube Dei voce non loquendum sibi ultra esse decrevit (*Job.* XL, 1). Et quis erit ausus Dei desiderare judicia, cujus vocem de cœlis nec tantus propheta sustinuit (*Job.* XLII, 5 *et* 6), neque apostoli (*c*) consistentes in monte cum Domino ferre potuerunt (*Matth.* XVII, 6)?

15. *Eam innocentiam sibi optat David, qua fiant non tremenda.* — Tenuit itaque Propheta humanæ et naturæ et conscientiæ modum, dicens, *Concupivit anima mea, ut desiderem judicia tua in omni tempore.* Non enim judicium desiderat, sed ut desideret concupiscit: desiderii eum cupiditas, non judicii continebat. Concupiscit enim desiderare, scilicet ut in tanta innocentia maneat, ut tuto jam et sine (1) metuendi (*d*) judicii terrore desideret: (*e*) rem ipsam nondum per conscientiam humanæ conditionis 295 desiderans; sed ejus desiderium, (2) (*f*) et conscientia perfectæ ut proveniat innocentiæ concupiscens. Scit vero continentem et indefessam desiderii hujus concupiscentiam esse oportere: atque ideo adjecit: *in omni tempore*, nullum scilicet docens otium nobis esse (3) debere, quin semper desiderii hujus cupiditate teneamur.

14. *Superbia provocat in nos iram Dei.* — Deinde sequitur, VERS. 21: *Increpasti superbos: maledicti qui declinant a mandatis tuis.* O infelix superbia, quæ dedignatur sub præceptis cœlestibus vivere, quæ mandata divina animi infidelis tumore fastidit! Plurima sunt humanorum vitiorum crimina, et diversæ atque innumerabiles peccatorum operationes: sed nulla magis provocandæ in nos iræ Dei, quam superbiæ causa est. *Increpasti* enim non avaros, non lascivos, quibus utique increpatio debita est, sed *superbos*: quia plures per superbiam, qua humana contemnunt, etiam Deo obsequi spernunt.

15. *Inania reddit opera bona.* — Sed sint licet præclara cætera fidei opera, et in omni divinorum præceptorum custodia devotio immoretur: tamen subrepente superbia, memoria eorum quæ recte operamur abolebitur. (*g*) Quanto evangelicus ille pharisæus labore se in vitæ viam statuit, (4) ne in alienam rem rapax esset, ne in quemquam injuriosus existeret, ne adulteriis dissolveretur (*Luc.* XVIII, 11 *et seqq.*)? Laboravit bis in sabbato jejunans, (5) suumque (*h*) corpus per abstinentiam cibi ingenti patientiæ virtute confecit. Quanto deinde labore avaritiæ vincendæ, decimas substantiæ suæ in usum egentium intulit? Quid his præclarius (6)? quid eorum (*i*) opere difficilius? Sed incidit in superbiæ laqueum, dicens: *Quia non sum sicut peccator iste et publicanus* (*Ibidem*): (7) et (*j*) infelix hoc vitio ex ingentibus operibus cecidit in crimen, et insolens per hanc virtutum suarum gloriam factus, justificato magis publicano recessit.

16. *Paulus qui ab ea liberatus.* — Sed quid de Pharisæo dicimus? Apostolus non ab hominibus neque per hominem, sed per Jesum Christum (*Gal.* I, 1), adversus quem diabolus omni virtutis suæ arte luctatus est, angelum Satanæ qui se colaphizaret accepit (II *Cor.* XII, 7 *et* 8): ut per passionum omnium indefessas molestias, nulla superbiendi occasio per otium temporis posset irrepere. Ipse quoque eligendi et constituendi sacerdotis quamdam legem

(1) Restituimus ex nostro codice, ut in prioribus legebatur. Postrema editio, *sine metu judicii terrorem desideret.*

(2) *Ex conscientiæ perfectæ si proveniat.*

(3) *Derelictum* pro *debere.*

(4) *Ne alienæ rei rapax.*

(5) *Et infelix hoc vitiosumque corpus; tum, ingentis* postea, *contulit* non *intulit.*

(6) *Quid ea re difficilius?*

(7) Verba: *et infelix hoc vitio*, ut a prius vulgatis, sic exulant a libro nostro.

pronuntiat, *Qui habuerit hic charitatis ignem, illic ignem gladii timere non poterit.* Eam quoque Hilarius n. 15, satis declarat esse posse innocentiam, cui jam sine metu judicium exoptandum sit.

(*a*) In vulgatis, *pertransivit.* At in mss. *pertransibit.* Respicit Hilarius illud Simeonis ad Mariam, *animam tuam pertransibit gladius*, quod non de gladio infidelitatis, quemadmodum Origenes hom. 17, in Luc. sed de gladio flammeo ad ostium paradisi posito dictum intellexit. Neque vero hinc piæ de Maria existimationi Ecclesiæ quidquam detrahit. Satis enim innuit se eam omnium purissimam atque sanctissimam existimasse, cum ex illius per ignem transitu, quem Scripturis expressum judicabat, nemini non timendum judicium prædicat. Neque etiam hinc necessario conficitur quod ad marginem adscripsit Erasmus, *Aliud sentiunt, qui liberant eam a peccato originis.* Ut enim mox observatum est, aliud est per ignem transire, aliud quidpiam ab igne pati. Dicit quidem Hilarius Mariam transituram, sed passuram non dicit. Passio autem sola peccatum arguit, non transitus, maxime in ipsius aliorumque Patrum sententia, qui cœlum nulli patere existimant nisi per ostium flammeo gladio obseratum.

(*b*) Regius codex cum Albin. *ubi*, pro *si.*

(*c*) Verbum *consistentes* prius omissum revocatur ex mss.

(*d*) Editi, *sine metuendi judicii terrore*, cætera nonnihil confundentes. Distinctior est lectio quam exhibemus ex mss. reg. Albin. et Vatic.

(*e*) Simplicius mss. reg. et Albin. *non rem ipsam desiderans, sed ejus desiderium.* etc.

(*f*) Excusi, *ex conscientia perfectæ si proveniat*, etc. Restituimus et pro *ex*, nec non *ut* pro *si* auctoritate mss.

(*g*) Editi hic et infra *quando*: emendantur ope mss.

(*h*) Ita castigatiores mss. tres. Excusi autem, *et infelix hoc vitiorum* (vel *vitiosum*) *corpus:* perperam et non suo loco.

(*i*) Editi, *quid horum operum executione*: refragantibus mss.

(*j*) Desiderabantur in prius vulgatis verba, *et infelix hoc vitio.* Restituimus ea ex mss.

ferens, cum jam eum in his quibus episcopum dignum est virtutibus collocasset, neophytum eligi vetuit, ne superbiret, dicens : **296** *Non neophytum, ne inflatus incidat in judicium diaboli* (I *Tim.* III, 6) : id est, ne per recens adeptam regenerationis gratiam insolescat, vult illum multo passionum bello ante tentari, vult multis humilitatis et fidei stipendiis provehi. Cor enim humiliatum Deus non spernit, et sacrificium optimum cor contribulatum (*Ps.* L, 29), *quia qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur* (*Luc.* XIV, 11).

17. *Superbia humana despicit, divina negligit.* — Et idcirco *maledici qui declinant a mandatis tuis*, quia increpantur superbi : quia per superbiam animi insolentis, et humana despicimus, et divina negligimus. Sed virtus verbi hic collocati non negligenter est audienda. Promptum enim fuerat dicere, Maledicti qui non obtemperant mandatis tuis. (De uno et de plurimis mandatis in superiore versu (*sup. num.* 9 *et* 10) competentia diximus.) Maledicti autem sunt, qui per hanc prophetiæ doctrinam eruditi, a mandatis Dei declinant, id est, per vitiorum præsentium desideria ab spe æternorum mandatorum decidunt. Qui enim declinat, id in quo est devitat, et ex alia parte in aliam deducitur, et deflexu quodam de itinere (*a*) decedit. Vel leviter ergo declinantem a mandatis Dei maledictionis sententia comprehendit : ut intelligeremus quanti periculi res esset, (*b*) ea omnino ignorare nos, a quibus declinare maledictum est.

18. *Opprobrium merentur peccata.* — VERS. 22. *Aufer a me opprobrium et contemptum ; quia testimonia tua exquisivi.* Peccata opprobrio sunt digna : et idcirco peccatores exurgent in opprobrium æternum (*Dan.* XII, 2). Quod autem peccata omnia opprobrio sint digna, in Evangeliis discamus, tum cum Dominus exprobrare civitatibus illis cœpit, in quibus plures virtutes ejus effectæ essent nec pœnituissent, Corozaim (1) et Bethsaidæ (*Luc.* X, 13). Quod ab illis cœptum, necesse est ut in omnes ejusdem criminis (*c*) pares fiat; et tunc humano generi exprobret non pœnitenti, neque in viam evangelicam pergenti, id quod psalmo continetur : *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* (*Ps.* XXIX, 10.) Exprobrat enim superbis atque maledictis, cur nihil in sacramento sanguinis sui atque mortis utilitatis (2) suæ (*d*) esse existimaverint; cum ille nostri causa et natus et passus et mortuus sit.

19. *Avertit confessio, modo exquirantur etiam Dei testimonia.* — Tenuit etiam Propheta rationem infirmitatis humanæ. Scit inesse quædam, quæ per Dei misericordiam auferenda a nobis sint. Scit Deum tali peccatorum nostrorum confessione orandum, ut etsi (*e*) digna arguitione **297** habeamus, non tamen arguamur : confitendum enim crimen est, ut obtineatur et venia. Scit deinde post arguitionem in contemptum, id est, in nihilum gentes (*f*) æstimari ; quia scriptum sit : *Omnes gentes nihil sunt, et omnia quæ a malitia sunt, in nihilum æstimata sunt* (*Esai.* XL, 17). Sed secundum Prophetæ exemplum auferri a nobis opprobrium et contemptum hac spe ac fiducia deprecari nos oportet ; ut addamus ad id quod dicitur : *Aufer a me opprobrium et contemptum*, et (*etiam*) id quod sequitur : *Quia testimonia tua exquisivi.* Et testimonia Dei exquirit, ut argui non debeat; et auferri a se opprobrium contemptumque precatur, ut verecundiam non derelinquat : esse quidem in natura sua confessus arguitionis et opprobrii causam quam a se deprecatur auferri; sed per devotionem exquisitorum testimoniorum eam sperat auferri.

20. *Principibus mundi perosa fides.* — Exquirit autem testimonia Dei Propheta, non in otio, neque in insolentia rerum secundarum, sed exquirit multis adversus se residentibus, multis adversus se colloquentibus, dicens, VERS. 23 : *Etenim sederunt principes, et adversum me detrahebant.* Scit omnem prophetiæ fidem mundi hujus (*g*) perosam esse principibus : scit Apostolos cunctis futuros propter Christianum nomen odiosos. Sedent adversus Prophetam principes, et detrahunt tunc, cum audiunt etiam (*h*) dicentem, *Audite verbum Domini principes Sodomorum*, (3) *attendite legem Dei populi Gomorrhæ* (*Esai.* I, 10). Ex consilio enim talium Esaias sectus est, Jeremias quoque carcere clauditur, Daniel leonibus fame ad sævitiam incitatis objicitur, Zacharias inter templum et altare occiditur, apostoli cæduntur, desecantur, crucifiguntur : ut prædicatio Dei auferatur, ut doctrina prophetiæ inhibeatur, ut vitæ æternæ via obsepiatur. Sed hos principum consessus et hæc obtrectationum eloquia sprevit fides constans. Consequitur enim : *Servus autem tuus exercebatur in justificationibus tuis.* Obstrepentibus illis videlicet, et totis pœnarum armis inhibentibus, in exercitationibus justificationum (*i*) Dei spiritus perseverat.

21. *Meditatio et operatio legis æternorum est præparatio.* — Sed, ut jam superius tractavimus (*Litt.* 2, *n.* 11), exercitatio justificationum et meditatio tes-

(1) *Chorozain et Bethsaida.*
(2) *Suæ* abjicies, nostro si ms. fides.

(3) *Et intendite;* mox, *populus* cum græco.

(*a*) In mss. *decidit.*
(*b*) Ita mss. At excusi, *omnia ignorare.*
(*c*) Edito Par. *criminis par fiat.* Melius alii libri, *pares*, id est, pariter reos.
(*d*) Abest *suæ* a duobus mss.
(*e*) Bad., Er., Lip. et mss. Vatic. *digni arguitione habeamur.*
(*f*) Duo mss. *existimare.* Mox verba, *et omnia quæ a malitia sunt*, neque in latinis neque in græcis Esaiæ exemplaribus jam extant. Sed ea etiam legisse Ambrosium serm. 3, in psal. CXVIII, num. 41, liquet ex nota *h*, qua observatur in omnibus mss. haberi, *Omnia quæ malitiæ sunt, pro nihilo æstimantur.*
(*g*) Sic mss. nisi quod pro *perosam* habet unus Vatic. *periculosam*, et Mic. *opertam.* At editi, *Scit enim omnem prophetiæ* (Lips. et Par. *propheta*) *fidem mundi hujus deesse principibus.*
(*h*) Pro *etiam* in vulgatis legebatur *Esaiam*, refragantibus mss.
(*i*) Abest *Dei* a duobus mss. Aut legendum videtur *Dei servus*, aut cum ms. Vatic. *Dei spiritu.*

timoniorum illa est, (1) qua (*a*) cum legis opera per corporales efficientias exerceantur; exercitatione justificationum tamen et testimoniorum meditatione, bonorum æternorum **298** per præsentium meditationem quædam præparatio comparatur. Sed testimoniorum meditatio unde oriatur ostendit. Adjecit enim, VERS. 24 : *Et consilia mea justificationes tuæ ;* omnem scilicet vitæ curam, omnes consiliorum varios diversosque (2) motus intentos esse justificationibus confitens Dei in Christo Jesu, cui gloria et honor in sæcula sæculorum. Amen.

LITTERA IV.

ד Daleth (3).

Adhæsit pavimento anima mea : vivifica me secundum verbum tuum. Vias meas enuntiavi (Hil. *pronuntiavi*), *et exaudisti me : doce me justificationes tuas. Viam justificationum tuarum instrue me* (Hil. *fac ut intelligam*) : *et exercebor in mirabilibus tuis. Dormitavit anima mea præ tædio : confirma me in verbis tuis. Viam iniquitatis amove a me : et in lege* (Hil. *et lege*) *tua miserere mei. Viam veritatis elegi* (Hil. *dilexi*) *: justitiam tuam* (Hil. *judicia tua*) *non sum oblitus. Adhæsi testimoniis tuis, Domine : noli me confundere. Viam* (Hil. *in via*) *mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.*

1. *Carnis terrenæ societas prophetæ molesta est.* — Multiplex intelligentia non potest in se habere dictorum difficulatem, cum amota omni obscuritate, intelligendi magis abundet electio : ut in primo quartæ litteræ versu contuemur. Ait enim, VERS. 25 : *Adhæsit pavimento anima mea : vivifica me secundum verbum tuum.* Potest istud (*b*) et de assiduitate orationis intelligi, tamquam ex peccatorum confessione in terram Propheta prostratus adhæserit pavimento. Sed ut altius aliquid sub his dictis intelligamus, perspecta diligentius verborum virtute, necessarium ducimus. Non enim ait, Adhæsi pavimento ; sed : *Adhæsit pavimento anima mea* : et admonemur intelligere hic eum esse de animæ et corporis societate conquestum. Et multa sunt, quæ nos ut hoc potius probabile existimemus admoneant. Dixit enim Apostolus, *corpus humiliationis nostræ* (*Philip.* III, 21) ; dixit et propheta : *Humiliata est in* **299** *pulvere anima* (*c*) *mea* (*Ps.* XLIII, 25) ; dixit rursum, *Et in pulverem mortis deduxisti me* (*Psal.* XXI, 16). Igitur, vel quia in terræ hujus solo commoramur, vel quia ex terra instituti conformatique sumus, anima quæ alterius originis est, terræ corporis adhæsisse creditur : maximum ipsa certamen suscipiens, (4) ut (*d*) se, etsi manens in eo, ab ejus societate divellat, ut tamquam peregrina incolatu ejus utatur.

2. *Vitam optat meliorem.*—Non ignarus est autem Propheta, licet anterior ætate, apostolici tamen dicti, quia qui adhærent Domino, in uno spiritu sunt. Scit etiam a se esse prædicatum, *Adhæsit post te anima mea* (*Psal.* LXII, 9). Quin etiam legit in lege, *Post Dominum Deum tuum ambulabis, et adhærebis ipsi* (*Deut.* XIII, 4). Adhærere igitur huic magis quam illi concupiscit. Sed quia meminit ex consortio ejus nonnullam se labem contraxisse peccati ; orat ut per verbum Dei, quamvis admixta terrenæ mortalique naturæ anima ejus sit, ipse tamen (*e*) in vitam vitæ cœlestis animetur. Scit enim se nunc pavimento adhærere, non vivere : sed secundum verbum Dei, cui mortui vivunt, orat ut vivificetur in vitam.

3. *Quid in viis suis, quid in via Dei ambulare.* — Dehinc sequitur, VERS. 26 : *Vias meas pronuntiavi, et exaudisti me; doce me justificationes tuas.* Qui secundum voluptates corporis vitam agunt, in viis suis ambulant. Qui autem omni vitiorum carnalium consuetudine derelicta in præceptis Dei (5) vivunt, jam illis non in sua, sed in via Dei iter est. Et hæc audiamus in Deuteronomii (6) præcepto : *Sed nunc Israel quid Dominus Deus tuus poscit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, et ambules in omnibus viis ejus, et diligas eum, et servias Domino Deo tuo ex toto corde tuo et ex tota anima tua, et custodias præcepta Domini Dei tui et justificationes ejus, quæ ego præcipio tibi hodie, ut bene sit tibi* (*Deut.* X, 12 *et* 13) ? Ergo Deo adhærens, in Dei via est.

4. *Peccatorum confessio via est ad doctrinam Dei.* — Et qua ratione Prophetam hic locutum existimabimus dicentem : *Vias meas pronuntiavi, et exaudisti me ; doce me justificationes tuas ?* Si enim vias suas prædicat, necesse est peccati vias prædicet : quia in via peccati sit, quisquis in via Dei non sit. Sed huic præsenti dicto consentiens illud videtur, quod dictum est, *Pronuntiabo adversum me injustitias* **300** *meas* (7) *Domino* (*Ps.* XXXI, 5) ; et rursum, *Justus in exordio sermonis sui ipse sibi accusator est* (*Prov.* XVIII, 17). Ergo hic pronuntiatio quæ dicitur, non laudatio est, sed confessio viarum suarum, id est, peccatorum suorum pœnitens professio. Et Propheta ut esset dignus spiritu prophetiæ, vias suas, id est, peccata sua ante confessus est, ut post hanc pronuntiationem eorum, doctrinæ justificationum Dei capax esset. Quod utrumque absolute docetur. Nam

(1) *Quia.*
(2) *Mores intentos.*
(3) *Delth.*
(4) *Ut se manens.*

(*a*) In Reg. ms. *quia*, non *qua :* lectio non spernenda, si præsertim paulo ante *et meditatio* perinde accipiatur ac *etiam meditatio.* Ut enim habetur ad litteram superiorem num. 11, justificationes *ingentem in se habent futuræ spei meditationem per negotii præsentis effectum.*

(*b*) In duobus mss. *et de suæ vitæ ratione intelligi :* lectio non spernenda.

(*c*) Abest *mea* a mss. Reg. et Albin. Mox in iisdem exstat, *deduxit me*, non *deduxisti.*

(5) *Degunt*, pro *vivunt.*
(6) *Præcepta.*
(7) *Domine.*

(*d*) Ita mss. At editi, *ut se immanens.* Illud *ut se etsi manens*, etc., in psal. LX, n. 2, aliis verbis enuntiatur, *in carne quidem quæ terra est degentem, jam in fine carnis habitare, dum secundum Apostolum habitans in corpore peregrinatur a corpore, dum vivens jam non sibi vivit.*

(*e*) Er., Lips. et Par. *in viam vitæ :* corrupte ac renitentibus mss. *Vita vitæ cœlestis*, vita eorum est qui in cœlis vivunt, quorum vitam solam veram esse ostenditur lit. 3, n. 3 et 6.

cum dicit, *Pronuntiavi*, confessionem hanc præteriti temporis esse demonstrat, cum dicit, *Doce me*, oratio est ex futuro, quia confitendum ante est de peccatis, et exacta confessione discendum.

5. *Legis non opera, sed scopum rogat doceri.* — Manens autem Propheta in lege, non ex his doceri se postulat, quæ corporali tunc ministerio gerebantur; sed ex his quæ per speciem præsentium futuri erant sacramenta complexa. VERS. 27. *Viam justificationum tuarum fac ut intelligam; et exercebor in mirabilibus tuis.* Sermo præsens discrevisse cognoscitur justificationes a via (1) earum (*a*). Et quantum re ipsa intelligitur, omne quidem ad quod per viam tenditur, non idem est quod et via ipsa quæ pergitur. Quærenda igitur causa est, cur Propheta præstari sibi, ut viam justificationum intelligat, potius quam ut ipsas justificationes cognoscat oraverit. Meminit enim omnes justificationes legis, umbram in se sanctarum justificationum continere: cum post sexennii servitutem hebræus puer liber est (*Exod.* XXI, 2), cum septimi anni fructus indigentibus et pecoribus terræ relinquuntur (*Levit.* XXV, 4), cum post quinquagesimum annum omnia in jus familiæ ejus unde decesserint revertuntur (*Ibid.* 13). Et quia hæc quæ in lege sunt constituta, via est eorum quorum in his præformatur exemplum; ut viam harum justificationum intelligens in mirabilibus Dei exerceatur orat, id est, in legis operibus versetur: quia lex sit ad futurorum bonorum speculum constituta.

6. *Versionibus variis præfertur versio* LXX. — De consequenti versu comperi multos varia sensisse, eo quod non eadem proprietate a cæteris translatoribus ex hebræo demutatus esset, ut ab his Septuaginta interpretantibus conscriptus est. Nonnulli enim pro eo quod ab illis dictum est (*b*) ἐνύσταξεν ἡ ψυχή μου, posuerunt ἔσταξεν ἡ ψυχὴ μου. Quidam **301** autem ex illis non ἐνύσταξεν, sed κατέσταξεν transtulit. Et aliud ἐνύσταξεν, aliud ἔσταξεν, aliud κατέσταξεν significare intelligitur. Sed nobis neque tutum est translationem Septuaginta interpretum transgredi: et (*c*) sane ratio et sensus dictorum ita admonet, ut recte ac probabiliter versum translatum intelligamus. Est enim cum illis et nobiscum ita, VERS. 28: *Dormitavit anima mea præ tædio.* Et superior omnis sermo et consequens humilitatis et infirmitatis confessionem in se habet; cum pavimento anima adhæsit, cum peccatorum viæ confitentur, cum intelligentiam viæ justificationum orat. Consequens ergo A est, ut nunc animam suam præ tædio mortalis habitaculi dormitare conquestus sit, quæ nondum justificationum viam intelligat, quæ etiam nunc pavimento adhæserit. Atque ob id in viis Dei confirmandum sese orat, quia præ tædio dormitet.

7. *Dormitationis ratio.* — Sed hic ea ratio servata est, ut dormitare se, non dormire dicat: quia qui dormit, in ipso somni opere est; qui autem dormitat, dormitat (*d*) antequam dormiat. Quæ et in alio loco ratio servata est, cum dicit, *Ecce non dormit, neque dormitabit, qui custodit Israel* (*Ps.* CXX, 4). Sed et illic, ubi meminit, *Si dedero somnum oculis meis, et palpebris meis dormitationem* (*Psal.* CXXXI, 4); dormitationem palpebrarum, somnum vero esse dixit oculorum, quia palpebrarum officium est, ut somnum ex B dormitatione concilient. Propheta igitur etsi dormitat, non tamen dormit: atque ob id ne dormitans obdormiat, subjecit, *Confirma me in verbis tuis:* id est ut per omnium justificationum, quas superius memoravit, intelligentiam confirmatus, non modo non dormiat, sed etiam sine aliqua dormitatione pervigilet.

8. *David a peccato, non a peccati via alienus. Beatitudinem rogat lege promissam.* — Ait autem post hæc, VERS. 29: *Viam iniquitatis amove a me, et lege tua miserere mei.* Promptum fuerat dicere, iniquitatem amove a me: sed licet infirmitatis suæ conscius, cum meminit in corpore suo viam inesse peccandi, tamen per timorem Dei a peractione peccati omnis alienus est. Viam igitur peccati, qua ad peccatum pergere C promptum est, amoveri a se deprecatur, id est, omnia corporalium voluptatum desideria auferri, nec tentationem aliquam concupiscentiæ aut ignorantiæ, qua tamquam per viam ad peccatum itur, ingruere. Nec solum id orat Deum, sed etiam ut per legem suam misereatur ejus. Per legem autem hoc modo misericordiam consequitur: quia ut superius ostendi, ita in lege sit scriptum: *Et nunc Israel quid Dominus Deus tuus poscit a te,* **302** *nisi ut timeas Dominum Deum tuum, et ambules in omnibus viis ejus, et diligas eum, et servias Domino Deo tuo ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et custodias præcepta Domini Dei tui et justificationes ejus, quæ ego præcipio tibi hodie, ut bene sit tibi* (*Deut.* X, 12 *et* 13)? Ergo cum lex doceat in viis Dei ambulandum, ut ambulanti in his bene D in posterum sit; et (*e*) nunc Propheta oret vias injustitiæ a se amoveri, sibique ut Deus misereatur ex lege: id orat quod lege conclusum est, ut in viis Dei ambulans in beatitudine collocetur.

(1) *Eorum.* mox, *omne quod est ad quod*, Deinde, *qua pergitur.*

(*a*) Substituimus *earum*, loco *eorum*, prout exigit sensus. Mox in excusis, *omne quod est ad quod per viam tenditur.... qua pergitur.* His præferimus mss.

(*b*) Apud Bad. post *quod ab illis dictum est*, relicto unius versus spatio vacuo proxime subjectum erat, *Sed nobis neque tutum est*, etc., multis omissis. Erasmus deinde in vacuo illo spatio de suo inseruit, ἐνύσταξεν *distillavit verterunt*, nec quidquam amplius postea restitutum est. Hunc locum resarcimus ope mss. reg. Albin., et Mic. lectionem integram, etsi vocibus græcis non parum depravatis, exhibentium. Porro Ambrosius ἔσταξε seu *stillavit.* ser. 4, n. 15, prætulit, idque Origenis auctoritate, qui ut subdit n. 16, postquam *multorum interpretationes diligenti discussit indagine*, STILLAVIT, *secutus est.* Hieronymus vero ex hebræo vertit, *distillavit.*

(*c*) Ita mss. At excusi, *et sana ratio est, et sensus.*

(*d*) Par. *ante quam somno languescit.* Alii vero libri, *dormitat*, etc. hoc est, dormitatio quoddam est somni præludium.

(*e*) In editis, *nunc forte propheta;* abundat *forte*, abestque a nostris mss.

9. *Via veritatis, judicium.* — Dehinc sequitur, VERS. 30 : *Viam veritatis dilexi, et judicia tua non sum oblitus.* Viam multi diligunt, sed non omnes diligunt viam veritatis. Et quicumque aut voluptatum aut divitiarum aut honorum viam ineunt, sed et qui hæreticorum doctrinis vagi et incerti et impii differuntur, in via quidem sunt, sed non sunt in via veritatis. Sed Propheta ex spiritu ejus loquitur, qui assumpto corpore dicturus postea erat, *Ego sum via, veritas et vita* (*Joan.* XIV, 6). Et quia hoc judicium est, secundum quod Evangeliis continetur, *Hoc enim judicium est, ut qui credit in me, habeat vitam æternam* (*Joan.* III, 15 *et* 19) ; merito Propheta ait, *Viam veritatis dilexi, et judicia tua non sum oblitus.* Nobis enim hæc ad cognitionem posterius dicta sunt ; sed Propheta in his et vivit et loquitur.

10. *Testimoniis Dei adhærendo a confusione liberamur.* — Cohæret autem sibi doctrinæ et confessionis propheticæ sermo : ait enim, VERS. 31 : *Adhæsi testimoniis tuis, Domine, noli me confundere* : quia veterum et anteriorum peccatorum veniam testimoniis Domini adhærendo sit meritus. Scit enim verbis Dei dictum esse : *Ecce deleam ut nubem injustitias tuas, et tamquam nebulam peccata tua* (*Esai.* XLIV, 22). Dominus potens est omnia ea (1) quæ (*a*) nobis pudori et confusioni sunt amovere, si et nos dicere cum libertate possimus, *Adhæsi testimoniis tuis.* His enim adhærentes, a confusione pudendorum et anteriorum criminum liberamur.

11. *Gradus ad cursum viæ Dei. Via vitæ angusta.* — Sed concluduntur omnia suo ordine, suis rebus. Superius enim ait, *Viam injustitiæ amove a me* (*b*) : deinde subjecit, *Viam veritatis dilexi* : tertium id sequitur, *Adhæsi testimoniis tuis* : nunc deinde ita finit, VERS. 32 : *In via præceptorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Per gradus ad id ventum est. Viæ iniquitatis amotæ, viæ veritatis dilectæ, testimoniorum indivisibili societate ; ut in via mandatorum Dei curreretur. Sed via quæ ad vitam ducit, et angusta, et tribulata est ; angusta, quia diligenter et caute in ea ingrediendum est ; tribulata, quia per multas **303** tribulationes et passiones aditur. Et insolens Propheta existimabitur qui se viam hanc currere glorietur ?

12. *Non curritur nisi Deus dilatet cor : qui dilatet.* — Meminit autem inter innocentiæ studium, et humilitatis confessionem sermonum suorum moderandam esse virtutem. Idcirco posteaquam dixerat, *In via mandatorum tuorum cucurri*, hoc addidit, *cum dilatasti cor meum.* Dilatatum est cor, quod per fidem capax doctrinæ Dei panditur. Et hoc de credentibus dictum est : *Et inhabitabo et inambulabo in eis* (II *Cor.* VI, 16). Cor igitur dilatatur, in quo sacramentum Patris et Filii residet, in quo capaci habitatione Spiritus sanctus delectatur. Meminit et Salomon dicens, *Sapientia in exitibus canitur, in plateis cum libertate agit* (*Prov.* I, 20). Verbi utriusque hujus latinitas nostra vel obscuritatem nobis affert, vel alterius intelligentiæ opinionem præbet. Nam quod nos in exitibus dicimus, græcitas ex hebræo (2) ἐν ἐξόδοις transtulit. Et exodus proprie est, ubi ex multis angustis viis in unam patentem viam coitur. Quod vero nos plateas nuncupamus, eodem nomine græcitas (πλατείας) nuncupavit. Sed plateas latitudines esse græcus sermo designat : et nos putamus has esse urbium vias. Ergo Sapientia, quæ Christus est, in via illa, in qua nobis ex multis egressus est, canitur : in latitudinibus autem cum libertate agit, in quibus non solum habitare, sed etiam deambulaturam se esse promisit. Ergo viam Domini Propheta libere currit, posteaquam dilatato corde esse cœpit. Non enim ante potuit viam Dei currere, quam ipse ille digna et ampla Deo efficeretur habitatio (3) (*c*).

304 LITTERA V.

ה He.

Legem statue mihi, Domine, viam (Hil. *viæ*) *justificationum tuarum : et exquiram eam semper. Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam, et custodiam* (Hil. *servabo*) *illam in toto corde meo. Deduc me in semitam* (Hil. *in semita*) *mandatorum tuorum : quia ipsam volui. Inclina cor meum in testimonia tua, et non in utilitatem. Averte oculos meos ne videant vanitatem : in via tua vivifica me. Statue servo tuo eloquium tuum in timore tuo. Amputa opprobrium meum quod suspicatus sum ; quia judicia tua jucunda. Ecce concupivi præcepta tua : in æquitate tua vivifica me.*

1. *Latina versio græcam non satis expressit. Lex viæ justificationum Dei optatur.* — Inusitatam ac novam deprecationem Prophetæ in primo quintæ litteræ versu invenimus. Ita enim cœpit, VERS. 33 : *Legem statue mihi, Domine,* (*d*) *viæ justificationum tuarum.* Sed rationem consequi versus hujus ex latina interpretatione difficile est. Per conditionem enim sermonis nostri communis non ita absolute potuit virtus verbi et hebraici et græci explicari. Græci namque ex hebræo transtulerunt, νομοθέτησόν με, κύριε, τὴν ὁδὸν τῶν δικαιωμάτων σου. Orat enim in hoc versu, ut sibi lex statuatur justificationum : et quod græce est νομοθέτησον, ad ejusdem sensus intelligentiam latinitas explicare non potuit. Propheta ergo orat, ut viæ justificationum suarum legem sibi Dominus constituat, id est, ut qua lege viam justificationum Dei adeat, intelligat

nomen consignatur : *Scribit antiquarius Eutalius.* Exinde prænotata He littera, in primo quem tantum recitat versiculo, legit *pone* pro *statue*, et *viæ* pro *viam.*

(1) *Quæ in nobis pudoris et confusionis sint.*
(2) Ἐξόδους.
(3) *Amen* rejecimus, quia neque in nostro neque in reliquis apparet mss. Hic post consueta illa, *Littera IV explicit. Incipit littera V feliciter*, librarii

(*a*) Editi, *quæ in nobis pudoris et confusionis sunt.* Elegantior est lectio mss.
(*b*) Auctoritate mss. expunximus hic, *et in lege tua miserere mei*, quæ et supervacanea esse constat ex subjectis.
(*c*) Abest, *amen*, a mss.
(*d*) In vulgatis, *viam justificationum.* Quod et in mss. occurrit semel in fine, forsitan ex librariorum lapsu : nam in cæteris constanter habent *viæ*, sicque legendum liquet.

et sciat. Non enim viæ tantum ait, sed *justificationum viæ* postulat *legem*.

2. *Lex viarum communium. Lex viæ populi ex Ægypto exeuntis.* — Et quæ tandem justificationum viæ lex erit? Nam in communibus et terrenis viis legem meminimus esse (1) in (*a*) spatiis mensuras : cum passuum mille intervallo quædam legis viæ signa statuuntur, (*b*) cum mansionum **305** requies disponitur, cum usque ad urbem (*c*) refectioni viantium congrua rursum mansionum intervalla dimensa sunt. Sed etiam tum cum ex Ægypto populus per rubrum mare pedes transiit, legem quamdam viæ fuisse meminimus (2) ei (*d*) non humani arbitrii judicio, sed divini, constitutam in columna ignis et nubis. Nam cum oporteret populum iter agere, columna ignis nocturno tempore anteibat, sed die vero columna nubis (*Exodi* XIII, 21). At cum placitum Deo fuisset diu in iisdem castris populum contineri; columna neque ignis noctu provehebatur, neque nubis de die anteibat. Legem itaque hanc viæ statuit. Et si diligenter stationes eas, mansionesque castrorum, et conditiones locorum quæ Exodo XV et seqq. continentur, retractemus; magna in ipsis cœlestis itineris mirabilia cernemus. Ob quod frequenter Propheta oravit, dicens, *Considerabo mirabilia de lege tua* (*Ps.* CXVIII, 18). Sed non jam istis se viæ legibus contineri Propheta orat : non enim viæ legem, sed *viæ justificationum* poscit.

3. *Via multiplex. Cujus viæ legem exoptet David.* Scit esse viam testimoniorum, cum dicit : *In via testimoniorum tuorum delectatus sum*. Scit esse viam præceptorum, cum ait : *Viam præceptorum tuorum cucurri*. Novit esse viam legis, cum : *Beati sunt qui ambulant in lege Domini*. Scit esse hanc viam justificationum, de qua nunc deprecatur. Scit etiam esse viam in Prophetis, scit esse viam in Evangeliis, scit esse viam in Apostolis, de quibus sæpe testatus est. Vult ergo per legem viæ hujus, usque in perfectam illam vitæ viam tendere. Plures enim sunt hæreticorum, qui viam legis (3) probant (*e*), plures qui prophetarum, multi qui Evangeliorum, multi qui apostolorum. Scimus etiam quosdam non omnibus his viis esse contentos. Sed scriba doctus novit divitis patrisfamilias exemplo de thesauris proferre vetera et nova (*Matth.* XIII, 52). Hanc igitur justificationum viæ legem Propheta desiderat. Lex enim justificationum quibusdam religiosi cordis disciplinis continetur, et intra fines nos constitutionis suæ quibus (*f*) se uteremur arctavit : ne excedentes eos, ad opiniones hæreticæ **306** intelligentiæ evagaremur. Non vult igitur ab ea lege excedere, quam constitui sibi orat.

4. *Ad quid.* — Sed in quam causam hanc legem orat institui? Scilicet ut exquirat eam. Lex erat justificationum per Moysen scripta : et hanc Propheta operibus exercebat. Non ergo hanc statui sibi orat, quæ jam statuta erat, et ab eo religiose agebatur; sed eam quam optat inquirere. Quid ergo optat inquirere? Finem scilicet legis. Et quis erit finis legis? Apostolum audiamus : *Finis enim legis Christus est* (*Rom.* X, 4). Sed per has justificationum vias, quibus statuta lex fuerit, finem legis optat exquirere :

(1) *Spatii mensuris.*
(2) *Et* pro *ei.*
(3) *Improbant.*

(*a*) Ms. Mic. *in spatii mensuris.* Hæc viæ lex maxime milites spectat, de qua Ambrosius in hunc eumdem locum; *Miles, qui ingreditur iter, viandi ordinem non ipse disponit sibi.... nec voluptuaria captat compendia, ne recedat a signis; sed itinerarium ab imperatore accipit.*

(*b*) In duobus mss. deest, *cum mansionum requies disponitur.* Mansionis vocabulum frequens est in itinerario peregrinationis Jerosolym., ubi variæ viatorum stationes mansionum, mutationum ac civitatum nominibus indicantur. Eodem verbo utitur Julius Papa apud Athanasium, p. 748, ubi canones ostendit temeratos ab eis, qui Gregorium hominem externum Alexandriæ episcopum salutarunt Antiochiæ, loco ab Alexandrina urbe *triginta sex mansionibus* dissito. Julii epistolæ consentit Antonini itinerarium, in quo Antiochia Alexandriam proficiscentibus triginta sex loca assignantur. Si vera est Godefridi Hermanni opinio, qua putat notis in c. 9 lib. V Vit. S. Athanas. mansionem a Julio vocati dimidiatam diurni itineris partem, dicendæ erunt mansiones hospitia aut prandendi aut pernoctandi causa destinata. Sed cum itinerarium illud non tam expedito et ad scopum properanti viatori dictum sit, quam militi onusto, cujus vires adversus hostem infractæ servandæ essent, non constat singulis illis mansionibus dimidiatam tantum diurni itineris partem esse intelligendam. Cum autem Tobiæ VI, 1, dicitur, *Mansit prima mansione juxta fluvium Tigris*, ibi exprimi videtur locus, quo Tobias prima itineris sui die pervenit, et ubi pernoctavit. Mansiones ut plurimum non multum inter se distant. Neque etiam æquales sunt, uti Ambrosius in hunc Ps. serm. 5, n. 5, diserte docet. Ac licet ibid. n. 2 *stativas* vocet eas sedes in quibus exercitus, postquam triduo ambulasset, quarto requiescebat die; tamen n. 3 et 5, stationes filiorum Israel in deserto indiscriminatim nominat et *stativas* et *mansiones*.

(*c*) Sic mss. concinnius quam vulgati, *refectione.* Rursum hæc Ambrosii verbis juverit illustrare. *Eliguntur*, inquit, *civitates, in quibus triduum, quatriduum, et plures interponantur dies, si aquis abundant, commerciis frequentantur.* En Hilario nostro *intervalla viantium refectioni congrua.* Quid vero ei sit *usque ad urbem*, cætera Ambrosii sic explicant : *Et ita sine labore conficitur iter donec ad eam urbem perveniatur, quæ quasi regalis eligitur, in qua fessis exercitibus requies ministretur.* Sed et illa intervalla, in quibus viatores aliquot dies requiescebant, *mansionum* nomine ab Hilario designata esse hic legimus : ut mansionem intelligere liceat quamcumque viatorum stationem, sive in ea ad horam, sive ad unum aut plures dies commorarentur. Et hoc quidem alterum ex dictis jam satis liquet, ac præterea confirmatur ex num. 23, 1, ubi 42 loca in quibus filii Israel per desertum pergentes castrametati sunt, *mansiones* nuncupantur. Quo spectat et illud Tob. VI, 10, qui cum pervenisset in civitatem Rages, ait ad Angelum, *ubi vis ut maneamus?* Primum autem, quod nimirum statio ad horam prandii mansio dicta sit, non ita compertum est.

(*d*) In vulgatis *et*, pro *ei* : mendose.

(*e*) Apud Par. *improbant.* In aliis vero editis et scriptis *probant;* eo forsitan sensu, quo tract. superiore, num. 9, dictum est eos qui in hæreticas partes defluunt, in via quidem esse, sed non in via veritatis. Mox duo mss. *Scimus enim*, non *scimus etiam.*

(*f*) Editi, *se verteret* : emendantur ex scriptis.

neque solum exquirere, sed semper exquirere. Ita enim ait : *Et exquiram eam semper*. Officium exquirendi non suffecerat per voluntatem, nisi etiam indefessa ab eo temporis continuatione gereretur.

5. *David prærogativæ cujus legit et qua lege optet intellectum.* — Vers. 34. *Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam, et servabo eam in toto corde meo.* In Proverbiis Salomonis scriptum meminimus, (*a*) *Ininteligendo sapientiam interroganti sapientia deputatur* (*Prov.* xvii, 28, *sec.* LXX). Quo sensu id ostendi videtur, quod qui non intelligat, et sapienter interroget, sapere credatur. Hoc itaque eo (1) profecit, quia Propheta in lege manens, et secundum Apostolum Hebræus ex Hebræis octava die circumcisus, et secundum genus ex tribu Juda (*Phil.* iii, 5), et secundum gratiam corporeæ unctionis et rex electus et christus, et (*b*) secundum sacramentum dominicæ nativitatis dignus cujus filius Jesus Christus esset, tamquam peregrinus legis orat, *Da mihi intellectum et scrutabor legem tuam, et servabo eam in toto corde meo.* Nondum ergo servat, nondum scrutatus est, nondum intelligit. Non ergo de ea lege loquitur, in qua natus est, eruditus est, operatus est Propheta. Sciens itaque primam partem esse prudentiæ, ut quis quod non intelligit, sapientes interroget ; et quod ignorat, intelligat : idcirco intellectum ut accipiat rogat. Sciens vero adepto spiritu intelligendi, studio opus esse scrutandi, ait : *Et scrutabor legem tuam.* Scrutationis autem **307** fructum (*c*) repertæ (2) rei custodiam esse cognoscens, dixit, *Et servabo eam.* Intelligens vero perfectam custodiæ diligentiam in toto esse cordis officio, consummavit omnem sermonis sui ordinem, dicens : *Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam, et servabo eam in toto corde meo.*

6. *Legis ritus varii.* Sed quid tandem istud est, quod intelligere optat, quod scrutaturum se et servaturum toto corde promittit? Meminit namque non otiosos dies sex Moysi libro in mundi hujus operatione monstrari (*Gen.* i). Scit non superfluam esse diei septimi requiem (*Gen.* ii, 2). Recordatur (*d*) in mensis novi religione sacramentum festivitatis cœlestis tamquam in speculo figurari (*Exod.* xxi, 2). Novit annum illum, quo post sex annorum servitutem liber Hebræus est (*Lev.* xxv, 4), quo post multam operationem terra requiescit (*Ibid.* 13), fructibus ejus relictis proselyto pauperi et bestiis terræ, quo et debita universa Hebræis omnibus remittuntur. Quinquagesimi quoque anni leges concupiscit scrutari. Vult (*subaud.* scrutari) quæ sit in primo mense decimi diei usque in quartam decimam, et deinde usque in vigesimam primam religio. Illam quoque septimi mensis cogitat solemnitatem, cujus memoriale in tubis est (*Levit.* xxiii, 24); decimi quoque diei in eo placationem (*Ibid.* 27), et post quintam decimam in tabernaculis dierum octo lætitiam (*Ibid.* 34), quomodo ex his et sancta prima, et octava sit sancta (*Ibid.* 35 *et* 36). Scit circumcisionem primam fuisse (*Gen.* xvii, 10), scit et iteratam per Jesum esse gestam (*Josue.* v, 2). Azyma sancta desiderat, (3) litare (*e*) pascha concupiscit, de quo in agni ipsius immolatione scriptum est, *Hoc est pascha Domini* (*Exodi* xii, 11). Terram repromissionis, terram fluentem lac et mel scit nondum vere a populo, qui secundo est circumcisus, obtentam. Ob hæc igitur intellectum orat; hæc intelligens, scrutaturum se pollicetur; hæc scrutatus, servaturum se professus est; hæc servans in toto corde custodiet.

7. Post quæ sequitur, Vers. 35 : *Deduc me* (4) *in* (*f*) *semita mandatorum tuorum ; quia ipsam volui.* Et in hoc nunc versu, sermonis virtus non proprie per conditionem translationis expressa **308** est. Nam id quod nostri ita dixere, *Deduc me in semita*, græcitas sic locuta est : ὁδήγησόν με ἐν τῇ τρίβῳ. Et id quod cum illis τρίβος dicitur trita et frequentata discursibus semita intelligitur : nobiscum autem semita dici potest, et esse semita, et esse non trita. Ergo quia græcitas utrumque eadem nuncupatione completa est, nos quoque ita sentiamus; et semitam eadem (*g*) sciamus esse quæ trita est.

8. *Via mandatorum trita a sæculo.* — Et observandum est, quod hic non legis, sed *mandatorum* semitam esse dicat. Via enim (*h*) legis a Moysi gradientio mox suo ordine veniet, sed *messis primitivorum*, cujus exstat præceptum Exodi xxiii, 16. Quæ festivitas cum eodem Exodi loco, 15, etiam *mensi novorum* nuncupetur, cumque Paulus Hebr. xii, 23, beatorum cœtum vocet *Ecclesiam primitivorum* ; non immerito prædicat Hilarius *in mensis novi religione sacramentum festivitatis cœlestis figurari*, hoc est tempus illud beatum, quo sancti post transitum hujus sæculi vita et corpore renovati operum suorum fructus percipient.

(1) *Profecit.*
(2) *In repertæ rei custodiam.*
(3) *Lætari.*
(4) *In semitam*; mox, *quia ipse volui.*

(*a*) Quidam mss. *intelligendo :* librariorum lapsu. Verius Mic. *ininteligendo.* Sic lib. x de Trin. n. 30, et lib. xi, n. 47, *ininteligentia* pro intelligentiæ inopia ponitur. Excusi autem, *ignorando sapientiam sapienter interrogantibus*, etc. Et quamvis adverbium *sapienter* exstet in mss. Reg. et Albin. rectius tamen abest a Mic. Alias hujus loci interpretationem subjicienti Hilario dicendum fuisset, *ostenditur*, non *ostendi videtur.* Miciacensi ms. consonat græcum, ἀνοήτῳ ἐπερωτήσαντι σοφίαν σοφία λογισθήσεται.

(*b*) Bad., Er., Lips. ac duo mss. *sacramento dominicæ nativitatis.* Sola editio Par. *secundum sacramentum sacramento dominicæ*, etc. Sinceram lectionem exhibet prædictus codex Miciacensis.

(*c*) Par. *in repertæ rei custodia*, editiones aliæ, *hujus rei custodiam* : castigantur ex mss.

(*d*) Miciacensis codex, *in mensis septimi religionem sacramenti festivitatis*, aliis male prælatus est ab editore Parisiensi. Non enim hic memoratur solemnitas tubarum mense vii a Judæis celebrata, cujus mentio mox suo ordine veniet, sed *messis primitivorum*, cujus exstat præceptum Exodi xxiii, 16. Quæ festivitas cum eodem Exodi loco, 15, etiam *mensi novorum* nuncupetur, cumque Paulus Hebr. xii, 23, beatorum cœtum vocet *Ecclesiam primitivorum* ; non immerito prædicat Hilarius *in mensis novi religione sacramentum festivitatis cœlestis figurari*, hoc est tempus illud beatum, quo sancti post transitum hujus sæculi vita et corpore renovati operum suorum fructus percipient.

(*e*) Ms. Mic *lætare.* Alii duo, *lætari.*

(*f*) Par. hic et infra, *in sēmitam :* dissidentibus aliis libris et græco.

(*g*) Ita mss. Editi vero, *equidem sciamus.*

(*h*) Bad., Er., Lips. ac tres mss. *legis Moysi gradienda est*, omisso deinde verbo *habuit.* Præferimus lectionem Par. et ms. Mic. qua significatur legem Moysi ævo tunc primum habuisse qui in ea *grade rentur*, proindeque ab initio sæculi tritam *non fuisse*

tes, postquam ipsa constituta est, habuit. Cæterum mandatorum idcirco semita est, quia in mandatis Dei jam a sæculi institutione (1) perrectum sit. In hac enim semita et Abel cucurrit, et Seth institit, et Enoc placuit, et Noe reservari meruit, et Melchisedech et benedicere potuit et decimas accepit, et Abraham amicus Dei est, et Isaac hæres est, et Jacob Israel est, et ex Juda expectatio gentium est, et (*a*) Joseph in testimonium positus est, Job a Lege liber de hoste legis triumphat, et Hebræum Moyses vindicat, et Jesus secundo Israel circumcidit, et Samuel dignus in unguendo rege deligitur.

9. *Duce ad eam nobis est opus. Dux Christus.* — Et nunc in hac orat se hic et unctus et rex et propheta deduci. Scit enim imbecillam sibi esse naturam, neque se posse hanc semitam sine duce aggredi. Dux (*b*) enim est omnibus hac semita pergentibus Deus. Dux enim est, cum dicitur, (*c*) *Retro post Dominum Deum tuum ambula, et ad eum adhæreto* : et rursum: *Retro post eum ambula, quoniam ipse te deducet* (*Deut.* XIII, 4). Deducit autem, cum ait, *Qui non tulerit crucem suam, et secutus me fuerit, non est me dignus* (*Matth.* X, 38). Deducit etiam, cum prior omnem evangelicarum passionum semitam trivit. Si Apostoli docent, prior ille docuit; constituit enim Sapientia amicos Dei et prophetas (*Sap.* VII, 27). Si juste nunc aliquid geritur a nobis, princeps justitiæ nostræ est; est enim ipse justitia (I *Cor.* I, 30). Si ob fidem (*d*) ad terrorem flagellamur, flagellis ille dorsum suum præbuit. Si alapis ad injuriam **309** cædimur, has ille suscepit. Si in contumeliam conspuimur, faciem suam ille non avertit a sputis.

10. *Legem scil. diligentibus.* — Dux in omnibus ille est: sed dux est diligentibus legem, quam superius se toto in corde custoditurum propheta professus est. Non enim hic secundum sermonem græcitatis, cum dicitur: *Quia ipsam volui*, ad semitam mandatorum referri potest: quia (*e*) in græco ubi fœminino genere semita scripta est, (2) id quod vellet, masculino genere pronuntiat, (*f*) dicens, ὁδήγησόν με ἐν τῇ τρίβῳ τῶν ἐντολῶν σου, ὅτι αὐτὸν ἠθέλησα. Lex enim a nobis fœminino genere nuncupatur, quæ græce νόμος dicta est, (3) quod ab his genere masculino enuntiatur. Et cum illic fœminino genere semita nuncupetur; id quod voluit, ad id refertur, quod per masculinum genus græcitatis proprietate memoratum est.

11. *Omnia ex Dei munere.* — Sequitur nunc, VERS. 36: *Inclina cor meum in testimonia tua, et non in utilitatem.* Omnia propheta ad munus Dei retulit, sive ut lex (*g*) viæ justificationum sibi statuatur a Domino, sive ut sibi intelligentia præstetur, sive ut deducatur in semita, sive ut cor ejus in testimonia inclinetur, id est, in ea quæ sub testibus scripta sunt. Teste enim cœlo et terra lex tradita est (*Deut.* XXX, 19).

12. *Objectio et responsio.* — Sed forte per hanc prophetæ religiosam modestiam, quisquam impie loqui ita audebit: Si, inquit, omnia a Deo sunt, humana ergo ignorantia caret culpa; cum nihil obtinere possit, nisi quod donatum a Deo sumpserit. Et primum hoc (*h*) impietatis **310** est voluntas, existimare idcirco se ea quæ sunt credentium propria non consequi, quod sibi a Deo indulta non fuerint. Sed omnem occasionem hujus impiæ excusationis propheta submovit. Primum enim cum orat, conveniens infirmitati suæ egit officium: dehinc Dei muneribus humanæ devotionis studia connexuit. Cum enim ait, *Legem mihi statue, Domine,* (4) *viam* (*i*) *justificationum tuarum;* quid secundum orationis nostræ humilitatem (*j*) Dei esset ostendit. Cum autem subjecit, *Et exquiram eam semper;* officium devotionis suæ protulit. Et in cæteris quoque utrumque quodam complexu sibi invicem colligavit: cum deduci se in semita postulavit, et cum id ipsum voluit. Prius enim quæ a Deo sunt cum honore præposuit; et (*k*) tunc quæ hominis sunt cum

(1) *Percursum sit.*
(2) *Id quod velle se ait.*
(3) *Ob quod aviis* (l. *ab iis*) *masculino enuntiatur.*
(4) *Viam præceptorum tuorum.*

(*a*) In ms. reg. *Josue* : male, cum hic allusio fiat ad illud ps. LXXX, 6, *Testimonium in Joseph posuit.* Nec vero Hilarius legere solet *Josue,* sed *Jesus.* Vide similia lit. 19, n. 12, et in psal. LII, n. 9.

(*b*) Verba, *Dux enim est omnibus hac semita pergentibus Deus*, nunc primum restituuntur ex mss. Vatic. et Mic.

(*c*) Sic Par. ex ms. Mic. Alii autem libri, *Retro post eum ambulabis, quoniam ipse te deducet. Deducit autem,* etc., nisi quod Vaticanus his verbis præmittit, *cum dicitur Petro.* Si quid liceret de nostro corrigere restitueremus, *Retro post Dominum Deum ambula, et ad eum adhæreto; quoniam ipse te deducet* : maxime cum Ambrosius in hunc eumdem versum subjiciat: *Non potest alius hoc dicere, nisi qui illud sequitur quod scriptum est: Post Dominum Deum tuum ambulabis, et ipsi adhærebis quia ipse te deducet.* Nec satis liquet ubi duo illi doctores scriptum viderint, *quia ipse te deducet.*

(*d*) Excusi, *ob terrorem.*

(*e*) In vulgatis, *græcitas*, lectio ambigua nec satis cohærens cum sequentibus. Nam paulo post, *id quod vellet*, vel ut habet Vaticanus codex, *id quod velle se ait*, ad prophetam referendum est.

(*f*) Verbum *dicens* omittunt editi cum toto græco sequenti, cujus loco in duobus mss. apposita nota e regione ascribitur, *deest græcum.* Hoc supplemus e duobus aliis mss. In editione tamen LXX, modo extat αὐτὴν, non αὐτόν. Idem quoque pronomen ad semitam referunt Aquila, Symmachus, Theodotio, quinta et sexta editio.

(*g*) Ex mss. Vatic. et Mic. revocatur vox *viæ*, quæ prius desiderabatur.

(*h*) Editi, *impiæ est voluntatis.* At mss. *impietatis est voluntas:* quo loquendi modo solet Hilarius voluntatem obstinatam et impietati velut ex professo addictam designare.

(*i*) Reg. ms. cum Albin. necnon Bad. et Er. *viam præceptorum tuorum.* Hoc tantum loco in mss. deprehendere est *viam*, et non *viæ.*

(*j*) Par. ex ms. Mic., *quid Dei esset*, perperam repetitio *quid.*

(*k*) Ita unus codex Vatic. favente Mic., consentiente etiam editione Par., nisi quod in hac, omissa particula *atque*, legatur deinde *confusione* pro *confessione.* Brevius autem alii libri, *et tunc quæ a se cum confessione subjecit.* Hoc loco. sed maxime lit. 14, n. 20, videtur Hilarius prædicare initium quoddam bonæ voluntatis et fidei esse ex nobis, qua possimus Deum orare, ut ipse perficiat, quod nostra non valet infirmitas. Cui doctrinæ adversatur illud Concilii Araus. II, can. 25:

humilitatis atque officii sui confessione subjecit. Orat igitur ut Deus tribuat. Est ergo a nobis, cum oramus, exordium; ut munus ab eo sit: deinde quia de exordio nostro munus ejus est, ex nostro rursum est ut exquiratur (*a*) et obtineatur et maneat.

15. *Avaritia et utilitas qui idipsum.* — In eo autem quod ita se habet, *Inclina cor meum in justificationes tuas*, et *non in utilitatem;* quidam transtulerunt, *Inclina cor meum* (1) *in* (*b*) *testimonia tua, et non in avaritiam.* Id quod in hebræis codicibus continetur, ambigua (*c*) (2) in definitione utrique intelligentiæ opportunum est. Sed nos, sicut oportet, sequimur Septuaginta interpretum religiosam et antiquam auctoritatem, ex judicio tamen cæterorum translatorum proprietatem intelligentia (3) cujusque (*d*) ⁂ desiderio coaptantes. Cum enim hi dixerint, *in utilitatem*, illi dixerint, *in avaritiam;* per idipsum quomodo utilitas hic nunc sit subjecta noscetur. Nam sæculi homines pecuniam, argentum, aurum, et cætera opum instrumenta utilitatem vocant. Ergo cum in Dei testimonia inclinari cor suum, et non in utilitatem propheta orat, inclinatum in Dei testimonia cor ab his sine dubio refert, quæ humano judicio existimantur utilia. Et quidem intelligentiæ nostræ sensum versus qui consequitur confirmat:

14. *Quos oculos, a qua vanitate averti par est.* — Ait enim, VERS. 37: *Averte oculos meos, ne videant vanitatem, et in via tua vivifica me;* vanitatem eorum docens, quæ ab hominibus existimantur utilia. Et quærendum est quos oculos, et a qua vanitate oret averti. Orat autem et animi et corporis oculos (*subaud.* averti), eos scilicet qui theatralibus ludis captivi incubant, eos qui Circensium certaminibus serviunt, eos qui vestium pretia mirantur, eos quos auri splendor et gemmarum varietas occupat. Nisi forte non magis equorum cursu astrorum cursus est gratior; et obscœnis illis spectaculorum turpium fabulis, non amœnius divina illa humanæ spei eloquia (4) cantantur (*e*). Nisi forte huic terrenorum metallorum usui, non magis æternitatis repositæ divitiæ, honor et gloria præferetur: et blandior mihi erit auri species, quam hominis et terræ et lucis et cœli. Ab eorum igitur vanitatibus averti oculos et hos corporis sui, et illos animæ deprecatur: de quibus obcæcatis ⁂ beatus Apostolus docet, cum ait, *In vanitate sensus eorum intenebrati*, *alienati* (*f*) *a vita Dei* (*Eph.* IV, 18).

15. *Oculorum a vanitate aversorum præmium.* — Et aversorum oculorum a vanitate (5) quod præmium sit, (*g*) non longe requirendum est. Sequitur enim, *Et in via tua* (*h*) *vivam.* Declinandi enim a vanitate sunt oculi, ut nobis in via Dei vita sit: non ea vita quæ nunc est, sed ea quæ in cœlis reposita est, et in Christo absconsa. Ita enim (6) in omni hoc psalmo locutus est, tamquam victurus sit (*subaud.* tamquam),

(1) *In justificationes tuas.*
(2) *Ambiguo.*
(3) *Hujus, quæ est difficilis, captantes*, ut in prioribus editionibus.
(4) *Cantarent.*
(5) *Quod primum præmium sit.*
(6) *In hoc loco propheta locutus est.*

Hoc etiam salubriter profitemur et credimus, quod in omni opere bono non nos incipimus, et postea per Dei misericordiam adjuvamur; sed ipse nobis nullis præcedentibus meritis et fidem et amorem sui ipsius inspirat. Et can. 3 ne propter humanam orationem gratia conferri credatur: *Si quis ad invocationem humanam gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere ut invocetur a nobis, contradicit Esaiæ*, etc. Hinc Augustinus epist. 194, ad Sixtum n. 10: *Ne se vel ipsius orationis meritum extollat..... fides orat quæ data est non oranti, quæ utique nisi data esset, non oraret.* At excusatur Hilarius, quod ante exortam Pelagianorum hæresim scripserit: quo tempore dixit et Optatus Milevit. lib. II: *Nostrum est velle, nostrum est currere, Dei perficere.* Ita et Basilius lib. de Pœnit. μόνον δέλησον, καί Θεὸς προαπαντᾶ. Augustinus lib. I Retr. c. 23, initium fidei ex nobis sese alias asseruisse confitetur. Imo Hieronymus contra Pelagianos agens lib. III: *Ubi autem*, inquit, *misericordia et gratia est, liberum ex parte cessat arbitrium, quod in eo tantum est ut velimus atque cupiamus, et placitis tribuamus assensum. Jam in Domini potestate est, ut id quod cupimus, quod laboramus, illius ope et auxilio implere valeamus.* Præterea ex constanti Hilarii doctrina liquet tunc in Ecclesia fuisse creditum, omnia Dei gratiæ esse tribuenda, ut nihil homini unde gloriaretur reliquum esset. Sed cum æque crederetur hominem esse liberum, cum gratia cooperari, et meritis operum aut gloriam aut pœnam æternam esse reddendam; factum est ut cum fidem de libero arbitrio illæsam vellet, voluntati humanæ plus justo tribuisse videretur. De hac re fuse actum est in præfatione generali.

(*a*) In uno e mss. Vatic. *ejus est ut obtineatur:* glosema.

b) Duo mss. *in justificationes tuas.*

(*c*) Unus codex Vatic. *ambiguum.* Tum excusi cum duobus mss. *in definitione utriusque sententiæ positum est*, excepto tamen Par., in quo habetur *opportunum est.* Retinemus lectionem ms. Mic. Utrique illi intelligentiæ revera subjicitur vox hebræa. At apud Septuaginta, quos se hic sequi profitetur Hilarius, modo legimus πλεονεξίαν, quod vocabulum *utilitatem* minime significare hic annotat Erasmus. Porro Ambrosius ipse legens *in avaritiam*, versionem quæ *in utilitatem* præferebat antiquiorem fuisse innuit his verbis: *Utilitatem alii habent: et puto quod ideo mutatum sit* (ac positum *avaritiam*), *quia utilitas bonæ rei videtur esse expetenda potius quam declinanda:* ac subinde indicat se præferre *in utilitatem*, quamvis Hilarii nostri ad instar interpretationem suam utrique lectioni aptet.

(*d*) Bad., Er., Lip. cum quatuor mss. *intelligentiæ hujus quæ est difficilis captantes:* quod interpolatorem sapit. Sincerior est lectio Par., quæ est et ms. Mic. quamque confirmat Ambrosius Serm. 5, in hunc psal., n. 26, simili fere loquendi modo utens.

(*e*) Apud Par. *cantarent.* Hic insinuatur usitatus jam tum Scripturam cantus cum quadam suavitate. Ex hoc eodem loco Ambrosius ansam capit populos a spectaculis revocandi. Quod ut facilius assequatur Augustinus, Hilarii nostri ad modum, tum plurimis locis, tum maxime in psal. XXXIX, n. 9, eos invitat ad spectacula christiana.

(*f*) Par. cum ms. Mic. *a via Dei:* renit. aliis libris et sacro textu græco et latino. Sic et apud Ambrosium n. 30, licet retentum sit *a via Dei*, admonitus est lector extare in decem mss. *a vita Dei.*

(*g*) Editi *longe*, vel *in longe*, omissa prius particula negante. Hanc supplemus ex mss.

(*h*) Ita codex Miciacensis, ubi in aliis *vivifica me*, cum qua lectione non satis conveniunt et quæ præcedunt et quæ sequuntur.

non modo vivat. Erigendi igitur oculi sunt, quibus Christi potius gloria, quam mundi hujus inania et vana (*a*) cernantur. In via enim Dei, referentes oculos a vanitate, vivemus.

16. *Dei verba cum timore excipienda.* — Dehinc sequitur, VERS. 38 : *Statue servo tuo eloquium tuum in timore tuo.* Novit a plurimis propheta eloquia Dei sine metu suscipi. Plures enim auditas cœlestis eloquii Scripturas tamquam fabulam rerum inanium negligunt, et Dei verba, quæ præterire cœlo et terra prætereunte non possunt, magno cum periculo irreligiosæ temeritatis irrident. Novit initium sapientiæ esse Dei timorem (*Psal.* CX, 10). Novit in illa septiformis Spiritus gratia timorem in postremo tamquam firmamentum eorum quæ superius sunt dicta numerari (*Esai.* XI, 2). Constitui ergo in se Dei eloquia in timore Dei deprecatur : quia scit ea nobis eloquia futura esse, quæ tamquam Dei timebuntur, utilia. Dehinc adjecit, VERS. 39 : *Circumcide opprobrium meum quod suspicatus sum : quia judicia tua jucunda.* Propheta in corpore positus loquitur, et (1) neminem viventium scit (*b*) sine peccato esse posse. **313** Unum meminit esse qui peccatum non fecit, neque dolus inventus est in ore ejus. Ergo cum circumcidi a se opprobrium deprecatur, peccata circumcidi orat ; quia peccatum sequatur opprobrium. Sed cum circumcidi a se orat, non tamquam de admisso perpetratoque confessus est ; sed quia id per infirmitatem carnis suæ in se suspicatur habitare. Non enim ait, Circumcide (*c*) opprobrium quod in me est : sed ait, *Circumcide opprobrium meum quod suspicatus sum*, suspicionem opprobrii ex conscientia propriæ infirmitatis ostendens. (2) In (*d*) judiciis enim multi ad opprobrium resurgent. Quæ quia his jucunda sint, in quibus peccati non manebit opprobrium ; ipsam illam quæ in se est suspicionem a se circumcidi orat opprobrii, ut sibi Dei sint jucunda judicia.

17. *Deus quos vivificet.* — Ac ne de (*e*) admissi peccati conscientia precatus esse existimaretur, orationem omnem quam sub singulis octonis versibus defert, hac libertate conclusit, VERS. 40 : *Ecce concupivi præcepta tua : in æquitate tua vivifica me.* Superius oravit, ut in Dei timore Dei in se statuerentur eloquia ; dehinc ut a se suspicio circumcideretur opprobrii : nunc concupiscentiam ac desiderium suum erga Dei præcepta demonstrat, et ut in æquitate Dei vivificetur orat ; sciens proprium divinæ æquitatis esse munus, ut vivificet eum, qui et præcepta Dei desideraverit, cui et circumcisa opprobrii suspicione jucunda judicia sint, et in timore Dei in se constituantur eloquia. (3) (*f*)

LITTERA VI.

ו Vau.

Veniat (Hil. *Et veniat.*) *super me misericordia tua,*

(1) *Nemo.*
(2) *In judicio.*

(3) Sustulimus *Amen ;* quod a nostro quemadmodum et a cæteris mss. abest.

(*a*) Par. ex ms. Mic. *cernuntur. In vitam enim Dei ;* et mox solus ms. Mic. *venimus*, pro, *vivemus.* Ita lectio hæc non spernenda, ut quomodo superius dicti sunt *alienati a vita Dei*, qui oculos a vanitate non avertunt ; nunc contra dicantur *in vitam Dei venire* qui avertunt.

(*b*) Hunc locum censoria virgula notans Erasmus ad marginem adscripserat, *Immo multi nunc sunt.* Contra Pelagius hominem etiam sine Dei gratia ab omni peccato abstinere contendens, apud Augustin. lib. de Nat. et Grat. c. 62, n. 72, Hilarium ad suas partes trahere conabatur, eo quod dixerit, uti putamus, in Job : *Quas Job litteras legerat, ut abstineret se ab omni re maligna quia Deum sola mente vitiis non admixta venerabatur. Deum colere, justitiæ propriüm officium est.* Ex Augustini ad Pelagium responsis facile conciliantur dicta et ab Erasmo reprehensa, et a Pelagio pravam in sententiam detorta. Ad hoc sufficit Augustini definitio, qua quid sit esse sine peccato declaratur : *Ipse*, inquit loco laudato, *sine peccato esse verissime dicitur, in quo nullum habitat peccatum, non qui per abstinentiam mali operis dicit : Jam non ego operor illud.* Et paulo ante : *Abstinet enim se ab omni re mala, etiam qui habet peccatum quod in se regnare non sinit, cui forte subrepit improbanda cogitatio, quam pervenire ad finem operis non permittit. Sed aliud est non habere peccatum, aliud non obedire desideriis ejus.* Verum Hilarii interpretem fuisse Augustinum non est ut multis approbemus ; cum ipse hoc loco, quam idipsum intelligat esse sine peccato, statim declaret his verbis : *Sed cum circumcidi a se orat, non tamquam de admisso perpetratoque confessus est ; sed quia*, etc. Clarius lit. 4, n. 8 : *Meminit in corpore suo viam inesse peccandi : tamen per timorem Dei a peractione peccati omnis alienus est.* Vult igitur tantum neminem esse sine lege ac radice peccati, nec negat quosdam esse sine actu ac reatu peccati. Ubi enim non jam vitiosam illam radicem, sed opera spectat, de ipso David litt. 19, n. 6, asserere non dubitat : *In operibus quidem bonitatis totius ipse perfectus est :* et supra in loco, quo abutebatur Pelagius, diserte prædicat quod Job *abstineret se ab omni re maligna.* Itaque per se cadit Erasmi censura. Sed et Pelagii hæresis ex ipsis verbis quæ in sui patrocinium affert evertitur. Ubi enim Hilarius rationem subjicit cur Job ab omni re maligna abstineret, innuit eum non caruisse innata radice vitiorum (quibus nos ad omne criminum genus inclinari docet litt. 13, n. 8), sed tantum vitiis illis, cum prompta essent consensum negando, mentem eum non admiscuisse. Vim hujus verbi *non admixta* expendere licet ex tract. psal. LIII, n. 10, ubi dicuntur mala et supplicia *justis prompta, nec admixta, quia justi sunt*, etc. Sicut enim justi juste vivendo a pœnis propositis se separant, ita carnis cupiditatibus resistendo mentem eis non admiscent, sed eam ab illarum contagione separant. Monendus præterea lector, hunc similesque Hilarii locos piæ de intemerata Mariæ puritate opinioni Ecclesiæ non magis adversari, quam cum Augustinus epist. 167, n. 13, et alibi asserit, neminem hic sine peccato vivere, quibus in locis cum ne sanctissimam quidem illam Virginem excipiat, quia tum animum ad illam non intendebat ; tandem uno in loco lib. de Nat. et Grat. c. 36, diserte declarat se, ubi de peccatis agitur, nullam prorsus habere velle de sancta illa Virgine quæstionem.

(*c*) Editi, excepto Par. necnon reg. ms., *opprobrium meum quod perpetravi, sed ait*, etc.

(*d*) Vaticanus codex, *in judicio enim :* corruptoris ausu, licet vere de judicio extremo hic sermo sit.

(*e*) Excusi, *admissa :* castigantur ex mss.

(*f*) Abest *Amen* a nostris mss.

Domine, salutare tuum secundum eloquium tuum. Et respondebo improperantibus (Hil. *exprobrantibus*) *mihi verbum, quia speravi in sermonibus tuis. Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque* (Hil. add. *nimis*); *quia in judiciis tuis spero* (Hil. *speravi*). *Et custodiam legem tuam semper in sæculum sæculi* (Hil. ad. *et in sæculum*). *Et ambulabam* (Hil. *ingrediebar*) *in dilatione: quia mandata tua exquisivi.* **314** *Et loquebar in testimoniis tuis in conspectu regum, et non confundebar. Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi vehementer. Et erexi manus meas ad mandata tua quæ dilexi* (Hil. ad. *valde*), *et exercebar in justificationibus tuis.*

1. *Scripturas ut sapientia destitutas sunt qui spernant. Nil in iis nisi perfectum.* — Plures secundum Apostolum sunt qui sapientiam sæculi sequentes, sapientiam Dei reprobaverunt (I *Cor.* I, 19 *et* 20) : ob quod stultam fecit Deus sæculi sapientiam. Quid enim infidelibus stultius est, qui præter illum communem irreligiosorum errorem etiam hoc adjiciunt piaculi, ut divina Scripturarum eloquia putent perfectæ doctrinæ carere ratione? Et quia pro impietate ingenii sui divinorum dictorum capaces esse non possunt, ad contumeliam cœlestium verborum pro excusatione hebetudinis suæ prorumpunt, dicentes, nihil in his rationabile, nihil esse perfectum : volentes ea quæ a se dicantur, sola esse erudita, (*a*) et doctrinis veræ prudentiæ expolita ; stulti Deo negantes, quæ assumere ipsi sibi audent. Nec mirum est, si irreligiose de eis opinantur, quorum, (*b*) pecudeæ hebetudinis modo, intelligentiam non consequuntur. Verum quamvis in eo sermone, quem superius habuimus, (*c*) his qui sapientiam Dei sequuntur, cognitam dictorum cœlestium perfectionem existimem, nihilque eorum esse, quod non consummatum atque omni ex parte perfectum sit : tamen id quoque etiam in his sextæ litteræ versibus absolutius licebit intelligi.

2. *Salus nostra Dei munus.* — Post superiorem enim sensum ita loquitur, VERS. *41* : *Et veniat super me misericordia tua, Domine, salutare tuum secundum verbum tuum.* Misericordiam itaque primum deprecatus est, dehinc salutare. Salus enim nostra ex misericordia Dei est, et bonitatis suæ hoc munus in nobis est : et inde cœpit oratio, unde et salus inchoat deprecantis. Dehinc ne ex incerta et ex inopinata spe precari Propheta existimaretur, primum misericordiam, dehinc salutare commemorat, tum tertio subjecit, *secundum verbum tuum* : ut hanc orandi fiduciam proficisci secundum verbum Dei, id est, secundum (1) doctrinam legis ostenderet.

3. Post hunc itaque perfectæ orationis ordinem id sequitur, VERS. 42 : *Et respondebo exprobrantibus* **315** *mihi verbum, quia speravi in verbis tuis.* Tenet ordinem ratio perfecta : Si, inquit, in me venerit misericordia tua, et salutare tuum secundum verbum tuum, et a te fuero misericordiam consecutus, et a te conservatus ut spopondisti; consequens erit, ut his qui insipientiam mihi, et errorem spei, et verbum hoc quod in te spero exprobrant, respondeam. Quid itaque adversus hanc prophetæ responsionem exprobrare irreligiosa mens poterit? Misericordia primum oratur a Deo, salus etiam exspectatur a Deo : et deinde eam spopondisse per verbum suum Deus ostenditur. Concluditur itaque exprobrantium impietas ab his qui in Dei verbis sperant : cum quando Deus (2) precatur (*d*), et misericordiam et salutem ab eo credentium fides sperat, et doctrina hæc spei nostræ sit, ut oratus et misereatur et salvet.

4. *Oratio David Dei misericordia, non suis nititur meritis.* — Dehinc sequitur, VERS. *43* : *Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque nimis; quia in judiciis tuis speravi.* Accipiat humana insolentia humilitatis modestiæque doctrinam. Prius propheta concedi sibi orat, quam se id mereri ut obtineat ostendit. Omnia vult a bonitate Dei in se inchoari: nec tamen causam fiduciæ suæ subtrahit. Ait enim, *Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque nimis.* In quo primum majestatem ejus confitetur qui semper orandus est : dehinc se non ex inani sperare subjecit, dicens, *Quia in judiciis tuis speravi.* Humanæ autem temeritatis est hic mos, prius, ad obtinendum aliquid, meritum quam mereatur ingerere; et eum, a quo quid postulet, tamquam ex officii debito convenire.

5. *Verbi Dei prædicator liber esse debet a crimine.* — Sed non sufficit nobis, ut modestiæ tantum tenuerit Propheta rationem : (3) collocationes etiam verborum virtutesque noscendæ sunt, cur ita dixerit : *Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque nimis.* Omne oris officium, cordis sensui motibusque famulatur. Et cur Propheta ne ab ore sibi verbum veritatis auferatur orat, versus istius consequentia docent. Non enim metum hunc Prophetæ fuisse existimandum est, ut sibi veritatis verbum (*e*) ex corde vereretur auferri : ait enim *Quia in judiciis tuis spe-*

(1) *Ex doctrina.*
(2) *Prædicatur.*

(3) *Collocationis etiam verborum virtutes.*

(*a*) Editi, excepto Par. ac duo mss., *et doctrinæ suæ prudentia expolita.* Alter e Vat. corrupte *et doctrinæ et veræ prudentia spoliata.*

(*b*) Ita ms. Mic. Alii duo *pecudæ.* Vatic. *pecudum*; excusi, *pecuniæ.*

(*c*) In vulgatis *hi*, ac paulo post, *existiment.* Tum apud Par. *nihilque in eo esse.* Absolutior est lectio mss. qua opponit Hilarius prudentibus sæculi prudentes secundum Deum. Illis incognitam dictorum cœlestium perfectionem prædicat, his cognitam : illos velle nihil in iis esse perfectum, his persuasum esse nihil eorum dictorum cœlestium non esse omni ex parte perfectum. Hujus rei testis Augustinus lib. IV de Doct. Christ. n. 9, quærit utrum libri sancti *sapientes tantummodo, an etiam eloquentes nuncupandi sint* : ac respondet : *Ubi eos intelligo, non solum nihil eis sapientius, verum etiam nihil eloquentius mihi videri potest*, etc.

(*d*) Tres mss. *prædicatur.*

(*e*) Editi *ex corde ac ore.* Expunximus *ac ore* auctoritate mss.

ravi. Sperans ergo in judiciis Dei, verbum veritatis A de corde sibi non metuit auferri. Scit autem quædam esse peccata, quæ ex ore verbum auferant veritatis. Peccatori enim dixit Deus, *Quare tu enarras* (1) *justitias meas?* (*Ps.* XLIX, 16.) Non enim ait, Quare immemor (*a*) es justitiarum mearum? sed peccatorem monuit **316** eum, qui in peccato mansisset, prædicationis officio abstinere. Vult enim liberum a crimine esse doctrinæ cœlestis prædicatorem, vult eloquia sua a casti corporis casto ore tractari. Cavendum igitur est, ne quando ex ore nostro verbi veritatis auferatur eloquium. Hinc illud est quod Apostolus monet, *Noli negligere quod in te est charisma* (I *Tim.* IV, 14) : ne per negligentiam ac desidiam indigni prædicatione verbi Dei simus.

6. *Unus sine peccato.* — Sed Propheta non audet B in tantum se a peccato liberum effici velle, ut non meminerit unum solum esse qui peccatum non fecerit, et dolus in ore ejus non inventus, sit et idcirco subjecit, *usquequaque nimis.* Per modestiam scilicet confessionis, et ut non auferatur a se verbum veritatis orat : et per honorem ejus qui unus tantum sine peccato est, ne usquequaque nimis a se auferatur expostulat : quia se hominem meminerit, qui per naturæ infirmitatem sine peccato esse non possit.

7. *Legem, et quæ lege adumbrantur spondet David se servaturum.* — VERS. 44. *Et custodiam legem tuam semper in sæculum, et in sæculum sæculi.* Nullum Propheta vitæ suæ finem pertimescit. Non enim concluditur fides sua sæculis : sed se in infinitatem temporum officio custodiendæ legis extendit. Scit et C altare a Moyse in exemplum esse superioris altaris exstructum. Scit et Aaron sacerdotem ad speciem esse ostensi in monte sacerdotis ornatum. Moysi enim Deus ait : *Vade, fac omnia secundum exemplum, quod ostendi tibi in monte* (*Exodi* XXV, 40). Festinat ergo in leges illas æternorum sæculorum. Nam cum lex futuri umbra sit ; necesse est corpus illud veræ legis æternum sit. Distinxit autem præsens officium ab indefessa illa perpetui officii jugitate, dicens, *Et custodiam legem tuam semper in sæculum, et in sæculum sæculi.* Cum ait, *semper in sæculum;* nullum in hac temporis vita subrependæ oblivionis tempus admisit. Cum autem adjecit, *et in sæculum sæculi*, scit per hanc umbram legis ad (*b*) ministerium veræ et æternæ legis ascendi. Ait enim, *sæculum sæculi*, D tamquam temporis tempus, (*c*) quod succedente quadam vicissitudine hujus sæculi sæculum sit futurum.

8. *Leges Dei post hanc vitam.* — Novit esse, secundum evangelicum divitem et pauperem Lazarum, exemptæ a corpore animæ legem, per quam alia ab alia chao impenetrabili separetur (*Luc.* XVI, 20). Scit secundum apostolum Paulum et resurrectionis quoque esse legem, in qua differt stella ab stella in claritate (I *Cor.* XV, 41). Scit esse (2) leges Angelorum, cum alii (*d*) assistentes Deum indefessa voce collaudant, **317** alii ante conspectum invisibilis nobis Dei tamquam lege officii (3) proprioris (*e*) assistunt. Novit et pusillorum Angelos faciem Dei quotidie ex quadam lege conspicere (*Matth.* XVIII, 10). Scit utique esse æternas leges, et eas omnes se in illo sæculi sæculo custoditurum esse confidit : quia ea quæ per umbram sunt constituta, in hoc nunc sæculo semper observet.

9. *Cordis ampli quis fructus, quæ causa.* — VERS. 45. *Et ingrediebar in dilatatione : quia mandata tua exquisivi.* Non est angustus propheta : et superius jam dixerat : (4) *Viam* (*f*) *præceptorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Scit inter humanarum tribulationum passiones semper ad Deum patulo esse se corde oportere. Quod ipsum Apostolus docet, dicens : *In omnibus tribulati, sed non* (5) *angustiati* (II *Cor.* IV, 8). Novit hac ipsa amplitudine cordis de se idem Apostolus gloriari, cum ad Corinthios ait : *Non angustiamini in nobis, sed angustiamini in vobis* (II *Cor.* VI, 12). Patet etiam hic quoque (*g*) propheta, dicente Deo : *Et inhabitabo in his, et inambulabo in ipsis* (*Ibid.* 16): Angusta igitur sunt peccantium corda, et hospitio Deum mens polluta non recipit. Patulum enim domicilium inconceptibili Deo opus est : et idcirco in amplitudine propheta ambulat, quia in eo (*h*) Dei in se loquentis habitatio est. Causam vero amplitudinis suæ docet, dicens : *Quia mandata tua exquisivi.* Naturæ nostræ consuetudinem recordemur, quotienscumque lectioni vacantes mandata Dei et præcepta scrutamur, in quantam amplitudinem intelligentiæ mentium nostrarum dilatantur angustiæ, et quam patulus nostræ humilitatis in desideria divina fit sensus. Per peccatorum autem nostrorum conscientiam coarctatur nobis omnis animæ amplitudo : ac difficilia omnia et angusta sunt, cum divini verbi habitatione sumus indigni.

(1) *Justificationes meas.*
(2) *Legiones;* deinde, *adsistentes Cherubin.*
(3) *Propriores.*

(4) *In via.*
(5) *Coangustati.*

(*a*) Er., Lips. et Par. *memor.* Rectius Bad. et mss. *immemor.*

(*b*) Postrema editione Par. juxta Bad., Er. et Lips. *mysterium* repositum est, cum in prima juxta mss. restitutum esset, *ministerium :* quæ vox hoc loco legis executionem sonat, adeoque apte respondet verbo *custodiam.*

(*c*) Desiderabatur in prius vulgatis, *quod.* Restituitur ex mss.

(*d*) Ms. Mic. *assistentes Cherubin,* quod in primam editionem Par. translatum est. Alter e Vaticanis, *assistentes ut Cherubin qui Deum,* etc.

(*e*) Apud Par. ex ms. Mic. *propriores.* In uno codice Vatic. *propiores.* Apud Bad. et Lips. *propioris.* Præferimus cum Er. ac mss. Reg. et Alb. *proprioris.*

(*f*) Duo mss. *in via.*

(*g*) Par. *prophetia.* Rectius alii libri, *propheta,* cujus cor patet Deo.

(*h*) Deest *Dei* in duobus mss. et antiquis editionibus. Paulo ante *inconceptibilis,* id est, quem locus nullus capere sufficit.

10. *Reges, vel principes terræ vel sancti intelligantur.* — Sed ambulans in latitudine propheta, versari in officio digno adeptæ amplitudinis debet : et versatur plane. Sequitur enim, VERS. 46 : *Et loquebar* (1) *de* (*a*) *testimoniis tuis in conspectu regum, et non confundebar.* Hoc officium dilatati cordis est, ut ex eo (2) in (*b*) abundantia divinæ doctrinæ verba procedant. Loquitur enim propheta constanter adversus principes terræ Deum prædicans. Et quidem duplex significatio sensus hujus est, quia secundum dominica præcepta oporteat a nobis Christum coram regibus et potestatibus prædicari (*Matth.* x, 18) ; neque nos terrenarum potestatum fas est jure **318** terreri (*Ibid.* 26), quominus omni confusione rejecta, constanti et publica fide Deum qui negantes se negaturus sit non negemus (*Ibid.* 33). Potest et sermo ad eos referri, de quibus et Apostolus ait : *Jam sine nobis* (3) *regnatis, et utinam regnetis* (I *Cor.* IV, 8) : id est, tamquam in conspectu sanctorum, qui utique frequenter reges terræ sunt nuncupati, propheta Dei testimonia sit locutus, neque confusus sit per prædicationem suam doctrinæ cœlestis instituta præbere. Geminam autem lectio intelligentiam ex se præstat : ut quia utrumque ex testimoniis Scripturarum intelligi promptum est, aut utrumque significatum existimetur, aut quod magis videbitur probabile eligatur.

11. *Lex debet esse in ore, in mente, in corde.*—VERS. 47. *Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi vehementer.* Non solum igitur loqui nos in testimoniis Dei convenit : sed legis mandata omnia (4) diutur- C na (*c*) meditatione percensere. Neque tantum meditatio utilis est, nisi lex ipsa quæ in meditatione est diligatur : neque diligere communi dilectione sufficiet, nisi etiam vehementer id quod diligitur diligatur. Atque ideo hunc omnem perfectæ rationis ordinem sermo propheticus percurrit, dicens : *Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi vehementer.*

12. *Sit et in manibus.* — Sed neque meditatio legis, neque ipsa dilectio impensa sufficiet, nisi fructum operum et voluntatis efficientia consequatur. Neque in hoc propheta cessavit : ait enim, VERS. 48 ; (5) *Et erexi manus meas ad mandata tua quæ dilexi valde.* Manus ad mandata ea quæ diligebat erexit (6); non utique contumeliosas aut procaces, sed mandatis humilitatis servientes, sed operibus miseri- D cordiæ insistentes, sed fidei præcepta peragentes. Operis vero (*d*) officium semper oportet esse intentum, et nulla interdum negligentis otii dissimulatione cessare. In hoc quoque se manere propheta testatur, dicens : *Et exercebar in justificationibus tuis.* Exercitatio assiduitatem operationis ostendit. Frequentem itaque sibi esse, et semper intentam præceptorum observantiam docet ad illas, de quibus superius memoravimus, cœlestium justificationum efficientias, nunc se in justificationibus præsentis, et ex futuris adumbratæ legis exercens.

319 LITTERA VII.

ז Zain.

(7) *Memor esto verbi tui* (Infra, *memorare verbum tuum*) *servo tuo, in quo mihi spem dedisti. Hæc me consolata est in humilitate mea : quia eloquium tuum* B *vivificabit me* (Hil. *vivificavit*). *Superbi inique agebant usquequaque : a lege autem tua non declinavi. Memor fui judiciorum tuorum a sæculo, Domine : et consolatus sum* (Hil. *exhortatus*). *Defectio animi tenuit me pro* (Hil. non *pro*) *peccatoribus derelinquentibus legem tuam. Cantabiles mihi erant justificationes tuæ in loco incolatus mei. Memor fui in morte* (Hil. *nocte*) *nominis tui, Domine : et custodivi legem tuam. Hæc mihi facta est : quia justificationes tuas exquisivi.*

1. *Ad spem æternam nos vocat omnis Scriptura.* — Omnis Dei sermo, qui scripturis divinis continetur, in spem nos bonorum cœlestium vocat. Atque ob id propheta in omnibus se Dei præceptis mansisse confidens, constanter ait, VERS. 49 : *Memorare verbum* (*e*) *tuum servo tuo.* Numquid promissi sui Deus immemor est? Absit istud, ut aliqua subrepere in æternam atque indefessam Virtutem humanarum infirmitatum genera credantur. Sed propheta, qui promissis Dei credidit, qui desiderio cœlestium detentus est, qui contemptu præsentium futura speravit, non ad memoriam verbi sui Deum admonet; sed ut verbi sui in se servo suo memor sit deprecatur, id est, ut ita dignus habeatur, in quo (8) Deus (*f*) verbi sui memor esse dignetur, quo in verbo spem dederit. Et spem non inanem esse oportet, neque verbis tantummodo prædicari, sed rebus ipsis doceri : ut si quando incidant infirmitates, persecutiones, damna, orbitates, contumeliæ ; has præsentis sæculi minas ac potestates, spe æternorum promissorum consolemur.

2. *Afflictum spes consolatur ; verbum Dei vivificat.* —Et ad hæc quidem omnia nos docemur : sed jam ipsis omnibus propheta perfunctus est, dicens,

(1) *In testimoniis.* Vide quæ Cl. Coustantius annotavit.
(2) *Inhabitantia.*
(3) *Regnastis, et utinam regnaretis.*
(4) Noster quoque, *diurna meditatione retinere.*

(*a*) Ex primis numeri subsequentis verbis legisse videtur Hilarius *in testimoniis*, quomodo legere est apud LXX Ambrosium et Augustinum.

(*b*) Tres mss. cum Bad., Er. et Lips. *inhabitantia divinæ*, etc.

(*c*) In omnibus nostris mss. *diurna :* deinde in Mic. et Vatic. *meditatione retinere.*

(5) *Et tuli.*
(6) *Direxit.*
(7) *Memento.*
(8) *Jam Deus.*

(*d*) Sola editio Par. cum Mic. ms. *officio.*
(*e*) Apud Par. ex ms. Mic. *verborum tuorum,* suffragante græco τῶν λόγων σου, sed refragantibus subjectis aliisque editionibus et mss. Quamquam infra num. 3, verbum *memoror* non quartum casum regit, sed secundum.
(*f*) Vox *Deus* in prius vulgatis omissa, restituitur ex mss.

VERS. 50 : *Hæc me consolata est in humilitate mea : quia eloquium tuum vivificavit me. Hæc* ad spem refertur, (*a*) quam sperare eum Deus fecit. Consolata vero est eum *in humilitate* ; id est, cum contemnitur, cum irridetur, cum injuriis vexatur, cum contumeliis inhonestatur ; sciens hanc sibi (*b*) tentationum præsentium esse militiam. Sed se inter hæc infirmitatis suæ bella spes a Domino præstita consolatur : vivificatur autem per eloquia Dei. Scit in his excellentem esse in cœlis humilitatis suæ gloriam : scit animam eloquiis Dei (*c*) refectam, tamquam pabulum aliquod vitæ in se æternæ continere. Non movetur in eloquiis Dei vivens, inani superbientium gloria. Novit enim indigentiam suam eorum esse opulentia ditiorem. Scit jejunia sua cœlesti atque evangelica benedictione saturari : scit humilitatem suam glorioso esse honoris præmio munerandam. Atque ideo subjecit, VERS. 51 : *Superbi inique agebant usquequaque : a lege autem tua non declinavi.* Inter nimias et consummatas superborum iniquitates (*valde* enim *inique agebant*) nullo propheta deflexu a lege Dei declinat.

5. *Judiciorum Dei sit assidua memoria.* Sed non declinantem a Dei lege, oportet esse (1) memorem judiciorum Dei. In omni enim vitæ nostræ genere memoria (*d*) nobis divini judicii inserenda et continenda est ; ut cum aliquid agimus, residente in nobis judicii memoria, vel numquam potius abeunte, præceptis Dei opera nostra famulentur. Beatus erit, quisquis non sine memoria divini judicii omnia gesserit. Quod de se profitetur propheta, dicens, VERS. 52 : *Memoratus sum judiciorum tuorum a sæculo, et exhortatus sum.* (2) Hæc nunc *a sæculo* tantum, non etiam a sæculo sæculi : quia omnia in nos judicia Dei ex sæculi hujus ac mundi temporibus instituta sunt. In his autem (*e*) se cohortatus est, inter hos scilicet mundi turbines, et inter hæc passionum corporalium prælia, ad tolerantiam ac victoriam infestantium malorum humilitatem suam judiciorum Dei memoria adhortatus.

4. *Sanctitas David. Sanctus dum cæditur, non suam sed cædentis vicem dolet.* — Deinde sequitur, VERS. 53 : *Defectio* (3) *animi tenuit me a peccatoribus derelinquentibus legem tuam.* Virtutes propriæ suæ A prophetæ huic ad spem vitæ æternæ non sufficiunt, neque quod spem in verbo Dei habuit, neque quod in spe eadem (4) se (*f*) consolatus est, neque quod Dei vivificatur eloquio, neque quod non declinat 321 a lege, neque (*g*) quod semper (5) memoria judiciorum Dei adhortatur : quin etiam dolore humanæ impietatis fatigatur, et ob irreligiosas hominum impietates exanimis est. Sanctus enim quisque cum cæditur, non humilitatis suæ qui cæsus est, sed insolentiæ ejus qui cædit, miseretur : ut a vesano filio pater, ut ab amente ægroto medicus contumeliam passus, dolorem non ex eo quod perpessus erit sentit ; sed ob id quod ille quem sanum esse cuperet, injuriam sibi vesanus intulerit. Membro autem uno aliquid patiente, secundum Apostolum, compatiuntur et cætera membra (I *Cor.*, XII, 26). Defectio itaque secundum hæc tenet prophetam super peccatores derelinquentes Dei legem : (6) affectu miserantis scilicet et dolentis, et tamquam membris suis pro parte ægrotis, iniquorum et irreligiosorum periculo fatigatur.

5. *Psalmos qualiter legere, audire et cantare deceat.* — Manet autem ipse, quantum ad se, justificationibus Dei semper intentus : et (7) in omni quacumque sede habitat, nequaquam ex ore ejus religiosæ confessionis hymnus abscedit. Ait enim, VERS. 54 : *Cantabiles mihi erant justificationes tuæ in loco incolatus mei.* Exemplo suo docet, suscepta semel in aures psalmorum cantica, in corde esse (8) continenda : et semper ea officia oris iteranda. Non negligenter, ut ipse prædicat, legit atque (9) audit : neque irreligiositatis nostræ modo, divina eloquia aut occupatis in aliud aut incuriosis oculis legit, aut mox obliviosis auribus excipit : sed cantabiles ei sunt, id est, sine intermissione cantatæ. In omni autem cujusque generis loco nequaquam a se abesse psallendi consuetudinem docet, cum ait, *In loco incolatus mei.* Non enim ait, In incolatu meo ; sed ita ait, *In loco incolatus mei*, in quacumque scilicet sede mansisset : intelligens se mundi hujus esse peregrinum, Dei tamen sibi semper justificationes esse cantabiles.

6. *Nocturnarum precum utilitas.* — Sed quam cantabiles sint justificationes Dei, ostendit ; cum nullum omittat tempus, quo non in illo cœlestium sacramen-

(1) Vox *eum* heic redundabat.
(2) *Hinc nunc.*
(3) *Animæ.*
(4) *Se* addidimus ex ms. nostro.
(5) *Memoriam judiciorum adhortatur.* ; post pauca, *iniquitates* pro *impietates.*
(6) *Affectum* ; deinde, *patiatur* pro *fatigatur.*
(7) *In quacumque sede qua habitat.*
(8) *Retinenda.*
(9) *Audivit*, et inferius, *excepit.*

(*a*) Bad., Er., Lips. ac tres mss. *quæ sperare eum in Deum fecit.* Retinemus tamen cum Par. et ms. Mic. *quam sperare eum Deus fecit* ; quod brevius mox habeatur, *spes a Domino præstita.*

(*b*) In ms. Mic. *tentationem* : male eadem ratione lit. 5, n. 12, dicitur : *Job omnium humanarum calamitatum militia et victoria perfunctus.* Ad hæc Ambrosius : *Tempus tentationum, tempus humilitatis animæ nostræ arbitror.*

(*c*) Editi, *refertam.* Concinnius mss. *refectam. Hæc est enim*, ait Ambrosius in eumdem versum, *animæ nostræ vitalis substantia, qua alitur et pascitur et gubernatur : nec quidquam aliud est quod vivere faciat rationabilem animam.*

(*d*) Verba, *nobis divini judicii inserenda et continenda est ut*, in editione Par. perperam rejecta revocantur ex mss.

(*e*) Apud Par. *In his autem coarctatus est* : et mox *instantium*, loco *infestantium.*

(*f*) Editi, excepto Par., *collocatus est.* Par. *collatus est* : castigantur ope mss.

(*g*) In excusis ac reg. ms. *quod se per memoriam.* Verior nobis visa est lectio mss. Vatic. et Mic. *quod semper*, etc. Mox idem codex Vatic. *quin etiam hortatus dolore*, etc.

torum opere versetur. Ait enim, VERS. 55 : *Memor fui nocte nominis tui, Domine, et custodivi legem tuam.* Scit præcipue nocturno tempore divini esse a nobis nominis recordandum. Scit tum maxime custodiam Dei legis a nobis esse retinendam, cum subrepunt animo impuræ cupiditates. Cum vitiorum stimuli per recens sumptum cibum corpus exagitant, tum Dei nomen recordandum est, tum custodienda **322** lex ejus est, pudicitiam, continentiam, timorem Dei statuens. Novit hoc præcipue tempore Deum (*a*) orandum, déprecandum, promerendum, dicens in loco alio, *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo* (*Ps.* VI, 7). Non est periculoso nocturnarum vigiliarum otio animus relaxandus : sed in orationibus, in deprecationibus, in confessionibus peccatorum occupandus est : ut cum maxime corporis vitiis opportunitas datur, tum præcipue eadem vitia divinæ legis recordatione frangantur.

7. Sequitur deinde, VERS. 56 : *Hæc mihi facta est : quia justificationes tuas exquisivi.* (*b*) *Hæc* ad memoriam refertur, per quam memor fuit noctibus nominis Dei. Quod autem ait, *Mihi facta est*, id est, non subito recurrens, neque temporarie assumpta : sed semper (1) in se manens (*c*), et intra se quodam fidei opere instituta : et ob id ei facta, quia justificationes exquisierit; utile igitur est justificationes Dei sine aliqua temporis intermissione scrutari : quia (*d*) per exquisitionem carum, ejus memoriam nos perpetem continemus in Christo Jesu cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen.

LITTERA VIII.

ח Heth.

Portio mea Dominus. Dixi custodire (Hil. *ut custodiam*) *legem tuam. Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo ; miserere mei secundum eloquium tuum. Quia cogitavi vias meas, et averti* (Infra, *converti*) *pedes meos in testimonia tua; paratus sum, et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua. Funes peccatorum circumplexi sunt me : et legem tuam non sum oblitus. Media nocte surgebam ad confitendum tibi super judicia justificationis tuæ. Particeps sum ego omnium timentium te, et custodientium mandata tua. Misericordia* (Infra, *tua, Domine,*) *Domini plena est terra : justificationes tuas doce me.*

323 1. *Psalmorum liber apud Græcos emendatus ex Hebræo.* — Plures psalmorum codices legentes et nos ita opinabamur, versum qui octavæ litteræ primus est, id est hunc, *Portio mea Dominus*, in superioribus septimæ litteræ octo versibus contineri : quia ita in latinis codicibus atque etiam in nonnullis græcis scriptum continebatur : et sane absolutior ita (*e*) sensus videbatur. Sed secundum Hebræos emendatum apud Græcos Psalmorum librum legentes, invenimus hunc versum non septimæ litteræ novissimum esse, sed octavæ primum. Itaque secundum hanc cognitionem nos quoque tractare de eo aggressi sumus.

2. *Quorum Deus sit portio.* — Cœpit enim ita, VERS. 57 : *Portio mea Dominus. Dixi* (2) *ut* (*f*) *custodiam legem tuam.* Rarus quisque est, cui ista fiducia est, ut portionem suam esse Deum audeat dicere. Renuntiandum est sæculo omnibusque rebus ejus : ut nobis Deus portio sit. Cæterum si nos ambitio detineat, si cura pecuniæ occupet, si illecebræ libidinum capiant, si negotia rerum familiarium demorentur ; portio nobis Deus non erit, sæcularium curarum atque vitiorum possessione detentis.

3. *Dei ministris nulla in lege portio terrena.* — Moysi cum jussum esset portiones incolatus distribuere duodecim gentibus (*g*) filiorum Israel, ita ei de tribu levitica præceptum est : Filiis Levi non erit portio neque sors in medio fratrum suorum (*Deut.* X, 9), quia Dominus Deus est pars eorum. Et rursum scriptum meminimus, Ego Dominus pars eorum (*Num.* XVIII, 20). Nullam ergo Deo servientibus (3) lex data (*h*) terrenam esse voluit portionem : quia pars eorum Deus est.

4. *Petro nulla possessio.* — Meminit et Evangelii prædicator ille Petrus, nullam sibi esse portionem possessionis humanæ, cum oranti alimoniam respondit, *Aurum et argentum non est mihi; quod autem habeo, hoc tibi do* (*Act.* III, 6). Quid est istud, Petre, quod possides? Renuntiaveras omnibus Domino tuo,

(1) *Immanens.*
(2) *Abest ut.*

(3) *Lex lata.*

(*a*) In Vat. cod. post *orandum*, subjicitur *media nocte*, glossema.

(*b*) In hac elocutione explicanda multum laborat Augustinus eamque refert ad noctem, cum ad legem referri græcum non patiatur. Hebraismum esse monet Nobilius, ideoque ab Hieronymo translatum esse, *Hoc factum est mihi*, id est, Hoc mihi boni contigit : quod bonum interpretantur Hilarius noster et Ambrosius memoriam esse judiciorum Dei. Nam vox *memoria* non præcessit, ad quam referatur pronomen *hæc*.

(*c*) Ms. Mic. *sed. secum manens.*

(*d*) Lips. et Par. *per exquisitiorem earum memoriam nos perpetim continemus*, etc., absque ulla auctoritate.

(*e*) Abest *ita* a reg. ms. Hinc liquet quantæ apud Hilarium auctoritatis fuerit liber ille secundum Hebræos emendatus, ob quem a sententia, quam probaret ac plerique codices confirmarent, discesserit. Hujus editionem aut recentem aut recens sibi notam innuit, dum ex novissima illius lectione præconceptam ex aliis codicibus opinionem mutasse se indicat. An librum illum attendit litt. 3, n. 12, et litt. 4, n. 1, et alibi, cum Græcorum ex hebræo translationem laudat? Ejusdem codicis meminit Ambrosius in hunc psal. ser. 8, n. 21 : *Codices plerique*, inquit, *hunc versiculum, qui primus est litteræ octavæ, ultimo loco litteræ habent septimæ; sed secundum Hebræos emendatus apud Græcos psalmorum liber hunc versum docuit nos octavæ litteræ copulandum.*

(*f*) Ita mss. At editi, *custodire;* cum Hilarius infra n. 6, expresse observet Prophetam non profiteri *se custodire* legem, sed potius *se custoditurum*. In græco τοῦ φυλάξασθαι.

(*g*) Vox *filiorum* restituitur ex mss.

(*h*) In mss. reg. et Albin. *lex lata.*

dicens: *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te, quid erit nobis* (*Matth.* XIX, 27)? Et tibi ille responderat: *Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione sedebitis super duodecim thronos judicantes* **324** *duodecim tribus Israel* (*Ibid.*, 28). Et exemplo vestro cæteris relinquentibus cuncta spoponderat, quod et centuplum acciperent, et dehinc vitam æternam possessuri essent. Quid est igitur istud, Petre, quod habes? Habes plane, et non audeo dicere plus te (1) centuplo (*a*) obtinere: dico tamen te sine multiplicatione calculi possidere. Dicis enim, *Quod habeo, hoc tibi do: in nomine Domini nostri Jesu Christi surge et ambula.* O felix possessio, o perfecta Dei portio! Non terrena largiris, sed naturæ (2) opes (*b*) rependis, et vitiosi partus damna restauras. Claudum natum ingredi jubes, et multæ ætatis virum incessu rudi incitas. Has opes tribuit, cujus Deus portio est. Novit et Paulus (*c*) divitiarum suarum gloriam, dicens: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini mei Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* (*Gal.* VI, 14). Talis Apostolo gloria, talis est portio.

5. *Portio melior est sæculo renuntiantium. Centuplum in hac vita quid.*—Humanarum igitur hæreditatum modo, portionem quæ melior est et quæ utilior eligamus. Si circa terrena patrimonia sua in cohæredum divisione quis nititur sortem commodioris portionis appetere, quanto propensiore cura (3) partem cœlestis hæreditatis (*d*) deligemus? Centuplum Dominus promittit: et centuplum non in æternum, sed in præsens. Æternorum autem bonorum immensa et infinita retributio est: cæterum sub definitione centupli, (*e*) præsentium mensura concluditur. Ego autem ambigo utrum hoc centuplum Petri excesserit portio. Certe secundum Domini præceptum, sperandum nunc in hoc sæculo, relictis omnibus sæculi rebus, centuplum munus est. Est enim nobis (4) Deus portio, qui ait, Et inhabitabo in eis. (5) Nunc ergo (*f*) centupli præmium est, ut in hoc terreno corpusculo nostro Deus habitet. Sed quid dico habitet? Ait et ipse, *Et inambulabo in eis* (*II Cor.* VI, 16). Patens Deo est fidelis pectoris et ampla possessio: ut inhabitet et ambulet. Sed qui inhabitat, qui inambulat, quid tertium addidit? Et ego ero illorum Deus (*Ibidem*). Ecce promissam nobis ab eo portionem, ut simus Deo (*g*) habitatio; et dum in nobis ambulat, sit nobis ipse possessio, si sæculum relinquamus, **325** si (6) possessionis terrenæ labi (*h*) renuntiemus, si hæreditatem caducorum respuamus, si viventes de sæculo exeamus. Quæ enim merces est, emortuis corporibus et exeunte anima dissolutis sæculum reliquisse? Carendum est eo per contemptum ejus. Nesciendum est ignoratione voluptatum suarum. Moriendum nobis in eo est, dum non ei vivimus. Scit Paulus jam non se sibi vivere, dicens: *Quod enim vivo, jam* (7) *non ego vivo* (*i*), *vivit autem in me Christus* (*Gal.* II, 20).

6. Propheta itaque, secundum Apostolum, non sæculo vivens constanter et libere ait: *Portio mea Dominus.* (8) *Dixi ut custodiam legem tuam* (*j*). Tenuit hunc quem in superioribus modum, cum quando se custoditurum legem Dei spopondit. Non enim de ea, quam corporaliter agebat, loqui intelligitur; cum custoditurum se potius, quam custodire fateatur.

7. *Deum videre optat David, non oculis carnis.* — Sequitur deinde, VERS. 58: *Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo: miserere mei secundum eloquium tuum.* Moysen deprecatum esse meminimus, ut Deum videret (*Exod.* XXXIII, 18). Et forte cognata preci ejus Prophetæ hujus oratio existimabitur. Sed a Deo (*k*) meminit dictum: Nemo hominum videbit faciem meam, et vivet. Ergo quod negatum Moysi meminerit, id concedi sibi postulat? Sed licet rursum dicto evangelico anterior sit, meminit tamen hanc fidei beatitudinem reservari, qua dicitur: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V, 8). Itaque cum in lege sciat dictum, quod nemo faciem Dei videat, et vivat; et ex evangelica beatitudine non ambigat (*l*) omnes mundo corde Deum esse visuros; perfectæ modestiæ tempera-

(1) Antea, *centuplum.*
(2) *Opus;* paulo infra, *divitiæ suæ glorias.*
(3) *Patrem cœlestis hæreditatis diligeremus.*
(4) Vocem *Deus* supplemus, quæ in editis deerat.
(5) *Non ergo.*
(6) *Si possessioni terrenæ labis.*

(7) Deerat in præcedente *vivo*, quod ex ms. nostro cum cæteris editionibus consentiente revocavimus.

(8) *Dixi ut custodiam legem tuam*, quæ in vulgatis omissa sunt, vetustissimus etiam liber noster præ-termittit.

(*a*) Editi, *centuplo*, refragantibus mss.

(*b*) Excusi, *rependis opus*: emendantur ex mss.

(*c*) Ita corrigimus ex mss. reg. et Albin. cum prius legeretur, *divitiæ suæ glorias.*

(*d*) Editi, *diligemus.* Ms. Mic. *diligimus.* Reg. et Albin. *deligimus.* Vatic. *deligere debemus.*

(*e*) In mss. reg. et Albin. omittitur *præsentium*: non male. Sic enim Hilarius videtur ratiocinari: æternorum bonorum retributio est immensa: atqui centuplum est mensura finitum: non igitur pertinet ad æternam retributionem.

(*f*) In vulgatis, *non ergo*, quasi, *nonne ergo.* Particula *nunc*, quam ex mss. substituimus, aptius significat centupli promissionem ad vitam præsentem pertinere.

(*g*) Ita nostri mss. Editi vero, *Dei habitatio. Et dum in nobis ambulat, fit nobis*, etc. Illam centupli mercedem eodem modo in hunc eumdem versum interpretatur Ambrosius.

(*h*) In vulgatis, *si possessioni terrenæ labili.* Ut supra litt. 3, n. 3, 4 et 5, ex terreni corporis consortio labem nos mutuari inculcatur, ita et nunc ex terrena possessione.

(*i*) Editi, *non ego vivo.* Abest *vivo* a nostris mss. ut a græco.

(*j*) Verba, *dixi ut custodiam legem tuam*, in vulgatis omissa restituuntur ex mss.

(*k*) Mendose in excusis, *memini.*

(*l*) Ex hoc loco levatur ac prorsus removetur suspicio nata ex quibusdam dictis tract. psal. LXIV, n. 5 et 18, cui jam occurrimus pag. 193, not. Aperte enim hic prædicantur omnes mundi corde, nullo excepto, Deum visuri, ac proinde cum Deo in cœlo cohabitaturi.

mento cupiditatem desiderii sui elocutus est, dicens : *Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo.* Scit nunc impossibile sibi esse, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit, ut videat. Scit invisibilem esse carnalibus oculis gloriam Dei. Meminit, non dico ad angelorum claritates hoc humanæ visionis lumen hebetari, sed ipsam gloriam vultus Moysi humani corporis oculos non tulisse (*Exod.* XXXIV, 30).

8. *Quam flagrans ejus desiderium.* — Sed nos ex desideriis humanis Prophetæ desideria metiamur. Ad egressus regum quanta exspectationis sollicitudine curritur? et quod videntibus gaudium est, cum se præbuerint contuendos? Quid illum cœlestis spiritus capacem virum existimabimus velle? 326 quanto desiderii ardore cupere ut Deum cernat, qui B ipsam illam invisibilem majestatem per has angelorum claritates et per hanc Moysi gloriam metiatur; et sciat etiam eos, qui digni sunt conspectu Dei, gloriam ex conspectu gloriæ esse sumpturos, quod eos visio tantum et dignatio contemplatæ majestatis illuminet? Quod sanctus Apostolus ita intelligens loquitur : *Nos*, inquit, *omnes revelata facie gloriam Dei exspectantes* (*Id est*, spectantes) (II *Cor.* III, 18), *in eamdem ipsam transferemur* (1) *imaginem* (*a*) *a gloria in gloriam*, *sicut a Domini spiritu.* Et nunc quia id impossibile istis corporis oculis sciat esse, toto istud corde desiderat. Et cui est portio Deus, confidenter faciem ejus deprecatur : quia quamvis nemo hominum videat faciem Dei, et vivat; tamen Deum omnes mundo corde visuri sunt. Ergo misericordiam C hanc a Deo postulat, ut sibi videndæ faciei ejus beatitudo contingat : et postulat non sine ratione modoque præstandi.

9. *Dei bonitas simul et severitas intuenda.* — Ait enim : *Miserere mei secundum eloquium tuum.* Fidei modestæ vox est, misericordiam Dei non secundum peccatorum suorum conscientiam, sed secundum ejusdem Dei eloquia deprecari. Scit Deum etiam peccatoribus esse ignem consumentem. Moyses enim ait : (2) *Deus noster* (*b*) *ignis consumens est* (*Deut.* IV, 24). Novit eumdem esse fidelibus lucem, de quo et alibi Propheta ipse dicit : *Illuminans tu mirabiliter de montibus sanctis* (*Ps.* LXXV, 5). Discernit et hanc Apostolus bonitatis et severitatis Dei consuetudinem, cum ait : *Vide ergo bonitatem et severitatem Dei; in* D *eos quidem qui ceciderunt severitatem, in te vero bonitatem* (*Rom.* XI, 22); et rursum : *Tu nisi permaneas in bonitate, excideris : illi vero si non permaneant in infidelitate, inserentur* (*Ibidem*, 22 *et* 23). Bonitatem Dei Propheta exspectat, cum ait : *Miserere mei.* Scit enim neminem sine peccato esse qui vivat, et omnes in carne sitos misericordia Dei egere. Officii autem sui devotionisque non immemor est, cum ait : *secundum eloquium tuum;* ejus scilicet eloquii, quo et peccatoribus pœnam denuntiat, et in se credentibus vitæ æternæ beatitudinem pollicetur.

10. *Agenda quisque debet præmeditari.* — Deinc sequitur, VERS. 59 : *Quia cogitavi vias meas, et converti pedes meos in testimonia tua.* Ex his quæ Propheta se gerere, vel gessisse commemorat, quid nos quoque facere oporteat docet. Vias enim suas cogitat, et cogitatis 327 his pedem in testimonia Dei refert. Nihil egit, quod non antea cogitatione pervolverit. Non linguam in officium suum movit, non pedem in aliquod quod acturus esset opus protulit, non manum ad agendum aliquid exseruit, nisi antea super his omnibus cogitasset, (3) et cum (*c*) operationem atque effectum cogitatio rebus attulerit. Vidit igitur antea omnes vitæ suæ vias : et cum placentem sibi ac probabilem reperit, tunc in eam pedem contulit : scilicet perspectis omnibus humanæ operationis viis, postquam quid esset sibi utile cogitavit, fidei suæ pedem in testimonia divina detorsit. Cogitatio enim nihil potest (*d*) subitum, nihil novum, nihil inopinatum pertimescere, cum de consilii sententia omnia quæ accidere solent sperantur, præfiniuntur, adeuntur. Et id consequenti versu docetur.

11. *Sic præparatum nil perturbat.* — Postea enim quam vias suas Propheta cogitaverat, et pedem ad testimonia Dei converterat, libere loquitur, VERS. 60 : *Paratus sum, et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua.* Qui ad aliquid præparatur, longo usu ad id, in quo ei est meditatio, præparatur : ne eum de propositi sui sententia negligentem et incautum vis aliqua repentinæ turbationis excutiat. Propheta itaque novit esse plurima sæculi scandala. Novit insidiantes esse humanæ naturæ adversantesque virtutes. Scit periculose dulcem esse (*e*) opinionem ambitionemque gloriæ sæcularis. Novit occursus lascivientium feminarum esse continentium oculis captiosos. Scit turpes corporum cupiditates affectu blandæ voluptatis irrepere. Scit cætera vitiorum genera illecebrosis aditibus ingruere. Novit etiam plurimis se irreligiosorum odiis subjacere, et ob prædicationem Dei pietatisque doctrinam, variis persequentium contumeliis esse vexandum. Ne igitur turbari tot et tantis (*f*) insidiis ingruentibus posset, contra omnia se hæc fidei excidia præparavit, dicens : *Paratus sum, et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua.*

12. *Pauli exemplum.* — Habet (*g*) parem beatus Apo-

(1) *Imaginem* non habet Veron.
(2) *Deus vester.*

(*a*) Abest *imaginem* a mss. reg. et Albin.
(*b*) In nostris mss. *Deus vester.* In sacris exemplaribus, *Deus tuus.*
(*c*) Er., Lips. et Par. *et tum.* Concinnius mss. cum Bad. *et* (subaudito *nisi*) *cum.* Mox editi, *cogitatis rebus attulerit. Vidit igitur ante omnia*, etc. His præferimus mss.

(3) *Et tum*, Paulo post, *cogitatis rebus.* Deinde, *ante omnia.*

(*d*) Apud Par. *subditum* : mendose. Cogitare autem his locis interpretatur Hilarius, prospicere ac providere quæ agenda aut superventura sunt.
(*e*) Mss. duo, *ambitionem gloriæ*, omisso verbo *opinionem.*
(*f*) Ita mss. ubi vulgati habent, *excidiis.*
(*g*) Bad. et Er. *patrem*, Lips. *paratam* : corrupte.

stolus hujus præparationis suæ fiduciam, dicens : *Quis nos separabit a caritate Christi ? Tribulatio, an angustiæ, aut passio, aut fames, aut nuditas, aut periculum, aut gladius ?* [(a) *Sicut scriptum est : Quia propter te mortificamur tota die, deputati sumus tanquam oves occisionis. Sed in his omnibus superamus et vincimus, propter eum qui dilexit nos.*] (*Rom.* VIII, 35 *et seqq.*) 328 Et quia adversum horum tolerantiam, ne per hæc a caritate separari posset, sese præparasset; adjecit : *Confido enim, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque potestates, neque præsentia, neque futura, neque virtutes, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro* (*Ibidem*, 38 *et* 39). Nulla Apostolum rerum earum quæ accidere possunt genera, tali spe præparatum firmatumque perturbant.

13. *Exhortatio ad constantiam.* — Sit ergo in nobis et fiducia hæc et vox, ut cum subrepunt cupiditates, cum passiones ingruunt, cum pericula fatigant, cum supplicia cruciant, dicere audeamus : *Paratus sum, et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua.* Dominus noster unigenitus Dei filius inter cætera præcepta discipulis suis mandat, dicens : *Non turbetur cor vestrum, neque trepidet* (*Joan.* XIV, 1). Adversum turbationem, quæcumque ex accidentibus erit, longæ præparationis opus est firmitate : ut robusta (1) fides (*b*) atque firmata, Dei mandata custodiat.

14. *Peccata quare funes.* — In quem autem se profectum, quamve in causam Propheta præparaverit, neque turbatus sit, quo minus custodiret mandata Dei, continuo subjecit, dicens ; VERS. 61 : *Funes peccatorum circumplexi sunt me ; et legem tuam non sum oblitus.* Esse peccatorum funes per Esaiam docemur dicentem : *Væ qui ligant peccata tanquam funem longum* (*Esai.* V, 18), modo funis ex plurimis minimis crescentis in multum, peccata semper (*c*) tanquam longum funem tendentibus. Sunt etiam hæc delictorum vincula, quibus humanæ mentes illigantur, de quibus in Proverbiis scriptum est : (2) *Fasciis peccatorum suorum unusquisque constringitur* (*Prov.* V, 22). Stringit enim nos atque alligat, et his vitiorum funibus implicat diabolus, in omni vitæ nostræ cursu laqueos prætendens. Quod autem liget, in Evangeliis cognovimus, cum dicitur : *Hanc autem filiam Abrahæ ligavit Satanas annis decem et octo* (*Luc.* XIII, 16). Ligat igitur omni vitiorum genere, ebrietatis consuetudine, voluptatum desideriis, (3) infidelitatis piaculo. Sed inter hos funium laqueos, non est admittenda legis oblivio. Præparatos enim nos esse convenit, ut ab his laqueis, si quando circumligent, exuamur : ut legis Dei omni tempore recordemur.

15. *Media nocte cur surgat Propheta.* — Et recordatur plane Prophela, dicens, VERS. 62 : *Media nocte surgebam ad confitendum tibi super judicia justificationis tuæ.* Non vacat totis noctibus somno, nec otiosus lecto continetur : 329 ad confitendum Deo non solum nocte, sed etiam *media nocte* consurgit. Meminit hoc esse tempus, quo primitiæ Ægyptiorum meritissima impiæ obstinationis clade percussæ sunt (*Exod.* XII, 29) : his ergo horis non laxatur in somnum, ne cladi Ægypti admisceatur. Hoc noctis tempore introeunte sponso, sapientes virgines in nuptias cum lampadibus introibunt (*Matth.* XXV, 6) : vigilat ergo, ne cum stultis mereatur excludi. Hoc tempore psallentibus Paulo et Silæ apostolis catenæ et vincula resolvuntur (*Act.* XVI, 25) : non dormit itaque ne vinctus sit. Nec habet eum (*d*) totus nocturni temporis somnus, nec ei oblivio officii sui requie mediæ noctis obrepit ; surgit enim ad confitendum Deo. Confessio vero non semper ad peccata referenda est : verum etiam in Dei laudibus intelligenda est. Nunc ergo confitetur Deo super judicia justificationum ejus. Laudat igitur Deum, quod nihil nisi in judiciorum justificatione decreverit.

16. *Participes Christi plures. Modestia David. Quis timentium Deum sit particeps.* — Sequitur deinde, VERS. 63 : *Particeps sum ego omnium timentium te, et custodientium mandata tua.* Apostolum dixisse meminimus : *Participes Christi facti sumus* (*Hebr.* III, 14). Sed et in quadragesimo quarto psalmo, quosdam participes Dei significatos esse meminimus, cum dicitur : *Unxit te, Deus, Deus tuus* (4) *oleo lætitiæ præ* (*e*) *consortibus tuis.* Sunt ergo secundum Apostolum et secundum Prophetam plures Domini nostri Jesu Christi participes. Et particeps ejus erit quisquis in justitia manet ; quia ipse justitia est : et particeps ejus erit quisquis in veritate persistit ; ipse est enim veritas : et quisquis in novitate vitæ ambulabit, erit particeps ejus ; quia ipse est resurrectio. Ergo cum sciat Propheta plures Dei esse participes, nunc per verecundam ac modestam de se prædicationem, cum se, quia et ipse Christus et factus et dictus sit, Christi meminerit esse participem ; tamen omnium timentium Deum potius se confessus est esse participem. Est autem tunc etiam timentium Deum particeps, cum patientibus compatitur, cum plorantibus complorat,

(1) *Fide.*
(2) *Vinculis* pro *fasciis*, Græco σειραῖς favente.
(3) *Impietatis.*

(4) *Oleo exultationis præ consortes tuos*, juxta Græcum ἔλαιον ἀγαλλιάσεως.

(*a*) Reg. et Albin. mss. omittunt quæ uncinis inclusa sunt.

(*b*) Sic mss. In vulgatis autem, *fide.* Huic sententiæ affinis est illa tract. ps. LXIII, n. 6 : *Neque enim Dei misericordiam metus noster, sed fides meretur : et longæ præparationis documento opus est, ut mereamur audiri.*

(*c*) Excusi, *tanquam longo fune tendentur*, vel *tenduntur* : emendantur ope mss. ubi verbum *tendentibus*, ad particulam *væ* referendum est.

(*d*) In prius vulgatis desideratur vox *totus*, quam ex mss. restituimus. Quamquam mallemus *totius.*

(*e*) In ms. *præ consortes tuos.* Neque ambigimus quin ita legerit Hilarius, cum eadem præpositio in omnibus mss. constanter regat accusandi casum.

cum tamquam ejusdem corporis membrum in dolore membri alterius dolet. Hac igitur passionum communione timentium Deum particeps sit. Cæterum quisquis per insolentiam suam credentem in Christum et (*a*) redemptum a Christo dedignatur, exacerbat, inhonorat, non est ille timentium Deum particeps, (*b*) quibus non sit in compatiendis passionibus consors.

17. *Timentium Deum duo genera.*—Non nudum autem hoc, neque solitarium propheta posuit, cum dicit: *Particeps* **330** *sum ego omnium timentium te.* Plures sunt timentes Deum, et tamen inobedientes: plures sunt timentes Deum et tamen infideles; quos naturæ suæ conditio timori quidem Dei subdit, sed voluntatis suæ perversitas ab obsequiis Dei avocat. Atque ob id non suffecisset Prophetæ dixisse ita: *Particeps sum ego omnium timentium te*; nisi addidisset: *et custodientium mandata tua.* Timor enim fidei in sola obedientia est, et metus religionis in obsequela est. Horum itaque particeps (*c*) est, qui timorem suum in mandatorum Dei custodia comprobabunt.

18. *Justis et injustis dona sua largitur Deus.* — Dehinc sequitur, VERS. 64: *Misericordia tua, Domine, plena est terra, justificationes tuas doce me.* Terra misericordia Dei plena est, quæ contaminata, quæ corrupta, quæ irreligiosa, quæ infida, quæ perdita est. Et si quis forte audebit impio ore Prophetam mendacii arguere, tamquam non in omnem terram Dei misericordiam putet esse diffusam; Dominum in Evangeliis recolat dixisse: *Estote boni sicut Pater vester* (1) *qui est in cœlis, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos* (*Matth.* v, 45 *et* 48). Patiens enim et misericors Deus, dum mavult pœnitentiam peccatorum quam mortem (*Ezech.* xviii, 23), dona sua justis injustisque largitur, unicuique per patientiam longe æquanimitatis pœnitendi tempus impertiens.

19. *Doctorem sibi Dominum optat David.* — Et quia hanc bonitatem patientiæ Dei et perfectionem, quæ sub illis justificationibus legis corporaliter adumbratur, meminit semper sibi Propheta sperandam; ait: *Justificationes tuas doce me.* Justificationes omnes in lege legerat: sed quia cœlestes sperabat, quæ in terrenis præformabantur, non eget doctore terreno. Doceri enim se ab eo orat, qui ait: *Petite et dabitur vobis; quærite et invenietis; pulsate et aperietur vobis* (*Matth.* vii, 7). Aperiri sibi et dari clavem a doctore legis dedignatur Propheta, scientiæ cœlestis expectans magistrum Dominum nostrum Jesum Christum, cui est gloria in sæcula sæculorum. (2) Amen.

LITTERA IX.

ט Teth.

Bonitatem fecisti cum servo tuo, Domine, secundum verbum tuum. Bonitatem et disciplinam et scientiam tuam doce me; quia mandatis tuis credidi. Priusquam humiliarer, ego **331** *deliqui: propterea eloquium tuum custodivi. Bonus es tu, Domine: et in bonitate tua doce me justificationes tuas. Multiplicata est super me iniquitas superborum: ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua. Coagulatum est sicut lac cor eorum: ego vero legem tuam meditatus sum. Bonum mihi quod humiliasti me: ut discerem justificationes tuas. Bonum mihi lex oris tui, super millia auri et argenti.*

1. *Psalmi* CXVIII *scopus. Deo in adversis gratiæ referendæ.* — Jam (*d*) in exordio psalmi commemoravimus, nihil aliud in eo quam doctrinam humanæ vitæ contineri, per quam ad cognitionem Dei, ipsis tamquam parvuli litterarum elementis erudiremur. Ex persona enim sua nos Propheta confirmat, qualiter in omni genere divini officii versari nos (*e*) oporteret, ut per disciplinam adeptæ institutionis, fidei ordinem teneremus, ut ipso illo primo nonæ litteræ versu docetur. Ita enim dicitur, VERS. 65: *Bonitatem fecisti cum servo tuo, Domine, secundum verbum tuum.* Et forte quidam existimabunt, de secundis rebus Prophetam locutum, Deoque gratiam ob ea quæ sibi prospere acciderint retulisse. Sed novit etiam in adversis rebus gratiam Deo esse referendam: scit in omni passione ac tribulatione eum, cujus judicio hæc ingruunt gratulationibus honorandum. (3) Scit (*f*) diligentem esse medicum, putribus vulnerum sinibus non parcentem. Meminit piam esse patrum in filios severitatem. Argui se per tentationes, ac probari per patientiam (*g*) Deo optat: et in his quæ adversa existimantur agit gratiam.

2. *Bene nobis in omnibus consulit.* — Atque hanc nostram intelligentiam ut id Prophetam orasse credamus, versus qui subjectus est docet, dicens: (4) (*h*) *Bonitatem fecisti cum servo tuo, Domine, secundum verbum tuum.* VERS. 66. *Bonitatem et disciplinam et scientiam tuam doce me: quia mandatis tuis* (*i*) *credidi.* Quidquid ergo Deus in servum suum facit, bonum est; secundum enim verbum suum facit. Et quidquid secundum verbum ejus est, non potest malum

(1) *Qui est in cœlis*, supplevimus ex ms. nostro.
(2) Abest *Amen.*
(3) *Scit indiligentem.* Mox *parcentem*, absque *non.*

(*a*) Duo mss. *redemptum in Christo.*
(*b*) In vulgatis, *qui non sit.* Magis placet cum mss. *quibus*, nempe timentibus Deum.
(*c*) Regius codex cum Albin. *participes expedit nos esse, qui*, etc.
(*d*) In duobus mss. *jam dudum.*
(*e*) In editis, *oportet, et per disciplinam:* mox Par. post Lips. *ordinem tenere*: dissidentibus mss.
(*f*) Par. *scit indulgentem.* Mox omittunt omnes particulam *non* ante *parcentem.* Hanc rectius mss. retinent, ac præmittunt hic, *Scit diligentem*, hoc est, amantem.
(*g*) In vulgatis *a Deo.* At in mss. *Deo:* ubi *probari*, id est probabilis et acceptus fieri.
(*h*) Totus hic versus 65 non repetitur in vulgatis. Et repetitur in nostris mss. et hoc subjecta videntur postulare.
(*i*) Apud Par. *parui.*

(4) Hunc versiculum codex noster minime repetit, sed subsequentem tantummodo, in quo *parui* legitur pro *credidi.*

existimari : quia ei, qui solus bonus est, voluntas sit plena bonitatis.

3. *Id credens David petit et scire. Disciplina, utilitas, scientia.*— Versus itaque, ut diximus, secundus Prophetæ exponit affectum, cum orat dicens : *Bonitatem et disciplinam et scientiam doceme.* Bonitatem superius confessus erga se factam : **332** quomodo hanc quasi ignorans doceri se precatur ? Nisi quod tunc fuit ex fidei confessione gratulatio, cum quidquid illud fieret in se, id esse bonum credidit : nunc vero est per naturam humanam ignorantiæ causa, cum ut doceatur orat. Sed eam bonitatem vult discere, cui disciplina sit juncta. (*a*) Disciplina enim necessarium est severitatis officium peccata arguentis, et vitia corrigentis. Correctio vero vitiorum magnum affert in bonitate profectum. Bona ergo est severitatis disciplina : sed adhuc eam Propheta ignorat. Non enim tantum *bonitatem et disciplinam*, sed etiam *scientiam* vult doceri : affectum in eo fidei suæ ostendens, cum bonitatem et disciplinam, quam nondum sciat, tamen bonam sibi a Deo esse fateatur. De scientia autem locis plurimis admonuimus, hanc et Apostolum (I *Cor.* XII, 8), hanc et prophetam inter præcipua gratiarum spiritalium dona numerasse (*Esai.* XI, 2). Ergo ut bonitatem et disciplinam, ita et (1) scientiam doceri orat : et doceri ob id, quia mandatis Dei credat ; ostendens non nisi fideles atque credentes scientiæ consequi posse doctrinam.

4. *Humiliatio, delicti emendatio.* — Manet autem etiam in tertio versu ejusdem intelligentiæ sensus. Ait enim, VERS. 67 : *Priusquam humiliarer, ego deliqui, propterea eloquium tuum custodivi.* Non prius tribulatio passionum ingruit, quam delicta præcedant : neque per (2) passionem ante humiliamur, quam per peccatorum iniquitatem digni passionibus simus. Docet itaque Propheta humiliationem suam emendationem esse dilecti : atque ob id bonum scit esse sibi quidquid a Deo est, quia pati meruit quod pati cœpit. Et scit disciplinam emendationem esse vitiorum. Prius ergo deliquit, secundo autem humiliatus est, et per humilitatis disciplinam oportet eum ne delinquat doceri, et in eloquiis Dei manere ; quia jam sit delinquens humiliatus, et in mandatis Dei, ne ultra possit peccare, mansurus sit.

5. *Justificatio, opus rei justæ.* — VERS. 68. *Bonus es, Domine : et in bonitate tua doce me justificationes tuas.* Scit justificationes Dei Propheta bonas esse ; quia bonus sit qui eas statuit. Scit sibi nihil nisi ex justificatione Dei accidere ; quia professus sit prius se deliquisse, dehinc postea esse humiliatum. Et quia superius orasset, ut bonitatem et disciplinam et scientiam doceretur ; nunc orat, ut justificationes Dei in bonitate doceatur : quia justificatio opus sit rei justæ, quæ sibi ignorabilis sit ; quia justificationes, quæ in lege sunt **333** constitutæ, umbram in se justificationum cœlestium continerent.

6. *Iniquorum in justos opprobria. Qui eis resistendum.* — Deinde adjecit, VERS. 69 : *Multiplicata est super me iniquitas superborum : ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua.* Patienter omnia et æquanimiter Propheta tolerans, in opprobrium superborum atque iniquorum deductus est. Si quis enim objurgationes trium regum in Job recolat, intelliget quanto illudentium exacerbetur opprobrio. Namque cum irreligiosi quique per passiones aliquas emendari Dei servos contuentur, exprobrare hæc ita solent : Ubi fides ? ubi spes in Deum ? ubi auxiliantis virtus ? ubi boni Dei misericordia est ? Contra quæ firmo animo fidelique opus est, et in mandatis Dei intento atque occupato : ne multiplicatis tot in se superborum iniquitatibus cedat, sed semper dicat : *Bonitatem fecisti cum servo tuo, Domine ;* ut ait ille passionum humanarum gloriosus et beatus victor : Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum (*Job.* I, 21).

7. *Ut lac in secundis blandi, velut coagulum in adversis acerbi.* — Deinde sequitur, VERS. 70 : (3) *Coagulatum est sicut lac cor eorum : ego vero legem tuam meditatus sum.* Cor superborum (*b*) ait sicut lac coagulatum. Lac specie et sapore blandissimum est, quod vitio aliquo corruptum coagulari solet, et ex naturæ suæ suavitate decedens, inutili sapore amaroque corrumpitur. Ergo antea iniqui, cum in secundis rebus esse Prophetam contuerentur, felicium rerum amici, simplicitatis specie blandientes, tamquam lac fuerunt. At ubi eos, ex hac humilitate sancti viri, superbia et fastidium tenuit ; et ex lacte coagulati sunt, et ex blandis ac suavibus adulationibus in vitiosi et coacescentis saporis amaritudinem sunt redacti. His vero sicut lac coagulatis, legem tamen Dei Propheta meditatus est : meditatus autem in id, ut diceret quod sequenti versu continetur.

8. *Tribulationes quid prosint.* — VERS. 71. *Bonum mihi quod humiliasti me.* Iniquitas licet superborum multiplicetur, et cor eorum sicut lac coaguletur, scit humiliationem tamen suam sibi Propheta bonam esse : novit secundum Apostolum virtutem in infirmitatibus perfici (II *Cor.* XII, 9). Bona omnis passio, bonæ omnes tribulationes, per quas justificationes Dei cognoscuntur : ut peccantes humilitate emendet, ut delinquentes severitate coerceat, ut ignorantes doctrina doceat. Idcirco enim bonum sibi quod humiliatus est, (4) ait quia per humiliationem justificationes Dei disceret. Deliquit enim priusquam humiliaretur : et humilitas ei bonum est, quia per eam justificatio Dei discitur.

9. *Lex oris Dei, lex Christi.* — Conclusit autem hoc modo, VERS. 72 : *Bonum mihi lex oris tui super* (5) *millia*

(1) *Dei scientiam.*
(2) *Passiones.* Jam dixerat, *passionum.*
(3) *Coagulavit sicut lac.*

(*a*) Editi *disciplinam enim necesse est esse severitatis officium* : castigantur ope mss.

(4) *Ait* supplevimus codicis fide.
(5) In nostro libro *milies* constanter.

(*b*) In duobus mss. *ac si lac.*

auri et argenti. Non 334 est simplex conclusionis istius sermo. Sufficerat enim ad Prophetæ gratulationem dixisse: Bonum mihi est lex tua. Sed cum ait, *lex oris tui*, plus voluit intelligi. Locutus est Deus per Moysen legem, locutus est per prophetas : sed hæc lex Dei est, non etiam lex oris Dei. Os autem Dei est ille, qui et virtus Dei est, (*a*) qui et sapientia Dei est, qui et brachium Dei est, qui et imago Dei est, Deus scilicet et Dominus noster Jesus Christus, dicens : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* v, 3), dicens : Beati lugentes, quia ipsi consolabuntur (*Ibid.* 4) ; dicens : *Benedicite qui vos persequuntur, et orate pro calumniantibus vos ac persequentibus vos* (*Ibid.* 44). Hanc legem oris Dei bonum sibi esse Propheta confessus est : et bonum non cum comparationis et definitionis et modi numero, sed *super millia auri et argenti*. Indefinitus hic sermo est, cum dicitur *millia :* quia indefinite bona est lex oris Dei. Ex comparatione (*b*) vero rerum maxime in terris pretiosarum, utilitatem bonorum eorum quæ a Deo sunt statuta (1) significat (*c*) in Christo. Amen.

LITTERA X.

' Jod.

Manus tuæ fecerunt me, et (2) *plasmaverunt* (Hil. *præparaverunt*, vel *finxerunt*) *me. Da mihi intellectum ut discam mandata tua. Qui timent te, videbunt me, et lætabuntur : quia in verba tua spero* (Hil. *speravi*). *Cognovi, Domine, quia æquitas judicia tua, et in veritate tua humiliasti me. Fiat misericordia tua, ut exhortetur me secundum eloquium tuum servo tuo. Veniant mihi miserationes tuæ, et vivam : quia lex tua meditatio mea est. Confundantur superbi, quia injuste iniquitatem fecerunt in me* (infra, *super me*) : *ego autem exercebor in mandatis tuis. Convertantur mihi qui timent te, et qui noverunt testimonia tua. Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis : ut non confundar.*

1. *Homo terrenis Dei operibus præstantior. Ad quid creatis uti debeat.* — Commune judicium est, inter omnia terrena Dei opera nihil homine utilius, nihil esse speciosius : quia etsi sint aliqua pulcra et ornata, magnitudinem quidem ejus qui ea tam decora genuerit 335 testantur, verum speciei et ornatus et institutionis suæ fructum ipsa non sentiunt. Loquimur enim de his quæ humano subjecta conspectui sunt, scilicet de creatis in terra et mari et aere, et quæ singulis quibusque generibus naturisque permixta sunt. Pulcra hæc; sed quod tandem in Oceano aut terra aut cœlo (*d*) aut aere bonum, quæ in his creata sunt, eo quod talia creata sint, consequentur? In homine autem quidquid est, sibi proficit. Et hoc unum in terris animal rationale, intelligens, dijudicans, sentiens constitutum est : horumque omnium generum, quæ in eo sunt; nihil (3) ad (*e*) aliud aliquid proficit, quam ut ipse et cæteris aliis, et his in quibus est natus utatur : utatur autem ad cognoscendum venerandumque eum qui tantorum in se bonorum auctor et parens sit.

2. *Quando quid grande. Nomen suum quando amittat.* — Ex quo magnum illud atque mirabile Salomonis dictum esse intelligitur, quod tale est : *Grande homo et pretiosum vir misericors : virum vero fidelem opus est* (4) *invenire*. Quid enim tam difficile est, quidve tam ardui operis est, quam invenire eum qui meminerit se secundum imaginem et similitudinem Dei esse factum, qui divinorum eloquiorum studio intentus, rationem animæ suæ corporisque cognoverit, et originem utriusque generis naturamque perceperit ; ad quem denique finem hæc institutio sua ortusque contendat ? Atque ob id magnum quiddam est homo. Hoc enim nomen, ubi rerum superius commemoratarum cognitione neglecta in vitia deciderit, amittit ; indignus scilicet jam judicatus homo nuncupari. (*f*) Et qui secundum imaginem et similitudinem Dei factus sit, secundum exprobrationes propheticas et evangelicas, aut serpens, aut progenies viperarum, aut equus, aut mulus, aut vulpes ei nomen est : et proprietas ei hominis sui, ubi de innocentia exciderit, (5) auferetur.

3. *Hominis duplex origo.* — Verum qui studiosa fide doctrinam Dei et præcepta scrutatus sit, et per innocentiæ studium dignum præstare se velit, qui secundum imaginem et similitudinem Dei factus sit, uti et ipse Prophetæ voce poterit, dicentis, Vers. 73: *Manus tuæ fecerunt me, et præparaverunt me.* Et in aliquibus codicibus ita scriptum deprehendimus: *Manus tuæ fecerunt me, et finxerunt me : da mihi intellectum, ut discam mandata tua.* 336 Et sine dubio non otiosum esse existimandum est, quod non satis

(1) *Significans*. Mox absunt verba, *in Christo. Amen.*
(2) *Paraverunt.*
(3) Deest *ad* in ms.
(4) *Inveniri.*
(5) *Auferetur.*

(*a*) Regius codex et Albin. *qui et sapientia Dei est, scilicet Dominus*, aliis omissis.
(*b*) Editi, *ex comparatione enim :* inconcinne.
(*c*) Hæc postrema verba adjecimus auctoritate mss.
(*d*) Duo mss. *in æthere.* Apertius tota hæc phrasis sic potest reddi : *Quæ in Oceano aut terra*, etc., *creata sunt, quod bonum in iis consequentur*, etc. Quidni bonum aliquod consequantur animalia, si sentiunt?
(*e*) In vulgatis desideratur particula *ad*. Mox apud Lips. et Par. pro *et cæteris aliis*, substitutum est *in cæteris aliis*, contra fidem mss. et Hilarii mentem, volentis ad hominis usum et sua et aliena omnia destinari, ipsum vero ad nihil aliud creatum esse.
(*f*) Ms. Mic. *et qui non secundum :* et mox, *sed secundum*. Illud *sed* apud Par. immissum est. Hoc autem Hilarii argumentum est : Homo est, qui secundum imaginem et similitudinem Dei factus est : sed qui ab innocentia excidit, non retinet imaginem Dei, nec proinde hominis nomen. *Scriptura enim eum hominem dicit, qui est ad imaginem et similitudinem Dei; peccantem autem, non hominem, sed aut serpentem, aut equum*, etc., inquit Ambrosius in eumdem versum Hilarii vestigiis insistens, qui et paulo post ad peccatorem ait : *Post quam peccasti, aliud esse cœpisti ; illud quod eras esse desiisti.... ut fieres ex homine serpens, mulus, equus, vulpecula.*

crat Prophetam dixisse : *Manus tuæ fecerunt me;* nisi adjecisset, *finxerunt,* vel, *præparaverunt*. Sed honorem conditionis suæ Propheta intelligens, specialem originis suæ in hoc significare voluit dignitatem, primum dicens, *Manus tuæ fecerunt me.*

4. *Creata verbo omnia. De homine condendo ante tractatur.* — In creatione mundi omnia verbo effecta esse accepimus, cum dicitur : *Fiat lux* (*Gen.* 1, 3); cum dicitur : *Fiat firmamentum* (*Ibid.* 6); cum dicitur : *Et pareat arida* (*Ibid.* 9); cum dicitur : *Germinet terra herbam pabuli seminantem semen secundum suum genus* (*Ibid.* 11); cum dicitur : *Fiant luminaria in firmamento* (*Ibid.* 14); cum dicitur : *Ejiciant aquæ reptilia animarum vivarum* (*Ibid.* 20). Ergo omne, ex quo vel in quo mundi totius corpus creatum est, originem sumit ex dicto, et subsistere in id quod est ex verbo Dei cœpit. Verum de homine ita Deus locutus est ; *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Ibid.* 26). Differt itaque natura et origo hominis ab institutione universæ creationis : et proprie de eo ante et tractatur et confirmatur ut fiat, cum cætera sine quadam consilii sententia esse sint jussa. Habet ergo (1) primum hanc origo hominis dignitatem, quod ei proprium fuit de se ante tractari.

5. *Privilegium aliud, quod manibus Dei condatur. Quæ hic indagentur.* — Verum et in hoc præsenti prophetico dicto ingens humanæ originis privilegium continetur. Non enim manus Domini pecora et aquatilia et volatilia fecerunt; nusquam istud Scripturæ tradidere. Egregium hoc itaque et præclarum in homine est, quia a cæteris dignitate operationis excipitur. De confirmatione autem cœli ita quodam in loco leginus : *Ego manu mea firmavi cœlum* (*Esai.* XLV, 12, *sec.* LXX). Ergo exæquatur operationi hominis istud elementum, cum (*a*) idipsum manu Dei firmatum esse memoratur? Sed quamquam cœlum manu ; homo tamen manibus. Præstat ergo officio unius manus, duarum operatio : et id quod ad confirmationem cœli satis est, in hominis conditione non sufficit. Intelligendum autem est cur manibus Propheta se factum esse dicat : neque solum factum, sed etiam figuratum vel præparatum.

6. *Uno Dei jussu perfecta omnia, non homo.* — Cæterorum omnium elementorum creatio eo ipso tempore et instituta et effecta est, quo subsistere jubebatur : neque inchoationem eorum et perfectionem tempus aliquod **337** discernit; nam consummationem inchoatio in eo quod est cœpta percepit. Homo vero, cum internam et externam in se naturam dissonantem aliam ab alia contineat, et ex duobus generibus in unum sit animal rationis particeps (2) constitutus (*b*), duplici est institutus exordio. Primum enim dictum est : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* 1, 26) ; dehinc secundo, *Et accepit Deus pulverem de terra, et finxit hominem* (*Gen.* II, 7).

7. *Facta illius ad imaginem Dei anima. Corpus deinde de terra formatum.* — Primum opus non habet in se assumptæ aliunde alterius naturæ originem. Incorporale est, quidquid illud (*c*) tum de consilii sententia inchoatur : fit enim ad imaginem Dei. Non Dei imago ; quia imago Dei est primogenitus omnis creaturæ : sed ad imaginem Dei, id est, secundum imaginis et similitudinis speciem. Divinum in eo et incorporale condendum, quod secundum imaginem Dei et similitudinem tum fiebat : exemplum scilicet quoddam in nobis imaginis Dei est, et similitudinis institutum. Est ergo in hac rationali et incorporali animæ nostræ substantia primum, quod ad imaginem Dei factum sit. Secundi vero operis efficientia quanto differt ab institutione prima (*f.* primi)? Deus terræ pulverem accipit. Nam sumitur pulvis, et terrena materies formatur in hominem, vel præparatur : et ex alio in aliud opere ac studio artificis expolitur. Primum ergo non accepit, sed fecit : secundum non ut primum fecit, sed accepit ; et (*d*) tunc formavit vel præparavit.

8. *Præparatum etiam recte dici potest. Cur manibus Dei, non manu.* — Utrumque (*e*) autem intelligi recte potest, quia utrumque scriptum deprehendimus : ut formaverit in id quod est, corporis scilicet speciem ; vel præparaverit in id quod dicitur : *Et inspiravit in eum spiritum vitæ, et factus est homo in animam viventem* (*Gen.* II, 7). Inspirationi ergo huic præparatus sive formatus est : per quam natura animæ et corporis (*f*) in vitæ perfectionem quodam inspirati spiritus fœdere contineretur. Scit in se duplicem beatus Paulus esse naturam, cum secundum interiorem hominem delectatur in lege, et cum aliam in mem-

(1) *Primam.*

(2) *Constitutum.* Deinde, *est constitutus* pro *est institutus.*

(*a*) Sola editio Par. *ad ipsum.* Argumento, quod ex verbis Esaiæ secundum LXX, cum Hilario conficit Ambrosius, non item suffragatur Vulgata, in qua legere est, *manus meæ tetenderunt cœlum.*

(*b*) In mss. *constitutum.* Hunc locum non attendit Scultetus, inter singulares Hilarii opiniones recensens quod animam corpoream senserit. Si enim anima est corporea, homo non constat duobus generibus, nec naturam aliam ab alia dissonantem continet. Quippe non novimus nisi duo substantiarum genera, quorum unum corporeum sit, alterum corpore careat.

(*c*) Particula *tum* in vulgatis omissa, revocatur ex scriptis. Incorporalis animæ substantia rursum hic ac deinceps ita disertis verbis asseritur, ut non videatur quomodo Sculteti imprudentiam non correxerint alii recentiores. Si quid in Matth. cap. v, n. 8, obscure loquitur Hilarius, ex his claris erat illud intelligendum.

(*d*) Demo hic in editis deerat *tunc*, ac cætera nonnihil perturbate erant posita. Demonstrat Hilarius animam ex nulla præexistente substantia conditam, corpus autem non ita.

(*e*) Scilicet et verbum *formavit*, et *præparavit* : ut corpus, si in se spectetur, dicatur formatum ; præparatum autem, si respiciatur ad animam, cui recipiendæ aptatum est.

(*f*) Tres mss. *vitæ perfectionem... contineret* Inspirationem hic interpretatur Hilarius tertiam velut Dei in homine condendo actionem, qua animam cum corpore connexuerit.

suis videt legem quæ se captivum ducat in lege peccati (*Rom.* VII, 22 *et* 23). Quod ergo fit secundum imaginem Dei, ad animi **338** pertinet dignitatem. Quod autem formatur ex terra, speciei (1) corporis naturæque primordium est. Et quia vel locutus ad alterum Deus intelligitur cum dicit, Faciamus hominem; vel triplex cognoscitur hominis facti (2) præformatique (*a*) perfectio : cum et fit ad imaginem Dei, et formatur e terra, et inspiratione spiritus in viventem animam commovetur : idcirco manibus se factum et formatum, non manu tantum Propheta testatur, quia in constitutione sua non (*b*) solitarii tantum, et eadem triplex fuisse docetur operatio.

9. *Humana de se ignorantia. Intellectus a Deo rogandus.* — Et quia istud sciat Propheta valde esse occultum atque reconditum, quatenus scilicet manibus Dei formatus sit : tamen ut plenam atque absolutam intelligentiæ hujus rationem (*c*) consequatur, ait : *Da mihi intellectum, ut discam mandata tua.* Tamquam ignorans hæc loquitur, et tamquam nondum intelligentiam adeptus, dari sibi intelligentiam deprecatur : et audent non dico Ecclesiæ homines, sed gentium sophistæ, quædam de naturæ humanæ institutione velle tractare; audemus etiam gloriari, rectæ ac perfectæ nos vitæ esse scientiam consecutos. Sed doceri nos oportet prophetæ hujus exemplo, ut vel divinarum rerum ignorantiam confiteamur, vel ignoratarum intelligentiam deprecemur. Optimum est autem cœlestium mandatorum scientiam a Deo per precem postulare, infirmitatem ingenii nostri pauperatemque cognoscere. Primum enim, secundum Apostolum, munus est gratiarum sapientiæ donum, sequens scientiæ (I *Cor.* XII, 8) : et idcirco hunc ordinem etiam hic propheta servavit, dicens : *Da mihi intellectum, ut discam mandata tua.* Primum intelligentiam, post etiam scientiam deprecatus est.

10. *Piorum conspectus tristis impiis, lætus justis.*— Sequitur deinde, VERS. 74 : *Qui timent te videbunt me, et lætabuntur, quia in verba tua speravi.* Consuetudo impiorum est, ut conspectis religiosis viris tristes sint. Oderit enim necesse est, ebriosus sobrium, continentem impudicus, justum iniquus : et tamquam conscientiæ onus, præsentiam sancti cujusque non sustinet. Contra vero ad conspectum viri fidelis, religiosi omnes quibus timor Dei est lætantur, et vel solo corporeæ contemplationis **339** visu gratulantur, a modo avium herbarumque quarumdam, quæ visæ tantum et (*d*) conspectæ morbis aliquibus et infirmitatibus medentur. Utilis ergo est et sancti præsentia timentibus Deum : quia necesse est profectum aliquem ex contemplatione ipsius consequantur. Sed Propheta non hoc in se solum contuendum putat, quod (3) caducis (*e*) ac promiscuis oculis subjectum est. Vult ille probitatem vitæ suæ conspici, vult justitiam suam et religionem et continentiam cerni, Non enim tantum, quia vident eum, timentes Deum lætabuntur; sed quia vident eum in verba Dei sperantem : et sperantem non mediocriter, neque confuso humanæ opinionis errore; sed dicentem cum libertate id quod consequitur.

11. *Judicia Dei præsentia, non æterna, Prophetæ nota.*—VERS. 75. *Cognovi, Domine, quia æquitas judicia tua et* (*f*) *vere humiliasti me.* In locis cæteris meminimus, ita Prophetam dicere solitum : Da mihi intellectum, et doce me, et observabo præcepta tua. Nunc autem tamquam (*g*) de adeptis profitetur, dicens : *Cognovi, Domine, quia æquitas judicia tua.* Sed hic non de judiciis illis æternis, sed de præsentibus sermo est. Judicia enim illa æterna secundum eumdem prophetam, sicut abyssus multa (*Psal.* XXXV, 7); et secundum Apostolum : *Judicia Dei investigabilia et inscrutabilia* (*Rom.* XI, 33). Scit autem in his judiciis quæ nunc sunt, quidquid in se geratur, ex judicio Dei fieri : omnes tribulationes, omnes pressuras, omnia insectationum odia, omnes persecutionum infestationes, ex judicio in se Dei adesse, ut per hæc probabilis, ut per hæc emendatus, et tamquam per ignem examinatus atque purgatus sit.

12. *Scientiæ et fidei discrimen.* — Plus est autem nescio quid in cognitione, quam in fide, operis : et idcirco hic non credidit, sed cognovit : quia fides habet obedientiæ meritum, non habet autem cognitæ veritatis fiduciam. Distinxit Apostolus plurimum inter cognitionem fidemque differre, posteriore eam loco inter gratiarum dona connumerans. Primo enim sapientiam, sequenti cognitionem, tertio fidem prædicavit : quia qui credit, potest ignorare quod credit : qui autem jam cognovit, non potest id quod cognovit adepta cognitione non credere (*Vid. lib.* VIII *de Trin.*, *n.* 10).

13. *Judicia Dei justa.* — Ergo ambiguitatem hic non admittit Propheta, quin sciat justa esse Dei judicia,

(1) *Corporeæ.*
(2) *Formatique.*
(3) *Publicis.*

(*a*) Sic mss. quod respondet verbo *præparaverunt.* Editi vero *formatique.*

(*b*) In vulgatis, *solitaria* : non exprimitur una ratio cur manus Dei in plurali dicantur hominis conditrices. Hujus enim rei duplex redditur; prima, quia non unius personæ operatio fuit; altera, quia non una fuit, sed triplex.

(*c*) Mss. *consequamur.*

(*d*) Regius codex cum Albin. *Conspectæ utiles sunt. Utilis ergo*, etc. In eamdem litt. n. 23, Ambrosius : *Si est tanta vis*, inquit, *in naturalibus, ut animal visum prosit ictericis*, etc. Quodnam sit illud animal docet Plinius, lib. XXX Hist. Nat. c. 11, ubi ait : *Avis icterus vocatur a colore, quæ si spectetur, sanari id malum tradunt, et avem mori. Hanc puto latine vocari galgulum.* Galbulum alii vocant, vulgo *Loriot.*

(*e*) Ita nostri mss. At excusi, *publicis.*

(*f*) Apud Par. hic *veritate tua*; infra autem, *in veritate tua.* Utrobique ex editionibus aliis ac duobus mss. restituimus *vere*, quomodo vertit Hieronymus ex hebræo, faventibus etiam Græcis, qui legunt ἀληθείᾳ. sine σοῦ.

(*g*) In duobus mss. *de apertis*, lectio non spernenda : ut præsentia Dei judicia, quatenus aperta, opponantur æternis, quæ obscura ut abyssus prædicantur.

id est, humiliationis suæ et tribulationis et **340** contemptus et injuriæ et doloris. Ita enim ait : *Cognovi, Domine, quia æquitas judicia tua, et verè humiliasti me.* Non sine causa se scilicet esse tribulationibus subditum, non sine causa passionibus permissum, non sine causa (1) injuriis humiliatum ; sed ad humanorum vitiorum expianda peccata, ex justis se ac veris Dei judiciis humiliationi esse subjectum.

14. *Ea non petit David declinare; sed Dei ope fortiter ferre.* — Sed quia in his passionibus ex æquitate divini judicii versetur : (*a*) exhortationem præsentium humiliationum ex misericordia Dei deprecatur ; quia humana infirmitas impar sit tolerantiæ passionum, dicens, VERS. 76 : *Fiat misericordia tua, ut exhortetur me secundum eloquium tuum servo tuo.* Sed meminit bonum sibi esse humiliari, bonum sibi esse passionibus subdi, et ea omnia, a quibus vexatur, purgationem sibi terrenorum esse vitiorum. Non enim ut humilitas ac tribulatio a se auferatur, orat ; sed ut sibi ex misericordia Dei adhortatio in tribulatione præstetur. Optat ergo (*b*) diutino prælio in his corporis sui infirmitatibus militare : optat longo certamine adversus mundi hujus nequitias consistere. Sed adhortationem ex misericordia Dei sperat : ut tribulatus licet et afflictus, divinæ adhortationis auxilio firmetur. Scit et beatus apostolus Paulus, omni ipse tentationum genere perfunctus, uti (*c*) se divinæ misericordiæ adhortatione, dicens : *Benedictus Deus pater Domini nostri Jesu Christi, pater miserationum, et Deus omnis exhortationis, qui exhortatur nos in omni tribulatione* (II *Cor.* I, 3, 4). Et adhortationem hanc scit sibi Propheta promissam (2) a Deo patre (*d*) et Domino miserationum, qui per tentationes eum qui in se credat examinet : atque ideo subjecit, *secundum verbum tuum servo tuo* : id est, secundum eam promissionem, qua spoponderit se tribulatos in passionibus non relicturum. Dixit enim in Evangeliis : *Cum ergo tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini ; dabitur enim vobis* (3) *in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus patris vestri qui loquitur in vobis* (*Matth.* x, 19, 20). Et hoc quidem quantum ad præsens pertinet tempus.

15. *Vita æterna ex Dei misericordia. Jam non vere vivimus. Vitæ veræ spes quibus foveatur.* — Futuræ autem spei Propheta non immemor est, dicens, VERS. 77 : *Veniant mihi miserationes tuæ, et vivam : quia lex tua meditatio mea est.* Naturæ corporalis infirmitas eget miserationibus Dei. Neque enim beatæ illius vitæ æternitatem **341** consequi merito suo poterit, nisi miserationibus ejus, qui pater miserationum est, provehatur. Scit Propheta nondum se ea vivere vita quæ vita sit : nemo enim nostrum hoc quod nunc vivit, vitam audebit existimare. Nunc enim in corpore mortis sumus, Paulo dicente : *Quis me liberabit de corpore mortis hujus* (*Rom.* VII, 24) ? Et hoc ipsum eodem hoc propheta testante ita : *Et in pulverem mortis* (4) *deduxisti me* (*Psal.* XXI, 16). Vera enim vita nostra cum Christo absconsa est in Deo. Sed neque hæc, in qua nunc agimus, regio viventium est : ea autem est de qua hic idem propheta ait : *Et complacebo Deo in regione vivorum* (*Psal.* CXIV, 9). Atque ideo *vivam* dixit quia non usu vitæ istius vivit, sed in Dei sit miseratione victurus. Sed sperat istud, quia lex Dei meditatio ejus est. Vacemus igitur divinæ lectioni, vacemus præceptis Dei, et opera legis, vitæ nostræ officiis exsequamur : quia propter meditationem legis veniente in se Domini miseratione, sperat se Propheta victurum.

16. *Inimicorum non rogat David ultionem, sed conversionem.* — Non est vero sufficiens huic prophetæ, ut sibi tantum sollicitus sit, ac solum sui memor sit. Oportet eum curam humani generis sumere, et publicæ sollicitudinis affectum subire, et orare pro his qui in peccatis et irreligiositate versantur. Hujus itaque affectus sui sollicitudinem consequenti versu docet, dicens, VERS. 78 : *Confundantur superbi, quia injuste iniquitatem fecerunt super me.* Non est hic maledicti oratio, neque retributionem injuriæ sibi illatæ precatur. Et absit ut Propheta Evangelii prædicator rationem evangelicæ charitatis excesserit. Domino enim dicente, *Diligite inimicos vestros, et orate pro calumniantibus* (5) *vos* (*e*) *ac persequentibus vos* (*Matth.* v, 44), ratio non patitur, ut nunc vindictam in superbos atque injuriosos precetur. Sed quia a peccatis qui desinit, in his erubescit ; et qui vitia derelinquit, necesse est ea idcirco quia oderit derelinquat : orat Propheta, ut qui in se superbi injuste fuerint, hi per cognitionem vitiorum suorum in his quæ gesserint erubescant. Quamdiu enim quis peccat, in his quæ peccat non confunditur, consuetudine et voluntate peccandi. Ubi vero peccare destiterit, finem peccandi habet ex pudore peccati. Ipse autem exercetur in mandatis Dei, vivendo juste, religiose prædicando, injurias non retribuendo, et tolerando patienter. Ob id enim multorum in se superborum contradictiones iniquitatesque sustinuit.

17. Absolute autem consequenti versu id, quod de confusione superborum tractamus, significasse intelligitur. Sequitur enim, VERS. 79 : *Convertantur mihi qui timent te, et qui* (6) *noverunt* **342** *testimonia*

(1) *Per injurias.*
(2) *Habens Patrem et Dominum miserationum.*
(3) *In illa die.*

(4) *Deduxit.*
(5) *Vobis.*
(6) *Cognoscunt.*

(*a*) Subsequentem psalmi versum 76, in vulgatis hic perperam insertum removimus, et mox integrum restituimus auctoritate mss.

(*b*) In vulgatis *divino*. Magis placet cum mss. reg. Vatic. Albin. *diutino*.

(*c*) Abest *se* a ms. Mic.

(*d*) Regius codex cum Albin. *ab eo patre*. Miciacensis cum Vatic. *Habens Patrem et Dominum miserationum*. Mox editi, *qui se credat*, omisso *in*.

(*e*) In ms. Mic. *vobis*, quomodo et in Albin. et reg. legebatur supra litt. 9, n. 9.

tua. Vult ergo eos, qui Deum timere cœperunt, ad se Propheta converti, ut per doctrinam suam in vitiis suis et criminibus erubescant : cognitis scilicet testimoniis Dei, de quibus multa jam diximus, et confusi de veteribus delictis ad institutionem Prophetæ doctrinamque se referant; quorum ex superbia atque peccatis ad pietatem modestiamque conversio est.

18. *Modestia David nostram arguit superbiam.* — Conclusit autem verecundiæ suæ more, dicens, VERS. 80 : *Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis, ut non confundar.* Exercetur in mandatis, meditatur in lege, justitiam judiciorum Dei cognovit, timentes Dominum conspectu ejus lætantur, manibus Dei factus atque formatus est; et non audet dicere immaculatum cor sibi esse : et audemus interdum præferre innocentiam nostram, jactare vitiorum abstinentiam, et puros nos a peccatis atque iniquitatibus gloriari? Sed ut fidem, ita et humilitatem ac modestiam discere a Propheta nos convenit, orante ut sibi immaculatum cor fiat. Scit enim ex eo progredi, secundum id quod dictum est : *De corde enim exeunt cogitationes malæ, cædes, lasciviæ, fornicationes, furta, falsitates, blasphemiæ, et horum similia* (*Matth.* XV, 9). Hoc igitur immaculatum fieri deprecatur, unde tot tantorumque vitiorum, quasi ex quodam fomite, initia suggeruntur. Immaculatum autem hoc modo sciens fieri, si in justificationibus Dei maneat : justificationum autem hunc fructum esse intelligit, ne iis manens confundatur. Confusio enim ex peccatorum conscientia est, et ex opprobrio delictorum. Ubi ergo confusio non erit, nec peccatum erit. Peccatum vero ubi non erit, in justificationibus Dei manebitur. Justificationes autem Dei, immaculatum cor esse præstabunt.

(1) LITTERA XI.

ב *Caph.*

Defecit in salutare tuum anima mea, et in verbum tuum spero. Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes : Quando consolaberis (Hil. *exhortaberis*) *me? Quia factus sum sicut uter in pruina, justificationes tuas non sum oblitus. Quot sunt dies servi tui? quando facies de persequentibus me judicium? Narraverunt mihi iniqui exercitationes; sed non ut lex tua. Omnia mandata tua veritas : iniqui* (Hil. *inique*) *persecuti sunt me, adjuva* 343 *me. Paulo minus consummaverunt me in terra : ego vero non dereliqui mandata tua. Secundum misericordiam tuam vivifica me, et custodiam testimonia oris tui.*

(1) *Incipit littera* XI, *fœliciter. Scriptori vita, legenti doctrina. Kat.*
(2) *Cui in omnes ad Deum exspectatio est.*
(3) *Salutari.* Deinde, *in verbis Dei.*

1. *Defectionem animi parit ingens desiderium : Salutaris Jesus.* — Naturæ humanæ est, ut cum id quod desiderat non potest obtinere, per desiderii jugem cupiditatem animi defectione teneatur. Et hoc nosse ex ipsis affectionis nostræ motibus promptum est, in quantam animi defectionem, eorum quos desideramus exspectatione, redigamur. Propheta itaque, (2) cui exspectatio omnis ad Deum est, cui omne in mandatis ejus desiderium est, loquitur et dicit, VERS. 81 : *Defecit in salutare tuum anima mea, et in verbum tuum spero.* Non habet alia, quæ desiderium suum occupent : et sancti cupiditas non vacat sæculi rebus. Deficit igitur in desiderio (3) salutaris : et deficit ob id, quia (*a*) in verbum Dei speret : finis enim legis Christus Jesus est, et hic est de quo scripserunt Moyses et prophetæ. Est autem salutaris ipso illo nomine quod Jesus nuncupatur. Jesus enim secundum hebraicam linguam salutaris est : et idipsum Angelus ad Joseph loquens docet, cum dicit : *Et vocabis nomen ejus Jesum* (*Matth.* I, 21) : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis (*b*). Causa itaque defectionis est desiderium salutaris. Desiderii autem hinc origo est, quod (4) in verbum Dei sperat. Salutaris enim noster Jesus est, qui et desideratus et natus est. Sed defectionem animæ desiderantis intelligendum est quid sequatur.

2. *Defectio oculorum.* — Ait, VERS. 82 : *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes : Quando exhortaberis me?* Sequitur ergo defectionem animæ defectio oculorum. Sed ut de natura defectionis animæ tractavimus, videamus qualis oculorum soleat esse defectio. Pone igitur in exspectatione aut peregrinantis viri conjugem, aut jam diu absentis filii patrem, quem in omni tempore existimet reversurum : nonne (5) ei itineri (*c*), quo venturum opinabitur, semper intendet? nonne intentio ac visus oculorum 344 contuitionis ipsius exspectatione deficiet? Desideria hæc in se prophetarum Dominus testatur, cum dicit : *Amen dico vobis, multi prophetæ et justi quæsierunt videre quæ vos videtis, et audire quæ auditis* (*Matth.* XIII, 17). Propheta itaque et animo et oculis (6) deficit.

3. *Oculi mentis hic designantur. Exhortatio ad sanctos in inferno quiescentes.* — Sed hi nunc oculi Prophetæ, licet Dominum videre desideraverint, non sunt tamen corporis oculi; loquuntur enim et exspectant : et mentis potius est contuitio ista et loquela, non corporis. Dicunt enim : *Quando exhortaberis me?* Scit exhortationem hanc (*d*) sanctos quiescentes in inferno desiderare. Scit testante apostolo Petro,

(4) *In verbis Dei.*
(5) *Eo itinere.*
(6) *Defecit.*

(*a*) Apud Par. *in verbis Dei sperat.* In mss. Mic. et uno Vatic. *in verbis Dei credat.*
(*b*) Editi etiam hic subjiciunt *eorum* : quod a mss. abest, ut supra in psal. LI, n. 24; et in psal. LXVI, n. 4.
(*c*) Duo mss. *eo itinere.*
(*d*) Hæc Hilarii licet suppresso nomine verba haud dubie notat Beda in I Pet. III, ubi ait : *Quidam hunc locum ita interpretatus est, quod consolationem illam, de qua dicit Apostolis Dominus : Multi prophetæ*, etc.; *de qua et Psalmista : Defecerunt oculi mei*, etc., *sancti quiescentes in inferno desideraverunt : quod hæc descendente Domino in inferna, etiam his qui in carcere erant, et increduli quondam fuerunt in diebus Noe,*

descendente in inferna Domino, etiam his qui in carcere erant, et increduli quondam fuerunt in diebus Noe, exhortationem prædicatam fuisse (I *Petr.* III, 19 *et* 20). In hæc igitur Dei eloquia oculis loquentibus delicit : non tam visu corporeo Dominum ex eloquiis Dei nuntiatum, quam contemplatione animæ et mentis exspectans.

4. *Uter in pruina, corpus continentia castigatum. Cupiditas ardens justificationum Dei non meminit.* — Dehinc sequitur, VERS. 83 : *Quia factus sum sicut uter in pruina, justificationes tuas non sum oblitus.* Novi generis hæc causa est, ut ideo justificationes Dei non oblitus sit, quia factus sit sicut uter in pruina. Et si rem solis auribus metiamur, inanis et ridiculus Prophetæ sermo existimabitur. Sed meminit utrem pro humanis corporibus nuncupari, Domino in Evangeliis dicente (*Marc.* II, 22) : Nemo, inquit, mittit vinum novum in utres veteres. Et non ambigitur cum (*a*) in utribus corpora, in peccatis suis (1) vetera memorasse. Per continentiæ autem studium frigent fidelium corpora : et calore naturæ interioris exstincto, utres erunt frigidi : quæ cum intrinsecus per naturam vitiorum efferventium incalescant, extrinsecus tamen continentiæ patientia tamquam pruinæ frigore obrigescant. Ergo in hoc corporum frigore justificationum Dei immemores esse non possumus. Quisquis autem per vitiorum ardorem utre pleno caluerit, neque per metum Dei religionemque frigescat, necesse est justificationum Dei obliviscatur. Quæ oblivisci sanctus non poterit, cum utris in pruina modo (2) obrigescens (*b*) extrinsecus, **345** internarum cupiditatum omnium instigatione sit frigidus.

5. *Judicium non hic poscitur extremum* (*Psal.* I, 5), *sed virtus qua diabolus cum ministris conteratur.* — Dehinc sequitur, VERS. 84 : *Quot sunt dies servi tui? quando facies* (3) *mihi de persequentibus me judicium?* Judicium post consummationem sæculi Propheta esse non ignorat, cum ait : Propterea non resurgunt impii in judicio, neque peccatores in concilio justorum : quod ergo nunc orat de persequentibus se fieri judicium? Non illud utique quod in resurrectionis sæculo meminit futurum, cum se paucorum nunc

(1) *Veterna* cum prius excusis.
(2) *Obrigescentis.*
(3) *Mihi* supplevimus ex nostro codice, Græco textu, et Hilarii expositione.
(4) *Infra se.*

consolatio vel exhortatio prædicata fuerit. Quam interpretationem rejiciens subjicit, *Et hæc ille dixerit : sed catholica fides habet, quia descendens ad inferna Dominus non incredulos inde, sed fideles solummodo suos educens ad cœlestia secum regna perduxerit.* An Beda Hilarii interpretationem catholicæ fidei minus consentaneam existimarit, non expendimus : at hoc certe constat, nihil eum contra fidem dixisse, qui sola Petri verba memorasse satis habens, nihil amplius affirmarit, quam quod iis contineretur. Neque enim incredulos ex in feris eductos asseruit : quod magis sensisse videtur Augustinus lib. XII de Gen. ad lit. c. 33, n. 63. De hac prædicatione in inferis facta videsis eumdem Augustinum epist. CLXIV et Cottelerium notis in lib. III Pastoris.

(a) Unus codex Vaticanus, *In utribus veteribus, corpora in peccatis suis ;* tum excusi, *veterna*, non *vetera.*

(*b*) Apud Par. *obrigescentis.* Rectius hoc verbum in aliis libris refertur ad sanctum. Deinde unus e mss. Vat. *internarum cupiditatum omnium castigatione.* Magis placeret *instigationi.* Internæ enim cupiditates non perimuntur, sed per continentiam earum instigationi non ceditur, ex proxime dictis.

(*c*) Editi, *cognata materies*, reluctantibus mss. Hic non obscure docetur nobiscum nasci concupiscentiam, sicut num. superiori docetur in sanctis et perfectis (sane ad agonem) eamdem superesse.

(*d*) Excusi, *studia animæ nostræ Deo rectius servientia accendunt.* Concinnior visa est lectio mss. reg. et Albin. ita ut vox *sæculi* et ad *virtutes* et ad *studiis* more Hilarii referatur. Hic porro docet animam soli Deo sua studia, suum debere famulatum.

A dierum secundum corporalem vitam sciat esse. Ita enim ait : *Quot sunt dies servi tui?* Cum dicit *quot* scit esse non plures. Et superius dixerat, esse se tamquam utrem in pruina. Ergo quia se paucorum dierum scit, fieri judicium ab his qui se persequuntur desiderat, a diabolo scilicet, ministrisque ejus. Sunt enim spiritales nequitiæ in cœlestibus. Sed scit et diabolum in resurrectionis sæculo judicandum. Paucorum itaque dierum ipse cum sit, fieri hoc judicium desiderat : scilicet ut consummate sanctus et perfecte Deo placens conterat (4) intra se diabolum, conterat adversantes sibi inimicasque virtutes, et fidei suæ animæ subdat nequitias spiritales. Nondum igitur de naturæ suæ firmitate confidit, licet jam ut uter frigeat : sed ut per misericordiam Dei judicium in inimicos suos sit, deprecatur. Hanc potestatem judicii Dominus apostolis suis dedit, dicens : *Ecce dedi vobis potestatem calcare super serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici* (*Luc.* X, 19). Vocem hanc quidem nondum Propheta Domini in corpore manentis audivit : sed dari sibi id potestatis orat, ut constituatur sibi in persequentes se tale judicium. Tentatur enim undique, cum ei per naturam corporis vitiorum inest (*c*) connata materies : eamque diabolus conatur ardore geminæ cupiditatis accendere, cum impiis irreligiosorum vocibus læditur, cum profanas gentium contra Deum disputationes et eloquia vesana perpetitur.

6. *Iniqui doctrinæ veritatem mentiuntur, non habent.* — Ideo in consequenti ait, VERS. 85 : *Narraverunt mihi iniqui exercitationes ; sed non ita ut lex tua.* Quanti enim sunt, qui quædam humanæ vitæ instituta docere se asserant, cum ad virtutes sæculi (5) studiis animam nostram Deo rectius servientem accendunt (*d*)? Quanti etiam sunt, qui cognitionem se habere (6) divinarum Scripturarum mentientes, hæretica et perversa dogmata prædicant? Sed sciens Propheta perfectam humanæ doctrinæ eruditionem **346** in Dei lege esse, ait : *Narraverunt mihi iniqui exercitationes ; sed non ita ut lex tua.* Iniqui enim sunt hæc prædicantes. Et ideo (7) vox Dei vetuit peccatorem eloquia sancta narrare ; quia iniqui-

(5) *Studia animæ nostræ Deo rectius servientia accendunt.*
(6) *Diversorum scriptorum.*
(7) *Lex* pro *vox Dei.*

tas, doctrinæ cœlestis non recipit veritatem. Peccatori enim dixit Deus : *Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum* (*Ps.* XLIX, 17) ? Tu autem (1) odisti disciplinam, rejecisti sermones meos retro. Et has igitur exercitationes Prophetæ non fert, sciens nihil narrationi legis æquandum.

7. *Justi iniqua est persecutio.* — Denique adjecit, VERS. 86 : *Omnia mandata tua veritas : inique persecuti sunt me, adjuva me.* Justum qui persequitur, necesse est ut inique persequatur : quia iniquitas injustæ operationis effectus est. Scit et hanc Apostolus persecutionum iniquitatem, cum dicit : *Omnes volentes religiose vivere in Christo, persecutionem patientur* (II *Tim.* III, 12). *Multæ enim tribulationes justorum sunt* (*Ps.* XXXIII, 20). Nunc Satanas insectatur, nunc ministeria ejus impugnant, nunc falsorum fratrum simulatio ad nocendum arte fraudulentæ insectationis irrepit. Sed Propheta, qui veritatem esse mandata Dei meminerit, injustæ iniquitatis persecutionem fideli animo sustinet. Et quia persecutionem sciat fidei esse documentum, non orat eam a se removeri : sed adjuvari se in ea postulat, et opem atque auxilium misericordiæ Dei precatur, evangelici hujus præcepti non ignarus : *Qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus* (*Matth.* X, 38).

8. *Veritas. Persecutionis necessitas et utilitas.* — Veritas ergo est in præceptis Dei. Veritas nihil falsum, nihil incertum, nihil imperfectum habet. Persecutio autem justo intentata, (*a*) iniqua est. Iniquitas enim prædicatorem necesse est oderit veritatis : sed auxilium a Deo est veritatis prædicatori. Graves enim meminit has esse persecutorum molestias : et quia justo utiles sint, non putat amovendas. Periculosa namque otiosæ fidei pax est, et faciles securis excubiis insidiæ sunt. Bellis autem exercitatum virum non cito doli capient : et glorioso certamine opus est, ut corona victoriæ deferatur. Ob quod non orat sibi adimi causam certandi, sed tribui auxilium vincendi.

9. *Tentationibus pene cessit David.* — Meminit autem non in levi se tentationum esse pugna. Sequitur enim, VERS. 87 : *Paulo minus consummaverunt me in terra : ego autem non dereliqui mandata tua.* Prope usque (*b*) ad finem fidei, injustæ persecutiones Prophetam redegerunt, illæ scilicet, de quibus superius
347 diximus, spiritales nequitiæ in cœlestibus, quæ nos ad corporalia vitia ingestis cupiditatum illecebris instigant. Pene igitur est Propheta consummatus in terra, id est, in corporum vitia et peccata dejectus. Ut enim consummatio bonorum, ita et malorum est. Sed ingruentibus licet his perniciosissimis inimicis ac persequentibus se, mandata Dei non derelinquit : et infirmata licet naturæ suæ imbecillitate, in præceptis Dei permanet ; hoc gloriosius in mandatis Dei permanens, quod pene naturæ suæ infirmitas sit subacta.

10. *Vitam futuram optat, Evangelium interim servaturus.* — Concludit deinde modestiæ et spei suæ more, dicens, VERS. 88 : *Secundum misericordiam tuam vivifica me, et custodiam testimonia oris tui.* Vivificari se tamquam nondum vivens precatur : et custoditurum se testimonia oris Dei, tamquam nunc non custodiat, pollicetur. Sed cum vivat in corpore, vitam ille non hujus sæculi concupiscit : et cum testimonia Dei in lege custodiat, tamen testimonia oris Dei custoditurum se pollicetur : quæ evangelicis innovata præceptis, non adulterio tantum, sed etiam desiderio adulterii (*c*) abstinentes (*Matth.* V, 28), sola fidei sanctificatione consummant : per Dominum nostrum Jesum Christum, qui et os et dextera et virtus et sapientia Dei est, benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

LITTERA XII.

ל Lamed.

In æternum (Hil. *sæculum*), *Domine, permanet verbum tuum in cœlo. In generatione et generationem* (Hil. *generatione*) *veritas tua : fundasti terram, et permanet* (Hil. *permanebit*). *Ordinatione tua perseverat dies : quoniam omnia serviunt tibi. Nisi quod lex tua meditatio mihi est, tunc periissem in exprobratione mea* (Hil. *mea est, tunc forsitan perissem in humiliatione*). *In æternum non obliviscar justificationes tuas ; quia in ipsis vivificasti me, Domine* (abest infra *Domine*). *Tuus sum ego, salva me : quoniam justificationes tuas exquisivi. Me exspectaverunt peccatores ut perderent me : testimonia tua* (Hil. *Domine*) *intellexi. Omni consummationi vidi finem : latum mandatum tuum nimis* (Hil. *vehementer*).

348 1. *Scientia cœlestis, Dei donum.* — Sermonem Prophetæ non in humilibus aut pervulgatis demorari decet, sed semper excelsa et Deo digna tractare : atque ita, ut dum nos ad innocentis vitæ observantiam imbuit, ingenii quoque nostri humilitatem ad intelligentiam divinorum et invisibilium sacramentorum extollat. Nec sane humana infirmitas in cœlestem scientiam se ipsa provecheret, nisi Deo donum scientiæ per doctrinam Spiritus largiente ad cognitionem divinæ et imperspicabilis naturæ erudiretur. Volens igitur Propheta præstare nos ac perficere Deo dignos, et sciens repositum humanæ spei esse, ut (*d*) in cœlestem gloriam, si disciplinam cœlestis obedientiæ consectaretur, adscenderet, ita cœpit, VERS. 89 : *In sæculum, Domine, permanet verbum tuum in cœlo.*

(1) Verba *odisti disciplinam*, ut sunt in Hebraico atque Græco textu, quæ in editis deerant, liber noster adjicit.

(*a*) Ita mss. Editi vero, *iniquitas est.*

(*b*) Editi, *usque ad finem vitæ* : reluctantibus mss. Hic finis fidei, id est excidium fidei.

(*c*) Apud Par. *abstinentis* : Rectius in aliis libris *abstinentes* in quarto casu.

(*d*) Abest *in* a mss. Reg. et Albin. cum quibus mox magis placuit *adscenderet*, quam cum vulgatis *accederet.*

2. *Cœli obsequium Dei verbo.* — *In cœlo* ait : quia A scit in terris propter falsitatem hominum non manere. Et quomodo in cœlo maneat, ipsa veluti corporalis contemplationis fide cernitur. Non est illic transgressio, non demutatio, non infirmitas, non otium. Contueamur solis annuum cursum, et menstruum lunæ recursum, astrorum quoque aut stationes aut conversiones aut demutationes : numquid non finibus suis et constitutis terminis ac decretis vicissitudinibus continentur? Nihil illic demutatur, (*a*) nihil differtur, nihil negligitur : sed (*subaud.* unumquodque) in constitutionis suæ manet lege, et in indefessis obedientiæ ministeriis perseverat.

3. *Verbum Dei post sæculum hoc in aliis etiam manebit creaturis.*—Sed servavit hanc desinendorum (*b*) et præteriturorum officiorum Propheta rationem, dicens, VERS. 89 : *In sæculum, Domine, permanet verbum tuum in cœlo.* Latini quidem interpretes ambigua id significatione et minus propria transtulerunt. Nam (*c*) quod græcitas habet, εἰς τὸν αἰῶνα, κύριε, id nobiscum est *in æternum, Domine*, translatum. Accipi autem *æternum* ita potest, ut intelligatur nullo id quod æternum est fine desinere. (*d*) Sæculum vero, quod αἰὼν græce est, intra spatium definiti temporis continetur. Non enim ait, in sæculum sæculi; neque, in sæcula sæculorum : sed, *in sæculum verbum tuum permanet.* Scit post hoc sæculum cœlum et terram præterire, Domino dicente : *Amen dico vobis, cœlum et terra* (1) *præterient* (*e*), *verba autem mea non transient* (*Matth.* XXIV, 35). Meminit etiam hoc sæculum præteriturum esse, ut sit cœlum novum, et terra C nova (*Esai.* LXV, 17). Idcirco ait, *In sæculum, Domine, permanet verbum tuum in cœlo :* quia post (*f*) hoc sæculum transeunte **349** cœlo, verbum hoc obedientiæ constitutæ in creaturis, quæ revelationem filiorum Dei exspectant, necesse sit permanere.

4. *Quos jam habitet, quos deserat, quos fugiat.* — Sed non idcirco non et in terris aliquando Dei verbum est, licet id tantum in cœlo propheta prædicet manere. Nemo enim nostrum est, qui non interdum donum spiritalis gratiæ sentiat, qui non aliquando in se habeat Dei verbum, cum sobrius, cum tranquillus est, cum continens est, cum benevolus (*Mss.* benevolens) est, cum misericors est (in his enim cum sumus, manet in nobis Dei verbum), cum præceptis ejus bonarum rerum obeditione famulamur. Sed subrepentibus turbidarum affectionum motibus, cum subit pecuniæ cura, cum æstus turpis ac lascivæ cupiditatis accenditur, cum (*g*) iræ impetus commovetur, cum ebrietas desideratur ; jam non est in nobis manens Dei verbum. Est autem in his, qui secundum Apostolum exuti veterem hominem cum peccatis suis, novum induerunt (*Coloss.* III, 9) ; qui commortui Christo et consepulti, jam in novitatem vitæ resurrexerunt, et collocati sunt in cœlestibus (*Rom.* VI, 4) ; qui terrestris imagine derelicta, cœlestis imaB ginem portant (I *Cor.* XV, 49). In his enim tamquam in cœlo verbum Dei permanet, in quibus hoc verbum non offenditur ira, ebrietate, odio, infidelitate, lascivia. Nam etsi aliquando manet in nobis: (*h*) tamen has (2) habitationis suæ contumelias non fert, ut semper inesse permaneat. Si vero hæc commemorata vitia semper in nobis erunt, ne introire quidem polluta corporum domicilia dignabitur.

5. *Verbum Dei præsto est cuique. Solis instar patenti se immittit, negat clauso.*— Adest autem unicuique (*i*) proximum, ut dictum est : stat enim ad ostium verbum Dei, et pulsat ostium animæ nostræ, et dicit : *Ecce stans ante ostium pulso ; si quis aperiet mihi ostium, ingrediar ad eum* (*Apoc.* III, 20). Vult ergo semper introire : sed a nobis ne introeat excluditur. Claudimus enim per hæc corporis vitia animæ nostræ aditum. (*j*) Quæ si cœperit emundatis omnibus patere, illico introibit, modo solis, qui clausis fenestræ valvis introire prohibetur, patentibus vero totus immittitur : (*k*) Ipse quidem semper ut illuminet promptus est ; sed lumen sibi domus ipsa obseratis aditibus excludit. Est enim verbum **350** Dei sol justitiæ, adsistens unicuique ut introeat : nec moratur lucem suam (*l*) repertis aditibus infundere. Manet igitur hoc verbum Dei in cœlis per indefessam (*m*) cœlestium obedientiam : quo exemplo

(1) *Præteriet, verba autem mea non præteribunt.*

(2) *Cohabitationis.*

(*a*) In duobus mss. *nihil deseritur* ; quod ita potest intelligi, ut nihil ibi deserat fines sibi constitutos.

(*b*) Editi, *et præteritorum officiorum :* emendantur ex mss. reg. et Albin.

(*c*) Sic mss. At vulgati, *quod apud illos est.*

(*d*) In duobus mss. *secundum vero :* non probatur. Ut Hilarius, ita et Ambrosius alios codices *in æternum*, alios *in sæculum* hic præferre testatur.

(*e*) Regius codex et Albin. *præteriet, verba autem mea non præteribunt: Meminit autem.*

(*f*) Editi, *postquam hoc sæculum transierit, in cœlo verbum hoc.* Verius mss. ut in textu, quo ostenditur creaturas, postquam instituta fuerint cœlum novum et terra nova, verbo Dei constanter esse parituras. Hinc illud *in creaturis*, et ad *constitutæ* refertur, et ad *permanere.*

(*g*) In vulgatis, *ira pectus commovetur :* dicendi ratio poetam nimium sapiens. Tum in mss. reg. et Albin. deest, *cum ebrietas desideratur.*

(*h*) In duobus mss. *non manet tamen ex quo habitationis*, etc. In aliis quos sequimur, *tamen has habitationis.* Apud Hincmarum de præd. c. 25, *tamen has cohabitationis :* ex cujusmodi lectione corrupte in editis confectum erat, *tamen a sancto habitationis.*

(*i*) Apud Par. *proximo.* Mox apud Hincmar. *ante ostium*, pro *ad ostium.*

(*j*) Editi, *qui.* At Hincmarus ac nostri mss., *quæ* scil. anima. Paulo ante in mss. *cludimus*, non *claudimus.*

(*k*) Ita cum Hincmaro nostri mss. Editi vero, *ipsi quidem..... promptum est.*

(*l*) Excusi, *apertis :* Hincmaro ac mss. dissidentibus.

(*m*) Regius codex cum Albin. *per indefessam ministeriorum obedientiam. In his quoque qui cœlestes*, etc. Aliorum lectio videtur integrior. Porro *cœlestia* vocat Hilarius *solis annuum cursum, menstruum lunæ recursum*, et alia num. 2 declarata. Tum hac litteræ intelligentia præstita, aliam subjicit spiritalem : cui consentiens Augustinus Enar. 2, in ps. XVIII, n. 3, *Cœli*, inquit, sunt *sancti, a terra suspensi, Deum por-*

in sanctis quoque, qui cœlestes secundum cœlestis imaginem sunt (I *Cor.* xv, 49), Dei verbum manere credendum est.

6. *Ut in cœlo, ita in sanctis manet. Generationes duæ, in quibus solis veritas Dei.*— Sequitur dehinc, Vers. 90 : (1) *In generatione* (*a*) *et generatione veritas tua.* Duplicem hanc sensus nostri intelligentiam, qua verbum Dei manere ut in cœlo ita et in sanctis hominibus existimamus, versus hic qui consequitur confirmat. Non enim ait, (2) in generatione generationis, aut generationibus (*b*) generationum : sed *in generatione et generatione veritas tua.* Utramque generationem simplici significatione commemorat. Duas igitur generationes in duobus populis cognovimus : quorum unus est legis et prophetarum, alius est Evangeliorum et Apostolorum. Veritas ergo Dei in solis his duabus generationibus manet. Sed cum prior generatio veritatem Dei intra se haberet, nulla alia tum habuit. Erant enim plures generationes gentium atque populorum. Et nunc cum hæc eadem generatio indigna exstitit, in qua veritas Dei esset; hanc eamdem Dei veritatem, præter eam quæ Evangeliis credidit, non habet alia ulla generatio.

7. *Terra fundata et mansura, moles terrena, rectius corpus humanum.* — Sequitur vero : *Fundasti terram, et permanebit.* Convenerat ordini, ut post cœlum dehinc terra nuncuparetur : sed hoc quod medium est, id est, *in generatione et generatione veritas tua,* ob eam causam intervenisse existimo, ut duplex illa de cœlo, in quo verbum Dei manet, intelligentia confirmaretur. Nunc ergo tamquam integer ordo servatus est : cum post cœlum, in quo permanet Dei verbum, fundata terra mansura est. Et quidem hoc etiam de hac terra forte dictum intelligetur, quæ fundata permanet, quam secundum Salomonem Deus per sapientiam fundavit : quæ cum fluidæ sit aquarum naturæ superjecta, et inconstanti innatet substrata elemento, ita tamen sapientia et virtute et spiritu Dei fundata fuerit, ut permaneat. Sed mihi propheticus sermo etiam **351** de terra humani corporis videtur locutus : quæ ita fundata sit, ut in ea tamquam in cœlo verbum Dei maneat. Cœlum enim et terra præteribit (*Matth.* xxiv, 35) : et quomodo hæc terra fundata mansura est? nisi forte fundata in hoc sæculo tantum mansura sit, id est, secundum sæculi hujus constitutionem et ipsa mansura. Sed si permansura est, ((*c*) quo verbo significatur in perpetuum mansura), earum necesse est (*d*) generationum terra fundata et mansura esse credenda est, quibus ob veritatem in his Dei manentem, cœlestis horum, nunc terrenorum corporum gloria præparatur. Et absolutius id ita consequenti versu poterit intelligi.

8. *Dies, sanctorum lumen. Nunc non omnia Deo serviunt.* — Ait enim, Vers. 91 : *Ordinatione tua perseverat dies, quoniam omnia serviunt tibi.* Dies iste qui nunc est, non perseverat , interventu noctis (*e*) exemptus. Aut si de hujus diei temporibus locutus esset, mentionem etiam noctis fieri convenerat, quæ pari, ut dies, Dei ordinatione persistit. Sed quia dies lux est, et sanctus quisque mundi istius lumen est; hujus ergo luminis dies non ambigue ordinatione Dei perseverare creditur : et perseveraturus, quia omnia Deo serviant. Nunc enim non omnia Deo serviunt. Numquid et peccatores Deo serviunt? Numquid et hi serviunt, qui adhuc scabello Domini pedum subdendi sunt? Dixit autem David : *Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum (Ps.* cix, 1). Et secundum Apostolum : *Oportet eum regnare, donec ponat inimicos suos sub pedibus* (3) *suis* (I *Cor.* xv, 25). Ergo tunc dies, id est, sanctorum lumen permanebit, cum Deo cœperint universa servire.

9. *In superioribus verum est etiam quod littera sonat.* — Et hæc quidem a nobis secundum propheticam atque apostolicam doctrinam commemorata sunt : ut quamquam in præsentibus dictis futurorum bonorum significari tempus intelligatur, in quo et cœlum novum, et terra nova, et felix demutandorum corporum gloria, et æterna, (*f*) abolitis terrenorum vitiorum noctibus, nostri luminis dies spei et expectationi nostræ præparatur; tamen et magnificentiam Dei omnes hujus quoque mundi creationes indemutabili officiorum suorum constitutione testentur, cum ita firmata, (*g*) fundata, statutaque omnia sint, ut perpetuis quibus manebunt constitutorum

(1) *In generationem et generationem.*
(2) *In generationem generationis; aut a generationibus.*
(3) *Ejus.*

tantes, præceptis tonantes, sapientia coruscantes. Et Ambros. Ser. 11, in ps. cxviii, n. 12, *Cœlum mihi thronus ego magis justi affectum quam elementum intelligo.*

(*a*) Par. hic et infra, *in generatione et generationem.* Aliæ autem editiones, *in generationem et generationem.* His favet græcum. At in mss. exstat constanter, *in generatione et generatione,* post quod Hilarius, ut ex subnexis liquet, subintelligit verbum *manet. Veritas ergo Dei,* inquit, *in solis his duabus generationibus manet.*

(*b*) Editi, *in generationem generationis, aut a generationibus :* renitentibus mss. Ante *generationibus,* subauditur *in.*

(*c*) In duobus mss. *quo modo.* Retinendum omnino *quo verbo,* videl. *permanet.* Nec vero illud *quo verbo* est interrogantis, ut in prius vulgatis.

(*d*) Lips. et Par. *generatio non terra,* perperam et contra fidem mss. Proximum autem verbum *necesse est,* sic sumendum quasi adverbium *necessario,* seu *de necessitate :* qua loquendi ratione habemus in psal. lxviii, n. 16, *a malis quis eripi se ob id necesse est, ne malis afficiatur, optabit.* Et in psal. cxxi, n. 1, *proclamabit necesse est exemplo prophetæ.* Hic *generationum terra* nuncupantur corpora hominum justorum, quibus resurrectio gloriosa præparatur.

(*e*) Duo mss. *exeptus.* Pro quo *exceptus* legendum primum opinati sumus ; at probe *exemptus,* quasi ablatus, ferri posse deinde judicavimus.

(*f*) Editi, *oblitis.* Rectius mss. *abolitis.*

(*g*) Adjecimus *fundata* auctoritate ms. Mic.

ab exordio temporum cursibus perseverent.

352 10. *Legis meditatio in tentationibus et ærumnis non deserenda.* — Sed propheta perseverare se ut diem postulat, seque jam servum esse Domini sui meminit, dicens, VERS. 92 : *Nisi quod lex tua meditatio mea est, tunc forsitan perissem* (1) *in humiliatione* (a) *mea.* Frequenter admonuimus humiliationem id significare, cum tentationibus anima subjecta est, et infirmitati suæ derelicta humilis efficitur. Lex ergo ei meditatio est : et nisi meditatio ei fuisset, forsitan in humiliatione perisset. Non est ergo meditatio legis Dei, cum tribulamur et angustiamur, relinquenda : sed cum variis corporum infirmitatibus affligimur, cum inter persecutionum bella vexamur, constans in nobis debet legis esse meditatio. Urant enim licet in excidium fidei ignes, lacerent quoque ad periculum salutis nostræ flagella, fodiant etiam ad eliciendam impietatis confessionem redempta a Deo corpora ungulæ : dicti tamen prophetici meminisse debemus, ut consortes ipsius simus. Dicamus et nos patientes atque vincentes : *Nisi quod lex tua meditatio mea est, tunc forsitan perissem in humilitate mea.* Et beatitudinem meditationis hujus in exordio Psalmorum propheta meminit, dicens : *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit. Sed in lege Domini fuit voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte* (*Psal.* I, 1 *et* 2). Et vere beatus erit, quisquis in lege Dei meditabitur : (2) quia (*Al.* qua) meditatione in ipsa quoque tribulationum humiliatione servabitur.

11. *Lex vitæ initium.*—Dehinc sequitur, VERS. 93 : *In sæculum non obliviscar justificationum tuarum; quia in ipsis vivificasti me.* Scit propheta, secundum Apostolum, finem legis esse Christum (*Rom.* X, 4), (*b*) in qua justificationum observatio constituta est, scit et in Evangelia credituris legem esse pædagogam, scit et justum ex fide vivere (*Gal.* III, 24 *et* 11), scit et legem spiritalem esse (*Rom.* VII, 14), scit quod qui ea quæ in lege sunt fecerit, vivet (*Rom.* X, 5), et idcirco ait : *In sæculum non obliviscar justificationum tuarum; quia in ipsis vivificasti me* : ut quamquam fides evangelica finitis legis sit operibus prædicanda, justificationum legis tamen, quæ sibi vitæ initium sit, immemor non sit; quia legis justificatio evangelicæ justificationis fideique pædagoga (*c*) sit.

12. *Dei est qui ei soli servit. Vitiorum est qui eis obsequitur.*—Constanter vero, cum sibi nulla justificationum Dei subrepere possit oblivio, id quod consequitur est professus, dicens, VERS. 94 : *Tuus* 353 *sum ego, salva me : quia justificationes tuas exquisivi.* Non omnibus vox professionis istius competit : et rarus quisque est, qui se Dei audeat dicere. Audebit sane ille qui dixit : *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum* (*Phil.* I, 21); et : *Vivo jam non ego, vivit autem in me Christus* (*Gal.* II, 20). Et qui hujus fidei erunt similes, non impudenter quod Dei sint confitebuntur. Vox ista est animæ Deo semper intentæ : opus istud est misericordiæ indefessæ, continentiæ immobilis, jejunii usitati, largitionis impœnitentis. Quomodo enim se Dei esse profitebitur in libidinem calens, in iram mobilis, in avaritiam sollicitus, in ebrietatem sitiens, in gloriam sæculi inanis? Illorum potius erit iste, non Dei. In quo enim hæc passionum vitia abundabunt, quomodo non eorum erit, quibus serviet? Plures gentium dii (1 *Cor.* VIII, 6) : sed unus Paulo Deus ex quo omnia, et unus Dominus noster Jesus per quem omnia. Constanter ergo propheta, cui soli servit, quod suus sit confitetur : et quia suus sit, ut salvetur orat. Suus autem per id est, quia justificationes ejus exquirat. Aliis quærentibus gloriam mundi, aliis quærentibus agros, domos, pecuniam, ille justitias Dei exquirit, et quod Dei sit gloriatur.

13. *Diaboli contra justos contentio. Justi arma.* — Est autem in istiusmodi pios ac religiosos viros ingens odium irreligiosorum. Et scit propheta, vel sæculi hominibus, vel diabolo et ministris ejus eum qui se Dei profitetur, esse (3) perosum (*d*). Hoc etiam consequenti versu docet, quo ait, VERS. 95 : *Me exspectaverunt peccatores ut perderent me : testimonia tua, Domine, intellexi.* Diabolo vel ministris ejus (*e*) pugna est, omnem gloriam viri fidelis auferre : et eum non ex portione Dei sinere esse, sed in damnationis suæ consortium assumere. Longo itaque ac diutino prælio contra fidem Prophetæ dimicatur. Sed memor ille mandatorum Dei, et testimonia ejus intelligens, restitit atque permansit. Neque aliter spem eorum, qui perditionem suam exspectabant, elusit, quam quod vitæ sibi in testimoniis Dei intellexit esse doctrinam. Arduum autem atque difficile est intelligere Dei testimonia : et ultra præsentis cognitionis scientiam eorum intelligentia procedit. De testimoniis vero jam in psalmi exordio tractavimus. Per hæc enim præsentia legis testimonia, testimoniorum æternorum cognitio præstatur. Denique id ipsum consequens sermo demonstrat.

14. *Πέρας quid. Quid finis. Consummatio multiplex*

(1) *In humiliationem meam.* Sed infra, *in humiliatione mea.*

(2) *Qua meditatione ipsa.*

(3) Cum anterioribus, *pertæsum.* Mox, *qui ait, Odio sum, me exspectaverunt.*

(*a*) Habent nostri mss. *in humilitate*, ut infra.

(*b*) Par. *in quo.* Rectius alii libri, *in qua*, scil. lege.

(*c*) Secundum illud Pauli Gal. III, 24, relatum Tract. psal. XCI, n. 1 : *Lex pædagoga nostra facta est in Christo, uti ex fide justificemur.*

(*d*) In excusis, *pertæsum.* Reponimus ex mss. reg. et Albin. *perosum.* Simile est illud litt. 3, n. 20 : *Scit omnem prophetiæ fidem mundi hujus perosam esse principibus.*

(*e*) Bad., Er. et Lips. : *Cura est pugnam et omnem gloriam.* Par. *cura est omnem gloriam* : renitentibus mss.

Prophetam non latens regnum Christi ante judicium. — Sequitur enim, VERS. 96 : (*a*) *Omnis consummationis* **354** *vide finem.* Frequenter admonuimus, non posse satisfactionem intelligentiæ ex latinitatis translatione præstari. Alia enim vis dicti hujus est ex græco enuntiati : ita enim est, πάσης συντελείας εἶδον πέρας. Id quod cum Græcis πέρας nuncupatur, ultra finem est rerum statutarum, neque aliquo ut desinat continetur ; sed omnem limitem sub indefinita significatione transcendit. Quod autem nobiscum scribitur *in finem*, fine eo, (1) quo significatur (*b*), existimabitur id unde agitur contineri. Sed Propheta, qui non corporalia neque terrena testimonia legis intelligit, secundum græcam significantiam ultra omnem consummationem contuetur. Scit consummationem esse temporum (*c*) legis, cum post plenitudinem temporum Deus in corpore contuendus sit : sed ultra hanc consummationem videt ! videt et enim evangelicæ spei tempus. Sed et hujus quidem consummatio non ignota ei est ; ultra id enim intelligentiæ suæ oculos extendit. Namque et resurrectionis consummationem videt ; scit enim et demutationis esse ordinem constitutum, Apostolo dicente : *Unusquisque autem in suo ordine* (I *Cor.* XV, 23) ; et rursum : *Omnes quidem resurgent, sed non omnes commutabuntur* (*Ibid.* 51). Novit et dies regni Domini nostri Jesu Christi, ex quo in regnum Dei patris provehemur, et in illa (2) inexquisita et investigabilia Dei judicia transferemur. Scit et tempus esse judicii. Et hæc scire ei ex amplitudine mandatorum Dei licuit : quia se in immensæ cognitionis doctrinam divinus sermo diffuderit.

15. *Mandatum Dei cur latum. Præcepta Dei non sunt difficilia.* — Ait enim : *Latum mandatum tuum vehementer.* Latum plane est, sive quod in infinitum cognitionem humanæ ignorantiæ (*d*) extendit ; sive quod multa sunt in quibus Dei præceptis obtemperetur : (*e*) atque obtemperetur secundum divisiones et munera gratiarum. Non enim ab omnibus omnia exspectantur, neque universi universa ad summam placendi implere possunt. Alius jejunio placet, alius simplicitate fidei promeretur, alius vitia eleemosynis redimit, (3) alius se charitate consummat : sicut alii curationum concessa virtus est, alii prophetiæ scientia contributa est, alii fidei firmitas data est, alii sapientia et cognitio donata est. Latum igitur mandatum Dei est, et in omnia spei nostræ genera diffunditur : ut non difficile sit si voluntas adsit, præcepto Dei obtemperare ; cum latum et diffusum sit ad pla-

(1) *Qui significatur, existimatur id unde agimus.*
(2) *Exquisita.*
(3) *Alius charitatem consummat :* verbum si quidem *consummo* frequens Hilario est pro *adimpleo* aut *perficio.*

(*a*) In nostris mss. *omni consummationi.*

(*b*) Editi, *qui significatur.*

(*c*) Abest *legis* a mss. reg. et Albin.

(*d*) Ita Bad., Er. et mss. Lipsius autem pro *extendit*, temere substituit *excedit ;* quod et editiones sequentes retinuerunt.

(*e*) In vulgatis, *atque placeatur* : minus apte, cum præceptis Dei non placeatur. Concinnius mss. *atque obtemperetur*, quæ repetitio Hilario est solemnis, quoties inculcare vult, quatenus aliquid præstandum sit.

(*f*) Infra quidem in horum verborum enarratione non exstat *et favum :* attamen ex enarratione litt. 17, n. 7, conjectare est hanc lectionem Hilario ignotam non fuisse.

(*g*) In excusis, *instituti*, omisso superius *nos.*

(*h*) Ita codex Mic. cum Vatic. ut et sæpe jam superius. Alii vero, *confirmat.*

(*i*) Id est, *destituta sunt.*

cendum officiosæ religionis varietate. Neque solum **355** *latum*, sed *vehementer* latum : latitudinis infinitate hac ipsa superlativa adjectione monstrata.

LITTERA XIII.

מ Mem.

Quomodo dilexi legem tuam, Domine ? tota die meditatio est mihi. Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo : quia in æternum mihi est. Super omnes docentes me intellexi : quoniam testimonia tua meditatio est mea. Super seniores intellexi : quia mandata tua exquisivi. Ab omni via mala prohibuisti (Hil., *prohibui*) *pedes meos : ut custodiam verbum tuum. A judiciis tuis non declinavi : quia tu legem posuisti mihi. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua ! super mel* (*f*) *et favum ori meo. A mandatis tuis intellexi : propterea odivi omnem viam iniquitatis.*

1. *Psalmi hujus utilitas.* — Utile hoc nobis ac necessarium Prophetæ opus est, quo ad perfectam Dei cognitionem atque obeditionem edocemur. Duabus nos rebus maxime infirmitati nostræ congruis (*g*) instituit ; ut et Deum qui ignoratus sit noverimus, et mandatis ejus secundum voluntatem decreti sui obtemperemus. Perfectum enim Legis et Prophetarum et Evangeliorum virum in omni psalmi istius corpore Propheta (*h*) conformat vel ex sua, vel ex alterius quem instituat persona, cui in fiducia sit, hæc de se quæ subjecta sunt prædicare. Est autem dignum contueri, qua verborum diligentia, qua intelligentiæ absolutione nos in singulis quibusque dictorum generibus Propheta confirmet.

2. *Differat facere et amare. Amor legis quantus in David.* — Dicit enim in tertiæ decimæ litteræ versu, VERS. 97 : *Quomodo dilexi legem tuam, Domine ! tota die meditatio est mihi.* Promptum utique fuerat dixisse : Quomodo feci legem tuam ! Sed quia majus meritum est, amantem aliquid potius agere, quam timentem ; idcirco ait : *Ut dilexi legem tuam.* Differt enim longe obsequium amoris a timoris officio : nec habet gratiam voluntatis, necessitatis operatio. Non omnia enim ad perfecti obsequii consummationem sibi illa sufficiunt, quæ quamvis **356** opus suum impleant, tamen quia (*i*) coacta sunt, merito plenæ gratiæ indigent. Vult igitur Propheta opus suum dilectionis potius, quam terroris esse : et ex charitate obsequium suum, non ex metu suscipi. Multi jejunant, dum a nobis objurgari timent. Multi aliquid in usum indigentium præbent, dum exprobrari irreligiosam

avaritiæ suæ et inutilem cupiditatem pertimescunt. Multi ecclesiam adeunt, dum argui absentiam suam et negligentiam erubescunt. Sed non omnes id quod faciunt, et amant. In amorem ergo non potest incidere necessitas obsequelæ : quia nemo id quod diligit non vult. In facto vero potest non subesse dilectio, dum id efficitur, quod non fecisse aut terror aut pudor sit. Sed Propheta in nullo infirmus est. Quod amat facit, et quod facit indeficienter exercet. Legem enim, quam diligit, omni die et sine intermissione meditatur. Non subrepunt alia occupationum studia, non interveniunt diversi sæcularium curarum æstus, nec in eum incidit, interjectu novæ alicujus cogitationis, oblivio : semper idem est, et in eodem est. Tantus ipse in dilectæ sibi legis meditatione est, quantus dies universus in tempore sit.

3. *Idolorum cultoribus prudentiorem eum esse non magnum est.* — Vers. 98. Et quia, ut superius commemoravimus, legis et prophetarum atque evangeliorum hominem in se Propheta demonstrat; ait in consequenti, versu : *Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo; quoniam in sæculum mihi est.* Mandata Dei prudentius Propheta, quam inimici ejus, intelligit. Sed quid commune nobis et inimicis nostris in præceptis est Dei, qui ea non solum ne mediocriter quidem comperta habent, verum ne initium saltem cognoscendi consectantur? Et quid magnum, si inimicis suis in mandatis Dei Propheta prudentior sit? Quando enim inanimantia saxa aut metalla aut ligna venerantes consequi aliquid de viventis atque æterni Dei cognitione potuissent, (1) ut (*a*) his comparatus fieret Propheta prudentior? Sed omnis hic impiorum error ipsum illud nomen (*supple*, æterni Dei) cum Lege et prophetis et apostolis respuit; (2) detrectat, horrescit.

4. *Hæretici ac Judæi, inimici quos prudentia superat.* — Sed habet alios Propheta hic sanctus inimicos, quibus prudentius in mandatis Dei est eruditus. Mandatum Dei in prophetis et in lege hæretici habent : sed nullo eorum per imperitiam irreligiosæ voluntatis utuntur. Mandatum legis Judæi tamquam proprium et hæreditarium sibi vindicant, sed spiritalis circumcisionis auctorem non habentibus, quid circumcisio in signo tantum constituta jam proderit? quid sabbati religio Dominum **357** sabbati nescientibus opis afferet? quid paschæ agnus, liminum sanguis, et azymorum festivitas, agnum Dei et azyma sinceritatis et sanguinem salutis ignorantibus auxilii præstabit? Mandata exercent; sed efficientiam mandatorum et tempus ignorant. Legem legunt; sed eam, legente et nesciente Judæo, Christianus intelligit. A Inimicus plane hic Prophetæ est, parricidales manus unigenito Dei filio inferens, et salvatorem generis humani et vitæ æternæ largitorem morte quantum in ipso est condemnans. Præ his ergo omnibus in Dei mandato prudentior est.

5. *Ii doctores, qui inimici. David scientia a Deo.* — Atque ut absolute hos inimicos significasse intelligeretur, id quod consequitur adjecit, Vers. 99 : *Super omnes docentes me intellexi, quoniam testimonia tua meditatio mea est.* Didicisti, o David, a Moyse legem, et Aaron tibi sacrificiorum omnium doctor est, Jesus iteratæ circumcisionis magister est, Samuel (3) (*b*) ungendi tibi sacramentum in temetipso et prophetæ et regis ostendit : quid est istud quod loqui ausus es, quod super omnes docentes te intellexeris? B Sed superior versus, super quos omnes docentes se intelligat, ostendit, id est, super inimicos. Et rursum hic, qui nunc est versus inferior, qui inimici sint declarat, id est, omnes docentes. Claves enim cœlorum se habere profitentur, et doctores esse se legis gloriantur. Et cum omnia legis testimonia adventum Domini nostri Jesu Christi testentur, super doctores suos Propheta intelligit : quia (*al.* qui) unigenitum Dei filium in carne venturum, testimonia ejus meditans, semper expectet. O felix discipuli intelligentia! o doctorum mirabilis imperitia! Docentes nesciunt; et intelligunt qui docentur. Caret autem Propheta vitio jactantiæ : intelligentiæ enim præstantiam unde adeptus esset ostendit. Nam superius ait, quod super inimicos suos prudentior a Deo in mandatis ejus esset C effectus. Intelligentia enim omnis ex eo est, qui prudentiorem esse eum constituit. Super docentes se ergo intelligit.

6. *Datur exquirenti. Senior, populus anterior.* — Et quia interdum ex naturæ diversitate soleat accidere, ut discipulus prudentior sit magistro; tamen hoc ipsum diligentiæ suæ et studii esse demonstrat. Ait enim, Vers. 100 : *Super seniores intellexi : quia mandata tua exquisivi.* Et super docentes intelligit, et super seniores (4) intelligit, doctrinæ atque intelligentiæ suæ officium cum ipsa temporis antiquitate demonstrans, id est, populi ante se (5) anterioris **358** significans ætatem. In quo utrumque convenit, ut et antiquior sit, et se putet esse (*c*) doctorem. Sed super eum ille intelligit, qui et docetur et junior est. D Intelligit vero, quia mandata Dei exquisierit, quæ doctor dum se docere credit, ignorat.

7. *Scientiæ fructus.* — Consequens autem est, ut qui super seniores et doctores intelligit, fructum intelligentiæ suæ reddat, scilicet ut ea, quæ cognita et perfecta habere cœpit, exerceat. Et videamus an hoc

(1) *Ut his comparatis.*
(2) *Retractat.*
(3) *Unguendi*, ut sæpe in veteribus libris.

(*a*) Editi, *ut his comparatis* : emendantur ex scriptis.

(*b*) Bad., Er. et Lips. *ungendo tibi*, quod et postrema editio Par. arripuit. Rectius mss. *ungendi*, hoc est, ejus qui est ungendus, scil. Christi, cujus David typum gessit, quem Moyses prophetam, Esaias regem venturum prædixit.

(4) *Intellexit.*
(5) *Antiquioris.*

(*c*) Editi, *doctiorem* : male. Refertur enim ad populum seniorem, qui doctor, non doctior prædicatur. Castigantur ex mss. quibus favent subjecta.

ipsum in consequentibus sit. Ait enim, VERS. 101 : *Ab omni via mala prohibui pedes meos, ut custodiam verbum tuum.* Perfecta hæc et evangelici viri vox est, ab omni se malitiæ via abstinere, et tot ubique occurrentibus erroris semitis, nulla earum per quam nequitia adeatur incedere.

8. *Vitia arcenda, ut verbi Dei possit esse custodia.* —Sed (*a*) altius nescio quid in eo Propheta significat, cum dicit, *Prohibui pedes meos.* (1) Natura corporis nostri ferimur in omnem criminum cursum : et humanarum cupiditatum impetus in hanc nos viam cogit. Sed qui super seniores et docentes intelligit, per intelligentiæ doctrinam se prohibuit, et exeuntem procurrentemque revocavit. Resistendum ergo est et obnitendum, ut nosmetipsos ab omni via mala primum arceamus, tum deinde si quis nos (2) instinctus (*b*) eo cœperit ferre, retrahamus : et prius (*c*) nostramet ipsi potestate sumus inhibendi, ut deinceps custodiamus Dei verbum. Antea autem propria inhibitione opus est, ut possit Dei verbi esse custodia. Neque enim quisquam verbum ante custodiet, (*d*) et tum prohibere se poterit. Prohibitio enim ea demum est, ut id quod fiebat, fieri arceatur : custodia vero tum firma est, cum se quis a malis inhibens, bona observat sine intermissione custodiæ.

9. *Verbi Dei vera custodia.*—Qualis autem custodia verbi Dei esse debeat, sequens versus docet. Sequitur enim, VERS. 102 : *A judiciis tuis non declinavi : quia tu legem posuisti mihi.* Hæc est igitur vera custodia, nullam in partem a Dei se judiciis deflectere, neque levi saltem declinare decessu ; sed intentum semper, et semper immobilem in eo in quo institit permanere.

10. *Lex evangelica lege Moysi continetur, homini dat spem gloriæ Dei.* —Non declinat autem, quia legem sibi Dominus statuerit. Legem quidem Moyses statuerat ; sed hic idem propheta in psalmo altero oraverat, dicens : *Domine, constitue legislatorem super eos : sciant gentes quoniam homines sunt* (*Psal.* IX, 21). Ea enim lex, quam Moyses scripserat, pædagoga nobis in Christo fuit : et idcirco super docentes se et seniores 359 intellexit, quia legem evangelicam, quæ Moysi lege continetur, intelligit. Hæc ergo per Dominum nostrum lata est, hæc omnem hominem (3) in scientiam Dei erudivit. Et idcirco ad id quod dixerat : *Constitue legislatorem super eos* ; adjecit : *Sciant gentes quoniam homines sunt* : id est, ex terra genitæ et in cognitionem Dei ex limo conformatæ. Quod enim antea per ignorationem (*e*) legis Moysi nesciebant, nunc per prædicationem Domini nostri Jesu Christi sciunt : et ut originem suam, id est, corporis naturam in novo latore legis agnoscunt, ita et gloriam novi hujus latoris (*f*) legis exspectant, in exordio sui jam ad imaginem et similitudinem Dei (4) constitutæ.

11. *Eloquia Dei dulcia, sed si animum penetrent.*— Et prædicationis hujus evangelicæ dulcedinem in consequentibus Propheta testatur. Ait enim, VERS. 103 : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel* (*g*) *ori meo!* Mel in ore, non etiam in faucibus dulce est. Extra regionem enim oris corporalium saporum nullus est sensus. Sed Dei eloquia in faucibus dulcia sunt ; in animam scilicet defluentia et interna penetrantia : non in ore modo cibi placentia, sed illic dulcia ubi cognitionis et prudentiæ et intelligentiæ sensus est. Et ideo eloquia in faucibus et in ore (5) melle (*h*) dulciora sunt. Sed ut mel per ægritudinem æstumque febrium ea quæ acciderint oris amara mitificat ; ita animæ nostræ amaritudines et tristes cupiditatum insalutarium febres infusa Dei eloquia mitificant, si modo non ore contineantur, sed faucibus devorentur.

12. *Præcepta eruditum ea perficientes. Scientia a Deo non datur non appetentibus.*—Sequitur deinde, VERS. 104 : *A mandatis tuis intellexi ; propterea odivi omnem viam iniquitatis.* Intelligentes (6) nos (*i*) faciunt præcepta ; sed præcepta re atque opere expleta : id est, ut ea quæ his continentur in quantum possumus expleamus. (*j*) Ergo efficienda præcepta sunt, ut simus intelligentes. Et licet a Deo intelligentia perfecta sit, tamen a nobis incipiendum est, ut possimus perfectam intelligentiam promereri. His enim, qui non hoc per se inchoant, clausa a Deo omnia sunt. Et idipsum propheticus sermo per Esaiam docet dicentem : *Ne dicas de mandatis meis, quod cognoveris ea : neque cognovisti, neque credidisti ea, neque ab initio* (*k*) *aperui tibi aures.* 360 *Cognovi enim quod spernens sperne-*

(1) *Natura corporis nostri fert nos.*
(2) *Instinctu eo.*
(3) *Scientiam Dei* absque *in.*
(4) *Constituti.*
(5) *Mel dulce est.*
(6) *Vos* pro *nos* ; quemadmodum et alias in hunc eumdem psalmum *vestrum* pro *nostrum* præfert codex Veron.

(*a*) Lips. et Par., *aliud nescio quid :* absque ulla auctoritate.

(*b*) In tribus mss., *instinctu suo cœperit ferre :* non placet.

(*c*) Editi, *nostra et ipsius potestate ;* refragantibus mss.

(*d*) Sic mss. Editi vero, *ante custodiet, quam prohibere*, etc.

(*e*) Vox *legis* a Lipsio expuncta etiam apud Par. desideratur. Tum pro *nesciebant*, male apud Bad., Er. et Lips. legere est *presciebant*, cum de gentibus sit sermo beatitudinis evangelicæ numquam præsciis.

(*f*) Rursum hic vocabulum *legis* in vulgaris omissum, revocatur ex mss. qui mox habent *constituti*, non *constitutæ*.

(*g*) Regius codex cum Albin. *in ore meo*. Huic lectioni favent subnexa, necnon illud litt. 17, n. 6, *Verbum Dei ex corde malus abripit, quod ultra mel et favum in ore* (non *ori*) *delectat.*

(*h*) Ita mss. reg. ; Vat. et Albin. ubi in vulgatis *mel dulce est. Sed ut mel*, etc.

(*i*) Albinensis ac regius mss., *intelligentes non faciunt præcepta sola, sed præcepta re atque opere completa*. Hilarii verba licet forte sincera non exhibeant, certe juvant ad illius mentem citius assequendam.

(*j*) Ex mss. restituimus verba, *Ergo efficienda præcepta sunt ut simus intelligentes :* quæ in prius vulgatis deerant.

(*k*) Unus e Vatic. mss., *qui aperuit tibi aures cognovisti. Cognovi enim*, etc. glossema sapit. Paulo ante neque in vulgata, neque in græco LXX exstant verba *de mandatis meis.*

res, et quod iniquus adhuc ex ventre vocandus esses (*Esa.* XLVIII, 7 *et* 8). Ergo non indulgetur scientia non appetentibus eam. Et quia Deus cordium scrutator est, his qui spreturi eam essent, obtusæ aures sunt, et hebes sensus est. Sed Propheta a præceptis Dei intelligit : præcepta scilicet agens, intelligentiam consecutus : intelligens vero omnem odit iniquitatis viam.

15. *Affectionum humanarum rectus usus.* — Humanæ enim naturæ omnes diversarum affectionum adjacent motus, ut sunt (1) odia et amores. Sed amor impendendus est in dilectionem bonorum, odium autem assumendum est ex offensa malorum. (*a*) Nostrum ergo est modo utilis organi corpora nostra in coaptatos et concinentes modos temperare, ut non vitia diligamus, ut non virtutes bonas oderimus, ut unicuique nos generi decenter atque utiliter coaptemus. Propheta mandata Dei diligit : et qui mandata Dei diligit, iniquitatis vias odit. Ut enim perfectæ fidei (2) obsequelæ (*b*) est, obedientiam diligere, et id quod quis agit ex affectu charitatis explere, et necessitatem agendi amantis voluntate præcurrere ; ita et magnæ innocentiæ est, iniquitates non modo non agere, sed odisse, quia interdum (*c*) nos ab his metus et terror avertat. Odium autem nobis earum, judicium veræ et perfectæ de his opinionis insinuat. Diligamus ergo justitiam, modestiam, frugalitatem, misericordiam ; et oderimus rixas et ebrietates, cædes, superbias, stupra, cum quibus necesse est et diabolum oderimus. Diligentes vero pacem, veritatem, justitiam, diligemus eum qui est pax, justitia et veritas, Dominum nostrum Jesum Christum, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

LITTERA XIV.

ג Nun.

Lucerna pedibus meis verbum tuum, (5) *Domine, et lumen semitis meis. Juravi et statui custodire judicia* **361** *justitiæ tuæ. Humiliatus sum usquequaque, Domine : vivifica me secundum verbum tuum. Voluntaria oris mei fac beneplacita, Domine, et judicia tua doce me. Anima mea in manibus tuis semper : et legem tuam non sum oblitus. Posuerunt peccatores laqueum mihi, et de mandatis meis* (Hil. *tuis*) *non erravi. Hæreditate acquisivi* (Hil. *hæreditavi*) *testimonia tua in æternum : quia exultatio cordis mei sunt. Declinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem.*

1. *Hominis tenebræ. Æternitas. Ad hanc dux ei Deus.* — Vita sensusque hominum in errore ac potius nocte inscientiæ manent, dum carnali infecta contagio in profundo ignorantiæ per gravitatem naturæ, cui admixta est, detinetur. Quando enim per semetipsam, causam et rationem originis suæ noverit ? Quando (*d*) sciet qui vitæ suæ fructus sit, quæ conditio spei, quæ promerendæ (*e*) posteritatis via ? Neque enim quisquam tam demens aut inops sensu est, ut in id cum nullus esset natum se esse existimet, ut rursum postquam natus est nullus esset ; cum sine dubio meminerit ex bonitate Dei profectum esse quod natus est, nec id in bonitatem ejus malitiæ cadat, ut in nobis hoc suum (4) quo nascimur munus interimat. Sed propheta cognitione rerum cœlestium dignus, et in lucem scientiæ munere Dei et eloquio collocatus, ducem ad bene et innocenter vivendum eum sequitur qui lux vera est, et qui omnem hominem lucificat (*Joan.* 1, 9).

2. *Verbi Dei luce ad omnes actus utendum.* — Hanc ergo vitæ suæ ignorantiam, quodam prælato lumine ad intelligentiam dirigit, dicens, VERS. 105 : *Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine.* Scit se, nisi verbo Dei illuminatum, has corporum tenebras et hanc sæculi noctem (5) non posse evadere (*f*). Scit ubique adesse lapides offensionum, laqueos funium, et scrobes fovearum. Ut enim quis nocte egressus lucernam anteferi, et quo pedem inferat contuetur, atque ad singulos gressus lumine præeunte sollicitus est : ita unusquisque nostrum manens in se verbum Dei in omnes operum processus tamquam lucernam prætendit. Omnis etenim doctrina cœlestis dux nobis ad iter vitæ est, quæ lucernæ modo in hac nocte sæculi præferenda est, cum aliquid **362** aut agimus, aut cogitamus, aut loquimur : ut ea in omnem progressum cujuscumque operationis utamur.

3. *Lucernæ lux ne sit in nobis inutilis. Jugiter ardeat.* Jubet Dominus in Evangeliis, hanc præceptorum suorum lucernam non otiosam et (*g*) inutilem occuli, dicens : *Nemo enim lucernam accendit, et ponit eam sub modio* (*Matth.* v, 15). Quæ enim lucernæ, si modio tegatur, utilitas est ? Usum suum tantum intra id quo operitur impendit. Jubet igitur eam in candelabro, id est, in officii sui sede constitui. Itaque hanc doctrinam, atque hoc verbum Dei intra nos recep-

(1) *Odii et amoris.*
(2) *Et obsequelæ.*
(5) Abest vox *Domine* non hic tantum, sed et infra, n. 2. LXX pariter atque hebraici fontes non exhibent.
(4) *Quod nascimur.*
(5) *Ferre non posse.*

(*a*) Bad., Er., Lips. ac duo mss., *Bonum ergo est.* Mox iidem duo mss. *corda nostra in coaptatos et consentientes modos*, etc.

(*b*) In vulgatis *et obsequelæ*. Expunximus *et* auctoritate mss.

(*c*) Sola editio Par., *non ab his.*

(*d*) Excusi., *quando si quis fructus*, emendantur ope mss.

(*e*) In duobus mss., *potestatis.* Forte an *post* (scil. futuræ) *æternitatis ?* Certe de sæculari quadam posterorum gratia promerenda non est hic sermo, sed de beata æternitate, ad quam natum esse hominem eodem argumento hic probatur, quo lib. I de Trin., num. 9.

(*f*) Editi, *ferre non posse.*

(*g*) In vulgatis, *et utilem oculis.* Rectius in mss. *et inutilem occuli*, id est, ita occultari, ut inutilis evadat.

tum, non otiosum, neque inutile tamquam in modio A occulamus : sed lumen istud nobis ipsis primum, et rursus ex nobis omnibus gentibus præbeamus. Sequenti quoque (1) istud (*a*) mandato Dominus admonuit, dicens : *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ vestræ ardentes* (*Luc.* XII, 35). Jubet ergo nihil nos agere in obscuro : quia omnis in peccatis agens odit lumen, et diligit tenebras (*Joan.* III, 20). Vult has lucernas nostras esse semper accensas, ne quando in nocte hujus sæculi relinquamur. Judæis in tabernaculo testimonii lucerna accenditur, et hæc omni festivitatis suæ tempore ardet (*Exodi* XXVII, 20 *et* 21). Illi quod agunt nesciunt. Sed nos in his tabernaculorum nostrorum, id est, corporum testimoniis ardentes lucernas semper habeamus, et festivitatem spei nostræ earum luce peragamus.

4. *Apostoli Ecclesiæ oculi ; Joannes lucerna. Virgines prudentes.* — Apostolos quoque, quos sal terræ, quos et lumen mundi Dominus nuncupat (*Matth.* V, 14), per hanc significationem hos et lucernas esse Ecclesiæ ostendit, dicens : *Lucerna corporis tui est oculus tuus* (*Matth.* VI, 22), corporis scilicet Ecclesiæ, quæ unum corpus in Christo est, nosque invicem membra ejus sumus. Primum enim unicuique nostrum Dei verbum oculus sive (2) lucerna est (*b*) : deinde vir apostolicus toti corpori suo, id est, Ecclesiæ lucerna est. Neque enim omne corpus, aut pes, aut oculus, aut manus est. Ergo si oculi totius corporis pars lucidissima, et ob id membris cæteris præstans, erunt tenebræ (*Ibid.* 23), id est, si apostolorum lucernæ non ardebunt, lumine ipso in C tenebris sito, quanta totius corporis nox manebit ? Joannes prædicator pœnitentiæ lucerna et Judæis, et gentibus fuit, Domino dicente : Ille erat lucerna ardens et lucens (*Joan.* V, 15), et vos voluistis ad horam exsultare in lumine ejus. Habemus ergo doctrinæ lumen : exsultemus in eo, non ad horam, sed semper ; neque ad tempus, sed in æternum. Beatæ virgines illæ, et (*c*) utiles olei mercatrices, solæ in **363** lampadum suarum lumine cum sponso thalamum ingressæ sunt, cæteris negligentibus et dormientibus ab ingressu thalami exclusis (*Matth.* XXV).

5. *Verbum Dei qui lucerna et lumen.* — Ad omnem igitur animæ nostræ pedem utamur Dei verbo ut lucerna ; sed lucerna semper ardente, semper in officium suum per nostram (*d*) providentiam præparata. D Verbum autem, quod pedibus lucerna est, ipsum illud et semitis lumen est. Sensim enim et domestice incedentibus lucerna opus est : peregrinum autem et publicum iter ingredientibus lumen potius necessarium est, ne latro insidietur, ne ambiguæ viæ error occurrat. Per incrementa enim a minore ad majus (3) adscenditur (*e*) : ut ei cui verbum Dei primum lucerna sit pedibus, id ipsum verbum ei fiat lumen (4) semitis. Sed lucerna pedibus et lumen semitis utilem profectum præstare debent. Et videamus an dignum aliquid propheta subjecerit.

6. *Jurata et statuta quid.* — Ait enim, VERS. 106 : *Juravi et statui custodire judicia justitiæ tuæ.* Jam non in nocte sæculi errat, nec pedem metuit offendere. Sacramentum enim omne firmatæ scientiæ res est, et jurandi religio ex veritatis cognitione suscipitur. Jurat ergo propheta ; nec tantum jurat, sed et statuit; quia sacramenti vinculum firmitas sit statutorum. Statuit ergo jurans custodire judicia justitiæ Dei. Et difficile est statuta convelli, et optimum est statuere jurata.

B 7. *Judicia Dei justa.* — Sed meminit nihil esse in Dei judiciis injustum. Si enim humana judicia ea vere judicia existimantur, quæ ex arbitrio justi judicii (*f*) sanciuntur; (5) quomodo ambigendum sit, nihil esse in Dei judiciis injustum ? Amittimus liberos; injustum hoc judicium existimamus. Numquid injuste Deus in Job filios dedit diabolo potestatem ? Damna nostra tamquam iniqne accidentia dolemus. Numquid egere solum illum perfectum virum Deus sine justitiæ ratione permisit? Cruciamur doloribus, et contra Deum impatientiæ nostræ querelis increpamus. Anne incerto consilio exesus vermibus, sanie defluens, perfossus ulcere fuit? Certe hæc omnia ad documentum fidei et ad præmium gloriosæ patientiæ profecerunt. Infirmitas nostra efficit, ut malum esse id quod patimur existimemus. Cæterum Dei semper voluntas est, ut patientia passionum probemur : nos vero **364** divini judicii justitiam; dum sine documento fidei latere volumus, improbamus.

8. *Christus humilitatis præceptum præbuit et exemplum.* — Sed qui superius et juraverat et statuerat ut custodiret judicia justitiæ Dei, dignum aliquid sacramento et constitutione sua in observandis debet præstare judiciis. Non enim leve est, quod custoditurum se statuit juratus. Et quid illud sit, sequens versus loquitur. Ait enim, VERS. 107 : *Humiliatus sum usquequaque, Domine : vivifica me secundum verbum tuum.* Unigenitus Dei filius naturæ nostræ ex Virgine sibi corpus assumens, cum in se ipso veram et perfectam humanæ prudentiæ formam præbuisset, quid a se disci tamquam exemplo doctrinæ voluerit, noscendum est. Ait enim : *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego vos reficiam. Tollite jugum meum super vos, et discite a me quoniam mitis sum et humilis corde : et invenietis requiem animabus vestris* (*Matth.* XI, 28 *et* 29). Ipse utique perfectus et sine peccato solus, et unus in cujus ore dolus non fuit,

(1) *Isto mandato.*
(2) *Sibi lucerna est.*
(3) *Acceditur.*

(*a*) Ita mss. At editi, *mandatum.*
(*b*) Apud Par. hic insertum est *sibi.*
(*c*) Id est, negotiosæ. Utile enim hic opponitur inutili, otioso et ab opere debito vacanti.

(4) *In semitis.*
(5) *Nedum modum ambigendum sit.*

(*d*) In excusis, *prudentiam.*
(*e*) Editi, *acceditur.*
(*f*) Mss. reg. et Albin. *efficiuntur.* Tum Mic. et Vatic., *nedum modo ambigendum sit.*

hoc præcipuum a se doctrinæ sumi voluit exemplum, mansuetudinis scilicet et humilitatis, per quæ animabus requies inveniretur.

9. *Superbiendi causas sustulit.* — Scit insolentem esse et incapacem rerum secundarum naturæ nostræ infirmitatem. Alii per opes insolescunt; nescientes de largitione opum dictum esse, *Eleemosyna enim* (*a*) *abscondit peccatum;* et rursum : *Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet* (1) *in æternum* (*Psal.* CXI, 9); et Deum ipsum his qui esurientem cibassent, sitientem potassent, peregrinum domo recepissent, nudum veste texissent, infirmum visitassent, clausum carcere consolati essent, dixisse : *Venite, benedicti patris mei, possidete præparatum vobis regnum a constitutione mundi* (*Matth.* XXV, 34). Alii gloria sæculi tument; nescientes hunc principalem benedictionem cœlestium fuisse sermonem : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* V, 3). Alios nobilitas carnalis (*b*) in fastigium erigit; non cogitantes illis qui in Christo renati sunt dictum esse : *Vos autem genus electum, regale sacerdotium,* (2) *gens sancta* (I *Pet.* II, 9). Aliæ sunt sæculi leges, alia Dei munera. Diabolus cum Dominum tentare ausus est, suum esse sæculum gloriatur (*Matth.* IV, 1). Dominus vero mori nos sæculo jubet, ut vivamus ipsi. (*c*) Cum Domino opum contemptus, opulentia est, cum Domino terreni honoris despectus, cœlorum regnum est; cum Domino **365** humilitas cordis, generosæ et regiæ nativitatis ornatus est. Hoc igitur a se disci voluit, quod virtutum omnium maximum est.

10. *Humilitatis Christi præmium.* — Apostolus etiam ad humilitatem nos docens, talibus adhortatur: *Hoc enim sapite in vobis, quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam existimavit esse se æqualem Deo, sed se exinanivit formam servi accipiens, et habitu repertus ut homo. Humiliavit se factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Philipp.* II, 6 *et seqq.*). Habemus exemplum ab unigenito Deo humilitatis : sed videamus et præmium. *Propter hoc enim eum Deus exaltavit, et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne* (3) *genu flectatur cœlestium et terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus* (4) *in gloria Dei patris* (*Ibid.* 9 *et seq.*). Hoc humilitatis fuit præmium, ut corpus assumptum in gloria Dei patris maneret, ut in nomine ejus genu cœlestia et terrestria et inferna curvarent. Manens enim in forma Dei, non vi aliqua sibi ac rapina, id quod erat, præsumendum existimavit, scilicet ut Deo esset æqualis. Erat enim in Dei forma, nihilque ei ex ejus gloria deerat, in cujus forma manebat; sed formam servi (5) per (*d*) humilitatem accepit, et habitu ut homo repertus est, humilians se per obedientiam usque ad mortem : nec solum usque ad mortem, sed usque ad mortem crucis. Cœlum ex præcepto Dei ipse (*e*) firmavit, mundum ex paterno jussu in hanc speciem tanti decoris ornavit, terram et (6) quæ in ea sunt creavit. Sed numquid ob illa meruit hominem assumptum in æterni patris gloria collocare? Humilitatis hoc præmium est, humilitatis hæc merces est : (*f*) ut quia manens antea in forma Dei, esset in forma servi deinceps effectus; (*g*) et manens in forma Dei, et effectus in forma servi, confessione cœlestium et terrestrium et infernorum esse in Dei patris gloria nosceretur.

11. *Paulus elationem suis cavet. Eam ab ipso Deus avocat.* — Verens quoque idem apostolus, ne quos ipsa illa divinorum munerum gratia efficeret insolentes, ait : *Unicuique data est demonstratio Spiritus ad utilitatem* (I *Cor.* XII, 7). In eo enim quod ait, ad utilitatem, docuit eo (7) humiliter (*h*) utendum : ne forte quemquam spiritalium donorum confidentia efficeret insolentem, et Dei gratia per insolentiæ vitium fieret **366** otiosa. Ex persona autem sua ipse demonstrat, etiam hoc se a Deo gratiæ consecutum, ne per confidentiam plurium in se gratiarum in aliquem tumorem superbiæ tolleretur, dicens : *Et propter eminentiam revelationum datus est mihi stimulus carnis angelus Satanæ, qui me colaphizaret, ne extollar* (II *Cor.* XII, 7). Etiam hoc ille vas electionis et doctor gentium metuit, ne ultra humanæ infirmitatis naturam per spiritalium in se munerum (*i*) confidentiam superbi-

(1) *In sæculum sæculi* cum græco.
(2) *Genus sanctum. Alii sunt sæculi reges.*
(3) *Genu flectant.*
(4) *In gloria est.*
(5) Abjecimus hic interpositam vocem *sui* auctoritate omnium vetustissimi nostri libri.
(6) *Quæ in his.*
(7) *Utiliter utendum.*

(*a*) In duobus mss. *abscindit peccatum.* Habetur Eccl. III, 33, *Eleemosyna expiabit peccata.* Tob. XII, 9, *Purgat omne peccatum.* An hæc an alia hic respiciantur, incertum.

(*b*) Regius codex *in fastum :* magis placeret, nisi infra, n. 12, *fastigii tumorem* in omnibus libris legeremus. Quamquam et hic *fastidium* et illic *fastidii* reponendum conjectamus ex his litt. 3, n. 14 : *O infelix superbia, quæ dedignatur sub præceptis cœlestibus vivere, quæ mandata divina animi infidelis tumore fastidit!*

(*c*) Illud *cum* potest intelligi conjunctio superiora nectens atque confirmans, ut subsequens vox *Domino* sit in dandi casu. Verius tamen videtur esse præpositio eamdem vim habens ac *secundum.* Sic superius non semel legimus *cum Græcis,* pro, *secundum Græcos.*

(*d*) Abjecimus *sui* auctoritate mss.

(*e*) Excusi, *formavit.* Verius mss. *firmavit,* secundum illud psal. XXXII, 6, *Verbo Domini cœli firmati sunt.*

(*f*) Lips. et Par. *ut qui manens :* minus diserte exprimunt rationem ob quam Christus meruit gloriam.

(*g*) Hoc est, non modo secundum id quod manet in forma Dei, sed et secundum id quod est in forma servi, in Dei patris gloria nosceretur, *forma videlicet servili in gloriam ejus cujus in forma ante manebat proficiente,* ut exponitur in psal. CXXXVIII, n. 19. Vide tract. psal. CXLIII, n. 7.

(*h*) Ita regius codex cum Albin. Alii vero *utiliter utendum :* non reddunt sententiam Hilarii, ex verbis Pauli *ad utilitatem* acute concludentis humiliter utendum esse Dei donis, quia sine humilitate fiunt otiosa et inutilia.

(*i*) Prædicti duo mss. *gratiam efferretur.*

ret. Ezechiam regem Scriptura laudat, quod fecerit rectum et bonum in conspectu Dei (IV *Reg.* XVIII, 3): sed non usque in finem potuit hæc manere laudatio. Scriptum enim est in secundo (*a*) Præteritorum libro: *Et cecidit Ezechias ab altitudine cordis sui* (II *Paral.* XXXII, 26). Ubi cor in altum erexerat, ubi in superbiam se per confidentiam laudationis extulerat, præteritorum gestorum gratiam per superbiæ crimen amisit.

12. *David humillimus, cui multæ superbiendi causæ.* — Propheta igitur sacramento constituens ut justa Dei judicia custodiret, hoc primum opus sumpsit, ut humilis fieret : neque solum humilis, sed humilis valde : per adjectionem hanc consummatæ in se humilitatis modestiam edocens. Et erant causæ in eo plures superbiendi. Præbebat insolentiæ causas nobilitas ex Juda, et in eo primum potestas benedictionis regiæ inchoata. Mansit enim aliquandiu ex David tribu regiæ potestatis familia, ex qua secundum carnem Rex æternus emersit. Erat etiam prudentissimus. Ait enim : *Invisibilia et occulta sapientiæ tuæ manifestati mihi* (*Psal.* L, 8). Meruit etiam et propheta esse, cum dicitur : *Aperiam in parabolis os meum, eructabo absconsa a constitutione mundi* (*Psal.* LXXVII, 2). Humanæ quoque opulentiæ copiis abundavit. Ait enim ipse : *Ecce congregavi de paupertate mea auri* (*b*) *talenta centum millia, et argenti mille millia, et æris et ferri quorum numerus non est* (I *Paral.* XXII, 14). Hinc familiæ nobilitas, hinc regis potestas, hinc sapientiæ fiducia, hinc prophetiæ meritum, hinc copiæ facultatum, non erexerunt tamen in superbiam, neque in aliquem fastigii tumorem extulerunt. Tuto ergo postulat, dicens : *Vivifica me secundum verbum tuum ;* id est, ut tamquam nondum vivens æternæ vitæ vitam secundum verbum Dei mereatur, quia eum humilitatis modestia intra disciplinam et doctrinam prædicationis evangelicæ contineret.

367 13. *Plura sponte præstat David quam lex jubeat.* — Deinceps sequitur, VERS. 108 : *Voluntaria oris mei fac beneplacita, Domine, et judicia tua doce me* (*c*). Digne exsequitur propheta (1) sacramentum constitutionis suæ. Primum enim humilis valde effectus est : (*d*) sequenti nunc orat ut voluntaria oris sui beneplaceant. Non contentus est (2) etiam præscriptis legis contineri, neque tantum necessitatem obedientiæ subjacere. Lex præcipiebat malum pro malo esse reddendum. David iste cum Saul totis se imperii sui viribus persequentem, frequenter captum et conclusum habuisset, non modo non peremit, sed etiam cum honore dimisit, dicens : *Non inferam super eum manum meam, quia Christus Domini est* (I *Reg.* XXIV, 11). Hunc etiam cum in bello peremptum comperisset, flevit et vindicavit (II *Reg.* I, 15 *et* 17). Filius quoque ejus (*e*) Abessalon regnum occupat, exercitum contrahit, patrem bello parricidali persequitur. Sed militibus David dicit : *Parcite puero Abessalon* (II *Reg.* XVIII, 5). Illi quidem ad resistendum necessitas imposita est, ut regi; sed pietas et bonitas adfuit ad parcendum, ut prophetæ. Mortuum quoque affectu paterno et dolore deflevit. Hæc enim voluntaria, non legitima sunt : et his obtemperare, libertatis potius quam necessitatis officium est.

14. *Voluntariæ devotionis opera a Paulo commendata.* — Habet hanc Apostolus voluntariæ doctrinæ, non et legitimæ consuetudinem, dicens : *De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do* (I *Cor.* VII, 25). Aut cum gloriam viduitatis et continentiam laudat, (3) non inhibet (*f*) potestatem nubendi, sed meritum cœlibatus prædicat (*Ibid.* 38). Ultra legem instituit, et ultra præceptum adhortatur, voluntaria legitimis anteponens. Et rursum ait : *Numquid non habemus potestatem manducandi et bibendi? Numquid non habemus potestatem mulieres circumducendi, sicut cæteri apostoli et fratres Domini et Cephas?* Aut ego solus et Barnabas non habemus potestatem (4) hoc operandi? Sed non utimur (*g*) hac potestate. Potestas (5) in licito est, cum lex (evangelica) infidelitati nostræ parcens præscriptis nos gravibus non onerat. At vero voluntatis professio ex incremento fidei est, cum in his quæ moderata lex nobis est, nosmetipsos voluntariæ devotionis studio continemus.

15. *Judicia legis agens David non intelligit.* — Hæc igitur voluntaria ut Deo sint placita 368 Propheta orat ; quia illa, quæ ex præscripto legis (6) gerantur, ipsa servitii sui necessitate peraguntur. Causam autem semper prætendit deprecationis suæ. Postea enim quam voluntaria oris sui ut beneplacita essent oravit, adjecit : *Et judicia tua doce me.* Judicia

(1) *Sacramento.*

(2) *Jam præscriptis* tum, *necessitati* deinde, *præceperat*, non *præciebat.*

(3) Fere cum antea editis noster liber : *non inhibita potestate nubendi, sed merito cœlibatus prædicator ultra legem instituit.*

(4) *Non operandi* juxta græcum, τοῦ μὴ ἐργάζεσθαι.

(5) *In licita est.*

(6) *Geruntur.*

(*a*) Bad. et Er. *Paralipomenum.* Lips. et postrema editio Par., *Paralipomenon.* Præferimus cum prima et ms. Mic. *Præteritorum*, ut lectionem mutationis minus suspectam et confirmatam in psal. CXIII, n. 11.

(*b*) Editi, *talenta tot millia, et argenti alia, et æris*, etc. repugnantibus nostris mss. necnon sacro textu græco et latino.

(*c*) Mss. reg. et Albin., *digna exsequitur propheta sacramento.*

(*d*) In vulgatis, *sequenter ;* et mox, *non contentus est jam præscriptis..... necessitati obedientiæ subjacere lex præceperat.* Ad horum ac subsequentium intelligentiam, recolendum quod ait Hilarius in psal. LIII, n. 13, *legis sacrificia non habere in se voluntatis professionem.* Unde et concludit : *Necesse erat effici quod fiebat : quia sacrificii negligentiam maledicti non admittebat adjectio*, etc.

(*e*) In ms. reg. hic et inferius, *Absolon.*

(*f*) Edit. *non inhibita potestate nubendi, sed meritum cœlibatus prædicator ultra legem instituit :* corriguntur auctoritate mss. reg. et Alb., hoc est, laus illa non tollit potestatem nubendi, sed prædicat, etc.

(*g*) Regius codex et Albin. *utimur potestate. Potestas ob illicita est.*

legis (*a*) agit, et quantum in se est gestis atque operibus exercet; sed nondum ea intelligit. Scit enim esse legem spiritalem. Et illud quod sub specie præsentium operationum continetur nosse festinat: ea enim quis necesse est doceri postulet, quæ ignorat.

16. *Totum se Deo tradit.* — Totum autem se Propheta secundum sacramenti sui constitutionem Deo dedit. Humiliatus est valde, voluntaria oris ejus placentia sunt: nunc ejus anima in Dei manibus semper est, et legis Dei non obliviscitur, dicens, VERS. 109: *Anima mea in manibus tuis semper: et legem tuam non sum oblitus.* Totum quod vivit, Deo vivit. Omnis ejus sensus et spiritus in Deo est: nullum tempus admittitur, quo subrepere legis possit oblivio. In omnibus suis operibus et cogitationibus Deus cogitatur. Lex in memoria est, in Dei manibus anima viventis semper est.

17. *Quam id cuique necessarium. Laquei ubique.* — Scit etiam quam sibi istud utile sit, scit quam sit necessarium quotidie se manibus Dei, gestis atque operibus suis, et per indefessam memoriam legis inserere. Ait enim, VERS. 110: *Posuerunt peccatores laqueum mihi: et de mandatis tuis non erravi.* Scit in hac sæculi sylva plures laqueos extendi, plures vitæ suæ captiones parari. Sermo, cogitatio, opus nostrum semper adjacentes habent laqueos: cum interdum occurrit causa iræ, doloris affectio, querelæ necessitas, malæ cupiditatis occasio. Hos diabolus angelique ejus ab initio transgressores, et ab exordio peccatores, laqueos semper extendunt. Sed cujus in manibus Dei anima est, et qui numquam legis Dei immemor est, his undique licet laqueis circumjectis, a præceptis tamen non aberrabit. Semper enim Deum cogitans ab his evolat, ut in psalmo (1) alio loquitur: *Sicut passer, liberatus ex laqueo venatorum* (*Ps.* CXXIII, 7). Et Dominus ipse per Prophetam ait, (*b*) *Liberate vos ex laqueo venatorum, et a verbo conturbationis* (*Ps.* XC, 3).

18. *Sæculum quam perniciosum iis qui ei renuntiarint.* — Non enim injuste tenduntur retia avibus (*Prov.* I, 17, *sec.* LXX). In cœlestem scientiam homo eruditus 369 es: quid tibi cum terrenis operibus et gestis est? Avis effectus es: cur non in naturæ tuæ elemento moraris? Volucres enim cœli nuncupantur: non injuste ergo illis in possessione terrenæ habitationis insidiæ sunt. Sæculo renuntiasti: quid tibi cum sæculi rebus? quid quereris captus in sæculo? quid quereris injuriam laquei in regione non tua? Dic potius et utere ipse tu voce Psalmistæ dicentis (2) ista: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ? Et volabo, et requiescam* (*Ps.* LIV, 7). Natura avium est, (*c*) ut non cum volent requiescant: tu autem jam factus columba, volando requiescis, id est, in cœlestem te sedem et cognitionem a laqueis terrenis volatu fidelis animæ efferendo.

19. *Testis Dei esse et ejus causa pati avet David. Testimonia hæreditate parta.* — Dehinc sequitur, VERS. 111: *Hæreditavi testimonia tua in sæculum; quia exultatio cordis mei sunt.* Hæres, secundum humanam consuetudinem, omnia ejus obtinet cujus et hæres est. Sed humanas hæreditates dedignatur Propheta, qui testimonia Dei hæreditavit. Gratum ipsi, si (3) Dei fiat ipse testis, quia exultatio cordis sui sit, si se Dei inter persecutionum bella testetur. Sic et meminimus his testimoniis apostolos gratulatos, cum exeuntes de consessu persecutorum, lætati sunt propter Dei nomen dignos se injuriis judicatos (*Act.* V, 41). Testimonia ergo ejus exultatio eorum cordis fuit. Sed Propheta, ut et apostoli, licet inter multas persecutiones hæc testimonia Dei, id est, testandi de eo cum exultatione cordis tamquam hæreditatem retineat; tamen etiam illa Dei testimonia hæreditate acquisita habet, quæ sub testibus dicta sunt. Moyses legem sub testibus dedit cœlo atque terra (*Deut.* IV, 26), Esaias sub testibus arguit cœlo atque terra (*Esa.* I, 2), Apostolus jam celsioribus testimoniis ut prædicator evangelicus usus est, dicens: *Testor vobis coram Deo et Christo Jesu et angelis ejus* (I *Tim.* V, 21). Hæc ergo testimonia sub his scripta, et sub his testata, et in his testata, tamquam novi patrimonii hæres occupat: non ex parte, sed in totum. Jus enim hæreditatis ex solido est. Etsi inter plures secundum humanam successionem hæreditas dividatur, tamen hæreditas ipsa nomine hæredis ex solido est.

20. *Perseverantia a Deo quoddam initium a nobis. Originis vitium.* — Ac ne quod a multis dici sæpe solet rationis aliquam habeat auctoritatem, cum asserunt proprium Dei munus esse, ut quis in Dei rebus atque operibus versetur; excusantes 370 infidelitatem suam, quod cessante erga se Dei voluntate maneant infideles: est quidem in fide manendi a Deo munus, sed incipiendi a nobis origo est. (4) Et voluntas nostra hoc proprium (*d*) ex se habere debet, ut velit: Deus incipienti incrementum dabit: quia

(1) *Altero.*
(2) *Ita* pro *ista.*
(3) *Deo.*

(4) *Ut voluntas nostra hoc proprium ex se debet, et velit.*

(*a*) In vulgatis, *ait:* Rectius in mss. *agit*: quippe, ut mox dicebatur, peragit *quæ ex præscripto legis gerantur.*

(*b*) Ita Bad. et Er. cum mss. Sic et apud Ambrosium in eumdem hunc locum habent scripti et excusi libri omnes, una Romana editione excepta, quæ substituerat, *liberavit te ex laqueo:* quomodo et hic sua ipsius auctoritate reposuit Lipsius, ac deinde obtinuit.

(*c*) In editis, *ut non nisi cum volent.* In uno ms. Vati c., *ut cum non volent.* Præferimus cum reg. et Albin. *ut non cum volent;* ut corporeis avibus hic declarentur eo præstare spiritales, quod hæ volando requiescant, illæ non.

(*d*) In duobus mss., *ex se habet, ut velit.* Hæc prima Hilarii verba legitimæ subjiciuntur sententiæ. Verum enim est illud Augustini lib. III de Civ. Dei c. 10: *Multa facimus, quæ si nollemus, non utique faceremus; quo primitus pertinet et ipsum velle: nam si volumus, est, si nolumus, non est. Non enim vellemus, si nollemus.* Et lib. III de Lib. Arb. c. 5, n. 8: *Voluntas igitur nostra nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate.*

consummationem per se infirmitas nostra non obtinet, meritum tamen adipiscendæ consummationis est ex initio voluntatis. Idcirco psalmum ita Propheta conclusit, VERS. 112 : *Declinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem.* Cor suum ipse declinat, et ex naturæ humanæ peccatis in obedientiam Dei inflectit. Natura quidem et origo carnis suæ eum detinebat : sed voluntas et religio cor ejus ex eo in quo manebat originis vitio ad justificationum opera declinat. Et declinat in omni vitæ suæ tempore : non in definitione aliqua spatii, sed in omni vitæ suæ sæculo. Declinat autem *propter retributionem*, certus scilicet (1) ea (*a*) fidei meritis reservari, et in his retributionem ejus esse, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus his qui diligunt eum in Christo Jesu (I *Cor.* II, 9), cui gloria est et nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

LITTERA XV.

ס Samech.

Iniquos odio habui, et legem tuam dilexi. Adjutor et susceptor meus (Hil. add. *es tu*) : *et in verbum tuum speravi* (*spero*). *Declinate a me maligni : et scrutabor mandata Dei mei. Suscipe me secundum eloquium tuum, et vivam : et non confundas me ab exspectatione mea. Adjuva me, et salvus ero, et meditabor in justificationibus tuis semper. Sprevisti omnes discedentes a justitiis* (infra, *justificationibus*) *tuis : quia injusta cognitio* (*cogitatio*) *eorum. Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ : ideo dilexi testimonia tua* (infra, *justitias tuas* sine *semper*) *semper. Confige timore tuo carnes meas : a judiciis enim tuis timui.*

371 1. *Inimicos diligere est præceptum.* — Præcepti (*b*) evangelici doctrina est, ut inimicos diligamus (*Matth.* v, 44) : et non solum amantibus nos amorem, sed etiam his qui nos oderint debeamus. Ergo hæc prophetæ professio adversari videtur dominicis mandatis : ut cum amor nobis inimicorum imperetur, ille quod iniquos oderit, tamquam bonum opus præferat, dicens, VERS. 113 : *Iniquos odio habui.*

2. *Odium patris, matris*, etc., *jubetur quando illi a martyrio aut a Dei famulatu avocant.* — Sed hujus ipsius dicti ratio ex ipsis evangeliis noscenda est. Nam Dominus, qui inimicos diligi jussit, et maledicentes patrem aut matrem reos esse mortis constituit (*Levit.* XX, 9), rursum alio in loco præcepit, dicens : *Si quis venit ad me, et non oderit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc etiam et animam suam, non potestus me esse discipulus* (*Luc.* XIV, 26). Ergo hæc videntur sibi esse contraria, ut cujus ex præcepto non solum odium in parentes, sed maledictio tantum morte sit digna, ipse rursum dicat, neminem discipulum suum esse posse qui nisi (*quasi*, nisi qui) patrem et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, et animam suam oderit. Durus hic sermo, et præceptum grave est, impietatis necessitatem ad consummationem religionis imponere.

3. Verum nihil a Deo durum, nihil impium, nihil contrarium anterioribus præceptis jubetur. Irasci autem hæc carissima nobis nomina, pater scilicet ac mater, et uxor, et filii non possunt, quod eos præcipimur odisse; cum animam ipsam nostram odisse jubeamur. Scit enim esse Dominus plures tam inconsulti amoris, ut cum persistere in martyrii gloria filios suos videant, ut tempori cedant, rogent; ut sententiam mutent, precentur; et impiæ pietatis erga eos (2) utantur affectu : cum anus mater, et pater senex miserabiles canos filio in ipso martyrii certamine cum invidia præduræ voluntatis ejus ostendat : hinc et uxor adsit filiorum ambitiosa comitatu, oret ut potius sibi illisque vivat : hinc fratres et sorores blandis nominum suorum familiaritatibus deprecentur : ipsa quoque anima illecebris jam pridem capta vivendi, tacitis quibusdam consiliis ad conniventiam **372** deflectendæ voluntatis irrepat. Hoc igitur in tempore odisse nos patrem, matrem, uxorem, filios, fratres, sorores, et ipsam quoque animam Dominus præcepit. Nam hunc eumdem sermonem ita clausit, post odium universorum dicens : *Et si quis non portat crucem suam, et venit post me : non poterit meus discipulus esse* (*Luc.* XIV, 27). Ergo tum odio habendi sunt, cum portare nos martyrii crucem nolunt, cum sequi (3) Deum exemplo passionis dehortantur. Honestum hoc odium et utile est, eos qui ab amore Christi abducere conantur odisse.

4. *Iniquos odiendo David Evangelio non repugnat.* — Itaque nunc Propheta nihil contrarium evangelicis præceptis, quibus amare inimicos jubemur, locutus videtur, dicens, *Iniquos* (4) *odio habui.* Non enim inimicos suos (5) dicit (*c*), sed *iniquos* : id est, transgressores legis. (*d*) Propriore istud verbo græcitas nuncupat dicens, παρανόμους, id est, extra legem agentes. Sed qui præteritores legis odit, non potest non id amare quod odit esse neglectum : et ideo ait: *Et legem tuam dilexi.* Convenit autem, ut quia legem amat, eos oderit qui legis inimici sunt.

(1) *Se ad fidei meritum reservari.*
(2) *Inutantur* pro *utantur.*
(3) *Dominum.*

(4) *Odivi.*
(5) *Odit* cum antea vulgatis.

Addendum tamen ex eodem Augustino lib. de Grat. et Lib. Arb. c. 16 : *Certum est nos velle cum volumus; sed Deus facit ut velimus* : ne quod sonant sequentia Hilarii verba, voluntas nostra per se sine Dei gratia ad bonum quidpiam posse existimetur. V. supra litt. 5, n. 12.

(*a*) Illud *ea* refertur ad *quæ oculos non vidit.* Quod autem habet Vaticanus codex, *certus scilicet se ad fidei meritum reservari*, interpolationem prorsus sapit.

(*b*) In ms. reg. : *Præceptum evangelicæ doctrinæ est... amantibus nos amorem reddamus, sed etiam hos qui nos oderunt diligamus.*

(*c*) In vulgatis, *odit.*

(*d*) Ms. Albin. cum reg. : *Propriore sensu elocuta est istud verbum græcitas dicens.*

5. *Adjutorio Dei magno nobis opus. Spes obtinet. Meritum omne ex spe ac fide Christi.* — Dehinc sequitur, VERS. 114 : *Adjutor et susceptor meus es tu : et in verbum tuum spero.* Magno nobis Dei auxilio opus est in tanto atque assiduo sæculi istius prælio. *Non enim nobis*, secundum Apostolum, *pugna est adversus carnem et sanguinem, sed adversus potestates et mundi potentes harum tenebrarum, adversus spiritales nequitias in cœlestibus* (*Eph.* VI, 12). Hos ergo hostes habemus, adversus hos adjutor Deus precandus est, ut nos in susceptionem suam recipiat. Sed non tam timoris hæc precatio debet esse quam meriti. Timor enim ex trepidatione conditionis humanæ est, Propheta autem in verbo Dei sperat. Spes non res præsentes obtinet, sed futuras. Sperat ergo quæ verbo Dei, id est, dictis propheticis continentur. Sperat autem (*a*) vel retributiones fidei in vitam spiritalem : vel ipsum illum Domini nostri, qui Dei Verbum est, adventum exspectat. Spes enim ista meretur auxilium et adjutorium Dei. Non aliter aut nos meremur, aut aliqui ante meruerunt, quam Verbum Dei Deum naturæ nostræ carnem (*b*) vel **373** habitaturum (*c*) sperasse, vel quod habitaverit credidisse.

6. *Malitia omnibus inest. Malitia multiplex in corde.* — Sed Propheta (1) multa in se esse meminit, quæ spei suæ conentur obsistere : et ideo subjecit, VERS. 115 : *Declinate a me maligni ; et scrutabor mandata Dei mei.* Doctrinæ cœlestis ratio admonet ut dictum hoc referendum ad personam hominum, quibus insit malignitas, existimetur. Propheta enim, qui gentes docet, qui verbum Dei prædicat, jubet ut a se universi maligni declinent : quia (*d*) congregatio sanctorum ad malitiæ operarios sit indigna. (*e*) Et nescio quem possit excipere. Omnibus enim per naturæ demutabilis voluntatem malitia adjacet, (*f*) ipsisque apostolis verbo licet jam fidei emundatis atque sanctis, non abesse tamen malitiam per conditionem communis nobis originis docuit Dominus, dicens : *Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris* (*Luc.* XI, 13). Nostrum autem est (*g*) et malos amare, et bonos ad bonitatem docere, secundum eum, qui universos ad se potius invitat, dicens : *Venite ad me, omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego vos reficiam* (*Matth.* XI, 28). Sed scit Propheta plures malignitates in occulto humani cordis esse. Secundum enim Domini dictum, *De intus exeunt cogitationes malæ, cædes, mœchiæ, fornicationes, furta, falsitates, blasphemiæ* (*Matth.* XV, 19). Hæc enim sunt, quæ communem hominem faciunt. Hujusmodi igitur (2) ut a se declinent adversantes fidei suæ postulat. Obsistunt enim innocentiæ studiis, obsistunt doctrinæ spiritali : atque his per consiliorum suorum assiduam familiaritatem se ingerentibus, non vacant animo Dei mandata scrutari : quia maligni viri præsentia multum eum qui mandata Dei scrutari velit, impediat.

7. *Calumniæ contra spem Christianam. Oratio adversus eas.* — Et quia Dei opus est misericordia, ut in familiam ejus recepti a dominatu malignorum horum liberemur ; propheta orat dicens, VERS. 116 : *Suscipe me secundum eloquium tuum, et* **374** *vivam, et non confundas me ab exspectatione mea.* Propheta exspectat et sperat : nihil præsens, nihil temporarium sectatur. Plures autem sunt, qui hanc exspectationem fidei nostræ arguunt et irrident, dicentes talia : Quid jejunia, quid continentia, quid castitas, quid jactura patrimoniorum utilitatis (3) auferet (*h*)? Ubi spes vestra est, o Christiani? Mors æqualiter dominatur universorum : in omnium corporum naturas commune jus illi est. Quin etiam universis nos bonis

(1) *Multa inesse meminit.*
(2) *Ut* deerat in editis.

(3) *Adfert.*

(*a*) Apud Par. *vel retributionis fidem.*

(*b*) Bad., Er. et Lips., *vel habiturum sperasse, vel quod habuerit.* At Par. et mss., *vel habitaturum*, etc. Hoc quidem verbo suam hæresim expressit Nestorius, adversus quem S. Leo, Serm. 3, in Nat. Dom. c. 1 : *Nec sic creatura in societatem sui Creatoris assumpta est, ut ille habitator, et illa habitaculum esset, sed ita ut naturæ alteri altera misceretur.* Longe autem a Nestorio alienus Hilarius, l. I de Trin. n. 11 : *Ac ne*, inquit, *Verbum caro factum aut aliquid aliud esset quam Deus Verbum, aut non nostri corporis caro esset, habitavit in nobis : ut dum habitat, non aliud quam Deus maneret, dum autem habitat in nobis, non aliud quam nostræ carnis caro factus esset... et in suis perfectus, et verus in nostris.* Sed et mixtionem utriusque naturæ cum Leone non semel prædicat, qua deinde voce Eutyches ad confusionem divinæ et humanæ naturæ asserendam abusus est. Utriusque, Nestorii nimirum et Eutychetis, hæresis Arianæ germina, verbis supra relatis aliisque passim præcidit Hilarius, ac præsertim lib. X de Trin. n. 16 et seqq., et in psal. LIII, n. 11.

(*c*) Vatic. codex, *sperassent... credidissent.* Eadem veritas Augustino constitit. Tradit quippe epist. CLVII, n. 14, *antiquos justos quicumque esse potuerunt, nonnisi per eamdem fidem esse liberatos, per quam liberamur, fidem scilicet Incarnationis Christi, quæ illis prænuntiabatur, nobis facta annuntiatur. Cum*, inquit epist. 190, n. 6, *omnes justi, hoc est veraces Dei cultores, sive ante, sive post Incarnationem Christi, nec vixerint, nec vivant, nisi ex fide Incarnationis Christi.* Hinc apud Ignatium epist. ad Magnes. n. 8, *divinissimi Prophetæ juxta Christum Jesum vixerunt*, ab eo scilicet edocti, cujus propterea discipuli vocantur, n. 9. Hinc S. Leo Ser. 3 in Nat. Dom. c. 4, respondens iis qui hanc Dei gratiam nimium dilatam causarentur, *Nec sero*, inquit, *est impletum quod semper est creditum.*

(*d*) In editis, *congregatio sancta.* Est hic quidam tropus, quo significantur malitiæ operarii congregatione seu cœtu sanctorum indigni.

(*e*) Excusi, *et nesciat*, quasi verbum hoc referatur ad vocem *congregatio :* prave omnino. Mox in iisdem desideratur *malitia* ante *adjacet*, et inferius *Dominus* ante *dicens*. Resarciuntur ope mss.

(*f*) Citat Augustin. l. II, cont. Julian. c. 8, n. 26.

(*g*) Lips. et Par. *et bonos amare et malos ad bonitatem docere :* renitentibus Bad., Er. et mss. quibus consentit et Hincmarus l. de Prædest. c. 25. Hic objicit sibi Hilarius : Malos debemus amare, non igitur repellere. Tum objectum sic solvit : *Sed scit*, etc. Ut enim exponit Ambrosius in eumdem locum, Christus *malignos repellit, laborantes vocat*, a quo invitantur onerati, *non utique malignitate mentis, sed infirmitate carnis.*

(*h*) Editi, *affert.* Concinnius mss. *auferet*, scil. ex hoc mundo.

sæculi fruimur, et vitæ veræ licentia utimur : et in quo tandem nobis (*a*) spei vestræ exspectatione præstatis? Non confundi ergo se in hac exspectatione sua Propheta orat : sed ut maneat confidens, et fructus veræ illius vitæ quam exspectat accipiat. Scit enim se nondum vivere, licet vivat. Vita enim nostra, secundum Apostolum, absconsa in Christo est (*Coloss.* III, 3). Et idcirco ait : *Suscipe me secundum eloquium tuum, et vivam :* quia veræ illius et indeficientis vitæ exspectatione ac spe detinetur. Sperat enim æternitatem, sperat regnum cœlorum, sperat regnum Dei, sperat spiritales benedictiones in cœlestibus in Christo. In hac spe, in qua non confundetur, rogat ut suscipiatur et vivat.

8. *Oratio non ut desint, sed ut vincantur adversarii.* — Dehinc sequitur, VERS. 117 : *Adjuva me, et salvus ero, et meditabor* (1) *in justificationibus tuis semper.* Superius dixerat, *Adjutor et susceptor meus,* nunc autem nominum commemoratorum rem precatur, ut qui susceptor est, suscipiat; et qui adjutor, adjuvet. Non abesse a se adjutorium adjuvantis precatur. Non orat ne malignantes non habeat, quia per passionum patientiam fides (*b*) probatur : sed ut adversus eos adjuvetur orat, quia auxilium a Domino semper orandum est. Sed quemadmodum in superiore susceptus vivet : ita et in hoc adjutus salvabitur. (*c*) Adhuc enim sibi obeunda mors est, adhuc inferi sustinendi. Tunc salvabitur, cum ex corporea terrenaque **375** natura in spiritalem gloriam transformatus, nullum adversantis inimici periculum metuat, vivat inter electos angelos, sit (*d*) paradisi incola, et absorpta corruptione ex mortali immortalis exsistat.

9. *Meditatio æterna justificationum.* — Sed (*e*) quod meditaturum se in justitiis Dei dicit, et meditaturum semper : numquid non meditatur, qui et in meditatione speravit? Potest quidem et in præsens vitæ opus accipi, ut quousque in corpore sit, semper justificationes meditetur : sed nihilominus et in futurum sermo procedit. Scit in cœlo omnes angelos in meditatione justificationum Dei esse. Nihil enim illic otiosum, nihil iners est : omnes (*f*) virtutes cœlestes in opere ministerii sui permanent. Et cum nobis tunc vita angelorum vivendum sit ; potest secundum eos qui semper operantur, nobis quoque æterna justificationum esse meditatio.

10. *Peccatoris et apostatæ discrimen.* — Dehinc sequitur, VERS. 118 : *Sprevisti omnes discedentes a justificationibus tuis; quia iniqua cogitatio eorum.* Auxilium et susceptionem ob hoc Propheta orat, ne cum discedentibus a justificationibus Dei, et ipse spernatur. Sed hic servata ea ratio est, ut non dictum sit, sprevisti omnes peccatores ; sed, *Sprevisti omnes discedentes.* (*g*) Si enim peccatores sperneret, omnes utique sperneret : quia sine peccato nemo sit. Sed spernit discedentes a se, quos apostatas vocant. Neque enim interest an in justificationibus Dei quis aliquando fuerit. Spernendus enim a Deo est, quisquis discesserit : quia manentis meritum conservat (*h*) consummatio permanendi. Differt vero (2) a (*i*) peccato discessio : quia peccato venia per pœnitentiam reservatur, discessio vero cum ipsa pœnitentiæ discessione se damnat ; quæ hinc oritur, cum voluntas eorum qui discessuri sunt est iniqua.

11. *Prævaricatores qui vulgo. Quomodo omnes. Lex naturalis.* — Dehinc sequitur, VERS. 119 : *Prævaricantes deputavi omnes peccatores terræ, ideo dilexi justitias tuas.* (*j*) Semper Prophetæ sermo longe se et ultra communem sensum tendit. Nos enim prævaricatores eos existimamus, qui susceptam fidem et cognitionem Dei adeptam relinquunt; aliud pollicitos, et aliud nunc agentes. Sed hic prævaricatores esse existimantur *omnes peccatores terræ :* nullus excipitur, generaliter ad omnes prævaricationis nomen refertur. Lex enim veluti naturalis est, injuriam **376** nemini inferre, nil alienum præripere, fraude ac perjurio abstinere, alieno conjugio non insidiari. Novit et hanc Apostolus legem, dicens : *Cum enim nationes, quæ legem non habent, naturaliter secundum legem faciunt, tales homines legem non habentes sibi ipsi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis*

(1) *Justificationes tuas.*

(2) *A peccatore.*

(*a*) Editi, *spei nostræ :* emendantur ex mss.

(*b*) In duobus mss. *operatur.*

(*c*) Regius codex hic subjicit, *cum ex corporea terrenaque natura,* etc. aliis omissis. Augustinus quidem epist. 164, n. 7, et lib. II, de Gen. ad lit. c. 33, n. 63, testatur se inferos nuspiam Scripturarum in bono appellatos reperire potuisse, eosque non vult sanctis viris sustinendos. Hilarius vero etiam ipsi David, cujus sanctitatem sæpe commendat, inferos sustinendos asserit, non ut locum tormentorum, sed ut sedem quietam in qua exspectarit donec Christus paradisi claustra reseraret. Ut enim habet Hieronymus epist. III : *Abraham, licet diversis locis, cum Lazaro* a divite *videtur apud inferos,* ibidem docens meliorem esse conditionem eorum qui post Christum vixere : et hoc post Origenem, cujus insignis ea de re locus est de Engastrimyto apud Huetium T. I, p. 36. Hunc maxime eo loci Hilarius videtur imitatus : ac proinde intelligendus est hic propheta David, quatenus Christum præcessit, inferos prædicare sustinendos ; sed de justis, qui Christum secuti sunt, aliter omnino sentire.

(*d*) Nomine *paradisi* cœlum hic intelligi liquet ex verbis circumstantibus.

(*e*) Editi, *quomodo meditaturum se in justificationibus Dei dicit?* obnitentibus mss. per quos si liceret, mallemus *quid* pro *quod.*

(*f*) *Virtutes cœlestes* angelos ab Hilario hic intelligi manifestum est. Ex quo illustratur illud tract. psalm. XCI, n. 7, *Cœlum dilaberetur.... si sabbati lege virtutum constitutio otiaretur,* quamquam illic *virtutum* nomine astra intelligi queant. Illustrantur et alii similes loci.

(*g*) Hæc Pelagio opponit Augustin. l. de Nat. et Grat. c. 62.

(*h*) Excusi, *consummatio spernendi :* emendantur ope mss.

(*i*) Apud Hincmarum de Prædest. c. 25, *a peccatore* (quod et hic præ se ferunt Hilarii edit.) *discessio: quia peccatori venia per pœnitentiam reservatur, discessio vero cum ipsa pœnitentia* (non *pœnitentiæ*) *discessione se damnat :* male.

(*j*) Male in prius vulgatis vox *semper* tamquam pars sacri textus ponebatur.

(*Rom.* II, 14). Ergo prævaricatores existimantur, qui quod (1) a (*a*) naturali lege accipiunt, derelinquunt. Furem quis deprehensum, aut adulterum, aut homicidam arguet lege naturæ. Sed si in his ipse versetur, prævaricator est legis.

12. *Peccatores cœli.* — Novit etiam, cum ait *peccatores terræ*, alios esse et cœli peccatores. Audiamus enim evangelicæ prædicationis prodigum filium perditum atque mortuum, de peccato suo patri confitentem : *Peccavi*, inquit, *pater* (2) *in cœlum et coram te* (*Luc.* XV, 22). Quisquis cœlestis doctrinæ, et spiritalis gratiæ particeps factus in peccato demorabitur; non terræ peccator est ille, sed cœli. Omnes enim credentes in se Dominus noster Jesus Christus coexcitavit, et collocavit in cœlestibus : ex quibus qui decedit, tamquam cœli peccator arguitur. Cum igitur Propheta peccatores terræ prævaricatores esse existimet, quia naturæ legem peccando transgressi sint; ob hoc ipse testimonia Dei diligit, quia cum prævaricatio sit decedere ex lege naturæ; tamen jam sine venia sit ex cœlesti lege discessio.

13. *Cruci carnis vitia configenda.* — Concludit autem ita, VERS. 120 : *Confige* (3) *timore tuo carnes meas; a judiciis enim tuis timui.* Novæ et insitatæ preces Prophetæ sunt, ut a timore Dei carnes suæ configantur. Sed meminit compatiendum et commoriendum esse cum Christo his, qui conregnare cum eo velint. Et minore (*b*) istud dicti virtute (4) latinitatis translatio elocuta est. Quod enim nobiscum est *confige*, illic κατήλωσον id significat, ut clavis se configat (*Rom.* VI, 4). Moriendum ergo nobis est, et omnia carnis nostræ vitia configenda cruci Domini sunt. Morimur enim secundum Apostolum cum Christo, et consepelimur in baptismo. Et hoc Propheta quamquam in sua voluntate habeat : tamen ut per misericordiam Dei consequatur expostulat. Configi enim ex timore Dei carnes suas orat, quia judicia Dei metuat. Timet enim æterni judicii sententiam, timet se non cum Christo configi et commori et consepeliri, **377** novum se hominem, nisi vetere cum vitiis et concupiscentiis exuto, intelligens non futurum.

LITTERA XVI.

ע Ain.

Feci judicium et justitiam : non tradas me persequentibus (Hil. *nocentibus*) *me. Excipe servum tuum in bono : non calumnientur me superbi. Oculi mei defecerunt in salutare tuum, et in eloquium justitiæ tuæ. Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam, et justificationes tuas doce me. Servus tuus sum ego : da mihi intellectum et sciam mandata tua* (*ut sciam testimonia*). *Tempus faciendi, Domine* (*Domino*) : *dissipaverunt legem tuam. Ideo dilexi mandata tua super aurum et topazium* (*topazion*). *Propterea ad omnia mandata tua dirigebar : omnem viam iniquam odio habui.*

1. *Octonario hoc quanta cum primis doceamur.* — Et in psalmi exordio et deinceps frequenter meminimus per hæc singularum litterarum quædam quasi elementa discendi, doctrina nos pietatis, continentiæ, intelligentiæ, fidei et timoris institui : et ut rudem infantiam ad loquendi scientiam, quam et agendi doctrina consequitur, ipsis humanæ vocis initiis erudiri : quod ex præsentibus sextæ et decimæ litteræ octo versibus intelligi licet (*Duo mss.* debet). Propheta enim ex persona sua universos docet, quid velle, quid agere, quid profiteri unumquemque pro conscientia infirmitatis ac naturæ suæ utile sit : quid etiam metui, quid caveri, quid (*c*) emundari oporteat. Beatus idem propheta, (*d*) qui per misericordiam Dei ipse sibi, et universis doctor et prospector et emundator et judex est. Et certe dignitati ejus decentissimum est, ut qui spiritu Dei loquitur, ea quæ humanæ et salutis æternitatis sunt eloquatur.

2. *Opus orationi anteferendum.* — Ait enim ita, VERS. 121 : *Feci judicium et justitiam : non tradas me nocentibus me.* (*e*) Fecit placentia Deo opera : et quia fecit, ne nocentibus se tradatur orat. Opus merendi antefertur : et dehinc meriti præmium postulatur. Fit enim primum quod placet : et tum dignatio ejus, **378** cui per opus placetur, oratur. At nos nec operamur, nec placemus, quin etiam impiis et irreligiosis rebus offendimus : et quia tales non placemus, irascimur. Sed dignum est contueri, qualia sint quæ Propheta faciens, ne nocentibus se tradatur, orat.

3. *Virtutes David illi soli utiles.* — Et omnia quæcumque quis timens Deum fecerit, utilia ei atque pulchra sunt. Pudicitiam quis colens, gloriosum ac nitens (*f*) sordenti corporis sui carni lumen invexit. Contemptum vero pecuniæ assumens, liberum se a terrenis dominationibus (5) præservavit. (*g*) Frugalitatem autem et parcimoniam diligens, nobilitatem animæ cœlestis captivam ebrietati non dereliquit. Sed hæc quamvis magna atque præclara sint, tamen, quia Pro-

(1) *A natura legis.*
(2) *In cœlo.*
(3) *De timore.*

(4) *Latina translatio.*
(5) *Reservavit.*

(*a*) Vatic. ms. *a naturæ lege.* Alii, *a naturale lege.* Editi vero, *a natura legis.*

(*b*) Unus e mss. Vatic. *istud dictum virtute latina translatio*, etc.

(*c*) In mss. reg., Vatic. et Albin. *emendari*, et mox, *emendator.* Verbum *emundo* Hilario familiarius est, quam *emendo.*

(*d*) Abest *qui* a ms. Mic. Mox in editis desiderabantur verba, *et universis doctor.* Omittunt vero reg. atque Albin. mss. subsequentia, *et prospector* (in Vatic. legitur, *prospectator*) *et emendator et judex.* Particula *et*, quæ præcedit *universis*, perinde est ac *etiam.*

(*e*) In mss. *facit :* ac deinde in solo Mic. *et quia facit.*

(*f*) Deest *sordenti* in prima editione Par. Cæteræ autem habent, *gloriosum ac timens sordem corporis sui*, etc. dissidentibus mss.

(*g*) Mss. reg. et Albin. *reservavit.*

phetæ propria, eique tantummodo utilia sunt, non A referuntur ad meritum.

4. *Judicium autem ac justitia prosunt et aliis.* — Sed quid fecit, ut non tradi se nocentibus deprecetur? *Judicium* scilicet *et justitiam*; nihil inconsultum, nihil injustum agens : sed primum faciens judicium; omnia namque ratione, modo, et veritate pertractans : ut id quod in alterum agat, perpensum antea atque perspectum jam de consilii sententia exsequatur. Non permittit autem consilio tantum suo judicii sententiam : sed facit cum judicio justitiam. Judicantis autem cum consilio hoc opus maximum est, ut quod judicat justum sit. Justitia etenim est(*a*) amicitiæ concordia, unanimitatis vinculum, fundamentum pacis, divinæ atque humanæ rationis operatio. Hæc itaque Propheta fecit : in quibus cum opus suum sit, tamen et eorum B quibus judicium et justitiam fecit, utilitas est.

5. *Peccator diaboli domus. Huic a Deo traditur. Resecari ab Ecclesia est diabolo tradi.* — Postulat vero ne nocentibus se tradatur. Omnis enim in quo peccati voluntas est, Deo vacuus est : et ubi Deus non erit, illic diaboli locus est : qui insidians atque obsidens, (*b*) ubi adeundi opportunitatem habuerit, tamquam vacuam domum occupet, quæ ei, Deo eam deserente, sit tradita (*V. Tract. Ps.* CXX, *n.* 8). Et Propheta quidem, quia ex persona omnium loquebatur, ne a Deo tradatur orat. Cæterum Apostolus habet jam id in se fiduciæ, ut peccatores diabolo tradat ipse : cum Corinthiis de eo qui fornicationes omnes supergressus, uxorem patris sui acceperat, scribit : *Ego autem absens corpore, præsens autem spiritu, jam* C *judicavi tamquam præsens eum qui hoc fecit, congregatis vobis et meo spiritu cum virtute Domini* (1) *mei* (*c*) *Jesu, tradere istius modi satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat in die Domini* (*Cor.* v,3 *et seqq.*). Sed licet **379** Apostolus tradat; scit tamen se et in virtute Christi et in suo spiritu traditurum. Sed et in alia epistola ait de (*d*) Phygello et Hermogene : *Quos tradidi, inquit, satanæ, ut discant non blasphemare* (I *Tim.* I, 20). Qui enim ab Ecclesiæ corpore respuuntur, quæ Christi est corpus, tamquam peregrini et alieni a Dei corpore, dominatui diaboli traduntur.

6. *Tentationes variæ dæmonum. Non obtinent nisi quos Deus deserit.* — Sed Propheta ne nocentibus se tradatur orat. Adsunt enim inimicitiæ infestæque virtutes quæ fidei propositum conturbent, quæ timorem Dei oblitterent, quæ in terrenas cupiditates et desideria sollicitent, quæ infirmam corporis naturam quibusdam blandimentorum aculeis in vitia commoveant. Novit et Apostolus hanc multitudinem dominantium virtutum dicens : *In quibus et vos aliquando ambulastis secundum principem potestatis aeris, spiritus qui nunc operatur in filiis diffidentiæ* (*Eph.* II,2). Fecit ergo Propheta judicium et justitiam : et ne tradatur nocentibus se rogat : et hoc modo nocentibus, cum in peccatum impellunt, cum in gloriam inflant, cum in iram accendunt, cum in odium exacerbant, cum ad lasciviam illiciunt, cum ad avaritiam provocant. Sed cum per hæc nocere properent, obtinere tamen (2) eos qui innocentes sunt, nisi sibi (*e*) per secessionem Dei traditi fuerint non valebunt.

7. *Superbi, diabolus et ministri. Qui calumnientur.* — Dehinc sequitur, VERS. 122 : *Excipe servum tuum in bonum : non calumnientur me superbi.* (*f*) Proficit (3) in spes suas Propheta, et celsiorem jam deprecationis suæ gradum scandit. Qui enim oraverat ne traderetur nocentibus se, jam (4) ut in proprietatem servi excipiatur rogat, beatum illum in se Dei dominatum cum bona susceptione sua deprecans. Et non ob levem causam ut in bonum suscipiatur orat, scilicet ne eum superbi calumnientur. Et qui sunt superbi? Nempe illi, quorum principem loquentem Isaias introducit ita : dixit enim :(*g*) *Virtute faciam et sapientia intellectus auferam fines gentium et* (5) *virtutem eorum, et commovebo civitates* (*h*) *inhabitabiles, et omnem orbem terræ apprehendam manu mea ut pullos, et tamquam confracta ova auferam* (*Esa.* X, 13 *et* 14). Hæc superbientis **380** vox est, diaboli scilicet, qui et Deo ac Domino nostro Jesu Christo ostensa terrenorum imperiorum gloria dicere ausus est : *Omnia hæc tibi dabo, si procidens adoraveris me* (*Matth.* IV, 9). Non esse autem hunc solitarium, sed plures ei adesse spiritalium nequitiarum (6) ministros, per eum docemur qui ait : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum,*

(1) *Mei* deest in Veron. exemplari.
(2) *Eos, quos nocentes fuerint, non valebunt.*
(3) *In spe sua.*
(4) *Ut proprietate.*
(5) *Virtutes earum.*
(6) *Subministros.*

(*a*) Ita cum antiquis editionibus quinque mss. nec D debuit apud Par. ex ms. Mic. substitui, *amica concordia.*

(*b*) Prave apud Par. *ubi abeundi.*

(*c*) Adjecimus *mei* auctoritate mss. reg. et Albin. Nunc in sacris codicibus legimus *nostri.*

(*d*) Regius codex cum Albin. *Fileto.* Subsequentia autem verba I Tim. I, 20 habentur de Hymeneo et Alexandro, non de Phyleto aut Phygello, sicut nec de Hermogene. Hymeneum vero simul et Phyletum refert Apostolus II Tim. II, 17 a fide defecisse : Phygelli etiam et Hermogenis a fide defectionem narrat II Tim. I, 15; at utroque loco satanæ traditionem tacet : ut hic Hilarius ex memoria locutus videatur.

(*e*) In ms. Mic., *qui nocentes sunt, nisi sibi*, etc. Tum in tribus aliis, *per concessionem Dei.* Retinendum esse *per secessionem* suadet illud num. 5 : *Diabolus tamquam vacuam domum occupet, quæ ei Deo deserente sit tradita*, nec non hoc tract. ps. CXX, num. 8 : *Desolatio ejus idcirco traditio est, quia peccatores obtinere diabolus, nisi Deo ab his abscedente, non poterit.*

(*f*) Vaticanus codex cum reg. et Albin., *profecit in spe sua.*

(*g*) In mss. reg. et Albin. : *Virtutem faciam et sapientiam intellectus. Auferam* etc. et mox omittitur *apprehendam manu mea ut pullos, et tanquam confracta ova auferam.*

(*h*) Vox *inhabitabiles* non negative hic, ut sonat, intelligenda videtur : maxime cum in græco exstet κατοικουμένας. Ex quo colligimus *inhabitabiles* hic perinde esse ac *habitabiles*, puta a verbo *inhabito*, quod sæpe idem est atque *habito.*

quem præparavit Pater meus diabolo et angelis ejus (*Matth.* XXV, 41). Ab horum igitur superborum calumnia esse se liberum rogat. Calumniantur enim ; quia cum ipsi peccati incentiva suppeditent, calumniam nobis ante Dominum peccati quod per eos gesserimus, intentant (1); causam namque peccati ad crimen injiciunt, et criminis invidiam per calumniam exacerbant, Scriptura in Apocalypsi calumniatorem eum esse testante (*Apoc.* XII, 10).

8. *Oculis mentis David in Jesum deficit.* — Verum etiam nunc se extendit Propheta in celsiorem profectum, dicens, VERS. 123: *Oculi mei defecerunt in salutare tuum, et in eloquium justitiæ tuæ.* Oculi deficiunt, cum intentus in aliquam expectationem visus laborat. Propheta itaque animæ suæ oculos in Dei salutare defixit. Et de salutari quid intelligi oporteret, sæpe tractavimus ; eum scilicet esse Jesum, qui salvum faciet populum suum a peccatis. Aliis igitur oculos suos in desideria sæcularia occupantibus, et in voluptates rerum præsentium tendentibus, Propheta in Dei salutare defixus est. (*a*) Et ne corporales oculos ejus deficere sub hac contemplandi intentione existimaremus : non solum in Dei salutare deficiunt, sed etiam in eloquium justitiæ.

9. *Justa, etsi occulta, Dei verba ac gesta.* — Justa itaque esse Dei eloquia confitetur. Scit esse quædam, quæ (*b*) cum imperitis atque impiis injusti eloquii habeant opinionem : cum Pharao cor ad contumaciam obduratur (*Exodi.* IV, 21) et (2) pertinaciæ (*c*) irreligiosæ voluntatis affigitur : cum ex duabus adhuc in utero gentibus minori major sit servitura, et (3) neutra (*d*) quidquam boni promerente, servitus uni imponitur, dominatus alteri donatur (*Rom.* IX, 11 *et seqq.*) ; cum Adam de paradiso ne arborem vitæ contingat expellitur (*Gen.* III, 22) : quæ homines divinæ virtutis et bonitatis et justitiæ incapaces, dum intelligere non possunt, injusta esse **381** constituunt. Sed prophetæ hujus in istius modi eloquium (*e*) justitiæ oculi deficiunt : quia sciat nihil injustum esse in his dictis Dei, sed omnia adventu salutaris Dei hæc eloquia et consummanda et intelligenda esse (*f*) justitiæ. Procedit autem per hanc intentam usque ad defectionem oculorum exspectationem, ut aliquid ultra precari audeat.

10. *Fiducia David unde. Dei ope eget homo, ut bonum perficiat.* — Confessus itaque eloquium justitiæ, hæc subdidit, VERS. 124: *Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam, et justificationes tuas doce me.* Insolens forte vox existimaretur, quæ diceret : *Fac cum servo tuo.* Quod enim dicitur, *Fac ;* tamquam ex fiducia aliqua præsumptio est usurpata poscendi. Sed non impudenter id diceret, qui judicium et justitiam fecisset, qui se excipi in servum deprecatus esset, et cujus oculi in salutare Dei et in eloquium justitiæ defecissent. Sed ne in his quidem Propheta insolens est. Nam in eo ipso quod dixit, *Fac ;* adjecit, *cum servo tuo.* Et quia servitus nostra ad id ipsum, ut in servitutis fide maneat, misericordia Domini indiget ; superaddidit, *secundum misericordiam tuam :* quia miseratione ejus opus est, ut in hac servitutis nostræ professione maneamus. Imbecilla enim est per se ad aliquid obtinendum humana infirmitas : et hoc tantum naturæ suæ officium est, ut aggregare se in familiam Dei et velit et cœperit. (4) Divinæ misericordiæ est, ut volentes adjuvet, incipientes confirmet, adeuntes recipiat : ex nobis autem initium est, (*g*) ut ille perficiat.

11. *In ritibus veteris legis latet quid magnum.* — Sed quid tandem ut faciat cum servo suo secundum misericordiam suam postulat ? Nempe ut justificationes suas doceat. Scit in justificationibus, quas Moyses constituere præceptus est, magnum nescio quid et incomprehensibile humanæ intelligentiæ contineri. Scire (5) etiam optat quis iste sit, ut frequenter diximus, coemptus hebræus puer, sex tantum annis serviturus (*Exodi* XXI, 2). Legit hæc quidem : sed non statim quod legitur et intelligitur. Scire vult quæ illa servitus sit (*Ibidem*), quæ septimi anni libertas (*Ibid.* 6), quod sit auris foramen ex subula si liber esse nolit, quæ illa mulier (*h*) Hebræi, quid illud, ut sine muliere egrediatur ipse (*Ibid.* 4) : quid deinde secunda justificatio, quid tertia, quid sequentes habeant futurorum sacramentorum (*i*) præformationes. Non est humani ingenii hæc consequi posse : cœlesti opus est magistro, **382** et plurimis fidei nostræ meritis necessarium est, ut doceri ista mereamur.

12. *In dictis David nil humile aut commune. Servum Dei nemo se ore negat, multi re.* — Scire autem nos convenit, in omnibus prophetæ verbis nihil hu-

(1) *Intendent.*

(2) Sic ex nostro ms. legimus. Antea, *pertinacia ei.*

(3) *Neutro.*

(4) *Divinæ vero misericordiæ.* Tum, *ut illa* non *ut ille.*

(5) *Etiam* supplevimus.

(*a*) In prius vulgatis, *et ne per corporales oculos eum deficere.*

(*b*) Id est, *secundum imperitos.* Ea enim apud Hilarium vis est præpositionis *cum*, uti jam superius observatum est. Mox ubi in editis *Pharaonis cor*, auctoritate mss. restitutum est *Pharao*, licet ea vox in gignendi casu accipiatur, de qua vide annotata in ps. LXVII num. 25.

(*c*) Apud Par. *religiosæ.*

(*d*) In vulgatis, *neutro.* Rectius in mss. *neutra*, scil. gente.

(*e*) Editi, *juste :* emendantur ex mss.

(*f*) Subaudiendum hic, *ut re ipsa sunt, eloquia.* Paulo ante in nostris mss. *Salvatoris*, loco *salutaris.*

(*g*) Reponimus ex mss. *ille*, scil. Deus, cum prius exstaret *illa*, quod ad misericordiam referri posset.

(*h*) Scil. servi, cui si dominus suus uxorem dedisset, post sex servitutis annos sine liberis atque muliere seu uxore egrediebatur Exodi XXI, 4. Hinc male editi hic, *hebræa :* pejus deinde, *sine muliere ingrediatur.* Castigantur ex mss.

(*i*) Excusi, *præformationes.* Rectius mss. *præformationis :* quasi, *quid præformationis fut. sacr. habeant* 2ª 3ª *et sequentes justificationes*, seu præcepta ibidem tradita.

nile esse, nihil commune cum cæteris, sed proprium vel ipsi sibi, vel sui similibus enuntiari : latet autem sub familiaribus verbis maxima conscientiæ et fidei professio, ut nunc in eo quod sequitur intelligimus. Ait enim, VERS. 125 : *Servus tuus sum ego : da mihi intellectum*, (1) *ut sciam testimonia tua.* Nemo nostrum est, qui non vel in orationis suæ prece, vel in communium sermonum consuetudine servum se Dei esse fateatur. Et quid magnum Propheta fecit, servum se profitendo, quod nullus ausus sit denegare ? Sed professio cæterorum fallax est, quæ cum habeat conscientiæ necessitatem, non habet tamen confessionis veritatem. Proprium hoc Prophetæ est, ut se servum Dei profiteatur, in omni vitæ genere famulatu conditionis suæ fungens, sive ambulans, sive residens, sive vigilans, sive dormiens, in cibo etiam atque in jejuniis Deo aut esuriat aut satur sit, et nullo in tempore a servitutis suæ officiis absistat. Hic libere dicit : *Servus tuus sum ego.* At vero qui stupris dormit, latrociniis vigilat, quæstibus peregrinatur, luxui requiescit, si dicat : *Servus tuus sum*, profitetur quidem quod est, sed (*a*) quod est non agit.

13. *Intellectus a Deo ; falsus ingeritur a diabolo.* — Propheta autem, quamvis conditionem officii sui etiam ipso famulatu suo confiteatur, tamen infirmitatis suæ memor est ; dari enim sibi intellectum rogat. Est enim intellectus in quodam thesauro repositus spiritalium gratiarum : quem interdum diabolus sub falsæ opinionis errore imprudentium mentibus insinuat. Sed a Deo intelligentiam Propheta postulat, ne sibi inanis intelligentia subrepat, qualis gentium, qualis Judæorum, qualis hæreticorum est : et postulat ob id, ut testimonia Dei sciat, quæ sub testibus tradita sunt, quæ sub testibus neglecta et violata esse exprobrantur, quæ (*b*) in adventu ejus, ob quem testandum dicta sunt, neglecta et fastidita esse vindicabuntur.

14. *Lege dissipata, tempus est Evangelii.* — Et horum quidem testimoniorum tempus non ignorat Propheta, dicens, VERS. 126 : *Tempus faciendi Domino* (2) *dissipaverunt legem tuam.* Lex populo sub testibus data est, quæ cum dissipata et abjecta a Judæis est, tum fuit 383 tempus Domino ea quæ continebantur lege faciendi. Pollicitus enim in lege est, ut salutem gentibus daret, ut ipse sibi hominis corpus, qui secundum imaginem et similitudinem Dei est factus, assumeret, ut dissipata lege fidei gratiam donaret. Temporis hujus meminit per Esaiam prophetam dicens : *Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis auxiliatus sum tibi* (*Esai.* XLIX, 8). Apostolus vero dicti hujus interpres hæc scribit : *Ecce nunc tempus bene* (3) *acceptabile* (*c*), *ecce dies salutis* (II *Cor.* VI, 2) : id est, dissipata lege, tempus evangelicæ prædicationis advenit.

15. *Mandata Dei cur diligat David. Diligere plus est quam facere.* — Sed illis legem dissipantibus, aliud opus Prophetæ est. Et quod sit, ex subjectis docemur. Ait enim, VERS. 127 : *Ideo dilexi mandata tua super aurum, et* (4) *topazion.* Quod ait, *ideo*, ad id retulit quod dixerat : *Tempus faciendi Domino ;* quia sciret tempus faciendi Domino esse, cum legem dissipassent. Ideo autem mandata dilexit, quia in his tempus faciendi Domino contineretur. Lex enim omnis adventum Domini testata est, ipso dicente : (*d*) *Si crederetis Moysi, credertis utique et mihi ; de me enim ille scripsit* (*Joan.* V, 46). Mandata igitur Dei ob id Propheta dilexit, quia in his adventum dominicæ corporationis intelligit. In eo autem quod diligit, plus nescio quid significat. Facere autem aliquid, minus est quam diligere : quia plerumque id quod agimus, necessitatis est ; dilectio vero propriæ voluntatis affectio est.

16. *Dilectio perfecta.* — Sed dilectio ea demum perfecta est, quæ maxima est, et quæ nulli comparatione similium coæquatur. Diligit autem mandata Dei *super aurum et topazion.* Humanus error pretiosius nihil auro et gemmis opinatur : et hæc sunt quæ hominum cupiditates dominatui pretii sui et honoris subdiderunt. Auro (*e*) viris honestas pudicitiæ venalis est : per gemmas vero humani corporis præstantior, 384 ut putant, species ad naturæ contumeliam (5) expolitur (*f*). Et idcirco nihil habet sexus uterque pretiosius, dum viri posse omnia auro volunt, mulieres vero per gemmas fieri se existimant pulchriores. Præstat autem ut cæteris metallis aurum, ita et aliis lapidibus topazion. Est enim ipse rarissimus et speciosissimus omnium et

(1) *Et sciam*, cum Græco.
(2) *Dissipaverunt iniqui*, juxta Rom. psalterium.
(3) *Acceptum.*
(4) Hic atque infra constanter *topazon.*
(5) *Expetitur*, paulo post, *speciosius* loco *pretiosius.*

(*a*) In vulgatis, *quod non est agit :* vitiosa particulæ negantis collocatio, quæ Hilarii sententiam pervertit.

(*b*) Editi, *in adventum ejus.* Tum prima editio Par., *ob quæ testato.* Mic. ms., *ob quem testato*, et mox *judicabuntur*, non *vindicabuntur*, omisso prius verbo *esse*, quod in vulgatis etiam omittitur.

(*c*) Mss. reg. et Albin. *acceptum.*

(*d*) Editi excepto Par. nec non prædicti duo mss. *Si creditis Moysi, creditis*, etc.

(*e*) Apud Par. *auro jus, honestas, pudicitia venalis est :* cui lectioni neque alii libri favent, nec sibnexa.

(*f*) Miciacensis codex cum uno Vatic., *expetitur.* Rectius alii, *expolitur*, puta, corporis humani species præstantior : qua locutione femineum genus significari nullum dubium permittunt subjecta. Ideo autem gemmarum ornatum *ad naturæ contumeliam* a feminis adhiberi ait Hilarius, quia iis, uti docet Cyprianus de Discipl. et Habitu Virg. *operiatur quod Deus formavit, et conspiciatur id desuper quod diabolus adinvenit.* Unde et de muliebri ornatu generalis hæc est ipsius sententia : *Quod ornari te putas, quod putas comi, impugnatio est ista divini operis, prævaricatio est veritatis.*

maximus. In Thebaidis vero loco, cui (1) (*a*) Alabastra nomen est, reperiri solet. Hunc etiam ferunt sæcularium gestorum litteræ, (*b*) in Topazo insula ab incolis ejus, id est (*c*) Troglodytis Arabis inventum, ad matrem (*d*) regis Ægypti Ptolemæi, sub quo Scripturæ legis ex hebræo in græcum translatæ sunt, munere fuisse (*e*) delatum. Continet autem ipse in se solus cæterarum gemmarum optimarum pretiosissimarumque speciem, et in uno illo diversissimorum colorum permixtio continetur. Super hunc igitur topazion, et super aurum mandata Dei Propheta dilexit, non terrenis se, sed cœlestibus desideriis significans detineri.

17. *Cupiditatem omnem recidit.* — Contempta autem sæcularium opum cupiditate, omnem à se occasionem perversæ et pravæ voluntatis recidit. Diligens enim super aurum et topazion mandata Dei, dehinc ait, VERS. 128 : *Propter hoc ad omnia mandata tua dirigebar, omnem viam iniquam odio habui.* Non deflectitur, non detorquetur per terrenas cupiditates, sed ad omnia Dei mandata dirigitur : non occupant obvia. Vidit aurum, scivit hoc terræ limum esse : vidit gemmas, meminit esse aut montium aut maris calculos : vidit (*f*) illicem ad lasciviam vultum, scit tamquam avibus cœli ex his sibi laqueis evadendum. Resistit ergo coalitis sibi naturæ suæ vitiis, et omnem viam iniquitatis odit. Ideo itaque et (2) ad mandata omnia dirigitur, quia ea super terrena desideria diligit : et dirigitur, ne particeps 385 eorum fiat quibus dicitur : *Natio prava et perversa* (*Luc.* IX, 41). Et omnem viam iniquitatis odit, ut sit in eo quia est via, Domino scilicet nostro, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

LITTERA XVII.

פ Phe.

Mirabilia testimonia tua, Domine : ideo dilexit te anima mea (Hil. *perscrutata est ea*). *Declaratio sermonum tuorum illuminat me* (Infra abest *me*), *et intellectum dat parvulis. Os meum aperui, et attraxi spiritum : quia mandata tua concupiscebam. Adspice in me, et miserere mei secundum judicium diligentium nomen tuum. Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, et non* (*ac ne*) *dominetur mei omnis injustitia. Redime me a calumniis hominum : et custodiam mandata tua* (*ut custodiam præcepta*). *Faciem tuam illumina super servum tuum, et doce me justificationes tuas. Exitus aquarum transierunt oculi mei : quia non custodierunt legem tuam.*

1. *Admiratio non est ignoti. Testimonia Dei unde mirabilia, unde incomperta.* — Natura humani sensus ea est, ut ea mirabilia habeat, quæ ante compererit. Ex compertis enim judicium admirationis exsistit. Cæterum nemo poterit ignorata mirari. Hæc idcirco antea commemorata sunt, ut diligentius dicti prophetici ratio quæreretur. Contra opinionem enim generalis sensus hæc dixisse existimatur VERS. 129. *Mirabilia testimonia tua, Domine : ideo* (3) *perscrutata est ea anima mea.* Nam cum prius secundum humanam consuetudinem oporteat perscrutari et reperire, et reperta mirari : (*g*) huic testimonia Domini ante admirabilia sunt, et ob id perscrutatione sunt digna. Dicti autem hujus perfecti et pulcherrimi ea ratio est. Testimonia etenim Dei, id est, ea quæ sub testibus scripta sunt, etiamsi per observantiam legis humanam infirmitatem ad cognitionem et famulatum Dei imbuant; quippe ubi castitas, pietas, pudicitia, charitas, veritas, innocentia, frugalitas et religio mandatur, et per quasdam 386 religionum consuetudines, (*h*) hostiarumque diversitates divini honoris officium præcipitur : in quibus cum admiratio magna sit; pro peccatis oblata hostia, et datum pro redemptione animæ munus, et agnus in sacramento paschæ occisus; tamen in his plus de futurorum spe atque doctrina admirationis continetur. Hæc itaque Prophetæ huic admirabilia sunt. Sed quia (4) per (*i*) præsentes admirationes futurorum atque æternorum

(1) *Alabastrane.*
(2) *In mandatis omnibus.*
(3) *Scrutata est anima mea.*
(4) *Per præsentem admirationem.*

(*a*) In ms. Mic. *Alabastrans* : apud Ambrosium autem et Plinium *Alabastrum* hic locus cognominatur. *Invenimus*, inquit Ambrosius in hunc eumdem versum, Ser. 16, num. 41 : *scriptum in historia Xenocratis, nasci eum circa Thebaidis civitatem Alabastrum.* Plinius vero lib. XXXVII, c. 8 : *Recentissimi auctores et circa Thebaidis Alabastrum oppidum nasci dicunt.*

(*b*) Regius codex cum Albin. *in topario.* Miciacensis, *in tophario. Juba* autem apud Plinium loco citato *Topazon insulam in rubro mari a Continente diei navigatione abesse tradit.* Archelaus vero apud eumdem Plinium in Arabiæ insula, quæ *Cytis* vocetur, a Troglodytis prædonibus inventum sentit.

(*c*) Mss. reg. et Albin. *Troglotidis* : dissidentibus aliis libris, necnon Plinio et Ambrosio.

(*d*) Hæc apud Ambrosium et Plinium locis memoratis *Berenice* cognominatur : quo pertinet illud Juvenalis Satyra VI, v. 155 :

> . . . . Adamas notissimus, et Berenices
> In digito factus pretiosior.

(*e*) A Philæmone nimirum regis præfecto, ut testis est Plinius, aut, si malis credere Ambrosio, a Philone, qui lapidem hunc ab Arabis negotiatoribus advenientibus emit, quem illi a Troglodytis emerant. Hæc omnia narrat Hilarius, ut *ferunt sæcularium gestorum litteræ.* Ex sacris enim litteris constat topazion longe ante Ptolemæum fuisse inventum; siquidem Exodi XXVIII, 10, jussus est Moyses in primo versu rationalis topazium ponere, eumque ibi reipsa posuisse declaratur Exodi XXXIX, 10. Neque vero rem sibi ignotam hic memorat David Ptolemæo pluribus sæculis antiquior. At forte hic lapis Moysi ac David ætate non ignotus, diu postea latuit, donec a Troglodytis denuo inventus, quasi numquam antea notus habitus fuerit.

(*f*) Vaticanus codex, *illicientem.*

(*g*) Adjecimus *huic* auctoritate mss. Mic. et Vatic.

(*h*) Editi excepto Bad., *historiarumque diversitates* : corrupte et contra fidem mss.

(*i*) Bad., Er. et Lips. cum duobus mss. *præsentes admirationes*, sine *per*. Par. *per præsentem admirationem.* Vocabulum *admiratio* Hilario familiare est in plurali numero. Cujus rei nonnulla superius habes exempla, pag. 267, not. Quæ hic pressius dicuntur, sic possunt clarius explicari : quia quæ in lege geruntur, admirabilia sunt in quantum exemplaria sunt futu-

bonorum exemplaribus admirabilia sunt, perscru- A tatur ea. Non inquirit tantummodo, in quo est rerum absconditarum diligens exquisitio; sed perscrutatur etiam, per adjectionem scilicet diligentioris exquisitionis, laborem suum in perscrutatione demonstrans. Neque tantummodo perscrutatur, sed perscrutatur ex anima, ad voluntatis officium animæ intentione sociata.

2. *Verba Dei, prophetarum dicta obscura sunt.* — Sequitur deinde, VERS 130 : *Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis.* Et hic quoque sermo forte videtur a naturæ nostræ consuetudine esse diversus. Cum enim ante intelligendum sit, et sic lumine intelligentiæ utendum; quia noctem ignorantiæ intelligentiæ adeptæ lumen apellat : Propheta tamen dicit declarationem verborum Dei B prius illuminare, et post illuminationem intelligentiam præstare. Sed quæ sint Dei verba, ante discendum est : et tunc illuminationis, ac postea intelligentiæ ratio præstanda est. Verba Dei sunt, quæcumque prophetæ locuti sunt. Cum enim Moyses verbis suis populo Hebræo legis observantiam nuntiaverit; tamen in libro ejusdem legis ita scriptum est : *Et dixit Dominus ad Moysen, Dic filiis Israel* (*Exodi* III, 14). Usus igitur est his legislator verbis, quibus ei ut uteretur præceptum est. Ergo verba Dei sunt, quæ per officium licet humani oris audita sunt. Sed et magnus ille propheta ipso judicio Domini nostri Jesu Christi bene locutus, cum dixisset : *Audi cœlum, et auribus percipe terra;* ait, *quoniam Dominus locutus est* (*Esai.* I, 2) : et post aliqua, quæ querelis C maximis increpabantur, dixit : *Os enim Domini locutum est hæc* (*Ibid.* 20). Hæc ergo omnia Dei verba sunt.

3. Sed declaratio verborum maxime necessaria est. Sunt enim sub velamine opinionis alterius prædicata, sunt secundum Apostolum allegorumena (*Gal.* IV, 24), sunt comparativis significationibus amphibola (*Matth.* XIII, 14). Testis est Dominus hæc eadem per Esaiam ita dicta esse Judæis infidelibus, exprobrans et dicens : *Auditu audietis, et non intelligetis* (*Esa.* VI, 9). Signata enim **387** omnia sunt, et per solam spiritalem doctrinam resignanda. Hæc enim (1) ad (*a*) Danielem desideriorum virum dicta sunt : *Vade Daniel, quia clausi sunt signatique sermones* (*Dan.* XII, 9). Ait etiam Esaias : *Dabitur liber iste in manus* D *hominis scientis litteras, et dicetur ei, Lege hæc, et respondebit : Non possum legere, signatum est enim* (*Esa.* XXIX, 11).

4. *Per Evangelia qui declarentur. Parvuli qui.* — Sed declaratio verborum mysticorum per Evangelia præstatur, ubi legis abscondita et occulta (*b*) prophetica Domino in corpore manente panduntur, ex quibus primum fides discitur. Ibi enim ea, quæ a prophetis dicta sunt, per eum rebus et operibus explentur. Cum virgo parit, cum Dominus Verbum est, et Verbum caro fit, et habitat in nobis, cum muti loquuntur, cum surdi audiunt, cum claudi incedunt, cum leprosi emundantur, cum cæci vident, cum dæmoniaci curantur, cum mortui resurgunt : declaratio hæc verborum Dei nostræ hanc naturæ obscuritatem fidei luce (2) illuminat. Nunc enim intelligimus resurrectionis gloriam, judicii potestatem, æternitatis honorem. Et intelligimus hæc parvuli : vel ad innocentiam renati, vel per ignorationem imperiti. Hæc declaratio verborum Dei, et intelligentia parvulis præstita, (*c*) cujus temporis ætatisque res esset, Dominus in Evangeliis demonstrat, dicens : *Confiteor tibi, Domine* (3), *pater cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et intelligentibus, et revelasti ea parvulis* (*Matth.* XVIII, 25). Ecce declarationis et illuminationis et intelligentiæ tempus. Absconsa enim (*d*) usque in hos dies declarantur, et declarata illuminant, et (*e*) illuminantia intelligentiam parvulis subministrant : fiuntque per hanc intelligentiam sancti Spiritus jam capaces.

5. *Os cordis spiritui pateat. Escas ad animæ vitam capit.* — Denique id ipsum sequens sermo subjecit, dicens, VERS. 131 : *Os meum aperui et attraxi spiritum; quia mandata tua concupiscebam.* Non de hoc utique humani corporis ore dixit, quod per labia concluditur ac patet. Nam spiritum officio narium magis quam oris haurimus. Laboriosius autem (*f*) aditu oris in animam transfunditur : absolutius vero per naturalem cursum famulatu atque officio narium commeat. Sed os Scriptura non labiorum tantum, sed et cordis solita est nuncupare. Corde enim per fidem patente, et per desiderium ad hauriendum hiante, intelligentia doctrinæ cœlestis accipitur. Non animæ hoc, sed cordis officium est. Apostolus enim ait, *animalis enim homo non percipit quæ sunt Spiritus* (I *Cor.* II, 14) : stultitia enim est ei. Et **388** idem doctor gentium ait : *Lex enim non in tabulis lapideis scripta, sed in tabulis cordis carnalibus* (II *Cor.* III, 3). Hoc ergo os suum Propheta pandens, attraxit Spiritum. Non enim ultro ingruit (*f.* inruit). Expetendus est, attrahendus est, et infantium modo tamquam lac innocens hauriendum. Ideo autem propheta os aperuit, quia meminerit sibi in psalmo altero dictum, *Dilata os tuum, et adimplebo illud* (*Ps.* LXXX, 11) : et in

(1) *Ad Danielum* cum reliquis mss. atque ita ubique.

(2) *Clarificat. Tunc.*

(3) Abest *pater.* mox *prudentibus* pro *intelligentibus.*

rorum atque æternorum bonorum, quæ multiplicem in se continent admirandi causam, perscrutatur ea.

(*a*) Mss. *ad Danielum.*

(*b*) In ms. Mic. *et prophetica mandata.*

(*c*) Ita Miciacensis codex. Alii vero, *hujus temporis et ætatis est, ut Dominus*, etc.

(*d*) Unus e mss. Vatic., *huc usque, scilicet in hos dies.* Alter, *huc usque, scilicet in his diebus.* Bad., Er. et Lips. *huc usque sunt. In his diebus hæc declarantur.*

(*e*) Editi, *illuminata :* corriguntur ex ms. Mic.

(*f*) In vulgatis, *auditu auris :* duplex mendum, quorum alterum ex ms. Vatic. alterum, ex reg. et Albin. castigatur.

lege scriptum sciat, *describe hæc in latitudine cordis tui* (*Prov.* VII, 3, *sec.* LXX). Corde enim Dei prædicatio, non ore suscipitur. Et secundum evangelicam prædicationem, verbum Dei ex corde malus abripit (*Matth.* XIII, 19), quod ultra mel et favum in ore delectat. Ut enim per os in alimoniam corporis cibos sumimus, ita et per cor ad vivificandam animam escas doctrinæ cœlestis accipimus : quæ nisi amplificato et patente corde attractæ quodam modo fuerint, et (*a*) non adibunt.

6. *Aspicit Deus ad vindicandum, ad terrendum, ad miserendum.* — Sequitur deinde, VERS. 132 : *Aspice in me, et miserere mei secundum judicium diligentium nomen tuum.* Ad id quod dixerat, *respice in me ;* mox addidit, *et miserere.* Scit enim Dominum etiam in ultionem impiorum pœnamque respicere. Respexit enim, ut scriptum est, super castra Ægyptiorum, et colligavit axes curruum eorum (*Exod.* XIV, 24 *et* 25). Et rursum : Respexit Dominus super Sodomam et Gomorrham (*Gen.* XVIII, 16). Respicit vero non solum ad pœnam, sed etiam ad terrorem, cum dicitur : *Aspicies in terram, et facies eam tremere* (*Ps.* CIII, 32). Propheta ergo non solitarium hoc orat, ut in se Deus respiciat, sed cum miseratione respiciat : neque cum miseratione tantum, sed secundum judicium diligentium nomen ejus.

7. *Aspectus hic innocentia promerendus.* — Est quidem ex bonitate Dei misericordia ; sed promerenda est hæc a nobis studio innocentiæ : ut in nos respiciat, qualiter respexit in Abraham, qualiter in Isaac, qualiter in Jacob, qualiter in Joseph, qualiter in Job, qualiter in Moysen. Scit enim ad hæc misericordiæ suæ opera Deum solere respicere, cum dicitur : *Dominus de cœlo respexit in terram, ut audiret gemitum vinculatorum, et solveret filios interemptorum* (*Ps.* CI, 20 *et* 21), et rursum : *Respexit super filios pauperum, et non sprevit deprecationem eorum* (*Ibid.* 18). Secundum ergo hoc judicium timentium Dominum orat ut Deus super se respiciat et misereatur : ut si jejunantem videt, si miserantem contuetur, si pium ac religiosum in omni opere conspicit, tunc secundum judicium eorum qui diligunt nomen suum ipse quoque Dei miseratione sit dignus.

389 8. *Ad bene agendum homo suis viribus non sufficit.* — Dehinc sequitur, VERS. 133 : *Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, ac ne dominetur mei omnis injustitia.* Incedit quidem Propheta ex voluntate sua justitiæ gressibus : sed scit undique ubi injustitiæ dominationes imminere. Superius oraverat, ut in se Deus respiceret ac misereretur secundum eos qui diligunt nomen suum. Misericordiæ autem, quam orat, hunc fructum esse sentit, ut gressus sui dirigantur, non secundum sæculi vias, non secundum humanam gloriam, non secundum corporis voluptates, sed secundum eloquium Dei. Si nihil impedimenti usquam occurreret, si adversantes sibi non undique adessent ; suis ipse viribus in ea quæ agere vellet confirmaretur. Sed ubi insidiæ sunt, ubi bellum est, opus est potioris auxilio, ne in se dominetur omnis injustitia.

9. *Tentationum utilitas. Orandum ne vincant.* — Non ut a se absit, sed ne dominetur sui orat. Scit per tentationes ad gloriam perveniri. Meminit Abraham et peregrinationis injuria, et amittendæ uxoris metu ; et per immolandi filii dolorem fuisse tentatum. Scit Job omni tentationum esse militia perfunctum. Recolit Joseph cum a fratribus venditur, cum a domini sui conjuge ad adulterium compellitur, cum carcere pœnæ reservatur, gloriam maximæ fidei per hæc injustitiæ tentamenta meruisse. Dominationem injustitiæ propheta metuit : tentationem vero ejus non recusat. Dirigendos autem esse a Domino gressus suos secundum eloquia sua meminit : ne iniquitas, (*b*) quæ tentatura sit, potestatem possit habere dominandi.

10. *Calumnia quid. Ægre cavetur. Hac impetiti sancti.* — Post quæ id consequitur, VERS. 134 : *Redime me a calumniis hominum : ut custodiam præcepta tua.* Humana tentatio gravis non est, Apostolo dicente : *Tentatio autem* (1) *non apprehendat vos, nisi humana* (I *Cor.* X, 13) ; sed calumnia gravis est. Calumnia autem ea est, vel cum bono operi facinoris mali nomen ascribitur, vel cum specie blandiente internæ malitiæ virus occulitur. Neque enim ejus directæ malevolentiæ opus est, sed fallax, et subdolum, et sub specie bonæ voluntatis malitiæ operatione desæviens. Et difficile est cavere a talibus, qui sub nomine fratrum inimici sunt, sub nomine amicorum hostes sunt, sub filiorum specie parricidæ sunt, (2) sub specie unanimitatis (*c*), conjugum inevitabile malum sunt. Abel justum Cain scelestus per familiaritatem fratris occidit. Noe Deo probatum Cham filius ejus irrisit. Esau Jacob exsulem esse a paterna domo fecit. Validissimum prœliatorem **390** diaboli Job sola uxor ejus tentavit inflectere. Hunc ipsum sanctum prophetam quæ calumniæ hominum fefellerunt? Quoties Sauli proditus est? Quotiens quibus in locis ageret nuntiatus est? Ubique ei calumniantium insidiæ adfuerunt.

11. *Qui vitanda sit.* — Novit hæc Dominus domesticæ calumniæ scandala gravissimum solere fidei excidium afferre, dicens : *Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, et si pes dexter, aut manus scandalizat te ; erue et abscide abs te* (*Matth.* XVIII, 8). Non de membris corporum hæc locutus est, cum scandala nec pes nec manus possit afferre ; sed de conjunctissimis nobis ac maxime necessariis membris, quia omnes unum corpus sumus in Christo, hæc jubet : ne domesticis calumniis ac scandalis penes nos manentibus aliqua no-

(1) *Adhuc non apprehendit*, cum Græco ἔλαβεν.

(2) *Sub unianimitate.*

(*a*) Apud Par. *non juvabunt*, quod a Lipsio perperam et absque auctoritate immissum fuerat.

(*b*) Ita mss. concinnius quam excusi, *qua tentatur*.
(*c*) Par. *sub unanimitate conjugum*.

bis (1) vitiorum labes (*a*) adhæreat. Ergo Propheta si ab his redemptus esset, custoditurum se præcepta Dei pollicetur : quia istæ domesticorum omnium calumniæ impedimentum fidei frequenter afferrent.

12. *Qui videntis nos Dei lumen accipiamus.* — Dehinc sequitur, VERS. 135 : *Faciem tuam illumina super servum tuum, et doce me justificationes tuas.* Vultus Domini quidem est super facientes mala, ut expugnet de terra memoriam eorum (*Ps.* XXXIII, 17), sed sicut Deus respicit ad pœnam, respicit et ad misericordiam ; ita et vultum suum ad utrumque deflectit. Sed hanc faciem Domini ad illuminationem suam Propheta orat. Ex majestate enim et vultu (2) videntis (*b*) nos Dei lumen accipimus, et deflexus in nos misericordiæ suæ vultus ad gratiam spiritalis virtutis irradiat. Vel certe cum judicii (*c*) die aderit, cum visibilis nobis in gloria (*d*) paternæ majestatis assistet; tunc nos faciei suæ lumine illuminabit. Ut enim quædam metalla atque gemmæ naturæ suæ fulgorem in ea quæ sibi (3) proxima sunt refundunt, et æmulantem speciem (*e*) ex vicina sui specie præstant; et ut Moyses ex contemplatione gloriæ Dei lumen accepit, ita ut honorem gloriæ suæ contemplari populus non posset : sic et Propheta servum se Dei confitens illuminari precatur, et conformis secundum Apostolum effici gloriæ Dei (*Phil.* III, 21), et justificationes Dei doceri, ut a se non ex parte, neque per legis umbram, sed facie ad faciem, et spiritali contemplatione certatur.

13. *Pœnitentia non debet desinere. Quid sit.*—Dehinc sequitur, VERS. 136 : *Exitus aquarum transierunt oculi mei : quia non custodierunt legem tuam.* Conscius peccatorum veterum, ut historia ipsa docetur, licet toto corde se ad **391** Deum direxit; tamen quia et (*f*) peccati sui dolorem psalmo anteriore et ipse jam scripserit, tunc cum Nathan propheta arguente crimen suum recognovit et flevit : nunc quoque non desinit veræ pœnitentiæ lacrymis facti veteris crimen abluere, dicens, *Exitus aquarum transierunt oculi mei :* fontes scilicet lacrymarum suarum, fontes fluminum esse transgressos. Hæc enim pœnitentiæ vox est, lacrymis orare, lacrymis ingemiscere : et per hanc confidentiam dicere : *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo* (*Psal.* VI, 7). Hæc venia peccati est, fonte fletuum flere, et largo lacrymarum imbre madefieri. Sed servavit cum ratione temporis, et fidei jam immobilis (*g*) firmitatis, dicti quoque sui temperatissimi modum. De præterito enim dixit : *Quia non servaverunt legem tuam.* Confessio quidem criminis semper in tempore est; quia oporteat peccati pœnitentiam non desinere : finis autem peccati anterioris (*h*) est temporis : quia vera peccati confessio est, sine intermissione temporis pœnitere ; peccati vero pœnitentia est, ab eo quod pœnitendum intellexeris, destitisse. Atque ob id Propheta nec confiteri peccatum desinit, et peccatum ex præterito confitetur.

LITTERA XVIII.

℣-Zade.

Justus es, Domine, (4) *et rectum judicium tuum. Mandasti justitiam testimonia tua, et veritatem tuam nimis* (Hil. *valde*). *Tabefecit me zelus domus tuæ* (*tabescere me fecit zelus tuus*) *: quia obliti sunt verba tua inimici mei. Ignitum eloquium tuum vehementer : et servus tuus dilexit illud. Adolescentior sum ego et contemptus : justificationes tuas non sum oblitus. Justitia tua justitia in æternum* (*justitiæ tuæ in æternum*), *et lex tua veritas. Tribulatio et angustia invenerunt me : mandata autem tua meditatio mea est. Æquitas testimonia tua in æternum : intellectum da mihi et vivam* (*eorum, et vivificer*).

1. *Fides justum Deum, etiam cum punit, fatetur.* — Indefessa et perseveranti fide necessarium est, ut immobilis in nobis et inconcussa confessio sit ; ne vel aliqua **392** temporum injuria, aut persecutionum dolore commoti, devotionis studium relaxemus : sed si quando morbi vexabunt, passiones et cruciatus corporum desævient, damna defatigabunt, luctus et orbitates affligent; semper utamur hac qua nunc Propheta usus est voce dicens, VERS. 137 et 138 : *Justus es, Domine, et rectum judicium tuum. Mandasti justitiam testimonia tua, et veritatem tuam valde.* Meminerimus enim primum eum, qui universorum Dominus est, justum esse, et judicia ejus recta esse. Cur enim in suos iniquus sit? Cur in eos, quos ipse genuit, injustus sit? Bonitatis suæ immensitas non sinit istud de eo existimari. Genuit nos non ad injuriam, genuit non ad originis nostræ naturæ dolorem : si quid est quod patimur, ex judicio bonitatis suæ accidit. Vinci diabolum patientiæ nostræ virtutibus delectatur, et probari nos per luctus et dolores et damna desiderat : ut nihil in servos suos sæculi potestas sibi esse juris et damnationis intelli-

(1) Interseritur, *judicii die,* deinde, *adhæreret.*
(2) *Dignantis nos Dei.*
(3) *Proxima erunt, refundent,* subinde, *ex vicinia speciei suæ.*
(4) *Et justum.*

(*a*) Mss. et antiquarum edit. auctoritate removimus hinc, *judicii die,* quod apud Par. videtur superfluere.
(*b*) Par. ex ms. Mic. *dignantis nos Dei,* dissidentibus aliis libris.
(*c*) Editi, *dies aderit.* Concinnius mss. *die aderit,* scil. Christus.
(*d*) Vaticanus codex, *pater majestatis :* non est audiendus.
(*e*) Sic nostri mss. Editi vero, *ex vicinia speciei suæ.*
(*f*) Bad. Er. et Lips. cum duobus mss. *peccati sui dolorem ante re ipsa jam scripserit.* Psalmus L hic indicatur.
(*g*) Ita mss. Mic et Vatic. nisi quod in Mic. *firmitatem,* non *firmitatis.* Alii vero libri, *sed secundum rationem temporis, et fidei etiam* (longe præstat *jam*) *immobilis firmitatem, dicti quoque sui temperavit modum.*
(*h*) Hoc est, licet a peccatis desiisse debeamus, non debemus tamen a confessione cessare. Eadem clarius explicantur in Ps. CXXXV, n. 5.

gat. Quæcumque jussit, justa et testata et vera sunt cum augmento adjectionis; *valde* enim vera sunt.

2. *Impatientia ærumnarum Deo contumeliosa. Zeli causa. Jejunii dies.* — Et quia rarum est horum observantem esse; et (*etiam*) difficile est inconcussam fidem inter has sæculi procellas et inter hæc humanorum vitiorum naufragia dirigere; quia si quid adversi accidit, prona in Deum querela est. Deum enim inter damna sua avarus accusat. Deo cum invidia fletuum suorum orbatus irascitur. Deo injustitiam, qui ad confessionis gloriam persecutionibus probatur, exprobrat. Universorum stultissima hæc querela est, cum injustitiæ Deum per impatientiam impii doloris accusant. Et idcirco propheta subjecit, dicens, VERS. 139 : *Tabescere me fecit zelus tuus; quia obliti sunt verborum tuorum inimici mei.* Dei zelo ad omnia vitia nostra et crimina exanimatur propheta. Habet hanc etiam natura humana consuetudinem, ut si quando eorum, quos diligimus, voluntati adversari aliquos viderimus, zelo ejus cui non paretur utamur. Quantus autem nobis dolor est, cum unum ex Dei populo effici videmus sæculi ministrum, et (*a*) operarium diaboli, et vas mortis, et materiam gehennæ? Zelo ergo Dei irascitur, quisquis Christianum jejunii die luxuriantem conviviis viderit. Zelo Dei irascitur, qui insolentem in fratres ministrosque conspexerit. Zelo Dei irascitur, quisquis diversari in stupris sanctificatum jam in Christo corpus arguerit.

3. *Zeli exempla.*—Zeli hujus et Apostolos meminisse accepimus, cum Dominus templum ingressus, **393** flagello ex funibus omnes vendentes et ementes ejecit (*Joan.* II, 17) : et ejus zeli, de quo scriptum est, Zelus domus tuæ comedit me (*Ps.* LXVIII, 10). Efficimus enim nos interdum templum Dei, aut domum negotiationis, aut speluncam latronum. Templum enim Dei, secundum apostolum, corpora sunt, quæ in Christo sanctificata sunt (I *Cor.* VI, 19). Et hæc eadem corpora, cum cogitamus atque agimus stupra, cædes, furta, falsitates, rapinas, speluncam latronum constituimus; cum autem sæculi negotiis, et (1) negotiationum commerciis laboramus, tunc domum Dei domum negotiationis efficimus : ut quæ orationis sedes esse debebat, fiat vel latibulum latrocinantium, vel domus negotiationum. Hoc ergo zelo Dominus, ut istius modi homines de templo ejiciat, commovetur. Usi sunt et hoc zelo probabiles et accepti Deo viri. Nam et Phinees ob hunc zelum meruit judicium pacis æternæ. Cum enim fornicati essent filii Israel, et Dei zelo incitatus in pœnam eorum fuisset; tunc ait Dominus, *Phinees* (2) *filius Eleazar filii Aaron sacerdotis sedavit furorem meum a filiis* (*b*) *Israel, in eo quod requievit ab animatione anima mea : quia zelavit zelum meum* (*Num.* XXV, 11). Sanctus ille et in cœlestem habitationem raptus in corpore Elias propheta ait, *Zelans zelavi, quia dereliquerunt te filii Israel et prophetas tuos occiderunt : et ego derelictus sum solus* (III *Reg.* XIX, 10).

4. *Verbi Dei immemores odio digni.* — Tenet itaque et hunc prophetam zelus iste. Videt enim irreligiosas damni querelas, impios luctuum fletus, profanam legis Dei oblivionem : et idcirco hæc agentes, inimici ejus sunt. Nullum enim religiosis viris cum talibus esse jus amicitiæ potest, quando declinandi detestandique sint odio irreligiosorum. Nam id ipsum psalmo altero docetur, cum dicitur : *Odientes te, Domine, odivi, et super inimicos tuos tabescebam : perfecto odio oderam illos* (*Ps.* CXXXVIII, 21). Abrahæ quoque Dominus dixit, *Qui te maledixerit, maledictus erit, et inimicus ero inimicis tuis, et adversantibus tibi adversabor* (*Gen.*, XII, 3). Si Abrahæ inimici, Deo inimici sunt; (3) quales nobis esse oportet, quos Deo videmus inimicos?

5. *In verbis Dei nil inane, nil non verum.* — Causam deinde affert cur eos oderit, qui verborum Dei fuerint obliti : non enim sunt inania, non terrena, non levia. Ait enim, VERS. 140 : *Ignitum eloquium tuum valde : et servus tuus dilexit illud.* Non explicat proprietatem verbi hujus latina translatio. Quod enim nobiscum **394** *ignitum*, id græce πεπυρωμένον scribitur. Πεπυρωμένον autem id significat, quod tamquam conflatum igne purgatum sit. Quæcumque metalla igne conflantur, (*c*) sordem in se alienam atque inutilem non continent; totum, quidquid in his residet, verum et perfectum et omni vitiorum contagione purgatum est : ut eloquium Dei est, æternorum in se bonorum (*d*) continens fidem. Hinc illud est quod in Evangeliis Dominus ait : *Iota unum, aut apex non præteribit ex lege, donec hæc omnia fiant* (*Matth.*, V, 18). Vera enim omnia sunt, et neque otiose neque inutiliter constituta Dei verba : sed extra omnem ambiguitatem superfluæ inanitatis ignita : et ignita vehementer, ne quid illic esse quod non perfectum ac proprium sit existimetur. Hæc itaque diligit servus ejus. Non solum hæc agit, sed etiam diligit : quia operationi obedientiæ præstat dilectionis operatio. Obedientia enim sola plerumque terroris est : cæterum dilectio non nisi (4) ex devota mentis voluntate proficiscitur.

(1) *Negotiantium.*
(2) *Finees fili Eliazar fili Aaron requiescit animatione anima, quia zelavit zelum meum.*
(3) *Quare nobis esse oportent.*
(4) *Ex devotæ.*

(*a*) Mss. reg. et Albin. *operatorium diaboli;* quod et habent Bad., Er. et Lips.

(*b*) In ms. Miciacensi, ex, quo hujusmodi versio in primam editionem Par. revocata est, exstat *a filiis Jehārhe*, mendose quantum ex græco et ex Ambrosio hic conjectare est : adeoque mutationem postrema edit. Par. jam factam retinemus. Legitur aliter ille locus apud Bad., Er. Lips. et in mss. Vatic. reg. et Albin. puta, *Phinees filius Eleazar, filii Aaron, requiescere fecit animationem animæ meæ, quia zelavit zelum meum.* Græc. Φινεὲς υἱὸς Ἐλεάζαρ, υἱοῦ Ἀαρὼν τοῦ ἱερέως, κατέπαυσε τὸν θυμόν μου ἀπὸ υἱῶν Ισραὴλ ἐν τῷ ζητῶσαί μου τὸν ζῆλον.

(*c*) Bad., Er. et Lips. *fæcem.* mss. reg. et Albin. *sedem.*

(*d*) Par. ex ms. Mic. *fidem testans.*

6. *David junior et contemptus in regem est electus.* — Dehinc ait, VERS. 141 : *Adolescentior sum ego et contemptus : justificationes tuas non sum oblitus.* Ex persona quidem sua propheta hæc loquitur ; sed competunt et nostri temporis populo : et quatenus id David de se dixisse credatur, absolute ostenditur. Samuel enim propheta venire ad Jesse domum a Deo jussus est, ut unum ex filiis ejus in regem ungeret. (1) Quo cum venisset, adesse omnes filios Jesse jubet. Videt deinde natu majorem, specie pulchrum, habitu et proceritate eminentem : sed responso ita monetur : *Ne inspexeris in pulchritudinem ejus ac magnitudinem, quia non ita videt homo ut Deus. Homo enim in facie videt, Deus autem in corde* (I *Reg.*, VI, 7). Adest et secundus, adest et tertius, adsunt et omnes, quos tunc Jesse præsentes habebat : sed nullus de præsentibus exstitit qui placeret. Verum quia propheta Samuel non mendacem sciret eum, qui se adesse jussisset, et ex iis qui præsentes erant intelligeret nullum a Deo esse (2) electum (*a*); Jesse ait, *Numquid est tibi adhuc filius* (*Ibid.*, 11) ? Qui respondit : *Est mihi modicus, quem dereliqui in pastorali.* Hic ergo electus a Spiritu Sancto, et unctus in regem est : et ex juniore atque contempto, gloriam et prophetæ et regis accepit.

7. *Populus junior emit primogenita.* — Ad populum vero, qui et junior est, et ante contemptus est, hæc ita pertinent. Erat enim in vitiis sæculi, erat in ignorantiæ nocte, erat in agresti ac rustica et ruinosa terreni corporis **395** domo. Sed hic justificationum Dei non obliviscitur, hic reprobato populo seniore junior in hæreditatem familiæ eligitur. Emit enim Jacob primogenita Esau, quæ sibi ille tamquam moriturus inutilia existimavit (*Gen.*, XXV, 32). Scit has populus junior nativitatis suæ primitias æternas nec morte intercipi posse. Has igitur non obliviscitur, quas senior et desperavit et vendidit.

8. *Fide emit quod senior perdidit infidelitate. Lex qui jam veritas facta est.* — VERS. 142. Denique id ipsum sequenti versu docet : *Justitiæ* (3) *tuæ in æternum, et lex tua veritas.* Has justitias non cogitavit populus ex Ægypto progressus, cui mare aruit, cui columna nubis de die, nocte autem columna ignis famulata est, cui (4) manna matutinum cœlum subministravit, cui viginti septem regna cesserunt, cui Jordanis stetit aridus, cui muri Jericho ad sonum exercitus, et arcæ testamenti (*b*) circuitum conciderunt. Has Dei justitias scit populus qui est junior æternas. Has quia æternas sciret, emit fide : has quia moriturum se crederet senior, vendidit infidelitate. Populo enim juniori lex veritas est. Nam vere nunc ab eo circumcisio cordis per Jesum iteratur ad vitam, vere per mare hujus sæculi transit in promissam sibi terram, vere cœleste manna sumit (*c*) æternus, vere in Jordane lætatur renatus, vere pascha Agni sanguine liberandus immolat, vere in azymis sinceritatis epulatur, fermentoque (*d*) antiquæ malitiæ purgatur : jam non legis ei umbra, sed veritas est.

9. *Veritatis causa patientium vox et opus.* — Scit autem ob hanc veritatis confessionem multis se persecutionibus hic junior populus urgeri. Hinc enim sunt in toto orbe terrarum beata fidelium confessorum et sancta martyria. Hinc plures patrimoniis expoliati, exiliis dispersi, vincti, cæsi, usti, necati : sed (*e*) fideli semper mandatorum meditatione omnia, quæcumque ingruerunt, confirmatæ fidei virtute vicerunt. Et ideo ait, VERS. 143 : *Tribulatio et* (5) *angustia invenerunt me : mandata autem tua meditatio mea est.* Urgeant licet pugnæ, (6) intententur exilia, proscriptiones adhibeantur, mortes non dico inferantur, sed cum pœnarum ingeniis innoventur (*Vid. Tract. ps.* LXV, *n.* 21) : vox tamen ea esse semper fidelis viri debet, *Tribulatio et angustia invenerunt me : mandata autem tua meditatio mea est.* Non vi occupante, non oblivione temporis subrepente, **396** meditationem a nobis mandatorum Dei abesse convenit.

10. *Intelligentia, donum præcipuum.* — Dehinc ait, VERS. 144 : *Æquitas testimonia tua in æternum : intellectum da mihi* (*f*) *eorum,* (7) *et vivificer.* Non contentus est Dei testimonia in præsens tantum æqua et existimare et exspectare : æquitatem eorum in æternum sperat, et per superiores tribulationes et angustias obtinere ea quæ æterna sunt nititur. Nihil æternum esse dives ille evangelicus existimans, beatitudinem præsentem (8) suam pœnali morte mutavit (*Luc.* XVI, 25). Æterna autem Dei testimonia Lazarus (9) pauper expectans, et Abrahæ sinu contine-

(1) *Qui cum venisset ad Jesse, omnes filios Jesse jubet.*

(2) *Dilectum.*

(3) *Justitia tua.* Cui græcum astipulatur.

(4) *Mannam matutinam*, sicut et paulo infra *cœlestem mannam* pro *cœleste manna*. Quæ quidem lectiones utpote sinceriores nobis probantur, quasque alibi sæpius mss. melioris notæ præferant, ut cum iisdem in Matth. c. 12, n. 22, *ministram esurientibus mannam* legere maluerit Cl. editor Benedictinus. Et hac ratione in psal. CXXXIX legitur, *Pascham præveniet, quæ*, etc.

(5) *Angustiæ.* Ita codex hic et infra : cui suffragium addit græcum ἡ ἀνάγκαι.

(6) *Infestentur.*

(7) *Et vivifica me.*

(8) *Suam vitam.* f. *et vitam.*

(9) *Eliazer* pro *Lazarus.*

(*a*) Prætulerat Par. *dilectum*. Magis tamen placet cum libris aliis, *electum*.

(*b*) In reg. ms. *circuitu*. Similis est phrasis in psal. V, n. 19 : *Cum Jordanis refluxit, cum civitas maxima ad solum arcæ testamenti circuitum* (rursum in altero ms. reg. *circuitu*) *concidit.*

(*c*) Bad., Er. Lips. ac tres mss. *æternum.*

(*d*) Ex ms. Mic. apud Par. primum adjecta est vox *antiquæ*. Superius lit. 5, n. 7, legimus de propheta dictum, *Fermentum ejicere veteris naturæ festinat.*

(*e*) Editio Par. *sed felici.*

(*f*) Ita mss. reg., Albin. et antiquæ editiones, quomodo et subjecta videntur postulare. At Par., omisso prius *eorum*, hic habens *vivifices*, si deinde subjiceret *me*, consentiret græcis exemplaribus bene multis, in quibus exstat, Nobilio teste, ζῆσόν με. Quamquam ipse ex castigatioribus præfert ζήσομαι.

tur, et miseriam vitæ laboriosæ beatæ quietis honore demutat. Horum intelligentiam propheta orat, donum scilicet inter multa dona præcipuum spiritalium gratiarum : et per eam se vivificari deprecatur. Sicut enim nunc in præsens testimonia Dei et mandata meditatur; ita expectat æterna : et sicut vivit corporis vita, ita et per intellectum quem a Deo acceperit, ut æterna gloria vivat, expostulat.

LITTERA XIX.

ף Koph.

Clamavi (1) *in toto corde* (Hil. *meo*), *exaudi me, Domine; justificationes tuas requiram. Clamavi ad te, salvum me fac : et custodiam mandata tua. Præveni in maturitate, et clamavi : in* (*et in*) *verba tua speravi* (Hil. add. *semper*). *Et prævenerunt oculi mei diluculo, ut meditarer eloquia tua. Vocem meam, exaudi, Domine secundum multam* (infra abest *multam*), *misericordiam tuam : secundum judicium tuum vivifica me. Appropiaverunt persequentes me iniquitati : a lege autem tua longe facti sunt. Prope es, Domine, et omnia mandata tua veritas. Ab* (*in*) *initiis cognovi de testimoniis tuis : quia in æternum fundasti ea.*

397. 1. *Clamor oris, non cordis, in oratione prohibitus.* — Inter multa evangelicæ doctrinæ præcepta, silentium a nobis orandi Dominus exegit (*Matth.* VI, 6) : ut taciti et ex secreto cordis precaremur, neque in eo vocis potius esset officium quam mentis : Deo orationis nostræ (*a*) secreta, quia secretorum inspector est, audiente. Ergo contrarium evangelicis institutis videtur hoc quod ait Propheta, dicens, VERS. 145 : *Clamavi in toto corde meo, exaudi me, Domine; justificationes tuas requiram.* Sed scit Propheta clamorem potius cordis oportere esse, non vocis : et idcirco de corde clamat. Non hic elatæ vocis est sonus est, neque corporalis auditio, sed clamor fidei, clamor mentis : usque ad thronum Dei, non nisu vocis, sed fidei spiritu efferendus. Ille enim ad Deum toto corde clamat, qui magna postulat, qui cœlestia precatur (*b*), qui æterna sperat, qui innocentis timoris vivit officiis.

2. *Clamat peremptus Abel. Moyses tacens fide clamat. Spiritus clamor.* — Sic et in hujus mundi exordio, justus Abel etiam peremptus magna loquitur et clamat. Scriptum est enim : *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me* (*Gen.* IV, 10). Non humilis sanctorum querela est, nec depressa fidelium oratio est. Altum est quod postulat, excelsum est quod expectat, clamore personum est quod precatur. Urgebat Pharao infestis Dei populum agminibus, mare rubrum fugæ A obsistebat, conclusus undique Israel jam ad mortem (*c*) videbatur, hoste proximo, mari obvio. Inter hæc nullam Moysi ad Deum vocem fuisse Scriptura testatur : stabat mœstus, stabat tacens, sed secreto cordis sui personans, et orationis suæ fide clamans. Vox enim istud divina testatur, dicens : Dixit autem Dominus ad Moysen, Quid proclamas ad me? (*Exod.* XIV, 15.) Silebat ille; sed oratio fidei ejus clamor ad Deum erat. Novit et Apostolus hunc in viris fidelibus spiritus esse clamorem, cum dicit : *Spiritus enim in cordibus nostri clamat, Abba pater* (*Gal.* IV, 6). Penetrat hic silentii clamor usque ad aures Dei; sed aures non clamorem, sed fidem audientes; fidem quæ non terrenas opes poscat, non gloriam inanem caducamque desideret, non quæ moritura corporis gaudia precetur. Exi- B guis **398** quidem epistolas suas Apostolus litteris scribit, et communis hæc ei elementorum atque apicum forma est : sed novit has ingentes esse litteras suas, dicens : *Ecce qualibus vobis litteris scripsi mea manu* (*Galat.* VI, 11) : Magnitudinem sensuum, et præceptorum utilitatem litteris talibus comprehendens. Clamat igitur Propheta ex toto corde. Et quia ex corde clamat, ut audiatur orat : et auditus hæc postulat, ut justificationes Dei exquirat. Scit has esse occultas et latentes, et umbra legis obductas. Has optat inquirere, ad quas multis opus sit magnisque rebus, clamore cordis, exauditionis merito, inquisitionis officio.

3. *Salus quo ordine postulanda. Oratio labiorum. Stipendium salutis.* — VERS. 146 : Sed qui clamavit ut audiretur et inquireret justificationes Dei, nunc C clamat ut salvus fiat et custodiat testimonia Dei (*d*). Quantæ autem modestiæ ordinem tenuit? Non statim clamorem suum sperare ausus est proficere in salutem. Prius fuit ut auditione dignus esset, prius fuit ut justificationes inquireret. Merenda fuit auditio, adhibenda inquisitio : et salus post ista sperauda. Nos vero salutem tamquam debitum postulamus : et veluti Deo sit hanc eamdem præstare necesse, primis ab eo precibus oramus. Atque utinam cordis clamore loqueremur. Labia tantum nostra, sensu peregrinante, quod nesciunt murmurant, et officium corporis mens in res alias occupata non sequitur. Propheta vero cum post tot præcedentes antea preces ut salvus esset orasset; salutis ipsius stipendium docet, dicens : *Et custodiam mandata tua.* Hæc fidei D nostræ militia est, custodire mandata, et veluti secreto fidelissimo hunc thesaurum depositi et commendati nobis præcepti reservare.

4. *Juveniles anni Deo dicandi.* — Qui vero clamavit, et testimonia Dei, id est, sub testibus cœlo ac terra et angelis scripta custoditurum se professus

(1) *Coc. Clamavi toto corde meo, Domine, exaudi me, justificationes tuas requiro.*

(*a*) Reg. cod. cum Albin. *secreto*, et mox *auditore*, non *audiente*.

(*b*) In duobus prædictis mss. *qui terrena spernit.*

(*c*) In vulgatis, *urgebatur*. In duobus mss. *verebatur*. Præferimus cum Mic. *videbatur*. De clamante Moysi silentio Ambrosius lib. I Offic. c. 41, n. 211, ex Machabæis unum sic loquentem inducit : *Alius linguam jussus amputandam proferre, respondit : Non solos Dominus audit loquentes, qui audiebat Moysen tacentem : plus audit tacitas cogitationes suorum, quam voces omnium.*

(*d*) Solus codex Vatic. hic præfixum habet, *Ait enim, Clamavi ad te, salvum me fac.* Hactenus quidem Hilarius nullum enarravit versum, quin sacrum ei textum præmiserit : attamen interpolationis suspectus est ille codex.

est, addidit adhuc (*a*) et meritum obtinendæ salutis, dicens, VERS. 147 : *Prævenі in maturitate, et clamavi, et in verba tua* (1) *semper* (*b*) *speravi*. Non expectavit infirmam (*c*) ad vitia senectutem, neque defervescentibus (*d*) longo usu luxuriæ æstibus frigidæ ætatis tempus elegit. (*e*) sed maturitatem 399 omnem fide et religione prævenit, vincens per continentiam juventutem, et comprimens lascivientes annos, senectutis maturitatem modestæ et castæ adolescentiæ tranquillitate præveniens. Et Prophetæ clamor est, sperantis in Dei verba; non aliquando, sed *semper*. Finis enim nullus est spei nostræ : sed in cœlestes res semper extenditur, et in æterna Dei promissa procedit. Nullum tempus vacuum habet, nullum otiosum.

5. *Vigiliæ meditationis antelucanæ.* — Denique id sequitur, VERS. 148 : *Et prævenerunt oculi mei diluculo, ut meditarer eloquia tua*. Qui in maturitate clamore (*f*) (2) prævenerat, nunc ipsos dies meditationibus prævenit. Vigilat ille diluculo, non expectat ut gravatos somno oculos lux infusa proturbet. Vigilat ille, et ipsum redeuntem lucis ortum orationibus operitur : nunc prophetarum dictis occupatus, nunc psalmorum hymnis intentus, nunc patriarcharum et sanctorum gestis negotiosus, (3) omni (*g*) eloquium Dei tempore et assiduitate meditatus.

6. *Dei misericordiæ, non suis meritis confidere.* — Dehinc sequitur, VERS. 149 : *Vocem meam exaudi secundum misericordiam tuam, Domine : secundum judicium tuum vivifica me*. Discamus modestiam ex dictis Prophetæ (4) tot superioribus, (*h*) clamore cordis, justificationum inquisitione, custodia testimoniorum Dei, et continentia juventutis, et antelucanæ meditationis vigiliis : (*i*) et per hæc omnem in misericordia Dei spem reponens postremo audiri vocem suam secundum misericordiam rogat, (5) et misericordiam secundum judicium Dei postulat. Nos si semel jejunamus, satis fecisse nos arbitramur : si aliquid (*j*) ex copia domesticarum facultatum inopi damus, implevisse nos justitiam credimus : jejunantes ut aut placeamus hominibus, aut corpora cibis fessa relevemus, et inter ipsa jejunia, stupra, (6) cædes, injurias, (*k*) odia cogitantes; donantes autem exiguum nescio quid, dum (*l*) pulsantem fores nostras inopem non sustinemus, aut dum bonitatis famam inani et otiosa hominum opinione sectamur : et deberi nobis ut audiamur existimamus. Sed totum 400 a Deo propheta sperat, totum ex misericordia ejus expectat. In operibus quidem bonitatis (*m*) totius ipse perfectus est : sed satis esse hoc sibi non putat ad salutem, nisi secundum miserationes Dei et judicia misericordiam consequatur.

7. *Accedens ad infestandos fideles, recedit a lege Dei.* — Numquam autem otiosus est, numquam non infestantes insectantesque proximi sunt : vita ejus omnis secundum Scripturæ fidem in insidiis fuit. Sed et quisquis nunc placere Deo vult, displiceat impiis necesse est. Et idcirco ait, VERS. 150 : *Appropiaverunt persequentes me* (7) *iniquitati; a lege autem tua longe facti sunt*. Hæc quidem de se, cujus infestata fuit undique vita, dixisse creditur. Sed qui in psalmo hoc humanæ doctrinæ ordinem tenet, ad eruditionem nostram omnia temperavit : ut cognoscemus eos, qui proximi injuriæ fidelium fierent, a Dei lege longe abesse. Quanta enim fit (*n*) in sanctos injuriæ accessio, tanta fit ex Dei lege decessio. Cavendum autem est, ne quando nos adversum fratres ira commoveat, ne quando invidia stimulet, ne

(1) Abest *semper* a nostro codice. Mox, *a vitiis*.
(2) In anteriori, *clamare*.
(3) *Omne eloquium Dei in omni tempore*, ut in prius editis.
(4) *Ut superiorum, clamorem cordis, justificationem, custodiam*, etc., *continentiam, vigilias*.
(5) *Et misericordiam rogat, secundum judicium Dei postulans*.
(6) *Cædes*, addit Codex Veronensis.
(7) Ms. *iniqui*. Sic Romanum psalterium.

(*a*) Mss. duo, *ad meritum*.
(*b*) Notat Erasmus Hilarium incidisse in codicem depravatum, in quo, pro *supersperavi* ex græco ἐπήλπισα, librarius mendose scripserit *semper speravi* : cum neque in hebræo extet *semper*. Abest quidem hic idem adverbium a mss. reg. et Albin. sed abesse non debere manifestum est ex sequentibus.
(*c*) Editi, *a vitiis*. Rectius mss. reg. et Albin *ad vitia*. Inde enim commendatur David, quod in ætate ad vitia proclivi et valida, Deo famulari delegerit.
(*d*) In ms. Mic. *longo usu luxuque ætatibus*.
(*e*) Albinensis codex cum Reg. *sed immaturitatem* : forsitan verius. Ex quo et conjectamus superius legendum, *Prævenі in immaturitate*, ex græco προέφτασα ἐν ἀωρία, ut syllaba *in* propter præcedentem librario exciderit. Veteres quippe particulam *in* conjungentes cum vocabulo cui littera *m* initium dabat, hanc non semper mutabant in *im*. Hoc patet ex Augustino in hunc eumdem psalm. Serm. 30, n. 3. *Quod ergo*, inquit, *græce dictum est* ἐν ἀωρία, *non uno verbo, sed duobus, id est, præpositione et nomine, hoc interpretes quidam nostri dixerunt, intempesta nocte; plures, immaturitate* (ita cum vetere ms. Corb. legendum est, *non immaturitate*; alias non subjiceret Augustinus quod sequitur) *non duobus verbis, sed uno, cujus vocabuli nominativus est inmaturitas* : *nonnulli vero in duobus verbis, sicut græcus posuit, in inmaturitate*, etc.
(*f*) Editi, *clamorem prævenerat* : emendatur ope mss.
(*g*) Ita mss. Editi vero, *omne eloquium Dei in omni tempore*.
(*h*) Vatic. ms. cum Mic. *clamorem cordis, justificationum inquisitionem, custodiam*, etc. In accusandi casu, minus recte. Ante hæc verba subintelligitur præpositio *ex*.
(*i*) Lipsius, hic de suo suppressa particula *et*, deinde loco *reponens*, posuit *reponentes* : quæ lectio postea obtinuit. Hæc referuntur ad Prophetam, cujus modestia commendatur, quod tot virtutibus præditus, in una tamen Dei misericordia spem omnem reponat.
(*j*) In vulgatis, *ex horreo* : et antea, *satisfecisse*, uno verbo.
(*k*) Apud Par. *odii cogitationes* : corrupte.
(*l*) Reg. codex cum Albin. *pulsantis*; et mox *moras*, loco *inopem*.
(*m*) Tres mss. *totus ipse*, etc.
(*n*) Excusi, *in sanctis*. Rectius mss. *in sanctos* : hoc est, quanto quis propius ad injuriam sanctis inferendam accedit, tanto longius recedit a lege Dei.

quando æmulatio irritet : ut aliquid in eos irreligiosum aut fastidiosum agamus, quorum injuriæ cum assistimus, tum a Dei lege desistimus.

8. *Deus ubique totus, ut anima in omnibus membris, tota. Ea illæsa putre reciditur membrum.*— Dehinc sequitur, VERS. 151 : *Prope es, Domine, et omnia mandata tua* (1) *veritas*. Alio in loco legimus : *Deus appropians ego sum, et non Deus de longe, dicit Dominus* (*Jerem.* XXIII, 23). Non corporalibus locis Deus continetur, neque finibus aut spatiis divinæ virtutis immensitas coartatur. Adest ubique, et totus ubicumque est : non pro parte usquam est, sed in omnibus omnis est. Beatus Apostolus Atheniensibus philosophiæ inanitate ridiculis pro concione respondens ait: *Non longe a nobis manentem quærimus Deum : in ipso enim vivimus et movemur et sumus* (*Act.* XVII, 28). Et Spiritus Dei, secundum prophetam, replevit orbem terrarum (*Sap.* I, 7). Et rursum : *Nonne cœlum et terram ego* (2) *impleo, dicit Dominus?* (*Jerem.* XXIII, 24.) Nihil a Deo vacat, nihil indiget. Ubique est, modo animæ (*a*) corporalis, quæ in membris omnibus **401** diffusa, singulis quibusque partibus non abest. Etiamsi privata quædam ei et regia in toto corpore sedes est; tamen in medullis, digitis, artubus infunditur. Jam si corruptis aliquibus corporis membris recisione erit necesse, cum usum suum eadem membra vitiis emortua non habebunt : id quod putre (3) caducæ (*b*) carnis est, sine detrimento animæ recidetur. Ipsa enim corporis nostri anima sanis et integris admixta membris est : et cum eadem fuerint et putria et recidenda, non sequitur.

9. *Deus etsi ubique, vitiosis qui non insit.* — Hæc quidem superflue divinæ naturæ ad comparationem similitudinis conferuntur : quia incomparabile est quidquid æternum est, nec recipit configuratæ (creatæ) veritatis speciem, ininitiabilis divinitatis exceptio. Sed intelligentiæ nostræ istius modi coaptatur exemplar : ut per id secundum cœlestium dictorum auctoritatem, incorporalem et immensum Deum circumscripto huic et corporali mundo intelligeremus admixtum, vitiosis vero et per opera sua emortuis non inesse. (*c*) Quin etiam adhuc divinarum atque invisibilium rerum intellectus ex contemplatione corporalium rerum naturisque sectatur. Solem videmus in quadam cœli parte, pro ut ei cursus est, demorantem : et certe ubique protenditur, ubique adest, et quantus per omnia est, ita (*d*) ubicumque tantus infunditur. Sed si in clausas domorum fenestras incidet, lumen quidem illius præsto est, sed ipsa sibi lucem ejus quæ obserata sunt denegabunt.

10. *Præsentia Dei nos vult cautos.* — In omnibus igitur vitæ nostræ operibus circumspecti, et ad Deum patentes esse debemus : primum ut liberis et per innocentiam patulis cordibus nostris lumen suum dignetur infundere : deinde uti nos in divinitatis suæ sinu agere credamus, neque eum abesse cum irascimur, cum cædimus, (4) cum contemnimus (*e*), cum maledicimus, cum inebriamur, cum libidinamur, cum divina et humana negligimus, majore contumelia ejus intra quem hæc agimus peccantes.

11. Sed ad id etiam illud accedit, quia mandata **402** sua veritas est. Nihil illic anceps, nihil dubium, totum veritatis absolutione perfectum est : quæ hoc majore periculo negliguntur, quo magis veritatis (5) præcepta (*f*) sunt constituta.

12. *Testimonia Dei ab initio sæculi ac deinceps.*—Quatenus autem id propheta subjecit cognoverit, dicens, VERS. 152 : *In initiis cognovi de testimoniis tuis, quia in æternum fundasti ea.* Hæc licet propheta de se dicat, legem Dei ab exordio ipse cognoscens, universæ (*g*)

(1) *Veritas est.*
(2) *Implebo.*
(3) *Caducumque carnis est.*

(4) *Cum contendimus.*
(5) *Præcepto.*

(*a*) In vulg. *animæ incorporalis*. Magis nobis probatur cum mss. Reg. Vatic. et Albin. *animæ corporalis :* ea tamen ratione, ut anima corporalis dicatur, non quod corporea ipsius natura, sed quod corpori sociata sit, eum fere ad modum quo Verbum carni conjunctum *incarnatum et corporatum* vocamus. Sic supra Hilarius lit. 5, n. 9, mandatum pertinens ad vitam quam in corpore degimus, *corporalis vitæ mandatum* nuncupat. Ideo autem anima corpori conjuncta memoranda ei fuit, quia est et natura angelica, quæ anima a corpore libera jure nuncupetur, cujus exemplum ad illustrandam Dei in omnibus locis præsentiam nihil conferret. Ex hoc etiam loco non obscure apparet Hilarium longe abfuisse, ut corpoream animæ nostræ naturam sentiret. Qui enim illam Dei instar in omnibus simul membris existentem ac nulla sui parte etiam præciso aliquo corporis membro recidendam prædicarit, si senserit corpoream? Frustra sane ex notitia animæ nos provehit ad intelligendum Deum in toto mundo et in qualibet parte totum, nisi pariter animam in toto corpore et in qualibet parte totam, proindeque indivisam et incorpoream vulgo intellectam esse existimarit.

(*b*) Sic nostri mss. Editi vero, *caducumque carnis est.*

(*c*) Nimirum, ut epist. CLXXXVII, n. 16, loquitur Augustinus, *per habitationis gratiam*, cum iis adsit *per divinitatis præsentiam :* a quibus tanto abest longius, quanto in vitiis sunt pertinaciores : *sicut recte dicuntur oculi tanto esse ab hac luce longius, quanto fuerint cæciores..... etiamsi lux præsto sit,* ut in eadem epist. n. 17, subditur. Hic subjiciunt vulgati : *Quin etiam adhuc cum*, etc. Expunximus *cum* auctoritate mss. ex quibus mox reposuimus *sectatur*, ubi prius exstabat *sectamur.*

(*d*) In vulgatis, *ubicumque est.* Abest verbum *est* a mss. reg., Vatic. et Albin. Augustino num. 17 prædictæ epist. CLXXXVII, quæ est de præsentia Dei, ad eamdem rem demonstrandam magis placet exemplum soni quam lucis.

(*e*) Vaticanus codex, *cum contendimus.*

(*f*) Quinque mss. *præcepto sunt constituta.*

(*g*) In regio codice et Albin., *universæ tamen Ecclesiæ;* in Vaticano, *universæ tamen ætati Ecclesiæ :* lectiones non spernendæ. His similia sunt illa lit. 5, n. 8, quibus ostendit Hilarius viam mandatorum ab ipso mundi exordio, ac deinceps fuisse tritam : *quia in mandatis Dei ab initio sæculi perrectum sit. In hac enim semita et Abel cucurrit, et Seth institit*, etc.

ætati tamen congruunt, quæ ab institutione mundi doctrinis Dei sit erudita. Qui enim statutam Adæ voluntatis (*a*) legem meminit, qui ipsam illam Evæ creationem didicerit, qui maledictionem serpentis audierit, qui clausum vitæ lignum Cherubim flammeo gladio et convertibili legerit, qui occisi Abel clamantem sanguinem scierit, qui pœnæ et in (*b*) Cain et in Lamech numerum reputet (*Gen.* IV, 24), qui translatum Enoch, qui reservatum Noe, qui benedictionem Sem et Japhet, et maledictionem Cham (*c*) scrutatus sit, qui Melchisedech sacerdotem, qui Abraham electum, Isaac promissum, Jacob prælatum, Joseph venditum, sanctificatum Judam, Moysen nutritum, eruditum, et post ingentia latæ legis sacramenta in verbo Dei mortuum, et Jesum divisorem (*d*) promissæ terræ, et auctorem iteratæ circumcisionis intelliget : profecto uti prophetæ voce poterit : *In principio cognovi de testimoniis tuis ; quia in æternum fundasti ea.* In omnium enim superius memoratorum virorum vita atque gestis æternorum bonorum spes continetur : et per eos ad doctrinam evangelicæ prædicationis imbuimur. (*e*) Sed quæ fundata sunt, in ædificationem futuræ domus præparantur. Ædificamur enim secundum beatum Paulum super fundamentum prophetarum et apostolorum (*Ephes.* II, 20), in quibus testimonia Dei fundata sunt in æternum, ubi extruetur cœlestis illa et regia civitas sancta Jerusalem : quæ domus Angelorum (*f*) frequentantium, et electorum primitivorum est, cujus fundamenta sunt (1) vivi lapides pretiosæque gemmæ in Christo viventes, resurgentes, regnantes, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

403 LITTERA XX.

ך Resch.

Vide humilitatem meam, et eripe me : quia legem tuam non sum oblitus. Judica judicium meum, et redime me : propter eloquium tuum vivifica me. Longe est peccatoribus salus : quia justificationes tuas non exquisierunt. Miserationes tuæ multæ nimis (Infra, *sunt Domine valde*) *Domine : secundum judicia tua* (*judicium tuum*) *vivifica me. Multi qui persequuntur et tribulant me : a judiciis tuis* (*de testimoniis*) *non declinavi. Vidi non servantes pactum, et tabescebam : quia eloquia tua non custodierunt. Vide quia mandata tua dilexi, Domine : in tua misericordia vivifica me. Principium verborum tuorum veritas : in æternum omnia judicia justitiæ tuæ.*

1. *In humilitate mandatorum omnium caput ac summa, omnia fidei nomina et præmia.* — Multa quidem nobis atque magna sanctus propheta fidei confessionisque suæ toto in psalmo proposuit exempla : per quæ formam in se ipso cæteris credendi, agendi, intelligendi, ignorandi, sperandi, precandique constituit, evangelicum virum perfecta legis observatione consummans. Et quamquam omnia, quæ vel divinæ voluntati placita, vel humanæ spei proposita sunt, aut agat aut testetur (*g*) aut speret ; meminit tamen in quo observantiæ genere mandatorum omnium caput ac summa consistat ; scitque quid a Domino suo, etiam ab ipsis, quibus commitendæ claves cœlorum erant, Apostolis quæreretur. Namque cum inter se opinionibus ac studiis dissiderent, sibique singuli principatum humana contentione præsumerent, dum præstantiorem se cæteris unusquisque esse aut optat aut poscit ; Dominus meriti hujus ac nominis præmium unde petendum esset ostendens, ait : *Qui vult esse ex vobis major, fiat omnium minimus* (*Luc.* XXII, 26) : *omnis enim qui se humiliaverit exaltabitur, et qui se exaltaverit humiliabitur* (*Matth.* XXIII, 12). In humilitate scilicet docuit omnia fidei nomina et præmia contineri. Utilissimum itaque est, obedientes divinis præceptis omnem intra se ipsos humanæ insolentiæ ac petulantiæ inanitatem fractam protritamque cohibere, seseque, Dei et (*h*) magnificentia et miseratione 404 reputata, intra humilitatis modestiam continere.

2. *Humilitatem solam David ostentat. Ultionem sui Deo reservat.* — Ob quod hic nunc sanctus et rex propheta et Deo ac Domino suo secundum carnem in seminis sui originem deputatus, inter has sæculi infestationes ac spiritalium nequitiarum pugnas sola ac tali ad Deum precationis suæ ambitione proclamat, VERS. 153 : *Vide humilitatem meam, et eripe me : quia legem tuam non sum oblitus.* Non regni opes, non spiritum prophetiæ, non alia aliqua humanæ jactantiæ nomina conspici in se, sed humilitatem, precatur. Non enim adversum insectantes se armis belli resistit, nec humanæ indignationis impatiens rapit ad ultionem suam et potentiæ tempus et regni. Sed sciens hanc divinæ voluntatis esse sententiam : *Mihi vindictam, et ego retribuam, dicit Dominus* (*Rom.* XII, 19), non obliviscitur legis Dei in humilitate (2) retinendæ (*i*), sed eripi se ob id quia sit humilis deprecatur : memoriam legis Dei in humilitatis conservatione esse declarans.

3. *Judicium illius rectum.*—Reservans itaque omnia judicio divino, et eripi se ob humilitatis meritum deposcens, qui in nullo adversum Dei constitutiones, adver-

(1) *Divini lapides.*

(2) *Retinenda.*

(*a*) De hac lege dictum videtur illud tract. psal. II, n. 16 : *Voluntati ergo permissa bonitas est : ut præmium sibi voluntas bonitatis acquireret ; et esset nobis æternæ hujus beatitudinis profectus atque usus ex merito, non necessitas indiscreta per legem.*

(*b*) Excusi, *in Cham* : emendantur ex scriptis.

(*c*) In vulgatis desunt verba, *scrutatus sit, qui Melchisedech sacerdotem, qui.* Exstant magno consensu in mss.

(*d*) Abest *promissæ* a mss. reg. et Albin.

(*e*) Regius codex, *sed cum fundata sunt.*

(*f*) Editi, *Angelorum frequentia* : renitentibus mss.

(*g*) In duobus mss. *aut servet.*

(*h*) Vaticanus mss. cum reg. et Albin. *magnificentiæ et miserationi reputatum* : ac paulo ante *obrepentis*, loco *obedientes.*

(*i*) Ita tres mss. At editi, *retinenda.*

sum odia humana, adversum præsentium molestiarum (*a*) patientiam moveretur, nihilque in hoc nunc sæculo sibi de his (1) judicandum (*b*) esse decerneret, consequenter hæc addidit, VERS. 154 : *Judica judicium meum, et redime me; propter eloquium tuum vivifica me.* Magnæ et securæ conscientiæ vox est, (*c*) judicii sui judicium postulare : ut ad id quod statutum a se sibique complacitum est, etiam divinæ sententiæ examen exoptet. Non hic aut alios aut se ipsum dijudicans, corrupti sensus opinione deflectitur : neque a veri judicio, ira, aut gratia, aut odio, aut amore decedit : non ignarus hujus evangelici mandati : *Quo enim judicio judicaveritis, judicabitur de vobis* (*Matth.* VII, 2).

4. *Redemptionem per Christum exspectat.* — Sed ne ille quidem judicii sui judicium pertimescit, qui ait : *Ego autem non judicavi quidquam scire me, nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum* (1 *Cor.* II, 2). In hac igitur judicii sui securitate propheta tempus redemptionis exspectans, redimi se et propter eloquia Dei vivificari precatur. Venundati (*d*) enim sub peccato, (2) redemptione et justificatione in sanguine Domini liberabimur. Hoc legislatio, hoc omnis spiritus prophetiæ, hoc patriarcharum spes, hoc Angelorum voces, hoc toto sæculi tempore divini eloquii sermo testatus est : ob quod redimi ac vivificari se deprecatur.

5. *Ignoratio voluntaria caret venia.* — Sed hæc eadem eloquia Dei, ut piis spebus **405** vitam redemptionemque denuntiant, ita impiis non relinquunt. Nam expectationem prophetæ hæc de peccatoribus mox sequuntur ; VERS. 155 : *Longe est a peccatoribus salus; quoniam justificationes tuas non exquisierunt.* Non habet veniam ignoratio voluntatis : quia sub scientiæ facultate nescire, repudiatæ magis quam non repertæ scientiæ est reatus. Ob id enim longe a peccatoribus salus est, quia non exquisierunt justificationes Dei : cum non utique ob aliud consignatæ litteris maneant, quam ut ad universorum scientiam notionemque defluerent. Sed sciens propheta, cum a peccatoribus non exquirentibus justificationes Dei salus longe sit, juxta tamen Dominum esse his qui recto sunt corde (*Psal.* XXXIII, 19); secundum etiam illud Apostoli, *Vos qui eratis longe, facti estis prope* (*Ephes.* II, 13) ; ne (*e*) et ipse, et ab ipso salus longe sit, cognitionem justificationum Dei expetit.

6. *Legis sacramentis æterna præformabantur.* — Non ignorat quantum in his sacramentum nostræ salutis expressum sit per quasdam præfigurationum æternarum in rebus præsentibus notiones; in Hebræo scilicet sex tantum annis serviente, et post hoc idem sexenii tempus, et terra omni in otium relinquenda, et fructibus (*f*) ejus etiam bestiis deputandis ; in Jubilæi quoque anni, id est, quinquagesimi lege, per quam et laxatis pactionibus debitorum, et agris omnibus ad dominorum si qui forte veniissent jura redeuntibus, nova et cœlestis rerum omnium et remissio et reformatio prænuntiatur. Et quia ab his, qui non ista exquisierint, salus longe est; totus in exquirendis his Propheta detentus, et divinæ atque æternæ misericordiæ justificationes in speculo contemplans subjecit, VERS. 156 : *Miserationes tuæ multæ sunt, Domine, valde* (3) *secundum judicium tuum* (*g*) *vivifica me.* Valde itaque multæ sunt miserationes Dei : modum enim humanæ opinionis excedunt.

7. *In ærumnis a Deo non movetur David.* — Sed confidentem in his Prophetam, ac se vivificandum in Dei judiciis sperantem multorum extrinsecus odia et insectationes fatigant. Verum misericordiarum ejus, quarum secundum eumdem Prophetam non est numerus, non immemor, de testimoniis ejus non declinavit. Sequitur enim, VERS. 157 : *Multi qui persequuntur me et tribulant me* (4) : *de testimoniis tuis non declinavi.* (5) Non impellitur (*h*), non movetur : et cum multi persequantur, ne declinat quidem.

8. *Zelus illius pro Dei lege.* — Sed qui ita in mandatis Dei permanet, ut ab insectantibus impelli deflectique non possit, habet quod se gravi dolore non solum **406** perturbet, sed etiam usque ad tabem liquescentis quodam modo animæ dissolvat : cum se a testimoniis Dei non declinante, alii (6) a Dei lege (*i*) desciscunt, et susceptam legis fidem pactionemque corrumpunt. Hos habet æstus, has tantum defatigationes sentit Propheta, cum dicit, VERS. 158 : *Vidi non servantes pactum, et tabescebam : quia eloquia tua non custodierunt.* Consignati testamenti Israel hæres nuncupatus est, et audita de monte Domini voce respondit : *Omnia quæcumque dixit Deus, et audiemus et faciemus* (*Exod.* XXIV, 7). At vero ubi deos alienos adoravit, ubi omnium se scelerum vitiis contaminavit ; pactum et auditæ nuncupationis et professæ observationis amisit. Eloquia enim Dei non custodierunt, quæ se esse facturos auditurosque responderunt. Nec nova prophetæ hujus super prævaricatione populi tabes est : quippe cum et Dominum ipsum ad impietatem Jerusalem illacrymasse noscamus (*Luc.* XIX, 41), et ex doctrina eadem super impœnitentes Apostolus fleat (*Philip.* III, 17), et insu-

et auctoritate τῶν LXX, calculum addentibus psalmorum libris pene omnibus.

(1) *Vindicandum.*
(2) *Per redemptionem et justificationem liberamur.*
(3) *Secundum judicia tua.*
(4) *Et tribulant me* supplevimus codicis nostri fide

(*a*) Mss. reg. et Albin. *inpatientiam.* Hic *patientia* pro passione ponitur.

(*b*) In mss. Vatic. *vindicandum.*

(*c*) Apud Par. *judicis sui* : corrupte.

(*d*) Excusi, omisso *enim*, mox habent, *per redemptionem et justificationem..... liberamur.*

(*e*) Ex ms. Mic. adjecimus, *et ipse*, quo respiciuntur proxima Apostoli verba.

(*f*) In prius vulgatis deerat vox *ejus.*

(*g*) Excusi, *secundum judicia tua*, consentientes cum Aquila, sed a LXX ac mss. nostris dissentientes.

(*h*) Bad. et Er. *non pellitur.* Duo mss. *non repellitur.*

(*i*) Ita mss. Editi vero, *a Dei timore.*

(5) *Non pellitur.*
(6) *A Dei timore.*

per ipse si quis scandalizetur uratur (II *Cor.* XI, 29).

9. *Legem implet amore, non timore.* — Sed qui dolet super non servantes pactum, atque tabescit; mandatorum in se Dei non refugit examen. Dicit enim, VERS. 159 : *Vide quoniam mandata tua dilexi, Domine : in tua misericordia vivifica me.* Parum Prophetæ est, per metum explere mandata : sed ea magis diligit; quia extra necessitatem timoris sit dilectionis operatio. Et quamquam amor legis potior quam metus sit : non tamen ita sui fidens est, ut non magis vivificari se per misericordiam Dei deprecetur. Non nunc se ille vivere putat : sed vitam exempto hoc mortali corpore et absorpto in gloriam immortalitatis expectat.

10. *Servio Dei primus de homine.* — Scit enim sibi hoc jam in exordio creationis suæ esse promissum, cum a Deo dicitur : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* I, 26). Hoc super hominine principium vocis est Dei, cum ad imaginem interminatæ æternitatis (*a*) originis nostræ exordium conderetur. Certus ergo se vita illa atque imagine Dei esse victurum, ait, VERS. 160 : *Principium verborum tuorum veritas : in æternum omnia judicia justitiæ tuæ.* Verba Dei cœlo et terra prætereunte non transeunt (*Matth.* XXIV, 35). Quæcumque de labiis ejus effusa sunt, non irrita sunt. Æternæ sunt justificationes, et æterna justitia est. Principium ergo verborum Dei veritas est : neque de se, id est, de hominis creatione, ullum alium anteriorem Dei scit esse sermonem, quam ut secundum imaginem Dei (*b*) ac similitudinem fieret. Hæc **407** itaque indemutandæ veritatis est constitutio : sic in principio verborum Dei veritas est, ut novus homo regeneratus in Christo, vivat deinceps secundum æterni Dei, (*c*) id est, cœlestis Adæ imaginem jam æternus.

LITTERA XXI.

ע Sin.

Principes persecuti sunt me gratis : et a verbis tuis formidavit cor meum. Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa. Iniquitatem odio habui et abominatus sum; legem autem tuam ego (Infra abest *ego*) *dilexi. Septies in die laudem dixi tibi super judicia justitiæ tuæ. Pax multa diligentibus nomen tuum : et non est illis scandalum. Exspectabam salutare tuum, Domine, et mandata tua feci. Custodivit anima mea testimonia tua, et dilexit ea vehementer. Custodivi mandata tua* (*et testimonia tua*) *quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.*

1. *Inter odia principum Deus non negandus.* — Gravia quidem propheta David et regis Saul et principum populi odia et insectationes sustinuit : quia piæ conscientiæ constantiam ferre impietas professa non potuit. (*d*) Sed conformans evangelicum Deo atque apostolicum virum, non ignarus est evangelici sermonis, (1) quo ait : *Tradent enim vos, et flagellabunt in synagogis, et stabitis ante reges et potestates in testimonium illis et gentibus* (*Matth.* X, 17 *et* 18). Quin etiam constantiam prædicationis insinuans, et confessionis gloriam docens, ante eos fuerat adhortatus dicens : *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, et ego confitebor eum coram patre meo qui est in cœlis : qui autem negaverit me coram hominibus, ego negabo eum coram patre meo qui est in cœlis* (*Ibid.* 32 *et* 33). Sive igitur dedicatus ex lege, sive etiam in Evangelii gloriam præparatus, qui neque Saul populoque ejus causam insectandi se reliquisset, et per multa principum et gentium odia sciret (*e*) propter cœlorum regnum sæculo renuntiandum; confidenter hæc Deo loquitur, VERS. 161 : *Principes persecuti sunt me gratis : et* **408** *a verbis tuis formidavit cor meum.* Metuit enim negari se, si negaret.

2. *Fidei victricis vox.* — Sed cum beatæ hujus insectationis præmia non ignoret, Domino dicente : *Beati estis cum vos persequentur, et dicent omne malum adversum vos propter justitiam; gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlo* (*Matth.* V, 11 *et* 12); post principum odia, formidinem verborum Dei ita consequentibus temperavit, VERS. 162 : *Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa.* Fuit ergo formidinis, ne persecutionibus principum (*f*) aut indigne subderetur, aut cederet : quia et causam odiorum præbuisse non sancti est, et Dei gratiam metu sæculi amisisse sine venia sit. Sed spolia (2) invenisse victoris est : certe ea ex se præbuisse jam victi est. Cum his itaque insectationibus propheta non frangitur, et odia principum fide vincit; refert quædam impietatis spolia de victis. Scit enim secundum Evangelia ligatum esse in domo sua fortem, et armis suæ potestatis exutum, diripienda jam de se fidelibus spolia præbuisse (*Matth.* XII, 29). Lætatur ergo nunc in eloquiis Dei, tamquam qui multa spolia inveniat : cum fracta impiorum potestate, et victor fide permanens, omnibus eos armis seu impietatis seu (*g*) crudelitatis exuerit.

3. *Non convenit nisi legem amantibus.* — Sed hujus lætitiæ affectus (3) non inest, nisi et in divinæ legis dilectione, et in execratione iniquitatis : quia neque defugere quisquam nisi quod odit optabit, neque nisi quod diligit obtinere nitetur. Lætatus ergo tamquam super spolia multa, subjecit, VERS. 163 : *Iniquitatem odio habui et abominatus sum; legem autem tuam*

(1) *Qui ait.*
(2) *Invenire.*

(*a*) Regius codex cum Albin. *origo nostra in exordium conderetur.*
(*b*) In vulgatis desiderabatur vox *Dei.*
(*c*) In mss. reg. et Albin. omittitur, *id est cœlestis Adæ.*
(*d*) Tres mss. *sed confirmat evangelicum Domini ad Apostolos dictum. Nam non ignarus est*, etc.

(3) *Non est;* deinde *consectatione* pro *exsecratione.*

(*e*) Excusi *cœlorum regnum sæculo nuntiandum*, omisso prius *propter :* restaurantur ope mss.
(*f*) In duobus mss. *indigne* sine *aut.* Exigere videntur subsequentia, *aut digne subderetur*, puta, postquam odiorum causam præbuisset.
(*g*) In mss. Vatic. *incredulitatis.* In duobus aliis, *calliditatis* : lectio non spernenda.

dilexi. Iniquitatem ergo odit, et diligit Dei legem.

4. *Lex aliud dicit quam quod jubet.* — Sed diligens Dei legem, non in hæc tantum quæ per obedientiam legis explentur intentus est : ad aliquid autem se aliud necesse est per opus legis extendat. Et quo præterea in officio sit, audiamus, VERS. 164 : *Septies in die laudem dixi tibi super judicia justitiæ tuæ.* Sanctus propheta primum quod agit diligit, opus scilicet legis, (*a*) quia vitiorum omnium et usus reciditur et voluntas. Sed postea judicia justitiæ Dei laudat. Hæc enim, ut sæpe admonuimus, plus significant quam agant, dum (1) gesta notionem nobis æternæ dispositionis insinuant : ut sabbati requies, ut hebræus puer, ut terra otiatura, ut annus quinquagesimus, sub (*b*) imaginis sacramentorum 409 momentis intelliguntur. Hoc ergo in die septies laudatur.

5. *Septenarius numerus.* — Ac non ambiguum est, cur laudis hic numerus sit. Hæc enim eadem, vel in die, vel in puero, vel in terra, vel in anno atque annis, sub sanctificatione hujus numeri continentur : cum usque ad illam quinquagesimæ æternam requiem, quod est sabbata sabbatorum, septenus numerus expleatur (*Vid. Prol. n.* 11 et 12). Multa autem de numeri hujus sanctificatione sunt cognita : ut ipsa dierum constitutio, ut angelorum throno Dei adstantium electio, ut spiritalium potestatum et requiescentium gratiarum in Domino plenitudo. Certe judicia justitiæ Dei hoc in numero laudari a Propheta convenit, per quem et in quo earumdem justificationum virtus et constitutio continetur.

6. *Proximi dilectio. Charitatis affectus.* — Non alius autem nunc prædicationis propheticæ ordo est quam fidei. Nam (*c*) et tolerantia persecutionum, et formido verborum, et lætitia eloquii, et odium iniquitatis, et amor legis, et laudatio justitiæ, et omne omnino, si quod aliud in lege mandatum est, in hujus tantum præcepti observatione concluditur, Diliges proximum tuum tamquam te ipsum (*Rom.* XIII, 9). Hoc holocaustis, hoc sacrificiis omnibus majus est, unum atque idem sibi meminisse cum alio corpus esse, (*d*) qui Christi est, et ut corpus suum, id est, ut se ipsum, amare qui proximus sit. Sequitur enim, VERS. 165 : *Pax multa diligentibus nomen tuum, et non est* (*e*) *illis scandalum.* Apostolus non quæ sua sunt, sed quæ aliorum cogitans, carne se abstenturum in sæculum, ne fratrem scandalizet, professus est (I *Cor.* VIII, 13). Adeo perfectæ charitatis et pacis tenuit affectum, ut ab ipso vitæ communis usu, dummodo causam offensionis abscideret, temperaret. Pax ergo retinenda est : et non quod unicuique, sed quod universitati congruat (*f*) expetendum est : quia, secundum Evangelium, utilius sit in vitam non venisse, quam scandalum minimis intulisse (*Matth.* XVIII, 9).

7. In his itaque pacis charitatisque præceptis manens propheta, evangelicæ spei desiderio detentus est. Scit enim in quo vel quis finis sit (2) legis (*g*), cum ait, VERS. 166 : *Exspectabam salutare tuum, Domine, et mandata tua feci.* Salutaris Jesus est. Hoc enuntiatio ex hebræo nominis, hoc ad Joseph Angelus est locutus, hoc Simeon exinde in pace dimittendus agnovit, hoc reddita nobis per eum salus edocet. 410 In eo autem mandata Dei se fecisse profitetur, quod salutare Domini exspectet ; declarans omnia legis mandata (3) adventum (*h*) Dei unigeniti continere.

8. *Præsentia Dei.* — Testimonia quoque Dei custodivit, vehementerque dilexit, dicens, VERS. 167, 168 : *Custodivit anima mea testimonia tua, et dilexit ea vehementer. Custodivi mandata tua et testimonia tua ; quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.* Agens propheta sub judice et scrutatore cordium Deo, in custodia mandatorum testimoniorumque Dei permanet : non in viis sæculi, neque in viis vitiorum et impietatis incedit. Nam quodcumque vitæ suæ iter egerit, tam probabile tamque innocens agit, ut conspectu Dei dignum sit : Deo ipsas cogitationes cordium motusque noscente, neque conspectu ejus, qui immundo sit corde, condigno (*i*) fidelis enim in cœlo testis hæc dixit, Dominus noster Jesus Christus, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

(1) *Gesta ipsa notionem.*
(2) *Ignis, quo ait.*
(3) *Adventu unigeniti Dei contineri.*

(*a*) Albinensis codex, *qua vitiorum*, quod et habet regius secundis curis. Retinendum omnino *quia*, subaudito *ab eo*. Non enim lex cum usu vitiorum recidit etiam voluntatem, sed amor.

(*b*) Antiquæ edit. *sub imaginis sacramento non parvi momenti esse intelliguntur* : quod et habent quatuor mss. nisi quod in tribus extat *parum*, loco *parvi*. Mallemus, *sub imaginis sacramento futurorum documenta* (vel quid simile) *esse intelliguntur : quia*, ut habetur lit. 4, n. 5 : *lex sit ad futurorum bonorum speculum constituta :* et paulo ante : *quia hæc quæ in lege sunt constituta, via est eorum quorum in his præformatur exemplum.*

(*c*) Regius codex *et ad tolerantiam passionum formido verborum*, etc. male. Hic vult Hilarius, quod Rom. XIII, Paulus, virtutes omnes, omnia præcepta in una proximi dilectione concludi ac recapitulari.

(*d*) In ms. Vatic. *qui Christus est*. In Albin. ac reg. *cum aliis corpus esse quod Christus est*. Illud *qui* refert ad *cum alio*.

(*e*) Particulam *in* hic præponunt mss. reg. et Albin.

(*f*) Editi, *expendendum est* : renitentibus mss.

(*g*) Ita mss. nisi quod Mic. habeat *ignis*, et non *legis* : cujus loco in vulgatis legebatur *testis*.

(*h*) Excusi, *adventu unigeniti Dei contineri*. Magis placet cum mss. reg. et Albin. *adventum.... continere*. Ita prologo n. 5, Christi adventus *opus prophetarum* prædicatur, eique qui hunc ignoraret aut negaret, Scripturas prorsus clausas esse atque obsignatas : *quia cognitionem legis, quæ adventum Domini corporeum prædicat, fides corporei adventus abnegata præcludit.*

(*i*) Scil. Deo. Simili loquendi ratione superius prædicatur *congregatio sanctorum ad malitiæ operarios indigna*.

LITTERA XXII.

ת Tau.

Appropiet oratio mea in conspectu tuo, Domine : secundum eloquium tuum, Domine, da mihi intellectum. Intret postulatio mea in conspectu tuo, Domine : secundum eloquium tuum eripe me. Eructabunt (Infra *eructaverunt*) *labia mea hymnum : cum docueris me justificationes tuas. Pronuntiavit* (*pronuntiabit*) *lingua mea eloquia tua : quia omnia mandata tua æquitas. Fiat manus tua ut salvum me faciat : quoniam mandata tua elegi. Concupivi salutare tuum, Domine : et lex tua meditatio mea est. Vivit* (*vivet*) *anima mea, et laudabit te : et judicia tua adjuvabunt me. Erravi sicut ovis quæ periit : vivifica servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.*

411 1. *Eloquia Dei obscura. Orationis gradus.*—Finem sumit (1) secundum (*a*) litteras psalmus. Nam omnibus in his, quæ sancto viro erant propria, juxta hebraicorum elementorum ordinem comprehensis, nunc propheta ut oratio ejus Deo sit proxima deprecatur, VERS. 169 : *Appropiet oratio mea in conspectu tuo, Domine : secundum eloquium tuum,* (2) *Domine, da mihi intellectum.* Multa sunt quæ toto psalmo oravit a Domino. Sed quia eloquia Dei plurimum in se obscuritatis per rerum cœlestium sacramenta complexa sunt; nunc maxime ut intellectu hujus eloquii Dei sit dignus precatur. Ac primum ordinem modestiæ spei suæ tenuit, cum proximam fieri conspectui Dei orationem suam poposcit. Sequens jam per gradum altioris profectus postulatio ejus iteratur, cum ait, VERS. 170 : *Intret postulatio mea in conspectu tuo, Domine, secundum eloquium tuum eripe me.* Appropinquantis orationis ad conspectum Dei hic fuit ordo, ut cum cœpisset esse proxima, introiret : et jam eloquio Dei intellecto, eripi se secundum idipsum eloquium Dei precatur. Non enim primum ubi (*b*) est intellectus, ibi salus est : sed intelligentia adepta, salus est obtinenda.

2. *Sermonis vulgaris et prophetici discrimen. Eructatum verbum quid.* — Et quia hæc eadem per spiritum prophetiæ, vel sub futurarum rerum umbra, A vel sub quadam (3) veri (*c*) tamquam de speculo imagine antelata, vel sub divinorum verborum occulta profundaque ratione, spiritu prophetiæ magis quam intelligentiæ humanæ sensu, proferebantur; adjecit, VERS. 171 et 172 : *Eructaverunt* (*d*) *labia mea hymnum. Cum docueris me justificationes tuas, pronuntiabit lingua mea eloquia tua; quia omnia mandata tua æquitas.* Omne (*e*) prophetiæ eloquium sub eructandi significatione meminimus ostendi, cum dicitur : *Eructavit cor meum verbum bonum* (*Psal.* XLIV, 2); vel illud : *Eructabo abscondita a constitutione mundi* (*Matth.* XIII, 35); vel illud : *Dies diei eructat verbum* (*Psal.* XVIII, 5). Omnis autem sermo hominum ex sensu cogitationis initur ac motu, ubi ad aliquid enuntiandum mota mens nostra, id quod B in affectum sibi insiderit per verba declarat. At **412** vero ubi extra humanæ mentis instinctum non ad animæ sententiam lingua famulatur, sed per ineuntem spiritum officio oris nostri divini sensus sermo diffunditur; illic eructatum videtur esse quod dicitur : cum non ante cogitatione motuque percepto id (*f*) ad quod impulsa sit mens loquatur, sed ignorante sensu spiritus vocem in verba distinguat.

3. *Mandatorum intelligentiam quo ordine præstet Deus. Mandatorum scopus.* — Nunc autem quamvis eructaverint labia hymnum, tamen post doctrinam justificationum Dei (4) (*g*) pronuntiabit lingua quod loquitur : ut cum rerum dictarum sit percepta cognitio, tum agnitionis ipsius declaratio consequatur. Non sunt autem ita mandata Dei ab æquitate diversa, C ut non Deo dignum sit, eorum primum intelligentiam tribuere (*h*) prophetanti, tum deinde ad conscientiæ publicæ notionem prædicationis confessione clarescere : (*i*) quia extra bonitatem Dei sit, aut occultare quod voluerit pronuntiari, aut aliud aliquid nisi cum æquitate mandasse. Æquitatis autem mandatorum Dei ea summa est, ut (*j*) omnibus sint salutaria; ut hoc, quod in hanc vitam venimus, cum profectu æternitatis ineamus. Nam nasci ad mortem, non vitæ est causa, sed mortis.

4. *Liberum arbitrium.* — Et hujus spei suæ fidu-

(1) *Secundum litteram;* deinde, *Nam omnibus his.*

(2) Secunda vice non habet *Domine* codex noster, neque Hebraicus textus, neque græcus.

(3) In superiore quidem editione, *veritate tamquam de speculo imaginante, vel sub*, etc. At vulgatam antea lectionem codicis nostri auctoritate minime immutabis.

(4) *Pronuntiavit.*

(*a*) In vulgatis *secundum litteram.* Rectius in mss. reg. et Albin. *secundam litteras* scil. hebraicas, in quibus comprehensa sunt omnia quæ sancto viro erant propria. D

(*b*) Editi, *ibi est intellectus, ubi salus est :* contra Hilarii mentem ac fidem mss.

(*c*) In vulgatis, *sub quadam veri tamquam de speculo imagine antelata, vel sub*, etc., quam lectionem mutamus auctoritate mss. reg., Vatic. et Albin.

(*d*) Lips. et Par. *eructabunt.* Verius alii libri, *eructaverunt :* favente græco ἐξερεύξαντο, (quamquam Hilarius videtur legisse ἐξερεύξαντο) postulante etiam hoc numeri 3 : *Quamvis eructaverint labia hymnum.* In mss. constanter scribitur, *eructuaverint, eructuaverunt, eructuabo*, etc.

(*e*) Par. ex Lipsio retinuit, *prophetæ :* bene, si de unius David eloquio, non de omni prophetico sermo esset.

(*f*) Editi, *ad id quod pulsa sit :* corriguntur ex mss.

(*g*) In vulg. *pronuntiavit.* Rectius in mss. *pronuntiabit :* significatur enim exspectanda doctrina Dei, antequam ipsius eloquia pronuntientur. Ex hoc loco liquet superiora verba *cum docueris*, etc., cohærere cum subsequentibus *pronuntiabit lingua ;* non autem, ut in prius vulgatis, cum antecedentibus *eructaverunt labia*, etc.

(*h*) Apud Par. *prophetam.* Apud Bad. et Er. *prophetandi :* mendose.

(*i*) Editi, *quod si extra bonitatem :* ac mox Lipsius ut sententiam perficeret, pro *æquitatis autem*, posuit *æquitatis tamen.* Melius ex mss. jam resarcitur.

(*j*) Præpositionem *in* hic præfigebant editi. Hanc expunximus auctoritate mss. reg., Vatic. et Albin. maxime cum prologo in cantica graduum, n. 4, legamus : *Universis qui in vitam venirent, sermo Dei consuluit.*

ciam mox propheta subjecit, dicens, VERS. 173 : *Fiat manus tua ut salvum me faciat ; quoniam mandata tua elegi.* Aliis gloriam sæculi eligentibus, aliis venerationem elementorum ac dæmonum capessentibus, aliis terrenas opes expetentibus, sanctus iste mandata Dei elegit. Elegit autem non naturali necessitate, sed voluntate pietatis : quia unicuique ad id quod volet via est proposita vivendi, et appetendi atque agendi permissa libertas (*Deut.* XXX, 19). Et ob id (*a*) uniuscujusque aut pœna aut præmiis afficietur electio.

5. *Legis finis.* — Sed mandatorum Domini quis esset (*b*) finis ostendit, dicens, VERS. 174 : *Concupivi salutare tuum, Domine, et lex tua meditatio mea est.* Totum se iste in adventum (1) Jesu, id est, salutaris extendit : et illud quod Apostolorum beatitudini videre fuit proprium, desideriis impatientibus concupiscit : hoc tamen ipsum, quod **413** in lege agit (*c*), meditationem futuræ spei esse significans; quia non ad præsentium effectum, sed ad futurorum profectum omnis intelligitur suscipi solere meditatio.

6. *Præmium meditationis.* — Ac meditationis istius quod præmium esset, ostendit, VERS. 175 : *Vivet anima mea, et laudabit te : et judicia tua adjuvabunt me.* (*d*) Vivere se in hac vita non reputat, quippe qui dixerit : *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea* (*Psal.* L, 7). Scit sub peccati origine et sub peccati lege se esse natum : meditationem autem legis Dei ob id elegit, ut vivat. Animam suam superiore psalmo ad vitæ istius gaudia adhortatus est, cum ait : *Convertere, anima mea, in requiem tuam, quoniam Dominus benefecit mihi : quia eripuit animam meam a morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu. Placebo Domino in regione* (2) *vivorum* (*Psal.* CXIV, 7, etc.). Has laudes Deo referre festinat, judiciis Dei, absorpta terrenæ corruptionis infirmitate, ad æternitatis adjutus profectum : ob id utique, quia elegit mandata, et concupivit salutare Domini, et quia meditatio ejus in lege Dei semper est.

7. Digno autem omnia evangelici sacramenti fine conclusit, dicens, VERS. 176 : *Erravi sicut ovis quæ periit : vivifica servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.* Referri enim se errabundam ac perditam ovem pastoris sui humeris festinat, ut per salvatorem suum æternumque pastorem in cœlo angelis æterna gaudia præbeat (*e*) (3) se recepto (*Luc.* XV, 10). Filius enim hominis venit salvare quod perierat (*Matth.* XVIII, 11), missus ad oves perditas domus Israel Dominus Jesus Christus, qui est benedictus in (4) omnia sæcula sæculorum. Amen.

(1) *Jesu salutaris ostendit.*
(2) *Viventium.*
(3) *Se recepta.*
(4) *In sæcula. Explicit psalmus centensimus octabus decimus. Incipit psalmus* CXXV *feliciter. Canticum graduum. In avertendo Dominus captivitatem*, etc. Pluribus deinde chartis multatum olim fuisse codicem apparet; sequitur enim : *Quamquàm religiosum sit existimare futuræ captivitatis demutationem*, etc. Quibus verbis ad CXXV Psalmi expositionem prosilimus.

(*a*) Mss. reg. et Albin. *unusquisque*, omissa mox voce *electio*.

(*b*) Ita mss. ubi male in vulgatis obtinebat, *quis esset fons*.

(*c*) In vulgatis, *ait* : simile mendum jam supra castigatum est ex mss. Sæpenumero inculcat Hilarius Prophetam non modo agere quæ lege præcepta sunt, sed agendo meditari ea quæ in illis adumbrata sunt. Hinc littera superiori, n. 4, ait : *Hæc, ut sæpe admonuimus, plus significant, quam agant, dum gesta ipsa notionem nobis futuræ dispositionis insinuant.*

(*d*) Hæc Hilarii verba postquam adversus Julianum lib. I, c. 3, retulit Augustinus, subjicit : *Sentisne quid audias? Quærisne quid dicas? Hunc virum tanta in episcopis catholicis laude præclarum, tanta notitia famaque conspicuum, de peccato originali aude, si quid tibi frontis est, criminari.* Tum eadem verba sic l. VII, n. 32, summatim perstringit : *Sanctus Hilarius dicit, sub peccati origine et sub peccati lege natum esse, cujus vox est :* Ego in iniquitate conceptus sum.

(*e*) Quamvis cum mss. præferamus, *se recepto*, puta Propheta; non displicet tamen vulgata lectio *se recepta*, quod ad ovem relatum eidem sententiæ subjicitur. At perverse omnino apud Hincmarum de Prædest. c. 25 : *Angelis in æterna gaudia perhibeat se receptum.*

(*f*) In Miciacensi codice hic absque ullo titulo prælegitur totus psalmus CXIX. Ibidem collocatur in prima editione Par. præmisso titulo, *In Canticum graduum Commentarii. Præfatio.* Postrema editione textus psalmi in eum locum rejectus est, in quo nunc edendum curavimus. Hunc neutro in loco habent aliæ editiones ac ms. reg. in quo ea præfertur inscriptio : *Expositio quindecim graduum beati Hilarii Pictavensis episcopi :* ac deinde *psalmorum tituli*, etc. Et titulo et psalmo caret ms. Majoris monasterii Turonensis.

(*g*) Ita mss. reg. ac Turon. ubi in vulgatis *negotio*.

(*h*) Bad., Er. et Lips. *propter Bersabee.* Par. *propter Bersabeth.* Magis placet cum mss. Turon. et reg. *post Bersabee*, id est, ut habet inscriptio psalmi L, postquam intravit ad Bersabee.

414 PROLOGUS

(*f*) IN CANTICA QUINDECIM GRADUUM.

1. *Tituli psalmorum.* — Psalmorum tituli, ut in plurimis ostendimus, habent proprias suas significationes, rationem et argumenta scriptorum quæ subjacent brevissime continentes, nosque quodam doctrinæ indicio in intelligentiæ semitam dirigentes : de quibus nunc non necesse est aliquid tractare. Tum enim id fieri oportet, cum psalmus unusquisque tractabitur. Cum enim sibi invicem auctoritatem præstent psalmus et titulus ; debilis erit sermo, si de aliquo eorum absque altero disseretur. Nunc vero Cantica graduum attingimus, quorum et continua et æqualis inscriptio est, atque ideo significatione conveniente titulorum, sub unius expositionis (*g*) judicio universorum reperietur ratio esse monstrata.

2. *Inscriptio historica non excludit sensum allegoricum.* — In plerisque psalmis multa secundum historiæ ordinem in superscriptionibus eorum esse edita legimus : ut cum fugit David a facie filii sui Abessalon, cum mutavit vultum suum coram Abimelech, (*h*) cum post Bersabee ab Nathan monetur, et in re-

liquis sicubi gestorum veritas ipsis psalmorum titulis continetur. Sed meminisse nos oportet, hos eosdem psalmos non idcirco omnes corporaliter intelligendos, quia his corporalium negotiorum significatio antefertur : quin potius oportet nos spiritalem intelligentiam sub hac quadam gestarum rerum commemoratione sectari : de quo non est nunc temporis dicere, sed simplicitati legentium consulentes, legentem fuit congruum commonere. Ergo ne secundum prædictos ex pluribus titulos, hi quoque graduum psalmi aliquid de historia contineant, videndum est.

3. *Gradus* 10, *in domo Ezechiæ.* — In Esaiæ enim libro orante Ezechia signum ei positum prorogatæ salutis in gradibus est (*Esai.* XXXVIII, 7 *et* 8, *sec.* LXX). Erant autem in domo ejus gradus decem, quos sol ultra temporis sui cursum lumine suo accedente conscendit, rursumque, **415** die (*a*) mortis ejus, de temporis sui limite lumine decedente descendit. Sed nulla ad psalmos hujus historiæ similitudo est, cum graduum ne numerus quidem ipse conveniat. Hoc tamen quod Ezechiæ datum signum est, manifeste ostendit Dei lumen his, quibus ob negotiorum sæcularium merita futuræ vitæ beatitudo impertietur, accedere ; illis vero quibus sit negata, decedere.

4. *Gradus* 15, *in templo, post hos psalmos exstructi an hic respiciantur.* — Esse autem in templo gradus quindecim historia nobis locuta est, dispositosque ordines consistentium, quibus quædam quasi dignitas in antecedentibus obtineretur : ut (*b*) Levitæ primum consisterent, post Israelitæ, tum proselyti, et deinceps alii. Sed quid de psalmis antea scriptis ex historia posteriore præsumimus : cum si quid ex ea suscipiendum sit, suscipi ita debeat, ut psalmi historiam subsequantur? nisi tamen aliquid sit ad futuram historiam prophetatum. Sed contuentes ipsam illam templi atque altaris ædificationem, umbram esse incorrupti templi, et (*c*) sanctificati speciem altaris : his quæ in eodem corporaliter præfigurata sunt intelligeremus, nisi auctoritas (*d*) præsumeretur ex psalmis. Psalmi autem non sui tantum temporis res enuntiant, neque in eas solum ætates conveniunt quibus scripti sunt; sed universis qui in vitam venirent Dei sermo consuluit, universæ ætati ipse aptissimus ad profectum.

5. *Christus verus Sacerdos ascendit in sancta sanctorum.* — Erat namque illa sacerdotii lex, quam secundum legis observantiam in Evangelio Lucas sub Joannis Baptistæ nativitate diligenter exposuit, neminem in sancta sanctorum ascendere, nisi qui esset princeps sacerdotum, eumdemque toto in anno uno tantum die (*Levit.* XVI, 17; *Lucæ.* I, 8). Quæ omnia in similitudinem antea gesta, in uno Domino nostro expleta esse, et fides nostra, et ipse Dominus nobis in Evangelio auctor est, dicens : *Non veni legem solvere, sed adimplere* (*Matth.* V, 17). Apostolus quoque omnem consummationem legis in Domino nostro Jesu Christo esse testatur, dicens : *Finis enim legis Christus est* (*Rom.* X, 4). Sed et hic idem David propheta æternum eum sacerdotem docet, dicens : *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* (*Ps.* CIX, 4). Hic igitur princeps sacerdotum ingressus cœlos, sedens ad dexteram Dei, orans ad Patrem **416** ut ubi ille esset et nos quoque essemus, qui et (*e*) excitavit et collocavit nos in cœlestibus (*Joan.* XVII, 24) : ille jam per prophetam monuerat quibus modis quibusque vitæ operationibus ascendi posset ad sese. Sed per Esaiam ita (*f*) ait : *Lavamini, mundi estote, auferte nequitias ab animis vestris e conspectu oculorum meorum : desinite a malitiis vestris, discite bonum facere, exquirite judicium, (g) eruite injuriam accipientem, judicate pupillo, et justificate viduam : et venite disputemus, dicit Dominus omnipotens* (*Esai.* I, 16 *et seqq.*). Hi sunt igitur gradus perfecti illius æternique templi, quos princeps sacerdotum facta per sanguinem suum peccatorum nostrorum propitiatione transcendit, modo terreni ex lege sacerdotis, seu gradibus in sanctorum sancta scandentis, seu litationis hostiam pro populo offerentis.

6. *Numeri* XV *mysterium. Psalmi* 15 *graduum quid doceant.* — Ac de quindecim quidem gradibus (*h*) et superscriptione cantici jam in exordio psalmorum, tum cum sermo de numeris et de superscriptionibus incidit, aliqua tractavimus, ex duobus scilicet numeris hebdomade et ogdoade, quorum unus ob sabbatum legis sit, alius ob accedentem ad sabbatum octavam, (*i*) quæ et prima est, Evangeliorum sit, hunc numerum convenire (*Prolog. num.* 16). Per quæ eorum canticorum quasi Legis et Evangeliorum gradibus ad cœlestia nos et æterna conscendimus : cognoscentes

(*a*) Lips. et Par. *die mortis sui lumine descendente descendit :* editiones his antiquiores, *die mortis de temporis sui lumine decedente descendit :* resarciuntur ope mss. Qui autem Turonensem exaravit, ad marginem ascripsit, *vel diem orsus*, scil. pro *die mortis.* Iis porro verbis notatur dies, non quo mortuus est Ezechias, sed quo sine Dei ope moriturus erat. Paulo ante in eodem ms. *prærogatæ salutis*, non *prorogatæ:* potest et vere dici, quia hanc prius rogaverat. Antea ex eodem ms. restituimus *ei positum*, pro *et positum.*

(*b*) In mss. reg. et Turon. *Levitici.*

(*c*) Apud Bad. Er. et Lips. *sancti speciem*, quod et in postremam editionem Par. revocatum est obnitentibus mss.

(*d*) In vulgatis, *præsumitur.* Restituimus ex mss. reg. et Turon. *præsumeretur.* Necdum tamen conficitur integra sententia, nisi superius, pro *his quæ in eodem.* Turonensis codicis scriptor sensit hic aliquid deesse. Proxime enim post verba *speciem altaris*, vel ut ibi ac paulo ante habet *altarii*, spatium unius versus scriptura vacuum reliquit.

(*e*) In reg. ms. *excitabit et collocabit nos.* Utrumque probe. Excitati enim jam sumus in persona Christi, in propria quandoque excitandi.

(*f*) Verbum *ait* abest a mss. reg. et Turon. sicut et antea particula *sed*, cujus loco in uno Vatic. exstat *cum.*

(*g*) Sic mss. At editi, *eripite.*

(*h*) In vulgatis, *ex superscriptione ;* et mox *hebdomadæ et ogdoadæ.*

(*i*) Editi, *quæ et prima est Evangeliorum : sic hunc numerum convenire, per quem eorum canticum quasi*

collocandos nos cum summo Sacerdote in cœlestibus, si tamen secundum Apostolum conversatio nostra in cœlis sit (*Philip.* III, 20). Hos gradus canticorum quæramus, per quos scandere ad loca quæ sunt sanctorum sancta possimus. Arduus enim usque in ea et angusti itineris ascensus est. Gradus quindecim fuisse scimus in templo : psalmos quoque graduum quindecim legimus. Numerosus est hic desideratæ illius sedis ascensus. Forte enim, ut in templo paulatim et per gradus singulos conscendebatur ad sancta, ita per singulos psalmorum profectus docebimur, his gradibus qui cantantur ascensis, posse nos in excelsis et sanctis et æternis collocari.

7. Plures autem sunt, qui in his psalmis (*a*) solam captivitatem populi, qua in Babylonia septuaginta annis detentus est, existiment prophetatam ; sed et reditum populi **417** ejusdem cum restauratione civitatis amissæ. Quibus (*b*) nunc non calumniamur. Neque enim ambigitur, prophetam ea quæ impietati hujus populi imminerent scire potuisse. Sed quam captivitatem populi, et cujus civitatis ædificationem Propheta commemoret, ipsi psalmi nobis auctores erunt, (*c*) qui ita cœperunt.

PSALMUS CXIX.

CANTICUM GRADUUM.

Ad Dominum (Hil. *ad te Domine*) *cum tribularer clamavi : et exaudivit* (*exaudisti*) *me. Domine, libera animam meam a labiis iniquis et a lingua dolosa. Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam? Sagittæ potentis* (*potentes*) *acutæ cum carbonibus desolatoriis* (*desolationis*). *Heu me! quia incolatus meus prolongatus est : (et) habitavi cum habitantibus Cedar: multum incola fuit anima mea. Cum his qui oderant* (*cum odientibus*) *pacem, eram pacificus : cum loquebar illis, impugnabant me gratis.*

TRACTATUS PSALMI.

1. *Tribulationes Christiano non timendæ.* — Propheticus sermo, licet communi usu humani sermonis utatur, tamen non eamdem quæ communi sensui adjacet significantiam continet. Namque quamvis prout possemus intelligere, rerum cœlestium enuntiationem temperarit ; virtutem tamen significantiæ suæ moderata licet verborum electione servavit. Cœpit enim ita, VERS 1 : *Ad te, Domine, cum tribularer clamavi, et exaudisti me.* De consuetudine enim (*d*) forte et pro humani sensus affectione clamor hic ad Deum Prophetæ existimabitur, ut promiscuus hic dolor sit, ob quem etiam cum vociferatione Deum precetur ; quia **418** multos aut periculi metus mortisque terror, aut damni anxietas ac pecuniæ dolor, aut orbitatis telum dolorumque vulnera ad Deum vocem efferre compellunt ; (*e*) tamquam non omnia eorum quæ accidant, bonis spebus aptissima sint. Apostolus dissolvi et cum Christo esse sibi melius testatur (*Phil.* I, 23), curam pecuniæ radicem totius malitiæ condemnat (I *Tim.* VI, 10), et flendos potius vivos Evangelia dixerunt (*Luc.* XXIII, 28) : et quid, contra hæc fidei nostræ proposito firmato, loci (*f*) adversus nos sæculo relinquetur, cum Christi consortium mors acquirat, inopia pecuniæ præstet inopiam (*g*) peccati, nostrorum abscessio spei communis sit accelerata properatio?

2. *Quæ ei cavendæ. Oratione caventur.* — Sed si istæ non sunt ; quæ ergo erunt tribulationes, ob quas clametur ad Dominum ? Sunt plane et maximæ, trahentes nos in profundum peccati. Propheta enim hominem (*h*) gradibus ad æterna scandentem ex persona sua formans, a quibus maxime malis cavere debeat docet ; his (*i*) namque, quæ consiliorum auctoritatibus, et hortationum impulsibus, et blanditiarum illecebris nos in infernum demergunt ; cum alius nos hortatur ad honores, alius otio, somno, gula, luxu ad præsentem vitam detinet, alius ad falsarum religionum superstitionem deducit, alius hortatur ad schismata, alius ad hæresim sollicitat : de quibus scriptum est, *subvertunt mores bonos* (*j*) *colloquia mala* (I *Cor.* XV, 33). Namque adversus hæc omnia animi nostri imbecilla natura est. Circumcursant enim undique, ac variis nos blandimentorum suorum aculeis compungunt. Ac prima illa spes vitæ est, ut irrumpentibus illis in sensum nostrum vi, fraude,

legis, etc. valde confuse : emendantur ex ms. Turonensi, favente regio.

(*a*) Par. *totam*, non *solam* : ac mox cum edit. aliis *qui*, pro *qua*.

(*b*) Abest *nunc* a mss. reg. et Turon.

(*c*) Sic mss. At editi, *quia ita cœpti sunt*. Deinde psalmi totius textus jam postrema editione Par. illuc translatus, non videtur aptiori in loco disponi potuisse. In codicibus aliis primus tantum psalmi versus hic præmittitur, puta, *Ad te, Domine, cum tribularer clamavi, et exaudisti me.*

(*d*) Particulam *enim* adjecimus auctoritate mss. reg. et Turon.

(*e*) Apud Par. desideratur *tamquam non*, cujus loco in editionibus aliis habetur *quamquam non*. Clarius deinde poneretur, *omnia quæ accidant, eorum bonis spebus*, etc.

(*f*) Vocabulum *loci* abest a ms. reg. Hujus loco habet Turon. *dilectissimi*.

(*g*) Præclarus ille locus paulatim magis ac magis corruptus fuit. Primo enim Erasmus pro *peccati*, posuit *peccatorum*, ut hoc vocabulum cum subsequente *nostrorum* congrueret. Tum Lipsius *copiam* pro *inopiam* substituit. Tandem cum in prima edit. Par. deesset, *præstet inopiam peccati ;* postrema restitutum est, *præstet copiam : peccatorum nostrorum abscissio*, etc. Resarcitur ex Bad. et mss. Triplici illo membro demonstrat Hilarius, nihil eorum quæ vulgo timentur timendum esse ; non mortem nostram, qua Christi consortium obtinemus : non divitiarum jacturam, qua peccati radix amputatur ; non denique *nostrorum*, hoc est, vel affinium vel quorumcumque justorum ex hac vita abscessionem, quorum abscessione judicii ac proinde regni cœlestis adventus acceleratur. Hujus regni accelerationem orandam, adeoque optandam infra docet num. 11, quo nomine beatitudinem ex corporum receptione consummatam significat, cum diserte prædicet sanctorum beatitudinem ex Christi consortio statim post mortem inchoati, adeo ut mors eis lætitiæ causa sit.

(*h*) Abest *hominem* a reg. et Turon. mss.

(*i*) Hoc est, *ab iis nempe malis*. Jam superius vidimus *namque* pro *nempe* solere poni.

(*j*) Miciacensis codex, *consilia mala*.

dominatu, tamquàm e media tribulatione clamemus ad Dominum; ut conversio nostra ad eum, conflictantibus calamitatibus, totis fidelis clamoris viribus audiatur. Jam autem ipse clamor ad eum (*a*) nostra erit requies, et ipsa conversio deprecandi maxima pars ac spes est salutis. Et idcirco ait: *Ad te, Domine, cum tribularer clamavi, et exaudisti me.* Ipse enim solitus est precantibus dicere, *Ecce adsum* (*Esai.* LII, 6).

5. *Labia iniqua. Epicurei. Lingua dolosa.* — Et quia adest, de his quæ consequuntur rogandus est, VERS. 2: *Domine libera animam a labiis iniquis, a lingua dolosa.* Hæc enim sola tribulatio justis periculosa est, malæ adhortationis **419** societas, et pestiferi consilii consuetudo, a qua animus (*b*) referendus est, et aures obstruendæ sunt. Distinxit autem labia iniqua et linguam dolosam. Et quidem iniquitas inverecunda est, palam audet, palam molitur, palam perficit. Hi sunt, qui abnegantes Deum, nullum humanis rebus asserunt reliquum esse in religione Dei profectum; sed solum hoc sibi bonum esse, quod luxui et corpori vivant, adimentes Deo curam, providentiam, arbitrium, potestatem. Horum ergo labia sunt iniqua. Dolosæ autem linguæ opus fallax est, (*c*) et per simulationem noxium, quod sub religionis nomine evertat religionem, et per vitæ spem deducat in mortem. Hæreticorum quoque ista mendacia sunt, prophetarum dictis et Evangeliorum virtutibus et Apostolorum præscriptionibus mendacio occultatis, aliter omnia tradere et docere quam scripta sunt. Ab his igitur per Dei misericordiam orantes liberamur: et inter illorum tribulationes, clamantes ad Deum exaudiemur.

4. *Cur interroget Deus. Confessionis fructus.*—Sequitur, VERS. 3: *Quid detur tibi, et quid apponatur tibi ad linguam dolosam?* Bene ad id quod dictum est, *Ad te, Domine, cum tribularer clamavi, et exaudisti me: Domine, libera animam meam a labiis iniquis, a lingua dolosa*, subjicitur, *quid detur tibi, et quid apponatur tibi ad linguam dolosam?* Ut per Prophetam impleretur quod a Domino dictum est, *Ecce adsum tibi* (*Esai.* LII, 6); tamquam in ipso puncto (*d*) imprecationis hæc Domini vox refertur, *Et quid detur tibi, et quid apponatur tibi ad linguam dolosam?* Frequenter autem interrogantis Domini (*e*) personam legimus et in Novo et in Veteri Testamento, ut ad Adam, *Ubi es Adam* (*Gen.* III, 10)? ut ad Cain, *Ubi est frater tuus* (*Gen.* IV, 9)? ut ad turbas cum mulier fimbriam attigisset, *Quis me tetigit* (*Luc.* VIII, 45)? ut ad discipulos, *Quem me dicunt homines* (*f*) *filium hominis* (*Matth.* XVI, 13)? *Vos autem quem me dicitis* (*Ibid.* 15)? Non ille doceri vult, qui scrutans corda et renes Deus est, et cogitationum nostrarum inspector est: sed per confessionem interrogatorum, aut peccatis veniam, aut fidei honorem redditurus **420** interrogat. Denique Adam (*g*) confessus, veniæ reservatus, et glorificatus in Christo est: Cain negans maledicto diaboli adæquatus est; est enim jam a principio designatus homicida, (*scil.* diabolus) (*Joan.* VIII, 44). Confessa mulier fide sanata est: respondens fide Petrus claves cœli sortitus est. Atque ita omne spei nostræ præmium in confessione consistit: ut ea quæ consequi nos posse credidimus, consecuturos esse testemur.

5. *Sagittæ Domini et carbones desolationis, Dei verbum.* — Et idcirco quædam a Propheta interrogationis est facta conversio: sed fidei digna consecuta responsio est. Ad id enim quod quæsitum est, *Quid detur tibi, et quid apponatur tibi ad linguam dolosam?* id est, Quid tibi adversus falsitatem hujus præsidii afferatur? responsum est,-VERS. 4: *Sagittæ* (*h*) *potentes acutæ, cum carbonibus desolatoriis:* Solæ enim Domini potentes sunt et acutæ sagittæ, quæ linguam dolosam valeant configere, habentes in se virtutem (*i*) perurendæ fraudolentiæ atque vastandæ; de quibus in septimo psalmo ait, *Sagittas suas arsuris operatus est* (*Psal.* VII, 14): quæ sibi utraque conveniunt. Dei enim verbum omnem nequitiam configit, et omnem sensum petulantiæ convulnerat, et ipsum illum vehementissimum mortis aculeum compungit.

(*a*) In mss. Turon. et reg. *noster*: quam vocem libenter adjiceremus etiam retinendo *nostra*.

(*b*) In vulgatis, *refrenandus*: verbum minus Hilarianum: Habemus, *Cor ab his sine dubio refert, quæ humano judicio existimantur utilia;* et *Ex via hac fidei religione referente.* Vid. Tract. ps. CXXIII, n. 8.

(*c*) Unus e mss. Vatic. *cum per simulationis noxam.* Alter, necnon Bad., Er. et Lips. *cum per simulationem noxiam.* Retinemus cum Par. et vetustioribus mss. reg., Mic. et Turon. *et per simulationem noxium.* Tum ex iisdem restituimus *quod sub religionis nomine*, ubi in solis edit. extat *sub religionis lumine*, omisso prius *quod*.

(*d*) Editi, *interpellationis*. Miciacensis ms. *interpretationis*. Verius Turonensis *imprecationis*. Sic, n. 6, *imprecetur Propheta*.

(*e*) In ms. Mic. *Domini sermonem*.

(*f*) Ms. Turon. *quem me dicunt homines? Vos autem quid dicitis?*

(*g*) Ita fere Chrysostomus Serm. de lapsu primi hominis. *Accipiunt*, inquit de Adam et Eva, *vestimenta pellicea, ut qui confessi delictum jam fuerant, veniam cultus humilitate perciperent.* Neque aliter Tertullianus, qui suum de pœnitentia librum claudit his verbis: *Ipse quoque stirpis humanæ et offensæ in Dominum princeps Adam, exomologesi restitutus in paradisum suum*, pœnitentiam *non tacet*. Immo Tatianum, quia prædicabat Adam *nec salutem consequi posse*, lib. de hæret. Præscript., n. 52, hæreticis accenset. Sic post Epiphanium Augustinus de Hæres. 25, inter Encratitarum errores memorat, quod *saluti primi hominis contradicunt*. Hos acriter confutat Irenæus lib. III, c. 30, etc. ac post eum plerique Patres, quibus Hilarius noster hic aperte suffragatur, favente Scriptura Sap. X, 2, quæ de Adam habet: *Et eduxit illum a delicto suo.* Videndus Philippus bonæ spei Abbas lib. cui *de salute primi hominis* titulus est. Hic obiter observamus Adam non modo veniam, sed et gloriam consecutum ab Hilario prædicari; ut eos quibus supra, n. 1, *consortium Christi mors acquirat*, intelligere sit jam in Christo glorificatos.

(*h*) Ita hic et infra Turon. ms. quod et postulant sequentia. In vulgatis autem *potentis*.

(*i*) Editi, *perimendæ*. Magis placet cum ms. Turon. *perurendæ*, cum ad calcem n. 6, legamus, *universa labia iniqua perurantur*.

Namque peccator cum audiat Deum æternum, Deum mundi conditorem, Deum judicem, seseque hominem intelligat Deo debere quod natus sit; (*a*) quanto doctrinæ Dei telo conscientia ejus errorque ferietur, cum se igni inextinguibili, separatum ut paleas a tritico, et desolatum bonorum fructuum consortio, cognoscat urendum? Cujus doctrinæ per apostolos revelandæ in psalmo altero meminit, dicens: *Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum* (*Psal.* LXIII, 1). Has potentes sagittas, hos carbones desolationis dari sibi fidelis quisque orat, et ad linguam dolosam exspectat apponi, emendandis his qui tribulant, vel doctrinæ telo, vel metu pœnæ.

6. *Carnis cruciatus.* — Sed et beatus Job hostem suum quo confixus fuerat ignorans, cruciatus corporis sui et dolores sagittas Domini esse dixit, dicens: **421** *Sagittæ enim Domini in corpore meo sunt, quarum indignatio* (*b*) *ebibit sanguinem meum* (*Job.* VI, 4). Et forte has quoque ultricium pœnarum sagittas adversus labia iniqua et linguam dolosam imprecetur Propheta, quibus confixa cum lingua dolosa universa labia (*c*) iniqua perurantur.

7. *Carbo desolationis, peccatorum emundatio.* — Quamquam sint plures, qui spiritaliter suscepta a fidelibus cœlestis doctrinæ præcepta sagittas velint existimari, et carbones (*d*) desolationis peccatorum emundationem : atque ita accipiendum putent carbones desolationis, quia Dominus dixerit : *Ignem veni mittere in terram; et quid volo, si jam accensus est* (*Luc.* XII, 49)? Non est autem dubium, peccatorum eum ablutionem et remissionem attulisse; (*e*) quam ignem jam accensum esse dixerit, quia per eum vitiorum omnium fiat sordiumque purgatio. Accommodant autem ad hoc illud quod dictum ad Esaiam est, cum per forcipem carbone comprehenso labia ejus contacta sunt: (*f*) *Ecce abstuli injustitias tuas, et peccata tua purgavi* (*Esaiæ* VI, 7).

8. *Sagitta Christus.* — Sagittam autem ipsum Dominum nuncupatum in eodem Esaia meminimus hoc modo : *Et posuit me tanquam sagittam electam, et in pharetra sua abscondit me, et ait : Grande tibi est hoc, vocari te puerum meum* (*Esai.* XLIX, 2). Esse itaque intelligimus etiam (*g*) hunc utilem sagittam et potentem, confixis vitiorum nostrorum aculeis, salubri nos vulnere utilique penetrantem ; de qua sagitta sponsa illa in Canticis dixerit : *Vulnerata dilectionis ego sum* (*Cant.* II, 5, *sec.* LXX).

9. *Cur sagittæ expetendæ.* — Sint ergo hæ sagittæ utrumque in modum exspectatæ, vel in pœnam conscientiæ iniquos ac dolosos configentes, vel in dilectorum sibi corporibus peccata et vitia vulnerantes. Sitque vel devastans carbo, vel purgans, dummodo abnegantes Deum per pœnam absumat, purget autem ad perfectam innocentiam confitentes.

10. *Gestis indicamus quæ bona judicemus. Regnum Dei exoptat Propheta.* — Sed quæ ad superiora dicta sequens Prophetæ responsio est? VERS. 5. *Heu me! quod incolatus meus prolongatus est.* Bona non possunt (*h*) videri vere bona a nobis judicari, nisi expetantur. Nam quomodo fidem judicii nostri, nisi eorum, de quibus bene judicaverimus, efficientia præstabimus? Bonam pudicitiam existimamus : qui ergo opinionis nostræ **422** fructus, nisi in ipsa pudicitiæ appetitione consistet? Bona est innocentia : sed nisi festinantes atque exercentes eam, vere ita sentire non intelligemur. (*i*) Mentium enim judicia non verbis significanda sunt, sed rebus explenda. Convenit igitur Prophetam, exspectantem post sagittas Domini et illos carbones desolationis beati illius regni et æterni temporis gloriam, id quod exspectat desiderare. Et desiderat plane. Neque solum desiderat, sed moras odit, et ipsam illam non potiendi (*al.* potiundi) jam desiderii tanti dolet dilationem, dicens : *Heu me! quod incolatus meus prolongatus est.*

11. *Ejus gratia mors a sanctis pluribus concupita.* — Querelam istiusmodi a plurimis sanctis frequenter audivimus, (*j*) de tarditate spei suæ morosam corporum dissolutionem deflentium. Dominus in Evangeliis suis docuit accelerationem regni cœlestis orandam. Impatientem enim charitatem esse eorum quæ (*k*) amet convenit : atque ideo dici oportet, quod ut dicamus a Domino præcipimur : *Adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua* (*Matt.* VI, 10). Paulus beatus (*l*) inhabitationem corporis sui congemiscit, per incolatum carnis peregrinari se a Deo conquerens

(*a*) Apud Par. *quando :* mendose. Tum ms. Turon. *doctrinæ telo*, sive voce *Dei* : non male. Inepte autem ms. Mic., *doctrinæ Dei zelo* : rursumque infra, *doctrinæ zelo.*

(*b*) Editi, *ebibit ut sanguinem spiritum meum :* castigantur ex ms. Turonensi, suffragante græco, ὧν ὁ θυμὸς αὐτῶν ἐκπίνει μου τὸ αἷμα.

(*c*) Vocabulum *iniqua* supplevimus ex ms. Turon.

(*d*) Sic ms. Turon. At Mic. *desolatorum.* Editi vero *desolationum.*

(*e*) Editi, *in qua ignem.* Ms. Mic. *cum ignem.* Turon. *quam ignem*, quibus præponendum *ob* primo conjectabamus : at hæc lectio sine additamento integra deinde visa est, qua peccatorum ablutionem ignis nomine nuncupatam esse significatur.

(*f*) Ita Turon. ms. quod magis respondet græco. At editi, *Ecce abstuli peccata tua, et iniquitates tuas purgavi.*

(*g*) In vulgatis ut in ms. Turon. *hanc.* Præferimus cum Mic. *hunc*, quod ad Dominum referatur.

(*h*) In ms. Turon. deest *videri.* Hoc tamen verbum retinendum, quod alienum de nostro judicio judicium denotat.

(*i*) Turon. ms. *Amantium enim :* neque hic audiendus.

(*j*) Par. *tarditatem spei suæ et morosam*, etc. Editiones aliæ, *de tarditate spei suæ et morosa corporum dissolutione.* Mic. ms. *tarditatem spei suæ et* (potest pro *et* legi *ex*) *morosa corporum dissolutione.* Sequimur Turonensem.

(*k*) In vulgatis, *qui amant.* Verius mss. *quæ amet*, aut *quæ amat*, hoc est, charitatem impatientem esse consequendorum eorum bonorum, quæ ipsa amat.

(*l*) Sic ms. Turon. ut infra, n. 12, *corporis istius incolatum congemiscit*, cum quarto scil. casu. At vulgati, *in habitatione :* cujus locutionis etiam infra exstat exemplum. Et mox *ex quo contra*, pro *quo contra.*

(*Rom.* VII, 24). Quo contra peregrinandum in carne scit sibi esse, ut ei cum Deo sit incolatus : sed tamen melius ei esse dissolvi, et cum Christo esse (*Phil.* I, 22 *et* 23), et Ecclesiastes ait : *Et laudavi omnes qui mortui sunt, super omnes qui vivunt usque nunc* (*Eccle.* IV, 2) : liberata scilicet per dissolutionem corporis anima, onere atque consortio (*a*) eam esse infirmis hujus atque periculosæ carnis exutam. In hoc igitur nimium sibi prolixo in corpore incolatu congemiscit Propheta, festinans peregrinari a terrenis, et incolere cœlestia ; ut derelictis corruptibilibus atque præsentibus, consequatur invisibilia et æterna.

12. *Ortus sui diem qui maledicant Job et Jeremias.* — Job sanctus, et testimonio Dei dignus, non solum corporis istius incolatum congemiscit, sed ipsam illam nativitatis suæ diem maledicit, dicens : *Pereat dies ille in quo natus sum, et nox in qua dixerunt, Ecce masculus* (*b*) *natus est* (*Job.* III, 3) : et Jeremias similiter : *Maledicta dies in qua genitus sum ; maledictus nuntians patri meo et dicens, Quia natus est tibi masculus* (*Jer.* XX, 14). Atquin idem a Domino audierat : *Priusquam te formarem in utero, novi te ; et priusquam exires de vulva, sanctificavi* 423 *te* Quid ergo ? (*c*) Maledicat esse se, qui ante quam esset, et Deo cognitus est, et sanctificatus a Deo est? Absit istud. Non enim hoc in se quod sanctificatus est odit : sed ea quæ (*d*) in sanctificationem consecuta sunt maledicit, provectum se scilicet per incrementa corporis in has molestias corporei incolatus. Formatus enim intra matris vulvam, et per virtutem Creatoris sui (*e*) in substantia animæ ad Dei imaginem figuratus, non conceptus nec figurationis suæ ortum, sed eum qui ex incremento accessit profectum editi corporis congemiscit, in quo sibi in malis sæculi et infirmitatibus carnis vitiisque vivendum sit. Jam tamen (*f*) conformato in utero, et in vulva sanctificato, specie in se originis cœlestis æterna, non ambiguum quin (*g*) ex Dei sanctificatione post legem mortis hujus esset mansurus æternus.

13. *Cedar Ismaelitarum gens. Saraceni.* — Sed Prophetæ hujus non multum longe alius affectus est, quam Job atque Jeremiæ. Non enim incolatum, sed prolongatum incolatum suum queritur. Nam post prolixi hujus incolatus sui querelam, consequitur ad id quod ait : *Heu me! quod incolatus meus prolongatus est ; et habitavi cum habitantibus Cedar.* Cedar gens est Ismaelitarum deserta (*h*) incolens, cujus fines usque ad Medos et Persas proferuntur. Cedar enim Ismael filius fuit, Genesi testante : *Primitivus*, inquit, *Ismael Nabaioth et Cedar* (*Paral.* I, 29) : Hi sunt nunc Saraceni nuncupati. Qui ergo psalmos istos terreno ingenio intelligendos putant, id volunt ex persona populi captivi Prophetam conquestum fuisse, quod in habitaculis Cedar longus ei fuerit incolatus. Sed virtutem verbi non intelligentes, nec Prophetæ spiritum sentientes, auctoritatem nominis ad confirmationem stultæ opinionis assumunt, psalmo 424 omnino nihil quod captivitati populi congruat continente.

14. *Cedar, obscuratio. Corpus animæ carcer tenebrosus.* — Cedar enim secundum hebraicam linguam id est, quod nobiscum pronuntiatur obscuratio. In hoc enim obscuro tenebrosoque corporum habitaculo, invisibilis illa animarum nostrarum (*i*) conformatio continetur : habetque hunc contagiosi incolatus sui carcerem, cœlestis naturæ captiva generositas. Meminit hujus tabernaculi sponsa illa in Canticis canticorum, dicens : *Nigra sum* (*j*) *et formosa, filiæ Jerusalem, sicut* (*k*) *tabernaculum Cedar* (*Cant.* I, 5) : ex tabernaculi hujus obscuritate confessa se nigram ; sed non abnuens, quia Christi sponsa sit, se esse formosam. Omnis enim se spondens Christo, (*l*) in specie jam consistit æterna. In his nos illuminari taberna-

(*a*) Editi, *atque etiam infirmis hujus... exuta* : corriguntur auctoritate mss.

(*b*) Verbum *natus est* omittit ms. Turon.

(*c*) In vulgatis, *maledicit cœpisse se.*

(*d*) Sic prima editio Par. ex ms. Mic. Alii vero libri omittunt particulam *in* : quæ et potest omitti. Hanc autem hic pro *contra* non male acceperis. Id certe sibi vult Hilarius animam a Deo mundam ac sanctam creari, sed ex corporis societate pollui ac vitiari. De carnis contagio videsis lit. 3, psal. CXVIII, n. 3, et 4.

(*e*) Excusi *in substantiam.* Rectius ms. Turon. *in substantia.* Hoc enim frequens inculcat Hilarius, in anima hominis impressam esse imaginem Dei.

(*f*) In prima edit. Par. ex ms. Mic. *confirmato* : quod altera recte ex aliis libris mutatum : cum respiciatur illud Jeremiæ, *Priusquam te formarem.* Tum quid sibi velit, *specie in se cœlestis originis æterna*, repetendum est ex his tract. ps. LXII, n. 3 : *Uniuscujusque mens ad cognitionem spenique æternitatis naturali quodam fertur instinctu : quia veluti insitum impressumque omnibus sit divinam inesse nobis animarum originem, cum non exiguam cœlestis in se generis cognationem mens ipsa cognoscat.* Qui verba Hilarii expendet, animadvertet non multum aut nihil apud eum discrepare *cœlestem originem, divinam originem, cœleste genus, et cœlestem naturam.* Animæ origo et *divina* et *cœlestis* nuncupatur : quia non ut corpus ex terra, sed orta est a Deo, qui in cœlis habitare nominatim prædicatur. Rursum animæ genus, species ac natura divina est, aut certe divinæ non parum cognata, quia ipsa ut Deus spiritalis est. Huc spectat quod divinam Christi naturam *cœlestis naturæ* nomine designatam legimus supra pag. 216 et 228.

(*g*) Editi excepto Par. *ex Dei significatione* : male, cum ad superiora Jeremiæ verba respiciatur. Hic, quantum sapimus, animæ immortalitas demonstratur tum ex ratione originis, quam a Deo solo habet, a quo et proinde solo destrui queat, tum ex ratione habitudinis, qua ad imaginem et similitudinem Dei æterni effecta est.

(*h*) In mss. reg. ac Turon. *incolis.*

(*i*) In vulgatis, *confirmatio.* Rectius in mss. *conformatio.* Paulo ante in Turon. *hoc enim*, sine *in.*

(*j*) Editi, *sed formosa* : dissidentibus mss. reg., Turon. et græco LXX.

(*k*) Ita mss. reg. et Turon. At editi. *tabernacula Cedar* : quod qui malet, præferat et deinde cum mss. reg. et Mic. *ex tabernaculis hujus obscuritatis.* Tum in solis vulgatis, *confessa est se nigram.* Mox in mss. Turon. ac reg. *quæ Christi*, non *quia Christi.*

(*l*) Excusi, *in spe.* Auctoritate mss. restituimus *in specie*, id est, in forma, ratione cujus sponsa se for-

culis Dominus præcepit dicens : *Lucerna corporis tui est oculus tuus* (*Matth.* VI, 22) : et (*a*) *Si lumen quod in te est tenebræ sunt, tenebræ ipsæ quantæ sunt* (*Ibid.* 25) ? Et rursum : *Vos estis filii luminis, non filii tenebrarum* (I *Thess.* V, 5).

15. *Sancti cum carne, non in carne.* — Servavit autem etiam hanc rationem Propheta, ut (*b*) *cum habitationibus Cedar* habitaverit, non in habitationibus. Licet enim sancti in carne vivant; tamen si habeant arma militiæ non carnalia, sed potentia Deo, cohabitabunt (*c*) tabernaculis Cedar, non inhabitabunt. Peregrinantes enim a corpore, ut Dei accolæ audient ab Apostolo : *Vos autem non estis in carne, sed in spiritu : si tamen spiritus Dei habitat in vobis* (*Rom.* VIII, 9). Sic ergo habitavit, ut cohabitaret habitantibus, ostendens (*d*) in eo quem doleat incolatu se esse peregrinum. Et quia iniquorum consortium et cohabitationes habitantium in obscuritatibus odisset, quamquam de futuro jam questus esset, adhuc etiam de præterito ait, VERS. 6 : *Multum incola fuit anima mea*, in multis scilicet **425** tribulationibus labiorum iniquorum et linguæ dolosæ, ob quas ad Dominum proclamavit.

16. Sed cujusmodi incolatus sibi fuerit ostendit, dicens, VERS. 7 : — *Cum odientibus pacem eram pacificus.* Hoc proprium et dignum Prophetæ est, simultates et motus naturæ alienæ, voluntatis suæ pace cohibere, et infidas quasque animorum ac turbulentas affectiones omni placabilitatis modestia continere. Et hæc Dominus docuit, pacificans ipse in semet quæ in cœlis et in terra sunt, orare pro persequentibus, neminem odisse, amare inimicos (*Matth.* V, 44). Et Apostolus monet, Si possibile est in vobis, cum (*e*) omnibus pacem habeatis (*Rom.* XII, 18). Et Dominus hanc veluti præceptorum summam consignat : *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis* (*Joan.* XIV, 27). Hæc igitur conservabit corda nostra in Christo, hæc nos patriarchis adæquabit, hæc etiam eos qui pacem oderunt, per pacem obsequentes in pace retinebit.

17. Sed prophetæ restat et aliud officium, doctrinam scilicet Dei universis constanter ingerere, et verbum vitæ æternæ jugiter prædicare. Non immemor quoque hujus fuit ministerii : nam ait, *Cum loquebar illis, impugnabant me gratis.* Erat quidem pacificus cum pacis inimicis, sed prædicationem pacis ipsius oderant pacis inimici, et ad doctrinam Dei commovebantur, quos per modestiam Prophetæ simulantium ejus in pace cohibebat : atque ita cum inimicis pacis Propheta pacificus est, et prædicare pacem Propheta non desinit; sed pacis prædicatorem inimici pacis impugnant.

PSALMUS CXX.

Canticum graduum.

Levavi oculos meos in montes, unde veniet adjutorium (Infra *auxilium*) *mihi. Auxilium meum a Domino, qui fecit cœlum et terram. Non det in commotione* (*ne det in commotionem*) *pedem tuum, neque dormitet qui custodit te. Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel. Dominus custodiat* (*custodiet*) *te, Dominus protectio tua, super manum dexteræ tuæ. Per diem sol non uret te, neque luna per noctem. Dominus custodiet te ab omni malo : (f) ita* **426** *super manum dexteræ custodiat animam tuam Dominus. Dominus custodiat introitum tuum et exitum, ex hoc nunc et usque in sæculum* (*custodiet exitum tuum et introitum tuum ex hoc*, etc.).

TRACTATUS PSALMI.

1. *Psalmum hunc aliqui accommodant Christo.* — Secundum hunc psalmum (*g*) canticorum graduum, aliqui referendum esse ad personam Domini et salvatoris nostri existimant, aptantes maxime ei dictum hoc : *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem.* Impletam enim hanc prophetiam eo tempore putant, quo in passione Domini sole obscurato nox intercessit. Sed judicio eorum nihil decerpimus. Neque enim sensum intelligentiæ hujus arguimus, uniuscujusque arbitrio relinquentes, quid ex his quæ aut legerint aut intellexerint, sequi magis velint. Nos tamen non potuimus sermonem nostrum nisi his quæ intelligebam aptare.

2. *Oculorum mentis seu cogitationis vis.* — VERS. 1. *Levavi oculos meos in montes.* Humanæ mentis natura est, ut si cogitatione aliquid contemplemur, talem se nobis unaquæque species exhibeat, qualem eam et cogitando formemus. Quoquo enim mentis nostræ oculos intenderimus, id ipsum in quo defixi sunt referunt ad sensum. Et ut planius intelligi id quod dictum est possit, afferemus exemplum. Si quis hiemis die ver cogitaverit, et ornamentum ejus lumine mentis inspexerit, oblitterata hieme in qua sit atque algeat, totum ei in sensu suo ver cum habitu suo ornatuque consistet. Adeo mentis oculi oculis corporis præstant, ut ineunte in nos oblivione præsentium, totos nos obtineat quidam quasi animo præsumptus non subest auctoritas, quia ibi mutetur, tum quia infra legere est *cohabitaret habitantibus.*

(*c*) Apud Par. *in tabernaculis* : quod repugnat Hilarii menti.

(*d*) Turon. ms. *contuens.*

(*e*) Brevius mss. reg. et Turon. *cum omni homine pacem habere. Et Dominus*, etc.

(*f*) Verba, *ita super manum dexteræ* prius omissa, huc revocamus ex ms. Miciacensi, ex quo ad caput cujusque Tractatus primum descripti sunt integri psalmi. Illa tamen infra non legit Hilarius.

(*g*) Ita mss. Turon. Alii vero, *canticum* : ubi in vulgatis, *cantici.*

usus absentium. Hoc igitur quo spectet, mox videbimus.

5. *Hic mentis oculi levantur.* — Levat in montes Propheta oculos. Quosnam oculos? Nempe de quibus scriptum est : *Revela oculos meos, et cognoscam mirabilia ex lege tua* (*Ps.* CXVIII, 18) : et rursum : *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos* (*Ps.* XVIII, 9). Numquid non isti oculi nostri corporali lumine ad contemplandum accensi sunt? numquid non naturam videndi sortiti sunt? Quæ illuminatio vel quæ revelatio erit necessaria? Deinde quæ visuri mirabilia in lege? Nisi forte (*subaud.* visuri sint) in casis festa frondium, in templo pecudum sanguinem, in pascha agni victimam, (*a*) in summa religione sabbati otium? (*b*) Sed, ut puto, fieri hæc ab his qui adspectatores aderant videbantur. Non ergo (*c*) ad id revelandi sunt **427** oculi quod cernebatur, sed ad id quod intelligi optabatur in lege.

4. *Montes prophetici libri. Angelica ministeria.* — Mentis ergo oculos propheta elevavit in montes. Quosnam in montes? Non utique in hos lucis atque aris profanatos et conventibus impios, neque in illos silvis horridos, saxis nudos, præruptis invios, nivibus concretos : quid enim in his aut admirationis aut spei situm est? Sed montes accipimus propheticos libros ex terra in altum elatos, per quos sit in superiora conscensus, et gradus in æterna. Poterimus autem et montes existimare angelica ministeria et cœlorum virtutes et potestates, quarum ministerio nobis in sublimia præstatur adscensus. Si enim secundum (*d*) Danielem Dominus ipse mons magnus est (*Dan.* II, 35), non ambigendum est, montes eos nuncupari, qui præcepti ejus et voluntatis et communicandæ in nos beatitudinis sunt ministri.

5. *In hæc levantur oculi, sed ab his auxilium non exspectatur.* — In hos igitur montes propheta oculos (*e*) cordis elevans, horumque intra se omnium monita, ministeria, officia, dona contemplans, et in his intelligentiæ suæ lumen intendens, reddidit sensui suo contemplatæ speciei integram perfectamque naturam, et totum id quod cogitatione viderat, mente continuit, sciens unde ei venturum esset auxilium, dicens, VERS. 2 : *Unde veniet auxilium mihi.* Statimque sibi beata confessione respondit : *Auxilium meum a Domino, qui fecit cœlum et terram.* Ad montes quidem oculi elevantur : quia per eos est doctrinæ ministerium (*f*) profectus, adscensus. Sed cum confitendum sit unde veniat auxilium : *Auxilium meum a Domino, qui fecit cœlum et terram.* Hæc felix fides est, hæc vera confessio, hæc spes æterna, et cœlestis benedictionis digna muneribus.

6. *Cujus, de quo, ad quem sit hic versus.* — Denique quia prophetia omnis in spiritu est, statim beatam hanc ejus confessionem (*g*) in persona prophetæ sancti Spiritus consecuta benedictio est, VERS. 3 : *Ne det in commotionem pedem tuum, neque dormitet qui custodit te.* Sensus ipse significat conversionem factam esse personæ. Ad eum enim, qui superius locutus est, sermo conversus est : *Ne det in commotionem.* Quis? nempe qui fecit cœlum et terram. *Pedem tuum.* Cujus? quærimus. Namque ejus qui levavit oculos in montes, et qui confessus est quod auxilium ejus esset a Domino. Sed et illud, *ne det*, optantis et benedicentis affectus est. (*h*) Et quis optat? Ille scilicet qui nobis est, præter Dominum, **428** alius advocatus de quo ait : *Et alium advocatum* (*i*) *mittet vobis : qui et loquitur in prophetis* (*Joan.* XIV, 16). Quid ergo advocatus hic loquitur? Confessorem utique hujus fidei et spei benedicit : *Ne det in commotionem pedem tuum, neque dormitet qui custodit te.* Sed utraque hæc indigna Deo sunt, ut et commotioni tradat, et dormitet et post custodiæ vigiliam ex quadam laboris continuatione requiescat. Sed antequam id attingamus, quid in pede significationis sit, tractandum est.

7. *Pes carnis, et pes animi quid.* — Pes est pars corporis, omne corpus in res efficiendas agendasque circumferens. Et quia Scriptura per corporalia spiritalia docet, et invisibilia per visibilia demonstrat; sub pedis nomine motus mentis nostræ incessusque significat, ut in hoc eodem propheta : *Mei autem paulo minus moti sunt pedes* (*Psal.* LXXII, 2). Utique hi semper carnales moventur in corpore : et quomodo periculi res est, quod pene sint moti, quorum ut semper moveantur proprium officium est? Sed et in Evangeliis Dominus pedes alios significans, dextrum scandalizantem jussit abscindi, dicens : *Et si pes tuus dexter scandalizat te, abscinde eum* (*Matth.* V, 30; *Marc.* IX, 44; *Matth.* XVIII, 8). Numquid si in pede dextro scandalum est, minus scandalizabit sinister? Aut quid illa pars corporis potest tentationis afferre, cum ipsa absque aliquo appetitionis affectu solum in re (*j*) habeat ministerium necessariæ servitutis? Ergo

(*a*) Regius codex cum Turon. *in summa religionis.*

(*b*) In vulgatis, *et ut puto fieri. Hæc ab his qui spectatores*, etc. ob vitiosam interpunctionem non intelligitur quid Hilarius sibi velit. Verborum illius hic nativus ordo : *Sed, ut puto, hæc* cum sensibilia gesta sint, *ab his qui adspectatores aderant, videbantur fieri.* Quædam verba immutavimus auctoritate mss.

(*c*) In mss. reg. et Turon. *in id.* Forte hic præpositione *in* significantur intuitus rerum præsentium, sequenti autem *ad* intelligentia rerum futurarum quæ præsentibus adumbrantur.

(*d*) Turon. ms. *Danihelum.*

(*e*) Abest *cordis* a mss. reg. et Turon.

(*f*) Sola editio Par. *perfectus accessus.* Alii libri, *profectus accessus*, excepto Turon. ex quo reponimus *profectus, adscensus.* Posset et hoc totum sic restitui, *quia per eos*, puta vel propheticos libros, vel angelos, *doctrinæ ministerio profectus est adscensus*, mentis nimirum ad superiora et æterna.

(*g*) Editi, *ad personam.* Rectius ms. Turon. *in persona*, scilicet prophetæ hic loquentis.

(*h*) Ita in mss. At in vulgatis, *et quis optavit? Ille utique optavit, qui in nobis est præter Deum alius advocatus:* non bene sonat illud *præter Deum*, quasi Spiritus sanctus, qui est advocatus alius, Deus non esset.

(*i*) Bad. Er. et Lips. *mitto.* Par. *mittam.* Præferimus cum mss. reg. ac Turon. *mittet* : quomodo rursum legitur in Psal. CXXV, num. 7.

(*j*) Editi, *in se.* Verius mss. reg. ac Turon. *in re* scil. exsequenda, non autem in appetenda.

ut oculi mentis, ita et pedes intelligendi sunt, habentes in se et intelligentiæ visum, et voluntatis motionem.

8. *Deus in vitia non tradens cur tradere dicatur.* — Non est autem intelligendum, quod ideo ista benedictio sit : *Ne det in commotionem pedem tuum*, tamquam aliquos Deus tradat in vitia, in quæ pedibus corruptæ mentis invehimur. Non ille nos tradit, sed cum ab eo abscedimus consequitur (*a*). Nam cum pedibus corruptæ mentis invehimur, non ille nos tradit, sed nos ab eo per peccata desciscimus. Et cum in peccatoribus ipse non habitet, discessionem nostram ab eo consequitur et abscessio ejus a nobis; quia nos ab eo per peccata discedimus. Et discedente eo a nobis, in omnes delictorum foveas incidimus, et per amplissimam mortis viam currimus, dominatui dæmonum subditi, quibus nos Dei a nobis abscessio derelinquit (*V. litt.* 16, *Psal.* CXVIII, *n.* 5 *et* 6). Et desolatio ejus idcirco traditio est, quia peccatores obtinere diabolus nisi (*b*) Deo ab his abscedente non poterit.

429 9. *Qui dormire et vigilare. Sanctus, et perversus.* — Cæterum nobis penes eum manentibus, vel eo in nobis manente, pervigil custodia est et indefessa munitio. Verum si per teporem fidei dormiamus, dormit (*c*) ipse in nobis. Non enim in æterna Virtute somnus aut requies est, cujus Angeli et nomine et natura vigilantes sunt; hæc enim sunt terrenis corporibus necessaria : sed quia secundum fidem nostram aut vigilantem, aut dormientem, Dei auxilium nobiscum aut vigilabit, aut dormiet : idcirco Dominus frequenter et vigilans significatur, et dormiens. Quo exemplo illud in hoc eodem propheta dictum est : *Cum sancto sanctus eris, et cum perverso perverteris* (*Ps.* XVII, 26). Numquid Deus non semper sanctus est, ut etiam aliquando perversus sit ? Non utique. Non enim quidquam nisi bonum in eo et æternum est : sed quia secundum uniuscujusque mores ac studium unicuique Deus adjacet; idcirco et perversis aversus, et sanctus in sanctis est.

10. *Deus somni expers. Israel quis. Cui invigilet Deus.*—Atque ut ostenderet ex nostra potius ad fidem dormitione somnum esse custodiæ, neque in naturam custodiæ cœlestis somni requiem convenire, quia indefessa sit et æterna, statim connexuit, VERS. 4 : *Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel.* Imprecatus superius ne dormitaret, nunc neque dormitare neque dormire ait : dormitationem superius ex nostra ab eo discessione significans; nunc autem neque dormitare neque dormire, quia sit æternitas indefessa, A demonstrans. Sed quis hic est, qui neque dormitet, neque dormiat ? Ille scilicet, *qui custodit Israel.* Israel Genesis exponit eum esse qui Deum viderit (*Gen.* XXXII). Jacob enim patriarcha post luctam, quam cum Deo habuerat, hoc nomen accepit. Ultra humanam naturam Deum contuens fidei suæ oculis, dignus hoc nomine est. Deum autem adeo vidit, ut benedici se ab eo precaretur. Meminit et Paulus esse nunc in plebe gentium, id est, in populo Ecclesiæ, Israel dicens : *Pax super eum et super Israel Dei* (*Gal.* VI, 16); ne forte nomen hoc antiquæ tantum illius plebis fuisse existimaretur. Ergo et si ille non dormit qui custodit Israel, et proprium Israel nomen est Deum videntis; ille necesse est custodiatur, qui elevatis ad montes oculis vidit, et dixit : *Auxilium meum a Domino*, B *qui fecit cœlum et terram.* Impenditur ergo fidei huic cœlestis custodia, et æternæ vigiliæ munitionem confessio ista sortitur, quæ (*d*) perfecte sectanda, obtinenda, retinenda est, numquam custodia ejus in nos, quem sic confitebimur, dormiente.

430 11. *Manus dexteræ. Dextera quid. Manus.* — Ac ne alicujus alterius (*e*) insomnis custodia demonstrari existimaretur, subjicitur : *Dominus custodiet te* : ille utique, qui fecit cœlum et terram. Dehinc custodiæ ipsius ratio distincta est, VERS. 5 : *Dominus protectio tua supra manum dexteræ tuæ.* Jam et superius diximus, per ea quæ corporalia sunt, significari incorporalia. Infirmitas enim intelligentiæ nostræ consequi invisibilia non potest, nisi per visibilium comparationem : C ut nunc id quod dicitur, sensum nostrum nisi per nomen manus et dexteræ non adit. Quamquam hic contra naturæ intelligentiam manus et dextera posita sit. Sic enim dicitur: *Dominus protectio tua supra manum* (*f*) *dexteræ tuæ.* Absoluta res esset, si dictum esset supra manum dexteram tuam. At vero cum ita dicatur, *supra manum dexteræ tuæ;* significari videtur dextera, habens manum dexteram et sinistram. Hoc non recipit, nec natura hominis, nec sensus. Verum semper Scriptura dexteram partem optimam atque utilissimam demonstrat. Et quidem Evangelia per eos qui a dextera et sinistra sunt, significantiam intelligentiæ utriusque monstrabunt (*Matth.* XXV, 33). Manum vero effectum omnis operis accipimus. Unde illud etiam ab hoc eodem propheta, sic dictum est : *Libera me de ore leonis et de manu canis unicam meam* D (*Ps.* XXI, 21, 22). Neque enim in hoc animal oblatrans et rabidum pars (*g*) hæc corporis conveniebat : sed ab operibus se malitiæ liberari deprecatur. Ergo quia adversantes nobis dæmonium virtutes optima et va-

(*a*) Hic subaud. *traditio :* nisi malis cum mss. Turon. et reg. *consequitur et abscessio ejus a nobis ; quia nos ab eo*, etc., omissis quinque versibus intermediis.

(*b*) Perperam hic apud Par. præfixa est præpositio *a :* cum hic verbum *obtinere* possessionem sonet, non permissionem. Porro obtinet nos diabolus cum discedit Deus. Discedit autem Deus cum peccamus.

(*c*) Editi, *Numquid dormit et ipse nobiscum ? Nequaquam. Non enim*, etc. castigantur auctoritate mss.

(*d*) Abest *perfecte* a mss. reg. et Turon.

(*e*) Editi, *in somnis*, duobus verbis. Patet unicum esse ; ut *insomnis* nunc dicatur, quæ proxime *numquam dormiens custodia* nuncupata est. Regius ms. habet *in somnum custodia.* Mic. *omnem custodiam.* Veram lectionem exhibet Turonensis.

(*f*) Hic ad marginem adscripsit Erasmus : *Atqui nunc etiam Græci* DEXTRAM *legunt, non* DEXTRÆ. Non tamen Hilarius ita legit solus. Eamdem lectionem sequitur Augustinus. Hanc exhibent vetera psalteria, Romanum, Mediolanum, Carnutense, Germanense.

(*g*) Bad. et Er. cum mss. *hujus corporis.*

lidissima fidei nostræ opera debilitare et convulnerare contendunt : ideirco *supra manum dexteræ* custodia Dei vigilatura promittitur : ut illibata in nobis bonæ voluntatis opera perseverent, quibus manentibus æterni illius et beati temporis regno, abstersa omni infirmitate corporeæ labis, (*a*) utemur.

12. *Solis et lunæ proprietas.* — Nam id nobis in eo quod sequitur (*b*) Prophetæ spiritus pollicetur, dicens, VERS. 6 : *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem.* Elementorum horum natura hanc in se efficientiam habet, ut unumquodque eorum in suo tempore humanorum corporum vires per demutationem imbecillæ in nobis substantiæ infirmet, ut sol calore, luna frigore adurat : sitque per anni cursum talis eorumdem conversio, ut hiberno tempore sol non adurat, luna adurente, sed solvat ; (*c*) rursumque æstivis mensibus sol urat, et luna dissolvat.

13. *Psalmi hi non corporaliter intelligendi.* — Qui itaque hæc putant corporaliter intelligenda : quæro quid asserant Prophetam 431 ei, qui in montes oculos suos elevaverit, polliceri in eo quod dicitur : *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem ?* Non enim manente natura corporis nostri, natura quoque elementorum demutabilis fiet ; ut non naturæ suæ in naturam nostram consuetudine perseverent. Aut numquid quisquam audebit hanc sibi in hoc sæculo firmitatem corporis sperare, ne aduri nocte ac die possit, beato patriarcha Jacob perustum se noctis frigore et calore diei conquerente, cum dicit : *Et fui dici perustus calore, et gelu noctis* (*Gen.* XXXI, 40).

14. *Quietis æternæ felicitas.* — Sed Propheta nunc, vel Spiritus per Prophetam novit illam beatitudinem temporum in qua a nobis omnis demutatio corporeæ infirmitatis abscedit, in qua non frigus, non calor, non nox et demutatio, sed æterna dies et beata temperies sit, justitiæ in nos sole dominante. Cujus temporis requiem jam in deserto Dominus præformans, populo suo diurnum calorem columna nubis, et nocturnum frigus ac tenebras columna ignis temperabat. In hac igitur æterna temporum et beata temperie, quisquis Domini custodiam promeruerit, permanebit : ne natura corporis gelu lunæ, et calore solis uratur ; sed sæculi hujus malis et injuriis liberatus, in æternis et beatis et temperatis quiescens, glorificati corporis sui sumat solidam indemutabilemque naturam.

15. *Mala putata. Mala vera vere cavenda.* — Sequitur deinde, VERS. 7 : *Dominus custodiet te ab omni malo.* Et a quibus malis custodiet Dominus ? Non opinor ab his quæ putantur : hæc enim sunt infirmitati nostræ et corpori debita, mori, infirmari, egere : quæ si mala essent, (*d*) nec Abel mortuus, nec Job cruciatus esset, nec Petrus pecunia quam in eleemosynam poscebatur eguisset. Ergo fidelem animam ab omni malo Dominus custodit, id est, ne eam diaboli tinea corrumpat, ne fur obrepat, ne canis oblatret, ne lupus laceret, ne ursus desæviat, ne pardus insiliat, ne tigris advolet, ne leo vastet. Hæc enim nunc sunt diaboli ministeria, hæc omnia ejus in tempore sæculi hujus officia, vitiis consumere, blandimentis subrepere, oblectationibus lacerare, ambitione insilire, lasciviis (*e*) advolare, et tota virtutis suæ potestate vastare. Ab hoc igitur omni malo Dei expectanda custodia est. Et quia in animam maxime sæviat ; (*f*) nam debitum nobis est, ut adversus eum pugnemus in corpore, non est enim nisi ex concertatione victoria : idcirco subsequitur : *Custodiet animam tuam Dominus* : ne quid tot 432 tantisque superius memoratis malis in eam sit potestatis.

16. *Sinu Abrahæ justi ad regnum cælorum reservati.* — Tenuit autem propheticus sermo ordinem suum, dicens : *Dominus custodiet* (*g*) *exitum tuum et introitum tuum ex hoc et usque in sæculum.* Non enim temporis hujus et sæculi est ista custodia, non aduri sole atque luna et ab omni malo conservari ; sed futuri boni expectatio est, cum exeuntes de corpore ad introitum illum regni cœlestis per custodiam Domini fideles omnes reservabuntur, in sinu scilicet interim Abrahæ collocati, quo adire impios interjectum chaos inhibet, quo usque introeundi rursum in regnum cœlorum tempus adveniat (*Luc.* XVI, 26). (*h*) Custodiet ergo Dominus exitum, dum de corpore exeuntes, secreti ab impiis interjecto chao inquiescant. (*i*) Custodiet introitum Dominus, in æternum illud et beatum regnum introducens. Ipse est enim qui ait : *Ego sum janua* ; (*Joan.* X, 7) ; et, *Nemo vadit ad Patrem nisi per me* (*Joann.* XIV, 6) ; id est, Dominus noster Jesus Christus, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXXI.

Canticum graduum David.

Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi : In domum Domini ibimus. Stantes erant pedes nostri in atriis Jerusalem. Jerusalem quæ ædificatur ut civitas, cujus

(*a*) Editi, *mancipemur*. Verius mss. *utemur*. Quippe verbum *uti* pro *frui* Hilario familiare est, ut videre est in psal. II, n. 15 et 16.

(*b*) In vulgatis, *prophetiæ spiritus*.

(*c*) Auctoritate mss. reg. et Turon. removimus hinc verba *luna avertente se sole urat*, quæ glossema sapiunt.

(*d*) Sic reg. ms. cum Turon. Excusi vero, *et Abel viveret*.

(*e*) In vulgatis, *allicere*. Verius in mss. *advolare*, juxta illud superius, *ne tigris advolet*.

(*f*) In ms. Turon. *nec debitum* : forsitan verius. Sed aliquid hic deesse suspicamur, puta, *nec debitum nobis est, ut adversus eum custodiamur in corpore* (quia ut superius dictum est : *corpori debita sunt mori, infirmari, egere*), *sed tantum ut pugnemus in corpore*, etc. Mox ex eodem ms. restituimus *custodiet*, pro *custodiat animam*.

(*g*) Editi, *et introitum tuum et exitum tuum*. Hunc verborum ordinem mutamus mss. auctoritate : sicque postulat subnexa enarratio ; cum prius sit nos exire de corpore, quam in regnum æternum introduci.

(*h*) Turonensis codex a prima manu, *custodiet ergo Dominus exitum de corpore ut exeuntes* : secundis autem curis expuncto *ut*, repositum est *dum* juxta reg. ms. In vulgatis hic legitur *custodit*, ac postea *quiescunt*.

(*i*) Sic ms. Turon. suffragante regio. Editi vero *custodit et introitum, dum nos in æternum..... introducit*.

participatio est in idipsum. Illic enim (Infra abest *enim*) *ascenderunt tribus, tribus Domini, testimonium Israel ad confitendum nomini Domini : quia illic sederunt sedes in judicio, sedes super domum David. Rogate quæ ad pacem sunt Jerusalem : et abundantia diligentibus te. Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis* (Hil. addit *gravibus.*) *Propter fratres meos loquebar autem* (Hil. non habet *autem*) *pacem de te. Propter domum Domini Dei nostri* (*Domini Dei mei*) *quæsivi bona tibi.*

TRACTATUS PSALMI.

1. *Cœlum anhelans hunc psalmum capit. Spes nostra.* — Qui spe cœlestis desiderii detinetur, nihil obscuritatis in psalmo habebit : ex suo enim sensu intelligentiam propheticæ magniloquentiæ consequetur ; **433** namque (*id est*, quippe cum) cum se meminerit scriptum Dei cohæredem et consortem æternorum bonorum, et similem angelis ex resurrectione renovandum, et corruptione deposita in gloriam Dei ac Domini nostri Jesu Christi corporis conformandum, futurumque incolam civitatis cœlestis vivis lapidibus exstructæ, de qua scriptum est in Evangelio, cum Dominus jurare per cœlum inhibuisset, adjecit, dicens : *Neque per Jerosolymam, quia civitas est regis magni* (*Matth.* v, 35) ; non utique eam significans, quæ prophetas occidit et lapidat, sed eam cujus beatus Paulus ita meminit : *Vos estis cives sanctorum et domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum et prophetarum* (*Ephes.* II, 19 et 20) : cumque legerit, ea quæ nunc sunt, ex parte esse, nosque per speculum interim et in ænigmate videre, perfecto autem veniente, et quæ nunc pro parte sint, destruenda, et facie ad faciem, tamquam corporali visu, ea (*a*) quæ nobis nunc sunt invisibilia contemplaturos, ubi non ægritudo, non mors, non mœstitia, non terror sit (I *Cor.* XIII, 12). Hæc cum quis annuntiata ab angelis, præformata in lege, exposita a prophetis, a Domino exemplis repræsentata, prædicata ab Apostolis, ipsi sibi hæc eadem per fidem possibilia cognoverit ; proclamari necesse est exemplo Prophetæ, VERS. 1 : *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi.*

2. *Lætitia de aditu domus Dei.* — Sed quæ sunt illa quæ dicta sunt, ex quibus lætitia suscepta est ? Nempe id quod sequitur : *In domum Domini ibimus.* Hinc gaudetur, hinc exsultatur, quia hæc dicta sunt, quod eundum in domum Domini sit. Domus Domini quæ sit, psalmo altero docuit dicens : *Quoniam elegit Dominus Sion, præelegit eam in habitationem sibi. Hæc requies mea* (*b*) *in sæculum sæculi, hic habitabo, quoniam præelegi eam* (*Ps.* CXXXI, 13) : non utique, ut diximus, hanc terrenam et caducam et pœnas impietatis suæ luentem, sed illam liberam, et cœlestem A Jerusalem, quia eadem (*al.* quæ eadem) et Sion est ; per cujus incolatum, quia domus Dei est, nos quoque cives sanctorum et domestici Dei sumus. Hinc ergo lætitia est, quod dictum sit in domum Domini nos ituros.

3. *Pedes in atriis stantes Apostoli.* — Sed qui ista dixerunt, ne forte ignorent, neve a domo eadem, in quam nos ituros nuntiant, peregrinentur ; sed dicunt, VERS. 2 : *Stantes erant pedes nostri in atriis Jerusalem.* Non incerta nuntiant, non incognita pollicentur. Hanc domum desiderabilem et dilectam a multis agnovimus. Nam dicit Scriptura : *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnes dies vitæ* **434** *meæ, ut videam* (*c*) *delectationes Domini, et visitem templum ejus* (*Ps.* XXVI, 4). Et B rursum : *Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum* (*d*) *habitationis gloriæ tuæ* (*Ps.* XXV, 8). Hæc domus desiderabilis, hic auditus lætabilis, fundamento duodecim vivarum gemmarum esse vivos lapides exstructos, excisos primum ad opus ædificationis a Moyse in lege, a prophetis in passionibus suis, a Domino in corpore, ab apostolis in martyriis, a sancto Spiritu in virtutibus. Hi ædificatores, hæc ædificia, hæc civitas. (*e*) Hi stantes pedes in ejus atriis, custodes scilicet, quibus datæ sunt claves domus hujus : dictum est enim : Vobis dabo claves regni cœlorum. Speciem domus ignorantibus nuntiantes beati pedes, et a Propheta merito laudati : *Quam pulcherrimi pedes evangelizantium pacem* (*Esa.* LII, 7).

4. *Jerusalem cœlestis in dies ædificatur.* — Ac ne C convenire quidquam horum in eam Jerusalem quæ terrena fuit existimaretur, id consecutum est, VERS. 3 : *Jerusalem quæ ædificatur ut civitas.* Non civitas sed ut civitas ; quia illa terrenæ civitatis ædificatio ; et templi exstructio, et tabernaculi institutio, speciem æternæ illius et cœlestis civitatis præfigurabat. Et quia in omne tempus, et usque ad sæculi consummationem, et per omnium generationum ætatem ædificatio cœlestis hujus civitatis explenda est ; ideo ædificari eam sine temporis definitione significat, dicens : *Ædificatur ut civitas* : (*f*) donec, ut Apostolus ait, intret plenitudo gentium, et tunc quod est reliquum Israel salvabitur (*Rom.* XI, 25 *et* 26).

5. *Unitate ei sociamur.* — Sed quia unum Ecclesiæ corpus est, non quadam corporum confusione permixtum, neque singulis in indiscretum acervum et informem cumulum adunatis, sed per fidei unitatem, per charitatis societatem, per operum voluntatisque concordiam, per sacramenti unum in omnibus donum, unum omnes sumus, in quod nos hortatur Paulus dicens : *Obsecro vos, fratres, ut idipsum sapiatis omnes, eamdem charitatem exercentes* (I *Cor.* I, 10) ;

(*a*) In mss. reg. et Turon. *quæ tum nobis sint visibilia contemplaturos.* Lectio non spernenda.

(*b*) Duo mss. *in sæcula sæculorum : non utique*, etc.

(*c*) Regius codex a prima manu, *voluntatem* : a secunda, *dilectiones.* Græc. *τὴν τερπνότητα.*

(*d*) Turon. ms. cum reg. *tabernaculi* : nec dissidet græc. *τοῦ σκηνώματος* : ac postea *aditus lætabilis*, loco *auditus lætabilis.*

(*e*) Ita codex Turon. Alii vero, *hinc stantes.* Tum Par. *pedibus in ejus atriis.* Subinde editiones aliæ, verbo *custodes* omisso, *scilicet quibus oblatæ sunt claves*, etc.

(*f*) Vocabulum *donec* abest a ms. reg. Neque exstat in Turon. sed ejus loco, *ut sicut Apostolus ait.*

et cum fuerit, ut scriptum est: *Erat autem omnium qui credebant cor et anima* (al. *una*) *unum* (*Act.* IV, 32); tunc erimus civitas Dei, tunc sancta Jerusalem: quia Jerusalem ædificatur ut civitas, *cujus participatio est in idipsum.* Dissidentes autem a cœtu sanctorum et se ab Ecclesiæ corpore (*a*) peccatis præcipitantibus separantes, participationem sanctæ istius domus non habent: quia participatio hujus civitatis in idipsum est. Ex consortio enim perfectæ civitatis unanimes (*mss.* unianimes) non possunt participationem in diverso habere, sed *in idipsum.* **435** Omnes igitur qui unum erunt, in ea erunt, ut testis est psalmus: ait namque, VERS. 4: *Illud adscenderunt tribus, tribus*: non una, sed plures.

6. *Non ædificant nisi qui sunt Domini.* — Sed forte sine ulla exceptione ab universis ædificanda videbitur civitas, quod in tribubus cognominatis nulla fiat exceptio; eritque populis Dominum nescientibus in hanc domum communis ingressus? Sed intelligi illud Scriptura non patitur, adjiciens ad id quod dixerat, VERS. 5: *Illuc adscenderunt tribus, tribus Domini* (*b*). Sunt enim qui non sunt Domini, quibus dictum est: *Vos estis a diabolo* (*Joan.* VIII, 44): et rursum: *Abite a me maledicti in præparatum ignem diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV, 41). Tribus ergo quæ erunt Domini adscendent.

7. *Nihil hic carnali Israel.* — Sed forte sibi Israel hoc esse debitum vindicavit, id est, qui secundum litteram, et non secundum Spiritum; qui carnalis, et non cœlestis; qui crucifigens Dominum, non qui adorans est? Sed ab hac spe repulsus est. *Illuc* enim *adscenderunt tribus, tribus Domini, testimonium* (*c*) *illi Israel.* Non tribus Israel in testimonium gentium, sed tribus Domini in testimonium Israel. Tribus enim Domini sumus, et in domum Dei Jacob introibimus, et annuntiabit nobis viam suam, et ambulabimus in ea. Tribus enim Domini dixerunt: *Venite, adscendamus ad montem Domini, et in domum Dei Jacob: et annuntiabit nobis viam suam, et ambulabimus in ea. Ex Sion enim exiet lex, et verbum Domini ex Jerusalem* (*Esai.* II, 3). Ex Jerusalem enim exiens verbum Domini, venit ad gentes. Hæ introeunt in sanctam civitatem, in testimonium Israel.

8. *Israeliticæ plebis prærogativæ; testimonium contra ejus scelera.* — In quod tandem testimonium? *Ad confitendum*, inquit, *nomini Domini.* Tribus enim Domini nomen Domini confitentur. Hoc autem est testimonium (*d*) Israel. Ille Israel a Domino, in Pharao vindicatus, in mari (*e*) ablutus, in deserto angelorum cibo pastus, in lege eruditus, in prophetis objurgatus, in nativitate a Domino per consortium corporis susceptus, in cruce (*f*) si crederet salvatus, in resurrectione si confiteretur glorificatus, nihil horum suum credidit, nihil horum manere suum voluit. Habens manna, cucumeres Ægypti desideravit: legem vitæ a Deo exspectans, vitulum adoravit; prophetas audiens **436** occidit. Virginis partum prophetatum sibi infamavit, Deum in carne non credidit, peccati remissorem (*g*) falso peccati reum arguit, emit ad mortem, in crucem sustulit. Testes resurrectionis ad silentium corrupit: Apostolos morte interfecit. In hoc sceleris sui testimonium, tribus Domini adscendunt. Illi promissum est, hæ obtinent. Illius (*h*) testamentum, sed harum hæreditas est. Hunc ejus (*i*) cruciarium, Deum suum tribus confitentur. In hoc itaque testimonio agnoscit Israel quem compunxit, et ab accessu ejus inhibetur, quem resurrexisse non credidit. Hunc Archangeli adorant, huic omnes cœlestes virtutes ministrant, hic tribus suas conformes gloriæ corporis sui præstat. Confitentur ergo nomini Domini, quia Deus est, quia filius unigenitus ingeniti est. In hoc itaque testimonium Israel, in domum Domini tribus Domini conscendunt, confitentes nomini Domini.

9. *Judicium carnalis Israel. Ecclesiæ typus.* — Sed confessio ista judicium est. Judicatur enim per eos, quibus dictum est: *Sedebitis super duodecim thronos, judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX, 28). Non solum hi (*j*) judicabunt, sed et regina Austri condemnabit, et Ninivitæ condemnabunt (*Matth.* XII, *41 et 42*); quia hi pœnitentiam super Jonæ prædicatione egerunt, et illa ex ultimis terræ partibus veniens sapientiam Salomonis audivit: in quibus Ecclesiæ præfiguratio est, quæ peregrina et incognita, et pœnitentiæ credidit, et sapientiam desideravit audire.

10. *Judicii sedes ubi. Christus ut homo David nominatur. Prophetæ futura enuntiant ut gesta.* — Hic (*k*) igitur sedes judicii erit, ubi in testimonium Israel tribus Domini adscendent ad nomen Domini confitentes nomini Domini. *Hæc prophetis promissa sunt* terræ bona, *gressu abluendorum corporum transitum est, atque transitur.*

(*a*) Par. *peccatis, fastu, litibus separantes*: speciosius quam verius. Præcipitant peccata, cum a Jerusalem quæ sursum est separant.

(*b*) Frustra hic subjiciunt vulgati, *testimonium Israel.* Vult tantum Hilarius non omnem tribum verbis Prophetæ significatam, sed eam dumtaxat quæ sit *Domini;* ac propterea Scripturam, postquam dixit *tribus*, adjecisse *tribus Domini.* Tum ne carnalis Israel, quia pars Domini et populus ejus nuncupatus est, hoc sibi attribuat, ex consequentibus docet alium ab eo intelligendum esse.

(*c*) In vulgatis desiderabatur *illi*: ex qua voce pendet subnexorum intelligentia.

(*d*) Ex mss. reg. et Turon. huc revocavimus verbum *Israel*, quod prius omissum erat.

(*e*) Apud Hincmarum ut in mss. reg. et Turon. *ablatus*: quam lectionem refutat illud Tract. Ps. LXV, n. *11*: *Per has enim Jordanis aquas in illa quæ a*

(*f*) Sola editio Par. *si credet . . . . si confitetur.*

(*g*) Ex ms. Turon. restituimus *falso*, loco *falsi.*

(*h*) In mss. reg. et Mic. *illi.* Retinemus cum Turon. *illius* ob hoc Rom. IX, *4*: *Quorum adoptio est filiorum et gloria et testamentum.*

(*i*) Er. *cruciarum.* Lips. *cruciatum:* quod et in postremam editionem Par. revocatum est. Verius tamen Bad. cum mss. *cruciarium*, hoc est, quem carnalis Israel cruce dignum judicavit, hunc tribus confitentur Deum suum.

(*j*) Reg. ms. cum Turon. *judicant.*

(*k*) Editi, *hæc igitur.* Mox. Par. *ascenderunt*, pro *adscendent:* ac postea: *Ecclesia scilicet sanctorum in civitatem.* Editiones aliæ: *in Ecclesiam scilicet sanctorum lapidum civitatem.* Sequimur mss.

fitendum, in Ecclesia scilicet, sanctorum lapidum civitate, quæ domus Domini est. Ait enim, VERS. 5: *Quia illic sederunt sedes* (*a*) *in judicium, sedes super domum David.* David nunc quoque, sicut in cæteris locis, (*b*) Domino nomen ex corpore est. Scriptura enim ubicumque mentionem assumendi corporis facit, David eum solita est nuncupare, nomen ei ex parente carnis assumens. Non est autem ex eo perturbatio intelligentiæ suscipienda, quod quædam ex præterito prophetæ locuti sint: jam enim de hoc eodem in plurimis locis rationem et frequenter edidimus. Deo namque complectenti in **437** se omnia, futura pro factis sunt. Et cujus tam fidelis (*c*) præscientia est, ut quæ nondum gesta sunt, tamen ab eo jam perfecta et (*d*) pro præteritis habeantur et gestis. Denique statim res se futuri temporis loqui Propheta demonstrat.

11. *Pace exstruitur Ecclesia.*— Nam cum tamquam de præterito commemorasset, adscendisse illuc tribus Domini, et sedisse super sedes domus David; nunc jam velut publicæ doctrinæ et admonitionis affectu, commonuit in futurum dicens, VERS. 6: *Rogate quæ ad pacem sunt Jerusalem*: ut (*e*) præscientiæ fidem in iis quæ gesta dixisset ostenderet, conservaret vero temporum ordinem in gerendis. Exstructio itaque ejus in pace est, et participatio in idipsum est, et unius mentis et fidei et charitatis domus illa est. Discenda est ergo doctrina pacis. Nunc enim *rogate* (ἐρωτήσατε) non orandi, sed interrogandi secundum proprietatem græcitatis est sermo. Sed pacem discere, in voluntate est audientium. Cum enim de pace ejus interrogaverint, tunc lætabuntur dici sibi: *In domum Domini ibimus.*

12. *Pacis fructus.* — Neque enim interrogatæ pacis fructus exiguus est: quia id sequitur: *Et abundantia diligentibus te.* Perfectos fructus dilectio pacis exspectat, et abundantem felicium proventuum copiam sperat. Quod idipsum benedictio in Jacob ad spem fidelium præformata significat: benedictus enim ita est, fratris benedictionibus occupatis: *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, quem benedixit Deus* (*Gen.* XXVII, 27). Ager plenus et fertilis, reddens centesimum fructum, (*f*) huic æternis copiis abundabit. Et nunc quidem interim beatis fructibus abundamus, quos nobis (*g*) in speciem fructuum æternorum Ecclesiæ sacramentum et pacis unitas submistrat. Hoc autem sacramentum spei communis corporalium et communium rerum nominibus ostensum est: quod scientes intelligent. Namque abundantiæ hujus et copiæ idem Propheta psalmo altero meminit, dicens: *Dedisti lætitiam in corde meo, a tempore frumenti et vini et olei sui multiplicati sunt in idipsum* (*Psal.* IV, 7 *et* 8). Hæc igitur abundantia est in idipsum. Per hanc enim pacis et sacramentorum abundantiam, beata illa pax et indeficiens et æterna bonorum cœlestium abundantia præparatur.

13. *Virtus domui Dei non est sine pace.* — Dehinc sequitur, VERS. 7: *Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus gravibus tuis* (ἐν πύργοβάρεσί σου). Pax atque virtus domus hujus connexa sibi sunt. Posse enim aliquid nisi ex pace non poterit; **438** quia participatio ejus in idipsum est: in idipsum autem esse pax sola consequitur. Perfecta vero ac pacata virtus eorum (*h*) tantum est, qui congregantur in idipsum: et idcirco ait: *Fiat pax* (*i*) *in virtute tua.*

14. *Turres Ecclesiæ principes. His abundans beatitudo.* — Civitatem autem necesse est diverso ædificiorum genere consistere. Non enim omnis est murus, porta, turris; neque omnis plateæ, porticus, tabernæ; neque domus, forum, templa, palatium: sed et differentibus inter se domorum magnificentiis differunt quoque cohabitantium dignitates. In omni vero genere civitatis, nihil neque firmius, neque utilius, neque celsius turribus est. Solita vero Scriptura est gravia pro firmis et immobilibus nuncupare: sicuti ait: *In populo gravi laudabo te* (*Ps.* XXXIV, 18). Nunc quoque cum de pace virtutis memorasset, abundantiam beatitudinis perfectæ et æternæ civitatis hujus principibus tamquam firmissimis (*j*) deputavit, dicens: *Et abundantia in turribus gravibus tuis.* Superius dixerat: *Et abundantia diligentibus te*: non ergo omnium est abundantia, sed diligentium Deum. Deinde adjecit; *Fiat pax in virtute tua.* Pax enim Ecclesiæ et unitas virtutem nobis firmitatemque præstat: secundum illud Apostoli: (*k*) *Et pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum prudentiæ*, (*l*) *custodiet corda vestra in Christo Jesu* (*Phil.* IV, 7). Nunc quoque hanc abundantiam, quam diligentibus spoponderat, propriam esse gravium turrium commemorat; eos graves turres significans

(*a*) Ita juxta græc. Turonensis codex. Alii vero, *in judicio.*

(*b*) In vulgatis, *Domini.* Auctoritate mss. Turon. et Reg. reponimus *Domino*: adeo ut superior vox *David* in gignendi casu intelligatur. Porro Christum *propter corporis carnem* David nuncupari rursum habemus in Ps. CXXXI, n. 17.

(*c*) In mss. *præsentia est.*

(*d*) Hæ duæ voces, *perfecta et*, absunt a mss. reg. et Turon. et videntur superfluere.

(*e*) Apud Par., *ut præscientia fidem.* In edit. aliis, *ut præscientiam fidei.* In ms. Mic. *ut præsentiæ fidem.* In edit. aliis, *ut præscientiam fidei.* In ms. Mic., *ut præsentiæ fidem.* Præferimus cum Turon. et reg. *ut præsentiæ fidem*, scil. *ostenderet* seu faceret, hoc est, ut se præscium ostenderet.

(*f*) Bad., Er. et Lips. *hinc.* Par. *hic.* Rectius mss. *huic*, scil. Jacob.

(*g*) Editi, *in spem*: refragantibus mss.

(*h*) Adjecimus *tantum* auctoritate mss. Paulo ante in ms. Turon. *Pacata vero virtus*, sine *perfecta*: quæ vox exstat in Mic., sed non *pacata.*

(*i*) Editi hic tantum, *virtutibus tuis*: ubi magis sibi constat ms. Turon. quem sequimur.

(*j*) In vulgatis, *et gravissimis*: quod rectius abest a mss.

(*k*) Regius codex cum Turon. *et pax vestra.*

(*l*) Sic mss. juxta græc. At editi, *custodiat.* Proximo verbo *prudentiæ* carent mss. reg. et Mic.

esse, quicumque diligerint. Per quod intelligendum est, abundantiam hanc non promiscuam esse, nec totius admodum civitatis : sed eorum tantum sanctorum et fidelium virorum, qui cæteræ civitatis hujus ædificationi tamquam turrium firmitate præstiterint.

15. *Civitatis Dei, et domus Dei discrimen.* — Sequitur deinde Prophetæ magnus affectus, et in omnem hominem credentem, sollicitudo piæ admonitionis. Ait enim, VERS. 8: *Propter fratres meos et proximos meos loquebar pacem de te : propter domum Domini Dei mei quæsivi bona tibi.* Multitudinem in fratribus suis proximisque hujus significat civitatis, propter quos pacem de ea (*scil.* civitate) locutus est : (*a*) ut audientes se ipsos in ædificium consummandæ hujus civitatis aptarent. Sed qui pacem propter fratres et propinquos suos de ea loquitur, civitati eidem propter domum Dei bona quærit, dicens, VERS. 9 : *Propter domum Domini Dei mei quæsivi bona tibi.* Civitati ergo bona propter domum Domini quæsita sunt. Discernens enim gloriam 439 domus Dei a civitatis universitate, quia necesse est ornatum (*b*) domus regiæ, ædificationi civitatis totius anteferri ; quæsivit bona eidem civitati. Primum enim fratres et propinqui ejus, per prædicationem pacis facti sunt Domini civitas. Secundo vero civitas ipsa jam ex propinquis ejus et fratribus constituta, audiens dignitatem domus Dei domus (*c*) omnis Dei ipsa esse properavit. Ac sic civitati huic quæsita sunt bona, dum ex civitate Domini in domum Dei proficit; secundum illud Apostoli : *Vos estis templum Dei, et Spiritus Domini habitat in vobis* (I *Cor.* III, 16). Fidelis enim est, qui ait : Pater pro his te rogo ut omnes unum simus, ego in illis, et tu in me : Dominus noster Jesus Christus, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXXII.

Canticum graduum.

Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlo. Ecce sicut oculi servorum in manibus (Infra *manus dominorum suorum sicut* (Inf. *et sicut*), *oculi ancillæ in manibus* (Inf. *manus*) *dominæ suæ : ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nobis. Miserere nobis, Domine, miserere nobis : quia multum repleti sumus contemptione* (Inf. *adspernatione*) *: quia multum repleta est anima nostra. Opprobrium abundantibus, et despectio* (Inf. *adspernatio*) *superbis.*

TRACTATUS PSALMI.

1. *Psalmorum superiorum varii gradus.* — Efficitur rebus, quod titulo præscriptum est : gradibus enim cantici tamquam de humilibus ad excelsa conscenditur. Namque in primo (*d*) cantico graduum ad Dominum de tribulatione clamatum est. Postea levati oculi in montes sunt, et quæsitum unde veniret auxilium. Dehinc 440 quia elevanti oculos, et unde auxilium veniat quærenti, adest doctrinæ propheticæ institutio, in his quæ sibi sunt dicta lætatus est. Nunc vero quia usque ad id quod doctrina instituebat accessum est, de quodam quasi profectus sui gradu cantat Propheta, VERS. 1 : *Ad te levavi oculos meos, qui habitat in cœlo*, incrementis competentibus contemplandi Dei usus, tamquam post multam cæcitatem, (*e*) per modica et dimensa admissæ sibi lucis intervalla, ad consuetudinem totius luminis præparatus. Deus enim, qui primum in tribulatione invocatus est, quæsitus est a prophetis, eosque prophetiæ lætificavit (*f*) auditu. Sed nunc jam oculis mentis per fidei fiduciam contemplandus est habitans in cœlo.

2. *Cœlum visibile non est Dei habitatio, sed Filius.* — Sed cœlum hoc, quod visibus nostris per materiem sui subjacet, quod tamquam fumus solidatum firmamenti et naturam et nomen accepit, præteribit et non erit : sedes autem Domini manet in æternum. Necesse est vero, ut habitatio habitatore suo digna sit : (*g*) ne corruptibili loco id quod infinitum et incorruptibile est concludamus, dum Deum in cœlo hoc habitare credimus. Quæramus ergo quæ habitatio Dei sit. (*h*) Nempe is qui dixit : *Pater enim in me, et ego in Patre* (*Joan.* X, 38); et rursum : *Ego et Pater unum sumus* (*Ibid.* 30), et de quo dictum est : *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi* (II *Cor.* V, 19) : digno et sufficiente Filio, in quo Pater per eamdem naturæ habitet virtutem ; (*i*) Patre autem filium, quem ex se genuit, non separante a se differentia divinitatis. Sed non nunc de inseparabili virtute Patris et Filii sermo est. Deus enim ex Deo genitus non abest per naturam ab eo, ex quo genitus confitendus est : et Deus innascibilis,

(*a*) In mss. Reg. et Turon. hic omisso *ut*, mox habetur *aptare*, pro *aptarent* : et in Turon. *audentes* pro *audientes.*

(*b*) Apud Par. ex ms. Mic. *domus Dei regiæ.* Vox *Dei* ex margine in textum videtur irrepsisse : quia hic domus Dei, vocabulo *regiæ*, reipsa intelligitur.

(*c*) Bad., Er: et Lips. *domum Dei ipsa se præparavit* corriguntur ex Par. et mss. hoc tantum dissidentibus, quod alii *properabit*, alii habeant *properavit.* Hic vocabulum *omnis* ad civitatem refertur, non ad domum.

(*d*) In mss. Reg. et Turon. *in primo cantici*, non male si post *in primo*, subintelliges *psalmo.*

(*e*) Regius codex cum Turon. *per Dominica et dimensa.* Tum solus Turon. *amissæ.* Mox Par. *consuetudini totius luminis præparatur.* Editi alii, *consuetudine.. præparatur.* Corriguntur juxta mss. e quibus Turon. habet, *est reparatus.*

(*f*) In vulgatis, *auditus, et nunc.* Concinnius ms. Turon. *auditu* (nempe lætificavit Deus), *sed nunc.*

(*g*) Editi, *et si corruptibili loco ;* et mox, *et si Deum in cœlo hoc*, etc. Horum emendationem debemus ms. Turon. Non displiceret tamen, *et corruptibili loco* (proinde indigno) *id quod infinitum et incorruptibile est, concludamus, si Deum in hoc cœlo habitare credimus* : quod habet ms. Reg. excepta particula *si.* Vid. lib. I de Trin. num. 6.

(*h*) Reg. ac Turon. mss. *nempe ejus qui dixit.*

(*i*) Sic mss. consentiente Bad., nisi quod pro *Patre*, mendose præferat *Pater :* ex quo in aliis editis confectum est : *Pater autem Filium..... non separat a se*, etc., minus bene. Hic enim mutua Patris in Filio, et Filii in Patre habitatio explicatur. Ex habitatione Patris in Filio utriusque æqualitas sic demonstratur l. IV de Trin. n. 38 : *Non enim Deus in diversæ atque alienæ a se naturæ habitaculo est, sed in suo atque ex se genito manet, Deus in Deo : quia ex Deo Deus est.*

unigenitum Deum gignens, manet in illo quem genuit proprietate generandi. Omnis autem spes in eo nostra est, ut unigenitum Deum noverimus. Nam de innascibili Deo, nemo tam amens est, qui cœlum continens Deum esse non sentiat (*V. tract. Psal.* LII, *n.* 2). In hoc ergo cœlo Deus inhabitat, digno majestatis suæ et divinitatis habitaculo.

3. *Per Christum Deus in nobis habitat.* — Sed est et alia complacita Deo et electa habitatio, eorum scilicet, de quibus dictum est : *Habitabo in his, et deambulabo in ipsis, et ipsi mihi erunt in populum, et ego illis in Deum* (II *Cor.* VI, 16) ; de quibus et Apostolus **441** ait : *Vos estis templum Dei, et Spiritus Dei habitat in vobis* (I *Cor.* III, 16). Idem quoque Apostolus ait : *Qualis de limo, tales et de limo ; et qualis cœlestis, tales et cœlestes* (II *Cor.* XV, 48). Cœlestis ergo est secundus Adam : et idcirco cœlestis, quia Verbum caro factum est, ex Spiritu scilicet et Deo homo natus (*a*). In hoc ergo Verbo, non inani sono vocis, sed in Deo Verbo ; neque in dissidenti a se diversaque substantia, sed (*b*) in Dei Verbo, Deus tamquam in cœlo habitat, in eo scilicet, quod ex se ac suum est, manens : per eum in eis quoque qui cœlestes sunt habitans, sicut ipse ad Patrem ait : *Ut omnes unum sint*, (*c*) *ego in illis, et tu in me* (*Joan.* XVII, 21 *et* 23). Ergo si qui in Adam limus fuimus, nunc cœlestes sumus in Christo, et Christus habitator est nostri, per habitantem Christum in nobis etiam ille (*nimirum* Pater) quoque habitator est nostri, qui est habitans in nobis Christus habitatio.

4. *Publica de Dei sede opinio non excluditur.* — Et quia secundum corporalem intelligentiam ille nobis subest sensus, ut cœlum quod ultra (*d*) firmamenti hujus naturam est, Deus inhabitare existimetur ; non excludimus publicam illam de sede Dei opinionem ut ei cœlum cœli thronus sit ; sed et illam dignam Deo habitationem in (Christo) cœlestis Adam suo significatam esse credentes. Etiam hoc ergo Deus cœlum habitare noscendus est, per eum quoque inhabitans, quos in eo constituit esse cœlestes.

5. *Animus Deo deditus non distrahendus.* — Oportet autem eos qui ad Deum oculos mentis erexerint, non retorquere eos atque deflectere, quia ut in Evangeliis dictum est : *Nemo retro respiciens* (*e*) *aratrum tenens aptus est regno cœlorum* (*Luc.* IX, 6). Relinquentes enim templa, aras, cupiditates, lascivias et omne vitiorum profundum, convenit indefesso obtutu invictoque persistere. Si enim gentes errore suo cæcæ indemutabili pertinacia falsis religionibus detinentur, ita ut reflecti à superstitionibus suis (*f*) veri ratione non possint, diversis diis, ut vocant, perseverante stultitia servientes, et si anima peccantium, capta vitiorum illecebris, devotissime servit tamquam imperanti sibi corpori ; quanto nos magis convenit Deum conditorem cœli et terræ cognoscentes (qui ut potens fuerit ex terra inanima animare hominem, ita et potens sit hominem **442** qui jam animatus occiderit, in æternitatis consortium excitare), sine deflexu aliquo ac devia religione venerari, neque quoquam intentæ fidei pertinaciam deflectere ?

6. *Manus, opera. Servi peccati. In quæ opera intendant.*—Et docet propheta hos mentis suæ oculos indemutabili ad Deum esse semper obtutu, dicens, VERS. 2: *Ecce sicut oculi servorum* (*g*) *in manus dominorum suorum et sicut oculi ancillæ in manus dominæ suæ : sic oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nobis.* Exempli comparationem propheta posuit, ut sicut in manus dominorum oculi servorum sunt, ita ad Deum oculi fidei suæ intenti sint : quia fidelis servus ad omnem obedientiam voluntatis dominicæ sollicitus sit, indeflexosque oculos semper intendat. Sed si de servis ac dominis corporalibus sermo esset, dictum ita fuerat, oculos servorum in oculis vel in lingua, vel in conspectu esse dominorum aut nutu enim his jubetur, aut ore. Sed manus pro operibus Scriptura frequenter significat. Sunt autem qui neque hominum, neque Dei servi sunt ; sed servi sunt peccati, Domino dicente : *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati* (*Joan.* VIII, 34). Illi ergo servi harum spiritalium nequitiarum (*h*) in cœlestibus, in opera eorum tamquam in manus dominorum suorum oculis mentis suæ semper intenti sunt, vitiorum in id desiderio atque admiratione defixi. Sunt autem hæc diabolica, id est, deorum gentilium opera, quæ significantur in manibus, venter, otium, luxus, libido, superbia, avaritia, ambitio : in hæc ergo (*i*) volun-

(*a*) In vulgatis, *natus est :* abundat verbum *est*. Secundus Adam idcirco cœlestis, quia verbum erat in cœlis, priusquam caro fieret in terris. Atque ita, ut Athanasii verbis, lib. de salut. Adventu J. C., p. 647, utamur, *cœlestis homo erat Dominus, non quod e cœlo carnem secum attulerit, sed quod eum qui ex terra erat cœlestem reddiderit.* Proxime illud, *ex Spiritu scil. et Deo*, id est, cum prius esset Spiritus ac Deus : ubi *Spiritus* vocabulum nihil aut prope nihil aliud significat quam *Deus*. Vid. lib. X de Trinit., n. 16 et 17.

(*b*) Rursum ms. Turon. *in Deo Verbo.*

(*c*) Excusi, *sicut ego :* dissentiente sacro textu, necnon mss.

(*d*) In ms. reg., *firmamenti cœli.* Vid. tract. psal. CXXXV, n. 8.

(*e*) Male in vulgatis, *et aratrum tenens :* cum in Evangeliis non retro-respiciat quis, simul et aratrum teneat. Jam expuncto *et* auctoritate mss. et verbo *tenens* eamdem vim habente ac *cum tenuerit*, juxta græc. ἐπιβαλών, perspicua sunt sacra verba.

(*f*) Regius codex, *vera ratione* : ac post pauca cum Turon. *quia ut potens fuerit*, non *qui*. Hic autem *veri ratione*, id est quod superius, p. 404, c. *veri judicio*. Habes rursum *veri rationem* in ps. CXXXVII, n. 2.

(*g*) Editi hic ac deinceps, non tamen constanter, *in manibus*. At mss. hic et mox, *in manu ;* in sequentibus autem *in manus*, quomodo legendum constanter putamus juxta græc. εἰς χεῖρας, subaudito verbo *intenti*. Quæ sequuntur, necnon duo tractatus subsequentes, et pars tract. ps. CXXV, desunt in mss. Turon.

(*h*) Omittit Regius codex, *in cœlestibus in opere eorum tamquam.*

(*i*) In vulgatis, *voluptatum*. Malumus cum reg. ms. *volantatum*, scil. nequitiarum seu deorum gentilium, quorum nutibus parent. Tum in eodem ms. *quorum* non *quarum* (sic supra, *in opera eorum*) ; et mox more antiquo *exspectantes* pro *spectantes*.

tatum, quarum dominatui subjacent, opera spectantes sensus sui oculis intendunt, quibus dii plures sunt innumerosique (*a*) domini, prout uniuscujusque studium et natura auctorem sibi religionis elegerit.

7. *Deus nobis unus, non solus.* — Nobis autem unus Deus est, non tamen per (*b*) unionem Dei Domino nostro Jesu Christo quod Deus est abnegantes; sed sequentes Legem et prophetas et Evangelia et apostolos, divinitatis unitatem in innascibili Deo et in unigenito Deo secundum proprietatem atque naturam cum fide et veritate profitemur. Nusquam enim genere plurali, nec deos neque dominos sermo propheticus nuncupavit; sed unumquemque suo ordine. **443** Genesis namque ait : *Et pluit sulphur et ignem Dominus a Domino* (*Gen.* XIX, 25); et Propheta : *Unxit te, Deus, Deus tuus* (*Ps.* XLIV, 8); et, *Dixit Dominus Domino meo* (*Ps.* CIX, 1); et Evangelia : *Et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I, 1); et Apostolus : *Unus Deus ex quo omnia, et unus Dominus Jesus per quem omnia* (I *Cor.* VIII, 6); et rursum : *Ex quibus Christus, qui est super omnia Deus* (*Rom.*, IX, 5). Hoc ergo propter Dominum dictum est : ut intelligeremus per id quod unus innascibilis Deus est, non adimi unigenito Deo posse quod Deus est. Deus enim unus uterque est : non quod (ut Hierax) unus divisus in duos sit, aut uterque ipse sit (ut Sabellius sensit), ut nuncupatio sola fecerit patrem et filium, non natura gignendi : sed idcirco Deus unus, quia neque duo innascibiles, neque unigeniti duo, sed unus ex uno, et ambo unum, non dissimili scilicet aut differente a se substantia divinitatis in utroque.

8. *Cur plures servi ac domini, ancilla ac domina una.*—Sequitur deinde : *Et sicut oculi ancillæ in manus dominæ suæ.* Tenuit vero eumdem Propheta ordinem, ut in comparationis exemplum ancillæ quoque oculos in manus dominæ esse commemoraret intentos : ut in operum potius efficientias hæc desideria servorum doceret intenta. Sed cum plures servi plurium dominorum sint positi in exemplum; quærendum cur ancilla una unius commemorata sit dominæ. Plures enim servi, ut superius diximus, plurimorum sunt (*c*) deorum. Nunc autem una ancilla et una domina : quia natura una est animæ humanæ, sicuti et terrenæ carnis una natura est. Et quia nunc de peccatoribus, qui peccati servi sunt, sermo est; hæc ancilla anima carni dominæ suæ dedita est, (*d*) per corporalium et vitiorum blandimenta subjecta : habetque inferiori sui per illecebrarum fomenta dominatum (*passive*), fructus operum ejus inspiciens. Ergo ut hos servos et hanc ancillam indemutabiles vitia sua detinent, ut in his quadam (*e*) religiosa stultitiæ suæ intentione persistant; ita fidem (*f*), quæ non temporaria ac mobilis sit, neque emissis tentationibus defatigetur, sed usque ad consummationem misericordiæ Dei immobilis et indemutata permaneat.

9. *Spes Prophetæ pertinax.*—Et idcirco Propheta pertinaciam spei suæ usque ad finem accipiendæ misericordiæ demonstrat, dicens : *Ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nobis.* Non desinit, non absistit, (*g*) tardet licet ad tentationem fidei misericordiam suam Dominus : quia fides constantem præstare debet fiduciæ suæ **444** expectationem, et desperatio omnis diffidentiæ confessio sit. Sed Propheta non incertus est misericordiæ Dei : nam oculi ejus in eum, quoad usque misereatur, intenti sunt. Intenti autem adeo, ut intentioni eorum oratio geminata subjecta sit. Ait enim post hæc, VERS. 3 : *Miserere nobis, Domine, miserere nobis.* Et intentus est, et intentus orat : ea scilicet perseverantia, qua vitiorum servi in dominantibus sibi vitiis demorantur, ille certissima bonorum æternorum spe, et perfectæ in se misericordiæ fiducia perseverat.

10. *Fideles injuriis vexati, de injuriis suis ac de vexantium peccatis dolent. Levamen iis a solo Deo.* — Sequitur vero, ut sæpenumero cognovimus, hanc fidelium spem gravis iniquorum obtrectatio, et molesta malignorum insectatio. Justitiam enim a nobis prædicari, iniquus odit; pudicitiam si laudamus, impudicus offenditur; exsecratur in nobis ebrietas jejunia. At vero cum ad liberalitatem cohortamur, insipientiam nostram avarus accusat. Cum Christum Deum prædicamus (*h*) crucifixum, religionem Judæus et omnis ex gentibus persecutor exprobrat. Cum judicium Dei exspectamus, offenduntur sæculi reges, et Deum arbitrum vitæ ab unoquoque actæ recusant. Cum resurrectionem annuntiamus, mortua cum vitiis suis infidelium corpora contradicunt. Fidem quoque nostram a Lege et Prophetis et Evangeliis et Apostolis susceptam omnes hæreticorum falsitates coarguunt. Cædimur, maledicimur, fugamur, necamur ferro, flammis, profundo; (*i*) desævitur in nostram verecundiam, desævitur in corpora : dolor nobis est ex injuriis nostris. Et quia injuriæ nostræ his qui eas inferunt mors est, dolor nobis est ex miseratione

(*a*) Editiones, una priore Par. excepta, *et numerosi Domini;* renitentibus mss.

(*b*) Quod græcis *μονὰς*, hoc Hilario est *unio* : quo verbo non naturarum tantum, sed et personarum pluralitas excluditur.

(*c*) Vulgati, *dominorum* : renitentibus mss. Et quidem ad calcem num. 6, servi ii indicantur *quibus dii plures sunt.*

(*d*) In excusis, *et per corporalium vitiorum blandimenta subjecta est.* Præferimus cum ms. reg., *per corporalium*, scil. rerum, *et vitiorum*, quo nomine solet Hilarius intelligere carnis incentiva, seu carnales cupiditates.

(*e*) Excusi cum ms. reg. *religiosæ.* Magis placet cum Mic. *religiosa.*

(*f*) Editi hic subjiciunt, *esse oportere* : quæ removimus auctoritate ms. reg. Horum loco rectius forsitan subintelligas, *detinet virtutes*, aut quid simile.

(*g*) Bad., Er. ac postrema editio Par. cum. reg. ms. *tradat*, Lips. *tardat* : castigantur ex codice Miciacensi.

(*h*) Reg. ms. *cruciari.*

(*i*) Isthæc, *desævitur in nostram verecundiam*, omittit regius codex.

pereuntium. Ideoque post geminam precationem, qua dixerat: *Miserere nobis, Domine, miserere nobis*; adjecit: *Quia multum repleti sumus adspernatione.* VERS. 4. *Quia multum repleta est anima nostra*: Deo solo adversum hæc opitulari potente, ut ab adspernatione atque contemptu eximat usque in finem misericordiæ (*subaud.* accipiendæ) in se semper intentum. Et (*a*) idcirco donec sibi Deus misereatur intentus est, idcirco gemina oratione misericordiam sibi Dei precatur, quia multum ipse atque anima sua repleta adspernatione sit, Deo, ut diximus, tantum potente in multa adspernatione misereri: neque solum in id potente, sed potente etiam (*b*) in contraversum omnia retorquere, et quamdam vicissitudinem præstare patienti.

11. *Lazari pauperis et divitis vicissitudo.*—Testis nobis est et pauper in Abrahæ **445** sinu quiescens, et dives perustus in pœna. (*c*) Ille enim in aggestu fimi ante divitis januam, fame tabidus, ulcerum sanie defluens sederat, canibus vulnera dissoluta lingentibus. Sed hæc erat militia corporis, hæc adversum sæculum pugna. Interius tamen anima ejus per fidem invulnerabilis, et ad omne telum (*d*) voluptatis ac vitia invia: et idcirco ab Angelis post carnis dissolutionem beata in Abrahæ (*e*) sinum fertur. Ille vero cui omnis erat vestitus in purpura, cui totius civitatis nobilitas gravi dominatu subdita famulabatur, cui aeris, terræ, maris copiæ in usum convivii congerebantur, uni ventri ejus officiis elementorum omnium servientibus, qui huic pauperi januam clauserat, micas de mensa excidentes negaverat, et tamquam contumeliam suam occursum ejus exprobraverat: excedens hoc quo male usus erat corpore, impenetrabilis a sanctis chao separatur, omni pœnarum ministerio excipitur, dolet, vexatur, amburitur, irrorari se ac refrigerari minimo digito requiescentis in sinu Abrahæ pauperis deprecatur. Cui Abraham respondit: *Fili, recordare, quia recipisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris* (*Luc.* XVI, 25). Fit alterna conversio: et demutatur lætitia in mœrorem, et mœror in gaudium. Et videamus an idipsum quod Evangelium exposuit, nunc quoque Propheta significet.

12. *Divitum et humilium seu egenorum exitus.* — Ait namque: *Opprobrium abundantibus, et adspernatio superbis.* Post (*f*) superiores, quas commemoravimus, insectationes regum, gentium, Judæorum, hæreticorum, atque etiam sæpe nostrorum, facta hic quoque est evangelica conversio, ut abundantibus sit opprobrium, et superbis adspernatio. Superbia in contemptum, et copia mutatur in inopiam: rursumque et contemptus in superbiam, et inopia demutatur in copiam, propheta utrumque istud per verba eadem monstrante, cum dicit: *Opprobrium abundantibus, et adspernatio superbis*, sive quod modo opprobrium ferant, qui postea (*g*) in regno Domini abundabunt, et quod nunc in adspernatione sint, qui postea per fidei confidentiam (*h*) superbient: sive quod judicii tempore opprobrium et adspernatio in eos, qui nunc in sæculo abundent ac superbiant, revertatur.

13. *Humilitatis exempla.* — Paulus in infirmitatibus et in angustiis suis gloriatur. Judicem quoque eligi potentium ex contemptibilibus Ecclesiæ præcepit (I *Cor.* VI, 4). Mutuam sibi legem ille et Petrus instituunt, **446** ut meminissent egenorum, eorumque curam facerent sollicite. Minimorum angeli Deum quotidie vident (*Matth.* XVIII, 10); humilis exaltabitur (*Matth.* XXIII, 12); et optimum sacrificium Deo est (*i*) cor contribulatum (*Ps.* L, 19). Non ergo abjiciamus humilem, non contemnamus pauperem, non transeamus indigentem: ne profundo ab his chao separemus, ne, refrigerare nos minimo digito suo dedignentur, quia *opprobrium abundantibus, et adspernatio superbis sit.* Demutabilis est ista conversio, et digna in bonos ac malos vicissitudo, quam in Evangeliis ostendit dicens: *Beati lugentes, quoniam ipsi consolabuntur* (*Matt.* V, 5); et rursum: *Væ vobis qui ridetis, quoniam flebitis* (*Luc.* VI, 25), ait Dominus noster Jesus Christus, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXXIII.

Canticum graduum David.

Nisi quod Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel, nisi quod Dominus erat in nobis; cum surgerent homines in nos, forte vivos deglutissent nos. Cum (Inf. *in eo cum*) *irasceretur animus eorum in nos, forsitan aqua absorbuisset nos. Torrentem pertransivit anima nostra: forsitan pertransisset anima nostra aquam immensam. Benedictus Dominus Deus, qui non dedit nos in captura dentibus eorum. Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venatorum. Laqueus contritus est, et nos liberati sumus. Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum et terram.*

(*a*) Excusi, *et quia donec sibi*, etc. Rectius ms. reg. *et idcirco*, etc.

(*b*) Editi, *intro versum*. Melius mss. *in contraversum*. In his mox *patiendi*, pro *patienti*, potest commode referri ad eos qui sanctos injuria afficiebant.

(*c*) Reg. ms. *illo enim posito in aggestu divitiarum ad januam fame tabidus*: quod et habent Bad., Er. et Lips. addita voce *pauper* post *tabidus*.

(*d*) Ms. Mic. *ad voluptatis vitia*, Reg. *ad voluntatis vitia*. Forte *invulnerabilis est ad omne talum* (quod in animam nil potest) *ad voluntatis vitia invia*. Pro *invia* habent Bad., Er. et Lips. *invicta*.

(*e*) In reg. ms. *sinus*.

(*f*) Ita regius codex, favente Miciacensi, in quo extat *superius*. Editi vero præferunt *superbas*.

(*g*) Editi, *in Regno Dei*. Rectius mss. *in regno Domini*. Aliunde notum est quod discrimen statuat Hilarius inter regnum Dei et regnum Domini, et quomodo justos statim a morte ponat in regno Domini, quibus tamen regnum Dei differat.

(*h*) In vulgatis, *superbiant*; in ms. Mic. *superbiunt*. Cum reg. scriberemus *superbiunt*, si per grammaticos liceret, aut si sæpius idem verbum recurreret.

(*i*) Editi, *cor contritum et humiliatum*. Ex ms. Reg. restituimus *cor contribulatum*, post quam legimus in Psal. CXXV, num. 9: *Cum igitur optimum Deo sacrificium sit cor contribulatum.*

TRACTATUS PSALMI.

1. *Vox Israel ad exemplum prophetæ.* — Attulit magnum nobis compendium psalmus anterior : ab eo enim in hunc scanditur. Oculi namque mentis nostræ intenti in Deum fuerunt usque ad misericordiæ finem, multis undique adspernationibus et opprobriis circumstantibus. Post quæ misericordiam consecutos, et de opprobrio in abundantia, de adspernatione in superbia collocatos, quid agere ac loqui nos 447 oporteat, propheta demonstrat, dicens, VERS. 1 : *Nisi quod Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel, nisi quod Dominus erat in nobis ; cum surgerent homines in nos, forte vivos deglutissent nos.* Et quidem sermo ipse talis est, ut intelligatur prophetæ esse, instruentis quid dici a cæteris oporteat. Primum enim res ipsa dicta est : dehinc qualiter sit dicenda monstratur. Et hic fuit ordo, ut quid agendum, dehinc quatenus agendum esset, ostenderetur. *Nisi quod Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel.* Dictum est ergo quid dici ab Israel oporteret. De Israel frequenter admonuimus, cum existimandum esse, qui Deum mentis oculis contemplatus sit. Nunc ergo secundum propheticam doctrinam cognito quid dicere debeat Israel, loquitur, VERS. 2 : *Nisi quod Dominus erat in nobis; cum surgerent homines in nos, forte vivos deglutissent nos.* Hoc ergo Israel, exemplum accipiens a propheta, dicit : quia audivit : *Nisi quod Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel.*

2. *Gloriandi in se homini nulla causa.* — Non est autem leve mandatum illud, quod necesse fuit præeunte quodam prophetæ præconio demonstrari. In his namque rebus, quæ difficiles sunt, desideratur exemplum. Omnis enim natura hominum insolens ad res secundas est, et imbecillitatis suæ immemor, inconsulte in prosperis jactans est, quod ab homine doctrina Dei erudito abesse oportet. Quis enim relictus est nobis gloriandi locus, recordantibus omnia ex Deo esse ? Si nos nobis vitam inseruimus, (*a*) debeamus et nobis corporum speciem : si ipsi pluvias æstusque moderamur, ex nostro esse proventus fructuum gloriemur : si non in omnibus opus est Dei misericordia', etiam omnia nobis tamquam ex nostro sint vindicemus. Numquid fortis fortem se gloriabitur, quem corporis ægritudo efficiet infirmum? Numquid dives in opibus gloriabitur, cui hæc omnia forte fur, prædo, tyrannus abripiet? Numquid nobilitas gloriabitur, effecta nonnumquam indigna et miserabilis servitus? Numquid sapiens gloriabitur, (*b*) incertus quid in momenta sibi accidat? Sed si quid horum sine molestiæ alicujus interpellatione utimur ; (*c*) delectamur, efferimur. Et si ex aliqua tristitia in gaudium revertamur, hujus ipsius vix adepti gaudii incapaces ultra sensum humanæ imbecillitatis extollimur ; immemores dicti hujus : *Non gloriétur sapiens in sapientia sua, néque fortis in fortitudine* 448 *sua, neque dives in divitiis suis, sed in eo gloriétur qui gloriatur, intelligere se, et cognoscere quoniam ego sum Dominus* (*Jerem.* IX, 23, 24). Ergo nos de consuetudinis nostræ vitio insolentes, quodam præscripto confessionis propheta formavit : et ad honorem Deo reddendum', et in eo gloriandum (*d*) exemplo admonitionis edocuit, dicens : *Nisi quod Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel.*

3. *Deo a quo sunt bona omnia sua tribuenda.* — Auditis igitur a propheta quæ dicere nos oportet, dicamus et nos : *Nisi quod Dominus erat in nobis ; cum insurgerent hômines in nos*, VERS. 3, *forte vivos déglutissent nos.* Perpessi namque hominum insectationes, regum impias (*e*) constitutiones, consiliatorum illecebrosas adhortationes, cum in fide maneamus, cum in timore Dei resideamus, cum in spe bonorum æternorum immoremur, adjuti Dei misericordia, scientes fidelem eum qui dixit : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20), ad hunc habitantem (*f*) in nos gaudia nostra referamus : huic si quid in nobis est debeamus, a beato Paulo doctinihil nostrum existimandum, dicente : *Quid enim habes, quod non accepisti ? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis* (I *Cor.* IV, 7) ? a sancto vero Jacob patriarcha modestiam referendæ gratiæ cognoscentes, cum dicit : *Deus qui enutrivit me a juventute mea, et angelus eruens me ex omnibus malis* (*Gen.* XLVIII, 15).

4. *Vivorum mors.* — Non est autem in usu hominum, ut vivos alios vorent, neque usque ad carnes glutiendas odia procedunt. Sed neque nunc de eruto a morte corpore gaudium est ; sed de anima a peccatorum consortio (*g*) liberata. Idcirco ait forsitan vivos deglutiendos fuisse, scilicet in corpore adhuc positos a morte pervasos, atque a peccato comestos. Hæc enim vivorum mors est, vivere luxui, somno, sacrilegiis, adulteriis, cædibus. Deo ergo gratiæ agendæ sunt manenti in nos : quod per fidem ejus doctrinamque viventes non deglutimur ab istis. Fit ergo hic in

(*a*) Sic regius codex elegantius quam vulgati, *debemus*. Porro si non nobis debemus speciem corporum, quanto minus animorum? Sic enim apprime ratiocinatur concilium Milevit. II, c. 4 : *Cum dicat Apostolus*, Scientia inflat, charitas vero ædificat ; *valde impium est ut credamus ad eam quæ inflat nos habere gratiam Christi, et ad eam quæ ædificat non habere : cum sit utrumque donum Dei, et scire quid facere debeamus, et diligere ut faciamus ; ut ædificante charitate, scientia nos non possit inflare.* Ita Hilarius ea etiam, ad quæ nonnihil valere videtur industria nostra, ostendens dona Dei esse, nullum nobis relinquit gloriandi locum ; ut optime concludat *omnia ex Deo esse et nobis in omnibus opus esse Dei misericordia.*

(*b*) Reg. ms. *incertis* : nec nova est apud Hilarium hujusmodi locutio, cum *sinceris* et *infirmis* jam in recto casu viderimus.

(*c*) In ms. reg. a secunda manu, *lætamur, efferimur* : a prima *læta et ferimur*. Forte legendum, *lætitia efferimur*. Hic enim arguitur immoderata lætitia.

(*d*) Regius codex, *exemplario*.

(*e*) Ex ms. Mic. prima editio. Par. *cogitationes*.

(*f*) Editi hic, *habitantem in nobis*, et num. 4, *manenti in nobis*, sed num. 9, habent *in nos habitantem*. Constantem mss. lectionem tribus illis locis retinemus.

(*g*) In ms. reg. *separata*. Mox *scilicet in corpore positos*, etc., id est, eos qui adhuc in corpore positi essent, a morte pervasos esse, etc.

gratulatione ordo, qui est iniquitatibus. Namque (*ms.* nam qui) ab insurgentibus primum adversus nos deglutiti non erimus; sed ne postea quidem irascentibus eorum animis ab aqua, protegente Domino, absorbebimur.

5. *Aquarum diversa genera. Quid significent.* — Ait enim, VERS. 4: *In eo cum irasceretur animus eorum adversus nos forsitan aqua absorbuisset nos.* **449** Sed quid hoc est? Animi hominum iras cuntur, et aqua nos absorbet? Numquid ad motus mentium incitatarum ultrices aquæ assistunt, aut animales sunt ut absorbeant? Enecari in aqua qui demersi sunt possunt; absorbere autem id quod inanimale est non potest. Quærendum ergo nobis est, quid hic intelligi oporteat. Et meminisse eorum locorum necessarium est, in quibus aquæ facta sit mentio. Et quidem in exordio libri Genesis ita scriptum est: (*a*) *Et tenebræ erant super abyssum, et spiritus Dei superferebatur super aquam* (*Gen.* I, 2); et iterum: *Dixit Deus: Fiat firmamentum in medio aquæ, et sit dividens* (*b*) *inter aquam et aquam* (*Ibid.* 6); et rursum: *Aqua quæ super cœlos est, laudet Dominum* (*Psal.* CXLVIII, 5, 6); et rursum: *Viderunt te aquæ Deus, viderunt et timuerunt* (*Psal.* LXXVI, 17). Ergo quia lex spiritalis est, et fides historiæ non periclitatur, si rebus effectus inesse et connexam sibi extrinsecus significantiam existimemus; videmus et aquas esse super quas sit Spiritus Dei, et aquas esse quæ super cœlos sint, esse et quæ in terris sint, et aquas esse quæ laudent, et aquas esse quæ timeant. Per quod recte significari aquas populos intelligimus, in quibus sint spiritales, sint et tenebrosæ; sint cœlestes, sint et terrestres, sint gloriosum adventum Domini laudaturæ, sint et timentes. Hæ ergo sunt trepidæ, terrenæ, tenebrosæ, absorbere nos volentes, animis in ira concitatis, et toto diabolici furoris impetu commotis, tamquam maxima hiemis tempestate torrentibus et per præceps ruentibus.

6. *Diaboli impetus quid Deo plenis, quid vacuis efficiant.* — Atque ita in ordine confessionis nostræ ad Dominum adjecit propheta, VERS. 5: *Torrentem pertransivit anima nostra, forsitan pertransisset anima nostra aquam immensam.* Ecce diaboli et suorum irruentes impetus, et ex turbidis motibus concitatos furentesque procursus, et tempestatis temporariæ torrentes; sed hæc intolerabilis aqua animam non transiit, in qua Deus habitat. Intolerabilis autem est Deo vacuis; his autem in quibus Deus est, torrens repentinus, post paululum vero (*c*) ad transeundi facultatem aridus et exhaustus.

7. *Diaboli dentes.*—Atque ut nullus hic de aquis sensus esset; **450** consequitur, VERS. 6: *Benedictus Dominus, qui non dedit nos in* (*d*) *capturam dentibus eorum.* Et qui sunt horum torrentium dentes? Sunt plane ad laniandum apprehendendumque vehementes, ira, cupiditas, lascivia, odium, gula, avaritia. Hi sunt dentes mali et tenaces. Per hæc enim in nos captos laniatosque dominantur, dum vitiorum suorum aut ministros aut consortes esse nos faciunt: quibus non carnes nostræ, sed animæ, nisi Deus in nobis esset, manderentur.

8. *Laquei animarum.* — Ait enim, VERS. 7: *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo* (*e*) *venatorum.* Laqueos, qui venantur, occulte et fallentes prætendunt, aut absconsos vallibus, aut herbis contectos, aut cibis (*f*) oblitos, aut nubibus concolores. Et hæc quidem ad bestias atque aves cæteras: nobis vero adversus animam hæc parantur. Est enim nobis laqueus (*g*) in otio, pecunia, ambitione, lascivia. Hæc prætenduntur, hæc blandiuntur, hæc fallunt: sed ab his omnibus voluntas nostra est (*h*) referenda. Omnibus enim hi laquei prætensi sunt, sicut scriptum est: *Non enim injuste in terra prætenduntur retia avibus* (*Prov.* I, 17, *sec.* LXX). Perfecta enim gloria est, ab his laqueis qui prætensi sunt evolare.

9. *In Ecclesia constanter manendum.* — Denique psalmus ita dicit: *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venatorum:* non utique venantium, sed eorum quibus in venatione tensi sunt laquei. Non enim cum quis in laqueum inciderit, tunc fiet peccator, sed cum omnibus tendantur, (*i*) ille tantum qui jam sit peccator in laqueo est; sicut scriptum est: *Oculus* (*j*) *meretricis, laqueus peccatoris.* Ergo a peccatis omnibus abstinendum est, ne incidamus in laqueum. Spiritales enim sumus, et evolamus ut passeres. Passer (*k*) avis domestica, et ædificiorum incola: non

(*a*) Ita reg. ms. secundum LXX. At excusi, *Et Spiritus Dei superferebatur aquis: et rursum: Ecce tenebræ erant super faciem abyssi.*

(*b*) Editi, *inter aquam quæ est sub firmamento, et inter aquam quæ est super firmamentum*: castigantur ex ms. regio, in quo tamen omissum erat *et aquam.* In græco LXX legimus, καὶ ἔστω διαχωρίζον ἀνὰ μέσον ὕδατος καὶ ὕδατος. Quod cum nostro Hilario vertere, Augustinus lib. imperf. de Gen. ad litt. c. 8: *Et sit dividens inter aquam et aquam*; Ambrosius lib. II Hexaem. c. 2: *Et sit discernens inter aquam et aquam.*

(*c*) In reg. ms. deest *ad transeundi facultatem.* Ex hac expositione legisse videtur Hilarius *aquam intolerabilem*, non *immensam.*

(*d*) Regius codex, *in captionem.* Mox ex mss. adjecimus *horum* ante *torrentium.*

(*e*) In vulgatis hic et infra *venantium*: quamvis infra hanc lectionem expresse neget Hilarius, ac declaret verbum *venatorum*, huc quod ex mss. revocamus, passive intelligendum.

(*f*) Ita correxit Lipsius, cum in prioribus edit. ut in ms. Mic. legeretur, *cibis oblitteratos.* In reg. ms. *cibos oblitteratos.*

(*g*) Bad., Er. et ms. reg. *in otium pecunia, ambitio*, etc. Lips. deinde expuncto *in* legit *otium, pecunia, ambitio*: quod tandem edit. Par. mutatum est ex ms. Mic.

(*h*) Etiam hic vulgatum erat *refrenanda:* obnitentibus mss.

(*i*) Ita antiquæ editiones. At Par. *ille autem;* reg. ms. *ille tamen.* Paulo ante in his, *tunc fiet peccator*, post *tunc* subintelligitur *primum.* Vult Hilarius nullum esse in laqueo ac potestate diaboli nisi per peccatum, ac proinde prius peccatorem esse, quam in laqueo. Idipsum confirmat in psal. CXL, n. 14.

(*j*) Idem ille locus iisdem verbis denuo citatus in psal. CXXXIX, n. 3, nusquam a nobis potuit inveniri. Videtur tamen summaria quædam sententia, ex his Eccle. VII, 27, expressa verbis: *Inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est..... qui autem peccator est, capietur ab illa.*

(*k*) Passer hic opponitur avibus, quæ ad tempus

momentanea, non temporaria, sed sine demutatione ulla aut temporis observatione consistens. Nos ergo sine vicissitudine temporum Ecclesiam incolentes, abstineamus a peccatis, ut a laqueis evolemus. Laqueus enim per Deum in nos habitantem conteritur: quia ita sequitur : *Laqueus contritus est, et nos liberati sumus.* VERS. 8. *Adjutorium nostrum* 451 *in nomine Domini, qui fecit cœlum et terram.* Hoc adjutorio laqueus conteritur, hoc adjutorio liberamur, in nomine Domini qui fecit cœlum et terram: quod est scilicet super omne nomen, in quo omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et inferorum: et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus in gloria est Dei patris, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXXIV.

Canticum graduum.

Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion; non commovebitur in æternum qui habitat in Jerusalem. Montes in circuitu ejus, et Dominus in circuitu populi sui, ex hoc nunc et usque in sæculum : quoniam non derelinquet virgam peccatorum super sortem justorum; ut non extendant justi in (Infra, *ad*) *iniquitatem manus suas. Benefac, Domine, bonis et rectis corde. Declinantes autem ad obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem : pax super Israel.*

TRACTATUS PSALMI.

1. *Contra eos qui litteram unice sectantur.* — Faciunt nobis plerique obscuritatem, volentes Scripturas propheticas solo aurium judicio æstimare, et non aliud in his intelligere, quam quod sub singulis rerum quarumque vocabulis audiatur. Quod cum volunt, neque nobis quod intelligamus relinquunt, neque prophetas non dico cœlestia, sed nec terrena quidem rationabiliter dixisse constituunt. Quid enim aut a nobis congrue tractabitur, aut ab illis recte dictum existimabitur, cum aquas laudantes, videntes, timentes, et plaudentes manibus audiemus, nisi (*a*) ex auctoritatibus Scripturarum earumdem, sub aquarum nomine aliud significari quod alterius sit generis monstremus? id scilicet quod sit vivum ac sentiens, et ad rei uniuscujusque judicium suo motu sensuque se permovens: quod esse homo intelligitur, laudans, videns, timens, plaudens, judicans. Hæc enim humanæ affectionis genera in aquis esse sermo propheticus edidit: quorum quia in aquas natura non convenit, nec propheta de aquis 452 dixerit, nec nos de aquis dictum intelligamus. Hæc propter ea, quæ in præsenti psalmo sunt, retractari convenit, quæ talia sunt.

2. *Litteræ sensus hic sibi non cohæret.* — VERS. 1 et 2. *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion; non commovebitur in æternum, qui habitat in Jerusalem. Montes in circuitu ejus.* Nomen montis Sion, et habitatio Jerusalem, et montes circum eam, si nullam interioris intelligentiæ habent causam, inanis est psalmus, et mendax Propheta, in quo Spiritus sanctus locutus esse credatur. Est enim mons Sion civitati Jerusalem imminens; est eadem civitas, circa quam extrinsecus plures sunt montes. Qui ergo confidit in Domino, quem profectum habebit, ut sit sicuti mons Sion? ex rationabili homine fieri saxum, arborem, cespitem, et de natura animali in naturam inanimalem referri? Jam vero quomodo fidelis hic sermo sit, non commovendum eum in æternum, qui habitet in Jerusalem? Numquid Jerusalem ipsa sanctificationem habitantibus afferebat, ut habitatio ejus firmitas esset æterna: cum (*b*) illinc sacrilega cædes prophetarum, judicium mortis in Deum, fuga Apostolorum, crucis scandalum sit? Habitantes autem in ea quotiens captivi, (*c*) quotiens perempti? Ad ultimum urbs ipsa funditus diruta est, et qui vastationi ejus residui erant, capti atque dispersi sunt: propheta hoc impietati ejus excidium antea ita nuntiante: *Terra vestra deserta, civitates vestræ igni concrematæ regionem vestram in conspectu vestro exteri comedent, et desolata et subversa a populis extraneis derelinquetur filia Sion, ut tabernaculum in vinea, et sicut casa custodiaria in cucumerario* (*Esai.* I, 7 *et* 8). Jam ergo inanis est sermo, inanis est prophetia, quæ addiderit: *Montes in circuitu ejus, et Dominus in circuitu populi sui ex hoc* (*d*) *nunc et usque in sæculum.* Jerusalem eversa est, populi ejus exstincti sunt, reliquiæ ejus dissipatæ sunt: hodie in ea non habitatur, non sacerdos, non propheta, non princeps; sed ipsa obtrita, deserta, sine fructu est. Et quomodo habitator ejus non commovebitur in æternum? et Dominus in circuitu populi ejus ex hoc nunc et usque in sæculum? Ergo non potest de ea prophetatum videri, a qua prophetiæ veritas dissidebit. Sequens igitur est, ut quæramus in quos dictorum ratio conveniat.

3. *Mons Domini Ecclesia. Christus qui ex monte in lapidem, et ex lapide in montem.* — Et quidem primum animadvertendum est, non alterius montis quam Sion factam mentionem. Legimus enim montem esse Domini (*e*) et Choreb, usque ad quem primum Moyses cum multa obisset, accessit (*Exodi* III, 1): esse et montem Domini Sina, in quo populo lex scripta sit. Est et Sion mons superimminens Jerusalem. Sed quia in hunc montem 453 prophetiæ nullus est fructus, videndum est quid in monte intelligi oporteat. Et habemus optimum intelligentiæ ducem Esaiam. Nam cum superius montem Domini excelsum significasset, ad quem gentes venturæ essent (*Esai.* II, 2), ait: *Propter hoc sic dicit Dominus: Ecce mitto in fundamenta Sion lapidem præclarum, electum, angularem, pretiosum in fundamenta ejus;*

tantum nostras regiones incolunt, quales hirundo, ortya, etc.

(*a*) Sic mss. At excusi, *ex auctoribus.*

(*b*) Editi, *illic sacrilegia :* emendantur auctoritate mss.

(*c*) Regius codex, *quotiens redempti.*

(*d*) In reg. ms. hic non exstat *nunc*, neque infra nisi semel num. 5.

(*e*) In ms. reg. *et Horeb.* Supervacanea videtur particula, *et.* Neque Horeb, aut secundum Græcos Choreb, in sacro textu vocatur *mons Domini*, sed *mons Dei.*

et qui crediderit in eum, non confundetur (*Esai.* XXVIII, 16). Et non ambiguum est Apostolum fundamentum (*a*) Christum significasse, per quod beata illa dominici corporis Ecclesia, cujus fundamentum est Christus, significari videtur in monte. Quam idem Apostolus et Jerusalem nuncupat, dicens: *Quæ nunc est Jerusalem, et servit cum filiis suis; ea autem quæ sursum est Jerusalem libera est, quæ est mater nostra* (*Gal.* IV, 25 *et* 26). Habemus ergo montem Sion Domini, habemus et civitatem Dei Jerusalem: et nominis Sion interpretatio est speculatio. Sic ergo montem Domini (*b*) in Daniele accipimus, ex monte in lapidem, et rursum ex lapide in montem (*Dan.* II, 34 *et* 35): exinanivit enim se in forma Dei constitutus, et formam servi accepit, et per passionem suam mundo (*c*) cum superstitionibus suis terroribusque prostrato, in gloria Dei patris est, et Deus super omnia est; propter infirmitatem carnis ex monte in lapidem exinanitus, propter gloriam passionis ex lapide rursum effectus in montem: mons superimminens et excelsus, in quo ipsi nosmetipsos per assumptionem carnis nostræ corporisque speculamur.

4. *Resurrectionem nostram in Christo speculamur. Ecclesia præsens forma futuræ.* — In eo enim sumus (*d*) resurrectionem nostram in resurrectione nostri in eo corporis contemplantes: speculatio est enim Sion mons. (*e*) Loquatur interpretationem hanc hebraica lingua, qua dictum est, *Mons Sion mons speculationis est.* Loquatur Paulus, et dicat, *Nostra autem conversatio in cœlis est, unde et salvatorem nostrum exspectamus* (*f*) *Dominum Jesum nostrum qui transformabit corpus humilitatis nostræ, conformatum corpori gloriæ suæ* (*Phil.*, III, 20 *et* 21); dicat et rursum, *Et cum essemus mortui peccatis, vivificavit nos simul cum Christo, et coexcitavit, et collocavit in cœlestibus* (*Ephes.* II, 5 *et* 6). Dicat et Evangelium, *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* (*Joan.* I, 12.) Dicat ergo nunc et Propheta, *Qui confidunt in Domino,* **454** *sicut mons Sion, non commovebitur in æternum qui habitat in Jerusalem.* Sequamur Apostolum, sequamur Evangelium, sequamur Prophetam. Confidamus in Domino, ut conformes corporis gloriæ Dei simus. Habitemus nunc Ecclesiam (*g*) cœlestem Jerusalem; ut non moveamur in æternum. In hac enim habitantes, habitabimus et in illa; quia hæc illius forma est, *Ex parte enim cognoscimus, et ex parte prophetamus. Et nunc videmus per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem* (I *Cor.* XIII, 9 *et* 12). Sed et hæc cœlestis, et illa cœlestis; et hæc Jerusalem (*h*) est, illa quidem ecclesia angelorum multitudinis frequentium: sed est ecclesia primitivorum, est et ecclesia spirituum in Domino fundatorum (*Hebr.* XII, 22 *et* 23). Fundandi ergo sumus in spiritu, et in habitantibus standum est, non discurrendum, sicuti Moysi dictum est, *Tu autem mecum sta* (*Deut.* V, 31). Non simus (*i*) procursibus vagi, neque viis incerti, neque inanis doctrinæ vento evolantes. In æternum enim manendum est, si sine commotione steterimus.

5. *Montes in circuitu nostro. Sancti atque Angeli.* — Sed neque desunt stare volentibus sanctorum custodiæ, neque Angelorum munitiones. Dicitur enim, *Montes in circuitu ejus, et Dominus in circuitu populi sui ex hoc nunc et usque in sæculum.* (*j*) Hos enim secundum superiora exempla montes esse existimabimus, humilitatem terræ excedentes, firmos et excelsos et immobiles. Cum enim et montem significari Ecclesiam, id est, Dominum in corpore legimus, et invenimus montes Dei exsultare atque lætari: scriptum est enim, *Montes exsultaverunt ut arietes* (*Psal.* CXIII, 4): quomodo possumus montes non eos significatos esse intelligere, qui super terrenam naturam gloriosi jam in Dei rebus exsultant?

6. *Christi egemus ope. Pericula nostra. Deus ubique.* — Ac ne leve præsidium in apostolis, vel patriarchis ac prophetis, vel potius in angelis, qui Ecclesiam quadam custodia circumsepiant, crederemus; adjectum est, *Et Dominus in circuitu populi sui ex hoc nunc et usque in sæculum.* Sed forte apostolorum vel angelorum custodia sufficiens existimetur. Verum id quidem est; sed et Moysen audiamus. Namque cum ei Dominus dixisset, *Ecce angelus meus antecedet te* (*Exod.* XXXII, 34); et ille respondit, *Nisi tu mecum ambulaturus es, ne me expellas hinc* (*Exod.* XXXIII, 15). Bonum quidem præsidium angeli, sed melius Domini. Multis anima nostra **455** laqueis appetitur, multis adversus nos armis dimicatur. Non terra, non maria, non aera fidei nostræ periculo vacant. Rapiunt oculos nostros raræ incogniti maris gemmæ, occupat animum terræ aurum, totis nostræ mortis illecebris spiritales nequitiæ et aeris hujus virtutes circumvo-

(*a*) Bad., Er., Lips. et ms. Reg. *Christi.* Rectius Par. ex ms. Mic. *Christum:* respicitur quippe illud Pauli I Cor. III, 11: *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus.* Deinde *per quod*, id est, quamobrem.

(*b*) Regius codex, *in Danielo:* cujusmodi locutio constans est in ms. Turon., etc.

(*c*) In ms. Reg. *cum substitutionibus suis erroribusque.*

(*d*) Ita ms. Mic. Alii vero libri, *in eo enim sumus resurrectio in resurrectione nostri, in eo nobis est corporis contemplatione speculatio*, etc.

(*e*) Apud Bad., Er. et Lips. *loquitur:* quod et habet ms. Reg. in quo deinde, *interpretatione hanc...., mons Sion speculationis est.*

(*f*) Ms. Reg. omisso *Dominum Jesum nostrum*, cum Mic. subdit *qui transfiguravit.*

(*g*) Quod proxime sequitur videtur postulare *a cœlesti Jerusalem ut non moveamur.* Quamquam Hilarius, quia *nunc cœlestes sumus in Christo*, ut loquitur in ps. CXXII, n. 3, docere videtur infra, ut et in psal. CXXI, n. 2, *cœlestis Jerusalem* vocabulum Ecclesiæ militanti convenire.

(*h*) Verbum *est* addimus ex ms. Magis placeret, *et hæc et illa Jerusalem est.* Mox editi habent *multitudine frequentium:* refragantibus mss. Quæ hic videntur intricata, confer cum verbis Apostoli ad Hebræos.

(*i*) Reg. ms. *procursores.*

(*j*) In vulgatis, *Hos ergo.* Magis placet cum mss. *Hos enim*, scil. sanctos atque angelos. Hos igitur putavit Hilarius nobis consulere.

lant, per vitæ præsentis molestias, per alienæ voluntatis mores atque lasciviam insidiantes, ut irascamur, ut oderimus, ut amemus : undique exspectamur et appetimur. Sciens ergo Dominus non adversus carnem et sanguinem nobis pugnam esse, sed adversus mundi hujus potentes et nequitias spiritales, ait Evangelia consummans : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque in consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 26). Adest enim : et cum fideliter invocatur, per naturam suam præsens est. Spiritus namque est omnia penetrans et continens. Non enim secundum nos corporalis est, ut cum alicubi adsit, absit aliunde : sed virtute præsenti, et se quacumque est (*a*) aliquid porrigenti, cum replente omnia ejus spiritu in omnibus sit, tamen ei qui in eum credat adsistit. Nam et tribus vel duobus in nomine suo congregatis erit præsens (*Matth.* XVIII, 20), et in circuitu populi B sui est ex hoc nunc et usque in æternum.

7. *Virga potestatis insigne. Tribulationes nostræ breves. Opus sit et probum et voluntarium.* — Sed quid sibi vult, esse eum *in circuitu populi sui ex hoc nunc et usque in sæculum?* VERS. 3. *Quia non relinquet virgam peccatorum super sortem justorum, ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas.* In virga potestatem intelligi convenit ; insigne enim potestatis est. Virgam accepit Moyses, qua posset omnia : fuit et virga Aaron. Sed fuit et virga Pharaonis, fuit et virga Nabuchodonosor. Ergo in circuitu nos Dominus custodit : ne super sortem nostram peccatorum virga derelinquatur. Veniunt quidem tribulationes, sed non permanent : veniunt persecutiones, sed non persistunt. Multi redigere libertatem fidei nostræ in C captivitatem volunt : sed (*b*) confisioni nostræ, quam in Christo habemus, nemo dominatur. Non enim super sortem nostram peccatoris virga derelinquetur. Dominus namque in circuitu populi sui est in æternum : ne victi et fatigati virgæ imperio, ad iniquitatem extendamus manus nostras. Sed virga cum inciderit, auferetur : et peccator cum incubuerit, non derelinquetur. Breve est quidquid patiemur ab adversariis Dei : et habet victoriæ præmium, licet non habeat prælii longi laborem. Dominus adest. Etiam si vis aliqua compellet, abstineamus manus nostras ab iniquitatibus, non extendamus opera nostra in peccata : quia Domino in circuitu nobis constituto, virga peccatoris non derelinquetur ut maneat.

456 8. (*c*) Post quæ conversio fit Prophetæ, retributionem a Domino ei qui ab iniquitate manus abstinuerit imprecantis. VERS. 4. *Benefac, Domine, bonis et rectis corde ;* probitatem et facti et voluntatis in utroque significans. Multis enim vel propter hominum favorem, vel propter periculum et metum, facti opus bonum est. Verum nisi ex voluntate boni simus, etiamsi hominibus boni videbimur, tamen Deo boni non sumus : quia perfecta bonitas in recti cordis consistit affectu.

9. *Iniquitatis operarius declinans ex lege.* — Retributio autem ut bonis adest, ita et malis non abest. Nam sequitur, VERS. 5 : *Declinantes autem ad obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem.* Et hic quoque duplicis significantiæ sermo est, declinantium ad obligationes, et operantium iniquitates. Qui declinant, ex alio in aliud declinant, id est, ex bonis operibus recti cordis in obligationes. Et quas esse obligationes existimabimus ? Eas nempe quas solvi propheta monuit, dicens, *Non tale jejunium* (*d*) *elegi, dicit Dominus ; sed solve omne vinculum iniquitatis, dissolve obligationes vehementium commutationum* (*Esai.* LVIII, 6). Si quis ergo se, a præceptis Dei declinans, his obligationibus colligaverit, adducetur cum operantibus iniquitatem, in eamdem scilicet sententiæ pœnam, trangressor et iniquus futurus. Qui enim operatur iniquitatem, ab observatione legis alienus est ; qui autem declinat ex lege, legem in qua mansit ante, transgreditur.

10. *Vincula fidem impedientia.* — Non declinandum igitur ad obligationes est : neque libertas nostra est nexibus sæculi et mundialium negotiorum vinculis inserenda. Novit beatus Paulus solutos ligari non oportere, cum dicit, *Solutus es ab uxore ? noli quærere ligationem* (I *Cor.* VII, 27). Et hoc non de criminoso vinculo necessariæ ligationis ita sensit. Cæterum sunt alia vincula, quæ fidem nostram impediunt et obligant, sibique connectunt : maxime augendæ pecuniæ labor, et negotiandi insincerus profectus. Hæc enim ita obligant peccatis, sacramentis, commerciis, ut sibi nos captos possessosque detineant. Ab his ergo mens, voluntas, studium solvendum est : quia declinantes ad obligationes una adducentur cum operantibus iniquitatem.

11. Erit autem Israel pacificus, non derelicta super se virga peccatoris : sed in fide perfecta ac spe æterna manens, audiet pro portione sibi dici, *Pax super Israel. Ille est enim pax nostra, qui fecit utraque unum* (*Ephes.* II, 14), Dominus noster Jesus Christus, qui est benedictus in sæcula sæculorum Amen.

D

457 PSALMUS CXXV.

Canticum graduum.

In (1) *convertendo* (Infra, *dum avertit*) *Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati. Tunc re-*

(1) *In avertendo* quod iterum habet liber, ubi versiculum repetit.

(*a*) Addimus *aliquid* ex mss. in quibus deinde *porrigendi*, non *porrigenti*. Paulo ante, *secundum nos corporalis*, id est, nostri ad instar, qui secundum corpus corporales sumus, et secundum animam corpori alligati. Quibus simile est illud tract. psal. CXXXIV, n. 16 : *Et hoc quidem ita in Domino, qui non in locis ut corporalis, sed ubique adveniens cernitur.*

(*b*) Vulgati *confessioni ;* castigantur ope manuscripti Reg.

(*c*) Sola editio Par. *postquam ;* aliæ, *postque.* Emendantur ex mss.

(*d*) Ita ms. Reg. juxta LXX. At excusi, *elegit Dominus.* Tum Par. ex ms. Mic., *sed solve omnem nodum* (Mic. ms. hic addit *tuum*) *iniquitatis.* Editiones aliæ, *sed solve omne vinculum, nodum iniquitatis dissolve.*

pletum est gaudio os nostrum, et lingua nostra exsultatione. Tunc dicent inter gentes, Magnificavit Dominus facere nobiscum (Infra *magnificavit Dominus facere cum illis*): *sumus* (Infra *facti sumus sicut*) *lætantes. Converte, Domine, captivitatem nostram, sicut torrens in austro* (Infra non legitur *sicut torrens in austro*). *Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent* (Infra *seminat... metet*). *Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua. Venientes autem venient in exultatione, portantes manipulos suos.*

TRACTATUS PSALMI.

1. *Psalmorum intelligentia spiritalis nequit prorsus respui.* — Nisi essent in psalmis quædam tales prophetiæ, ut in res atque homines eorum temporum, quibus scripta sunt non convenirent; profecto auderent multi nihil in psalmis spiritaliter dictum existimare, putarentque nos quasdam commentitias assertiones, et ementitias interpretationes inquirere, quibus videremur altius nescio quid ac profundius cæterorum sensu intellexisse : perinde quasi nos sensui nostro ea quæ scripta sunt coaptemus, et non magis ex his quæ scripta sunt, sensum diligentis et sollicitæ intelligentiæ consequamur. Scriptura enim legis manet atque est anterioribus, quam adesset Dominus, temporibus consummata a prophetis, (*a*) edita a Judæis, pertractata a regibus, suscepta a gentibus; sed intellecta et probata a Christianis.

2. *Legis intelligentia Christianis a Deo indulta.* — Hoc forte insolens existimetur. Plane insolens est, si nobis hanc gloriam præsumimus, si tantum infirmitati nostræ licere volumus, ut tantis temporibus abstrusa, tantis humani generis obscura ætatibus, in quibus intelligendis frustra reges laboraverint, ipsi doctores et magistri legis erraverint, nos stulti sæculo, et purgamenta mundi, et deliramenta sapientibus (*b*) eorum intelligentiam gloriemur. Sed tamen intelligimus, quia non 458 mendax est qui dicit: *Petite, et dabitur vobis; quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis* (*Matth.* VII, 7). Et scriptum est, quia qui dixit, *Quoniam oportebat impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, et in prophetis, et in psalmis de me* (*Luc.* XXIV, 44), *tunc aperuit sensum eorum, ut intelligerent Scripturas, et dixit illis, Quoniam sic scriptum est, Christum pati, et resurgere ex mortuis tertia die, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes* (*Ibid.*, 45, 46). Non ergo ex nobis est quod intelligimus; sed ex eo, qui (*c*) quæ ignorabilia erant fecit intelligi. Itaque ab eo speranda intelligentia est: qui et pulsantibus (*d*) aperiet, et quærentibus demonstrabit, et petentibus non negabit.

3. *Captivitas corporalis non narratur hoc psalmo. Psalmi argumentum.* — Nam quomodo intelligi poterit hic psalmus, qui a rerum gestarum historia dissentit? Nusquam enim captivitas populi hujus usque ad David tempora scribitur : sed longe postea quam Salomon filius ejus regnum obtinuit, servivit captus Israel Assyriis, deinc Juda Babyloniis. Quomodo ergo David in eodem psalmo tamquam captus orat? Aut quomodo aversa a se captivitate lætatur? dicens, VERS. 1-3: (*e*) *Dum avertit Dominus captivitatem Sion, facti sumus tamquam consolati. Tunc repletum est gaudio os nostrum, et lingua nostra exultatione. Tunc dicent inter gentes, Magnificavit Dominus facere cum illis.* Quamquam autem religiosum sit existimare, futuræ captivitatis demutationem secundum (1) prophetiæ scientiam prænuntiatam fuisse; et ea quæ indubitate essent gerenda, per fidem gerendorum commemorasse pro gestis; tamen dictorum (2) ratio verborumque virtus ejus reditus gratulationem, qui post captivitatem Babyloniæ indultus est, nunc nos intelligere non patitur : cum præsertim eumdem reditum gravior postea sit consecuta captivitas, et indignum sit propheta, tanquam ignorantem, (3) amoto omni captivitatis opprobrio gratulari, cum indemutabili rursum opprobrio captivitas iterata successerit. Est autem nunc omnis in psalmo, sicuti singularum rerum expositione monstrabimus, ex captivitate vitiorum in libertatem cognitionis Dei redeuntis animæ gratulatio.

4. *Gravior est animæ, quam corporis captivitas.* — Et quidem gravis est captivitas corporalis, quæ, jure libertatis amisso, victorum dominatui subditur. Et serviunt tum quidem corpora, sed nequaquam capitur fidelis animæ libertas. Testes sunt mihi tres pueri inter flammas cantantes; testis Daniel in fame 459 leonum, prophetæ prandio saturatus; testis Eleazar inter jura dominorum, patriis suis legibus liber (II *Machab.* VI); testes (4) cum matre sua (*f*) Martyres septem, Deo gratias inter nova mortis tormenta referentes (*Ibid.* VII). At vero quanto infelicior est animæ captivitas! Si eam avaritia ceperit, per corpus latrocinatur (5) ac grassatur : si libido vicerit, communicat cum corpore servitutem : si luxus, ira, odium, temeritas, ebrietas, invidia

(1) *Prophetæ.*
(2) *Ratio* addimus e libro nostro.
(3) *Amoto ejus captivitatis.* Exinde *cui* pro *cum.*

(4) *Cum anu sua.*
(5) *Ac grassatur* non habet codex.

(*a*) Bad. et Er. *adita* : ex quo Lipsius fecit *audita*, non male, si cum auctoritate fecisset. Probabilius tamen hic respicitur editio legis a LXX Judæis jussu Ptolemæi regis suscepta. Unde factum est ut pertractaretur a regibus et a gentibus susciperetur.

(*b*) Editi, *de eorum intelligentia* : renitentibus mss.

(*c*) Sic prima editio Par. cum mss. Postrema cum Bad., Er. et Lips. *quæ innoscibilia erant.*

(*d*) Regius codex, *aperuit.... demonstravit.... non negavit.*

(*e*) Ms. Mic. *in avertendo Dominum.* Par. *in advertendo Dominus.* Editi alii hic, *in convertendo*; infra autem, *dum avertit* : quam lectionem retinet constanter ms. Reg.

(*f*) In mss. Vatic. ac Reg. *cum anu sua.* Tres legantur Martyrum septem matres, eorum ad martyrium hortatrices : sed hic Hilarius Machabæorum matrem maxime videtur respexisse. Paulo ante apud Par., ut in Reg. ms. exstat, *patris sui legibus*, pro *patriis suis legibus.*

subegerit; his imperantibus sibi dominis et anima et corpus in commune famulantur: atque ita captivitatem animæ, et (1) corporis sequitur captivitas. Cæterum conditionem corporis religiosæ animæ generositas despicit. Officium (2) quidem durum, tamen homini non omnino miserabile, quia (*a*) serviatur a servis: at vero animæ captivitas quam infelix est!

5. *Servitus avaritiæ, libidinis, ebrietatis, aliorum vitiorum.* — Avarus cariturus semetipso, carere timet pecunia; negotiosus, tristis, anxius, sine requie ulla, damni metu semper detinetur; honestatis immemor, amicitiarum inobservans, humanitatis (*b*) fugax, religionem nescit, bonitatem omnino odit. At vero cui libido domina est, in quo cœno dedecoris volutatur! Pendet ad occasiones adulteriorum: anxius circa lasciviæ suæ furta, oculis, mente, corpore totus in scortis est. Videns quotidie atque audiens humanas in adulteros (*c*) leges, adulterium in ipso foro cogitat; quod agit timet, et quod timet non fugit. Quid vero infelicius ebrietatis dominatu? ventri ultra capacitatem infundere, (3) officium suum corpori invidere, sensui rationem adimere, non loqui, non meminisse, non stare, et mortem quamdam naturæ incolumi imperare? Quam dedecorosus autem est furentium motus, temeritatis impetus, odiorum stimulus, livoris anxietas? Quanta ergo perturbatio eorum est, quanta calamitas, qui supra memoratis malis serviunt!

6. *Liberatorum a vitiis voces.* — Verum si cognita sapientiæ doctrina, et Dei prædicatione, et remissione (4) peccatorum (*d*), 460 et resurrectione corporum, et æternitatis consortio, et regno cœlesti, a dominantibus (*supple*, vitiis) superioribus de avaritia ad munificentiam transeamus, de libidinibus ad continentiam migremus, de ebrietate ad jejunia revertamur, de furore, temeritate, odio, livore ad placabilitatem, rationem, misericordiam, benignitatem evolemus: discentes hæc omnia a lege et prophetis, evangeliis et apostolis; et cantantes ex lege: (*e*) *Dominus conterens bella, Dominus nomen est illi* (*Judith.* XVI, 3); cognoscentes a propheta: *Ego sum qui feci cœlum et terram ex nihilo* (*Esaiæ* XLVIII, 13); (5) reddentes ab Evangelio: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I, 1); pronuntiantes ab Apostolo: *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ, quia in ipso constituta sunt omnia in cœlis et in terra* (*Coloss.* I, 15 *et* 16): et cum gentes conversionem nostram ex vitiis in virtutes, ex ignorantia Dei in confessionem ejus effectam admirabuntur; tunc psalmi prophetiam a nobis (6) intelligi posse testabimur, dicentes: *Dum avertit Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati. Tunc repletum est gaudio os nostrum, et lingua nostra exultatione. Tunc dicent inter gentes, Magnificavit Dominus facere cum illis.* Avertit enim Dominus captivitatem nostram per remissionem peccatorum. A dominatu enim vitiorum animam liberavit, anteriora delicta non reputans, et nos in vitam novam renovans, et in novum hominem (*f*) transformans, constituens nos in corpore carnis suæ. Ipse est enim Ecclesia, per sacramentum corporis sui in se (*g*) universam eam continens. Non erat Sion ante quam liberaretur; sed Sion est quæ liberata est. Nomen cum libertate convenit. Neque enim manentis, sed aversæ captivitatis hoc nomen est.

7. *Nunc nonnulla, sed non plena nobis consolatio.* — Quod vero ait: *Facti sumus* (7) *sicut consolati*, meminit et Apostolus interim tamquam consolatum esse se, dicens: *Miser ego* 461 *homo, quis me liberabit a corpore mortis hujus* (*Rom.* VII, 24)? et qui nunc pro parte scit, et pro parte prophetat (I *Cor.* XIII, 9), et qui scit repositam nobis esse (*h*) Jerusalem in cœlo, et cum dicit: (8) *Dissolvi me melius est, et cum*

(1) In anteriori editione erat *mentis;* quam dictionem Erasmiana non habet, et ut sermonis contextui minus consentaneam ut nostri suffragio rejecimus.

(2) *Licet.* Deinde, *quia et serviatur.*

(3) Supplet codex, quæ in anteriori exciderant: *officium suum corpori invidere.*

(4) *Universorum horum peccatorum.*

(5) Antea, *credentes.* Lectioni codicis nostri favent quæ subsequuntur, *pronuntiantes*, etc.

(6) *Intelligibilem testabimur.*

(7) *Tamquam consolati.* Quod repetit Hilarius interpretans *tamquam consolatum.*

(8) *Dissolvi melius esse.*

(*a*) Particulam *ei* apud Par., hic immissam removimus. Hoc ita potest explicari: non est miserabile quod servi serviant; quibus subintelligendum, nec proinde quod captiva sint corpora, quæ servire nata sunt: at vero animæ natura liberæ quam miserabilis captivitas est!

(*b*) Reg. ms. *fuga.*

(*c*) Quænam sint illæ leges, commodius exponetur in psal. CXLIV, num. 9.

(*d*) In vulgatis, *universorum horum peccatorum.* Priora duo verba expunguntur auctoritate ms. reg.

(*e*) Superius pag. 10, not. demonstravimus ex hoc loco librum Judith etiam inter legis libros ab Hilario recenseri. Lex quidem proprie Pentateuchum vocatur. At cum Hilarius totam scripturam in legem, prophetas, evangelia et apostolos partiatur; ut duobus primis membris vetus Testamentum, novum autem duobus aliis contineatur: manifestum est legem ab eo appellari, quidquid ex veteri Testamento ad prophetas non pertinet. Imo in psal. LXIV, n. 7, eam omnem Scripturam, quæ Judæo populo tradita est, Legem nuncupari significat, ubi ait: *Non competit hæc oratio Judæo. Et quamvis hic liber* (puta Psalmorum) *Legis sit, prophetia tamen non est gentis unius.* Ubi et legis et prophetiæ nomen psalterio adscriptum vides. Sic in psal. CXVIII, litt. 17, num. 5, Proverbiorum locum memoraturus, hunc *Lege scriptum* simpliciter significat.

(*f*) Ita ms. reg. Editi vero, *reformans.*

(*g*) In reg. ms. ab antiqua manu secunda, *universa membra continens:* ingeniosius quam verius. Similes loquendi modos plures jam vidimus, ut cum in psal. LI, n. 16, prædicatur Christus *naturam in se universæ carnis assumpsisse.* Quod hic pressius, ibi fusius explicatum videsis. Ita audiemus lib. II de Trin., n. 23, Christum *assumptione carnis unius interna universæ carnis incolere.*

(*h*) Loco *Jerusalem* legendum videtur *spem*, ex illo Pauli Coloss. I, 5, *propter spem quæ reposita est vobis in cœlis.*

Christo manere (*Phil.* I, 23). Sumus nunc quidem consolati: quia Dominus ait: *Mittet vobis* (*a*) *et alium consolatorem* (*Joan.* XIV, 16). Cum dicit, *alium*, superesse se docet. Superest enim: exspectat namque omnis creatura revelationem filiorum Dei. Revelatio illa, consummata consolatio est. Cæterum nunc *tamquam* (*b*) consolatio est; ipsa interim non carentes, licet sit consummationis suæ nobis residua perfectio.

8. *Conversio nostra Dei munus. Conversorum status quam melior statu peccatorum.* — Replétur (*c*) etiam gaudio os nostrum, et lingua nostra exultatione: non enim sufficientia sunt ad referendas Deo laudes linguæ nostræ atque oris officia. Mutavimus crimina in innocentiam, vitia in virtutes, ignorantiam in cognitionem, interitum in immortalitatem: et hoc (*d*) a Deo, gratiam faciente pœnitendorum et novorum bonorum initia reddente. Quod enim optabilius nobis est tempus? quo adulterabamus, aut quo maluissemus virgines fuisse? quo ebrii eramus, aut quo jejuniis lætamur? quo pecuniæ serviebamus, aut quo pecunia nostra benignitatis est usus? quo dæmonia adorabamus, (*e*) aut quo dæmoniis imperamus? quo placere sæculo gestiebamus, aut quo sæculum vincimus? quo Deum nesciebamus, aut quo hæredes Deo præparamur?

9. Hanc spei nostræ fidem gentes contemplantes, dicunt: *Magnificavit Dominus facere cum illis.* Hanc in virtutes vitiorum demutationem contuentes, Dei in nos magnificentiam admirantur. Idipsum etiam ex sensu adeptæ hujus beatitudinis, nos quoque confitemur in oris gaudio et linguæ exultatione: *Magnificavit Dominus facere nobiscum: facti sumus* (*f*) *lætantes.* Lætamur enim de profundo ac miserabili cœno nunc ablutos nos fuisse, et novos ex omnibus vitæ anterioris vitiis constitisse.

10. *Cur superiora in præterito, in futuro sequentia.* — Et quia propheta futuræ spei gaudia loquebatur, licet secundum Scripturæ consuetudinem tamquam de præteritis gratularetur: tamen per consequentem precem non **462** sui temporis res has esse declarat, dicens, VERS. 4: *Converte, Domine, captivitatem nostram.* Si fuit tamquam consolatus cum aversa est captivitas; quomodo nunc ut a se avertatur orat? Sed in superioribus propheticæ scientiæ fuit sermo futurorum gaudia tamquam de præterito (1) nuntiantis: nunc autem de avertendis (*subaud.* malis, *vel* vitiis) communis est oratio, cui se propheta (2) tametsi (*g*) ipse non est captus admisceat, tamquam adhuc in iisdem se esse cognoscat. Scriptum est enim: *Justus in principio sermonis sui, ipse sibi accusator est* (*Prov.* XVIII, 17); et rursum: *Confitere primum peccata tua, ut justificeris* (*Esa.* XLIII, 26): et: *Beati lugentes, quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* V, 5). Scit quidem propheta se liberum; sed tamquam captus Deo subditus est, sive per propriæ confessionis disciplinam: quia ubi peccati confessio est, ibi et justificatio a Deo est; quod in publicano et pharisæo Dominus testatus est, cum pharisæus justum se gloriatus est, publicanus vero pro peccatis orasset, ait enim: *Amen dico vobis, quoniam magis justificatus est publicanus quam pharisæus* (*Luc.* XVIII, 14). Sive ergo ob id propheta converti captivitatem (*h*) in commune precatur, seu quod populum omnem a peccatis captum sciebat; et sicut, cum Apostolo (juxta Apostolum), membro uni corpus omne compatitur (I *Cor.* XII, 26), ita et populo captivo a peccatis propheta concaptus est.

11. *Sationes duæ.* — Sed tamen orare pro captivitate sua bonum sibi esse demonstrat, dicens, VERS. 5 et 6: *Qui seminat in lacrymis, in gaudio metet. Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua. Venientes autem venient in exultatione, portantes manipulos suos.* Quis hic ad Judæos sermo est, ut eorum in hoc psalmo videatur prophetata captivitas? Quæ vero ad communem humani generis consuetudinem ratio est? Quis enim umquam serens flevit? aut numquid hujus lamentabilis sationis Judæis usus ex lege est? Nequaquam igitur istud scriptum usquam aut gestum est: sed est prophetia superioribus dictis connexa. Duas autem esse sationes sanctus apostolus Paulus docuit, carnis et spiritus (*Gal.* VI, 8): demonstratis et enumeratis seminibus sationis utriusque, cum caro adulteria, veneficia, comessationes, ebrietatem, avaritiam, **463** idololatriam, et cætera his similia sereret

(1) *Nuntians.*

(2) *Tamquam et ipse sit captus.*

(*a*) Vocabulum *pater* in vulgatis hic adjectum est, quod abest a mss. ut supra in ps. CXX, n. 6. Mox post *superesse*, expungendum videtur *se*. Quamquam ad extremum Christi adventum hæc videntur referri, de quo Paulus Phil. III, 20: *Salvatorem expectamus D. N. J. C. qui reformabit corpus humilitatis nostræ*, etc.

(*b*) Excusi, *consolatione ipsa*: emendantur ex mss. Post *non carentes*, subintellige *sumus*.

(*c*) In editis, *Repletur enim*: et mox, *ad reddendas Deo laudes*. Tum ms. reg.: *Linguæ enim nostræ atque oris officia mutavimus. Mutavimus crimina*, etc. Idem ms. superius addit *os nostrum et lingua nostra*, post *non enim sufficientia sunt*.

(*d*) Bad. *a Dei gratia faciente pœnitendorum*. Tum Erasmus post verbum *pœnitendorum*, de suo adjecit *finem*; atque hæc lectio sic interpolata deinceps obtinuit. Ex ms. reg. in quo exstat, *a Deo, gratia referente pœnitendorum*, confici posset, *a Deo, gratia referente* peccatoris animum *ad pœnitendum*. At lectio, quam exhibemus ex ms. Mic. per se absoluta integram præstat sententiam: eique prorsus consentit Turon. nisi quod pro *faciente* habet *referente*. Deus pœnitendorum gratiam facit, cum dimittit peccata: quæ ideo *pœnitenda*, quia ea sequi debet pœnitentia numquam intermittenda.

(*e*) Mendose in vulgatis, *in quo pecuniis imperamus*.

(*f*) In excusis, *sicut lætantes*. Non exstat *sicut* in mss. reg. ac Turon. nec in sacro textu græco et latino.

(*g*) Ita ms. Turon. consentiente regio, nisi quod in hoc deest *non*. In editis autem, *tamquam et ipse sit captus admiscet*.

(*h*) In vulgatis, *communem*. Rectius in mss. reg. et Turon. *in commune*. Sic supra, *nunc autem de avertendis communis est oratio*.

(*Gal.* v, 19); spiritus vero pacem, gaudium, continentiam, caritatem, sobrietatem, mansuetudinem et quæ sunt his consequentia seminaret (*Ibid.* 22); et sata sua (1) uno quoque messuro. Cum igitur optimum Deo sacrificium sit cor contribulatum (*Ps.* L, 29), et beati sint lugentes, quoniam ipsi consolabuntur (*Matth.* v, 5), et unusquisque quæ severit metet, operum suorum fructus in judicium tamquam manipulos laturus : seminandum nobis est cum confessione peccatorum, 464 cum luctu corporalis infirmitatis, cum lamentatione ac dolore conscientiæ nostræ, quod nequaquam possimus digne Dei præcepta secundum propositum voluntatis explere. Tunc quæ in lacrymis severimus, metemus in gaudio : euntesque flentes, cum exultatione veniemus, repleti fructibus nostris, et manipulis elaboratæ a nobis messis onerati, consolati per Christum, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

ADMONITIO

IN QUINQUE TRACTATUS SUBSEQUENTES.

Tractatus proximus, dempto exordio, necnon quatuor subsequentes toti exstant inter sermones sancti Zenonis Veronensis nomine vulgatos : adeoque de eorum auctore nonnulli ambigunt, quos inter Theophilus Rainaudus Erotem. de bonis ac malis libris pag. 442, *ait* : Explicatio psal. CXXVII, quæ apud sanctum Hilarium legitur, Zenoni Veronensi ab aliis adscribitur, *ubi et alias quoque enarrationes non advertit utrique adscriptas. Raphael Bagata tractatus illos Zenonis satis assertos putat ex scripti codicis quo usus est antiquitate. Cæterum ab aliis sermonibus stilo eos discrepare non inficiatur. Neque nos negamus antiquam esse illam Zenonis sermonum collectionem. Hanc in codice, quem Hincmarus Remensis episcopus bibliothecæ sancti Remigii dono dedit, vidimus duos in libros distributum, quibus præmittitur :* Sermo venerabilis Coronati Notarii de vita sancti episcopi et confessoris Zenonis. *Eo in sermone prædicatur Zeno a matris utero sanctificatus, ac postmodum pastor ordinatus in monasterio degisse, donec imperatoris Gallieni jussu quæsitus, ut unicam filiam a dæmone liberaret, Veronam ingrederetur, ubi* non multo post receptus in pace est ; *ac deinde* basilica in honorem Dei et ipsius sancti Sacerdotis *haud procul a fluvio Athesis*, ubi nunc sanctum ipsius corpus requiescit, constructa est. *Hunc Coronati sermonem excipit hic titulus :* Tractatus sancti Zenonis Veronensis episcopi. *Tum sequitur index tractatuum, qui, uti diximus, in duos libros ac longe alio ordine, quam in bibliotheca Patrum exstant, distributi sunt. His obiter animadversis, difficile admodum non est demonstrare prædictos tractatus non ex Zenonis sermonibus inter Hilarii lucubrationes, sed ex lucubrationibus Hilarii inter sermones Zenonis fuisse immissos.*

Ac primo quidem antiquitati codicis eos Zenoni adscribentis opponimus Regium ac Miciacensem mss, antiquitate non inferiores, qui eosdem Hilario Pictavensi attribuunt. Deinde stili eorum a cæteris Zenonianis dissimilitudo, cum Hilarianis autem similitudo, de vero illorum parente nullum dubitandi locum permittit. Demum cum illi nullo veterum testimonio Zenoni asserantur, et contra primum ex iis atque secundum Hieronymus epist. CXLI *ad Marcellam, tertium vero atque quartum Hincmarus lib. de Prædest. c.* 25, *Hilario adscribant, nescio an tuto liceat tantæ auctoritati non cedere.*

Verum etiam si tam gravia nobis deessent in gratiam Hilarii testimonia, in promptu esset idipsum ratione non minus certa atque evidenti evincere. Illi quippe in Cantica graduum tractatus, quales apud Hilarium exstant, spectari nequeunt velut disjuncta quædam Opuscula minimeque inter se cohærentia, quæ et ab aliis distrahi, et Hilario adsui commode potuerint. Unum omnes conficiunt opus præfatione connexum, quo maxime confutantur qui iis Canticis captivitatem Babylonicam et ab ea reditum prænuntiari asserebant ; adeo ut si quinque Zenoni, pariter et alii decem cum prologo ei haud dubie adjudicandi sint. Jam vero illis ita Zenoni adjudicatis, eidem quoque adscribenda erit præfatio generalis in librum psalmorum, quam auctor horum tractatuum prologi n. 6 *suam agnoscit. Erit proinde Zeno tractatuum in ps.* CXVIII *auctor declarandus. Qui enim illos conscripsit, prædictam præfationem generalem non semel in iis memorat ut propriam. Hallucinatus est igitur Cassiodorus, qui hanc præfationem Hilarii nomine laudat. Erravit et Augustinus, qui tractatus in ps.* CXVIII, *toties cum lib. de Nat. et Grat. tum contra Julian. non Zenoni, sed Hilario attribuit. Erravit Hincmarus, errarunt et alii, quotquot Hilarii in psalmos testimonio se uti existimarunt, cum Zenonis verba in medium proferrent. Æquius est ut collectionem sermonum illorum, qui Zenonis nomine circumferuntur, quamvis antiquam, Hilarii tamen ævo posteriorem esse existimemus. Aut si quis contendet illam ejus Zenonis esse, qui Gallieno imperante vixerit, certe concedat necesse est eam postmodum alienis opusculis auctam, cum non Hilarii modo, sed et Basilii tractatibus aliquot constare prudens quisque non negaturus sit.*

465 PSALMUS CXXVI.

Canticum graduum Salomonis.

(2) *Nisi Dominus ædificaverit* (Infra, *sibi*) *domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum vigilavit qui custodiet eam* (Infra *vigilaverunt qui custodiunt*). *In vanum est vobis ante lucem* (Infra *diluculo*) *surgere : surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris. Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini filii, merces fructus ventris. Sicut sagittæ in manu potentis, ita filii excussorum. Beatus vir qui implevit desiderium*

(1) *Unumquemque messurum.*

(2) Hic etiam in primo psalmi versiculo, qui solus tamquam tractatus argumentum de more præmittitur, legitur : *ædificaverit sibi domum.* Tum *in vano* pro *in vanum.* Salomonis nomen in inscriptione tituli non apparet, ut neque in græco textu ; sed ab Hilario lectum liquet ex his, quæ de Salomone habet, n. 3, nempe : *titulus antelatus auctorem eum*, etc.

suum ex ipsis : non confundentur cum loquentur inimicis suis in porta.

TRACTATUS PSALMI.

1. *Psalmi hujus ea non est quæ se offert intelligentia. De terrena captivitate eum intelligi non vetat Hilarius.* — Ratio et temporum et prophetiæ intentam adhiberi ad præsentem psalmum cognitionis postulat diligentiam : ne forte nos ad inanem intelligentiam absoluta quædam verborum species et ipse ille gestorum corporalium ordo sollicitet : maxime cum plures, interiores causas doctrinæ propheticæ nescientes, sensu Judaico (*a*) præteritorum temporum prophetiam contineri in his graduum canticis opinentur ; ut ea captivitas Jerusalem prænuntiata sit, quæ sub Jeremiæ diebus acciderit, et ejusdem rursus depulsæ captivitatis gratulatio (*b*) prophetetur ; sitque (1) eorum (*c*), quæ psalmis his enuntiantur, aut servitutis dolor, aut reditus lætitia. Non improbamus hunc sensum, neque eorum intelligentiam coarguimus. Dignum est enim, ut miserabilem populi casum, et impietati ejus debitam pœnam, et post longæ servitutis sufficientem peccatis gravibus satisfactionem, et misericordem in eos Dei indulto reditu voluntatem, secundum providentiæ scientiam (2) prophetæ (*d*) spiritus præloquatur.

466 2. *Æterna in eo prænuntiari contendit.* — Verum cum captivitatis illius reditum gravior sit et irremissa captivitas consecuta, et ædificationem civitatis receptæ miserabilis maneat et non demutanda vastatio, sciantque (*f.* sciamque) et spiritalis reditus gloriam Israel reliquo reservari, et cœlestis ac sanctæ Jerusalem ædificationem usque ad beati ac dominici regni tempora comparari ; maximeque cum spes illorum dierum atque res, omnium horum psalmorum virtutes et genera testentur : non intelligo cur tantum de caducis ac demutabilibus malis, ac non etiam de æternis esse velint prophetæ dolorem ; et temporalium magis gaudiorum, et eorum quæ gravissimæ postea demutaturæ essent calamitates, potius quam indemutabilium et æternorum intelligant demonstratam esse lætitiam ; cum magnificentiæ propheticæ magis dignum sit, beata et æterna et cœlestia prædicasse. (*e*) Quamquam igitur psalmi superiores captivitatem non corporalem tantum et terrenam, (*f*) sicuti libertatem non caducam, non præsentem, non sæcularem in se demonstrati sint continere : tamen etiam hic quoque psalmus nihil in se terrenum, nihil humile, nihil præteritis temporibus conveniens intelligitur esse complexus : sed secundum propheticam et evangelicam et apostolicam auctoritatem eas spes omnes prænuntiare, in quas se patriarcharum desiderium, sanctorum exspectatio, apostolorum fides, martyrum confessio, et omnium credentium cursus extendit, id est, in sancta tempora, in æternæ civitatis incolatum atque cœtum, in regni dominici beatitudinem, in spiritalis libertatis novam gloriam, in consortium divinæ æternitatis et regni. Atque ut id absolutius intelligatur, ipsas illas verborum virtutes proprietatesque tractemus.

3. *Hæc de templo Salomonis destruendo ac restituendo interpretantes improbantur.* — Vers. 1 et 2. *Nisi Dominus ædificaverit sibi domum , in vanum laboraverunt qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum vigilaverunt qui custodiunt eam. In vanum est vobis diluculo surgere.* Volunt plures sanctum Salomonem , ædificationi civitatis et templi studentem, in eo ipso molitionis suæ tempore eversionem civitatis ac templi quod conderet prophetasse : quia et titulus antelatus auctorem eum psalmi hujus esse demonstret. Magnis enim viribus et totis regni sui opibus magnificum aliquid et Deo dignum efficere 467 tentabat. Nam ad centum quinquaginta millia virorum, sicuti scriptum est, in diversos ædificationis usus ac ministeria occupabantur (II *Paral.* II, 17). Et quamquam, instituta a se consuetudine, perfectis omnibus maxima (3) custodia civitatis et templi sollicitudo esset adhibenda : tamen cum non ignoraret inanem tanti laboris operationem futuram, civitate eadem a Babyloniis ob peccata populi diruenda, ista dixisse : *Nisi Dominus ædificaverit sibi domum, in cassum laboravérunt ædificantes eam.* Putant autem prophetiam hanc consummatam in ea tempora fuisse, quibus post captivitatem populi, Dario rege reditum impertiente, ædificata rursum per Zorobabel et (*g*) Josedech civitas fuit (*Aggæi* II, 3 ; I *Es.* V, 2).

4. Quorum inopem sensum ipsa illa posset consummatio ædificationis arguere. Nam per Aggæum prophetam ita ad hos eosdem (*h*) restauratores

(1) *Sitque eorum temporum, quæ psalmis his enuntiatur.*

(2) *Prophetiæ spiritus.* Infra, *prophetiæ dolorem.*

(3) *Custodiæ.*

(*a*) Præterita illa tempora nuncupantur respectu nostri, quibus jam præterita est Babylonica captivitas, vel potius per oppositionem ad æterna, quæ nondum obtinentes speramus, non autem respectu prophetiæ. Sive enim David, sive Salomon hujus psalmi auctor asseratur, utriusque respectu futura erat, non præterita, quæ sub Jeremia contigit captivitas.

(*b*) Par. *profiteatur* : editi alii et ms. reg. *gratulationem profiteatur*. Turon. *profiteantur* : castigantur ex Miciacensi.

(*c*) Apud Par. *sitque ex eorum*. Illud *eorum* ad nihil aliud referri posse videtur, nisi ad tempora præterita.

(*d*) Mss. reg. et Turon. *prophetiæ spiritus* : et infra, *prophetiæ dolorem*.

(*e*) Lipsius, ac post eum Par. *Cum igitur*, et mox, *tum etiam hic*, pro *tamen etiam hic* : minus displiceret, si hoc cum auctoritate et non renitentibus mss. posuissent.

(*f*) In vulgatis , *sed sicuti*. Rectius mss. reg. et Turon. *siculi*, sine *sed*.

(*g*) Apud Zenonem, apud quem hic tractatus a primis dumtaxat, num. 3, verbis incipit, hic habetur, *et Josue filium Josedech* : non male. Græcus tamen textus, quem Hilarius sequi solet, *Jesum* præ se fert, non *Josue*.

(*h*) Editi, *instauratores*. Aptius est verbum quod substituimus ex mss. reg. et Turon. in quibus mox, *moveo cœlum*, non *movebo*, dissentiente etiam græco.

Jerusalem Dominus est locutus : *Adhuc semel, ego movebo cœlum et terram, et mare et aridam ; et subvertam sedes regum* (*Aggæi* II, 7). Psalmi ergo virtus non in tempora tantum Salomonis, sed etiam in Aggæi intelligenda est convenire. Ædificationis enim utriusque labor vanus est. Ædificata namque per Zorobabel civitas, solum hodie ex se conflagrationis suæ cinerem, et deformium ruinarum præbet fœditatem. Et has sedes regum, quas se ædificatores (1) (*a*) regni æterni gloriam restaurare arbitrabantur, vastatio iterata subvertit, sede adhuc etiam cæterorum subvertenda regnorum.

5. *Opera hominum inania.* — Bene autem inania humani operis propheta esse opera prophetavit. Scit inutiles esse humanarum custodiarum vigilias, scit in cassum esse consurgentium matutinas sollicitudines. Civitas et a se instituta, et ab aliis restituta, jam nulla est : non profecit ædificatio vel prima, vel consequens. Et recte ille ipse evertendæ civitatis propheta est, qui auctor fuerat exstruendæ. A Deo ergo domus est ædificanda quæ maneat : quia nisi quæ a Domino ædificata sit, non manebit. A Deo civitas est custodienda ne pereat : quia nisi a Deo custodita sit civitas, diruetur. Et primum quæ domus Dei sit, intelligamus : ut per id cognosci possit, quatenus ab eo ædificanda mansura sit.

6. *Domus Dei quæ vulgo. Locis non clauditur Deus.* — Domus est habitantis habitatio. Sermo enim divinus secundum intelligentiæ nostræ consuetudinem naturamque se temperat, 468 communibus rerum vocabulis ad significationem doctrinæ suæ et institutionis aptatis. Nobis enim, non sibi loquitur ; atque ideo nostris utitur in loquendo. Conventus quidem ecclesiarum, sive (*b*) tum templi, quos (*c*) ad secretam sacramentorum religionem ædificiorum septa concludunt, consuetudo nostra vel domum Dei solita est nuncupare, vel templum. Scriptura quoque vel prophetica vel apostolica ad demonstrationem locorum his est usa nominibus. Verum non hanc, quæ a nobis ac nobiscum ita nuncupatur, domum Dei esse ex ipsius dictis docemur. Ait enim : *Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum : quam domum mihi ædificabitis, aut quis locus requietionis meæ? Nonne hæc omnia fecit manus mea* (*Esaiæ* LXVI, 1 *et* 2) ? Non concluditur ergo ædificiorum domibus infinitus Deus, nec locis in aliquo continetur virtus immensa, (2) quæ omnia fecit (*d*) : Apostolo idipsum ita testante : *Deus qui fecit mundum, et omnia quæ in eo sunt : hic cum sit cœli et terræ Dominus, non in manu factis templis habitat* (*Act.* XVII, 24).

7. *Domus Dei quæ vera.* — Nulla ergo Deo requies est, et nulla habitatio? Et forte nequaquam creditur esse, qui nusquam est. Audiamus ergo ipsum de requie sua et habitatione (3) testantem : ait enim : *Hæc requies mea in sæcula sæculorum : hic habitabo, quoniam elegi eam* (*Ps.* CXXXI, 14). Elegit autem Sion ; sed numquid eam, de qua præsens prophetiæ hujus querela est, *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam?* Sion in qua templum fuerat, eversa est : et ubi sedes Domini æterna? ubi requies sempiterna? quod habitabile templum? Nempe illud, de quo dictum est, *Vos estis templum Dei, et Spiritus Dei habitat in vobis* (I *Cor.* III, 16). Hæc domus et hoc Dei templum est, doctrinis et virtutibus Dei plenum, et sanctitate cordis divini capax incolatus, de quo idem hic propheta ita testatus est : *Sanctum templum tuum, mirabile in æquitate* (*Ps.* LXIV, 5 *et* 6). Sanctitas, æquitas, continentia humana, Deo templum est.

8. *Domus Dei structura.* — Domus ergo hæc ædificanda per Deum est. Humanis enim operibus exstructa non permanet, nec doctrinis sæculi instituta consistit, nec inanis laboris et sollicitudinis nostræ cura custodietur. Exstruenda aliter est, (*e*) custodienda aliter est : (4) non super terram, non super fluxam et dilabentem arenam initianda ; 469 sed fundamentum ejus super Prophetas et Apostolos locandum est. Lapidibus vivis augenda est, angulari lapide (5) continenda, et mutuæ connexionis augmentis in virum consummatum et in mensuram Christi corporis exstruenda, specie quoque ac decore gratiarum spiritalium adornanda. Hæc ita a Deo, id est, doctrinis ejus ædificanda, non concidet. Hujus domus ædificationem nunc Israel captivus post plenitudinem gentium consequetur. Hæc domus in domos plures diversis fidelium ædificationibus in unoquoque nostrum ad ornatum et (*f*) amplitudinem beatæ illius civitatis excrescet.

9. *Ut ei prospiciat ab initio Dominus.* — Cujus civitatis jam diu Dominus vigil custos est, cum Abraham peregrinum tuetur, cum immolandum Isaac reservat, cum Jacob servientem ditat, cum Ægypto

(1) *Ad regni.*
(2) *Quæ omnia est.*
(3) *Testatum.* Ita et in editione Zenonis nostri. Exinde, *in sæculum sæculi.*
(4) Verba, *non super terram*, neque in codice habentur, neque apud S. Zenonem.
(5) *Continenda est, mutuæ*, etc. mox ut apud Zenonem *extruenda est ;* quæ repetitio Hilario perquam familiaris.

(*a*) Editi hic præfigunt præpositionem *ad*, quæ elegantius abest a mss. reg., Turon. et apud Zenonem.
(*b*) Particulam *tum*, quæ in vulgatis deerat, huc revocamus ex scriptis, eaque significat Hilarius, id quod modo apud nos Ecclesia appellatur, tum templum dici solere, cum hic psalmus scribebatur.
(*c*) Regius ms. cum Turon. *ad sacratam.*
(*d*) In duobus prædictis mss. *quæ omnia est :* quibus apud Zenon. subjicitur *operata.*
(*e*) Verba, *custodienda aliter est*, absunt a mss. reg. et Turon. neque videntur necessaria.
(*f*) Vaticanus codex cum reg. *et plenitudinem.* Eadem ratione hic una et plures Dei domus prædicantur, qua in ps. XIV, n. 3, una simul et plures Ecclesiæ : *quia etsi in orbe Ecclesia una sit, tamen unaquæque urbs ecclesiam suam obtinet : et una in omnibus est : cum tamen plures sint ; quia una habetur in pluribus.*

Joseph venditum præficit, cum Moysen adversus Pharao confirmat, cum ducem bellis Jesum deligit, cum David omnibus periculis liberat, cum Salomonem dono sapientiæ muneratur, cum prophetis adest, cum Eliam rapit, cum Eliseum eligit, cum Danielem pascit, cum in camino pueros irrorat, cum tribus quartus assistit, cum (1) gignendo (*a*) se ex virgine Joseph per Angelum instruit, Mariam confirmat, Joannem præmittit, Apostolos eligit, Patrem precatur, dicens : *Pater sancte, serva eos ; cum essem cum his, custodiebam eos* (*b*) *in nomine tuo* (*Joan.* XVII, 11 *et* 12) : cum denique ipse ille post passionem æternæ in nos custodiæ suæ vigilias pollicetur, dicens : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque in consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20). Hæc civitatis illius beatæ atque sanctæ æterna custodia est, quæ ex multis in unum convenientibus et in unoquoque nostrum Deo civitas est. Est enim hæc sancti corporis et fidelis animæ ei placita possessio.

10. *A Domino est ædificanda.* — (*c*) Quam autem per Dominum ædificanda sit, ipse in Evangelio testatur, dicens : *Amen dico vobis, non consummabitis civitates Israel, donec veniat filius hominis* (*Matth.* X, 23). Et hujus quidem temporis et ædificationis beatus Apostolus meminit, dicens : *Cum autem intraverit plenitudo gentium, tum quod reliquum est Israel salvabitur* (*Rom.* XI, 25 *et* 26). (*d*) Hæ igitur civitates, id est, sancti cujusque corporis atque animæ Deo placitus incolatus et cœtus, **470** hunc unum habent perfectæ hujus (2) ædificationis (*e*) artificem. Ædificanda ergo per Dominum est hæc civitas, ut in augmentum consummationis suæ crescat. Non enim jam ædificatio cœpta perfectio est : sed per ædificationem perfectionis consummatio comparatur.

11. *Ars humana hic deficit.* — Cæterum in ædificandis his domibus corporum et animarum civitatibus, humanæ artes vacant. Inanes enim sunt omnes philosophorum vigiliæ, et otiosæ sollicitudines, et frustratum in investigandis naturæ secretis et perscrutandis mundi laboribus studium. Sed lapsuram cito domum operatio talis ædificat. Inanis quoque erit matutina eorum resurrectio : quæ quamquam A omnibus, quæ in lucem venerint, sit constituta corporibus : tamen ea quæ non fuerint ædificata per Dominum, nequaquam eam, quæ in Domino ex mortuis resurgente jam cœpta est, matutinæ resurrectionis gloriam consequentur.

12. *Quam hic nullus de terrena ædificatione sermo.* — Ac ne aliquam psalmus opinionem intelligentiæ in se terrenæ et corporalis admitteret; perfectionis istius tempus, et ædificandorum significationem ipso dictorum suorum ordine docet. Nam humanis ædificationibus, et terrenis custodiis, et matutinis (*f*) eorum surrectionibus improbatis, ait : *Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris. Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini filii, merces fructus ventris.* Nullus relictus est in his B dictis ambigendi locus : intelligentiæ tantum fides necessaria est ; rem enim verba eloquuntur. Nam prophetiæ veritatem gesta deinceps consummant : cognitionem vero gestorum doctrina evangelica atque apostolica subministrat. Civitas ergo a Deo est ædificanda quæ maneat ; quia humana ædificatio infirma sit et caduca. Ac ne lapides, cæmenta, ligna civitatem hanc esse existimaremus ; quæ hæc esset, et quando esset perfecta civitas, docet dicens : *Surgite postquam sederitis.* Sessio quiescentium requies est : a qua surgere jubentur, qui ad perfectam hanc civitatem sint comparandi.

13. *Panem doloris edunt, qui sciunt bonum, nec nisu suo valent consequi.* — Et qui tandem sunt isti, qui surgere postquam sederint jubentur ? Nempe *qui* C (*g*) *manducatis panem doloris.* Panem doloris manducat, quisquis se hominem in vitiis natum ac vivere meminit. Cum enim voluntas nostra **471** per Dei metum (*h*) et spem æternorum ad perfecta innocentiæ opera contendat ; et contra naturalis quædam nos consuetudo vitiorum in ipsis illis, e quibus emergere nitimur, demoretur : vitæ dolorem (*i*) per infirmitatem destitutæ voluntatis accipimus, secundum dictum prophetæ : *Qui apponit scientiam, apponit dolorem* (*Eccle.* I, 18). Cum enim veritatis cognitio voluntatem nostram ad profectum consequendæ utilitatis instiget, et naturæ consuetudo voluntatem scientem se proficere oportere detineat ; profectus scientiæ, pro-

(1) *Gignendus.*
(2) Vocem *beatitudinis* expunximus, nostri, aliorumque codicum, Zenonisque editionis suffragio.

(*a*) Apud Par. ex ms. Mic. *gignens se.* In codice Vatic. *gignendus.* In aliis, *gignendo se*, hoc est nasciturо se.

(*b*) In reg. ms. deest *in nomine tuo.*

(*c*) Bad., Er. et Lips. *Quam domum ædificandam ipse in Evangelio*: perperam, cum jam non de domo, sed de civitate sit sermo. Par. ex ms. Mic. *quæ autem*, omisso deinde *sit.* Apud Zenonem, *quod autem.* In ms. reg. secundis curis, *quando autem*, cui lectioni favent proxime subjecta. Retinemus tamen quod in eodem ms. a prima manu, ut in Turon. exstat, *quam autem.* Scopus enim hujus numeri est Christum ostendere civitatis hujus artificem atque consummatorem, atque ex occasione tempus quo id operis consummandum sit declaratur.

(*d*) Par. ex ms. Mic. *Hic igitur civitatis*, et mox, *unum habet.* Verius alii libri : *Hæ igitur civitates*, de D quibus nimirum modo dictum erat, *non consummabitis civitates.*

(*e*) Mss. reg. et Turon. *perfectæ hujus ædificationis artificem.*

(*f*) In ms. Turon. manus æqualis hic superscripsit, *earum.*

(*g*) Sic mss. reg. et Turon. Alii vero libri, *qui manducant.* Videndus Hieronymus epist. CXLI ad Marcellam, ubi allatis variis lectionibus, ex quinta editione et Theodotione *panem idolorum* videtur præferre, non *panem doloris.*

(*h*) Reg. ms. cum Turon. *ad spem æternorum ac perfectæ innocentiæ opera.*

(*i*) In mox dictis mss. *et infirmitatem.* Magis nobis probaretur *ex infirmitate.* Hic diserte docet Hilarius non solam ad perficiendum opus bonum sufficere veritatis cognitionem.

fectus doloris est : cum in tantum se per naturam A doleat detineri, in quantum naturam sibi per cognitionem intelligat relinquendam. Hinc ergo dolor vitæ est, hinc panis doloris est. Cujus vitæ et doloris hic idem propheta meminit, dicens : *Cibabis nos pane lacrymarum, et potum dabis nobis lacrymarum in mensura* (*Ps.* LXXIX, 6). Tendendum autem est semper, non etiam desinendum : neque idcirco ad perfectum non contendendum, quia doleamus id quo tenditur non posse contingi. Sed in ipsa contendendi pertinacia, dolendum est non contingere nos posse quo tendimus. Doloris hujus Dominus meminit, dicens : *Beati lugentes, quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* V, 5) ; beatitudinem consolationis ob luctum et dolorem non adeptæ consummationis impertiens. B

14. *Ob prophetiæ certitudinem profertur in præsenti quod spondetur in futurum.* — Propheticam autem virtutem ipse ille dispositus in tempora verborum ordo servavit, dicens : *Surgite postquam sederitis.* Quorum alterum in præsens est, id est, *surgite*, ne fides tamquam de incertis et dubiis ambigeret : cum veluti præsentem efficientiam veritas propheticæ admonitionis afferret, et vivis nobis fiduciam spei non (*a*) cunctantis insereret. Tempus autem hujus, quod præsens est, mandati distulit in futurum in eo quod ait, *cum sederitis.* In non ambigendis ergo mandatis præsentis est veritas ; in consequendis autem exspectandi temporis dispensatio reservatur.

15. *Resurrectionis tempus, mors sanctorum somnus.* —Ut autem, quando sibi surgendum esset cum sederint, sciant ; temporis ipsius demonstrata est (*b*) plenitudo : *Cum dederit*, inquit, 472 *dilectis suis somnum.* Mortem sanctorum Deus somnum frequentissime nuncupat : (*c*) ut ad hunc eumdem David : *Cum dormieris, et requieveris cum patribus tuis, tunc excitabo de semine tuo, qui mihi erit in filium*, (1) *et ego ero ei in patrem* (II *Reg.* VII, 12 *et seqq.*) ; et Dominus de Lazaro : *Lazarus dormit* (*Joan.* XI, 11); C et Apostolus de resurrecturis ait : *Quoniam nos qui vivimus non præveniemus eos qui dormierunt* (I *Thess.* IV, 14). Plenitudine itaque gentium (2) post somnum mortis recepta, et Israel reliquo salvato, tunc post hanc sessionem atque somnum, resurrectionis est tempus. Et quia dum temporum plenitudo concluditur, gentium quoque crediturarum, secundum Apostolum, consummabitur plenitudo (*Rom.* XI, 25 *et* 26), idcirco ait : *Cum dederit dilectis suis somnum* : hoc surgendi (*d*) sedentium, quod et dandi dilectis somni tempus esse demonstrans, id est, omni plenitudine jam recepta.

16. *Hereditas Domini et merces gentes quas in filios generat.* — VERS. 3. Qui autem sint dormientes (*e*) dilecti, et resurrecturi sedentes, continuo cum quadam D significatione rei præsentis ostendit, dicens : *Ecce hereditas Domini.* Sancti scilicet dormientes, et resurrecturi sedentes hereditas Domini est : non ille carnalis Jacob, neque, terrenus Israel, factus ex divisione gentium portio et (3) funiculus hereditatis, secundum Moysen dicentem : *Cum divisisset Excelsus gentes secundum numerum angelorum Dei, et facta est portio Domini Jacob, funiculus hereditatis Israel* (*Deut.* XXXII, 8). Et quia jam hic Israel ob impietatem suam esse non meretur hereditas ; quæ hereditas esset ostendi, dicens : *Ecce hereditas Domini filii* (υἱοί) *merces fructus ventris.* Ea ergo in filiis Domini hereditas est, quam ex mercede fructus ventris acceperit. Non enim inanis hic fructus est (4) cum (*f*) ex virginali ventre manens antea Deus nascitur. Nam merces ejus hereditas est, (5) et hereditas filii sunt. *Quotquot*, inquit, *eum receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri* (*Joan.* I, 12), et rursum : *Filioli, adhuc pusillum vobiscum sum* (*Joan.* XIII, 33). Hi ergo filii hereditas est, et hæc hereditas *merces* (6) *fructus ventris.* Est ergo Dominus fructus ventris, quem (*g*) ex se in vitæ 473 nostræ fructum pariens Virgo progenuit. Et hæc ejus merces est, qui ex Virgine nascendo

(1) *Et cui ero in patrem.*
(2) *In somnum.*
(3) *Funiculum*, neutro genere constanter.

(4) *Quo ex.*
(5) *Et hæc hereditas.*
(6) *Fructus est*, ut apud Zenonem.

(*a*) Apud Zenon. *non cunctanter.*
(*b*) In mss. reg. et Turon. *valitudo* : quod potest referri ad vim surgendi.
(*c*) Apud Zenonem, *ut ad prophetam David* : tollitur difficultas nata ex his verbis *ad hunc eumdem David.* Iis enim David hujus auctor psalmi significatur, qui tamen ex regulis præfationis num. 2, dicendus esset Salomonis, cujus nomen in titulo præscribitur. Attamen supra num. 13, consentientibus Zenonis exemplaribus, rursum habetur : *Cujus vitæ et doloris hic idem propheta meminit*, etc. Tanta vis est consuetudinis, qua psalmi illi David generatim dici consueverant, ut traditas de psalmorum auctoribus regulas suas Hilarius noster interdum oblitus sit : si tamen hic oblitus dici possit, qui num. 3 meminit quod *titulus antelatus Salomonem auctorem psalmi hujus esse demonstret.*
(*d*) Turonensis codex, *surgendi a sedendo.* Reg. *surgendi sedendum.*
(*e*) In mss. reg et Turon. omittuntur verba *dilecti et resurrecturi sedentes*, quæ ex Zenonis exemplaribus expressimus, cum antea legeretur, *dilecti et sessuri resurgentes.*
(*f*) In vulgatis, etiam Zenonis, *quo cum.* Rectius abest *quo* a mss. Reg. ac Turon. Deinde *manens antea Deus*, id est, exsistens antea. Verbum *manet* amat Hilarius ad significandam Dei exsistentiam, quæ initium et finem nullum habuerit. Locum hunc illustrant hæc vulgati Hieronymi : *Ipse Dominus natus ex Virgine factus est fructus ventris : cujus assumpta humanitas hanc accepit mercedem, ut gentes vocatæ in filiis sint hæreditas ejus.*
(*g*) Illud *ex se* ad Verbum, non ad Virginem referri suadent multa lib. X de Trin. quale est hoc num. 15 : *Quod si assumpta sibi per se ex Virgine carne, ipse sibi et ex se animam concepti per se corporis coaptavit* : et post pauca : *si non potente Verbo Deo ex se et carnem intra Virginem assumere.* Expresse autem notat Verbum ex se de Virginis utero conceptum, ut ostendat conceptum absque viri opera. Mox in ms. Turon. *fructus ventris esse voluit.*

fructum ventris esse se voluit : ut ei gentes, quas in filios per fidem generaret, hæreditas sit.

17. *Mercedem meruit quia factus homo.* — Quod (1) autem, quia fructus ventris effectus sit, hanc mercedem hæreditatis acceperit ; psalmus alius testatur, dicens : *Posce a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (*Psal.* II, 8); testatur et Apostolus, dicens : *Qui cum in forma Dei* (*a*) *esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo : sed se exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu repertus ut homo; humiliavit se, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis ; propter quod exaltavit illum Deus, et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium et terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quoniam Dominus Jesus in gloria est Dei patris* (*Phil.* II, 6 *et seq.*) Hæc ergo merces fructus ventris est, quæ donatur in nomine, quæ defertur in honore, quæ præstatur in gloria. Et hanc habet retributionem ab immortali ejus natura humanæ infirmitatis suscepta nativitas : ut quia fructus ventris factus (2) ipse est, merces quoque ejus gentium fiat hæreditas, et hæreditas ipsa sint filii.

18. *Sagittæ doctrinæ propheticæ et apostolicæ.* — Dehinc sequitur, VERS. 4 : *Sicut sagittæ in manu potentis, ita filii excussorum.* Sagittarum hic usus est, ut emissæ celeri volatu ferantur, et ad destinata quæque indeflexa linea dirigantur. Esse autem sagittas, quibus Dominus utatur, ita legimus cum ait : *Misit sagittas suas, et dissipavit eos* (*Ps.* XVII, 15). In Esaia quoque ita scriptum est, quod etiam de ipso Domino (3) dictum (*b*) esse possit intelligi : *Et posuit me tamquam sagittam electam, et in pharetra sua abscondit me, et dixit mihi, Magnum tibi est hoc vocari te puerum meum* (*Esa.* XLIX, 2). Sunt 474 ergo istius modi Dei sagittæ volatu citæ, (*c*) ictu fideles : quas, quantum ratio spiritalis demonstrat, significare doctrinas propheticas atque apostolicas, in quibus Dei verbum est, oportet intelligi, ubique missas ; compungentes, arguentes, volantes.

19. *Excussorum filii, prophetæ seu apostoli.* — Quamquam plurimis locis meminerimus esse et mortiferas et lethales sagittas, de quibus scribitur : *Sagittas suas arsuris operatus est* (*Ps.* VII, 14). Verum hic de ultricibus sagittis dici aliquid, intelligi non potest : quia nunc *sicut sagittæ in manu potentis, ita filii excussorum.* Pharao in mari Rubro in interitum ob crimen impietatis excussus est (*Ps.* CXXXV, 15). (*d*) Excussum quoque apostolicis pedibus pulverem, scimus sententiam esse maledicti (*Matth.* X, 14). Et quia sive (4) prophetæ ipsi, qui excussorum, id est, peccatorum et maledictorum filii, tamquam volantes et fideles sagittæ doctrinæ cœlestis emissi sunt : vel apostoli ecclesiarumque doctores de excussis per impietatem suam in maledictum gentibus (*e*) crediderunt : idcirco ait : *Tamquam sagittæ in manu potentis, ita filii excussorum :* orbem terræ volatu peragrantes, infidelia corda doctrinæ telo vulnerantes, et peccatorum omnium incentiva salutari jaculo pungentes.

20. Atque ut id ex his dictum intelligi posset, quos Deus de excussorum filiis ad doctrinam salutis modo emitteret sagittarum ; id consecutum in dictis est, VERS. 5 : *Beatus vir qui implevit desiderium suum ex ipsis ; non confundentur, cum loquentur inimicis suis in porta.* Beatus ergo ille est, qui ex ipsis desiderium suum potuerit implere, id est, vel de sagittis, vel de filiis excussorum ; desiderabilibus se scilicet doctrinæ verbis replere, et de (*f*) prædicatis fructibus futurorum bonorum exspectatisque satiare. Atque ut hos ex Dei doctrina ædificatores

(1) *Cum autem.*
(2) Abest *ipse*, etiam a Zenonis editione.

(3) *Forte dictum.*
(4) *Profetæ ipsius.*

(*a*) Reg. et Turon. mss. *esset constitutus.*

(*b*) In mss. Vatic. et Mic. *forte dictum.* Eadem verba de Domino absolute interpretatur Hilarius in Ps. CXIX, n. 8 : *Sagittam autem ipsum Dominum nuncupatum in eodem Esaia meminimus hoc modo : Et posuit me tamquam sagittam.*

(*c*) Ita et apud Zenonem et in mss. reg. ac Turon. In aliis vero libris, *jactu.* Quid sibi velit *ictu fideles*, his postremis numeri subsequentis verbis exponitur, *infidelia corda doctrinæ telo vulnerantes*, etc.

(*d*) Hieronymus epist. CXLI, ad Marcellam putavit hunc locum ab Hilario allatum, ut ex eo apostoli ostenderentur *filii excussorum*, quia nimirum jussi sint pulverem e pedibus excutere. Quam interpretationem cum non probaret, quia hac ratione excutientes seu excussores potius audirent apostoli, quam excussi ; cum etiam Hilarium præ reverentia reprehendere non auderet, lapsum rejecit in presbyterum Heliodorum, quo, inquit, Hilarius familiariter utebatur ; adeo ut ille ab Hilario consultus, nec habens ex Origene quid responderet, opinionem magis insinuare suam, quam inscitiam voluerit confiteri. At pace tanti viri dixerimus, vocabulum *excussorum* non intelligit Hilarius active, sed passive : eique *filii excussorum* perinde est ac *filii maledictorum*, seu eorum qui sunt maledicti. Ad hoc autem dumtaxat præmisit locum de excusso pulvere, sicut et de excusso Pharaone, ut inde ostenderet verbum *excussus* in Scripturis maledictionem sonare. Demum Hilarii interpretatio ea ipsa est, quæ Hieronymo in prædicta epistola tantopere arridet. Sic enim post varias ex hebræo interpretationes subjicit : *Legi et cujusdam librum, et elegantem in eo sensum reperi, excussos Judæos dici a templo et lege et gratia Domini, pro eo quod est, reprobos ; et eorum esse filios apostolos, qui ex ipsorum semine procreentur, et in similitudinem sagittarum manu Domini contineantur.* Sed hæc, ut ait ipse, *furtivis operis* scribens, et gravi stomachi dolore pressus, non satis attendit quid hoc loco nonnihil perplexo Hilarius sentiret.

(*e*) Hic subintelligitur *nati* ; adeoque superius vocabulum *apostoli* non significat solos duodecim, qui de gentibus nati non sunt, sed viros apostolicos et ecclesiarum doctores, qui fidem Christi longe lateque prædicarint ; qua ratione intelligendum est idem vocabulum in Psal. XIV, n. 3, ubi dicuntur *apostoli per omnes orbis terrarum partes, quæcumque adiri possunt, quin etiam in Oceani insulis habitationes Deo plurimas* paravisse. Aut certe si ad duodecim referatur ; illud de *excussis genibus*, id est de populis ac nationibus maledictis.

(*f*) Editi, *speratis.* Vatic. ms. cum reg. *precatis.*

esse illius, quam superius memoravit, civitatis ostenderet; idcirco ita clausit : *Ex ipsis non confundentur, cum loquentur inimicis* **475** *suis in porta.* Quod ait, *ex ipsis*, sive ad beatum virum pertinet, qui desiderium suum implevit ex ipsis : vel ipsis filiis excussorum erit proprium, quia ex ipsis non confundantur, cum in porta inimicis suis loquantur.

21. *Justorum fiducia adversus inimicos.* — Neque ambiguum est, qui in porta loquentur ædificatæ per prædicationem suam a Domino civitatis. Meminimus autem psalmo altero dictum : *Qui exaltas me de portis mortis, ut annuntiem omnes laudes tuas in portis filiæ Sion* (*Ps.* IX, 15). Et hic quidem plures portæ sunt, in quibus propheta a portis mortis exaltatus omnes Dei laudes prædicat : sed scimus unam esse portam regiam, dominicam, cœlestem, de qua dictum est : *Hæc est porta Domini, justi intrabunt* (1) *per eam* (*Ps.* CXVII, 20). Et cum non confundentur (*a*) hi excussorum filii in porta inimicis suis loquentes; necesse est ut his inimicis suis loquentes non confundantur, qui cum justis non merebuntur intrare; exprobrantes illis impietatem in Deum, inobedientiam in prædicantes, infidelitatem in æterna promissa, odia in innocentes, et in ipsa Ecclesiæ membra sævitiam : ipsi confidentes, et nulla fidei suæ ac religionis ambiguitate trepidantes, sed hos inimicos suos ab ejus aditu ingressuque prohibentes, qui ait : *Nemo vadit ad patrem nisi per me* (*Joan.* XIV, 6), (*b*) Dominus noster Jesus Christus, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXXVII.

Canticum graduum.

Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus. Labores fructuum tuorum manducabis : beatus es, et bene tibi erit. Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. Filii tui sicut novella olivarum in circuitu mensæ tuæ. Ecce sic benedicetur omnis homo qui timet Dominum. Benedicat te Dominus ex Sion : et videas quæ sunt bona (Infra *videas bona*) *Jerusalem omnibus diebus vitæ tuæ. Et videas filios filiorum tuorum : pax* (Infra *Et videas pacem*) *super Israel.*

476 TRACTATUS PSALMI.

1. *Timoris Dei ac timoris humani discrimen.*—Quotienscumque de timore Domini in Scripturis est sermo, animadvertendum est, numquam eum solitarium relinqui, tamquam sufficientem nobis ad consummationem fidei : sed subjici multa, aut anteferri, ex quibus timoris Domini ratio et perfectio intelligatur : ut cognoscimus ex eo quod per Salomonem (*c*) in Proœmiis dictum est : *Si enim sapientiam invoces, et intellectui des vocem tuam, et exquiras eam tamquam argentum, et tamquam thesauros investiges eam, tunc intelliges timorem Domini* (*Prov.* II, 3 *et seq.*). Videmus enim quantis usque ad timorem Domini gradibus perventum sit. Ante enim invocanda sapientia est, et omne legendi officium intellectui est deputandum, et exquirenda ac pervestiganda sapientia : et tunc timor Domini intelligendus. Sed quantum ad communem humanæ opinionis pertinet sensum, non ita de timore sentitur. Timor est enim humanæ imbecillitatis trepidatio, metuentis id petiti, quod sibi nolit accidere. Existit autem et commovetur in nobis de reatus conscientia, de jure potioris, de impetu fortioris, de ægritudinis (*d*) casu, de feræ occursu, et de omnis mali passione. Hic ergo timor non docetur; sed ex natura infirmitatis occurrit. Neque quid timendum sit discimus; sed terrorem suum ipsa illa nobis injiciunt quæ timentur.

2. *Timor Dei naturalis non est. Situs est in obedientia et amore.* — At vero de timore Domini ita scriptum est : *Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos* (*Ps.* XXXIII, 12). Discendus ergo Dei timor est, quia docetur. Non enim in terrore, sed in ratione doctrinæ est : neque ex trepidatione naturæ, sed præceptorum observantia et operibus vitæ innocentis et cognitione veritatis ineundus est. Nam si idcirco Deus timendus est, quia plura fulminibus arserint, tonitru prostrata sint, terræ nunc motu conciderint, nunc hiatu recepta sint; nullum fidei meritum in timore est, qui ex terrore accidentium commovetur. Nobis autem timor Dei omnis in amore est : metum ejus dilectio perfecta consummat. Dilectionis autem nostræ in eum hoc proprium officium est parere monitis, statutis obtemperare, pollicitis confidere. Audiamus ergo Scripturam dicentem : *Et nunc, Israel, quid Dominus Deus* **477** *tuus postulat a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, et ambules in omnibus viis ejus, et diligas eum, et custodias præcepta ejus ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, ut bene sit tibi* (*Deut.* X, 12 *et* 13)? Quibus dictis convenientia et congrua propheta in exordio psalmi locutus est, dicens, VERS. 1 : *Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus :* ostendens non ex trepidatione nostra, quia hæc timoris auctor est (*e*) in cæ-

(1) *In eam*, cum græco.

Revocamus ex Zenonis exemplaribus et ex ms. Turon. *prædicatis*, puta ab apostolis ac prophetis, qui filii excussorum superius intellecti sunt.

(*a*) Apud Zenon. *non confundentur hic*, non *hi*. Mox in reg. ms. oblitteratum est *non* ante *confundantur*. Retinendum est illud *non*, ut supra *hi*. Sic enim ratiocinatur Hilarius : Cum non de portis in plurali, sed de porta in singulari mentio fiat; necesse est ut sermo ille de ea porta intelligatur, per quam justi intrabunt, ac de iis inimicis, qui cum confusione ab ejusdem portæ aditu repellentur.

(*b*) Ita ms. Turon. Alii vero libri, *id est per Dominum nostrum*, etc.

(*c*) Editi, *in Proverbiis* : renitentibus mss. qui magno consensu habent, *in Proœmiis* : ex quo in *Parœmiis* restituendum ducimus, maxime cum apud Cyprianum lib. III ad Quirin. passim citetur *Salomon in parœmiis*, ac vocis ejusdem usum asserat Tertullianus de Pudicit. n. 18, ubi ait : *In Proverbiis Salomon, quæ Parœmias dicimus.*

(*d*) Par. *causa*. Mox in mss. reg. et Turon. *recurrit*, pro *occurrit*.

(*e*) Regius codex cum Turon. *in terris*. Retinendum omnino *in cæteris* : hoc est, timoris aliarum re-

teris ; neque ex terrore ejus, qui terribilis sit, beatos esse qui timeant ; sed ex eo quod in viis Dei incedant. Timor enim, ut diximus, non in metu, sed in obedientia est : et timoris testimonium est obsequela. Cæterum si quis timeat, neque pareat ; erit quidem timens ex trepidatione naturæ, sed non erit beatus ex timoris officiis.

3. *Viæ Domini multæ, et una.* — Multæ sunt autem viæ Domini ; cum ipse tamen via sit (*V. litt. Ps.* CXVIII, *n.* 10). Sed cum de se loquitur, viam ipse se nuncupat, et rationem cur se viam nuncupasset, ostendit dicens : *Nemo enim potest ad patrem venire nisi per me* (*Joan.* XIV, 6). Verum cum de prophetis ac scriptis eorum, quibus ad Christum pergitur, sermo est ; tunc viæ plures sunt in unam viam undique congruentes : quod utrumque eodem per Jeremiam prophetam loco significatum est dicentem : *State in viis Domini, et interrogate semitas Dei æternales, et videte quæ est via bona, et ambulate in ea* (*Jerem.* VI, 16). Multæ itaque viæ interrogandæ sunt, et in multis insistendum est ; ut unam quæ bona est inveniamus, per multorum scilicet doctrinam, viam unam vitæ æternæ reperturi. Viæ enim in lege, viæ in prophetis, viæ in evangeliis, viæ in apostolis sunt : viæ quoque in diversis præceptorum operibus sunt, in quibus per timorem Dei ambulantes beati sunt, quibus dicitur.

4. *Omnes in Christo unum.* — VERS. 2. *Labores fructuum tuorum manducabis.* Sermo ad plures cœptus, ad unum refertur, docens (1) nos omnes qui in Christo crediderimus unum esse, Apostolo ita confirmante : *Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu* : (*Gal.* III, 28). **478** Sive ergo ad unum, sive ad plures loquetur ; in uno id erit significantiæ, quod in pluribus.

5. *Labores fructuum comedi non solent.* — Est autem contuendum, propheticum hunc sermonem ab usu communis opinionis discrepare. In hac enim vitæ conversatione, qui manducant, laborum suorum fructus manducant, ex proventibus elaborati operis sumentes. At vero propheta ait (*a*) labores fructuum (2) manducandos. Non consequitur sensus humanus dicti hujus intelligentiam. Ex laboribus enim fructus est, non ex fructibus labor. Deinde labor ministerium corporis est : fructus vero merces laboris. Ministerium autem (*b*) corporis incorporale est, licet corpore fit. Nihil vero edere, nisi quod corporale est, possumus.

6. *Cibus animæ hic labor, post fructus.* — Sed propheta nihil de terrenis et præsentibus tractat : de beatitudine enim timentium Dominum, et in viis ejus ambulantium ei sermo est. Qui enim in viis Domini ambulabunt, illi labores fructuum suorum manducabunt. Non enim hic manducatio corporalis est ; quia neque id quod manducandum est corporale sit. Sed habemus hic cibum spiritalem, animam nostram (*c*) in vitam alentem, bona scilicet opera, bonitatis, castitatis, misericordiæ, patientiæ, tranquillitatis, in quibus nobis contra corporum nostrorum vitia laborandum est. Horum laborum fructus in æternitate est : sed labor hic æternorum fructuum ante comedendus est, (*d*) eoque in vita hac corporali anima nostra alenda est, (*e*) per cibum horum laborum obtinentes panem vivum, panem cœlestem, ab eo qui dixit : *Ego sum panis vivus* (*f*) *de cœlo* (*Joan.* VI, 41) : quem qui indigne secundum mandatum Apostoli acceperit, judicium sibi acquirit (I *Cor.* XI, 29). Hi sunt ergo labores fructuum manducandi, eorum scilicet fructuum, qui in cœlis metentur. Nunc dum in terra sumus, opera sumenda sunt. Hæc enim nunc animam saturant, hæc in cœlum suis fructibus (*g*) prosequentur. Denique **479** sequenti versu utriusque hujus temporis beatitudinem propheta demonstrat, dicens, *Beatus es, et bene tibi erit.* Quorum alterum in præsens obtinetur, quod *beatus es* : quod vero *bene tibi erit*, repositum est in futurum,

(1) *Nos, omnes qui in Christo crediderint*, ita et in Zenonis exemplaribus.

(2) *Manducabitis.*

rum a Deo, causa est trepidatio. Mox iidem mss. *non in metu obedientiæ*, *sed timoris testimonium*, etc. Neque hic quidquam mutandum. Tantum post *in obedientia*, subintellige *non sola*, *sed in obedientia dilectionis* : *quia*, ut habetur supra pag. 394 : *operationi obedientiæ præstat dilectionis operatio. Obedientia enim sola plerumque terroris est*, etc.

(*a*) Rursum Hieronymus eadem epist. CXLI ad Marcellam, hunc Hilarii locum carpit, quod prætulerit *labores fructuum*, pro *labores manuum* : iterumque errati invidiam confert in Heliodorum. Nulla tamen subest causa cur Heliodorus ea in re ab Hilario consultus fuisse, nedum peccasse, judicandus sit. Hilarius versionem novam non susceperat, sed latinum interpretabatur codicem. *Latini* autem, ut ipse loco memorato observat Hieronymus, *de græci verbi ambiguitate decepti*, καρποὺς *fructus magis quam manus interpretati sunt, cum* καρποὶ *manus quoque dicantur*. Re ipsa *labores fructuum* cum nostro Hilario legunt Augustinus et qui apud Hieronymum psalmos exposuit : nec aliam lectionem exhibent vetera psalteria Romana, Mediolanense, Germanense, Carnutense, etc. Quamquam Hieronymo *labores manuum* præferenti non refragamur.

(*b*) Mss. reg. et Turon. *corporis corporale est, quod* (Turon. *quo*) *uti possumus. Sed propheta* etc. refutantur ex subsequentibus.

(*c*) Editi, *in vita*. Magis placet cum mss. reg. et Turon. *in vitam*, quo significetur hoc cibo vitam animæ foveri. Ubi enim infra vitæ hujus tempus indicatur, legere est *in vita hac corporali*. Ex regio mox adjecimus vocabulum *castitatis*.

(*d*) Apud Zenonem, *eo quod* : male.

(*e*) Sola editio Par. *per cibum bonorum laborum*. Tum apud Zenonem *obtinens*. Sic ponit Hilarius *obtinentes*, quasi prius legisset, vitam nostram alere debemus. Hic verbum *obtinentes*, non possessionem, sed meritum significat. Subinde enim *panem vivum* vocat eum quem in cœlis gustaturi sumus ; et cujus in Eucharistiæ sacramento pignus accipimus, quamvis ad hoc venerabile sacramentum deinde sermonem convertat, ubi ait, *quem qui indigne*, etc., quia nimirum unus et idem est Christus, unus panis quem in terris gustamus et in cœlis.

(*f*) In ms. Mic. *qui de cœlo descendi.*

(*g*) Ita mss. reg. et Turon. At editi, *prosequuntur* : minus apte ad mentem Hilarii, bonorum operum præsentes ac futuros fructus explicantis.

quia (*a*) interim labor futurorum fructuum manducetur.

7. *Benedictio temporaria non promittitur justis.* — VERS. 3 et 4. *Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. Filii tui sicut novella olivarum in circuitu mensæ tuæ. Ecce sic benedicetur omnis homo qui timet Dominum.* Multis forte sermo iste in præsentis benedictionis gaudium aptus videbitur : ut ex misericordia Dei suppetat (1) pacifica et utilis in domo conjugis (*b*) salus, et dulcissimus circum convivium cœtus filiorum. Sed si hæc perfecte bona fuissent, quæ cum sint bona, non tamen cœlestia bona sunt : tamen (*c*) si in his beatitudo timoris Dei constitisset, obtinuisset utique princeps fidei et timoris Dei Abraham, cui uxor diu sterilis bis abrepta est; filius ex promissione (*d*) unus offerri in hostiam jussus, et sacrificio admotus intulit orbitatis dolorem. Ipsi deinde Isaac duo filii dissidentes, et usque ad odium mortis inimici. Jacob autem ignoratæ uxoris inopinatus maritus, et ad nuptias aliàs falso coactus, et viventis funus parricidali fratrum mendacio plangens, caruit timentium Deum benedictionibus. Et apud quos, et a quibus fides est, apud eos fidei sanctificatio non reperietur. Quantos autem (*e*) peccatorum videmus florere domo, conjuge, liberis ! Jam vero benedictionibus Dei privabitur felix illa et beata virginitas, causam sibi beatitudinis non relinquens : et ubi illud erit Pauli, *Vellem autem omnes homines esse sicuti et me* (I *Cor.* VII, 7)? Et nescio quomodo propheta perfectam eam beatitudinem constituerit, quæ negata sanctis est, peccatoribus usitata, non speranda virginibus sit.

8. *Spiritalia sunt eis promissa. Qui Christus sponsus.* — Ergo quia secundum humanam intelligentiam, propriam et perfectam beatitudinem dicti hujus sermo non explicat; erigendæ sunt in spiritalem doctrinam mentes atque aures. Lex enim (*f*) omnis, secundum Apostolum, spiritalis est (*Rom.* VII, 14) : et ipse non humilem nec terrenam beatitudinem, sed spiritalem secutus est, dicens : *Benedictus pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni* 480 *benedictione spiritali in cœlestibus* (*Ephes.* I, 3). Cum itaque in spiritalibus et cœlestibus (*g*) benedici se ostendat, perfecta illa sanctorum beatitudo non in his terrenis et corporeis esse speranda est : sed potius intelligendum est, per corporalium et terrenorum nuncupationem, cœlestium bonorum esse intelligentiam consequendam. Numquid cum Dominus secundum Evangelia sponsus est, et secundum Joannem habet sponsam (*Matth.* IX, 15; *Joan.* III, 29), de sponsis terrenis et corporalibus significari existimandum est? Non utique : sed per hanc sermonis consuetudinem docemur eum esse, qui promissus sit gentibus, cuique a Patre Ecclesiæ hæreditas, (*h*) per adoptionem corporis quod ex virgine præsumpturus esset, desponsa sit.

9. *Uxor justorum, sapientia. Proverbium quid.* — Ut autem nunc cognoscamus quid sub uxoris nuncupatione intelligi oporteat; contuendum est quid et alibi sub hoc eodem uxoris nomine tractetur. (*i*) Salomon itaque ait : *Quæsivi sapientiam sponsam* (*j*) *adducere mihi ipsi* (*Sap.* VIII, 2). Et quia qui sponsam requirit, divitem quærit; hujus sponsæ suæ opes memorat, dicens : *Honestatem glorificat, convictum Dei habens, et omnium Dominus dilexit eam* (*Ibid.* 3); et si multam quis cognitionem desiderat, novit et quæ a principio sunt, et quæ futura sunt conspicit (*Ibid.* 8). Et item : *Uxorem virilem quis inveniet? Pretiosior est autem lapidibus* (2) *multi pretii* (*k*) *istius modi* (*Prov.* XXXI, 10). Et hæc in Proverbiis dicta sunt : quia proverbium non hoc quod verbis sonat explicat, sed dictorum virtutem ex usu verborum communium nuntiat. Docet autem Dominus in Evangeliis, quid proverbia intelligenda sint, dicens : *Veniet hora, ut jam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de Patre annuntiem vobis* (*Joan.* XVI, 25). Ergo secundum proverbiorum rationem uxorem virilem nosse debemus, eam nempe quam sibi Salomon sponsam optavit assumere : de qua et rursum ait : *Judicavi igitur hanc adducere* (*l*) *ad convivendum mecum, et amator factus sum pulchritudinis ejus* (*Sap.* VIII, 9). Hæc igitur tamquam uxor assumpta sapientia virilis est, perficiens omnia, et sibi subdens, et in labore utilium operum valida. Ipsa Deo placita, et

(1) *Pacificæ.*
(2) *Pretiosis.* Mox, quia *proverbia*, ut apud Zenonem tum cohærenter *explicant et nuntiant.*

(*a*) Ita emendamus ex mss. et ex Zenonis exemplaribus : cum prius obtineret, *quia iterum labor futurorum fructuum manducabitur.*

(*b*) Apud Zenonem, *conjunx, salvus et dulcissimus*, etc.

(*c*) Pro *tamen*, ab Erasmo positum est *tum* : quod prima editione Par. mutatum, postrema repositum est obnitentibus mss.

(*d*) Apud Zenonem, *munus* : quod posset ferri, nisi sequeretur in *hostiam*. In aliis autem edit. *unicus.*

(*e*) Hic subintelligitur de *numero*. Quamquam apud Zenonem legere est *peccatores.*

(*f*) In reg. ms. hic omissa voce *omnis*, mox subjicitur, *nec terrenam beatitudinem secutus est.* In Vaticano autem, Turon. ut et apud Zenonem, *nec terrenam beatitudinis spem secutus est.*

(*g*) Regius codex, *benedici eos ostendat.*

(*h*) In prius vulg. *per adeptionem.* Verius apud Zenon. in reg. et Turon. mss. *per adoptionem* : ea fere intelligentia, qua lib. II de Trin. n. 27, legimus, *Potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur*, hoc est, propter assumptionem corporis : *ut quia fructus ventris factus ipse est, merces quoque ejus gentium fiat hæreditas*, ut habemus tractatu superiori n. 17.

(*i*) Editi, *a Salomone ita, Quia quæsivi* : castigantur ex ms. Turon. favente regio.

(*j*) Ita apud Zenon. et in mss. suffragante græco ἀγαγέσθαι. At in editionibus Hilarii, *accipere.*

(*k*) Verbum *istius modi* refertur ad mulierem juxta græc. πολυτελῶν ἡ τοιαύτη. Male autem in vulgatis postponebatur voculis *Et hæc* proxime sequentibus.

(*l*) Apud Zenonem ut in reg. ms. *ad convivandum* : quod græco textu εἰς συμβίωσιν non minus refellitur, quam latino.

per doctrinam ejus digna, et præteritorum scientia et futurorum cognitione perfecta.

481 10. *Sapientia filiis, id est, bonis operibus, est fecunda.* — Hæc timentis Deum uxor totis domus suæ lateribus diffusa, fecundæ vitis modo, se per omnia operum nostrorum latera extendit. Domum autem non ambigitur hoc animæ nostræ esse domicilium, quod sibi unusquisque, per timorem Dei et vias ejus ineundo, ad habitationem Sapientiæ emundat. Ex hac igitur filii qui erunt, tamquam novella olivarum in circuitu mensæ nostræ erunt. Non in circuitu convivii futuros ait esse, sed *mensæ*. (*a*) Mensa enim Domini est, ex qua cibum sumimus, panis scilicet vivi : cujus hæc virtus est, ut ipse vivens eos qui se quoque accipiant vivificet. (1) Est et mensa lectionum dominicarum, in qua spiritalis doctrinæ cibo alimur. (*b*) Sed qui doctrinam Dei consectantur (de qua in psalmo alio scriptum est, *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum et in captionem et in retributionem et in scandalum* (*Ps.* LXVIII, 23); in captionem enim illis et in scandalum omnis intellectæ ipsius prophetiæ lectio proficit) ; (*c*) sed qui doctrinam Dei consectantur, nisi in operum bonorum ministerio versentur, mensæ illius cibo non proficient. Nam sicut ex conjuge liberi, ita ex sapientia bonæ voluntatis opera procreantur. Hæc igitur tamquam novella olivarum mensam nostram circumibunt, id est, doctrinæ nostræ cognitionem optimorum quasi ramorum fructibus obumbrabunt. Servavit autem etiam hanc propheta rationem, ut neophytam olivam diceret, id est, nuper plantatam : quia per sapientiam, tamquam conjugem assumptam, cujus filii sunt opera fidelia, hæc eadem in hac terra nostri corporis (2) plantatur. Hæc igitur uxor est modo vitis abundantis in domus nostræ lateribus diffusa : hi filii, id est, ex tali conjuge opera procreata, tamquam plantatæ olivæ in mensæ nostræ circuitu (*d*) assistent. Et quia hæc timentium Deum beatitudo est ; propheta subjecit, *Ecce sic benedicetur omnis homo qui timet Dominum.*

11. *Beatitudo non est hujus sæculi; quænam interim nobis concedatur. Sapientia innocentiæ, innocentia beatitudinis parens.* — Jungitur ad timentis meritum etiam prophetæ votum dicentis : *Benedicat te Dominus ex Sion, et videas quæ sunt bona Jerusalem.* De Jerusalem et Sion jam in superioribus psalmis frequenter sumus locuti : ex quibus vel in quibus bonorum omnium consummatio speranda est. Nunc enim quamvis bonis 482 cœlestibus perfruamur, tamen majora nobis in Sion et Jerusalem temporibus spe reservantur. Hoc enim sæculum promissorum bonorum capax non est. Væ enim nunc mundo a scandalis (*Matth.* XVIII, 7), in quo et zizania diabolus superserit, in quo regio est corruptionis, et locus iniquitatis, et convallis plorationis, in quo mundipotentes sunt harum tenebrarum. Sed habemus interim promissorum nobis bonorum lumen, in quo (*e*) tamquam per speculum et in ænigmate felicium rerum imaginem contuemur : tunc facie ad faciem visuri, non interposita obscuritatis nube, aut speculi æmulante splendore, sed vera et conspicabili beatitudinis nostræ contemplatione lætabimur, operum nostrorum fructus contuentes, et mercedem vitæ innocentis videntes. Nam ut opera ex sapientia gignuntur, ita ex operibus retributio nascitur. Est ergo sapientia innocentiæ mater : et rursum innocentia fructus retributionis parit. Hos ergo consequemur diabolo contrito, aculeo mortis retuso, et omni principe ac potestate hujus sæculi exempto, cum jam pax in nobis sit hoste victo et perempto : quod propheta psalmi ipsius conclusione testatur, dicens, VERS 5 et 6 : *Benedicat te Dominus ex Sion, et videas bona Jerusalem omnibus diebus vitæ tuæ, et videas filios filiorum tuorum, et videas pacem super Israel.* Speremus ergo bona Jerusalem cœlestis, et Sion montis, et pacis Israel (*Psal.* LXXV, 3) : quia locus Domini in pace est, in Domino nostro Jesu Christo, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

483 PSALMUS CXXVIII.

Canticum graduum.

Sæpe impugnaverunt me a juventute mea, dicat nunc Israel. Sæpe impugnaverunt me a juventute mea : etenim non poterant mihi. Super dorsum meum fabricaverunt (Hil. *fabricabant*) *peccatores : prolongaverunt iniquitatem suam. Dominus justus concidet* (Hil. *concidit*) *cervices eorum* (Hil. *peccatorum*) : *confundantur et revereantur retrorsum omnes qui oderunt Sion. Fiant sicut*

(1) *Sed est et.*

(2) *Plantantur.*

(*a*) Notatu dignum est primo quod *mensa Domini* et *mensa sacrificiorum* Hilario unum et idem sint, ut liquet ex his tract. Ps. LXVIII, n. 19 : *Esse mensam sacrificiorum* (*ut de lege quæ in se futuri est speciem complexa taceamus*) *Apostolus testatus est dicens : Non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum :* deinde quod mensam dominicam eam intelligat, *ex qua cibum sumimus panis vivi :* postremo quod panis ille vivus ab eo appelletur, non modo quia ea illi virtus est, *ut eos qui se accipiant vivificet;* sed potius quia *ipse vivens* sit, atque ex vita quam in se habet, virtutem habeat alios vivificandi.

(*b*) Par. *alimur, qui doctrinam Dei consectamur*, ad imitationem scil. Lipsii, qui privata auctoritate reposuerat, *aluntur, qui doctrinam Dei consectantur*. Hic post mensam sacrificii Domini, memoratur mensa lectionum dominicarum, quæ ejusdem sacrificii principio in Ecclesia celebrantur. Apud Zenonem autem perperam omissa sunt hæc verba, *sed qui doctrinam Dei consectantur :* post quæ imprudentiori ausu adjecit Lipsius, ac retinuit Par. *Sed est mensa,* quasi verba sequentia, *de qua in psalmo alio scriptum est, Fiat,* etc., ad tertiam quamdam mensam referantur, et non ad eamdem mensam lectionum dominicarum, seu ad mensam doctrinæ, quam in allato psalmi loco significari, Apostolo auctore Rom. XI, 9, ostendit Hilarius in Psal. LXVIII, n. 19.

(*c*) Turonensis ms. caret verbis, *sed qui doctrinam Dei consectantur*. Non male tamen repetuntur ob interpositam parenthesim.

(*d*) Apud Zenonem, *assistentes.*

(*e*) Editiones Hilarii, *tantum per speculum :* emendantur ex mss.

fœnum ædificiorum, quod priusquam evellatur arescet (Hil. *aruit*) : *de quo non implebit manum suam qui metet, et sinum suum qui manipulos colliget. Et non dixerunt qui prœteribant, Benedictio Domini super vos, benedicamus vos in nomine Domini.*

TRACTATUS PSALMI.

1. *Patientiam docet hic psalmus. Piis frequens est et a teneris annis pugna.* — Instituimur dictis propheticis ad tolerantiam præsentium passionum : et naturæ nostræ infirmitas adversus sæculi injurias semper impatiens, suscipit (*a*) patientiæ doctrinam ab eo, qui in præsenti psalmo ait, *Sæpe impugnaverunt me a juventute mea.* Non otiosa (*b*) ætas religiosi viri est, neque quietam exigit vitam. Impugnatur jam ab ipsis juventutis suæ annis, et impugnatur *sæpe*. Non novella itaque, neque rara impugnantium odia sunt; sed ea sæpe etiam ab ipsis initiis ætatis infesta sunt. Et idcirco hæc sunt quæ fidem probant, quæ patientiam testantur, quæ invictæ virtutis coronam merentur. Novit beatus apostolus Paulus hanc longi prælii coronam, dicens : Nemo coronatur, nisi qui legitime certaverit. Certamen tantum non sufficit ad coronam : legitime certandum est, id est, omnia passionum bella peragenda sunt; non sufficit semel neque unius certaminis bello militasse. Et audiamus (1) hoc ipsum legitimum certamen (*c*), **484** cum dicit de se : *In laboribus copiosius, in plagis abundantius, in custodiis eminentius, in mortibus frequenter : a Judæis quinquies quadraginta* (*d*) *una minus accepi, ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum,* (*e*) *ter naufragavi, noctem et diem in profundo feci* (II *Cor.* XI, 24). Merito iste tot et tantis prœliis perfunctus dicere ausus est : *De cætero jam superest mihi corona justitiæ* (II *Tim.* IV, 8) : quia nemo nisi qui legitime certaverit coronatur.

2. *Injuriarum humanarum auctor diabolus, minister homo.*—Huic etiam vox hæc prophetica competit, VERS. 1 : *Sæpe impugnaverunt me a juventute mea.* Confidentiæ maximæ gratulatio est, tantorum et tam numerosorum bellorum recordari : sed nunc tacito impugnantium nomine, impugnatio sola memoratur. Et causa noscenda est, cur auctores impugnationis silentur. Omnes humanæ injuriæ, quæ religiosis viris inferuntur, non eosdem habent auctores, quos habent ministros. Executio quidem hominum est : sed diaboli instinctus est. Et hujus nobis intelligentiæ Apostolus auctor est, dicens : *Non enim nobis certamen est adversus carnem et sanguinem, sed adversus* (*f*) *potestates mundi hujus potentes, harum tenebrarum, spiritalis nequitiæ in cœlestibus* (*Ephes.* VI, 12) ; et rursum : *Secundum principem aeris hujus, spiritus qui nunc operatur in filiis inobedientiæ* (*Ephes.* II, 2). Operantur ergo hæ spiritales nequitiæ in his, qui inobedientes Dei legi sunt, quos voluntatis suæ tamquam operarios eligunt, in res suas alienæ intercessionis ministerio usuri (*Hil.* usuræ).

3. Neque solum id ex Apostoli dictis intelligimus, sed etiam ex libro Job docemur. Cum enim diabolus potestatem tentandi Job postulasset (*Job.* I), per direptionem substantiæ ejus primum (*g*) desæviturus, homines ad pastorum cædem, et ad direptionem pecudum excitavit, eosque in hanc voluntatem latrocinii accendit. Egit ergo quod volebat per humanæ operationis officium. Judas quoque in passione Domini ministerium diaboli fuit, et per eum effectum voluntatis propriæ est exsecutus, evangelista testante ita : *Intravit*, inquit, *satanas in Judam qui cognominatur Scariotha* (*Luc.* XXII, 3).

4. *Injurias inferens miseratione dignus, non ira.* — In omni igitur quam perpetimur injuria, alterius opus, alterius instinctus est : et non sibi efficit, quisquis aliquid per turbulentæ voluntatis impetum gerit. Non ergo his **485** irascendum est, a quibus aliqua perpetimur, sed (*h*) quotiens per contumelias ad iracundiam provocamur, quotiens per convicia ad lites excitamur, quotiens ad dolorem ac impiam damni querelam per rapinas et furta compellimur, aut in corporis voluptates (*i*) blandæ adhortationis sollicitamur instinctu; agnoscendus est hostis ille, per quem hæc operum ac dictorum incentiva præbentur. Neque irascendum est hominibus alienæ instigationis operariis (*Reg. ms.* operis) : sed potius in his detestandi officii intercessio fœda miseranda est, quod sint vasa diaboli, satanæ ministerium, et latrocinantium tela, et alienæ militiæ ac nequitiæ (2) portitores (*j*). Ob hanc ergo cognitionem prophetæ sine

(1) *Hunc ipsum legitime certantem.*

(2) *Paritores.*

(*a*) Apud Par. et Zenon. *sapientiæ doctrinam.*

(*b*) Apud Zenon. *virtus :* non probatur; nam particula *non*, quæ præcedit, perinde intelligenda est ac *nulla*. Mox apud eumdem, *initiis*, pro *annis*.

(*c*) Ita mss. reg., Turon. et apud Zenon. At in aliis edit. *Hunc ipsum legitime certantem.*

(*d*) In mss. reg. et Turon. *minus unam.* Græc. παρὰ μίαν.

(*e*) Hilarianæ editiones, *ter naufragium feci, noctem et diem in profundo maris fui.* Aliorum librorum lectionem præferimus magis consentientem græco, τρὶς ἐναυάγησα, νυχθήμερον ἐν τῷ βυθῷ πεποίηκα.

(*f*) Bad., Er., Lips. ut apud Zenon. *potestates mundi hujus, potestates harum tenebrarum.* Par. ex ms. Mic. *potestates mundi, potentes harum tenebrarum.* Sæpius quidem legit Hilarius *mundipotentes* uno verbo, ex græco πρὸς κοσμοκράτορας ; ut in his tractatus superioris n. 11, *in quo mundipotentes sunt harum tenebrarum.* Aliquando tamen divisim idem verbum exprimit : ejusque rei exemplum habemus in psal. CXXIV, n. 6 : *Non adversus carnem et sanguinem nobis pugnam esse, sed adversus mundi hujus potentes et nequitias spiritales.* Idcirco verior vera est lectio mss. reg. et Turon. quæ duas superiores conciliat, cum prima habens *mundi hujus*, cum altera *potentes*. V. litt. 15, Psalm. CXVIII, n. 5. Tum loco *spiritalis nequitiæ*, in ms. Turon. superscriptum est *spiritales nequitias.*

(*g*) Apud Zenonem *deserviturus homines.*

(*h*) In mss. reg. et Turon. constanter, *quotiensque*, non *quotiens*. Eadem vox initio tractatus superioris habetur pro *quotienscumque.*

(*i*) Apud Zenonem *alendas*, loco *blandæ.*

(*j*) Ita regius codex cum Turon. In vulgatis autem, *paritores*, quod vocabulum si latine usitatum esset, non immutassemus ; sive enim a *pareo*, sive a *pario*

distinctione nominis tantum impugnantium meminit, de his atque illis indiscrete locutus : quia per homines in se id quod spiritalium nequitiarum est gerebatur.

5. *Crebrius sed frustra impugnatos quid dicere deceat.* — Cœpit itaque tamquam ex persona sua Propheta ; sed quid a nobis dici oporteret, quodam ipse confessionis exemplo ante præloquitur. Talis enim ordo dictorum est : *Sæpe impugnaverunt me a juventute mea, dicat nunc Israel.* Ante ergo docetur Israel quod dicere debeat : tum deinde tamquam doctus, et exemplo propheticæ confessionis imbutus Israel ipse jam loquitur, VERS. 2 : *Sæpe impugnaverunt me a juventute mea : etenim non poterant mihi.* Talis religiosorum debet esse confessio. Et hæc vera fidei probatio est, ut qui sæpe et a juventute impugnant, numquam tamen eorum quos et sæpe et pridem (*a*) impugnaverint, præpotentes sint. Adversus autem validiores et longum et frequens est prælium : et idcirco inimicæ spiritalesque virtutes firmos fide et timore Dei viros et diu et sæpe pertentant ; quia iterari necesse est, quod et diu geritur, et numquam obtinetur. Maneamus ergo, ut sæpe impugnemur : et sæpe impugnati, habeamus hanc gloriam, ne aliquando cedamus ; et hinc sit impugnationis nostræ assiduitas, quia non sit impugnantium præpotens fortitudo.

6. *His dorso jugiter insidiantur adversarii.* — Mos autem est eorum, qui nequaquam longis atque assiduis præliis prævalent, ut victorem exercitum et firmis agminibus incedentem **486** a tergo adeant, et dorso sicubi (*b*) jam prætereat insidias machinentur, illic dolos fabricentur, illic omnia insidiarum artificia exerceant. Ita et peccatores, tentatos in cassum fideles viros euntes jam in veritatis via dorso adeunt, dorso insidiantur, dorso dolos concinnant. Et idcirco ait, VERS. 3 : *Supra dorsum meum fabricabant peccatores.* Currit Apostolus (*Phil.* III, 13), ea quæ retro sunt obliviscens, seque in ea quæ priora sunt extendens. Lex (*c*) ad fideles ita locuta est : Persequentur te inimici tui, et non comprehendent. Non comprehendisse autem eos docet, cum ait, *fabricabant* : indefiniti enim temporis significatio est. Fabricabant enim semper, numquam fabricationis suæ effectum consequentes, indefesso fidei cursu (*d*) eo, cui quotidie supra dorsum fabricabantur bella, currente.

7. *Funis peccatorum.* — Atque hanc pertinacem infestantium iniquitatem sequens versus absolvit : *Prolongaverunt* (1) *iniquitatem* (*e*) *suam.* Esaiæ prophetia est, dicentis : *Væ qui trahunt peccata sua tamquam funem longum* (*Esai.* v, 18). Non desinunt enim peccatis peccata connectere, (2) et tamquam funem longum ea implexa semper extendere. Sancto enim currente, et peccatoribus in dorsum fabricantibus, cum huic ad destinatum currendi, illis semper fabricandi modus nullus sit ; fit peccatorum prolixa series et multiplex longitudo.

8. *Dei patientia. Cervix dura contumaciam designat.* — Sed quid tandem hanc iniquitatum longitudinem maneat, noscendum est. Sequitur enim, VERS. 4 : *Dominus justus* (3) *concidet* (*f*) *cervices peccatorum.* Justus Dominus, patiens scilicet in ultionem, dissimulator ad pœnitentiæ tempus, non inter exordia humanæ iniquitatis promptus ad pœnam, sed desinendi a criminibus (*g*) seram licet voluntatem peccatoris exspectans, tum cervices concidet, cum sine aliquo desinendi modo fabricatur, cum in longum peccata tenduntur, cum jam omne patientis misericordiæ tempus exclusum est. Exprobrari autem semper contumacibus legis meminimus, quod dura cervice sint : cum cervicosum populum esse Moyses ad Deum arguit (*Exod.* XXXII, 9) ; cum propheta filiabus Sion exprobrat, quod alta cervice incedant (*Esai.* III, 16) ; cervice scilicet **487** jugum dedignante, operibus fidei insolente, patientia Dei ad producendam peccatorum longitudinem abutente. Submittenda autem cervix est jugo suavi, ad quod Dominus invitat, dicens : *Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI, 29). Non concidenda cervix est, huic se jugo subdens. Est enim hoc humilitatis et mansuetudinis jugum, non semper impugnans, non in dorso fabricans, non peccata prolongans, sed humilitate et patientia cervicem subditam fovens, superba illa insolentique cervice justi judicii concidenda decreto.

9. *Sion mons. Speculatio interpretatur. Corpus Christi gloriosum significat. Corpus Christi Ecclesia. Hanc qui odit Christum odit. Criminis pœna.*—Dehinc sequitur,

(1) *Iniquitatem ipsorum.*

(2) *Et tanquam funis modo in longum implexa semper extendere.*

(3) *Concidit.* mox, *in ultione.*

originem duceret, ab Hilarii sententia minime abhorreret.

(*a*) In editionibus Hilarii hic et infra post *pridem* frustra adjicitur *a juventute.*

(*b*) In ms. Turon. *sicubi viam prætereat.*

(*c*) Sola editio Par. *ad infideles.* Vide Deut. XXVIII, 7.

(*d*) Apud Zenon. hic omisso *eo*, deinde habetur *currentium* pro *currente* : male. Nec melius in aliis edit. *eo* ut adverbium loci notatur, ac deinde apud Bad. Er. et Lips. *quo quotidie.* Sententia ita per se clara est : *eo currente, cui quotidie*, etc. Quamquam in ms. Turon, legitur, *eo cui..... fabricabatur, bella currente.*

(*e*) In mss. reg. ac Turon. *iniquitatem ipsorum* : hellenismus.

(*f*) In ms. reg. hic et mox, *concidit*, suffragante græco συνέκοψεν. Favet et vulgatus Hieronymus, qui notans in hæbræo *pro cervicibus* haberi *vincula*, psalmi verba sic interpretatur : *Illi qui me suis insidiis hinc inde vallaverant, etiam vinctum tenebant : sed auxiliante Domino omnes nexus soluti sunt.* Non ait *solventur*, sed *soluti sunt.* Vulgatam tamen lectionem habet ms. Turon. et confirmare videntur subnexa.

(*g*) Editiones Hilarianæ, *seram scilicet* : castigantur ex mss. Zenone vulgato et Hincmaro, qui hunc locum lib. de Præd. c. 25, Hilarii nomine laudat. Erratum simile supra jam correximus.

VERS. 5 : *Confundantur et* (*a*) *revertantur retrorsum omnes, qui oderunt Sion.* Frequenter admonuimus Sion montem esse Jerusalem proximum. Sed cum rex Sion, cum filia Sion, cum portæ Sion a prophetis nuncupantur : primum ipso nomine intelligi oportet aliud sub Sion significatione monstrari. Sion enim speculationis interpretatio est : quod enim nobiscum speculatio, id hebraice Sion dicitur. Tum deinde dicti apostolici meminisse nos convenit, ad montem Sion et Jerusalem cœlestem accessisse nos, in Dominum nostrum Jesum Christum credentes (*Heb.* XII, 22) : in cujus glorificato corpore, quod in cœlestem gloriam transformatum est, spei nostræ honorem speculamur, humilitatis nostræ corpore in gloriam corporis sui conformando. Ecclesiam autem esse corpus Christi, cujus invicem membra sumus, Apostolus testis est (*Eph.* I, 23), (*b*) quæ ipsa sit Sion mons Domini, regis filia, civitas sancta, vivis lapidibus in fundamento prophetarum et Apostolorum ædificata. Hanc ergo Sion quisquis odit, odit eum cujus et corpus est : est enim speciale adversus fideles infidelium odium. Confundendi ergo erunt qui Sion oderunt, retrorsum revertentur, non in cœlestia currentes, neque ad futura tendentes, sed ad terrena sua et originalia revertentes ; pudorem iniquitatis et infidelitatis suæ judicii tempore sentientes, et in pœnalem corporum sensum, amissa resurrectionis demutatione redeuntes.

10. *Inanes impiorum labores, ædificia alia firma, alia infirma.* — Idipsum autem psalmi consequentia docent. VERS. 6-8 : *Fiant sicut fœnum ædificiorum, quod priusquam evellatur aruit : de quo non implebit manum suam qui metet, et sinum suum qui manipulos colliget. Et non dixerunt qui præteribant, Benedictio Domini super vos.* Nullum, ut arbitror, secundum corporalem intelligentiam 488 ædificiorum fœnum est : est autem agri, ejusdemque fructuosissimi. Ergo nihil hic secundum aurium sensum tractandum atque opinandum est. Sunt autem secundum Scripturæ auctoritatem ædificia firma, sunt et infirma. Firma sunt, quæ fundamentis fidelibus supra petram jacta, fluviis, ventis, inundationibus non moventur (*Matth.* VII, 25). Sunt et infirma, quæ arenoso ædificata fundamine, cum tempestates ortæ erunt, efficiunt ingentem (*c*) ruinam (*Ib.*, 27). Sunt et sationes duæ secundum Apostolum, spiritus atque carnis : et qui spiritalia (1) serit, spiritalia metet ; et qui carnalia serit, carnalia metet (*Gal.* VI, 8). Ergo qui sæpe et pridem impugnabant, qui super dorsum fabricabant, qui prolongaverunt iniquitates, quorum concidentur cervices, qui oderunt Sion, hi sicut fœnum ædificiorum erunt (*d*) inutiles, et corporeæ hujus præsentisque vitæ fructum cassum inanemque referentes. Ædificia enim atque tecta, secundum evangelicam comparationem, humana sunt corpora, aut fide firma, aut infidelitate ruitura. Ab hoc etiam ædificii tecto instante persecutione, Dominus unumquemque vetuit descendere, dicens : *Et qui super tectum est, non descendat tollere de domo aliquid* (*Matth.* XXIV, 17). Certe in persecutione fugiendum est : et quomodo de tecto inhibuit descendere, (*e*) nisi cura corporis derelicta, quia super tectum insistens, id est, super terrenam naturam manens, humilia repetere et descendere ad inferiora prohibetur ? Verum impii ædificiorum fœnum sunt, inania enim severunt : et fœnum etiam antequam evellatur arescens, de quo neque manum suam messor (2) implebit (*f*), neque sinum manipulos collecturus onerabit, non prætericns fructum gratulatione benedixit. Inanes sunt, vacui sunt, inutiles sunt : inania enim et inutilia severunt. O infelices labores, et infructuosa carnis opera, infructuoso ædificiorum fœno comparata, et antequam evellantur arida, id est, ante ipsum inutilis ipsius messis tempus emortua.

11. *Operum ac bonæ voluntatis discrimen.* — Sed quia horum ædificiorum fœnum carnalium operum fructus esse tractavimus ; considerandum est quæ differentia sit in eo qui implet manum et qui manipulos sinu colligit. Non enim idem est, neque Scriptura res easdem iterare geminis elocutionibus solita est ; plus est enim sinu colligere, quam manum replere. Et quidem qui manum replent, fructum recipere recte gestorum videntur : quia in manibus sermo divinus opera 489 significat ; in sinu vero, conscientiæ et fidei et perfectæ voluntatis demonstratur affectus. Plus enim metit conscientia, quam gesta : hæc namque manum replent, manipulos vero illa (*g*) colligit. Duos denarios viduæ inopis acceptiores Dominus habet copiosis divitum nummis (*Luc.* XXI, 3). Tanto præstat operibus voluntas. (*h*) Et opera quidem manum implent (3) : sed sinus manipulis sunt capaces. Ergo hoc ædificii fœnum neque metentis manum, neque manipulos colligentis sinum replebit.

12. *Transeuntes, supra terrena animo elati.* — Sed

(1) *Severit* iterato, mox, *impugnant*, ut apud Zenonem.

(2) *Implevit... oneravit* etc., exinde, *fructuum.*

(3) *Manu implentur.*

(*a*) Sic apud Zenon. et in ms. Turon. subjecta enarratione suffragante. In aliis autem libris *revereantur.*

(*b*) In prius vulgatis Hilarii hic adjicitur *dicens* ; moxque omisso verbo *sit*, post *ædificata* subjicitur *est* : quasi Pauli sint verba subsequentia, *quæ ipsa*, etc., ad quæ referatur illud, *Apostolus testis est.* Horum e mss. intelligentia est : *Apostolus autem* (Eph. I, 22 et 23) *testis est Ecclesiam esse corpus Christi, cujus invicem membra sumus, quæ* (minus bene apud Zenon. *quia*) *ipsa sit Sion*, etc.

(*c*) Mss. reg. et Turon. *ingentes ruinas.*

(*d*) In ms. Turon. *inutilis et corporeæ.*

(*e*) In vulgatis, *nisi quod cura.* Expunximus *quod* auctoritate ms. Turon. consentientibus etiam Zenonis exemplaribus.

(*f*) Ita apud Zenon. ut in mss. reg. ac Turon. In aliis autem libris, *implevit... oneravit... fructuum gratulatione.*

(*g*) In prius vulgatis, *sinu colligit.* Rectius abest *sinu* a mss. reg. Turon. et apud Zenon.

(*h*) In ms. reg. et apud Zenon. *et opera quidem manu implentur.* In Turon. *et opera quidem manus implentur.*

neque prætereuntes dicent: *Benedictio Domini super vos.* Et qui sunt prætereuntes, nisi qui (*a*) peregrinantes corporalis vitæ sæculum transeunt; non manentes in his quæ nulla sunt, sed ad æterna tendentes; neque his quæ conspectui subjacent immorantes, sed ad invisibilia pergentes? Ut autem penitus qui (1) sunt transeuntes intelligamus; audiamus Moysen, cum in rubo ignem conspexit sine damno rubi in quo conflagrabat ardentem. Ait enim: *Transibo, et videbo visionem hanc* (*Exod.* III, 5). Quid est istud, transibo? Nulla cum locorum intervalla (2) discreverant, eodem in loco et loquitur et videt: quid ergo transit? Transit plane corporales carnalesque curas: et soceri sui oves pascens, in cœlestem cognitionem relictis terrenis operibus excedit. Verum et ipse pertransit, qui in superiore psalmo ait: *Vidi impium superexaltatum, et elevatum sicut cedros Libani: et transivi, et ecce non erat* (*Psal.* XXXVI, 35 *et* 36). Quem admiratus in sæculi rebus est, quem (*b*) in corporeis operibus manens excelsum elatumque conspexit; hunc transiens, id est, peregrinus sæculo factus, et in cœlestem ac spiritalem cognitionem de terrenis et caducis rebus excedens, hunc (*c*) nihilum habuit, etiam non esse dixit, et mortuum deputavit. Negant ergo ædificiorum fœno prætereuntes Dei benedictionem, fructibus aridis et caducis scientes gratiam divini muneris denegandam.

13. *Imprecatione vacat Propheta.* — Sed Prophetæ vota dura atque aspera esse credentur: totus enim ejus sermo tamquam optantis fuit, cum ait: *Fiant sicut fœnum ædificiorum.* Sed absit istud ut Propheta imprecatus esse credatur. Prophetali autem scientia hæc locutus est; et cognitionis fuit sermo iste, non voti: simul ut peccatoribus terror ingrueret, inanitatem fructuum suorum arescentium cognituris.

490 14. *Pœnitentibus orat benedictionem.* — Porro autem votorum suorum ostendit affectum, dicens: *Benedicamus* (*d*) *vos in nomine Domini.* Prompta benedictio est, si hi qui serebant ædificiorum fœnum, (*e*) serere incipiant quod messoris manum et colligentis manipulos sinum repleat. Aridis ergo operibus emortuos fructus suos in fœno ædificiorum Propheta monstravit, benedictiones negando: vota autem sua erga pœnitentium salutem pro reditu bonæ operationis ostendit, benedictiones rursum quas negavit optando. Seramus ergo utiliter, et labores nostros in replendis manibus ac sinibus præparemus: ut benedictionum Dei participes simus in Domino nostro Jesu Christo, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXXIX.

Canticum graduum.

De profundis clamavi ad te Domine, Domine exaudi vocem meam. Fiant aures tuæ intendentes in vocem orationis meæ. Si iniquitates observes (*observabis*) *Domine, quis sustinebit te* (*Domine*, omisso *te*)*? Quoniam apud te propitiatio est, et propter legem tuam sustinui te, Domine. Sustinuit anima mea in verbum tuum: speravit anima mea in Domino. A custodia matutina usque in noctem speret Israel in Domino: quia apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio. Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eorum.*

TRACTATUS PSALMI.

1. *Dei secreta homo non penetrat: quatenus ea scrutari pium sit.* — Inter multa præclara, quæ ad Romanos Apostolus scribit, cum de fide gentium et infidelitate Judæorum locutus esset, et multa (3) de judiciis Dei decretisque tractasset, ait: *O profundum divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam sunt* (*f*) *inscrutabilia judicia ejus, et investigabiles* **491** *viæ ejus? Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? aut quis ante dedit ei, et retribuetur illi? Quia ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia: ipsi claritas in sæcula sæculorum* (*Rom.* XI, 33 *et seqq.*). Humanæ infirmitatis religiosa confessio est, ex Deo hoc solum nosse quod Deus est. Cæterum secreta illa et profunda imperspicabilis judicii decreta mens terrena non penetrat. Investigare quidem ea perscrutarique pium est, sed inscrutabilia ea esse et investigabilia confitenda sunt: quorum est alterum religiosæ voluntatis, alterum imperspicabilis naturæ. Quis enim causas naturasque cœli et hujus et superioris et cæterorum sciet? Quis angelorum et potestatum et dominatuum et thronorum et principatuum officia rationesque perceperit? Quis Cherubim et Seraphim perpetuas voces æternasque intelliget? quis laudantes Deum super cœlum aquas cognoscet? quis solis, lunæ et astrorum lumina comperta sibi esse gloriabitur? quis hanc inanis nobis, ut (*g*) putamus, aeris plenitudinem, metietur? Jam vero quis aut dispositionem orbis terrarum, aut elementorum virtutes aut temporum mutationes, aut fluminum cursus,

(1) *Sint.* Paulo post, *Moysen loquentem.*
(2) *Discrepaverant.*
(3) *Super judicii;* deinde, *inexscrutabilia.*

(*a*) In prius vulgatis, *tanquam peregrinantes.* Tum in mss. Turon. *corporalis viæ.*

(*b*) Ita regius codex cum Turon. Editi vero, *in corporeis rebus*, quæ verba ad eum qui conspicit, non ad eum qui conspicitur, referenda. Paulo ante in ms. Turon. *superaltatum*, pro *superexaltatum.*

(*c*) Apud Zenon. *pro nihilo*, etc. In vulgatis nostris, *in nihilum habuit et jam.* Præferimus cum mss. *nihilum habuit*, cum respiciatur illud, *et ecce non erat.* Pressius eadem psalmi verba ad mentem Hilarii sic interpretatur vulgatus Hieronymus: *Non eos benedixerunt sancti Dei, qui pro nihilo habentes mundum pertransierunt ad cœlestia et æterna.*

(*d*) Antiquæ editiones cum mss. reg. et Turon. *benedicam vos.*

(*e*) Reg. ms. cum Turon. *ferre incipiant.* Vulgatæ lectioni favet illud apud Hieronymum, *Benedixímus vobis: ut relictis infructuosis aridisque operibus, ea seratis, quæ et messorum manum et colligentium manipulos repleant sinum.*

(*f*) Turonensis codex hic et infra, *inexscrutabilia.*

(*g*) Removimus hinc *falso*, juxta mss. et Zenonis editionem. Mox vocabulum *quis* ex ms. Turon. supplevimus, cum antea deesset.

aut maris fines, aut Oceani vicissitudines, aut ventorum flatus, aut naturas animalium, aut rabies bestiarum, aut genera arborum, aut virtutes radicum, et origines animarum, et incrementa corporum, et infantium mortes, et senum vitam et labores sæculi, et sanctorum gloriosas calamitates, et irreligiosorum infelices beatitudines, et legis et prophetarum et evangeliorum et apostolorum (*a*) arcano cœlesti libros consecratos, plenæ cognitionis scientia consequetur?

2. *Vox aut nescientis aut patientis, aut precantis.* — In his igitur omnibus hærens ac detentus Propheta, ex interno cordis sui secreto, secundum Apostoli vocem et ipse (1) clamat, dicens, VERS. 1: *De profundis clamavi ad te, Domine.* Pone illum, secundum Apostolum, in profundo divitiarum Dei imperscrutabilium et investigabilium demorantem (*Rom.* XI, 33), statue illum de profundo humanarum calamitatum æstu precantem, secundum eam Domini quæ in anteriore psalmo est vocem: *Veni in profundum maris, et tempestas demersit me* (*Psal.* LXIII, 3); existima illum non labiis, sed secreto, ut jussum est, cordis orare (*Matth.* VI, 6): apta aut ignorationi, aut passioni, aut orationi vox ista dicentis est: *De profundis clamavi ad te, Domine;* dum aut nescit, aut patitur, aut precatur. Et quia de profundis clamat; confidenter ait: *Domine exaudi vocem meam*, VERS. 2: *fiant aures tuæ intendentes* 492 *in vocem orationis meæ.*

3. *Deum audire, et aures in precem intendere quid differant. Deo incorporeo quid membra adscripta.* — Sed quærendum est an idipsum sit, *exaudi vocemmeam;* et, VERS. 2: *fiant aures tuæ intendentes in vocem orationis meæ.* De profundis enim orat, et profundum est quidquid orat. Ac primum intelligendum est, Deum incorporalem esse, neque ex partibus quibusdam atque officiis membrorum, ex quibus unum corpus efficitur, consistere. Legimus enim in Evangelio, Quoniam Deus spiritus est (*Joan.* IV, 24), invisibilis scilicet et immensa atque intra se manens et æterna natura. Scriptum quoque est: *Quoniam spiritus carnem et ossa non habet* (*Luc.* XXIV, 39). Ex his enim corporis membra consistunt, quibus substantia Dei non eget. Deus autem, qui et ubique et in omnibus est, totus audit, totus videt, totus efficit, totus incedit. Et hoc ex Scripturis docemur, cum dicitur: *Ego sum Deus appropians, et non de longe* (*Jer.* XXIII, 23); et rursum: *Quoniam in ipso vivimus, et movemur, et sumus* (*Act.* XVII, 28). Virtus ergo Dei, quæ æqualis (2) et indiscreta est, officiorum ac membrorum habet nomina: ut virtus qua videt, oculi sint; virtus qua audit, aures sint; virtus qua efficit, manus sint; virtus qua adest, pedes sint: officiorum diversitates virtutis hujus potestate peragente. Deus ergo ubique est, et ubique adest, audit, videt, efficit: sed orandus a nobis est, ut secundum precem nostram adsit, audiat, videat, efficiat. Naturæ suæ est ut audiat; sed fidei nostræ est ut precemur audiri. Audit conviciantes, audit maledicentes, audit etiam intra secreta cordis loquentes: sed fides officium suum exsequitur, ut Dei auditionem roget; ut qui per naturam suam audit, per orantis precem dignetur audire.

4. *Contra Anthropomorphitas. Homo constat corpore et anima. Deus non est compositus.* — Quod si qui forte corporeum Deum et conformabilem et membris diversum, quia non idem oculus quod et manus est, ob id esse existimabit quod dictum est: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* I, 26): primum meminisse debet hominum (3) institutionem naturis duabus contineri, animæ scilicet et corporis, quarum alia spiritalis, alia terrena est; et inferiorem hanc materiam (*corpus*) in efficientiam atque operationem naturæ illius fuisse potioris (*animæ*) aptatam. Ergo quisquis ita volet credere, ut corporalis Deus sit, quia ad imaginem ejus homo factus est; compositum esse Deum statuet, ex potiore scilicet inferiorique natura, quia de talibus homo constat. Quidquid autem compositum est, necesse est non fuerit æternum; quia compositio habet initium (*b*) quo corporatur ut 493 maneat. Sed hæc infidelitatis deliramenta sunt, dum per (*c*) cœlestis naturæ ignorationem, intra has opinionis angustias vitio ingenii degeneris coarctatur.

5. *Hominem condendo tria egit.* — Deus autem semper et in omnibus manens ubicumque idem, et ipse nusquam non totus, cum pulcherrimum opus perfecto jam mundo inchoaret, hominem scilicet ad imaginem sui faciens, eum ex humili natura cœlestique composuit, anima videlicet et corpore. (*d*) Et

(1) *Proclamat*, cum Zenone.
(2) *Æquabilis*, pariter cum Zenone.

(*a*) Apud Zenon. *arcana cœlesti libro consecrata*: nobis non probatur.

(*b*) Ita Vaticanus codex. At apud Zenonem, *quo comparatur*. In editionibus aliis, *quo componatur*. In ms. Turon. *comparatorum quo maneat*. In reg. *quo comparatorum maneat*. Ex hac lectione posset confici, *quo comparat*, seu adipiscitur, ut *totum maneat*, aut potius, *quo corporatum maneat*. Compositionem autem a Deo sic abigit Gregorius Nazianz. Or. 34, n. 13: *Compositio quippe pugnæ initium est, pugna autem dissidii, dissidium solutionis. Solutio porro nullo modo in Deum ac primam illam naturam cadit.*

(*c*) Id est, ut alias ostendimus, divinæ, vel etiam spiritalis naturæ. Hac posteriore intelligentia mox prædicatur homo compositus *ex humili natura cœlestique, anima videlicet et corpore.* Neque necesse est moneamus, animæ cœlestem naturam prædicari, non

(3) *Institutiones*, itidem.

quod ex quadam cœlesti materia condita sit (quam Hilarius *in se assumptæ aliunde alterius naturæ originem non habere* diserte docet in psal. CXVIII, num. 7, ac proinde neque ex terrena neque ex cœlesti materia constare), sed quod soli Dei in cœlis habitantis virtuti originem suam debeat.

(*d*) Quæ supersunt ex hoc numero, omittuntur apud Zenonem: haud dubie quia qui illis Hilarii Tractatibus in cæteris subscripsit, in singularem illius de primi hominis institutione sententiam abire noluerit. An re ipsa animæ et corporis conditionem et utriusque conjunctionem distinctis temporum intervallis factam senserit, an vero tantum ex Moysi verbis quemdam Dei in homine condendo operationum aut quasi operationum ordinem indicare voluerit, quæri potest. Certe stare nequit animadversio Sculteti, qui inter singulares Hilarii sententias re-

prius quidem animam divino illo et incomprehensibili nobis virtutis suæ opere constituit. Non enim cum ad imaginem Dei hominem fecit, tunc et corpus effecit. Genesis docet longe postea, quam ad imaginem Dei homo erat factus (*Gen.* II, 7), pulverem sumptum, formatumque corpus (*Ibidem*); dehinc rursum in animam viventem per inspirationem Dei factum, naturam hanc scilicet terrenam atque cœlestem quodam inspirationis fœdere copulatam.

6. *Imago Dei in homine secundum animam.* — Scit se beatus apostolus Paulus per interiorem et exteriorem hominem dissidere. Per interiorem quidem hominem delectatur (*a*) lege, per exteriorem vero hoc quod non vult agit : cum interior homo spiritus opera desiderat, exterior voluptates corporis concupiscit (*Rom.* VII, 22 *et* 23). Ergo ad imaginem Dei homo interior effectus est rationabilis, mobilis, movens, citus, incorporeus, subtilis, æternus. Quantum in se est, speciem naturæ (*divinæ*) principalis imitatur, dum transcurrit, dum circumvolat, et dicto citius nunc ultra oceanum est, nunc in cœlos evolat, nunc in abyssis est, nunc orientem occidentemque perlustrat, dum numquam ut non sit aboletur (natura quidem Dei in his omnibus est), neque ut alibi adsit, decedit aliunde. Sed anima humana in hac sensus sui mobilitate ad imaginem opificis sui facta est (*Duo mss.* animus humanus... factus est), dum naturam Dei mobilitas animæ perennis imitatur (*subaudi* dum, *nisi malis cum Turon. ms.* habens), nihil in se habet corporale, nihil terrenum, nihil grave, nihil caducum. Et audiamus adhuc Paulum hoc ita docentem : *Exspoliantes veterem hominem cum gestis ejus, et induentes novum, qui renovatur in cognitionem secundum imaginem Creatoris* (*Coloss.* III, 9 *et* 10). Numquid aliquid corporale induimus, cum in **494** agnitionem renovamur ? Nihil, ut opinor. Induimus autem agnitionem Dei, fidem æternitatis, innocentiæ sinceritatem, et bonitatis mores. Hæc enim animæ magis sunt indumenta, quam corporis, quæ omnia Deo propria sunt. Hæc, (*b*) in agnitionem novi, induimus : ut in omni ministerio animæ nostræ, simus secundum imaginem Creatoris, bonitatis et sanctitatis et charitatis agnitione perfecti. Hæc propter aures Dei, ne corporalis existimaretur, tractata brevibus sunt.

7. *Membra Dei dici possunt angelicæ virtutes. His* A *Deus non eget, sed nos.*—Et quamquam hæc ita se ut dicta sunt habeant ; tamen meminimus esse plures spiritales virtutes, quibus angelorum est nomen, vel ecclesiis præsidentes. Sunt enim, secundum Joannem, Asianis ecclesiis angeli (*Apoc.* I, 20). Sunt et, Moyse testante, secundum numerum angelorum fines gentium Adæ filiis constituti (*Deut.* XXXII, 8). Sunt et, Domino docente, pusillorum angeli quotidie Deum videntes (*Matth.* XVIII, 10). Sunt, secundum Raphael ad Tobiam loquentem (*Tob.* XII, 15), angeli assistentes ante claritatem Dei, et orationes deprecantium ad Deum deferentes (*Ibid.*, 12). Hoc ideo commemoratum sit, ut si forte hos esse oculos, vel aures, vel manus, vel pedes Dei intelligere voluerimus ; habeamus non improbabilis intelligentiæ auc- B toritatem : maxime cum scriptum sit : *Sunt enim efficientes spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditabunt salutem* (*Heb.* I, 14). Intercessione itaque horum non natura Dei eget, sed infirmitas nostra. Missi enim sunt propter eos qui hæreditabunt salutem : Deo nihil ex his quæ agimus ignorante, sed infirmitate nostra ad rogandum et promerendum spiritalis intercessionis ministerio indigente.

8. *Peccati et iniquitatis discrimen.* — Deinc sequitur, VERS. 3 : *Si iniquitates observabis* (1) *Domine, Domine quis sustinebit ?* Non negligenter dicti hujus ratio tractanda est. Non enim ait : *Si peccata observabis*, (2) sed : *Si iniquitates observabis* (*c*). Differt enim iniquitas a peccato. Numquid Deus peccata non observabit, et criminum memoria non erit? C Erit certe : (*d*) quin etiam de otioso verbo rationem unusquisque præstabit (*Matth.* XII, 36), et omnis in carcerem missus reddet novissimum quadrantem (*Matth.* V, 26). Differre autem iniquitatem et peccatum docemur, cum dicitur : *Beati quorum* **495** *remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata* (*Psal.* XXXI, 1) : et rursum : *Iniquitatem meam ego* (*e*) *agnovi, et peccatum meum non abscondi* (*Ibid.*, 5). Iniquitas enim omnis, transgressio legis Dei est, quæ est gravior peccato. Quod idipsum Apostolus absolutissime distinxit, dicens : *Qui enim* (*f*) *inique peccaverunt, inique peribunt : qui autem per legem peccaverunt, per legem judicabuntur* (*Rom.* II, 12). Ergo peccatum iniquitatis jam periit, cæterum peccatum legis judicabitur. Peccatum autem iniquitatis est, D quidquid extra legem delinquitur, ut gentilium (*Duo*

(1) Vox *Domine* non iteratur in nostro, quod græco consentit.

(2) Noster quoque rejicit, *sed si iniquitates observabis.*

fert, quod senserit *animam Adæ prius fuisse formatam quam corpus, et Deum omnia simul et semel creasse.* Si enim vel Adam simul ac semel creatum non sensit, non sensit omnia simul et semel a Deo creata. Videsis psal. CXVIII, n. 6.

(*a*) Deest apud Zenon. *lege.* In aliis edit. exstat, *condelectatur legi.* Reponimus ex mss. *delectatur lege*, sub audita particula *in*, quæ in psal. CXVIII, num. 8, etiam exprimitur.

(*b*) Ita apud Zenon. ut in mss. hoc est, *in agnitionem renovati*, secundum superiora Pauli verba, *qui renovatur in cognitionem*, etc., adeoque male antea subjiciebatur vocabulum *hominis* post *novi*.

(*c*) Hæc verba, *sed si iniquitates observabis*, apud Zenon. omittuntur ut in mss. reg. ac Turon.

(*d*) Regius codex cum Turon. *quia etiam.*

(*e*) Sola editio Par. *cognosco.* Græc. ἐγνώρισα. Post verbum *abscondi.* mss. reg. ac Turon. subjiciunt, *quod idipsum Apostolus*, aliis omissis.

(*f*) Hilarianæ edit. *qui enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt*, nihil præ se ferunt unde peccati et iniquitatis discrimen statuatur. Verior itaque est lectio quam ex mss. exhibemus, licet græcum, ὅσοι γὰρ ἀνόμως ἥμαρτον, ἀνόμως καὶ ἀπολοῦνται, utramque permittat.

mss. gentium) crimina sunt, quæ jam cum ipsa legis ignoratione damnata sunt. (*a*) Legis autem peccata judicanda sunt : quia licet peccata sunt, tamen in lege peccata sunt. Ergo si Deus iniquitatum recordetur, quis sustinebit furta, cædes, falsa testimonia, stupra, perjuria? Hæc enim crimina sunt, quæ inique, id est, extra legem Dei geruntur, quæque novæ generationis Sacramento abluuntur.

9. *Filius nostra redemptio, qui cum Patre unum sit.* — Sed horum plane jam Deus non recordatur : et cur non recordetur, in sequenti versu Propheta demonstrat, dicens, VERS. 4 : *Quia apud te propitiatio est.* Est enim unigenitus Dei filius Deus Verbum redemptio nostra, pax nostra, in cujus sanguine reconciliati Deo sumus. Hic est, qui venit tollere peccata mundi, qui cruci chirographum legis (*b*) affigens, edictum damnationis veteris delevit (*Coloss.* II, 14). Sive igitur ad Patrem, sive ad Filium oratio Prophetæ esse existimabitur [unum enim ambo sunt : et qui vidit Filium, vidit et Patrem , quia Pater in Filio, et Filius in Patre est. Ex similitudine gloriæ alter in altero gloriosus est ; gloriosus Filius , quia dignus consortio Patris sit ; gloriosus Pater, (1) (*c*) digni consortio Filii], (*d*) recte ad quem voles, Propheta dixisse credetur : *Quia apud te propitiatio est ;* quia in Patre secundum similitudinem gloriæ Filius est ; et Filius ipse pro peccatis nostris et propitiatio et redemptio et deprecatio est, iniquitatum nostrarum, quia ipse earum propitiatio sit, non recordans.

10. *Legem observanti Prophetæ spes est Christus, et hoc tota vita.* — Scit autem Propheta ingentis periculi 496 rem esse, inique, id est, sine lege peccare quia peccato sine lege (2) perditio est, peccato autem in lege judicium est. Et idcirco ait : *Propter legem tuam sustinui te, Domine.* Lex autem sancta et spiritalis est, et in ea verba vitæ sunt, et legis finis Christus est : et hoc sequenti versu ostenditur. Ait enim : *Sustinuit anima mea in verbum tuum.* Corporalia quidem legis officia Propheta exsequitur, scilicet sacrificiorum et holocaustomatum et neomeniarum et sabbatorum, quæ omnia umbra sunt futurorum : sed anima ejus sustinuit in verbum Dei. Propter legem ipse sustinet, id est, ut dixi, corporaliter officia legis gerit. In verbum autem Dei anima sua sustinet : scilicet filii Dei adventum, qui et Verbum Dei, et Deus Verbum est, spiritali fide exspectat. Qualiter autem exspectet, demonstrat dicens, VERS. 5 et 6 : *Speravit anima mea in Dominum, a custodia matutina usque in noctem.* Recordemur evangelicæ comparationis tenorem, et meminerimus quosdam operarios vineæ omnem diem in labore transigere. *A custodia matutina usque in noctem* Propheta sperat : nullum tempus habet vacuum, totius diei indefessus operarius est.

11. *Nec desperandum ei, qui non omnem diem in spe Domini exegit.* — Sed quid tandem erit spei? Non (3) omnis ita diem suum (*e*) in spe Domini exigit ; sunt enim operarii horæ tertiæ, sunt sextæ, sunt nonæ, sunt et undecimæ : et videtur Propheta, qui a custodia matutina usque in noctem speravit, spem nobis evangelicæ mercedis abscindere. Non abscindit plane. Ait enim : *Speret Israel in Domino.* Sine præfinitione temporis spei adhortatio est. Ille quidem, ut perfectus operarius, a custodia matutina usque in noctem speravit. Sed ad spem omne tempus est liberum : et mercedem non operis, sed misericordiæ, undecimæ horæ operarii consequentur (*Matth.* XX, 9). Ita enim ait : *Speret Israel in Domino*, VERS. 7 et 8 : *Quia apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio. Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eorum.* Bonus est in quem speratur : et sperandum in eo est, quia misericors est, quia copiosa apud eum redemptio est, quia (4) redemit ab omnibus iniquitatibus 497 suis universos. Hora undecima est, conclusa sunt dici tempora : curramus omnes, festinemus ne nox adsit, (*f*) ne hora prætereat. Senes sumus, nox mortis in-

(1) Codicis nostri lectionem, ut cæteris præstantiorem in textum revocavimus. Erat in anteriori editione, *digno consortio suo Filio.*

(2) *Perditio est peccatori*, glossema, ut videtur. Sed hinc fortasse est, quod legamus in Zenonis exemplaribus : *nam perditio est peccatori ; peccatori autem in legem judicium est.*

(3) *Non omnium vita diem suam ;* tum, *exegit.* Apud Zenonem quoque.

(4) *Redimet ;* tum, *ab iniquitatibus.*

(*a*) Ita in mss. reg. Turon. et apud Zenon.; in aliis autem libris, *Peccata autem in lege non pereunt, sed judicanda sunt.*

(*b*) Cujus legis, declaratur lib. IX de Trin. n. 10, ubi habemus : *Delens chirographum legis peccati, quod per sententias anteriores contrarium nobis erat.*

(*c*) In priùs vulgatis, *dignus consortio filii sui :* quod non sapit phrasim Hilarii, qui Filii æqualitatem iis verbis tueri solet, quæ paternam non dedeceant dignitatem ; qui modus maxime servatur in hac mss. reg. ac Turon. lectione, *digno*, etc., hoc est, gloriosus Pater, quod dignum consortio suo filium habeat. Qua loquendi ratione in psal. CXXII, n. 2, docet Patrem esse in Filio, *digno et sufficiente Filio, in quo Pater per eamdem naturæ habitet virtutem.* Nec displicet quod in mss. Vatic. et apud Zenon., *Gloriosus Pater digni consortio suo Filii.*

(*d*) Reg. ms. cum Turon. *ad quem Pater recte volens per Prophetam dixisse creditur ;* quam lectionem Bad., Er. et Lips. secuti sunt dempta prima voce, *ad quem.* Par. ex ms. Mic. *Pater recte ad quem volens Propheta dixisse creditur.* His nitidior est lectio, quam ex Zenonis exemplaribus huc revocavimus.

(*e*) Ms. Mic. ut apud Zenonem, *non omnium vita*, reg. *non omni vita.*

(*f*) Reg. ms. cum Turon. *ne opera prætereant.* Totus hic numerus est in commendatione operum. Erasmus tamen paulo superius ad marginem adscripsit, *Ubi bona opera N. Ecmondani ?* Non curamus quid dixerit Ecmondanus : sed ne male intelligatur Hilarius. Quamvis enim dicat, *mercedem non operis, sed misericordiæ undecimæ horæ operarii consequentur ;* non negat tamen eorum opera esse bona, sed tantum jus mercedis exigendæ. Quia enim denarium opera eorum neque per se merentur, neque ex pacto patris familias ; hunc ex ipsius dumtaxat misericordia iis expectandum dicit. Aliis vero operariis, quibus merces condicta est, ejus exigendæ ex pacto jus

sistit, nec ad undecimam saltem vitæ nostræ horam (*a*) procedimus. Beatus quidem qui a mane usque ad noctem laborans, pactum denarium tamquam debitum postulat : sed quia bonus est Dominus, quia misericors est, speremus in eum; ut undecimæ licet horæ operarii, diurni laboris denarium consequamur per Dominum nostrum Jesum Christum, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXXX.

Canticum graduum.

Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei. Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me. Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam. Sicut ablactatum super matrem suam, sic retribues in animam meam. Speret Israel in Domino, ex hoc nunc et usque in sæculum.

TRACTATUS PSALMI.

1. *Psalmi hujus doctrina. Humilitas maximum fidei nostræ opus.* — Brevis psalmus est, et distinctione magis quam Tractatu explicandus : ad humilitatem nos et mansuetudinem (*b*) docens. Et quia plurimis aliis locis nonnulla de humilitate tractavimus, otiosum est eadem repetere. Certe meminisse debemus maximum fidei nostræ opus esse humilitatem : cum hanc pro optimi operis conscientia propheta commemoret, dicens, VERS. 1 : *Domine, non est exaltatum cor meum.* Optimum enim sacrificium Deo, cor contribulatum (*Ps.* L, 29). Non ergo cor secundis rebus efferendum est : sed Dei metu intra mansuetudinis fines humilitate cohibendum.

498 2. *Oculi ad Deum, non ad aliud efferendi.* — *Neque elati sunt oculi mei.* Alia istud proprietate græcitas elocuta est, dicens : οὐδὲ ἐμετεωρίσθησαν οἱ ὀφθαλμοί μου, id est, non ex alio in aliud elati sunt. Elevandi autem oculi secundum dicta prophetæ sunt, *Elevate oculos vestros, et videte quis ostendit hæc omnia* (*Esa.* XL, 26). Et Dominus in Evangelio ait : *Elevate oculos vestros, et conspicite regiones : quia albæ sunt ad messem* (*Joan.* IV, 35). Elevandi ergo sunt oculi ; sed non rursum (*c*) in aliud elevandi : ut semel in id quod elati sunt perseverent.

3. *Erectus in Deum David, de gloria sua non insolescit.* — Deinde sequitur : *Neque ambulavi in magnis,* esse innuit : ac proinde eam non ex mera misericordia exspectandam. Quamquam quia ex misericordia Dei nobis promissa est vitæ æternæ merces, eo respectu non semel tradit Hilarius illam omnibus ex misericordia Dei indulgeri.

(*a*) Apud Zenonem, *procedamus.*

(*b*) Ita apud Zenon. et in mss. quomodo et infra Psalmo subseq. n. 1, *nos ad cognitionem filii Dei edocet*, et alias sæpissime. In aliis vero libris, *inducens.*

(*c*) In edit. Hilarianis *ex alio in aliud*, abundat *ex alio* : neque exstat apud Zenonem, aut in mss.

(*d*) Hilarianæ edit. *quæ homini magna*, etc., perverse : homini quippe mirabilia et magna videntur divina, in quibus ambulare Propheta non negatur. *neque in mirabilibus super me.* Magni periculi res est, si in modicis ambulamus, et si non in mirabilibus demoramur. Magna eloquia Dei sunt, ipse mirabilis in excelsis est : et quomodo tamquam bonum opus de se Propheta præfert, quod in magnis et mirabilibus non ambulet? Sed cum addidit, *super me*; in his non ambulat, (*d*) quæ hominum mirabilia et magna creduntur. David enim et propheta et rex, erat humilis antea et abjectus, neque convivio patris sui dignus : sed Deo complacuit, unctus in regem est, adspiratus est in prophetam. Non insolescit in regno, non odiis commovetur : (1) persequentem se amat, inimicorum mortes honorat, incestuosis et parricidalibus filiis parcit. Imperator contemnitur, pater læditur, propheta vexatur : ultionem non ut propheta orat, vindictam non ut pater sumit, contumeliam non ut imperator exsequitur. In his ergo quæ super se magna et mirabilia sunt, non ambulat.

4. *Corde humilis est, non sensu.* — Sed videamus quæ sequuntur. VERS. 2. *Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam.* Quæ prophetæ ista diversitas est? Non exaltat cor : exaltat animam. Non in magnis et mirabilibus super se ambulat : sed non humiliter sentit. Excelsus animo est, et corde submissus. Humilis in suis est; sed non humilis in sensu est. Sensus enim ejus in cœlo est (*Mic. ms.* in cœlum), anima ejus est in excelsis. (2) Corde autem (ex quo secundum Evangelium exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ (*Matth.* XV, 19) humilis est, suavi illi mansuetudinis **499** jugo subditus est. Tenendus ergo humilitatis et altitudinis modus est : ut corde humiles, sensu vero et anima simus excelsi.

5. *Panem vivum esurit.* — Deinde sequitur : *Sicut ablactatum super matrem suam, sic retribues in animam meam.* Ablactato Isaac, accepimus Abraham fecisse cœnam (*Gen.* XXI, 8) : quod ablactatus, jam puerili (*e*) ætati proximus (3) cibum lactis excederet. Et Apostolus omnes (*f*) rudis fidei, et infantilis adhuc in Dei rebus scientiæ, lacte potat (*Hebr.* V, 12). Ergo profectus maximus est, jam lacte non indigere. Ad fortiorem enim cibum transisse filium suum Abraham, etiam convivii lætitia testatus est :

(1) *Persequentes amat.*

(2) *Cor autem;* exinde, *humile est..... subditum est.*

(3) *Cibum lactis* deerat prius verbum in editis.

Rectius mss. ut apud Zenonem, *quæ hominum*, hoc est, quæ in hominibus. Itaque verba *super me*, non intelligit Hilarius quæ supra me, sed quæ in me sunt : ut dicat David, Magna et mirabilis in me videtur potestas regis, prophetæ, etc., sed hac ego potestate non sum usus. Clarius eadem expositio rursum apud Zenon. per modum concionis ad populum habitæ tractata, pro *quæ hominum magna*, etc., habet *quæ magna ab hominibus hoc putantur in sæculo.*

(*e*) Apud Bad., Er., Zenon. et in mss. reg. et Mic. *puerili ætate.* Tum in reg. a prima manu et apud Zenon. *proximum.* Forte, *jam puerili ætate potum lactis excederet.*

(*f*) In vulgatis, *rudes fidei, et infantiles.* Magis placet cum Turon. ms. *rudis fidei et infantilis*, scil. *scientiæ.* Habet etiam reg. *et infantilis.*

et Apostolus carnalibus et parvulis in Christo panem negat (I *Cor.* III, 2). Propheta itaque orat, quia non exaltaverit cor suum, quia non in magnis et mirabilibus suis ambulaverit, quia non humilia senserit, sed exaltaverit animam suam, uti tamquam ablactato super matrem suam retribuatur animæ ejus : scilicet perfecti et cœlestis et viventis panis retributione sit dignus, quia per superiora quæ commemoravit opera, cibum jam lactis excesserit.

6. Sed neque sibi tantum hunc vivum e cœlis panem precatur ; universos autem ad ejus spem adhortatur, dicens, VERS. 3 : *Speret Israel in Domino, ex hoc nunc et usque in sæculum sæculi.* Spem nostram nullo fine temporum claudit, in immensum expectationis nostræ fidem tendit. In sæculum sæculi sperandum est : (1) quia (*a*) per spem præsentis sæculi, spem futuri sæculi consequemur, in Domino nostro Jesu Christo, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXXXI.

Canticum graduum.

Memento Domine David, et omnis mansuetudinis ejus. Sicut juravit Domino, votum vovit Deo Jacob. Si intrabo in tabernaculum domus meæ : si adscendero in lectum stratus (Hil. *strati*) *mei. Si dedero somnum oculis meis, et palpebris meis dormitationem, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob. Ecce audivimus eam in Ephratam* (*Ephrata*), *invenimus eam in campis silvæ. Intravimus* (Hil. *introibimus*) *in tabernacula ejus :* **500** *adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus. Surge* (*exsurge*), *Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ. Sacerdotes tui induantur justitiam, et sancti tui exsultent* (*lætentur*). *Propter David servum tuum, non* (*ne*) *avertas faciem Christi tui. Juravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eum : De fructu ventris tui ponam super sedem tuam* (Hil. *meam*). *Si custodierint filii tui testamentum meum, et testimonia mea hæc quæ docebo eos ; et filii eorum usque in sæculum sedebunt super sedem tuam : quoniam elegit Dominus Sion, prælegit eam in habitationem sibi. Hæc requies mea in sæculum sæculi : hic habitabo, quoniam prælegi eam. Viduam ejus benedicens benedicam : pauperes ejus saturabo panibus. Sacerdotes ejus induam salutari : et sancti ejus exsultatione exsultabunt. Illuc producam cornu David : paravi lucernam Christo meo. Inimicos ejus induam confusione : super ipsum autem floreat* (*floriet*) *sanctificatio mea.*

(1) Abest *quia* etiam a Veronensi.

TRACTATUS PSALMI.

1. *Christum canit hic psalmus. Ad David perperam a Judæis refertur. Eorum erga sacros libros religio.* — Omnes quidem anteriores psalmi graduum in profectum nos spei celsioris extollunt : et per doctrinam fidei, spei, confessionis, humilitatis, (*b*) operationis in sublime gradibus suis provehunt. Sed hic præcipue psalmus (*c*) nos ad cognitionem filii Dei edocet, et sacramento assumptæ ab eo carnis instituit. Cœpit enim ita, VERS. 1 : *Memento Domine David, et omnis mansuetudinis ejus.* Audent Judæi adventum Domini nostri, quo in corpore salutem humano generi reddidit, abnegantes, hunc psalmum ad David referre, ut in passione Domini impii, ita et in prophetiæ scientia imperiti ; legentes et non intelligentes, (*d*) habentes et nescientes, venerantes et non obedientes. Qua enim religionis simulatione prophetarum libros venerentur, multis cognitum est. Contrectare legentes manu non audent, linteo substernunt, ad fidem sacramenti testes eos adhibent : et hoc eo proficit, ut majore irreligiositatis crimine **501** eorum, quibus tantus honos debetur, dicta aut contemnant, aut dissimulent, aut nesciant. Hoc eo dictum est, quia cum in prophetis longe postea, quam David corpore excesserat, scriptum habeant in Jeremia ita : *In illa die, dicit Dominus, contribulabo jugum a cervice eorum, et vincula eorum disrumpam, et non operabuntur ipsi adhuc aliis diis, et operabuntur Domino Deo suo, et David regem ipsorum suscitabo illis* (*Jerem.* XXX, *apud* LXX, XXXVII, 8 *et* 9) ; et rursum : *Suscitabo illis David regem, orientem, justum, et regnabit rex, et intelliget, et faciet justitiam et judicium super terram :* (*e*) *in diebus ejus salvabitur Judas, et Israel commorabitur fidens* (*Jer.* XXIII, 5) ; item in Esaia : (*f*) *Et excitabo super eos pastorem unum altum, pascet eos servus meus David : et erit his pastor, et ego ero illis in Deum, et David princeps in medio eorum, ego Dominus locutus sum, et disponam ad David testamentum pacis* (*Ezech.* XXXIV, 23 *et seqq.*) : nolunt credere quod docentur, neque his fidem habent (*g*) quibus deberi venerationem confitentur. Et religiosi quomodo erunt, auctoritatem abnegantes religioni ?

2. *David verus, Christus.* — David cum patribus quiescebat, ipse testamentum datæ per Moysen legis

(*a*) Abest *quia* a mss. et apud Zenon. apud quem deinde *consequendam*, in mss. autem *consequentes*, non *consequemur*.

(*b*) Sola editio Par. *orationis*.

(*c*) In vulgatis, *nos et cognitionem :* pravus efficitur sensus, quasi nos quoque caneret hic psalmus. Rectius mss. *ad ;* quomodo superius, n. 1, psalmus dicitur *ad humilitatem nos et mansuetudinem docens :* et in Ps. CXVIII, num. 1, *quo ad perfectam Dei cognitionem atque obeditionem edocemur*, etc.

(*d*) In mss. Turon. et reg. desideratur, *habentes et nescientes, venerantes et non obedientes.* Post pauca in solo Turon. exstat, *lintea substernunt :* at mox in utroque, *testes adhibent*, omisso *eos*.

(*e*) Ita mss. consentiente græco. At editi, *in diebus illis salvabitur Juda.*

(*f*) Hunc locum in Esaia frustra quæsitum in Ezechiele reperimus, in quo post *unum* non exstat *altum* etiam apud LXX, qui cum Vulgata subjiciunt, *et pascet eos, servum meum David*, non *servus meus*.

(*g*) Solus codex regius, *quibus de brevi veneratione confitentur.*

cognoverat : tanto postea Deus per prophetas locutus est David excitandum, pastorem, regem, orientem, justum, in cujus diebus salus Israel sit, ad quem Deus testamentum pacis disponit. Ergo est David, non hic Jesse filius psalmorum ex parte conscriptor : sed David ob custodiam gregis sui pastor; Pastor enim bonus pro ovibus suis animam ponit (*Joan.* x, 11) : ob æterni regni gloriam rex, cui dictum est : *Rabbi, tu es rex Israel* (*Joan.* i, 49) ; (*a*) ob judicium justus : *Pater enim non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio* (*Joan.* v, 22) ; ob lumen mundi oriens : *Erat enim lux vera, quæ* (1) (*b*) *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* i, 9): ob filii dignitatem testamenti pacis hæres : *Omnia enim mihi data sunt in cœlo et in terra* (*Matth.* xxviii, 18) ; et, *Pacem meam relinquo vobis* (*Joan.* xiv, 27). Confiteantur ergo necesse est Judæi, longe post tempora David hæc esse prædicata. Est autem David iste qui nomen parentis secundum originem carnis accepit : nomen sumens ejus, cujus ex genere sumebat et corpus. Omnia autem, quæ psalmo continentur, et a gestis prophetæ David, et a natura humanæ infirmitatis, et (2) (*c*) ab ætatis temporibus diversa sunt. Et **502** quia ei non res, non conditio, non tempus aptatur, et in eum David quem postea Deus per prophetas pollicitus est conveniunt; non est ambiguum quin etiam (3) hic propheta egregius et magnus de eo David, qui postea extitit, Dei spiritu, prophetæ officio sit locutus.

3. *Christi oratio suo homini Dei memoriam precantis.* —Ait enim : *Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus.* Non ait: Memento mei; sed : *Memento, Domine, David :* ut alterum qui loqueretur ostenderet. Orationem autem omnem hanc esse unigeniti Dei filii per (*d*) Prophetam loquentis existimari necesse est, memoriam Dei Patris erga eum sibi quem assumpturus erat hominem deprecantis. Est enim nunc Jesus, secundum Apostolum, in gloria Dei patris (*Phil.* ii, 11); et ei omne cœlestium et terrestrium et infernorum genu flectitur. Ergo se primogenitus Dei filius Deus Verbum jam David nuncupat, per Prophetam ejus sibi hominis nomen assumens, qui secundum divinitatis suæ privilegium una secum esset in Patris gloria collocandus. *Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus ;* ait enim ipse, *Quia mansuetus et humilis corde sum* (*Matth.* xi, 29). Et testimonium de eo Patris est : *Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus in quo complacuit* (*e*) *anima mea : ponam spiritum meum super eum, et judicium gentibus nuntiabit. Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus* (*Matth.* xii, 18, 19). Ut omnis ergo ejus mansuetudinis Pater meminerit deprecatur, per cujus mansuetudinis modestiam Deo patri officium humilitatis suæ voverit.

4. *Jurasse dicitur, quia ita implevit omnia, quasi jurasset. Petri prærogativæ.* — Vers. 2. *Sicut,* inquit, *juravit Domino, votum vovit Deo Jacob.* Sacramenti mentio ad professionem voluntatis assumitur. Et nescio an Unigenitus juraverit. Certe ita et gessit et locutus est omnia, (*f*) ut sacramenti religioni satisfacere videretur. Namque cum quædam de passione sua locutus ad discipulos suos fuisset, et Petrus tamquam indignum hoc Dei filio detestatus esset; Petrum cui superius claves regni cœlorum dederat, super quem Ecclesiam ædificaturus erat adversus quam portæ inferni (4) nihil prævalerent, qui quæ in terris solvisset vel ligasset, ea in cœlis vel soluta persisterent vel ligata, hunc itaque tali convicio, detestantem hoc sacramentum passionis, excepit : (5) *Vade post me* **503** *Satana, scandalum mihi es* (*Matth.* xvi, 23). Tanta enim (*g*) ei religio fuit pro humani generis salute patiendi, ut Petrum primum filii Dei confessorem, Ecclesiæ fundamentum, cœlestis regni janitorem, et in terreno judicio judicem cœli, Satanæ convicio nuncuparet. Quin etiam in tumultu eo, quo se dedendum passioni præbuerat, cum idem Petrus servo sacerdotis gladio aurem abscidisset, ait : *Reconde gladium tuum in thecam : calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum* (*Joan,* xviii, 11)? impium et profanum docens esse, si non omnia, quæ erga humanam salutem (6) Patri vovisset, expleret. Absolute autem in eo ostendit (*h*) devotam passionis suæ religionem, cum post aceti poculum esset spiritum traditurus : perfectis enim omnibus ait : *Consummatum est, et inclinans caput tradidit spiritum* (*Joan.* xix, 30). Percucurrerat enim omnia sacramenti officia : et ubi consummatione gaudetur, ibi in suscepti operis perfectione lætitia est. Ergo quia secundum hanc ges-

(1) *Lucificat.*
(2) *A beatis.*
(3) *Hic qui propheta... et magnus est.*

(4) *Nihil valerent ;* tum, *vel solvisset.*
(5) *Vade retro.*
(6) *Pati voluisset.*

(*a*) In vulgatis, *ob judicium Dei.* Vox *Dei* expuncta est auctoritate mss.

(*b*) Regius ms. ac Turon. *lucificat :* sicque legere est in Psal. cxviii, n. 1, et in cxxxviii, n. 35. Legimus autem *illuminat,* lib. i, de Trin. n. 10.

(*c*) Editi, *ab ejus.* Ms. reg. *a beatis.* In margine Turon. adscriptum est *habeatis,* in textu autem *a transactis.* Restituimus ex Mic. *ab ætatis :* quod intelligendum ex his num. 20 : *Non præsentis ætatis est sermo,* etc.

(*d*) Regius codex cum Turon. *per Prophetas.*

(*e*) Editi, *animæ meæ :* corriguntur ex mss. et græco εἰς ὃν εὐδόκησεν ἡ ψυχή μου.

(*f*) Ita mss. Vatic. et Mic. ubi in vulgatis ac mss. reg. et Turon. *sacramento religionis.*

(*g*) Abest *enim* a mss. reg. et Turon. Notatu dignum est, quod Hilarius non hic tantum, sed et in Psal. cxxxviii, n. 6, Petrum *Satanæ convicio* nuncupatum diserte asserat. Cum igitur in Matth. cap. xvi, hæc eadem Christi verba in Satanam ipsum dicta innuit, secum potest, immo etiam debet sic conciliari, quod Christus increpasse dicatur in prædicto quidem Commentario Satanam ipsum ut infidelitatis Petri auctorem, nunc vero Petrum tamquam Satanæ suggestioni consentientem ; qui ideo Satanas, quia per Satanam infidelis fuerit. Ut enim docetur in Psal. cxlii, n. 2, eorum nomen quisque accipit, *per quos est talis.*

(*h*) In reg. ms. *deditam.* In Turon. *debitam.*

torum devotionem ita omnia acta sunt, ut videantur studiose pro religione, (*a*) quia jurata sunt hæc, esse perfecta : sequens est ut videatur quid sit, quod David iste et juravit et vovit.

5. *Hæ non sunt voces hominis, cui hæc jurare non liceat : cui nec dignum Deo locum invenire sit.*— Vers. 5-5. *Si intrabo in tabernaculum domus meæ, si adscendero in lectum strati mei, si dedero somnum oculis meis, et palpebris meis dormitationem, et requiem temporibus meis, donec* (1) (*b*) *cum inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob.* Humanæ naturæ vota esse ista non possunt : et conditio sacramenti infirmitatem terrenæ necessitatis excedit. Adeundum tabernaculum domus non est, strato lecti abstinendum est, somnus oculis, et palpebris dormitatio, et requies temporibus non danda est, donec cum inveniatur Domino locus, et tabernaculum Deo Jacob. Standum ergo erit (2) nocte dieque sub cœlo, et nunquam in requie corpus jacebit : oculi autem semper vigiles laborabunt, et ne ipsis quidem palpebris (*c*) connivendo dormitationi permittetur obductio. Tempora vero, quæ maxime toto in capite et corpore injuriis vigiliarum et stationis obnoxia sunt, requiem non habebunt. Homo ista de se (*d*) jurare non sinitur; etiamsi maxime nolit, conditionem tamen voti hujus pro 504 ipsa naturæ suæ necessitate violabit. Vigilet licet animus, et corpus in statione contineat ; tamen necesse est infirmitatis dominante natura, et procidat, et dormiat, et requiescat invitus. Deinde quem locum Deo homo inveniet? Incomprehensibilem infinitamque naturam quali tabernaculo continebit? Cum de se ipse per prophetam Deus (5) locutus est, dicens : *Cœlum mihi thronus est, terra autem scabellum pedum meorum : quam domum ædificabitis mihi, aut quis locus requietionis meæ? Omnia enim hæc fecit manus mea, et mea sunt omnia hæc* (*Esai.* LXVI, 1 *et* 2). Non ignarus autem hujus divinæ vocis Propheta est, et scit humanæ et terrenæ operationis domum Deo esse non posse, idipsum psalmo anteriore contestans, cum ait : *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam* (*Ps.* CXXVI, 1). Ergo si neque natura hominis conditionem voti istius recipiet, neque locum et tabernaculum Deo humana requiret (*f.* reperiet) operatio; cognoscendum est per cœlestium Scripturarum auctoritatem, quod sit hoc votum, per cujus satisfactionem locum Deo homo inveniet, et tabernaculum Deo Jacob sit repertum.

6. *Christi opus dignum Dei habitatione hominem efficere. Qui Deus hominem habitet.* — Domino nostro Jesu Christo unigenito Dei filio, qui omnia humanæ salutis sacramenta tamquam juratus explevit, et quem a prophetis David significatum docuimus, hoc opus maximum fuit, ut hominem ad scientiam divinam eruditum dignum (*e*) habitaculo Dei redderet. Et esse hominem sedem atque habitationem Dei ita docemur, Deo ipso per prophetam loquente, *Quia* (4) *habitabo in his, et in illis ambulabo, et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus* (*Lev.* XXVI, 12; II *Cor.* VI, 16) : et rursum : *In æternum exultabunt, et inhabitabo in his* (*Ps.* V, 12). Dominus autem ipse in Evangelio ait : *Si quis diligit me, verbum meum servabit*, (*f*) *et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (*Joan.* XIV, 15). Apostolus quoque ait, *Vos estis templum Dei, et Spiritus Dei habitat in vobis* (I *Cor.* III, 16). Habitat autem Deus religiosorum mentes, non corporali aditu, neque naturæ gravioris ingressu; ut (*g*) aliunde decedens, illic tantum quo se intulerint insistat : sed spiritali virtute in vacua se terrenis labibus corda 505 permittit, seseque luminis modo in (*h*) patentes innocentiæ foribus mentes illuminaturus infundit. Assumpto igitur corpore unigenitus Deus (5), neque ante se cum homine suo ingressurum tabernaculum domus suæ jurat, id est, in cœlestem habitationem suam esse rediturum, quam hæc religiosi pectoris loca Domino inveniat.

7. *Non requiem resumpturus, nisi homo Dei sedes sit effectus.* — Sed neque stratum lecti sui ascensurum se esse vovit. Stratum requies humanorum laborum est, et fessorum corporum refectio. Sed (*i*) quia in cœlo semper quiescitur, et quia indefessa illa natura laborem nescit ; semper in strato, id est, semper est in quiete. Dominus noster in forma Dei manens formam servi accepit, et obediens usque ad mortem fuit, et mortem crucis ; ut plus nescio quid morte (*j*) pateretur. Ob id autem tantum obediens usque ad crucis mortem est, ut nos habitatione Dei dignos esse præstaret. Mori igitur voluit, qui vita est, et effici se indefessa virtus ad habitationem corporis non recusavit infirmam, ut in forma Dei manens formam servi acciperet. Excessit ergo ex illo æternæ beatitudinis suæ strato. Et testis nobis quadragesimus psalmus est,

(1) Abest *cum*.
(2) *Noctu diuque*.
(3) *Locutus sit*.

(4) *Inhabitabo*, ἐνοικήσω.
(5) *Dei*.

(*a*) Turon. ms. cum Reg. *qua jurata sunt*, omisso deinde *hæc*.

(*b*) Particula *cum* in vulgatis omissa, adjicitur hic et infra auctoritate mss. Sic et in Matth. c. XVII, n. 5, legere est, *donec cum a mortuis resurgeret*. Huic similis est pleonasmus *cum quando* Hilario valde familiaris.

(*c*) Sic mss. reg. et Turon. Editi vero, *connivendi in dormitatione*.

(*d*) In duobus mss. *orare*.

(*e*) Excusi, *habitaculum Deo*. Post pauca ms. Turon. *inter illos ambulabo*, non *in illis*.

(*f*) Turon. codex : *Pater meus diliget eum, et veniemus et mansionem*, etc.

(*g*) Editi, *ut alibi non degens* : corriguntur auctoritate mss.

(*h*) Vulgati, *in patentibus*. Concinnius mss. *in patentes*, scil. *mentes se infundit*. Quomodo Verbum nulli se neget, nisi qui sibi aditum negaverit, pariter solis similitudine illustratur in Psal. CXVIII, n. 5.

(*i*) Abest *quia* a mss. reg. et Turon.

(*j*) Puta, quia crux non mortem tantum, sed etiam tormenta et ignominiam intulit.

qui ex persona Domini omne sacramentum passionis eloquitur, dicens : *Universum stratum suum versati in infirmitate ejus* (*Ps.* XL, 4). Cum per obedientiam voluntatis paternæ ex Deo homo, ex potente infirmus, ex vivificante mortuus, ex (1) (*a*) æterno sæculorum judice crucis reus dicitur ; tum stratum ejus (*b*) in infirmitate convertitur. In illud igitur æternæ et beatæ quietis stratum vovit, nisi reperto Dei tabernaculo, non redire : sed nec ante somnum oculis suis dare.

8. *Prophetia Jacob de Christo nomine Judæ. Leo securus in somno, Christus Deus intrepidus in morte.* — Quis est iste somnus ? Nempe ille, de quo ait : *Ego dormivi, et somnum cœpi et surrexi quoniam Dominus suscipiet me* (*Psal.* III, 6). Mortis hic somnus est, quem non ante oculis suis dabit, quam locum habitationis inveniat. Hujus etiam somni beatus patriarcha Jacob in benedictione Judæ, qui princeps gentis istius extitit, meminit, dicens : *Catulus leonis Juda, ex frutice filius meus, procidens dormisti ut leo, et sicut catulus leonis. Quis suscitabit eum* (*Gen.* XLIX, 9)? Et superior et consequens benedictio nec ætati Judæ nec gestis convenit ; sed ei qui ex Judæ frutice sicuti ex radice Jesse est, qui et catulus leonis est, et Jacob erit filius. Ex hac enim Judæ tribu Maria est, quæ (2) Domino nostro secundum carnem **506** mater fuit. Hic ergo procidens dormivit ut leo. Leo terroris est feris omnibus, et veluti dominans est cæterarum bestiarum : et hic solus per confidentiam et securitatem dormit intrepidus. Terror omnium vigilans est (*id est*, cum vigilat) ; ipse autem securus in somno est. Et idcirco addidit : Quis suscitabit eum, quia intrepidæ et præpotentis naturæ securitatem nulla externi terroris timiditas inquietet. Ne ergo quidquam humile atque passibile impassibilem unigeniti Dei substantiam perpessam existimaremus (*c*) in ea morte quam subiit ; feræ hujus intrepide dormientis exemplum ad securæ mortis intelligentiam est relatum : ut extra humani terroris esse in somno illo inquietudinem doceretur, qui per generis sui naturæque virtutem, dormiens licet, timere non posset. Servata autem diligentissime ea ratio est ut in unigenito Deo æterni et gignentis eum Dei gloria (*d*) nosceretur, cum dicitur, *Sicut leo, et sicut catulus leonis.* Ad id enim quod ex Deo ipse subsistit, catulus est leonis : ad id vero quod leo est, paternæ in eo majestatis indifferens generositas prædicatur. Ut unum ambo sint, leo est : ne unus atque ipse sit, catulus est leonis.

9. *Quam non Christus ut Deus mortuus sit.* — Id ipsum autem etiam psalmi consequentia (*e*) docent. Ne enim indefessa illa virtus et impassibilis unigeniti Dei natura mortis somno dormitatura existimare-

(1) *Æternorum ;* deinde, *in infirmitatem.*

(*a*) Reg. ms. cum Turon. *æternorum.*

(*b*) Editi, *in infirmitatem.* Magis placet cum mss. *in infirmitate :* tum quia respicitur illud, *versasti in infirmitate :* tum quia hinc tollitur suspicio, ne mutationis expers Dei natura conversionem perpessa prædicetur.

(*c*) Regius codex necnon Turon. *a morte.* Vides, ubicumque Christus impassibilis prædicatur, id de eo tur ; rem omnem ad officium corporis, cui discessio immortalis animæ mors est, retulit dicens : *Si dedero somnum oculis meis, et palpebris meis dormitationem ; et requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob.* Temporibus secundum translationis fidem, non ætatis spatiis, sed capitis partibus requiem negat. Et hæ affectiones sunt corporales, quas labor longus et vitæ anxietas exagitant. Quievit autem ille, cui mors somnus est : et id quod nobis pœnalis demutatio est, unigenito et in corpore manenti Deo requies fuit.

10. *Qui per Christum homines Dei domus evaserint.* — Sed ante hanc requiem et Apostoli eliguntur, et solvendi ac ligandi et in terra et in cœlo jus sortiuntur, et potestatem adversus virtutem omnem adversariam sumunt, et templum Dei sunt ; et ipsi ex lege venientes, dignum Deo Jacob tabernaculum sunt reperti. Ac ne forte nos per multiplicem humani ingenii intelligentiam, vim veritati afferre quidam arbitrentur ; ut quod ex David persona dictum sit, id ad Dominum salvatoremque **507** nostrum multimodis translationum subtilitatibus transferamus ; contuenda sunt quæ sequuntur ut ex his veritatem invitis licet et renitentibus ingeramus. Ait enim, VERS. 6 et 7 : *Ecce audivimus eam in Ephrata, invenimus eam in campis sylvæ ; introibimus in tabernacula ejus, adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus.* Superius ubi juratur ac vovetur, voti sacramentum non convenire humanæ naturæ docuimus, quia tanti temporis vigilias labor terreni corporis recusaret. Et nunc ubi loca ipsa eorumque nomina commemorantur, ne quid in David referri possit, veritas ipsa et exstantis hodie regionis fides contradicit. David enim dispersum populum in regno suo habens, cui nulla religionis sedes esset, aream in Jerusalem coemit ad locum templi, ut illuc ad explenda legis solemnia conveniretur (II *Reg.* XXIV, 24). Sed templum hoc filius ejus Salomon ædificavit, ornavit et religionibus initiavit.

11. *Judæi hæc de David, non de Christo dicta intelligentes confutantur.* — Volunt ergo Judæi David areæ hujus coemptorem, peregrinationem a domo, et vigiliarum injuriam, et laborem corporis, donec cum hunc locum et hoc tabernaculum Deo Jacob posset invenire, vovisse. Sed hoc neque historia Regnorum aut Præteritorum in quibus David gesta continentur, loquitur ; neque psalmus admittit. Et cur non admittat, in absoluto est. David aream coemit : locus templi locus areæ fuit, ubi fruges congestæ, ubi tritæ, ubi et paleæ a tritico separandæ sunt. Requies autem Domini in Ephrata est : et prius audita in Ephrata est, et postea in campis (*f*) sylvæ reperta. Et quid commune

(2) *Domini nostri.*

tantum secundum divinam ipsius naturam asseri : quod ex his maxime et ex primis subsequentis numeri verbis liquet.

(*d*) In ms. reg. *nasceretur.*

(*e*) In duobus mss. *demonstrat.*

(*f*) Vocabulum *sylvæ* hic adjicimus ex ms. Turon. qui paulo ante habet, *paleæ tritico separatæ sunt.*

Jerusalem ad Ephrata ? quid areæ ad sylvæ campos? Nihil hic conveniens est, nihil non dissonans. Aream, in qua requievisse Deus Jacob existimatur, novissimis temporibus ventilabro Dominus emundat : triticum ejus horreis condit , paleas autem inextinguibili igne urit (*Matth.* III, 12). Probatos legis viros apothecis dignos habet : inutiles et infructuosos igni judicii deputat. Templum illud hodie jam nullum est , incensum est , dirutum est , informe ruinis est : et ubi ergo Dei requies est ? Mentitus Propheta est, et irritum sacramenti ipsius votum est ? Deus etenim requiem, quam ei se juratus reperturum voverat, amisit ? Itaque quia neque Dei dignitati, neque naturæ hominis, neque locorum veritati , neque temporum demutationi hæc irreligiosarum opinionum figmenta conveniunt; ex ipsis nunc (*Abest* nunc *a duobus mss.*) Scripturarum cœlestium auctoritatibus demonstrandum est, ad personam Domini nostri Jesu Christi et ad Ecclesiæ sanctificationem psalmum esse referendum.

508 12. *Cur superior in singulari, modo in plurali sit sermo.* — Diximus superius , etiam hunc prophetam de David illo justo, pastore , rege, oriente, in psalmo isto prophetasse, et ex persona ejus locutum esse , cum dixit : *Si intrabo in tabernaculum domus meæ, si ascendero in lectum strati mei, si dedero somnum oculis meis et palpebris meis dormitationem, et requiem temporibus meis donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob.* Nunc vero ut se voti hujus non ignarum neque imperitum esse Propheta ostenderet, ex persona sua loquitur , dicens : *Ecce audivimus eam in Ephrata , invenimus eam in campis sylvæ.* Superius ubi sacramenti religio commemoratur, unus juravit ac vovit. Unus enim in forma Dei manens formam servi accepit : et unus Dominus Jesus Christus est per quem omnia, (*a*) uno Deo patre ex quo omnia (I *Cor.* VIII, 6). Nunc autem ubi scientiæ propheticæ cognitio ostenditur, ex persona plurimorum dicitur : *Audivimus eam in Ephrata , invenimus eam in campis sylvæ*, quia a pluribus requies Domini prophetabatur.

13. *Ecclesia in Bethlehem cœpta, in gentibus reperitur.* — Auditur itaque in Ephrata. Ephrata eadem est quæ Bethlehem , in qua Dominus natus ex Maria est. Testis nobis est Propheta, dicens : *Et tu Bethlehem domus Ephrata , non es minima ut sis in millibus Juda ; ex te enim exiet qui erit rex Israel* (*Mich.* V, 2) ; et rursum : *Et tu Bethlehem Judæ non es minima inter principes Juda ; ex te enim exiet qui* (1) *reget populum meum Israel* (*Matth.* II, 6). Illic enim primum Dei requies auditur , ubi primum unigenitus Deus corpus humanæ carnis habitavit : et quod in Ephrata auditur, in campis sylvæ invenitur. Initium itaque Ecclesiæ in Bethlehem auditur; esse enim cœpit a Christo : sed in gentibus reperitur , quæ sunt (*b*) ex sylvis campi, ex horrentibus nitidæ, ex sterilibus fructuosæ, ex ignis pabulo vitalis cibi regio, ex ferarum cubilibus Dei requies, domus, templum atque possessio. Quod autem gentes tamquam sylvæ cubile diaboli fuerint, psalmus nobis septuagesimus nonus erit testis, dicens : *Devastavit eam aper de sylva, et singularis ferus depastus est eam* (*Ps.* LXXIX , 14). Illic enim de vinea sermo est , id est de Dei , ut tunc putabatur , populo , quem infidelem et impium diabolus gentes inhabitans vastaverat. In his ergo campis sylvæ Dei requies , quæ in Ephrata audita est, invenitur.

14. *Beatitudo non hic nisi spe. Ecclesia una et multæ. Ecclesiæ status immobilis.* — Servata autem temporum ratio est, ut quod et *audivimus* et *invenimus*, præteritam significet ætatem ; id autem quod deinceps consequitur spem futuri temporis doceat, cum ait, VERS. 7: *Introibimus in tabernacula ejus , adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus.* Corporali (*c*) istud vitæ præsentis officio Propheta **509** desperans , fide et spiritu præsumit ut tabernacula requiei Dei, quia ea et vidit et audivit , introeat. Sed superius super uno tantum tabernaculo juratum est ; nunc autem multa tabernacula introibunt. Sunt enim (*d*) ex una Apostolorum Ecclesia , de qua superius votum est , plures ecclesiæ et multa tabernacula : sed eadem Dei requies in pluribus est. Hæc ergo requiei Dei tabernacula introibunt. Neque solum introibunt , sed etiam adorabunt ubi steterunt pedes ejus. Cum statur uno in loco , ex quo decedi (*e*) non oporteat , consistitur : ubi vero pedibus statur , illic toto corporis officio insistitur. Lex præteriit , prophetia clausa est , finis eorum Christus est, demutationis alterius locus nullus est: in hoc in æternum standum est, ubi jam decursu legis et prophetarum Dominus insistit. Discurrit quidem per Apostolos prædicatio , quos frequenter pedes significatos meminimus : sed in Evangeliis consistitur. Illic ergo adorabitur , ubi Domini pedes, id est, (*f*) prædicationis novissima sine demutationis alicujus (*g*) transgressione constiterint.

15. *Desiderium Dei.* — Et quia in Evangeliis legi-

(1) *Regat.*

(*a*) Excusi, *unus Deus Pater :* minus ad rem et reluctantibus mss. Hinc Christus ostenditur unus, quia ab uno patre.

(*b*) In vulgatis, *ex sylvæ campis.* At in mss. reg. et Turon. *ex sylvis campi,* ad ostendendam Gentium conversionem longe aptius.

(*c*) Editi , *istius vitæ.* Rectius mss. *istud* , scil. beneficium intrandi in tabernacula Dei. Paulo ante in reg. et Turon. *adorabimus ubi* sine verbis *in loco.*

(*d*) Deest apud Par. præpositio *ex.* In aliis autem edit. desiderantur verba, *sunt enim ex una*, etc., usque *sed eadem.* De Ecclesia in pluribus una videsis Tract. Ps. XIV, n. 3.

(*e*) Mss. reg. et Turon. *non poterat.*

(*f*) In vulgatis, *prædicationes novissimæ.* Restituimus ex mss. *prædicationis novissima ;* ut quomodo pedes sunt partes novissimæ corporis, ita Evangelia prædicationis. Hinc superiori voce *Apostolos*, quotquot ad prædicandum Dei verbum etiam ante Christi adventum a Deo missi sint, intelligendos putamus.

(*g*) Reg. ms. cum Turon. et antiquis edit. *transcensione.*

mus dictum : *Multi prophetæ et justi cupierunt videre quæ vos videtis, et audire quæ auditis* (*Matth.* XIII, 17); sanctus Propheta desiderii hujus impatiens est. Post quam enim requiem Dei audivit et reperit, post quam introiturum se adoraturumque credidit; spei tantæ fieri jam particeps deprecatur, dicens, VERS. 8 : *Exsurge, Domine, in requiem tuam*, quam reperturum se David tuus vovit, quam nos in Ephrata audivimus, quam in campis sylvæ invenimus, in cujus tabernacula introibimus, adoraturi illic ubi pedes tui steterunt. Exsurge igitur in eam requiem, quæ voti sacramento quæsita est, quæ prophetiæ scientia in loco audita est, quæ (*a*) gentium cultu frugifero reperta est, **510** quæ (1) introeuntibus frequentabilis est, quæ loco indemutabilis est, quæ adorantium religione venerabilis est.

16. *Arca sanctificationis, Christus.* — Sed non solum tu, Domine, exsurge in requiem tuam, sed *et tu et arca sanctificationis tuæ.* Non arca testamenti, non arca legis, sed *arca sanctificationis tuæ.* Et quidem esse arcam testamenti meminimus, intus ac foris auream, ubi tabulæ lapidum, ubi sanctæ litteræ, ubi liber Testamenti, ubi gomor mannæ. Sed hæc omnia ejus, quod Dominus assumpsit, corporis species est, omne in se sacramentum continens legis. (*b*) Nunc et deitatis spiritu et origine carnis (*c*) unitum, intus scilicet ac foris aureum est; est enim Dominus noster Jesus Christus in gloria Dei patris. (*d*) Manna in se continens æternum; ipse enim panis est vivus. Testamenti intra se tabulas et legis librum conservans; sunt enim in eo verba vitæ. Ut igitur cum Domino etiam hæc sanctificationis arca [(*e*) hunc enim Dominum secundum Evangelia et sanctificavit et signavit Pater (*Joan.* VI, 27)] in requiem exsurgat, Propheta orat. Cæterum arca illa terrena et frequenter et ab allophylis capta est, et polluta a regibus : et hodie templo atque urbe subversa jam nulla est. Et videamus quid sequitur.

17. *Cur sanctis lætitia, et sacerdotibus induenda justitia.* — VERS. 9 et 10. Ait enim : *Sacerdotes tui induantur justitiam, et sancti tui lætentur.* Induuntur Deo, et, arca sanctificationis ejus in requiem resurgente, justitia sacerdotes, validissimo ut Apostolus ait thorace ; induentes thoracem justitiæ (*Ephes.* VI, 14), quo inimici jacula excipiant, quo (*f*) terrenum hominem communiant : sancti autem lætentur. Et videamus causam, cur et sacerdotes justitiam induant, et sancti lætentur. Ait enim : *Propter David servum tuum ne avertas faciem Christi tui.* Christum ad deitatis spiritum retulit, David (*g*) ad corporis **511** carnem. Formam enim servi qui in Dei forma manebat accepit. Ne igitur avertat a sacerdotibus atque sanctis Christi faciem, rogat : ut eos divinitatis suæ gloria, qui propter David, id est, propter assumpti ab eo corporis sacramentum lætantur, illuminet.

18. *Hæc ad litteram intelligi nequeunt.* — VERS. 11-14. Et cur propter David servum suum (*h*) ne faciem Christi sui avertat, ostendit dicens : *Juravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eum.* Dominus jurat, et jurat veritatem, et dicti sui fidem etiam sacramento ne ambigamus affirmat. Non fraudabit igitur David suum veritate jurata. Et quid ei juraverit, dignum est contueri. *De fructu ventris tui ponam super* (*i*) *sedem meam : Si custodierint filii tui testamentum meum, et testimonia mea hæc*

(1) *Ineuntibus.*

(*a*) Editi, *in gentium fructu frugifero :* castigantur ex mss. reg. et Turon. Hujus scriptor *frugifera* legendum esse conjectabat.

(*b*) Pro *nunc*, habet ms. Turon. *nam hoc.*

(*c*) Regius codex cum Turon. et vulgatis, *munitum.* Rectius Miciacensis ac Vaticanus, *unitum :* hoc est, Christum jam carne ut divinitate gloriosum, intus ac foris aureum esse, *dum homo et Deus jam Deus totum est*, ut loquitur Hilarius, lib. XI de Trin., n. 44. Hanc ipsius loquendi rationem fusius alibi explicuimus. Observare hic sufficiat, Christi corpus, seu potius Christum ipsum, humana divinaque natura unitum tunc tantum ab eo dici, cum post resurrectionem gloriam quam ante sæcula habuerat recepit : quia nimirum ante gloriam carnis, humilis et ingloria forma servi quodam modo dissidebat a gloriosa forma Dei ; atque eatenus Christus *amiserat naturæ Dei secundum assumptum hominem unitatem :* nec rediit *in naturæ paternæ etiam secundum hominem unitatem Verbum caro factum*, nisi *cum gloriam Verbi caro assumpta tenuit*, ut ipse explicat lib. IX, de Trin. n. 58. Neque hinc censeri debet abolitionem corporis prædicasse, quasi jam in Christo nihil sit, nisi aurum divinitatis. Nihil quidem aliud videtur esse, sed tamen aliud est. Unde Cyrillus apud Facundum Hermian., lib. XI, c. 7 : *Ornabatur quidem lignum auri decore : sed tamen lignum esse non desiit.* Hoc ille de arca, de qua subjicit : *Quod vero arca in Christi accipiatur imagine, pluribus possit probationibus declarari.*

(*d*) In mss. *mannam in se continens æternam*, lectio forsitan sincerior : qua ratione in Psal. CXXXIX, n. 12, legimus *pascham præveniat quæ.* Quamquam in Psal. CXXXIV, n. 24, exstat *manna* in quarto casu.

(*e*) Ita ms. Turon. At Bad. cum ms. Reg., *Hunc enim Dominus.* Erasmus autem pro *hunc enim*, posuit *hanc enim* sublata voce sequenti *Dominus :* quæ deinde lectio obtinuit. In ms. Mic. : *Hunc enim ut Deus*, etc.

(*f*) Edit. *in æternum hominem ;* quod immutamus mss. auctoritate.

(*g*) *Nomen* scil. *ei ex parente carnis assumens*, ut habetur in Ps. CXXI, n. 9. Retinenda hæc nominis *Christi* notitia. Hujus ope agnoscetur Hilarius pluribus in locis, in quibus Christum absolute impassibilem prædicasse putabatur, eum tantum secundum divinam naturam a doloris sensu vindicasse. Hanc nominis *Christi* notitiam confirmare est ex Justino sub initium Apolog. 1, ubi ait : *Christus quidem ex eo dicitur quod Deus per eum et inunxit et ornavit omnia ; quod etiam nomen ignotam habet significationem, quemadmodum Dei . . . . Jesus porro hominis, Servatorisque nomen et significationem complectitur.*

(*h*) In prima edit. Par. *ne faciem Christi sui non avertat.* Cum hac cæteræ consentiunt, nisi quod particulam *ne* non habent. Eam habent mss. sine *non :* hoc est, et cur orat ne propter David faciem Christi sui avertat. Mox in mss. reg. et Tur. *non frustrabit* pro *non frustrabitur.*

(*i*) Editi, *sedem tuam :* emendantur ope mss. cum illorum lectionem manifeste refutet num. 22. Horum e regione annotavit Erasmus : *Ut ubique sensum historicum demolitur.* Ita quidem spiritalem persequitur,

quæ docebo eos; et filii eorum usque in sæculum sedebunt super sedem tuam: quoniam elegit Dominus Sion, prælegit eam in habitationem sibi. Hæc requies mea in sæcula sæculorum: hic habitabo, quoniam prælegi eam. Quid hic quod David sit proprium continetur? Urbs illa, quæ generis ejus fuit regia, capta a Babyloniis, et eversa regni dignitatem sub (1) dominantium jure non tenuit: post etiam a Romanis capta et incensa, jam nulla est. Et ubi Dei requies in æternum est? ubi ex fructu ventris ejus in sede Dei reges sunt? Serviunt enim hodie, exsules, patria carentes, toto in orbe dispersi. Et ubi illa quæ jurata est veritas? ubi illud quod non fructandus est veritate? Et ubi filiis David regni æterni sedes sempiterna? Quæ electa Sion dicitur, horret ruinis, vacua incolis est: et quomodo Dei requies est *in sæcula sæculorum?* Currunt tempora, et hoc vitæ nostræ sæculum (*a*) manet: Deus ergo sine requie est.

19. *Simili loco elucidantur.*— Sed qui hæc infelicis erroris opinione sic credunt, audiant cui David juratum sit. Nempe illi, de quo dictum est: *Posui adjutorium meum super potentem, et exaltavi electum de plebe mea. Inveni David servum meum,* (2) *oleo sancto meo linivi eum. Manus enim mea auxiliabitur ei, et brachium meum confortabit eum. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non adjiciet nocere eum. Et concidam inimicos ejus a facie ipsius, et odientes eum in fugam convertam.* **512** *Et veritas mea et misericordia mea cum ipso, et in nomine meo exaltabitur cornu ejus. Et ponam in mari manum ejus, et in fluminibus dexteram ejus. Ipse invocabit me: Pater meus es tu, Deus meus, et susceptor salutis meæ. Et ego primogenitum ponam illum, excelsum* (3) (*b*) *super reges terræ. In æternum servabo illi misericordiam meam, et testamentum meum fidele ipsi. Et ponam in sæculum sæculi semen ejus, et thronum ejus sicut dies cœli. Si dereliquerint filii ejus legem meam, et in judiciis meis non ambulaverint, si* (*c*) *justificationes meas profanaverint, et mandata mea non custodierint; visitabo in virga injustitias eorum, et in verberibus peccata eorum: misericordiam vero meam non dispergam ab eo, neque decipiam in veritate mea, neque profanabo testamentum meum, et quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita. Semel juravi in sancto meo, si David mentiar, semen ejus in æternum manebit: et sedes ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta* (*d*) *manet in æternum, et testis in cœlo fidelis* (*Ps.* LXXXVIII, 20 *et* A *seqq.*). Promissionis istæ David ejus sunt, qui adversus potentem adjutor electus est, cujus in mari manus est, cujus in fluminibus dextera est, qui nuncupare Deum patrem audet, quia est: qui ipse primogenitus est, qui excelsus super reges terræ, cujus semen in sæculum sæculi est, cui quæ sunt dicta, non irrita sunt, cui semel sine mendacio juratur in sancto, cujus sedes (4) sicut sol in conspectu Dei est, et permanet ut luna perfecta in æternum. Ex hujus igitur ventris fructu super sedem Dei collocabuntur.

20. *Filii Dei in sede Dei collocandi.* — Quomodo autem ex fructu simus ventris ejus, audiamus prophetam Jeremiam docentem: Si itaque audistis hujusmodi, si peperit masculus (*Jer.* XXX, 6). Partum B sexus iste non recipit; sed generatio (*e*) quæ a Deo est partus instar obtinuit. Audiamus et Paulum parturientem in filiis procreandis, cum dicit: *Filii mei, quos iterum parturio* (*Gal.* IV, 19). Esse autem omnes nos sibi filios ipse Dominus in Evangelio testatur, dicens: *Fili, remissa sunt tibi peccata* (*Matth.* IX, 2): et iterum: (5) *Filii, adhuc vobiscum sum* (*Joan.* XIII, 33). Filii itaque ipsius sunt in sede Domini collocandi.

513 21. *Qui filii, quæ spei conditio.*—Et spei conditio præponitur: *Si*, inquit, *custodierint filii tui testamentum meum et testimonia mea hæc quæ docebo eos.* Moyses legem scripsit in qua testimonia Dei continentur; propheta hic idem totus diversatur in lege: et quomodo adhuc filii illius David in testimoniis sunt docendi? Non præsentis ætatis est sermo, sed his proprius de quibus dictum est: *Confitebor tibi, Domine pater cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis* (*Matth.* XI, 25). Sed docti et manentes in his quæ docebuntur, quid consequentur? *Usque in sæculum*, inquit, *sedebunt super sedem tuam.* Et qui isti sunt qui sedebunt? Nempe de quibus dictum est: *Et vos sedibitis super duodecim thronos, judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX, 28).

22. *Patris et Filii sedes una, quia una substantia.*— Non negligendum est autem id quod superius et inferius dicitur. Superius enim dictum est: *Ponam super sedem meam;* nunc autem dicitur: *Sedebunt super sedem tuam.* Et hoc quid erit? Nempe id quod dicitur: *Omnia quæ Patris sunt, mea sunt* (*Joan.*, XVI, 15). Sedes ipsa Patris et Filii sedes est: quia, *Ego et Pater*

(1) *Sibi in dominantium.*
(2) *In oleo.* Tum, *auxiliabitur illi.*
(3) *Præ reges.*
(4) *Sicut dies cœli est, et permanet.*
(5) *Filioli.* Juxta græcum τεκνία.

ut historiam videatur rejicere. At cum multis locis, tum proximo tractatu Ps. CXXXIV, n. 13 et 18, diserte declarat historiæ se libenter concedere veritatem, sed eam tamen iis verbis exprimi, quæ rebus gestis non satis conveniant; ut iis spiritalia significari admoneamur. Neque inficias ierit Erasmus verba, quæ præ manibus sunt, ad Christum maxime et Ecclesiam pertinere.

(*a*) Vaticanus codex, *non manet*, speciem habet veritatis, sed falsam. Eadem delusus Lipsius pro *manet*, posuerat *manat:* quod verbum an uspiam apud Hilarium reperias dubitamus. Hoc, quantum sapimus, hic sibi vult: Manet tantum præsens tempus, præterita autem non manent: deest igitur Deo requies, quæ in sæcula sæculorum extendatur.

(*b*) Reg. ms. cum Turon. *præ reges.*

(*c*) Sic regius codex, consentiente græca voce τὰ δικαιώματα. Alii vero, *justitias.*

(*d*) Verbum *manet* deest in reg. ms. qui etiam deinde cum Turon. omittit, *et testis in cœlo fidelis.*

(*e*) Excusi, *quæ ab eo est:* emendantur ex scriptis.

unum sumus (*Joan.* x, 30). At quomodo intelligitur, *Ponam super sedem meam*, et : *Sedebunt super sedem tuam* : nisi quod per concordem et non dissimilem a se innascibilis unigenitique naturam et Pater in Filio, et Filius in Patre est, deitatis in utroque nec genere nec voluntate dissidente (*a*) substantia; cum paternæ majestatis gloria Unigenito congenita sit? Atque ob id sedem Filii, sedem suam Pater nuncupat : quia et ex se et in gloria indemutabilis divinitatis suæ unigenitus et verus Deus natus sit, nec contumeliam communicatarum cum eo sedium sentiat, cui ex se genito in naturæ similitudine (*b*) nulla diversitas est.

23. *Quæ Sion vera Dei requies.* — Dignitas deinde eorum qui in sæculum super sedem sessuri sunt, ita ostenditur : *Quoniam elegit Dominus Sion, præelegit eam in habitationem sibi. Hæc requies mea in sæculum sæculi : hic habitabo, quoniam prælegi eam.* Non montem scilicet Sion desertum et inutilem **514** elegit, neque civitatem dirutam et eversam. Locis enim Deus non continetur; neque omnipotens et æterna substantia, aut in desertis montium solitudinibus aut in (*c*) nominibus urbium ruinis jam deformium conquiescit. Sed elegit eorum requiem de quibus Dominus in Evangelio ait : *Nemo venit ad me nisi Pater qui me misit adducat illum* (*Joan.*, VI, 44). Illam Sion sanctam et cœlestem Jerusalem elegit, concordem scilicet fidelium cœtum, et sanctificatas sacramentis Ecclesiæ animas, in quibus tanquam rationabili et intelligenti et emundata et æterna per resurrectionis gloriam domo, rationabilis et intelligens et impolluta et æterna inenarrabilis divinitatis natura requiescat. Non quod ex ea in qua est (*d*) infinitas sua, immensitate desistat, ut humanarum mentium angustiis coarctetur; sed quia per digni se habitaculi sedem qui (*e*) ubique et idem et totus et semper est, in sanctis probabilibusque requiescat; ubi nulla offensionum demutatio, sed *in sæculum sæculi*, id est in æterna tempora digna et placens habitatio sit electa.

24. *In translationum varietate præferuntur* LXX. *Viduarum dignitas. Vidua legis Ecclesia.* — Dehinc sequitur, VERS. 15 : *Viduam ejus benedicens benedicam.* Quidam translatorum interpretatus esse ita repertus est, *Captionem ejus benedicens benedicam;* tanquam venatoribus et piscatoribus hominum effectis apostolis, hæc eorum benedicta sit captio, maxime quod Bethsaida ex qua apostoli sunt, per interpretationem linguæ hebraicæ, domus venantium nuncupetur. Sed nobis sequenda est prima illa et sub Judæorum temporibus ante Domini adventum ad Ecclesiæ doctrinam consignata translationis auctoritas : (*f*) *Viduam ejus benedicens benedicam.* Quanta viduarum dignitas est et honesta unius thori conscientia, et felicis continentiæ indemutata constantia? Hæc enim benedicitur et benedicendo benedicitur : ex judicio scilicet benedicentis (1) benedictione fit digna. Sed Apostolus gentium doctor hortatur nos et aliud de vidua quæ benedicenda est sentire. Lege enim non per virtutem spiritalis efficientiæ, **515** sed per finem observantiæ ejus emortua, viduam eam esse quæ ex Synagoga effecta Ecclesia sit, docet dicens : *An ignoratis, fratres (scientibus enim legem loquor), quoniam lex dominatur homini in quantum temporis vivit? Quæ enim sub marito est mulier, vivo marito* (*g*) *vincta est legi. Si autem mortuus fuerit maritus, evacuata est a lege mariti. Ergo vivente marito adultera vocabitur si jungatur alii viro.* (2) *Si autem moriatur maritus ejus, liberata est a lege, ne adultera teneatur conjuncta alii viro. Itaque, fratres mei, et vos mortificati estis legi per corpus Christi : ut et ipsi sitis alterius, ejus qui a mortuis resurrexit.* Comparatione viduæ, quæ mortuo marito libera quibus volet (3) nuptiis (*h*) jungitur, desinente

(1) *Benedictio.*
(2) *Si ante moriatur.*
(3) *Nuptiis sit.*

(*a*) Reg. ms. *substantia cum paterna et majestatis gloria unigenito cognita sit :* male. Turon. *cum substantia paterna et majestatis gloria unigenito cognita sit:* non ita mala verborum constructione, sed minus sincera.

(*b*) In vulgatis hæc cum sequentibus ita connectuntur : *nulla diversitas est dignitatis. Deinde eorum habitatio qui in sæculum*, etc., reluctantibus mss. Habes quidem hic ὁμοούσιον, seu naturæ similitudinem. Neque vero hoc vocabulum respuendum, sed cautissime prædicandum censebat Hilarius, nihil interesse existimans utrum quis consubstantialitatem, an omnimodam similitudinem prædicaret, uti fidem facient libri de Synodis et in Constantium. *Mihi quidem*, inquit lib. in Constant. n. 22, *similitudo, ne unioni detur occasio, sancta est.*

(*c*) Vocem *nominibus* hic omissam revocamus ex mss. Mic. et Vatic. Hac significantur urbes, quæ ex pristino splendore nihil nisi nomina retineant. Paulo ante regius codex habet *in discretis*, non *in desertis.*

(*d*) Editi, *infinitatis suæ.* Concinnius mss. reg. et Turon. *ex ea* (scil. *immensitate desistat*), *in qua est infinitas sua.* Hujus loci intelligentia repetenda est ex tract. psal. CXXII, n. 2 et 3, ubi docetur Filium quidem solum per se dignum esse Dei habitaculum, sed hoc tamen sanctis etiam concedi per Filium in ipsis habitantem.

(*e*) Editi, *qui et ubique :* et mox, *ubi nulla offensio, nulla demutatio.* Melius mss. *qui ubique*, sine *et;* ac deinde Turon. *ubi nulla offensionum demutatio*, quod in reg. sic mendose expressum est, *ubi nulla offensio non demutatio.* Lectionem Turon. ms. præferendam liquet ex tract. psal. LII. n. 12, ubi vocum inversione Hilario familiari legere est, *increpitis demutationum offensis.* In quo autem consistat illa offensionum demutatio, cui nunc obnoxii sumus, et a qua post hanc vitam liberabimur, docet idem tractatus, num. 11.

(*f*) Haud dubie Septuaginta, quamvis eos θήραν habere tradat apud Hieronymum auctor commentarii in Psalmos, qui et subjicit : *Sed propter novitatem verbi paulatim obtinuit, ut pro θήρα legeretur χήρα, maxime quia in sequenti versiculo pauperes sequebantur.* Addit Symmachum et Aquilam interpretatos esse *cibaria*, quod voce hebraica significari testis est Hieronymus quæst. in Gen. c. 45, ubi et in multis exemplaribus græcis χήραν *viduam* exstare memorat. In psalterio tamen ipse vertit *venationem.*

(*g*) In vulgatis, *juncta est.* Rectius mss. *vincta est*, juxta græc. δέδεται. Tum reg. et Turon. *Si autem mortuus fuerit vir ejus.*

(*h*) Loco verbi *jungitur*, habent vulgati *sit.*

jam lege viduam legis Ecclesiam esse demonstrat, Christo legitime copulandam. Hanc ergo legis viduam benedicendo benedicet.

25. *Pauperes saturat Christus, dum ad eos saturandos invitat.* — Deinde ait, *Pauperes ejus saturabo panibus.* Bonum est in Ecclesia pauperes non esurire: quia cum inops pascitur, aut sitiens potatur; aut nudus vestitur, aut infirmus visitatur, aut carcere clausus requiritur; ei hæc officiorum obsequia deferuntur, qui in singulis nobis esurit, et sitit, et alget, et infirmatur, et clauditur : quique ait : (1) *Amen, amen dico vobis, quia quæ fecistis uni ex minimis istis, mihi fecistis* (*Matth.* xxv, 40). Per hanc ergo dictorum ejus fidelem (*a*) professionem pauperes ejus panibus saturat. Saturat autem et eos panibus, qui per humilitatem cordis contemptumque sæculi se ipsos in paupertate constituunt, quos cibo vitæ perennis explebit, sicut loco alio dictum est : *Divites eguerunt et esurierunt; inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.*

26. *Sacerdotum gloria, et sanctorum lætitia perfecta.* — Dehinc sequitur, Vers. 16: *Sacerdotes ejus induam* (2) *salutari, et sancti ejus exsultatione exsultabunt.* Sacerdotes superius justitia induuntur, sed profectum honoris sui sumunt : salutari scilicet induuntur, conformes effecti gloriæ (*b*) salutaris : quia, secundum Apostolum, de cœlis salvificatorem nostrum exspectamus, qui **516** potens est, secundum operationem efficientiæ suæ, corpus humilitatis nostræ conformare corpori gloriæ suæ (*Phil.* iii, 20, 21). Hoc ergo salutari sacerdotes (3) induuntur; sed et sancti exsultatione exsultabunt. Superius exsultabunt tantum, adhuc (*c*) in humilitatis corpore positi, et spe tantummodo æternitatis læti : cæterum (*d*) nunc perfecta exsultatione exsultantes, non spe, sed veritate, non in imagine, sed corpore. Est enim plerumque exsultatio, quæ demutari solet vel casu, vel infirmitate, vel tempore : (*e*) at vero hæc sanctorum exsultatio est, ut exsultatione consummatæ in se exsultationis exsultent.

27. *Regnum Christi.* — Causa autem exsultationis ostenditur, Vers. 17 : *Illic producam cornu David.* Cornu regni (*f*) insigne est : per hoc enim unguentum regium regnaturis infundebatur. *Illic*-cum dicitur, requies significatur, de qua dictum est, *Hæc requies mea in sæculum sæculi.* In hac igitur requies cornu David, id est, regnum illius de quo (*g*) prophetatur David, Deus (4) producit : non illud humanum, nec corruptibile, nec caducum, sed illud quod (*h*) secundum requiem Dei in sæculum sæculi est. Et quorum erit regnum cœlorum? Nempe de quibus dictum est : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* v, 3), id est, (*i*) in quos æternus rex, et cujus secundum Danielem regni finis nullus est, regnabit (*Dan.* vii, 27).

28. *Non latet. Prophetia omnis, lucerna Christi.* — Non occultus igitur hic rex est : hunc Lex prædicat, hunc Prophetæ pollicentur, hunc Joannes pœnitentiæ prædicator ostendit. Ille est enim, secundum Domini in Evangelio dictum, lucerna ardens, Christum tenebris mundi hujus ostendens (*Joan.* v, 35). Omnis igitur de eo prophetia, lucerna est ejus, ignorantiæ nostræ nocti scientiæ lumen ostendens, infideles atque impios veritatis luce confundens, et in Unigenito paternæ majestatis gloriam docens. Et hoc illud est quod sequitur : *Paravi lucernam Christo meo.* Vers. 18. *Inimicos ejus induam confusione : super ipsum autem* (*j*) *floriet sanctificatio mea.* Parata lucerna est, ne ad cognoscendum eum nox ignorationis (*k*) obsisteret. Inimici **517** ejus confusione induentur; videbunt enim filium hominis in majestate Patris sui : et non salute, sed confusione induentur, (*l*) terreni scilicet

(1) *Amen* semel tantum.
(2) *Salutare.* Mox, *exultatione ejus exultabunt.*

(*a*) Apud Bad. Er. et Lips. *promissionem.* Retinendum cum Par. et mss. *professionem*, qua nimirum Christus quod pauperibus, hoc sibi præstitum denuntiat.

(*b*) Id est, *Salvatoris*, nec debuit apud Par. substitui *salutari*, refragantibus aliis libris. Mox a mss. reg. et Turon. abest *de cœlis.*

(*c*) Perperam apud Par. *in humilitate corporis*, cum respiciatur illud Pauli, *reformabit corpus humilitatis nostræ.*

(*d*) In vulgatis *tunc.* Legendum cum mss. reg. et Turon. *nunc*, hoc est, in versu qui modo enarratur: quæ particula opponitur voci *superius*, versum nonum indicanti. Hoc sibi vult : Versu 9 habemus, *sancti tui lætentur*, sed non adjicitur *lætitia*, adeoque exprimitur lætitia inchoata sanctorum in hoc sæculo spe tantum gaudentium : nunc autem non legimus tantum *exsultabunt*, sed cum hac accessione scil. *exsultatione*, sanctorum qua consummata lætitia significatur.

(*e*) Excusi, *ad hoc vero hæc sanctorum exsultatio ea est :* castigantur ex mss.

(*f*) In mss. *insignium est.*

(*g*) In vulgatis, *prophetat.* Magis placet cum mss. *prophetatur :* nam subsequens vox *David* est in secundo casu, puta, *regnum illius David de quo prophetatur.*

(3) *Induentur.*
(4) *Producet.*

(*h*) Sic mss. ubi in vulgatis, *secundum regnum Dei.*

(*i*) Ms. reg. cum Turon. *in quo.* In hoc Danielis vocabulum constanter exprimitur ut supra notatum est.

(*j*) Bad. Er. et Lips. *florebit.* Apud Par. juxta mss. fidem restitutum est *floriet*, quo de verbo notum est illud Augustini lib. ii de doctrina Christ. c. 13 : *Quod jam auferre non possumus de ore cantantium populorum.* Super ipsum autem floriet sanctificatio mea; *nihil profecto sententiæ detrahit : auditor tamen peritior mallet hoc corrigi, ut non* floriet, *sed* florebit *diceretur.* In vetere quoque psalterio, quo S. Germanum Paris. usum fuisse ferunt, *floriet* legere est.

(*k*) Ita mss. At editi, *existeret.*

(*l*) Bad. Er. et Lips. *terreno scilicet et indecoro corpore.* Par. ex ms. Mic. *terreni scilicet et indedecori corpore.* Reg. ac Turon. *terreni scilicet dedecoris corpore.* Ex his duabus lectionibus vera conficitur. Porro impii post resurrectionem nuncupantur *terreni*, quia nimirum non immutabuntur, adeoque ut antea pertinebunt ad primum hominem de quo Apostolus, *Primus homo de terra terrenus.* Dicuntur etiam *in dedecoris corpore;* quia corpori gloriæ Christi non configurati.

et in dedecoris corpore resurgentes : *super ipsum autem floriet sanctificatio mea. Exaltavit*, inquit, *eum Deus, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen : ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, et terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus in gloria est Dei Patris* (*Philip.* II, 9 *et* 10), qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen. (1)

PSALMUS CXXXII.

Canticum graduum.

Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum. Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti ejus ; sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion : quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, et vitam usque in sæcula.

TRACTATUS PSALMI.

1. *Bona multa non jucunda, et jucunda non bona.*— Per omnem doctrinæ ordinem gradibus scanditur ; nam per gradus ad superiora provehimur. In eo enim quod ita cœpit Propheta, VERS. 1 : *Ecce quam bonum et quam jucundum*, docemur quid bonum atque jucundum sit : ut per cognitionem eorum, in bonis jucundisque maneamus. Servata autem scienter ea ratio a Propheta est, ut bonum jucundumque sociaret : quia non omne quod bonum est, jucundum est, neque omne quod jucundum est, bonum est. Jucundus est luxus, sed bonus non est ; est enim in ipsa illa corporalis lasciviæ amœnitate detrimentum et salutis et famæ. Bona est tolerantia injuriæ, maxime cum ad irreligiositatem compellimur pœnis famis, sitis, frigoris, vigiliarum, contumeliarum, dolorum ; sed jucunda non est : illic enim injuriosum perfectæ virtutis officium est. Et ita per hæc nonnumquam et bonum jucunditate, **518** et jucunditas solet eocarere quod bonum est.

2. *Bonum jucundum, fraterna unitas ; ubi vera.* — Videamus quid sit illud quod bonum et jucundum esse Propheta demonstrat, scilicet *habitare fratres in unum.* Non humanas cohabitationes, nec terrenarum domorum communionem propheta David dicit. Nam fratres (*a*) sub hæc ipsa tectorum consortia dissidentes videmus, et inimicos sæpe ejusdem domicilii habitatio continet : et nonnumquam incrementum odiis ipsa illa cohabitandi indignatio subministrat. Sed novit esse Apostolus communem et religiosam domum, dicens : *Ut scias quemadmodum te oporteat in domo Dei* (*b*) *diversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis* (I *Tim.* III, 15). Itaque bonum et jucundum est in unum habitare fratres. Cum in unum habitant, (*c*) conventu Ecclesiæ congregantur : cum fratres nuncupantur, unicæ voluntatis charitate concordes sunt.

3. *Unanimitatis indoles.* — Ad primam enim apostolorum prædicationem hoc præcipuum fuisse credentium præconium legimus, quod dicitur : *Erat enim omnium credentium cor et anima una, assensu eadem, voluntate non* (*d*) *dissonans, fide socia, amoris ac sententiæ unanimitate perfecta* (*Act.* IV, 32). Et hoc testatur ille gentium Doctor dicens : *Ut sitis omnes perfecti, eodem sensu, eadem sententia* (I *Cor.* I, 10). Et rursum : *Implete gaudium meum, ut idipsum sapiatis, eamdem charitatem habentes, unanimes, unum sentientes, nihil per æmulationem sive per inanem gloriam agentes, sed in humilitate invicem arbitrantes præcellere super invicem, non sua, sed aliorum unusquisque vestrum contemplantes* (*Phil.* II, 2 *et seqq.*). Hoc Apostoli gaudium est, idipsum nos sapere, amore eodem contineri, per unius sensus sententiam unanimes permanere, non per æmulationem separari, neque per inanis gloriæ studium dissidere, non sua, sed aliorum unumquemque cogitare oportere ; ut ea quibus alienæ voluntates in concordia detinendæ sint cogitemus. Quod alio in loco admonet, dicens : *Si possibile est ex vobis ad omnes pacem habentes* (*Rom.* XII, 18). Ex nobis vult esse, ut, si possibile est, pax ad omnes sit. Voluntas nostra omnium amicitiis dedita sit, (*e*) si et cæterorum natura habeat pacis affectum ; dummodo non ex nobis causa aut interruptæ aut non conservatæ pacis existat. Hoc itaque populo Dei congruit, sub uno **519** patre fratres, et sub uno spiritu unum esse, sub una domo unanimes incedere, sub uno capite unius corporis membra esse. Non enim oculus aurem odit, nec nares os exsecrantur, nec manus pedem spernit. Hæc enim ut officiis mutuis sibi, ita et amore (*f*) destricta sunt. Hoc jucundum et bonum est, habitare fratres in unum, in eodem esse, idem esse, nec congregatione fieri nec amore diversos.

4. *Unctio Aaron quam adumbret unctionem.* — Comparationem vero hujus boni jucundique Propheta constituit, dicens, VERS. 2 : *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam,* (*g*) *barbam Aaron ; quod descendit in oram vestimenti ejus.* Aaron unguento, cujus compositio et (*h*) confusio ex odoribus continetur, unctus est in sacerdotem (*Levit.* VIII, 12).

(1) Hujus Psalmi enarrationi sic finem imponit : *Explicit Psalmus* CXXXI. Et hic loci deserit nos sub tot sæculorum pondere fatiscens codex Veronensis Ecclesiæ, postremis detruncatus membranis.

(*a*) Editi, *ob hæc* : emendantur ex Turon. ms.

(*b*) Par. mendose, *conservari*. In aliis edit. *conversari*. Reponimus ex mss. *diversari* : sicque in ps. LXIV, n. 6, et alibi legit Hilarius.

(*c*) Sic mss. Editi vero, *conventum Ecclesiæ congregant*.

(*d*) Sola editio Par. *dissonantes*. In hac ut in aliis hic vitiosa est interpunctio.

(*e*) Editi, *etsi cæterorum natura non habeat*, etc., quod etiam habet ms. Turon. Magis nobis probatur cum reg. *si et cæterorum*, etc., quo aptius explicantur verba Apostoli, *si possibile est*.

(*f*) Apud Par. *distracta*, mendose : *destricta* autem, id est, stricte sociata, quo sensu legitur *distringit* in Matth. c. x, n. 23.

(*g*) Vocabulum *barbam* in prius vulgatis non repetitum adjicitur auctoritate ms. Turon. qui paulo ante habet *de capite*, non *in capite*.

(*h*) Editi, *confectio*, et infra, *confici* : renitentibus mss.

Hanc consecrationem primi sacerdotis sui Deo esse complacuit. Dominum quoque nostrum invisibiliter et incorporaliter unctum esse cognovimus, cum dicitur, *Unxit te, Deus, Deus tuus oleo exsultationis* (*Psal.* XLIV, 8). Unctio ista terrena non est, incorporea est, invisibilis est : non de oleo ut sacerdos et propheta, non cornui ut rex, sed oleo exsultationis ungitur. Opus istud lætitiæ spiritalis est, et ad sacramentum cœlestis unctionis exsultationis fructus adhibetur : non materies (*al.* materialis) creaturæ est. Quia corporalia corporalibus indigebant, Aaron myro confusionis ungitur : sed id quod corporale est, per efficientiam virtutis spiritalis imbutum, speciem olei cœlestis imitatur. Denique post hanc unctionem Aaron secundum legem Christus est nuncupatus, postquam unctionis confusio, per id quod a Deo confundi demonstrata est, in speciem unctionis invisibilis consecratur. Ut igitur hoc myrum omnes fœtentes odores et immundos cordium spiritus quocumque infusum fuerit extinguit, seque in omnia in quæ infertur odor hic suavitatis infundit : ita per hoc sacramentum unctionis infusæ, et per eam omni terrenorum ac sordentium vitiorum nostrorum fœtore deterso, Deo jam quod est suave spiramus. Novit hunc suaveolentiæ spiritum beatus apostolus Paulus, dicens ita : *Christi bonus odor sumus Deo in omni loco, in his qui salvantur, et in his qui pereunt ; et in istis quidem odor ex morte in mortem, istis autem odor ex vita in vitam* (II *Cor.* II, 15 *et* 16) : ut odorem vitæ nos esse viventibus, ita odorem esse mortis his qui in peccatis suis morerentur ostendens. Ipse autem Christi odor ex nobis bonus Deo est. Ut igitur placitum hoc in 520 primo, id est Aaron, sacerdote unguentum Deo extitit, quo in exemplum olei exsultationis perungebatur, (*a*) gratum Deo ex se fidei et innocentiæ odorem præbens : ita bonum et jucundum est habitare fratres in unum, per quod unanimitas voluntatis ejusdem, primis et maximis sacramentis bonorum cœlestium comparatur.

5. *Unctio Christi ab eo in virum perfectæ fidei defluit.* — Descendit autem unguentum a capite in barbam. Barba virilis ætatis ornatus est. Neque enim nos parvulos esse in Christo oportet, nisi ad id tantum quod dictum est. Parvuli malitia, non sensu (I *Cor.* XIV, 20). Infideles autem omnes idem Apostolus parvulos esse, (*b*) quia infirmes ad cibum firmum manentes adhuc lactis egeant, objurgat dicens : *Lacte vos potavi, non cibo* : (*c*) *nondum enim poteratis, sed neque adhuc potestis* (I *Cor.* III, 2). De se autem ita : *Cum factus sum vir, ea quæ sunt parvuli dereliqui* (I *Cor.* XIII, 11). Occurrere vero in id festinat, in virum consummatum, in mensuram ætatis (*d*) plenitudinis corporis Christi (*Ephes.* IV, 13). Unguentum hoc ergo *in barbam Aaron*, id est, in consummatæ fidei virum, descendit a capite. Caput secundum Apostolum, viri Christus est (I *Cor.* XI, 3) : Moyses unguentum hoc composuit et confudit ; sed componendum et confundendum Deus docuit, et Deus mediator in lege. De capite ergo, id est, de Christo descendit in barbam : et ab eo descendit, cui dictum est : *Unguentum exinanitum nomen tuum* (*Cant.* I, 2). Descendit autem in eum, qui per ætatis firmitatem indemutabilis esset fidei firmitate mansurus. Descendit autem etiam *in oram vestimenti*. Ora vestimenti ea sunt quæ usque ad pedes defluunt, per quod ad omne corpus hic unguenti odor a capite in barbam, et deinde ad vestimenti oram descendit. In his autem mulieribus quæ ungentes Dominum typum Ecclesiæ in Evangelio prætulerunt, ita docemur, quod una (*e*) caput, alia pedes unxerit : per quod quæque carum significatur in parte corporis omne corpus unxisse. Media itaque corporis prætermissa sunt. Nam dum ora vestimenti et barba memorantur, omne in his corpus ostenditur.

6. *Sion Ecclesia. Hermon mons Phœnicis interpretatur anathema. Gentium profana religione colitur.* — Additur etiam et alterius comparationis exæquatio, cum dicitur, VERS. 3 : *Sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.* Ros ab Hermon in Sion non descendit ; multo enim a se intervallo hi montes divisi sunt. Neque sane natura fert, ut ros a loco in locum descendat. Sion autem est secundum doctrinam cœlestem Ecclesia, vel quæ nunc est, vel quæ 521 erit sanctorum, quæ per resurrectionem glorificatorum, et lætantium Angelorum cœtu frequentatur. Hermon autem mons est in Phœnice, (*f*) cujus interpretatio anathema est : quod enim (*g*) nobiscum anathema nuncupatur, id hebraice *Hermon* dicitur. Fertur autem id, de quo etiam nescio cujus (*h*) liber exstat, quod angeli concupiscentes filias homi-

(*a*) Ita ms. Turon. favente regio. Editi vero, *et gratum ex se fidei et innocentiæ odorem præbet.*

(*b*) Ita mss. ubi editi, *quia infirmi sumere cibum firmum minime valentes.*

(*c*) Reg. ms. ac Turon. *non enim.*

(*d*) Abest vox *plenitudinis* a mss. reg. et Turon.

(*e*) De qua scil. Matth. XXVI, 7 : *Accessit ad eum mulier habens alubastrum unguenti pretiosi, et effudit super caput ipsius.* Pedes autem unxit mulier, quæ Lucæ VII, 38 : *osculabatur pedes ejus et unguento ungebat*, aut de qua Joan. XII, 3 : *Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi, et unxit pedes Jesu.* Non una igitur Hilario mulier fuit, quæ Dominum unxit : quod Ambrosio lib. VII in Luc. n. 14, dubium, certius asseruere plurimi Patres græci.

(*f*) *Quem Phœnices cognominant Sanior*, inquit Hieronymus de locis hebraicis.

(*g*) Editi, *nobis*, sine particula *cum*, quæ hic eamdem vim habet, ac *secundum*. Hermon cum nostro Hilario *anathema* interpretatur Hieronymus, et qui apud eum auctor Commentarii in Psalmos. Augustinus vero in hunc psal. n. 11, ex eorum testimonio qui hebraice sciunt, interpretatur *lumen exaltatum.*

(*h*) Is est liber Enoch nomine vulgatus, cujus fragmentum refert Gregorius Syncellus in Chronograp. p. 11. In hunc locum a vulgato Hieronymo etiam absque auctoris nomine memoratur, rejicitur que ut manifeste apocryphus, qui Manichæi dogmati, quod animæ corpora humana desideraverint, aperte faveat. Is addit se cujusdam librum legisse hæresim suam de eo confirmantis. Eumdem cum apocryphis computat Augustinus lib. XV de Civ. Dei c. 23, n. 4. De hoc Tertullianus lib. I de Cultu fem. c. 3 : *Scio*, inquit, *scripturam Enoch nec recipi a quibusdam. Hu-*

num, cum de cœlo descenderent, in hunc montem (*a*) maxime excelsum convenerint. Sed hæc prætermittamus. Quæ enim libro legis non continentur, ea nec nosse debemus : commemorata autem ob id tantum sunt, quia nos de hoc monte Dei per Prophetam professio (*b*) commovebat. Certe hodie gentes montem hunc profana religione venerantur : et interpretationem nominis sui, quod est anathema, ipsa illa impiæ superstitionis sede testantur.

7. *Ros ab Hermon in Sion, a maledictione in benedictionem transitus.* — Ros vero de cœlis est, et inter benedictionum munera optari eum meminimus, cum Isaac ad Jacob ait : *Et det tibi Deus a rore cœli et ab ubertate terræ multitudinem* (*Gen.* XXVII, 28). Ergo quia munera et benedictiones Dei, quibus primum omnia cum creata et facta sunt benedixit, postea vero ex peccato Adæ in anathemate constiterunt ; gratum Deo est, ea rursum in sanctificationis sedem redire atque descendere. Benedictus enim homo fuit : sed post benedictionem peccavit, et statim impius fuit. Sed qui mavult peccatoris pœnitentiam quam mortem, vult benedictionis suæ rorem ab Hermon in Sion descendere, id est, ex impietatis sede in santificationis locum transire. Rore enim omnia virescunt, aluntur, augentur : ita principali illa Dei benedictione homo gignitur, spirat, excrescit. Est ergo bonum atque jucundum, ut a gentili errore, id est, a profana Hermon veneratione descendens, ad Sion, id est ad æternæ beatitudinis domum transeat, et eum qui salute omnium lætatur oblectet, ob id : *Quoniam illic mandavit* (*c*) *Dominus benedictionem, et* **522** *vitam usque in sæcula* : in Sion scilicet, vel etiam in unanimitate cohabitantium fratrum. Benedictiones enim Ecclesia sola largitur, vitam æternam unanimitas promeretur. Qui dixit enim æternæ vitæ viam pandens, diligite invicem sicut ego dilexi vos, non mendax est (*Joan.* XIII, 34). Est enim ipse veritas, via, vita, Dominus noster Jesus Christus, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXXXIII.

Canticum graduum.

Ecce nunc benedicite Dominum omnes servi ejus : qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. In noctibus extollite manus vestras in sancta, et benedicite Dominum. Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit cœlum et terram.

TRACTATUS PSALMI.

1. *Benedicere cujus sit.* — Finem sumunt Cantica graduum, sed ascensionibus suis dignum. Cum enim per ea ad cognitionem sacramenti cœlestis scandatur ; necesse est, ut postea benedictio ei ad quem consensum sit debeatur. Vocat igitur omnes Propheta ad benedicendum Dominum : et tamquam consummatis omnibus, universos ad contestationem honoris debiti congregat, dicens, VERS. 1 : *Ecce nunc benedicite Dominum omnes servi ejus.* In eo autem quod ait, *Ecce nunc*, elaboratæ ascensionis perfectum (consummatum) opus esse significat : ut jam nunc benedicant, quia proficientes ascenderint. Benedicendus est, quia nos in excelsum **523** provexerit, quia fidei gradibus in sublime domus suæ elevaverit. Benedictione autem Dei os peccatoris indignum est : et idcirco ait : *omnes servi ejus.* Non omnium est Deo accepta benedictio : neque se promiscuus putet placere posse. Soli istud competit Dei servo, non peccati servo, nec sæculi servo. Omnis enim, inquit, qui facit peccatum, servus est peccati (*Joan.* VIII, 34). Servo igitur Dei competit, ut Dominum suum religioso ore benedicat.

2. Ac ne ipsi quidem servo hoc erit proprium, qui se servum nomine solo profiteatur, qui etiam nunc cunctabundus et fluctuans incerto fidei (*d*) vento circumferatur, cujus cogitatio et voluntas in recordatione peccaminum, et in curas voluptatum evagetur. Et idcirco cum dixisset : *Ecce nunc benedicite Dominum omnes servi ejus*, adjecit : *Qui statis in domo Domini, in atriis* (*e*) *domus Dei nostri.* Qui stat, loco non movetur. (*f*) Jam cucurrit, jam ascendit ; jam

---

jus tamen auctoritatem ipse quantum potest ibidem propugnat, ex eoque libro angelos l. de Idololat. c. 9, vocat *feminarum amatores*, qui, inquit, lib. I de Cultu fem. c. 2, *ad filias hominum de cœlo ruerunt.* Ex eodem Cyprianus lib. de singul. Cler. ait : *Novimus et Angelos cum feminis cecidisse.* Eamdem opinionem ex eodem libro mutuati sunt Justinus sub initium Apol. I, et Lactantius lib. II, c. 15. Quamquam illa veterum opinio de angelorum congressu cum feminis nata est etiam ex verbis Gen. VII, 2 : *Videntes filii Dei filias hominum*, etc., quod in multis codicibus legeretur, *Videntes angeli Dei filias hominum*, etc. Unde Ambrosius in ps. CXVIII, Ser. 8, n. 58 : *Denique scriptum est, quia angeli amaverunt filias hominum*, etc., quamvis ea in opinione fluctuans ser. 4, n. 8, innuat angelorum nomine intelligi posse homines qui vitæ probitate angelorum gratiam imitarentur. Sic et Augustinus in Gen. lib. I, quæst. 5 : *Quæritur quemadmodum potuerint angeli cum filiabus hominum concumbere, quamvis nonnulli et latini et græci codices non angelos habeant, sed filios Dei.* Eamdem quæstionem accuratius pertractat lib. XV de Civ. Dei c. 23. Sic ubi Josephus lib. I Antiq. c. 4, angelos cum mulieribus commixtos scribit, eum angelorum nomine filios Seth intellexisse autumat Zonaras lib. I, c. 4.

(*a*) Apud Lips. et Par. *maxime convenirent excelsum.* Etiam apud Bad. et Er. adverbium *maxime* præponitur verbo *convenerint* : refragantibus mss. Quid hæc sibi velint, declarat fragmentum libri Enoch a Georgio exscriptum, in quo narrantur Egregori in filias hominum amore exarcisse, et quod eas sibi sociarint, sacramento se devinxisse : *Erant autem hi numero ducenti, qui in diebus Jared in montem Ermonim profecti sunt. Ermon autem montem dixerunt ex jurejurando quo se invicem constrinxerunt, et maledictis quibus se sponte subjecerunt.* Plura videsis in dicto fragmento.

(*b*) Lips. et Par. *commonebat* : reluctantibus aliis libris.

(*c*) Abest *Dominus* a mss. reg. et Turon.

(*d*) Editi, *fidei voto* : corriguntur ex mss.

(*e*) Regius codex cum Turon. *in atriis domus Domini* sine *nostri*.

(*f*) Editi *jam currit* : pugnantia exprimunt. Hoc sibi vult Hilarius, eum qui antea concurrerat, jam quietum stare.

immobilis manet, (*a*) jam avide bibit beatam illam Prophetæ vocem : *Statuit super petram pedes meos* (*Psal.* XXXIX, 3); et rursum : *In petra exaltasti me* (*Psal.* XXVI, 6) ; et audiet tamquam Moysi sibi dici : *Tu autem sta hic mecum* (*Exod.* XXXIV, 2). De peccatoribus autem ita legimus : *Dilexerunt movere pedes suos* (*Jerem.* XIV, 10). Standum ergo est in domo Domini ; quia benedictio stantium placeat, et stantium in domo illa sancta et cœlesti Jerusalem, et (*b*) Angelorum frequentium, ad quam per hanc Ecclesiæ et conventus nostri domum scanditur.

3. *Atrii et domus Dei discrimen.* — Et quia plures apud Patrem mansiones sunt (*Joan.* XIV, 2), benedicunt Dominum non solum in domo stantes, sed etiam in atriis ejus. Non omnis domus atrium est. Domus est etiam quidquid extra atrium est : interior autem et familiarior atrii sedes est. Interius ergo stabunt, qui in atrio sunt : quia sit licet dignitas in domo stare ; prævenit tamen ille qui in atrio steterit. Diversos vero esse eos qui in domo, et eos qui in atrio sint, alibi Propheta demonstrat, dicens : *Plantati in domo Domini, in atriis Dei nostri* (*c*) *florient* (*Ps.* XCI, 14). Major fructus est efflоruisse. Et licet plantatio habeat dignitatem, præcellit tamen efflorescentium honor : quia ut initium in plantatione est, ita gaudium boni operis in flore est.

4. *An hic hebræo textui additio facta.*—Reperi autem quosdam ambiguos circa hoc, *in atriis domus Domini*, fuisse : dicentes idcirco hoc a translatoribus primis adjectum **524** esse, quia (*d*) sub iisdem versibus sequenti psalmo continetur, opinantibus ipsis scriptorum vitio in libris hebraicis fuisse præteritum. Sed novi interpretes quæ volunt tractent : nobis vero obsequendum est et auctoritati translationum, et vetustati.

5. *Preces operibus nudæ, nullæ. Opera sint læta et cum Dei laude.* — In hanc autem spem standi in domo et in atriis Domini Propheta nos hortatur, dicens, VERS. 2 : *In noctibus extollite manus vestras in sancta, et benedicite Dominum.* Agimus enim, secundum Apostolum, sub principibus harum tenebrarum (*Eph.* VI, 12) ; et nox nos sæculi detinet, quæ per evangelicam prædicationem jam (*e*) prodiit in lucem. Nox enim jam proficiscitur, sicut in die decenter ambulate (*Rom.* XIII, 12 *et* 13). In hac igitur nocte ignorantiæ, insidiarum, infirmitatum, concupiscentiarum, vitiorum, elevandæ manus sunt in sancta ; non ad (*f*) precandum et orandum tantum, sed et ad operandum. Preces enim nudæ non proficiunt. Elevanda autem opera nostra sunt in Dei sancta, id est, in nudis vestiendis, in esurientibus cibandis, in sitientibus potandis, in afflictis consolandis, in oppressis adjuvandis, in omnibus diligendis. Hæc enim nos in hac corporis nostri infirmitate sanctificant, hæc Deo placita et sancta sunt. Et hoc non ignorat Propheta, dicens : *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum* (*Ps.* CXL, 2). Nunc enim in consummationem sæculi, quod est vespertinum, non in tauris et in hircis, sed in operibus bonis Deo hostia est. Moyses nos docuit exemplo, qui cum elevatis constitisset manibus, vincebat ; summissis vero in terram, vincendum populum ab hoste præbebat (*Exodi* XVII, 11) : ostendens per hanc formam, hostem nostrum, si terrena opera nostra sint, vincere ; si excelsa vero sint, esse vincendum. Elevandæ igitur manus nostræ sunt in noctibus, ut plantemur in domo, ut in atriis floreamus. Et benedicendus est Dominus, id est, cum Dei benedictione semper (*g*) operandum est, ne cum panem inopi præbeas, metu famis tristis sis ; ne cum sumptus indigenti offeras, damnum putes ; ne cum nudum veste induas, exui te existimes. Hilarem enim datorem amat Deus (II *Cor.* IX, 7).

6. *Horum merces.* — Quid autem læta et benedicentia elevatarum manuum opera mereantur, ostendit dicens, VERS. 3 : *Benedicat te Dominus ex Sion*, Dominus scilicet Ecclesiæ, et sanctæ Jerusalem, et civitatis vivis gemmarum lapidibus extructæ. **525** Et ut in Deo vero et æterno spem omnem nostram positam cognosceremus ; adjecit : *Qui fecit cœlum et terram ;* eum scilicet Ecclesiarum Deum esse demonstrans, qui cœlum fecisset et terram : per Dominum nostrum Jesum Christum, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXXXIV.

Alleluia.

Laudate nomen Domini, laudate servi Dominum : qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. Laudate Dominum, quia benignus est Dominus : psallite nomini ejus, quoniam suave est : quoniam Jacob elegit sibi Dominus, Israel in possessionem sibi. Quia ego novi quam magnus est Dominus, et Deus noster præ omnibus diis. Omnia quæcumque voluit (Infra, *quæ voluit*) *fecit in cœlo et in terra, in mari et in abyssis. Educens nubes ab extremo terræ, fulgura in pluviam fecit. Qui producit ventos de thesauris suis, qui percussit primogenita Ægypti ab homine usque ad pecus. Emisit* (Hil. *et misit*) *signa et prodigia in medio*

(*a*) In ms. Turon. *jam audebit beata illa Prophetæ voce :* et spatio unius verbi sine scriptura relicto, ad marginem repositum est verbum *dicere*, quo perficitur sententia. Non displiceret integra illa lectio. Sed quod in textum inferre non ausus est sapiens scriptor, nec nobis licere putavimus.

(*b*) Turon. ms. *Angelorum frequentia.*

(*c*) Excusi, *florent :* emendatur ex ms. Vide supra pag. 516, not.

(*d*) In ms. Turon. *sub iisdem verbis*, et in marg. *versibus.* Porro primos illos translatores haud dubie intellexit Hilarius Septuaginta. Attamen qui apud Hieronymum psalmos enarravit, contendens verba hæc addita, hanc additionem non LXX, sed incerto cuidam viro attribuit, qui quod ea in psalmo subsequenti exstarent, hic quoque addenda esse existimarit. Absunt quidem a psalterio quod ex hebræo vertit Hieronymus : sed Nobilius testis est ea in omnibus tum græcis tum latinis codicibus a se collatis haberi.

(*e*) Regius codex cum Turon. *profecit in lucem. Nox enim jam profecit.*

(*f*) Editi, *ad prædicandum :* corriguntur ex mss.

(*g*) Ita Turonensis codex. Alii vero, *orandum.*

tui, Ægypte, in Pharaonem et in omnes servos ejus. Qui percussit gentes multas, et occidit reges fortes. Seon regem Amorrhæorum, et Og regem Basan, et omnia regna Chanaan occidit : et dedit terram eorum hæreditatem (repetitur *hæreditatem*) *Israel populo suo. Domine, nomen tuum in sæculum, et memoriale tuum in generationem* (Infra, *generatione*) *et generationem. Quia judicabit Dominus populum suum, et in servis suis consolabitur. Simulacra gentium argentum et aurum, opera manuum hominum. Os habent, et non loquentur; oculos habent et non videbunt; aures habent, et non audient; nares habent, et non odorabunt; manus habent, et non palpabunt; pedes habent, et non ambulabunt, neque est spiritus in ore eorum, non clamabunt in gutture suo. Similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis. Domus Israel, benedicite Dominum; domus Aaron, benedicite Dominum; domus Levi, benedicite Dominum;* **526** *qui timetis Dominum, benedicite eum.*

TRACTATUS PSALMI.

1. *Scriptura mysteriis feta peritum lectorem postulat ac pium. Comparatio. Psalmus hic per corporalia gesta sensum prodit altiorem. Qui tractandus.* — Psalmus secundum simplicitatem audientium absolutus videtur. Ea enim ex majore parte in eo continentur, quæ libro Exodi inscripta sunt, Ægypti plagæ, Pharaonis pœna, regum mortes, et hostilis terræ obtenta hereditas. Sed secundum Apostolum, quæ in lege sunt, umbra est futurorum; quæ in ea (*a*) gesta fuerunt, allegorumena sunt, non negligenter audienda sunt : quia sub corporalium gestorum fide in exemplum sint spiritalium operum constituta. Magnæ autem diligentiæ res est, virtutem verborum collocatorum expendere, et scire quid cuique rei sub eorum quæ dicta sunt significatione sit proprium. Ut enim non omnium est, herbarum genera virtutesque nosse, et si quis imperitus aut nescius in agrum his salubribus herbis divitem venerit, omnia inutilia et promiscue genita existimans præteribit; at vero si peritus et doctus hunc pretiosum in his graminibus (*al.* germinibus) agrum fuerit ingressus, omnia quæ ab aliis præterita erunt demetet, et ea quæ ab ignaris erunt neglecta mirabitur; sciens quando utile metendorum eorum tempus sit, et in quæ genera sanitatum his utendum sit, et quantum ex his, aut quo usque moderandum sit : sic et in divinis Scripturis esse intelligendum est, ut si eas impia auris et mens rustica audiat, tamquam otiosas et non necessarias negligat; at vero si cadens ad cognitionem Dei auditor aut lector adstiterit, et cui frequens lectio, et spiritalis gratiæ donum scientiam dijucandi singula, intelligendique præstiterit; mirabitur omnia, atque his secundum naturales eorum virtutes et efficientias utetur; non ignarus quando quid præsumendum sit, et in quam curationem eligendum; quando ex eo corpori sanatio, quando animæ medela tribuenda sit; ne quid præproperum, ne quid importunum ac tardum sit : sed collatis et virtutibus, et temporibus, et rebus, non imperite his quæ sibi comperta fuerint utatur : quod quidem maxime in hoc psalmo ita esse intelligitur. Incredibilem enim in modum ea rebus gestis verba subjecta sunt, ut cum fideliter illa quæ gesta sunt enuntiarent, majorem tamen internæ et spiritalis intelligentiæ profectum ex se ita collocata præstarent. Neque tantum hæc ratio observata est, ut res ipsæ, quæ corporaliter gestæ sunt, ad ostendendam Dei magnificentiam commemorarentur : verum etiam ut per cognitiones gestorum, et virtutes nominum exemplum de se gerendis, in his quæ sunt gesta, præberent. Itaque necessarium est, hæc singula personis, temporibus, virtutibus discernere; **527** ut ea quæ incuriosæ aures tamquam non necessaria forte perdiderint, ipsa illa ad humanæ infidelitatis medelam sanationemque referantur. Et hoc ipsis rebus in psalmo docebimus, qui ita cœptus est.

2. *Laus præstat benedictioni. Nomina Dei laude digna.* — Vers. 1 3. *Laudate nomen Domini, laudate servi Dominum; qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. Laudate Dominum, quia benignus est Dominus : psallite nomini ejus, quoniam suave est.* Et contuendum in exordio psalmi est, quod ad laudem nos Dei advocat, cum in superiore psalmo ad solam benedictionem hortatus sit. Præstare autem (*b*) laudem benedictioni non ambiguum est. Primus enim (*c*) ordo in benedictione positus est, sed consummatur in laude. Et laus non incipienda confuse est, sed ordine ac modo confitenda est. Hoc enim primum est : *Laudate nomen Domini.* Nomen ergo Domini primum laudare admonemur, quia Deus cœli sit, quia Deus terræ sit, quia Deus mundi sit, quia Deus, quod fidei nostræ et spei proprium est, Abrahæ et Isaac et Jacob sit. In his enim primum Deo laus est.

3. *Quo ordine ad laudem Dei perveniatur.* — Sequens vero præceptum est, *Laudate servi Dominum.* Per cognitionem nominis Dei ad scientiam ejus proficimus. Jam enim non nomen Domini, sed Dominum laudamus, cognoscentes cur Deus cœli sit, cur Deus terræ sit, cur Deus mundi sit, cur Deus Abrahæ et Isaac et Jacob sit. Hæc enim primum puerilis doctrinæ rudimenta transgressi, Deum non jam per obedientiam subditorum, sed per immensæ virtutis suæ magnificentiam laudamus, et laudamus servi ejus : neque solum servi ejus, nudo tantum professionis nostræ vocabulo nuncupati, sed stantes in domo ejus : jam non vagi, neque erratici, sed stantium firmitate stabiliti : neque (*d*) tantummodo stantes, sed etiam in atrio Domini Dei nostri; internæ potius et mediæ domus sede suscepti. Per

(*a*) Editi, *gesta sunt allegorumena*, omisso deinde verbo *sunt*.

(*b*) Reg. ms. ac Turon. *Laudi benedictionem.*

(*c*) Editi, cum reg. ms. *primus enim odor* : emandantur ex codice Turon.

(*d*) Editi, *tantum in domo*. Verius mss. *tantummodo*. Hic sumitur dumtaxat quod dictum erat, ut ad sublimius quid gradus fiat.

hunc igitur ordinem a servis et a stantibus in domo atque in atrio laus inchoatur.

4. *Benignitate Dei egemus. Psallere quid.*— Laudandus Deus ob id est, quia benignus est. Nam ut omnipotens sit, naturæ suæ virtus est : ut vero benignus sit, nobis necessarium est, quos corporis infirmitas et conditio originis in peccatis detinet. Et quid spei est humanis delictis, si benignitas (*a*) Deo absit ? Sed dictorum ratio consideranda est : namque qui laudandus est, quia benignus est : psallendum nomini ejus est, quia suave est. *Psallite* **528** *nomini ejus, quoniam suave est. Psallite* ubi dicitur, ad corporis opera refertur : ut per organi nostri, id est, corporis multimoda opera, consonans Deo fiat et apta laudatio (*V. præfat. n.* 19). Psallere ergo nomini ejus jubemur, *quia suave est.* Suave enim est Deo corpora nostra complacito ministerio probabilique famulari : vel ipsum illud potius nomen Domini suave est.

5. *Cur Jacob et Israel, non Abraham memoretur.* — Et quid suavitatis in se habeat, vel nomen ejus, vel ei psallere; continuo subjecit dicens, VERS. 4 : *Quoniam Jacob elegit sibi Dominus, Israel in possessionem sibi.* Initium originis Judæorum secundum sanctificationem generis Abraham est, ad hunc enim primum (*b*) Dei fuit sermo : et cur potius Jacob quam Abraham Dominus elegit? Dehinc cum idem secundum nuncupationis allocutionem sit Israel qui et Jacob; cur iterum additur : *Israel in possessionem sibi?* Ordo exigebat principem electionis Abraham, non eum qui jam tertius in electione est Jacob commemorari. Ratio quoque admonebat, ut significatus Israel in Jacob intelligeretur. Quin etiam illud accedit, quod qui Jacob est, eligitur, qui Israel, possidetur.

6. *Jacob Ecclesiæ typus.* — Sed jam in exordio sermonis monuimus, illa ex rebus corporaliter gestis commemorata in psalmo esse, in quibus futuri species tamquam in speculo reluceret : ea quoque gestis rebus coaptata verba esse, quæ cum ea quæ gesta sunt enuntiarent, tamen intelligentiam nobis absolutiorem eorum, quæ spiritaliter in gestis rebus præfigurabantur, afferrent. Dei nomen suave est, non uni tantum genti, atque ipsi irreligiosæ; sed omnibus jam gentibus atque linguis. Jacob enim sibi elegit, majorem natu supplantantem, ementem primitias cibo et A desperatione (*c*) venalis, abripientem benedictionem, impœnitentem (*d*) post servitutem, deinde post luctam Deum videntem et Israel nuncupatum. Ante enim Jacob est, et sic Israel. Circumspiciamus Ecclesiæ corpus, quæ (*e*) se per differentiam fidei et Jacob et Israel habet. Et hic cœtus populum legis fide supplantat, primitias ejus accipit, benedictionem ejus diripit, secundum Domini dictum, dicentis : *A diebus autem Joannis regnum cœlorum vim patitur, et vim facientes diripiunt illud* (*Matth.* XI, 12). Jacob est ergo qui eligitur, Domino dicente : *Ego vos elegi, non vos me* (*Joan.* XV, 16). Israel est qui possidetur, in præteritis (*f*) primogenitis et benedictionibus cognitus, in servitute multi temporis fidelis, **529** in sacramento luctæ potens, in promerendis rursum benedictionibus pertinax, in Dei cognitione et conspectu Israel. B

7. *Filio proprium est nosse Patrem.* — Novit autem Spiritus prophetiæ præpotentem hanc nominis Dei in congregandis gentibus et possidendis fidelibus suavitatem, dicens, VERS. 5 : *Quia ego novi quam magnus est Dominus.* Officio quidem oris sui propheta loquitur, (*g*) sed cognitione non sua. Vox ista ejus est, qui ait : *Nemo novit Patrem nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* (*Matth.* XI, 27) : et Filius quidem Patrem, si cui voluerit, revelabit : sed magnitudinem ejus nemo cognoscit, propheta dicente : *Cujus magnificentiæ non est finis* (*Psal.* CXLIV, 3). Cognitio ergo infinitatis hujus ei soli erit propria, qui secundum perfectam originis suæ plenitudinem ipse imago est infiniti.

8. *Unus Ecclesiæ Deus.* — *Quia ego cognovi quam magnus est Dominus : et Deus noster* (*h*) *præ omnibus diis.* Non præ diis omnibus illis est, de quibus infra ait : *Simulacra gentium argentum et aurum, opera manuum hominum : os habent et non loquentur* (*Psal* CXIII, 4 *et* 5). Nihil enim magnum, si metallis et saxis et lignis comparatus præfertur. Et quia isti dii non sunt, quærendum est quos deos dixerit. Non enim deorum multitudinem Ecclesia cognoscit. Error hic gentium est, ut coitus et conceptus et procreationes et successiones deorum aut fingat, aut credat. Nobis autem, secundum Apostolum, unus Deus ex quo omnia, et nos in ipso; et unus Dominus noster Jesus Christus per quem omnia, et nos per C

(*a*) Editi, *Dei absit*, quod etiam secundis curis habet ms. reg. qui prius cum Turon. præ se ferebat, *Deo absit*, hoc est, Deo non adsit.

(*b*) Deerat *primum* in priùs vulgatis. Restituitur ex mss.

(*c*) Er., Lips. et Par. *venales* : quod non displiceret si cum auctoritate mutatum esset *venalis*, quod apud Bad. ex mss. obtinebat, subintellecta voce *fratris*. Huc spectat illud Psal. CXVIII, n. 7, ubi Jacob primitias emisse dicitur, *quas senior et desperavit et vendidit* ; et paulo ante : *Emit enim Jacob primogenita Esau, quæ sibi ille tamquam moriturus inutilia existimavit.*

(*d*) Puta, quia etiam tum benedictionem ab angelo pertinaciter postulavit. Præposita particula *et* ante *post luctam*, et mutata interpunctione, liceret referre *impœnitentem* ad *benedictionem* : quæ ideo impœniD tens dicatur, quia eam, etiam deprecante Esau, noluit Isaac revocare.

(*e*) Intelligentia hujus loci, restituta ex mss. vocula *se*, ea se offert, quod Ecclesia per varios fidei habitus et Jacob et Israel se exhibeat ; Jacob dum Synagogam supplantat, Israel dum Deum fidei oculis contuetur.

(*f*) Editi, *in præteritis primogenitus* : tum Lips. et Par. *in benedictionibus cognitus* : corriguntur ex mss. Idque ita intelligi potest, ut populus gentium in Judæis eorumque benedictionibus sit adumbratus : vel etiam ita ut, præteritis Judæis, qui erant primogeniti, sit prælatus.

(*g*) Editi, *sed cognitione sua*, sine *non* : emendantur ope mss.

(*h*) Quamvis aliis locis præpositio *præ* in mss. jungatur quarto casui; hic tamen cum excusis consentiunt scripti : licet non constanter inferius.

ipsum (I *Cor.* VIII, 6). Unus ex uno, Deus ex Deo est. Non recipit alterum innascibilis ut duo sint; nec admittit quod est unus unigenitus ne Deus sit. Non sunt duo innascibiles, non sunt duo unigeniti : in eo unusquisque quod est, unus est : dum parem nec unigenitus habet, nec innascibilis admittit; neque unigenitus Deus ex alio quam innascibili Deo subsistit.

9. *Dii per nuncupationem sunt homines.* — Videndum autem est, præ quibus omnibus diis Deus noster sit. Invenio deos dici per prophetam ita : *Deus stetit in congregatione deorum, in medio autem deos discernit* (*Psal.* LXXXI, 1). Et hoc quidem videtur ambiguum (*a*) nec satis absolute enuntiare quos deos significet. Sed Dominus in Evangeliis errore nos nuncupationis hujus liberavit, dicens : *Ego dixi, dii estis, et filii excelsi omnes* (*Joan.* X, 34). Et adjecit, si ergo illos dixit deos, ad quos verba Dei facta sunt, et non potest solvi Scriptura (*Ibid.* 35). Indissolubilis Dei sermo est homines deos nuncupantis. Invenio et Moysen Deum nuncupari, cum ei dicitur : *Deum te posui Pharaoni* (*Exod.* VII, 1). Sed et Apostolus docuit dici alios deos, cum ait : *Namque etsi sunt qui dicuntur dii sive in cœlo, sive in terra, sicut sunt dii multi, et domini multi : sed nobis unus Deus pater est ex quo omnia, et unus Dominus noster Jesus Christus* per **530** *quem omnia* (I *Cor.* VIII, 5 *et* 6). Unus quidem Deus nobis est, et unus Dominus : sed multi dii sunt qui vocantur, in cœlo et in terra. Et quidem si hoc deorum nomen hominibus secundum sententiam Dei competit; multo magis angelis, archangelis, thronis, dominationibus, principatibus, potestatibus dignum quos Apostolus deos in cœlo nuncupari demonstrat.

10. *Quam his præcellat Deus. Quidquid factum est, non omnia potest.* — Dii ergo sunt qui vocantur, sed præ omnibus Deus noster est : non comparatione, qui incomparabilis præcellit, sed potestate præ cæteris est. Et quomodo præ cæteris sit, mox ostendit dicens, VERS. 6 : *Omnia quæ voluit fecit in cœlo et in terra, in mari et in abyssis.* Soli Deo congruit omnia facere quæ velit. Sola enim perfecta virtus in nullo impeditur, quominus quod velit et faciat : et ei ex quo omnia sunt, nihil difficultatis occurrit. Inferioris ab eo naturæ est, ne totum quod velit et faciat. Dum enim alii (*b*) se debet, caret omnipotentiæ virtute : quia in id ipsum quod subsistit, habeat alium auctorem. Et qui non se sibi debet, non omnia potest, dum a potiore subsistit. Sed videamus quid sit illud quod omnipotentia Dei secundum voluntatem suam fecerit, *in cœlo et in terra, in mari et in abyssis.*

11. *Varia Dei in orbe prodigia.* — Et quidem magnum est, si contueamur indemutabilem cœli firmitatem, solem annuis cursibus indefessisque moderatum, vicesque anni definitis limitibus temperantem; perennes quoque lunæ vicissitudines, et impertur-batos ortus, lapsus, conversionesque signorum : jam vero terræ opes, et fecundos ejus fructus in vitam hominum, volucrum, pecudum, bestiarum : plena deinde incolis suis maria, et spirantium intra fluctus piscium vitam : tum porro, quia plurali genere maria græcitas elocuta est (ἐν ταῖς θαλάσσαις), oceani inæstimabiles vices et capacis abyssi imperspicabilem naturam, qua refusus in terram æstus resorbetur. Sed eum hæc secundum humanam opinionem plena miraculis sint, ac de ipsis dici merito debeat, *Omnia quæ voluit fecit in cœlo et in terra, in mari et in abyssis* : videamus quæ ea omnia sint, quæ voluit et fecit.

12. *Sub littera hic latet altior sensus.* — VERS. 7. *Educens nubes ab extremo terræ, fulgura in pluviam fecit. Qui producit ventos de thesauris suis.* Præterito (*c*) Thronorum, Dominationum, Principatuum et Potestatum, Cherubim et Seraphim, Angelorum et Archangelorum, cœli, terræ, maris, abyssi miraculo : in his omnia Deus *quæ voluit fecit, in cœlo et in terra, in mari et abysso; educens nubes ab extremo terræ, fulgura in pluviam fecit, qui producit ventos de thesauris suis.* An hæc tantum perfectæ in Deo voluntatis omnipotentia est, terras exhalare nubes, coruscare pluviis imminentibus fulgura, alternatis spiritibus flare ventos? Sed arguunt hanc opinionem nostram (*d*) virtutes verborum **531** et naturæ generum. *Educens*, inquit, *nubes ab extremo terræ* : quid enim sibi vult, quod nubes deducuntur et educuntur *ab extremo terræ?* Exhalant quidem valles uvidæ nebulas; sed neque valles extrema terræ sunt, neque quisquam (*e*) nebulam id ipsum existimavit esse quod nubem. Dehinc *fulgura in pluviam fecit.* Quæ hic humani sensus intelligentia est? Fulgura nonnumquam sine pluviis videmus, et pluvias sæpe esse sine fulgure. Non pluviæ fulgura afferunt, neque rursum fulgura pluvias defundunt. Sequitur quoque : *Qui producit ventos de thesauris suis.* Quæ hic humani sensus intelligentia est? Anne in concavo aliquo et communito thesaurorum loco conditos esse ventos existimabimus, ex quibus venti soleant tamquam pretiosissima thesauri portio produci? Et cum solent mutationes ventorum frequentes et incertæ sæpe et contrariæ commoveri; totiens negotiosus ad hæc Deus ipsos istos, ut demulcentur, ut dissideant, ex secreto divitiarum suarum producit.

13. *Salvo tamen litteræ sensu.* — Sed hæc a me volenti virtutem et rationem dictorum ostendere, ita commemorata sint, ut nihilominus invisibilis et omnium naturæ generum seu rerum in eo expressarum minime sinant ut litteræ nimium hæreatur. Lipsii animo altius inhæserat comparatio initio hujus Tractatus adhibita de agro salubribus herbis dive. At de gemmis nihildum audierat.

(*a*) In vulgatis, *necessitatis absolutæ nuntiare.* Sinceram lectionem suppeditat ms. Turon.

(*b*) Abest *se* a mss. reg. et Turon.

(*c*) Reg. ms. *Thronuum* : qui tamen in ps. CXXIX, n. 2, habet *Thronorum.*

(*d*) Lipsius contra fidem antiquorum librorum temere substituerat, *virtutes herbarum et naturæ gemmarum*, nec postea correctus fuit : cum nihil aliud velit Hilarius, nisi quod vis verborum sacri textus,

(*e*) Nebula apud Plin. lib. II, c. 60, differt a nube, quod vapor sit e terra atque aquis surgens, quæ sive statim evanescit, sive in altum sublata in nubem convertitur.

nipotentis virtutis esse (*a*) intelligatur, a mari, quod est ab extremo terræ, nubes educi, et inter pluvias fulgura coruscare, et ventos ex occultis spirituum suorum sedibus flare. Verum quia non in his tantum omnipotentia Dei est, neque in his solum *quæ voluit fecit in cœlo et in terra, in mari et in abyssis;* et in his quæ corporaliter gesta esse memorantur, spiritalia significari meminimus : demonstrandum est nunc quid sub his dictis per virtutem prophetiæ intelligere debeamus.

14. *Hominis prærogativæ.* — In eo quod *omnia quæ voluit fecit in cœlo et in terra, in mari et in abyssis,* quantum cognitioni nostræ permissum est, nihil amabilius Deo homine est. Et subest causa, ut peculiare hoc ei animal sit. Mundus verbo consistit, homo autem cum consilio efficitur, non verbo, sed opere cogitato. Fit quoque ad imaginem Dei : (*b*) per inspirationem etiam Dei vivens anima perficitur. Legem accipit, voluntati suæ permittitur, liber ab omnibus mundi dominus constituitur, paradisi incola est, invidia diaboli dignus est, post peccatum misericordiæ reservatur (*V. pag.* 402, *a*, *b*), omni sæculi hujus ætate ad cognitionem Dei eruditur, judex angelis præparatur. **532** Revelationem ejus creatura exspectat, vanitati in spem et ipsa subjecta; ob pœnitentiam ejus ex peccato Angelorum in cœlis maximum gaudium est. Hic ipse per sacramentum nativitatis secundum hominem Jesum Christum assumptus in eum est. Jam ubique irreligiosum ante os ejus religionem docet, jam pollutum stupris corpus continentia purum est, jam cæca quondam a cognitione Dei mens, Israel facta est. Jam invidia (*c*) in imitationem boni profecit, jam ebrietas in jejunia exarsit, jam odium in amorem demutatum est, jam vitia in virtutum (*d*) vitam perempta sunt.

15. *Nubes doctrina ab extremo terræ, id est, per humiles apostolos tradita.* — Fecit ergo Dominus *omnia quæ voluit in cœlo et in terra, in mari et in abyssis.* Nihil enim in his omnibus carius homine suo habuit, ob quem etiam Unigenitus ejus Deus homo exstitit : et fecit ita, *educens nubes ab extremo terræ.* Nubibus Dominus præcepit, ne super spinosam et infecundam vineam pluerent (*V. Origen. hom.* 5 *in Jerem.*) : *Mandabo,* inquit, (*e*) *nubibus ne pluant super eam* (*Esai.* v, 6). Cognovi et nubem in qua locutus est Deus : *In columna,* inquit, *nubis loquebatur ad eos* (*Psal.* xcviii, 7). Et testatur mihi Paulus in hac nube non hoc solum quod legitur intelligendum, dicens : *An nescitis quia patres nostri sub nube fuerunt, et in Moysen baptizati sunt* (I *Cor.* x, 1 *et* 2)? Nubes hæc itaque significat doctrinam apostolicam : quæ inumbrans, et a calore defendens, æstum omnem futuri judicii excludit. Quod autem a novissimis terræ (*f*) sint, audiamus Apostolum dicentem : *Puto autem Deus nos apostolos extremos ostendit sicut abortivos* (I *Cor.* iv, 9). Dominus ipse, cum de loco et dignitate inter discipulos sermo esset, ait : *Qui voluerit in vobis esse primus, sit omnium novissimus* (*Marc.* x, 44). Has ergo nubes Deus, omnia quæ vult faciens, a novissimis terræ educit : et hanc inumbrantem doctrinam terræ humilia exhalant.

16. *Fulgura, qui scientia coruscant. Pluviæ fiunt, dum doctrinam profundunt.* — *Fulgura in pluvias fecit.* Fulgur est virtutis cœlestis agnitio : et hoc ipse Dominus testatur, dicens : *Sicut enim fulgur exit ab Oriente, et paret usque ad Occidentem; ita erit adventus filii hominis* (*Matth.* xxiv, 27). Et hoc quidem ita in Domino, qui (*g*) non in locis ut corporalis, sed ubique, adveniens cernetur. Cæterum in singulis hodie quicumque virtutem Dei annuntiabunt, qui cognitionem ejus per doctrinam præstabunt, fulgura (*h*) in pluvias facti sunt : fulgure primum ipsi scientiæ coruscantes, tum deinde verborum imbrem profundentes. Et hujus pluviæ ex se profundendæ **533** Moyses non jam spiritaliter per doctrinam, sed corporaliter per gloriam fulgens ita meminit : *Attende cælum, et loquar : et audiat terra verba ex ore meo. Exspectetur sicut pluvia eloquium meum, et descendant sicut ros verba mea, et sicut pluvia super gramen, et ut nives super fœnum* (*Deut.* xxxii, 1 *et* 2). Illa fulgura in has pluvias facta sunt, verba scilicet vivificantia, et (*i*) potantes irrigantia.

(*a*) Mirari subest cur proxime ante annotarit Erasmus, *Destruit historiam*, contra tam expressam cum hic, tum Tractatus initio, interpretis nostri professionem : ut vix excusari possit quidam carpendi pruritus.

(*b*) Ita mss. At editi, *fit quoque ad imaginem Dei per inspirationem, et ea Dei vivens anima perficitur :* mendose et contra mentem Hilarii, cui per inspirationem Dei non fit homo ad imaginem Dei, sed anima facta ad imaginem Dei cum corpore sociatur in animam viventem. Videsis hæc latius explicata tract. ps. cxviii, n. 7 et 8; et in psal. cxxx, n. 5.

(*c*) Editi, particula *jam* omissa, *in mutationem boni proficit.* Tur. ms. *jam invidia imitatione boni profecit.* Magis placet cum reg. *in imitationem boni*, quo exprimitur transitus a prava æmulatione in sanctam æmulationem.

(*d*) In vulgatis *vita.* Rectius mss. *vitam :* quo animi a vitiis ad virtutes progressus declaratur.

(*e*) Turon. ms. *nubibus meis.* Superius in psal. lxvii, n. 10, refertur hoc *aliquibus nubibus* præceptum.

(*f*) Verbum *sint* perinde refert Hilarius ad apostolos, ac si superius *doctrinam apostolorum*, et non *doctrinam apostolicam* scripsisset.

(*g*) Editi, *non in locis corporalibus... cernitur :* emendantur ex mss. Magis tamen placeret *ut corporalia.* Atqui Christus non in locis exstat ad modum rerum corporalium, quem liquet corpore non carere? Videtur Hilarius respicere Christum quatenus virtute divina ubique præsentem, et non quatenus corporis nostri consortem. Similem huic locum jam advertimus in psal. cxxiv, n. 6, ubi explicans Christi ad apostolos verba : *Ecce ego vobiscum sum*, etc., subjicit, *Spiritus namque est omnia penetrans et continens. Non enim secundum nos corporalis est, ut cum alicubi adsit, absit aliunde*, etc.

(*h*) Inconcinne præse ferebant editi, *inter pluvias :* refragantibus mss. Tum ex Turon. restituimus, *fulgure primum ipsi scientiæ*, ubi antea legebatur, *fulgura primum ipsi scientiæ.*

(*i*) Turon. mss. *potenter irrigantia.*

17. *Venti. Angeli custodes nostri.* — Servatus autem ordo est, ut post congregatas ex novissimis terræ nubes, post fulgura (*a*) in pluvias constituta, producat ventos de thesauris suis. Quos autem ventos producat, non ambiguum est : eos nempe de quibus ait : *Faciens angelos suos spiritus* (*Ps.* CIII, 4). Sunt enim angeli parvulorum quotidie Deum videntes. Hi igitur spiritus ad salutem humani generis emissi sunt : neque enim infirmitas nostra, nisi datis ad custodiam angelis, tot tantisque spiritalium cœlestium nequitiis obsisteret. Opus ad id fuit (*b*) naturæ potioris auxilio : et hoc ita esse ex his dictis docemur, quibus trepidum ac paventem Moysen Dominus confirmat, dicens : *Ecce angelus meus antecedet te* (*Exod.* XXIII, 23). Hos igitur de thesauris suis ventos producit, tribuens in his auxilium humanæ infirmitati : ut hæc nos divina præsidia, adversus mundipotentes πρὸς κοσμοκράτορας harum tenebrarum in hæreditanda nobis salute tueantur.

18. *Hæc magnifica Dei gesta nunc in nobis spiritaliter geruntur.* — Sequitur deinde hic ordo dictorum, VERS. 8-12 : *Qui percussit primogenita Ægypti ab homine usque ad pecus, et misit signa et prodigia in medio tui, Ægypte, in Pharaonem et in omnes servos ejus. Qui percussit gentes multas, et occidit reges fortes. Seon, regem Amorrhæorum, et Og, regem Basan, et omnia regna Chanaan occidit : et dedit terram eorum hæreditatem, hæreditatem Israel populo suo.* Frequenter sermo divinus eum intelligendum esse Deum cœli atque terræ et universitatis creatorem docet, qui Ægyptum percusserit, mare diviserit, Ægyptios demerserit, populum suum magnis et mirabilibus virtutibus eduxerit, in eremo manna aluerit, ejectis gentibus in terram repromissionis induxerit. Et quidem omnia hæc magnifica et præclara opera Deum esse testantur. Neque enim mediocris et moderatæ virtutis est tanta gessisse : admirandus in his intelligendus est. Sed docet nos Apostolus cum veneratione gestorum præformationem in his doctrinæ atque operis spiritalis agnoscere : cum lex spiritalis est, cum gesta ejus allegorumena sunt, cum sub nube patres fuerunt, cum in Moysen baptizati sunt, cum de spiritali petra biberunt, cum petra Christus est, cum postremo secundum exaltati in deserto serpentis formam exaltandus est Dominus. Ergo licet illa in Ægypto **534** corporaliter gesta sint, spiritaliter tamen nunc geruntur in nobis.

19. *Ægyptus percussa, sæculi potestates cruci confixæ. Christi in medio Ægypti, seu sæculi prodigia. Pharao, seu diabolus cum vitiis baptismo necatur.* — Ægyptus, in quo sæculi forma est, virtutibus et plagis Dei percutitur, signis portentisque terretur. Plagis Dei percutitur, cum judicium suum audit, cum damnationem suam cognoscit, cum in ipso conscientiæ suæ reatu quotidie judicatur, cum principales suas originariasque virtutes cruci suæ Dominus confixit. Locutus quoque est tamquam ad viventem animalemque Ægyptum, (ut (*c*) non habentem terram inanimemque regionem, sed incolas ejus, quos rationales animalesque constituerat, alloqui existimaretur) : *Misit signa et prodigia in medio tui, Ægypte, in Pharaonem, et in omnes servos ejus. In medio tui* quid est? Cognoscimus ex eo quod dictum est, (*d*) Dominus Deus autem rex noster, rex ante sæcula, operatus est salutem in medio orbis terræ. In medio itaque orbis terræ loco, in quo Dominus salutem nobis operans passus est, signa et prodigia misit : dum crucis suæ horis sol effugit; tremit terra, saxa rumpuntur, sepulcra panduntur, mortui exsurgunt. Hæc in medio tui, Ægypte, signa facta sunt. Pharao tuus, id est diabolus, aquis necatur baptizato populo, ipse cum exercitu suo obrutus. Percussæ deinde gentes multæ; exstincti scilicet innumerabiles in nobis vitiorum incolatus. Reges quoque fortes perempti; fortes plane.

20. *Cur ex pluribus regnis deletis pauca memorentur. Seon Amorrhæus, Og Basan et Chanaan.* — *Seon regem Amorrhæorum, et Og regem Basan, et omnia regna Chanaan occidit.* Et quid istud est? Tot regna eversa sunt, tot reges extincti sunt : et horum tantum fit memoria? Fit quidem secundum gestorum fidem paucorum memoria ex pluribus : sed hi tantum memorantur, in quibus quamvis quidem res gesta cognosceretur, tamen per conditiones virtutesque nominum spiritalis in his esset conditio subtexta. Nam Seon infructuosæ arboris interpretatio est : quod enim nobiscum arbor infructuosa, id hebraice Seon nuncupatur, Amorrhæus vero (*e*) exacerbantis. Has ergo sub horum nominum significatione infructuosas in nobis (*f*) exacerbantibus virtutes delevit, infructuosos scilicet principes, qui nos (*g*) qui exacerbabamus in Dominum obtinebant : et ob id secundum dictum evangelicum exemplo infructuosæ arboris excisos. Og vero rex interpretationem habet maceriæ sive valli : Basan vero confusionis sive pudoris. Regem hunc ergo confusionis pudorisque nostri exstinxit, solvens, secundum Apostolum, maceriam (*Eph.* II,14) : vel vallum, id est, (*h*) quo a cognitione Dei prohibebamur, obstaculum diruens. Occidit deinde omnia regna Chanaan. Male-

(*a*) Mss. auctoritate restituimus *in pluvias* : quod in vulgatis desiderabatur.

(*b*) Nomine *naturæ potioris* nihil aliud hic intelligentiæ subest, nisi angelica. Jam vero Hilarius non videtur sibi constare, qui in psal. CXX, n. 5, doceat a Domino, non ab angelis, nobis venire auxilium. Quamquam ut ibi non negat, immo innuit, Dei per eos nobis venire auxilium : ita etiam hic non angeli per se, sed Dominus in angelis auxilium nobis tribuere prædicatur his verbis, *tribuens in his auxilium humanæ infirmitati.*

(*c*) In vulgatis, *ut non habentem terram* : corrupte.

(*d*) Ita mss. Editi vero, *Deus autem Deus noster ante sæcula*, etc.

(*e*) Hic subintelligitur *interpretatio*. Ibi legere est in prius vulgatis, *exacerbans* : et in mss. reg. ac Turon. *Amorrhæos vero exacerbantes.*

(*f*) Sola editio Par. *exacerbantis.*

(*g*) Reg. ms. cum Turon. *quibus exacerbamus.* Tum in vulgatis omittitur *in* ante *Dominum.*

(*h*) Editi, *quod ad cognitionem Dei* : emendantur ex ms. Turon.

dictum Chanaan esse Genesis docet (IX, 25), et esse servum fratrum 535 suorum, ob contumeliosam ejus in patrem injuriam. Interpretatio autem nominis Chanaan motio est. Quæ igitur nos in vitia et (*a*) in maledictam impietatem commovebant, atque in nos vi sua ac potestate regnabant, Dominus exstinxit. Quod autem per varias virtutes, quæ in filiis obedientiæ operantur, (*b*) non regnent peccata in nobis, Apostolum audiamus dicentem : *Non regnet amplius in mortali corpore vestro peccatum* (*Rom.* VI, 12). Regna ergo hæc occisa sunt : jam enim non dominantur in nobis.

21. *Fidelibus promittitur corporum æterna possessio.* — Sed occisis his, quid consequitur? *Dedit terram eorum hæreditatem, hæreditatem Israel populo suo.* Data quidem terra est regum et gentium superius memoratarum ; sed amissa rursum est. Hodie a gentibus incolitur, Israel ubique exsul est : et quomodo terra, quæ data est, hæreditas est? Manet ergo idem ordo : ut sub his, quæ corporaliter gesta sunt, ea quæ spiritaliter essent gerenda præscripta sint. Data igitur corporum nostrorum terra in hæreditatem est, quæ antea erat in Chanaan maledicta et in vitia mobilis, in Basan confusionis pudorisque plena, in Amorrhæo exacerbans et irritans, quam possidebat in Og infidelitatis maceria, quam occupaverat in Seon arbor infructuosa. Hæc igitur terra, soluto infidelitatis vallo, et excisa ex ea arbore infructuosa, data est hæreditas, et data Israel populo suo. Quæ autem hæc hæreditatis terra sit, et qui sit hic Israel, audiamus apostolum Paulum dicentem : *Sicut portavimus imaginem terrestris, portemus imaginem cœlestis* (I *Cor.* XV, 49). Hic est Israel, cui terræ beatæ hujus continget hæreditas, cui conglorificati in Domino terreni corporis sui erit æterna possessio. Hoc Christianis est proprium, qui hoc in se nomen incolume per cœlestis imaginem usque ad finem retinuerint.

22. *Quod Deo videmur optare, nobis optamus.* — Atque ita ait, VERS. 13 : *Domine, nomen tuum in sæculum.* Numquid a nobis optandum hoc Deo est, aut æterna virtus eget voto nostro, ut maneat in æternum? Ut in nobis potius maneat, optandum est. Sicuti cum dicimus : *Sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra* (*Matth.* VI, 9 *et* 10) ; non utique hæc Deo proveniant optamus : ut sanctificetur, qui sanctus est ; ut voluntas sua fiat, cujus factum in voluntate est. Nostræ hæc potius rei vota sunt, ut per egregia fidei nostræ opera nomen ejus sanctificetur in nobis; ait enim : *Estote sancti, quoniam ego sanctus sum* (*Lev.* XI, 44) : ut in nos regnum ejus adveniat, et digni æterno regno per indultam nobis æternitatis substantiam simus : quia spes vitæ est, confiteri regnum ejus ; et dicenti sibi latroni : *Domine, memento mei, cum veneris in regnum* 536 *tuum*, respondit : *Amen, dico tibi, hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* XXIII, 42 *et* 43) : ut sicuti voluntati ejus in cœlis ab indefessis et cœlestibus virtutibus paretur, ita et a nobis in terra pareatur, ne corporalis nos infirmitas ab exsequenda ejus voluntate deflectat (in cœlis enim indefessis quotidie vocibus dicitur : *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus sabaoth : pleni sunt cœli et terra gloria tua.* (*Esai.* VI, 3) : ut nobis quoque nihil aliud in opere sit, (*c*) per quod sanctificatur nomen ejus ; nihil aliud in spe, per quod et in nos regnum ejus speramus ; nihil aliud in voluntate, per quod ei æternæ a nobis laudes sunt deferendæ. Profectus hic voti nostri indigentiæ res est, ut nobiscum nomen ejus maneat in æternum.

23. *Memoriale Dei. A Judæis ad Christianos transiit.* — Dehinc sequitur : *Et memoriale tuum* (*d*) *in generatione et generationem.* Non, sicut sæpe, a sæculo in sæculum, neque a generationibus in generationes, sed *in generatione et generationem.* Et hoc non de nomine, sed de memoriali. Memoriale enim est memoria operum Dei, quæ libro legis continentur. Et quia lex et memoriale Dei in generatione prima, Judæorum scilicet, usque in plenitudinem temporum mansit, sicuti plebi Sodomæ et Gomorrhæ usque ad plenitudinem peccati pœna dilata est : ita mensuram omnium impietatum cum prima generatio explesset, memoriale Dei, et omnium operum suorum memoria in generationem alteram transiit, in Christianos namque, cum quibus hodie legis veneratio est, et (*e*) prophetia, et nomen Domini.

24. *Dei consolatio de perdito Israel, populus fidelis.* — Tenuit autem hunc eumdem in consequentibus ordinem, dicens, VERS. 14 : *Quia judicabit Dominus populum suum, et in servis suis consolabitur.* Differt judicari et consolari ; et differt populus et servus. In servis autem consolatio, in populo vero judicium est. Populum Dei Israel secundum carnem nuncupatum esse quis nescit? Dictum autem ab Apostolo est : *Qui in lege peccaverunt, per legem judicabuntur* (*Rom.* II, 12). *Judicabit* ergo *Deus populum suum ;* sed *in servis suis consolabitur*, nempe illis de quibus Dominus ait : *Qui credit in me, non judicabitur, sed transiet de morte in vitam : qui autem non credit, jam*

(*a*) Turon. ms. *in maledicta impietate commovebant, atque in nobis.*

(*b*) Sic ms. Turon. cum reg. in quo tamen a prima manu, *nec regnent ;* ac deinde expuncto *c*, jam restat *ne regnent.* At editi, *quæ in filiis inobedientiæ operantur, hæc regnant peccata ;* quod subsequentibus repugnat. Porro non hic memorantur virtutes diaboli, *qui* Ephes. II, 2, *nunc operatur in filios diffidentiæ ;* sed Domini, de quibus Ephes. III, 20 : *Ei autem qui potens est omnia facere... secundum virtutem quæ operatur in nobis*, etc.

(*c*) In vulgatis hic et infra præmittitur *nisi* ante *per quod ;* reluctantibus mss. Potest particulæ hujus loco subintelligi *quam quod sine intermissione cantatur in cœlis.* Tum *per quod*, id est *quo fit ut.*

(*d*) Editi, *in generationem.* Rectius ms. reg. *in generatione*, subaudit *mansit*, sicut post *et generationem* subintelligitur *transiit.* Turon. habet *in generatione et generatione.*

(*e*) In mss. reg et Turon. *prophetiæ.* Tum in Turon. omittitur, *et nomine Domini*, in regio autem ola particula *et.*

judicatus est (*Joan.* v, 24). Consolabitur autem Dominus, judicato Israel, in servis suis. In omnibus enim fidelibus (*a*) terræ solatium habebit ex damno.

25. *Dei in Israelitas benignitas ac beneficia. Quam fuerint ingrati, gentes non ita.* — Voluisset enim populum suum, quem in patribus eorum Abraham et Isaac et Jacob elegerat, non judicari : ob quem post diversas plagas Ægyptum afflixerat, ob quem in columna ignis et nubis adstiterat, ob quem mare diviserat, aquam e petra ejecerat, manna e cœlo miserat, legem posuerat, veniam tantis sacrilegiis indulserat, tot irreligiosorum regna dejecerat, **537** prophetas miserat, Unigenitum suum nasci hominem voluerat ; sed tot tantisque beneficiis populus ingratus, et colonus vineæ primus electus, in ipsum Dominum vineæ parricidales manus intulit (*Matth.* xxi, 38), Deum, quantum in se est, crucifixum in homine mortificans. Sed electi sunt servi, quibus vinea fructum ejus reddentibus traderetur : in quibus Dominus, judicato populo suo, pietatis suæ damnum consolaretur. Itaque consolantur eum gentes, in martyribus et confessioribus et fidelibus suis fructus ex se commissæ sibi gratiæ rependentes. Non nova autem, nec hujus tantum prophetæ vox ista est. (*b*) Moyses in præclaro illo Deuteronomii cantico, cum peccata populi hujus, et impietates novissimas, et fidem generationis alterius prædicaret, ait : *Quoniam judicabit Dominus populum suum, et in servis suis consolabitur* (*Deut.* xxxii, 36). Sanctus etiam Eleazar, cum a principibus populi sui degustare (*c*) ementitum sacrificatum cogeretur, gloriam martyrii sub hac eadem voce consummat, sciens Dominum in servis suis voluntatem ejus operantibus, judicato populo, consolandum.

26. *Contra idololatras.*—Convertitur deinde ad depellendum errorem gentilium (*d*) prophetico sermone, ut stultas atque irreligiosas superstitiones ex ipsis superstitionum causis coarguat dicens, Vers. 15-18 : *Simulacra gentium argentum et aurum, opera manuum hominum. Os habent, et non loquentur ; oculos habent, et non videbunt ; aures habent, et non audient ;* [(*e*) *nares habent, et non odorabunt ; manus habent, et non palpabunt ; pedes habent, et non ambulabunt :* (*f*) *non clamabunt in gutture suo :*] *neque est spiritus in ore eorum. Similes illis fiant, qui faciunt ea, et omnes* (*g*) *qui confidunt in eis.* Frequenter et in aliis psalmis id ipsum de simulacris gentium dictum est : et prophetia omnis hoc laborat, ut humanum errorem a stultissimis his irreligiositatum studiis avertat. Addunt enim plerique his impietatibus suis auctoritatem, ut pretiis metallorum honorem diis quos sibi fecerint quærant, auro eos argentoque formando : sed hoc tantum quod possunt largiuntur, imaginem scilicet oris, oculorum, aurium, narium, manuum et pedum, deos suos in forma mortui corporis adorantes, (*h*) cui, spiritu evolante, os mutum est, oculi hebetes, aures surdæ, nares (*i*) inanimæ sunt, manus dissolutæ, pedes rigentes, omne corpus immobile est. Sed errori eorum id quod **538** nec sperare audent deputatur : ut eorum sint similes quos adorant, venerantes sint in consortio veneratorum, ipsi simulacrorum modo (*j*) emortua corpora sine vitæ spiritu relinquendi.

27. *Fidelium ordo quadruplex, præstantissimus omnium*— Demonstrato autem errore gentili, ad doctrinæ ordinem propheticus sermo se retulit, dicens, Vers. 19, 20 : *Domus Israel, benedicite Dominum ; domus Aaron, benedicite Dominum ; domus Levi, benedicite Dominum ; qui timetis Dominum, benedicite eum.* In his nominum atque officiorum distinctionibus omnem Ecclesiæ populum complexus est ; sed per nuncupationum et proprietatum significationem ipsa illa officiorum merita divisit. In eo enim quod dicitur *domus Israel, et domus Aaron, et domus Levi, et qui timetis Dominum,* aliud ab alio (*k*) esse discernitur : ut, secundum Apostolum ad Corinthios scribentem, quædam (*l*) fit in nominibus distinctio, cum ait : *Vocatis, sanctis, cum omnibus qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi* (I *Cor.* i, 2) ; ut aliud vocatos, aliud sanctos, aliud invocantes nomen Domini esse significet. Nunc autem primum Israel nuncupari videmus, secundo Aaron, tertio Levi, quarto timentes Dominum. Et in

(*a*) Editi cum ms. reg. *terra :* male, cum proximum verbum *habebit* ad Dominum referatur, qui una Israeliticæ gentis regione perdita, damnum solatur ex adeptione totius orbis, in quo fideles habet famulos. Melius itaque ms. Turon. *terræ.*

(*b*) Apud Par. *Mox in præclaro illo* : mendose. Tum in reg. ms., *Exodi cantico.* At verba allata ex Deuteronomio, non de Exodo sunt petita.

(*c*) Er. post Bad. *mentium sacrificatum* : in margine autem, *Suspicor legendum, e gentium sacrificatu.* Hujus conjecturam in textum revocavit Lipsius. Germanam lectionem præstant mss. reg. et Turon. juxta illud II Machab. vi, 20 : *Rogabant afferri carnes quibus vesci ei licebat, ut simularetur manducasse, sicut rex imperaverat, de sacrificii carnibus.* Quod autem subjicit Hilarius Eleazarum prædictis Deuteronomii verbis martyrium consummasse, non de Eleazaro narrat sacer textus, sed de septem fratribus, qui una cum matre se iisdem verbis ad tormenta fortiter ferenda cohortabantur II Machab. vii, 6.

(*d*) In ms. Turon. *propheticus sermo.*

(*e*) Uncinis comprehensa absunt a Vulgata, et videntur interjecta ex Psalmo cxiii ; extant tamen in veteribus psalteriis Rom., Mediolan., Carnut., Germ., ut in nostris mss. eaque postulat Hilarii enarratio.

(*f*) In vulgatis sequens sententia, scil. *neque est spiritus in ore eorum,* huic præmittitur.

(*g*) Regius codex ac Turon. *qui sperant in his.*

(*h*) Apud Bad. et Er. *cui spiritus est sine voluntate* : falsa lectio, cum mortuum corpus spiritu non minus careat quam voluntate. Tum Lipsius loco *spiritus*, posuit *species*, quod et apud Par. retentum est. Mendose in reg. ms. *cui spiritu a voluntate.* Locum hunc Turonensi codici debemus restitutum.

(*i*) Sic mss. Editi vero, *inanes sunt.*

(*j*) Editi, *in emortuo corpore* ; castigantur ex ms. Turon. favente regio, in quo *et mortua corpora.*

(*k*) Verbum *esse* abest a ms. Turon.

(*l*) In edit. *sit in hominibus.* In ms. reg. *fit in omnibus.* Legendum cum Turon. *fit in nominibus* : quod consentit cum proxime dictis, *In his nominum atque officiorum*, etc. Superior conjunctio *ut* pro *sicut* posita est. Inferius verbum *ait* ex ms. reg. revocatur.

Aaron sacerdotes significari non ambiguum est : sacerdos enim in lege Aaron primus fuit, et exinde in successione ejus sacerdotum honor mansit. In Levi autem ministros ostendi absolutum est : hæc enim tribus in ministerium electa est. Reliquus autem populus, cui non sacerdotii, neque ministerii, sed timoris officium est, in his qui timent Dominum nuncupatur. Docet autem nos Apostolus (*a*) super omnes hos esse Israel, cum ait : *Et quotquot regulæ huic obsecundabunt, pax super eos et misericordia, et super Israel* (*Gal.* VI, 16). Sacerdotes et ministri officii sui regula in eo quod agunt continet ; sed præstat longe voluntate magis aliquid agere, quam lege. Et optimum est, per ministerii ordinem non solum satisfacere ministerio, sed per doctrinæ scientiam et fidei calorem ad cognitionem Dei contemplationemque contendere. Eum ergo, qui Deum intelligens et videns esset, quod est proprium Israel, in primo benedicentium ordine collocavit (qui officium in quo esset, atque honorem sacerdotis, hac ipsa cogniti per fidem et contemplati Dei virtute præcelleret) : quia cum plures sint Aaron, id est sacerdotes ; pauci tamen Israel, id est qui cognitione mentis Deum contemplaturi sint, reperientur. Hi ergo primum ad benedicendum **539** advocantur : cæteris aliis post eos, in eo quo et ipsi essent officio, benedicturis. Sed benedicunt Deum, et domus Israel, et domus Aaron, et domus Levi, et omnes qui timent Dominum : eum scilicet, qui est benedictus Deus ex Sion, qui habitat Jerusalem, sanctum montem Sion, et civitatem cœlestem, Ecclesiam primitivorum, manentium et scriptorum in cœlis, in Domino nostro Jesu Christo, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXXXV.

Alleluia.

Confitemini Domino : quoniam bonus, quoniam in sæcula misericordia ejus. Confitemini Deo deorum : quoniam in sæcula misericordia ejus. Qui fecit mirabilia (Hil. addit *magna*), *solus, quoniam in sæcula misericordia ejus. Qui fecit cœlos in intellectu : quoniam in sæcula misericordia ejus. Qui firmavit terram super aquam* (Hil. *aquas*) *: quoniam in sæcula misericordia ejus. Qui fecit luminaria magna solus : quoniam in sæculā misericordia ejus. Solem in potestatem diei : quoniam in sæcula misericordia ejus. Qui percussit Ægyptum cum primogenitis eorum : quoniam in sæcula misericordia ejus. Et eduxit Israel de medio eorum : quoniam in sæcula misericordia ejus. In manu forti et brachio excelso : quoniam in sæcula misericordia ejus. Qui divisit mare Rubrum in divisiones : quoniam in sæcula misericordia ejus. Et transduxit Israel per medium ejus : quoniam in sæcula misericordia ejus. Et excussit Pharaonem et virtutem ejus in mare Rubrum : quoniam in sæcula misericordia ejus. Qui transduxit populum suum in desertum : quoniam in sæcula misericordia ejus. Qui perduxit aquam de petra rupis : quoniam in sæcula misericordia ejus. Qui percussit reges magnos : quoniam in sæcula misericordia ejus. Seon regem Amorrhæorum : quoniam in sæcula misericordia ejus. Et Og regem Basan ; quoniam in sæcula misericordia ejus. Et dedit terram eorum hæreditatem : quoniam in sæcula misericordia ejus. Quoniam in humilitate nostra memor fuit nostri* (Hil. addit *Dominus*) : *quoniam in sæcula misericordia ejus. Et redemit nos de inimicis* **540** *nostris* (Hil. *de manu inimicorum nostrorum*) : *quoniam in sæcula misericordia ejus. Qui dat escam omni carni : quoniam in sæcula misericordia ejus. Confitemini Deo cœli : quoniam in sæcula misericordia ejus.*

TRACTATUS PSALMI.

1. *Scripturæ dignitas. Ob inconsiderantiam vilescit.* — Non est otiosus propheticus sermo, neque ex inanibus ac superfluis causis spiritalis loquela est. Si enim in viris prudentibus exspectari id maxime solet, ut ea quæ loquuntur, gravitate eorum doctrinaque digna sint ; omnisque sermo non sit fortuitus et vagus, sed ex rationabilibus causis profectus, et exspectationi audientium utilis, et (*b*) auctoritati congruus dissérentium : quanto magis id cœlestibus eloquiis opinandum est, ut quidquid in his (*c*) est, excelsum, divinum, rationabile et perfectum esse existimetur. Sed plerumque, immo semper, vitio nostro accidit, ut quæ legi in ecclesia audimus, auribus atque animis nostris longe ab his peregrinantibus negligamus : ut per audiendi incuriam, vilescat apud nos dictorum cœlestium dignitas. Cum in lectionis tempore (*d*) rationes supputamus, iras concipimus, injurias cogitamus, luxus recolimus : tunc ad hæc occupatis nobis surdæ aures sunt, et hebes mens est ; et si quid forte in aures nostras eorum quæ leguntur inciderit, virtutem tamen dictorum obrutus sæculi curis animus non sentit : et quorum intelligentiam non consequitur, levem existimabit auctoritatem.

2. *Scripturæ multimoda doctrina. Cur libri ejus plures ac varii.* — Omnia autem, quæ in libris propheticis sunt, maximum humanæ et salutis et doctrinæ profectum in se habent, nostrique causa universa scripta sunt : ut nunc nobis institutionem vitæ innocentis afferrent, nunc scientiam Dei intimarent, nunc originis naturæque nostræ cognitionem tribuerent, nunc futurorum intelligentiam non spe tantum, sed ratione præstarent, nunc causas universitatis hujus ortusque proferrent, et humanum sensum tantarum rerum intelligentiæ incapacem ad capiendam horum cognitionem variis doctrinæ generibus distenderent. Partibus enim quibusdam et divisionibus opus fuit,

(*a*) In mss. reg. et Turon, *præ omnes* : qua lectione aptius significatur Israel tribus aliis ordinibus præstare.

(*b*) In vulgatis, *auctori*. Reponimus *auctoritati* ex mss. reg. et Turon. qui antea habent *expetitioni*, non *exspectationi*.

(*c*) Editi, *in his excelsum est*, hac metathesi sententiam Hilarii prorsus confusam exhibebant. *Excelsum* quippe ad *esse existimetur* cum cæteris referendum est.

(*d*) Ita ms. Turon. Editi vero, *rationem*.

per quas sensim sub usu exercitationis assiduo opinio saltem incomprehensibilis nobis hujus intelligentiæ posset irrepere. Plures prophetæ sunt, (*a*) et ingentia eorum copiosaque dicta. Plures etiam psalmi sunt, et singulis multa et varia congesta sunt. Et quamquam omnes unam atque eamdem in se doctrinæ formam complectantur : diversis tamen institutis in eamdem nos scientiæ viam dirigunt; non omnia in unum congerentes (incapaces enim omnium sumus), sed partes **541** partibus explicantes : ut per id quod singula cognoscuntur, proficiatur ad multa. In hoc autem psalmo, quia singulis ejusdem rei argumenta diversa sunt, id continetur, ut causam universitatis hujus, id est, cur cœlum, cur terra, cur homines, cur cætera sint, ex bonitate ac misericordia Dei profectam intelligamus per id quod dicitur, B Vers. 1 : *Confitemini Domino : quoniam bonus, quoniam in sæcula misericordia ejus.*

3. *Confessio duplex. Confessio peccati quid. Professionem habet desinendi.*—Vers. 1. Ac primum in eo quod ita cœptum est, *confitemini Domino*, duplicis intelligentiæ significatio affertur : ut aut Deum in confessione laudemus, quia bonus, quia misericordia ejus in sæcula sit ; aut peccata nostra confiteamur (*b*) ei, ab eo indulgenda quia bonus est, et cujus indeficiens misericordia sit. Utrumque naturæ nostræ conveniens est ; ut et eum ad cujus cognitionem nascimur laudemus, et ei, qui bonus et misericors in sæcula sit, confiteamur peccata sub agnitione peccati. (*c*) Non enim confessio est, Deo qui nihil ignorat ea quæ gesseris confiteri : quia confessione ista Deus non C eget, cujus cognitioni nihil occultum est, cujus (*d*) aditui nihil invium est, cujus virtuti nihil reliquum est, extra quem locus nullus est. Sed confessio est, rei scilicet ejus (*e*) quæ ignorabatur professa cognitio, ex alterius judicii opinione in alterius intelligentiæ proficiens sententiam. Utile enim sibi ac jucundum quisque esse antea existimaverat, rapere, cædere, furari, superbire, potare, scortari; sed ubi hæc omnia æternæ damnationi obnoxia esse cognovit, A cognitis his confitetur errorem. Confessio autem erroris, professio est desinendi (*Ita infra in ps.* CXXXVII, *n.* 3). Desinendum ergo a peccato est, ob quod peccati cœpta confessio est. Cæterum extra veniam est, qui peccatum cognovit, nec cognitum confitetur.

4. *Intermittenda non est etiam justificatis.*—Confitendum autem semper est : non quod peccandum semper sit, ut semper sit confitendum ; sed quia peccati veteris et antiqui (*f*) utilis sit indefessa confessio. Docet autem Spiritus sanctus semper confitendum, cum ait per Prophetam : *Justus ipse sibi accusator est in primo sermone suo* (*Prov.* XVIII, 17). Justus non se ex præsentibus, sed ex præteritis accusat : cui enim adest præsentium accusatio, justi nomen **542** aufertur. Et audiamus se apostolum Paulum ex præteritis arguentem, cum ait : *Quia non sum dignus vocari apostolus, propter quod persecutus sum Ecclesiam Dei. Gratia autem Dei sum id quod sum* (I *Cor.* XV, 9 *et* 10). Hæc est illa justi viri vera confessio, quæ justitiam præsentem ex præteritorum conscientia et confessione commendat. Ad quam et alibi per prophetam monemur : *Confitere*, inquit, *peccata tua prior, ut justificeris* (*Esai.* XLIII, 26). Ad hanc ergo confessionem in psalmo vocamur : *quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus ;* confessionis nostræ hunc impensiore maxime fide (*al.* fidei fiducia) invocantes, quia cui confitemur, et bonus est, et nescit misericors esse desinere.

5. *Deus deorum, id est, beatorum. Gloriæ æternæ maxima causa Dei misericordia.* — Vers. 2. *Confitemini Deo deorum ; quoniam in sæcula misericordia ejus.* Ut in Evangeliis responsione Domini ad Sadducæos docemur, non est Deus mortuorum, sed vivorum (*Matth.* XXII, 32) : per quem et dictum est : *Ego dixi, Dii estis, et filii Excelsi omnes* (*Joan.* X, 34). Non dignatur Deus corruptibilium et (*g*) mortuorum Deus esse : sed eorum qui in cœlestem gloriam transformandi, exuti vetere homine terreno, novum qui in cœlis induerunt, qui conformes erunt corpori

(*a*) Reg. ms. cum Turon. *et intelligentia eorum copiosa quæ dicta sunt. Plures*, etc.

(*b*) Vocabulum *ei* deest in vulgatis : post quod in reg. ms. ac Turon. sequitur *quia bonus est*, omissis verbis *ab eo indulgenda.*

(*c*) In vulgatis, *non enim necessaria est confessio Deo qui nihil ignoret, ut ea quæ gesseris confitearis.* D *Quia professione ista Deus non eget*, etc. lectio interpolata et corrupta. Nec melior est quæ in reg. ms. exhibetur, *non enim confessio est, a Deo qui nihil ignoret, sed proprie hominis est ea quæ gesseris confiteri.* Intermedia illa verba, *sed proprie hominis est*, exstant quoque in ms. Turon. cætera consentiente cum Miciacensi, cujus lectionem uti sinceriorem præferimus. Certe Hilarius hic non confessionis necessitatem explicat, sed naturam : quam non in eo sitam docet, ut Deo nota quis faciat peccata sua, sed ut ipse agnoscat peccata ea esse, et fugienda quæ prius sectabatur. Unde et proxime aiebat, *ut confiteamur peccata*, non quomodocumque, sed *sub agnitione peccati.*

(*d*) Lips. et Par. Erasmum secuti, *auditui :* contra veterum librorum fidem et Hilarianam phrasim. Tum in reg. ms. *cujus virtuti nihil inreliquum est.*

(*e*) Apud Par., *quæ ignoratur*, consentientibus mss. ex quibus proxime adjecimus particulam *scilicet.* Hic rursum declarat Hilarius confessionem esse præconcepti de re aliqua falsi judicii professam mutationem. *Nemo enim*, inquit in ps. CXXXVII, n. 2, *quod agit, ad id agendum non aut fructu oblectationis alicujus, aut judicio bonæ in eo opinionis aggreditur : dum aut rectum putat, aut eo gaudet.* Confessione autem agnoscit quisque ac profitetur id, quod rectum aut jucundum et utile opinabatur, iniquum esse, malum ac perniciosum : adeoque priorem sententiam mutat et emendat.

(*f*) In regio codice ac Turon. *tuta sibi sit.* Hujus modi confessio *vera* nuncupatur in ps. CXVIII, num. 13, *quia vera peccati confessio est, sine intermissione temporis pœnitere.* Quo ex loco necnon ex tract. ps. CXLIV, n. 18, confirmatur, quod observavimus, plerumque apud Hilarium confessionis nomine pœnitentiam totam et non partem ipsius significari.

(*g*) In vulgatis, *mortalium :* falsa lectio.

gloriæ Dei. Et (*a*) deos hos effici, licet et ut fidei eorum meritum exigat, tamen ea maxima causa est, *quoniam in sæculum misericordia ejus.* Non ille eguit deorum Deus nuncupari : sed bonitatis et misericordiæ suæ est, ut deos faciat, honorem nominis sui ex affectu misericordiæ et bonitatis impertiens.

6. *Reges et domini sunt, qui carni non serviunt. Horum Deus Dominus.* —VERS. 3. *Confitemini Domino dominorum : quoniam in sæcula misericordia ejus.* Deos plures nuncupari sive in cœlo, sive in terra, Apostolus docuit ; ut non solum humanæ naturæ istud, sed spiritali (angelicæ *ex Tract. superiore n.* 9) competere videretur, cum ait : *Sed et si sunt dii qui nominantur in cœlo et in terra* (I *Cor.* VIII, 5), per cœli et terræ significationem utrique naturæ nomen hoc competens esse demonstrans. Idem quoque Apostolus Dominum dominorum esse significat, cum ait : *Rex regum et Dominus dominantium* (I *Tim.* VI, 15), dominatus in viles et in degeneres indignus Deo est. Rex ille regum est, et Dominus dominorum, ut est Deus deorum. Et deos quidem quos significet, non ambiguum est : de quibus dixit : *Deus stetit in synagoga deorum* (*Ps.* LXXXI, 1). Reges autem idem Apostolus 543 absolute ostendit, dicens : *Jam sine nobis regnatis, et utinam regnaretis* (I *Cor.* IV, 8). Reges sunt in quos non regnat peccatum, qui dominantur corporibus suis, quibus est (*b*) in jus subditæ et subjectæ sibi carnis imperium. Hi ergo reges sunt, et horum Deus rex est. Hi etiam domini sunt, qui non erunt servi peccati : quia qui facit peccatum, servus est peccati (*Joan.* VIII, 34). Dominandum ergo peccato est, non C serviendum. Domini autem sunt, qui hæc peccati corpora dominationi suæ per subjectionem vitiorum suorum peccatorumque subdunt. Novit se esse Apostolus corporis sui dominum, cum ait : *Subjicio enim mihi corpus meum, et in servitutem redigo* (I *Cor.* IX, 27). Qui in servitutem redigit, domini necesse est jure in servitutem eum qui serviturus est redigat. Horum ergo talium dominorum Deus dominus est, vocans eos per spem æternitatis, ut domini sint, ut in his dominis Deus dominus sit : et hoc non ob aliam causam, nisi ob id, *quia in sæcula misericordia ejus* : donans nobis (*c*) per æternæ misericordiæ suæ benignitatem, ut effectis nobis dominis, digni simus quorum ipse sit dominus.

7. *Dei est quidquid per homines geritur mirabile.* — VERS. 4. *Qui fecit mirabilia magna solus.* In plurimis quidem humanorum operum gestis multa magna et mirabilia exstiterunt : sed quidquid in his gestum est, ad eum refertur, cujus virtus illa gessit. Multa mirabilia Moyses in Ægypto egit : sed testimonium magi incantatoresque perhibent, quia in operibus illis digitus Dei est : sicut scriptum est : *Dixerunt ergo* B *incantatores Pharaoni, digitus Dei est hoc* (*Exod.* VIII, 19). Ex quo ostenditur virtutem Dei per Moysen operatam fuisse, cujus tum illa ministerio gerebantur. Magni quoque miraculi illud fuit tum, cum dicente Jesu Nave sol stetit contra Gabaon, et luna contra vallem (*d*) Haylon (*Jos.* X, 12). Nescio quid hoc mirabilius effici possit : cum in verbo hominis sol et luna in diei unius moram ex cursus sui lege detenti sunt. Sed virtutis hujus auctorem Scriptura mox addidit, dicens : *Non fuit dies talis, neque prius neque postea, ut sic exaudiret Dominus hominem : quia Dominus pugnavit pro Israel. In eo enim quod Jesus exauditus est, et pugnabat Deus in Israel* (*Ibid.*, 14); virtus ejus in gestis, qui et pugnabat et exaudivit, ostenditur.

544 8. *Cœlum primum et quæ angelorum sedes.*— VERS. 5. *Qui fecit cœlos in intellectu : quoniam in sæculum misericordia ejus.* Faciendorum (*e*) sola misericordiæ suæ causa est ; neque enim eguit ut fierent. Sed qui bonus est, in id universa fecit, ut plures bonitatis suæ copiis uterentur. Fecit autem cœlos in intellectu, non (*f*) irrationabiles, neque informes, neque confusos et inordinatos. Sed cum regionem (*g*) cognitioni

(*a*) Turon. codex, *et ut deos hos efficiat.* Tum post *licet*, ex regio adscivimus particulas *et ut*, quæ in cæteris desiderantur. Tria hic Hilarius docet, 1° ad gloriam æternam dari meritum, 2° gloriam illam fidei merito commensurari, prout scil. *fidei meritum exigat*, demum hujus promerendæ præcipuam ac maximam causam esse Dei misericordiam : *cum* nimirum, uti tradit Augustinus, epist. CXCIV, ad Sixtum, n. 19 : *Omne bonum meritum non in nobis faciat nisi gratia, et cum Deus coronat merita nostra,* D *nihil aliud coronet quam munera sua.* Hinc Hilarius in ps. LXII, n. 7, et in ps. CXVIII, num. 15, vitam æternam vocat misericordiam. Quod rursum illustrant hæc Augustini, lib. de Corrept. et Grat., c. 15 : *Sine ulla dubitatione confitendum est, ideo gratiam vitam æternam vocari, quia his meritis redditur, quæ gratia contulit homini.*

(*b*) Bad. *in hujus.* Erasmus deinde expunxit particulam *in* : quæ postea apud Par. restituta est. Reg. ms. *in his.* Ex Turon. reponimus *in jus*, quo nomine dominantis auctoritas significatur. Vide tract. ps. II, n. 42, ubi inter alia Christus prædicatur in nobis regnare, *cum per eum ipsi dominorum in nos jure regnamus.* Paulo ante in eodem ms. *Reges sunt in quibus*, non *in quos* ; et superius, *dominatus in vilibus et degeneribus indignus Deo est*, etc.

(*c*) Regius codex cum Turon. *per æternitatem*, etc., *quorum spei* (non *ipse*) *sit dominus.*

(*d*) Postrema editio Par. juxta Vulgatam, *Ajalon.* Ms. Mic. *Helloim.* reg. et Turon. ut apud Origenem, *Elom.* Græc. αἰλών.

(*e*) Vocabulum *cœlorum* hic in vulgatis subjicitur, quod videtur melius abesse a mss. reg. et Turon. ut ad universas res factas pertineat hæc propositio.

(*f*) Hoc est, non irrationabiliter, sed sapientia atque ratione moderante ordinatos, vel, ut habes inferius, *per profectus rationabilium moderationum* temperatos. Quod notandum fuit, ne Hilarius cum Origene aliisque veteribus cœlos animatos sensisse existimaretur. Ab hac sententia alienum eum fuisse satis liquet ex tract. ps. CXXII, n. 2 et 3. Neque vero hic dicit cœlos cognitione præditos, sed regionem eorum esse qui Deum essent cognituri : neque illos vocat aut thronos, aut dominatus, etc., sed eorum sedes.

(*g*) In vulgatis, *cognitionis suæ.* Rectius mss. reg. ac Turon. *cognitioni suæ*, hoc est, vel in qua se cognoscendum præberet, vel destinatam virtutibus quæ ad cognoscendum se gignerentur. Non autem frustra hic infinitus prædicatur Deus ; ne videl. loco existimetur includi, dum locus, in quo se cognoscendum præbeat, finitus assignatur.

suæ qui infinitus est collocaret; cœlo superiore atque primo eodemque in orbem collocato, terminum quemdam Virtutibus, (*a*) quæ primæ ad cognoscendum se gignerentur, inclusit. Neque enim gignendæ creationes virtutem inconspicabilis Dei ferre potuissent, nisi naturæ temperatioris objectu sedem hanc moderatæ ad infirmitatem habitationis incolerent. Aquis etenim elevatis ipsam illam primi cœli naturam temperavit, quæ (*b*) circumfusi Dei accensa virtute, nequaquam ab inferioribus esset patienda naturis.

9. *Cœlum inferius multiplex, firmamentum vocatur.* —Cœlum vero inferius, non uniforme, sed multiplex tetendit: quod totum firmamentum nuncupans, valida ad sustentationem aquarum superiorum temperationemque aeris nostri firmitate solidavit. Et idcirco plures cœlos doctrina prophetica prodidit: quia necessarium naturæ nostræ fuit, per momenta quædam et profectus rationabilium moderationum, regionem hanc indulti nobis ad præsens habitaculi temperari.

10. *De numero cœlorum non constat.* — De numero vero cœlorum nihil sibi humanæ doctrinæ temeritas præsumat. Apostolus usque ad tertium tantum cœlum sese raptum intelligit. Plures quidem thronos, dominatus, potestates, principatus connumerat (II *Cor.* XII, 2), quibus necesse est proprias sedes habitationis congruæ (*c*) deputari. Sed et alia, quorum cognitionem futuris temporibus promittit, esse significat, cum ait: *Et super omne* (*d*) *nomen quod nominatur, non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro* (*Ephes.* I, 21). Sed de numero Apostolus nihil docuit: et nescio an tacuerit, an ignoraverit. Nunc enim et professus est se ex parte cognoscere: et tamen cum raptus ad cœlos est, audisse se quæ non sint loquenda testatur (I *Cor.* XIII, 9). Nobis sufficit plures cœlos scire esse: quippe cum et cœli cœlorum, et aquæ quæ super cœlos sunt laudent Dominum.

545 11. *Terræ situs, et immensitas Dei.* —Sub inferiore autem superioris circuli cœlo quod firmamentum nuncupavit, terram inferius collocavit: quam mediam suspendens et confirmans, ita manendi (*e*) sedem moderatus est, ut paribus undique mensuris medietatem circuli quo conclusa est obtineret: ut is qui infinitus est, primo illi superioris cœli circulo circumfusus æqualibus ex omni circumfusione sua lineis omnia, virtutis suæ (*f*) spiritu in usum ac naturam animantium temperato, ea quæ crearentur attingeret. Apostolus enim ait: *Quia in ipso vivimus, et movemur, et sumus* (*Act.* XVII, 28); per quod ostenditur, terram (*g*) in medio ejus, tamquam in transfusi Spiritus ambitu, constitisse: cum in Deo omnes et vivamus, et moveamur, et simus. Quod autem (*h*) in omnia circumfusum, eumdem pariter omni ex parte æqualiter attingere atque penetrare. In his carnali resistendum est cogitationi, ne corpoream Dei circumfusionem atque transfusionem animo fingamus. Ab hujusmodi asserenda quam abhorreat Hilarius, liquet ex tract. psal. CXXIX, n. 4 et 6; psal. CXVIII, n. 8; psal. CXXIX, n. 3. Sed quia, ut in psal. CXX, n. 11, docet, *infirmitas intelligentiæ nostræ consequi invisibilia non potest, nisi per visibilium comparationem*, ex visibilium comparatione quamdam rerum divinarum notitiam nobis præbere conatur. Quamquam *hæc*, uti monet in psal. CXVIII, n. 9: *superflue divinæ naturæ ad comparationem similitudinis conferuntur: quia incomparabile est quidquid æternum est*, etc.

(*a*) Bad., Er. et Lips cum mss. reg. et Turon. *quæ primum* angelos ab Hilario *virtutes* appellari jam observatum est. Et ex subjectis manifestum est hic generali *virtutum* nomine *thronos*, *dominatus*, *potestates*, etc., comprehendi. Ex quibus facile conficeretur eum sensisse primum illud ac superius cœlum ante angelos fuisse conditum, nisi lib. adversus Auxentium, num. 5, disertis verbis affirmaret angelos ante omnia omnino sæcula et tempora conditos. Quo in loco commodius forsitan illius ea de re sententia expendetur.

(*b*) Editi, *superni*. Concinnius mss. reg. et Turon. *circumfusi*. Ab hoc igne ex præsentia Dei circumfusi primum illud cœlum empyreum forsitan cognominarunt.

(*c*) Regius codex solus, *demutari*. Tum accedente etiam Turon. *sed et aliquorum cognitionem*. Postea ante verbum *esse* in Turon. superscripta est particula *et*.

(*d*) Abest *nomen* a mss. reg. et Turon.

(*e*) Ita mss. reg. et Turon. Hæc autem in vulgatis sic circumferebantur: *ita manendi sede moderatus est, ut paribus undique mensuris ponderibusque librata et substrata consisteret: ut is qui infinitus est Deus, primo illi superioris cœli circulo circumfuse supereminens æqualibus ex omni transfusione sua spatiis omnia virtutis suæ spiritu*, etc. In his quoddam habemus totius mundi systema, quo duo maxime demonstrare velle videtur Hilarius, et cœlorum scilicet ordinem, et immensitatem divinam æque omnia penetrantem. Hujus rei gratia repræsentat mundum velut orbem, Deum vero ei velut ignem circumfusum. Primum orbis circulum seu cœlum ea Dei virtute succensum docet, quam ferre nulla creata res valeat. Huic substernit temperatas aquis interjacentibus angelorum sedes, pro diversis ordinibus diversas, quas et diversos cœlos nuncupari videtur permittere. Subjicit his cœlum inferius, quod licet non uniforme, sed multiplex, uno tamen firmamenti nomine comprehendit. Demum interposito aere terram in orbis meditullio collocat. Ex quibus conficit Deum toti orbi æqualiter

(*f*) Hoc est, non attingit per partes, sed totus simul *virtutis suæ spiritu*. Tum quid sibi velit, *in usum ac naturam animantium temperato*, discendum ex psal. CXVIII, num. 8, ubi ex comparatione animæ humanæ ostenditur qui Deus ubique totus adsit. Hic igitur Deus singulas orbis partes eum fere ad modum attingere prædicatur, quo anima singula corporis sui membra. Porro verbum *temperari*, antiquis Patribus idem prope esse quod *misceri*, non ignorant quibus peregrini non sunt. Utriusque verbi et consensionem et discrepantiam explicat Philo Judæus de Confus. ling., p. 347. Comparatio autem animæ præsentis singulis corporis sui partibus ad hoc tantum adhibetur, ut aliquantulum percipiatur, qui Deus ubique totus adsit, non ut quomodo anima corpori sociata unum efficit animal, ita Deus mundo admixtus eumdem animare intelligatur. Videsis lib. I de Trin., num. 6.

(*g*) Editi. *in spiritu ejus*. Reponimus *in medio ejus* ex mss. reg et Turon. quorum ille postea subjicit, *tam incircumfuso;* Turonensis vero, *tamen circumfuso*.

(*h*) Particulam *in* omittunt mss. reg. et Turon., quorum auctoritate adjecimus *suæ* post vocabulum *temperationis*: moxque restituimus *per quod intus*, ubi in vulgatis erat, *Itaque intus*.

temperationis suæ spiritu transfusus et penetrans sit, docet Propheta dicens : *Spiritus Dei replevit orbem terrarum* (*Sap.* I, 7) ; per quod intus atque extra, ambitu atque aditu, et circumfusus et transfusus ostenditur.

12. Quod autem terra non sit in unam demersa regionem, consequenter Spiritus sanctus ostendit, dicens, VERS. 6 : *Qui firmavit terram super aquas : quoniam in sæculum misericordia ejus.* Altius nos quærere ratio tractatus præsentis et loci non sinit. Satis sit, terram super aquas pendula firmitate consistere, ex prophetica auctoritate didicisse, inumbratam cœli temperationis obtentu, (*a*) hoc firmamento, quod extensum tamquam pellis, et solidatum tamquam fumus, aquas supernas infernasque discernat. Certe aquis pendulam contineri, et in hoc, sicuti in omnibus, ea causa est, *quoniam in sæculum misericordia ejus.*

13. *Qui Pater solus, nec tamen sine Filio operetur.* — In eo autem quod sequitur, VERS. 7 : *Qui fecit luminaria magna solus : quoniam in sæculum misericordia ejus ;* non id intelligendum est, ut extra Sapientiam et Verbum et Virtutem, id est, unigenitum Deum Dominum nostrum Jesum Christum ea fecisse credatur : quippe qui ex persona Sapientiæ dixerit : *Ego eram apud eum* (*b*) *disponens* (*Prov.* VIII, 30). Sed qui disponebat, ab eo cum quo disponebat et genitus et natus est. Cum **546** autem opera Filii opera Patris sint, et Pater operetur in Filio, (*c*) per id quod ait : *Pater qui in me est, ipse opera sua facit* (*Joan.* XIV, 10) ; et rursum : *Ego opera Patris facio* (*Joan.* X, 37), solus operatur, in eo et per eum operando quem genuit.

14. *Cur divisiones maris Rubri, et non divisio. Ad cœlum viæ plures.* — In cæteris vero absoluta ostendendæ misericordiæ Dei doctrina est : ut sciamus omnia non ob aliam causam, nisi quia Deus semper misericors sit, fuisse perfecta. De his autem, quæ de Ægypti negotiis intelligi spiritaliter oportet, Tractatus psalmi anterioris, in quantum exsequi valuimus, complexus est : ad quorum confirmationem etiam hoc quod in psalmo hoc dictum est accedit, VERS. 13 : *Qui divisit mare Rubrum in divisiones : quoniam in sæculum misericordia ejus.* Unam divisionem Rubri maris liber Exodi docet, dicens : *Et fecit mare siccum, et divisa est aqua* (*Exod.* XIV, 21) : et quomodo nunc Rubrum mare in divisiones dividitur? Nisi quia existimo sub relatione gestorum spiritalis doctrinæ ordinem contineri. Evadentes enim Ægyptum, quæ sæculi forma est, et ad terram repromissionis quam secundum Evangelium beati hæreditabunt, euntes, per mare Rubrum, id est, per ejusdem hujus sæculi turbidos æstus et fluctuantes motus transibimus, in quo plures ad iter divisiones sunt. Aliis enim per jejunia iter est, aliis per pudicitiam, aliis per eleemosynam, per fidem, per spem, per charitatem. Et hæc omnia diversas necesse est habeant divisiones hujus maris transeundi, omnibus tamen per has viarum divisiones iter sæculi transituris.

15. *Quæ redemptio hic canatur.* — Conclusio autem psalmi, ut hæc omnia de futuris intelligantur, majore fide firmat, cum ait, VERS. 23-26 : *In humilitate nostra memor fuit nostri Dominus : quoniam in sæculum misericordia ejus. Et redemit nos de manu inimicorum nostrorum : quoniam in sæculum misericordia ejus : Qui dat escam omni carni : quoniam in sæculum misericordia ejus.* (*d*) *Confitemini Deo cœli, quoniam in sæcula misericordia ejus.* Non enim tunc tantum memor fuit humilitatis humanæ Deus, cum ad liberandum populum ex Ægypto Moysen **547** ducem elegit : sed perfectius memor fuit humilitatis nostræ, cum ipsam humilitatem nostram corporeus natus assumpsit, cum hoc humile terrenumque corpus gloria in se naturæ cœlestis absorpsit. Neque tunc redemit de manu inimicorum, cum eos a dominatu Ægyptiorum exemit, nam postea inimicis subditi sunt, et hodie jure alieni imperii coercentur : sed redemit nos cum se pro peccatis nostris dedit, redemit nos per sanguinem suum, per passionem suam, per mortem suam, per resurrectionem suam. Hæc magna vitæ nostræ pretia sunt. *Magno enim*, ait Apostolus, (*e*) *pretio redempti estis* (I *Cor.* VI, 20), et redempti ab inimicis, a diabolo, ab angelis ejus, a filio perditionis, a principibus aeris, a (*f*) mundi potentibus, ab inimica morte. Et redemit escam dando omni carni : *Qui dat escam omni carni. Omni carni*, id est, quæ redempta est, dat escam incorruptam, æternam, panis vivi, panis cœlestis. Et in his singulis, quod humilitatis nostræ memor est, quod redempti sumus, quod omnis redemptorum caro escam accipit ; ea causa est, *quoniam in sæcula misericordia ejus :* et [(*g*) ob quod ei confitendum est. *Confitemini* enim *Deo cœli, quoniam in sæcula misericordia ejus.*] Quod cœlum, quod terra, quod cætera sunt, et ipsum illud, quod sumus qui non fuimus, quod erimus quod non sumus, causam aliam non habet, nisi misericordiæ Dei : (*h*) quia ad consortium bonorum suorum nasci nos voluit ille qui bonus est. Unus enim bonus est, ait Dominus noster Jesus Christus (*Matth.* XIX, 17), qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

(*a*) In vulgatis, *hoc firmamentum* : male. Pessime autem antea Lipsius pro *inumbratam*, substituerat *inumbratum* absque ulla auctoritate. Ait Hilarius terram inumbrari cœlo temperatiori, quod firmamentum nuncupari superius tradidit.

(*b*) Editi, *cuncta disponens*. Abest *cuncta* a mss., ut a LXX necnon a lib. XII de Trin., n. 35.

(*c*) Sic nostri mss. Editi vero, *et per id enim quod ait.*

(*d*) In mss. reg. et Turon. neque hic neque infra exstat subsequens versus.

(*e*) Abest *pretio* a mss. reg. qui paulo ante cum Turon. omittit *per mortem suam.*

(*f*) Sic mss. Editi vero, *a mundi potestatibus.* In his mox non repetebatur *omni carni.*

(*g*) Quæ intra uncinos includuntur, salvo et incolumi sensu non exstant in mss. reg. et Turon.

(*h*) In vulgatis *qui*, non *quia*. Mox mss. reg. et Turon. omittunt, *Unus enim bonus est, ait.*

PSALMUS CXXXVI.

Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus, cum recorderamur tui, Sion (Infra abest *tui*). *In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra. Quia illic interrogaverunt, qui captivos duxerunt nos, verba cantionum; et qui abduxerunt nos, Hymnum cantate nobis de canticis Sion. Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Si oblitus fuero tui, Jerusalem; oblivioni detur* (Infra, *obliviscatur me*) *dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis* (Hil. *gutturi meo*), *si non meminero tui. Si non proposuero* (Hil. *præposuero*) *Jerusalem in principio lætitiæ meæ. Memento, Domine, filiorum Edom in die Jerusalem.* **548** *Qui dicunt, Exinanite, exinanite quoad usque fundamentum in ea. Filia Babylonis misera, beatus qui retribuet tibi retributionem, quam retribuisti nobis. Beatus qui tenebit et allidet parvulos tuos ad petram.*

TRACTATUS PSALMI.

1. *Captivitati Babyloniæ psalmus hic potest convenire. Jeremiæ nonnullis inscriptus est.* — Captos secundum Jeremiæ prophetiam Judæos, et in Babyloniam deductos fuisse non obscura cognitio est. Neque dubium est, per hunc eumdem psalmorum librum potuisse captivitatem (*a*) populi prophetari. Nam et in alio psalmo manifestum est, absolute eversionem gentis istius atque urbis prophetatam fuisse, cum dicitur : *Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Jerusalem velut pomorum* (*b*) *custodiam.* (*Psal.* LXXVIII, 1.) Et in hoc quoque præsenti psalmo idipsum significari videtur : maxime cum quibusdam placuerit, eum tamquam Jeremiæ titulo inscribi; quia ab ipso sit, ante quam accidit, denuntiata captivitas. Certe cum Hebræis (*c*) senioribus, secundum cognitionem quam ab his adepti sumus, psalmus hic sine inscriptionis istius titulo est.

2. *Gesta omnia in lege sunt umbræ futurorum.* — Non dubium autem est, omnia quæ in patres aut per patres nostros gesta sunt, futuri formam in his quæ gesta sunt prætulisse. Et idipsum ita esse, hic quoque psalmorum liber testis est. Namque cum in septuagesimo et septimo psalmo omnia ea quæ in Ægypto atque in deserto et in cæteris deinceps locis gesta essent recenserentur, ea ipsa parabolica esse ita demonstrata sunt : *Attendite populus meus in legem meam, inclinate aurem vestram in verba oris mei. Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio* (*Psal.* LXXVII, 1, 2). Per id enim quod et parabolæ et propositiones sunt, rerum futurarum effectibus comparantur. Apostolus quoque docet, ea ipsa quæ gesta sunt, in præfigurationem gesta esse, dicens : *Quia lex umbram habet futurorum bonorum, et omnia in præformationem acciderunt his : scripta sunt autem propter nos, in quos fines sæculorum devenerunt* (I *Cor.* X, 11). Gesta igitur ipsa in exemplum, et scripta in doctrinam sunt.

3. *Captivitas mentis, quæ hoc psalmo tractatur potius quam corporalis.* — Itaque et hanc corporalem populi captivitatem, referri in exemplum spiritalis captivitatis oportet. Captæ enim mentes nostræ sunt corporum sæculique dominatu, captæ a dæmonibus sunt (*d*) jure vitiorum, quæ imperium **549** in nos suum per diversa ministeriorum genera exercent : dum nos ebrietas possidet, dum luxus subigit, dum avaritia devincit, dum ambitio occupat, dum malevolentia obtinet, dum ira usurpat, dum omnia in nobis regnant hæc incentiva vitiorum. Venit enim Dominus, secundum prophetam, captivitatem avertere (*Esai.* LXI, 1), cum dicitur : *Prædicare captivis remissionem* (*Luc.* IV, 19). Venit ligatos solvere, cum ait : *Hanc filiam Abrahæ, quam ligaverat Satanas decem et octo annis, nonne oportuit solvi in die sabbati?* (*Luc.* XIII, 16.) Venit servientes in libertatem deducere, dicens : *Amen dico vobis, quoniam omnis qui facit peccatum, servus est peccati. Servus autem non manet in domo in æternum, filius manet in æternum. Si vero Filius vos liberaverit, vere liberi eritis.* (*Joan.* VIII, 34 *et seqq.*) Capimur ergo et ligamur et servimus, non tam corpore, quam et mente. Et mihi in præsenti psalmo omnis virtus et ratio verborum non tam corporalem captivitatem tractare, quam spiritalem videtur. (*e*) Ea enim et in querelis et in incolis, et in rebus et in nominibus momenta sunt, ut spiritalem potius captivitatem hæc lamentabilis Prophetæ querela significet.

4. *Captivitas Judæorum luctu digna.*—VERS. 1 et 2. *Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus, cum recordaremur Sion. In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra.* Affectus humani sensus iste est, ut inter injurias præsentium calamitatum, ad præteritorum bonorum recordationem ingemiscat. Contemplemur enim animo, (*f*) capta Jerusalem, servientes dominis victoribus reges, subditos antistitibus gentilium impietatum sacerdotes, ereptum omnibus jus matrimonii, substratum libidini Baby-

(*a*) Regius codex, *populo prophetari.*

(*b*) Mss. *custodiarium.*

(*c*) Verbum *senioribus* abest a mss. reg. et Turon. His favet, quod cum Hilarius hebræorum seniorum nomine Septuaginta intelligere soleat, apud hos modo legere sit, τῷ Δαβὶδ Ιερεμίου. Hoc tamen vocabulum retinuimus : tum quia Hilarius hic, ut in dubiis solet, lectioni LXX adhæret, tum quia hic psalmus, teste Nobilio, in veteribus exemplaribus græcis tantum ψαλμὸς Δαβὶδ inscribitur. Nec aliud præ se ferunt psalterium Romanum in quincuplici editum, et Germanense. In versione Hieronymi ex hebræo nullus est titulus. Suffragatur Theodoretus in hunc psalmum. *Hic psalmus*, inquit, *sine titulo est apud Hebræos : sed nonnulli rem audacem ausi inscripserunt, Davidi per Jeremiam : et addiderunt, Sine titulo apud Hebræos.* Nihilominus apud Hieronymum, ut in Vulgata, jam obtinet, *Psalmus David propter Jeremiam.*

(*d*) Ita Turonensis codex. Alii vero, *jure potiorum.*

(*e*) Editi, *Ecce enim et in querelis et in locis :* refragantibus mss. Deinde magis placuit cum ms. Turon. *et in rebus et in nominibus*, quam cum aliis libris *et in rebus et in omnibus.* Mox ab eodem ms. ut a reg. abest *lamentabilis.*

(*f*) In vulgatis, *captam Jerusalem.* Elegantius in ms. Tur. *capta.*

loniorum captæ virginitatis pudorem ; et ex gemitu eorum, qui perpessuri ista erant, proclamasse digne Prophetam existimabimus : *Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus, cum recordaremur Sion.*

5. *Lugendus et hominis lapsi status. Adæ peccato quid perdiderit.* — Sed quia Sion illa æternæ beatitudinis sedes est, et mater cœlestis nobis Jerusalem frequentium angelorum et primitivorum in cœlis conscriptorum civitas sancta est ; et illa Babylon civitas (*a*) est irrationabili motu turbulenta, quæ, ut Genesis docet, a confusarum linguarum hominibus nuncupata Babylon est (*Gen.* XI, 9) ; illic enim loqui universarum gentium linguis, cum unus omnium esset sermo, cœperunt ; et ipsum illud Babylonis vocabulum interpretationem habet confusionis : quisquis ergo in crimine primi parentis Adæ exsulem se factum illius Sion recordabitur, in qua sine cupiditate, sine dolore, sine metu, sine crimine vita est, et traditum se sæculo confusionis hujus tamquam (*b*) Babyloni, traditum corpori quod vitiorum et appetitionum et cupiditatum perturbatione 550 confusum est ; recte et ipse spiritaliter captivus proclamabit : *Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus, cum recordaremur Sion. In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra.*

6. *Contra litteræ nimium amantes. Sæculi et carnis opera sunt flumina.* — Eos, qui secundum litteram intelligenda omnia existimant, interrogare vellem, quæ flumina Babyloniam prætermeant, ut illic captus populus consederit, et non potius aut in plateis aut in portis aut in turribus aut in domibus captivitatem suam fleverit : deinde cum quibus tympanis aut citharis aut organis captus sit, quæ historia ista locuta sit, cum omni musico apparatu Israelem victoribus servisse : postremo quæ umquam salices in media urbe fronduerint, ut illic tamquam in publica musicorum apotheca organa suspensa penderent. Quæ si omnia gestis negotiorum corporalium inania sunt, sequenda ea ratio est, quæ ex propheticis auctoritatibus ad spiritalem nos scientiam cohortatur. Flent omnes, qui se captos in Babylonia sentiunt, et sedent super flumina. Omnia enim sæculi et corporum opera, modo fluminum, sine aliqua cursus sui statione præterfluunt ; currunt namque et elabuntur et transeunt. Quæ enim corporalis voluptas non præterita jam (*f.* præterit, aut jam) nulla est? quod terrenum gaudium non cum ipso (*c*) fugitivo sensu præsentis fructus sui transit ? Super hæc igitur sæcularium captivitatum flumina sedentes, et flentes ad recordationem Sion, amissorum desiderio et præsentium calamitate ingemiscunt.

7. *Salices, sancti et fideles. Organa humana corpora.* — Neque solum sedent atque flent, sed etiam in medio ejus organa sua in salicibus suspendunt. Lignorum salicum natura ea est, ut arefacta licet, si modo aquis adluantur, virescant ; deinde excisa atque in humido fixa, radicibus sese ipsa demergant. Et sub hujus arboris natura sanctos et fideles significari prophetica auctoritas est, Esaia dicente : *Exorientur*, inquit, *tamquam in medio aquæ fœnum et tanquam salix super defluentem aquam* (*Esa.* XLIV, 4). Oritur enim ex mortuo quisque antea peccatis aridus ; et ab (*d*) anterioris vitæ radice decisus, nunc eloquio Dei et sacramento baptismi aquis vitalibus reviviscit. Sed et cum festivitas scenopegiorum Judæis corporaliter traderetur (quod tabernaculum frondeum cum ad futuræ lætitiæ et tabernaculi exemplum ex electarum arborum ramis pararetur), etiam ex ramis fluvialis salicis effici jussum est : quia ex conventu sanctorum virorum cœlestis tabernaculi futura esset lætitia perfecta. Organa autem Scriptura humana corpora, quorum honestis motibus et concinentibus operationibus quæ Deo placita sunt (*e*) psallimus, esse significat. In media igitur harum sæcularium confusionum 551 captivitate, hi qui amissam Sion recordantur, qui in Adam extorres se factos esse cœlestis Jerusalem meminerunt, qui et captos se esse in Babylonia sentiunt : hi sedentes et flentes corpora sua in formam sanctorum virorum habitumque suspendunt, a terrenis se desideriis erigentes.

8. *Resilientibus a vitiis, vitiorum se ingerit memoria.* — Sed licet per continentiæ studium in salicibus suspensa nostra sint corpora ; tamen ea, quæ captivos nos efficiunt, non quiescunt. Sequitur enim, VERS. 3 : *Quia illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos, verba cantionum ; et qui abduxerunt nos : Hymnum cantate nobis de canticis Sion.* Si quis humanæ naturæ consuetudinem recolat, sensum omnem absolutum habebit. Namque qui laborant a vitiis desinere, et eorum quæ impie gesserint oblivisci volunt, incentivo tamen consuetudinis (*f*) ægre desinentis agitantur : et ea quæ occulta sunt vitia in nobis, admiscere se fidei sacramentis et inserere pertentant ; ut inter divinos hymnos et sacras lectiones harum inimicarum captivantium nos cupiditatum cogitatio subrepat. Nec sane deest hoc absolutum in plurimis exemplum. Multos enim (*g*) iniquos

(*a*) In vulgatis hic subjicitur vox *confusionis*, omisso deinde verbo *est*.

(*b*) Editi, *Babylonico* : emendantur ex ms. Mic. Nec displicet quod in mss. reg. et Turon. *Babylon* ; ut quisque lugeat se Babylonis ad instar sæculo confusionis traditum.

(*c*) Miciacensis codex, *furtivo sensu* : quod Parisiensis editor male arripuerat. Vult Hilarius vix sentiri fructum gaudii terreni, cum fugiat ipsum ac sensus illius.

(*d*) Apud Par. *interioris* : prave. Anteriorem vocat Hilarius vitam peccatricem, a qua per conversionem quis excisus, baptismo ac verbo Dei velut aquis vitalibus reviviscit.

(*e*) Editi cum mss. reg. et Turon. *psalmus*. Rectius Miciacensis, *psallimus*, hoc est, Scriptura significat humana corpora esse organa, quorum, etc. Pro *concinentibus* habent mss. reg. et Turon. *consentientibus*. V. Prolog. n. 20.

(*f*) Adverbio *ægre* carent mss. reg. et Turon.

(*g*) In ms. Mic. *quos videmus*, lectio non spernenda. Mox in eodem ms. *hos rursum audiri diversatos*. In vulgatis autem, *et hos rursum accidit diversatos*. Exemplum iniquorum videtur minus aptum,

videmus legere atque disserere, hos rursum diversatos esse semper in stupris et in impietatibus deprehendi. Sanctus vero quisque, et qui organum suum in salicibus suspenderit, istis qui se (*a*) captivos duxerant, consortium Sion cantici negat, neque inimicis sibi virtutibus sanctarum cantionum verba communicat.

9. *Dæmones per carnem tentant sibi subjicere mentem. Caro eis non permittenda.* — Quæ autem sint quæ captivos ducant, nos Apostolus docet, dicens : Video aliam legem in membris meis militantem adversus legem mentis meæ et captivum me ducentem (*b*) in lege peccati quæ est in membris meis (*Rom.* VII, 23). Cum igitur inter concupiscentiam carnis et spiritus pugna est, tum ea quæ captivos nos conantur sibi subdere, pertentant occupare corpus ejusque dominari, seque doctrinis spiritalibus, ut per consuetudinem his auctoritatem adimant, inserere. Sed resistendum est, et Prophetæ voce respondendum, VERS. 4 : *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Terra nostra retinenda est, et in libertatem tuenda. Polluta enim terræ corpora audire de canticis Sion nihil possunt : et aliena a Deo, licet nostra sint, (*c*) erunt si a lege peccati cœperint esse captiva.

10. *Cœli oblivioni quas pœnas imprecetur Propheta. Dextera, electorum locus.* — Sed memoria semper cœlestis illius Jerusalem et sanctæ Sion continenda est, vel dum redhiberi optatur, vel dum fletur amissa. Id enim sequitur, VERS. 5 : *Si oblitus fuero tui, Jerusalem; obliviscatur* (*d*) *me dextera mea. Adhæreat lingua* **552** *mea gutturi meo, si non meminero tui, si non* (*e*) *præposuero Jerusalem in principio lætitiæ meæ.* Cum oblivionis pœna, recordationis memoria spondetur. Sed id quod ait : *Obliviscatur me dextera mea*, obscurum est per conditionem latinitatis. Nam secundum græcitatis proprietatem, qua ita dictum est, ἐπιλησθείη ἡ δεξιά μου, non ut ipsa obliviscatur, sed ne oblivio ejus fiat, ostenditur. Et magni periculi res est, si dexteræ nostræ fiat oblivio. Omnes enim, qui spei bonæ pleni sunt, dexteræ deputantur; peccatoribus in sinistra collocandis. Conditionem ergo obliviscendæ dexteræ suæ, quam sibi fide et expectatione præsumit, sub pœna non requo declaretur plures eorum, qui laborant a vitiis desinere, inter legendum et psallendum ad pristinas cupiditates animo avocari. Verum Hilarius hic sensim ad istos descendit, eorumque exemplo demonstrat animum lectioni simul et stupris adjungi posse : cum, inquit, quotidie videamus iniquos, qui in stupris, quamdiu legerint, semper animo diversati esse deprehendantur.

(*a*) Scriptor ms. Turon. ex conjectura prætulit *captivum :* sed ut integra maneret exemplaris sui fides, ultimæ syllabæ superaddidit *os :* quod et alias fecit.

(*b*) Mss. reg. et Turon. *in legem*. Mox solus reg. *et spiritum pugna est.*

(*c*) Non minus ad hoc verbum *erunt* refertur vocabulum sequens *captiva*, quam ad *esse* cui proxime conjungitur.

(*d*) Illud *me* hic non habent mss. reg. et Turon. cordatæ Jerusalem ipse præposuit : ut a memoria dexteræ suæ, id est, qua in dextera collocaretur, si ipse memoriam Jerusalem non retinuisset, excideret.

11. *Quanta pœna Dei laudibus mutum esse. Lætatur quisque unde afficitur. Totus Prophetæ affectus in cœlum.* — Addidit et aliam pœnam oblivionis, dicens, VERS. 6 : *Adhæreat lingua mea gutturi meo si non meminero tui.* Scit (*f*) infelix os suum esse a Dei laudibus mutum. Scit beatas illas æternasque Virtutes throno Dei adsistentes, continuata voce in Dei laudibus permanere dicentes : Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth, pleni sunt cœli et terra gloria tua (*Esai.* VI, 3). Scit et de his, qui mortuorum modo taciti in Dei laudibus viverent, dictum esse : Sepulcrum patens est guttur eorum (*Psal.* V, 11), quia in gutture eorum, tamquam in sepulcro patente, in laudes Dei emortua vox sileret. Huic igitur sese silentii pœnæ sub oblivionis conditione subjecit, si memor Jerusalem non fuisset : sed etiam per id quod sequitur : *Si non præposuero Jerusalem in principio lætitiæ meæ.* Unicuique nostrum secundum voluntatis suæ sententiam lætitiæ causa subjecta est, et ex affectu animi sui initium gaudii sumit, ut potator ex ebrietate, ut gulosus ex cibis, ut avarus ex pecunia, ut ambitiosus ex honoribus, ut seditiosus ex turbis, ut libidinosus ex stupris. Hæc ergo unicuique, prout his delectatur, lætitiæ afferunt causam. Sed Propheta Jerusalem sibi initium lætitiæ proponit, hinc exordium gaudii sumens, quod in Jerusalem receptus immortalis ex mortali erit, quod Angelorum frequentium cœtui admiscebitur, quod in regnum Dei recipietur, quod conformis gloriæ ipsius fiet. Nescit ergo alia gaudia, neque aliud habet unde lætetur, solam sibi Jerusalem gaudii initium præponens.

12. *Cupiditatum strages. Fundamentum nostrum Christus.* — Et quia meminit per multas corporis infirmitates, per multas spiritus angustias, per multa subrepentium vitiorum incentiva eo esse **553** veniendum; veretur ne quid sibi per naturam corporis ex vitiis adhærescat. Post hæc enim ad Dominum precatur dicens, VERS 7 : *Memento, Domine, filiorum Edom* (*g*) *in diem Jerusalem. Qui dicunt : Exinanite, exinanite* (*h*) *quoad usque fundamentum in ea.* Edom

Et hic et infra expungendum facile opinaremur, nisi etiam apud Augustinum et in veteribus psalmorum exemplaribus exstaret.

(*e*) Ita mss. consentientibus cum Augustino vetustis psalteriis. At editi, *proposuero*.

(*f*) Reg. ms. *scit infelix esse fieri Dei laudibus motus*. Ita hic oblitteratus est Turon. ut nequeat legi.

(*g*) Turon. ms. *in die*. In græco *diem*, sine præpositione *in*.

(*h*) In mss. reg. et Turon. *quousque*. Apud Augustinum *usque dum*. Retinemus *quoad usque*, quod et habent vetera psalteria German. et Carnut. Superius in psal. CXXII, n. 9, legere est *quoad usque* pro *donec :* hic vero pro *usque ad* ponitur, quasi, *usque ad fundamentum quod est in ea*. Apud Græcos, ἕως τῶν θεμελίων αὐτῆς.

interpretatur (*a*) terrenum. Vitia itaque terreni corporis nostri, (*b*) quæ quia ex natura corporis exeunt, Edom filii nuncupantur, his Babyloniis, id est, confusionibus et perturbationibus sensus nostri imperant, ut nos ea plenitudine qua repleti sumus evacuent. Scriptum est enim : *Quoniam de plenitudine ejus omnes accepimus* (*Joan.* I, 16). Quisquis enim capax est Domini, ipse et de plenitudine ejus impletus est. Est autem hæc natura turbidi confusique per vitia corporis sensus, ut si semel nos in omnem peccati voluntatem et consuetudinem traxerit, omnibus nos bonarum virtutum studiis exinaniat. Hæc ergo vitia his sensus nostri turbidis confusionibus imperant, (*c*) uti nos fundamento ipso exinaniant. Quisquis enim sanctus est, pro parte Jerusalem ipse est ; quia ex conventu beatorum virorum, et cœlesti consortio dignorum, Jerusalem vivorum et pretiosorum lapidum civitas erit, quam hæc terrena vitia usque ad fundamentum exinanire nituntur. Et quod fundamentum in nobis sit, Apostolus docet, dicens : (*d*) *Fundamentum autem aliud nemo potest ponere, præter illud quod positum est, quod est Christus* (I *Cor.* III, 11). Omne igitur religionis initium, omne fundamentum spei nostræ evacuare tentant : ne qua in nobis memoria et recordatio Dei resideat, ne qua spes boni alicujus relinquatur. Fundamento enim fidei, quod est Christus, eruto et everso, ne ipsius quidem ædificandæ nobis per pœnitentiam veniæ consolatio relinquetur.

15. *Filia Babylonis caro. Subigenda est animæ cujus imperium usurparat.* — Commemorata autem Jerusalem captivitate, et filiorum Edom in exinaniendis nobis usque ad fundamentum adhortatione, consequens est, ut quatenus adversus hæc nobis providendum sit, Propheta demonstret. Et demonstrat plane, non inopes nos neque imperitos relinquens, cum ait, VERS. 8 et 9 : *Filia Babylonis misera, beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis. Beatus qui tenebit, et allidet parvulos tuos ad petram.* Vellem percontari eos, qui otiosas esse spiritales psalmorum intelligentias existimant, quam hic a Propheta Babylonis filiam dictam esse intelligant : et (*e*) quomodo, cum superius superba, filia Babylonis nunc misera sit. Sed quia sensus legentis **554** corporali intelligentia caret, spiritalis ratio tractanda est. Ad infelicem enim illa confusionis et perturbationis nostræ carnem sermo omnis revertitur, quæ secundum historiæ fidem ex confusionis patribus genita est : quia omnis caro superioris carnis est filia. Ex his enim, qui primum confusis linguis confusionis urbem quæ Babylonia est condiderunt, universarum gentium initia dispersa sunt. Hæc ergo misera Babylonis est filia, id est, caro omnium. Cui qui retribuet retributiones suas, beatus est, (*f*) scilicet qui carnem suam dominatui animæ subjecerit, quique eam spiritui subdiderit. Illa enim omnes eos, qui imperiti de Deo et ignari erant, omnibus voluptatibus et desideriis suis subegerat, et captivæ menti dominans imperabat. Sed cum per cognitionem deitatis vitia ejus, non dico abolitione, sed morte perimuntur, cum religio, pudicitia, largitio, sobrietas et charitas, impietatem, libidinem, avaritiam, ebrietatem, simultatem, odia consumpsit et omnibus operibus spiritus caro victa famulatur ; tunc beatus est, qui retributionem suam ei retribuit, id est, qui dominatum in eam spiritus, quo uti ipsa in spiritum erat solita, demutat.

14. *Cupiditates in ortu suo perimendæ.* — Neque solum retributor retributionis beatus : sed et ille *beatus qui tenebit, et allidet parvulos tuos ad petram.* Vitia corporis non sunt sinenda coalescere, sed in exordiis statim enecanda sunt. Periculosæ enim sunt jam robustæ cupiditates ; et difficulter adulta quæque perimuntur. Levius autem est prorumpentes avellere, teneras excidere, flexibiles retorquere. Beatus itaque est, quisquis in exordio inhonestas quasque omnium cupiditatum appetitiones quæ ex voluntate carnis oriuntur, primum intra jus patientiæ suæ virtutisque cohibebit, deinde eas ad fidem atque ad metum Dei elisas enecabit. Omnis enim, qui ex peccatis ad religionem transfertur, peccata omnia in eam ad quam decesserit religionem elisa comminuet. In eo autem quod parvulos miseræ filiæ Babylonis tenet et allidit ad petram ; et virtus qua nascentes cohibet, et fides qua ne adolescant allidit, ostenditur. Et allidit ad petram. Petra autem, secundum Apostolum, Christus est (I *Cor.* X, 4). In quem beatus est, qui filiæ Babylonis parvulos, id est, tenera adhuc corporis vitia, allidet et conteret. Ipsi unigenito Deo ac Domino nostro gloria et laus in sæcula sæculorum. Amen.

555 PSALMUS CXXXVII.

Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo : quoniam audisti verba oris mei. Et in conspectu Angelorum psallam tibi : adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo super misericordiam tuam et veritatem tuam : quia magnificasti super omnes (Infra, *omnia*) *nomen tuum sanctum. In quacumque die invo-*

(*a*) Turon. ms. *terrenus* Edom apud Hieronymum de nom. hebr. ex Gen. interpretatur *rufus sive terrenus ;* apud Augustinum *sanguis*, quem et vocabulo *Edom* punice significari subjicit ; in enarratione autem psalmorum Hieronymo adscripta *terrena vel sanguinea.*

(*b*) Vocula *quæ* prius hic omissa suppletur ex mss. Vitia non ex natura animæ, cujus origo sancta et cœlestis non semel asserta est, sed ex corpore, quod ex terra terrenum est.

(*c*) Editi, *ut in nos :* emendantur ope mss.

(*d*) Reg. ms. cum Turon. *fundamentum autem nemo potest ponere præter illud quod est Christus.*

(*e*) Ita Turonensis codex, suffragante regio. In vulgatis autem : *Et cum superius super Babylonis flumina sessum atque ploratum sit, cur nunc Babylonis filia misera sit :* glossema, quod ne quidem sibi cohæret. Filia Babylonis superius superba, ubi superbe interrogat : *Hymnum cantate*, etc.

(*f*) In vulgatis, *si quis carnem suam dominatui animæ subjecerit. Et quisquis eam spiritui subdiderit, ille omnes qui imperiti Deo et ignari sunt, omnibus..... subegerit, et imperabit :* locus multis depravatus restauratur ope mss.

cavero te, exaudi me : multiplicabis (Hil. addit *me*) *in anima mea virtutem tuam* (Hil. *in virtute tua*). *Confiteantur tibi, Domine, omnes reges terræ : quia audierunt* (Infra, *omnia*) *verba oris tui. Et cantent in viis Domini : quoniam magna est gloria Domini; quoniam excelsus Dominus et humilia respicit, et alta de longe cognoscit. Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me. Super iram inimicorum tuorum* (Hil. *meorum*) *extendisti manum tuam, et salvum me fecit dextera tua. Domine, retribues* (Hil. *Dominus retribuet*) *pro me. Domine, misericordia tua in sæcula : opera manuum tuarum non omittas.*

TRACTATUS PSALMI.

1. *Confessionis duplex genus.* — Duplicem in confessione significationem esse, in plurimis locis demonstravimus; aut peccati nostri, aut laudationis Dei. Et hoc ita esse, ex evangelicis dictis promptum est noscere. Nam cum ait Dominus : *Confitebor tibi, Domine, pater cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus sæculi, et revelasti ea parvulis* (*Matth.* XI, 25); laudem Dei patris, ob revelata parvulis quæ ignorata essent prudentibus, confitetur : docens ideo absconsa ea esse his qui prudentes viderentur, quia non secundum innocentiam parvulorum præceptis evangelicis credidissent. At vero ubi in eisdem Evangeliis dicitur : Et baptizabantur omnes in Jordane, confitentes peccata sua (*Matth.* III, 6); illic confessio peccatorum sine ambiguitate significationis alterius continetur.

2. *Confessio peccati utilissima: Quid sit.* — Maxima autem et utilissima est letalium vitiorum morbis in eorum confessione medicina. Sed confessio peccati non est tamquam rerum aliis ignoratarum professio, ut si fur de furto, aut homicida de cæde interrogatus confitetur (*V. Ps.* CXXXV, *n.* 3) : neque tamquam ignorans, qui scrutans corda et renes Deus est, ad scientiam **556** (*a*) sui confessione tua indiget, cui promptum est (*b*) non solum cogitata, sed cogitanda perspicere. Confessio autem peccati ea est, ut id quod a te gestum est, per cognitionem peccati confitearis esse peccatum. Nemo enim quod agit, id ad agendum non aut fructu oblectationis alicujus, aut judicio bonæ in eo opinionis aggreditur : dum aut rectum putat, aut eo gaudet. Sed cum per doctrinam Dei, verique rationem, ea quæ sub specie aut utilitatis aut voluptatis (*c*) elegit, intelligit esse peccatum; per peccati intelligentiam peccatum id esse quod a se gestum est confitetur.

3. *Peccata confessus ab iis debet desinere. Confessio* A *et conversio integra esse debet. Hæc a Deo petenda.* — Nullus autem id, quod peccatum esse confessus est, (*d*) deinceps debet admittere, quia confessio peccati professio est desinendi. Cæterum in intellectis et confessis manere, (*e*) hæc peccati jam pridem scientia veniam confessionis amittit. Confiteri enim id tamquam recens cognitum non potest, quod a se cum peccati cognitione sit gestum. Desinendum ergo a peccatis est, postquam in confessione est cognitio peccati : et confitendum est, ut Propheta docuit, corde toto non ex parte, neque aliqua adhuc nobiscum cognitorum peccatorum operatione residente.

Quid enim si quis de furto pœnitens, iniquis et turpibus lucris pecuniam suam auxerit? Non erit quidem fur, sed erit avarus et raptor. Aut si quis ex B fornicatione desinens, vino se nimio corrumpet; corpus quidem suum non polluet, sed animam contaminabit. Et si quis a cædibus temperans, maledicus esse persistet; manum quidem homicidam non habebit, sed linguam habebit. Et quomodo quis ex toto corde poterit confiteri, non exigua secum peccati parte residente? Detersis itaque omnibus vitiis confessione, opus est desinendi : et orandum semper ad Deum est, ut in cohibendis peccatis exstinguendisque incentivis eorum, pendula voluntatis nostræ studia confirmet.

4. Ob quod jam (*f*) confidens Propheta per confessionem ac precem suam in portu se innocentiæ collocatum, ait, VERS. 1 : *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo : quoniam audisti verba oris mei.* Du- C plex intelligentiæ hujus, ut superius jam diximus, sensus est. Nam sive laudem Deo confitetur, quia verba oris ejus audita sunt : sive per misericordiam Dei cum diu orasset (*g*) adjutus, jam omnibus peccatis desinentibus confitetur. Fidei nostræ utrumque conveniens, ut et Dominum laudemus, et confiteamur intellecta peccata.

5. *Angeli fidelibus ubique adsunt.* — Dehinc sequitur : *Et in conspectu angelorum psallam tibi.* Parum sibi existimat Propheta esse, ut hominibus tantum præsentibus psallat : **557** quia homines corporalium tantum negotiorum officia inspiciunt. In eo enim quod psallit, motum complacitæ Deo operationis ostendit. Non ergo quæ videntur in corpore cerni desiderat : sed ea, quæ spiritaliter naturæ spiritales D contuentur gerere festinat. Scit enim se sub specula angelorum vitam omnem moresque agere, et ubique hæc divinorum (*h*) ministeriorum auxilia fidelibus cunctis assistere, ut scriptum est : *Angelus Domini*

(*a*) Conjectabamus legendum esse *tui :* sed retinendum *sui* quasi *suam :* quod et habent editiones antiquæ, non mss.

(*b*) Reg. ms. et Turon. *non cogitata :* quod non displicet pro, *nondum cogitata;* maxime cum sequatur *sed cogitanda*, non *sed etiam*, aut *sed et.*

(*c*) Sic mss. At editi, *egit.*

(*d*) Miciacensis codex, *deinceps veniam admittit.*

(*e*) Pro *hæc*, mallemus *ex.* Deinde post *jam pridem*, subintelligendum *habita.* Hilarius hic, sed magis in psal. CXL, n. 7, iis tantum confessionis veniam videtur concedere, qui ex infirmitate et errore peccaverint.

(*f*) Bad., Er., Lips. et mss. reg. ac Turon. *confitens.* Mox solus codex Turon. cum Lips. et Par. *collocat cum ait.* Præferimus cum Par. et ms. Mic. *confidens :* ac deinde cum eodem ms. necnon reg. ac edit. Bad., et Er. *collocatum, ait.*

(*g*) In postrema editione Par. *auditus :* quam lectionem præferens scriptor ms. Turon. in marginem rejecit *adjutus.*

(*h*) In vulgatis *mysteriorum.* Rectius in ms. Turon. *ministeriorum.* Angeli vocantur divina ministeria :

in circuitu timentium eum (*Psal.* XXXIII, 8). Legem etiam Moysi in manu Mediatoris per angelos fuisse dispositam docet Apostolus (*Gal.* III, 19). Nec non et Eliseus absolutissime docuit, humanas infirmitates angelorum auxiliis defendi, et in omnibus periculis, si fides maneat in nobis, adesse spiritalium virtutum defensionem. Namque cum Rex Syriæ capere Geth urbem, in qua idem Eliseus propheta esset, pararet, et nocturnis itineribus exercitum suum, qui ante lucem urbem obsideret, destinasset; puer Elisei conspecta obsidione dixit: *O Domine, quid faciemus?* Et dixit Eliseus: *Noli timere: quia plures sunt nobiscum, quam cum illis. Et oravit Eliseus ad Dominum, et dixit, Adaperi, Domine, oculos pueri hujus, et videat. Et adaperuit Dominus oculos pueri, et vidit, et ecce mons erat plenus equis et curribus in gyro Elisei, et descenderunt ad eos* (IV *Reg.* VI, 15 *et seqq.*). Tantus et tam nobilis propheta solus contemplatione auxiliorum spiritalium dignus est: sed oratio ejus ad Dominum visum incorporalium etiam puero suo meruit. In horum igitur assistentium humanis auxiliis Angelorum conspectu psallet Propheta, spiritalibus spiritalium operum contemplatione placiturus.

6. *Cur propheta ad templum non in templo adoraturus.* — Sed non solum coram angelis psallet, sed etiam id quod sequitur efficiet. VERS. 2. *Adorabo ad templum sanctum tuum*: non in templo, ne quid secundum consuetudinem Judæorum corporaliter loqui videretur, si adoraret in templo; sed *ad templum*, id est, apud templum, spiritu et corpore adoraturus. Templum autem Deo esse sanctos quosque, Apostolus docet, dicens: *Vos estis templum Dei, et Spiritus Dei habitat in vobis* (I *Cor.* VI, 16). Habitatio ergo, (*a*) quæ ex nobis Deo digna erit, Deo templum est.

7. — *Quot hæreses enecet. Dei nomina.* — Apud hoc ergo templum Deo sanctum adorabit, non sine perfecta ratione doctrinæ: ne qua hæreticis de incompositæ orationis confusione ad studia sua pateret irreligiositatis occasio. Ait enim: *Et confitebor nomini tuo super misericordiam tuam et veritatem tuam.* Cum Dei nomini confitetur, tenet evangeliorum et legis congruam fidem. Quod enim sibi nomen esse sciri Deus voluit, eodem dicto evangelico **558** et legis (*Subaud.* dicto) Dominus Sadducæis resurrectionem corporum abnegantibus respondens ostendit. Ait enim: *De resurrectione autem mortuorum non legistis, quod dictum est vobis* (*b*) *a Deo dicente: Ego sum Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Jacob* (*Matth.* XXII, 31 *et* 32)? *Non est Deus mortuorum, sed viventium* (*Exod.* III, 6). In absoluto ergo hæreticorum (Manichæorum) error est, qui alium atque alium evangeliorum et legis Deum asserunt: cum Dominus id quod principale in lege est, ad confirmationem spei evangelicæ commemoret. Est autem et nomen aliud Deo, quod in evangeliis cognoscimus, Domino dicente: *Pater, venit hora, honorifica Filium tuum, ut Filius tuus honorificet te* (*Joan.* XVII, 1). Et post multa alia sequitur: *Manifestavi nomen tuum hominibus* (*Ibid.* 6). Et quod nomen esset, superius ostendit dicens: *Pater, venit hora, honorifica filium tuum.* Hujus ergo (*c*) nomen adorat, qui et secundum legem Deus Abrahæ et Deus Isaac et Deus Jacob sit, et secundum evangelia unigeniti Dei pater est.

8. *Contra Novatianos.* — Exstinguit quoque insolentem eorum professionem, qui humanæ naturæ et infirmitatis immemores, et immisericordem Deum prædicantes, peccatis pœnitentium veniam et solatium non relinquunt: cum ad pœnitentiam, per quam a peccatis desistitur, doctrina legis, prophetarum, evangeliorum, apostolorum eos qui peccaverint adhortetur: ut desperatæ jam spei aliquantulum per eam solatii comparetur, ut amissis licet beatis et maximis et (*d*) Deo proximis, ne his saltem quæ talibus sunt secunda careamus.

9. *Contra Marcion., Manichæos*, etc. — Tollit etiam stultissimam eorum temeritatem, qui frustrato falsoque corpore Dominum in carne visum esse contendunt: ut eum Pater ementita veritate in habitu falsæ carnis ostenderit; non recordantes post resurrectionem corporis spiritum se videre credentibus apostolis dictum esse: *Quid conturbati estis, et quæ cogitationes adscenderunt in corda vestra? Videte et manus meas et pedes, quoniam ipse ego sum: palpate et videte, quoniam spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habentem* (*Luc.* XXIV, 38 *et* 39). Ab horum igitur confessione confessionem suam propheta discernit, perfectæ fidei ordinem tenens: cum in nomine Deum Abrahæ et Deum Isaac et Deum Jacob; cum in misericordia pœnitentium misericordem: cum in veritate (*e*) quod Verbum caro factum sit confitetur.

10. *Nomen Dei ubique magnum.* — Causa etiam confessionis hinc sumitur: *Quoniam magnificasti su-*

---

legistis, quod dictum est vobis (*b*) *a Deo dicente: Ego*

quia, ut docetur in psal. LXV, n. 14: *Incorporalis Deus misericordiæ suæ oculis, et tamquam ministerio famulantium angelorum protegit gentes.* Hinc in psal. CXX, n. 4: *Poterimus autem et montes existimare angelica ministeria et cælorum virtutes, quarum ministerio nobis in sublimia præstatur adscensus*, etc. Eorum erga nos ministerium rursum explicatur in psal. CXXIX, n. 7.

(*a*) Reg. ms. *a nobis*. Turon. *in nobis*: et mox, *templum Dei sanctum*: et inferius, *super misericordia tua et veritate tua.*

(*b*) In ms. Turon. *a Domino*. Verba sequentia ad Filium ab Hilario referri liquet ex lib. IV de Trin. n. 30, et ex lib. V, n. 21.

(*c*) Turon. ms. *nomini adorat*: quod etiam habuit reg. a prima manu. Sic. Bad. in Matth. c. XIX, n. 5. *Diis alienis adoraverat.*

(*d*) Reg. cod. cum Tur. omittit, *et Deo proximis*: ac deinde cum Mic. subjicit, *ne his statim*, non *saltem*. Simili loquendi ratione Flavianus apud Leonem ep. alias 2, c. 2, de Eutyche ait: *Cum debuisset secundis salvare priora*, id est, male acta per pœnitentiam reparare.

(*e*) Particula *quod*, ac deinde verbum *sit*, quæ in vulgatis deerant, supplentur ex ms. Turon. cum regius et Bad. etiam habeant *sit*. Paulo ante apud Bad., Er. et Lips. *in misericordia pœnitenti*, non *pœnitentium*, quod idem est ac *erga pœnitentes.*

per omnia nomen sanctum tuum. Non (*a*) uni tantum gentì Dei nomen est cognitum : sed super omnia magnificatum est, **559** et in omnes se magnitudo sanctitatis extendit. Non barbarus, non Scytha, non servus, non liber, non mulier, non vir, non ætas ulla secernitur : super omnia enim magnificatum Dei nomen est. Templa collapsa sunt, simulacra (*b*) mutata sunt, haruspices interventu sanctorum silent, (*c*) augurum fides fallit : unum Dei nomen in omnibus gentibus sanctum est. Adest enim semper in se sperantibus sanctis suis : et ubicumque invocatum fuerit, præsentem opem tribuit.

11. *Justus numquam sine metu. In Deo semper confidit.* — Ait enim, VERS. 3 : *In quacumque die invocavero te, exaudi me.* Nullum diem justus quisque sine metu transigit : neque anxia semper erga se fides securi temporis otium recipit. Scit omnes dies plenos insidiarum sibi esse, diabolo atque angelis ejus excidium sibi semper (*d*) molientibus. Scit diem illam Domini occultam, insperatam, et modo nocturni furis repentinam futuram. Ut igitur se in quacumque die invocantem exaudiat, deprecatur. Nec diffidit propheta quid in quacumque die exauditus obtineat. Sequitur enim : *Multiplicabis me in anima mea in virtute tua.* Per multam scilicet Dei curam multiplicabitur ipse in animæ virtute : ne quid in se tribulationibus, ne quid terroribus pateat; sed cum tentationes ingruent, cum metus incidet, omnia multiplicata animæ virtute tolerentur.

12. *Reges terræ.* — Et quia certa spes ista est, ut animæ virtus divinæ misericordiæ multiplicetur auxilio; debitam ob id ab omnibus Deo confessionem fatetur, dicens, VERS. 4-6 : *Confiteantur tibi, Domine, omnes reges terræ : quia audierunt omnia verba oris tui. Et cantent in viis Domini, quoniam magna est gloria Domini; quoniam excelsus Dominus, et humilia respicit, et alta de longe cognoscit.* Et quos reges terræ propheta significet, jam in plurimis psalmis ostensum est. *Reges* non gentium, sed *terræ*, id est, sui uniuscujusque corporis reges desinente a se regno peccati. Vocati enim sumus in regnum cœlorum, regno mortis everso : *Mors enim regnavit ab Adam usque ad Moysen* (*Rom.* v, 14) : et jam unusquisque rex suus est secundum Apostolum : *Jam sine nobis regnatis* (I *Cor.* IV, 8). Horum igitur confessio Deo digna est. Audierunt enim omnia verba oris Dei, et in reges se constitutos sciunt.

13. *Gloria magna.* — Neque solum *confiteantur*, sed et *cantent in viis Domini*, non transgredientes A vias Dei, sed in his euntes. Viæ autem Dei sunt prophetæ omnes et apostoli, in unam viam unumquemque via sua dirigentes. Et quod ex omnibus in unam concurratur, propheta demonstrat, dicens : *State in viis Domini, interrogate semitas Dei æternales, et videte quæ est via bona, et ambulate in ea* (*Jerem.* VI, 16). Viæ enim Domini æternæ. In his itaque viis Domini cantandum est, et hymnis prophetalibus concinendum, **560** quia magna Dei gloria est : magnificentiæ enim ejus non est finis. Nam magnitudinem gloriæ suæ opera testantur, cœlum, terra, maria, æther, homo ipse, qui rationis particeps (*e*) ad horum cognitionem perfectus est, ut per hæc visibilia invisibilem Dei gloriam contueretur.

14. *Humiles respicit Deus. Superbi a Deo longe* B *alieni.* — Neque solum magna est Dei gloria : sed etiam *excelsus est, et humilia respicit.* Hinc eminentis celsitudinis suæ admiratio maxima est, quod humilia respicit qui excelsus est. Sed quæ humilia respicit? Nempe ista : Cor contribulatum et humiliatum Deus non spernet (*Ps.* L, 29); et rursum : *Et super quem respiciam, nisi super humilem et trementem verba mea* (*Esai.* LXVI, 2)? Sed quia excelsus humilia respicit, habet in se aliam quoque admirationem, quod *et alta de longe cognoscit.* Superbæ et insolentes cogitationes Deum non fallunt : agnoscit omnia, et nihil scientiæ ejus impenetrabile est. Deus, ut scriptum est, *prope est his qui tribulato sunt corde* (*Ps.* XXXIII, 19) : non admiscetur autem arrogantibus, neque insolentibus prope est. Unicuique enim C nostrum pro fidei diversitate aut proximus est aut remotus, spiritali virtute ubi se dignum est acquiescens. Et ideo (*f*) a longe alta cognoscit, quia et per indignitatem abest ab insolente, et per virtutem, (*g*) longe licet, quæ sunt superba cognoscit.

15. *Tribulationis utilitas. Ferri nequit nisi auxilio Dei. Dextera Dei virtus.* — VERS. 7. *Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me.* Non abnuit justus iste, ne in mediis tribulationibus ambulet. Scit enim quia tribulatio, secundum Apostolum, patientiam operatur (*Rom.* V, 3). Scit improbabilem virum non placere, scit victorem militem nisi bello non futurum, scit intentatam fidem languere, scit in tribulationibus, secundum apostolum, gloriandum (*Ibidem*). Scit imparem se tribulationibus nisi auxilio Dei esse; D et idcirco per Deum salutis suæ certus est : et cum in mediis tribulationibus ambulet, (*h*) per eumdem se vivificandum esse confidit. Ait enim, VERS. 8 : *Super iram inimicorum* (*i*) *meorum extendisti manum*

(*a*) Apud Hincmarum lib. de Prædest. c. 25, ut et in ms. Turon., *non tantum unigeniti Dei* : lectio non spernenda. In ms. reg. *non tantum unigenito Dei.*

(*b*) Turon. codicis scriptor præferens in textu *muta*, adjecit in margine syllabam *ta*, necnon *vel minutata*; satis indicans se conjecturam sectari. Hæc nobis non improbatur.

(*c*) Ms. Mic. *augurio*. Reg. et Turon. *augurium.*

(*d*) In mss. *moventibus.*

(*e*) Editi, *horum cognitione* : emendantur ex mss. Mic. et Turon.

(*f*) In vulgatis frustra hic insertum erat, *humilia de prope et*, vel *humilia de corpore et.* Mox in mss. reg. et Turon. *qui et*, pro *quia et.*

(*g*) In vulgatis, *longe quæ licet sunt*, etc., perturbate. Hic ostenditur, quod longe a Deo distent superbi propter indignitatem, ipsius tamen cognitione attingantur propter summam virtutem.

(*h*) Bad., Er., Lips., mss. reg. et Turon. *per easdem.*

(*i*) Regius codex ac Turon. hic omittunt *meorum*, ac deinde consentiente græco subjiciunt, *extendisti manus tuas.*

tuam : et salvum me fecit dextera tua. Dominus retribuet pro me. Irascentibus inimicis extensa nos manus Dei protegit. Tribulationes enim inimici afferunt, irascentes fidei et spei nostræ : quia adversarius noster, secundum apostolum, diabolus tamquam leo rugiens ambulat, quærens nos devorare (I *Pet.* v, 8). Sed super iram inimicorum, per quos diabolus semper operatur, manus Domini extenditur, et sperantes in se salvos facit dextera ejus. Virtus significatur in dextera : et ideo Dominus, qui Dei virtus et Dei sapientia est, nonnunquam Dei dextera cognominatur, per quem adversus omnes inimicos in omnium tribulationum bello protegimur.

16. *Vindicta Deo dimittenda.*—Servavit autem evangelicæ mansuetudinis **561** propheta rationem, qua injuriam reddere his qui nos persequuntur inhibemur, dicens, VERS. 8.: *Dominus retribuet pro me.* Illi enim vindicta servanda est, qui in calumnia (*a*) vestis, dimitti et pallium jussit, qui post injuriam alapæ unius, præberi et maxillam alteram voluit, qui vetuit malum pro malo reddi ; plus vindictæ adepturis, qui æterno judici ultionem præsentis injuriæ reservassent.

17. *Homo non manu, sed manibus Dei effectus.* — Concludit deinde fidelissimæ spei voce, *Domine, misericordia tua in sæculum, opera manuum tuarum non omittas :* ut quia Dei misericordia in sæculum est, extendens super iram inimicorum manum suam, et fideles suos protegens dextera sua, et pro his retribuens, opera manuum suarum non omittat, hominem scilicet qui ait : *Manus tuæ fecerunt me,* etc. (*Ps.* CXVIII, 73). Nonnunquam manu Dei facta commemorari solent : homo vero semper manibus Dei effectus, nobiliore in eum opere ex manuum (*b*) commemoratione monstrato (*V. litt.* 10, *n.* 5). Ut igitur hunc non omittat precatur, et sit ei auxiliator assiduus per eum et in eo qui ait : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20). Dominus noster Jesus Christus, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXXXVIII.

Domine, probasti me, et cognovisti me : tu cognovisti sessionem meam et resurrectionem meam. Intellexisti (Infra, *omnes*) *cogitationes meas de longe, semitas meas et directiones meas* (Infra, *semitam meam et directionem meam*) *investigasti. Et omnes vias meas prævidisti : quia non est dolus in lingua mea. Ecce tu, Domine, cognovisti omnia novissima et antiqua : tu formasti me, et posuisti super me manum tuam. Mirabilis facta est scientia tua ex me : confortata est, non potero ad eam. Quo ibo a spiritu tuo, et a facie tua quo fugiam? Si adscendero in cœlum, tu illic es : si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas ante lucem, et habitavero in postremis maris. Etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua, Domine* (Infra abest *Domine*). *Et dixi, Forte tenebræ conculcabunt me, et nox illuminatio mea in deliciis meis. Quia tenebræ non obscurabuntur a te, et nox sicut dies illuminabitur : sicut tenebræ ejus, ita et lumen ejus. Quia tu* (Infra, *Domine*) *possedisti renes meos, suscepisti me de utero matris meæ.* **562** *Confitebor tibi, quia terribiliter mirificatus sum : mirabilia* (Infra *mira*) *opera tua, et anima mea novit nimis* (Infra *valde*). *Non est occultatum os meum a te : fecisti* (Infra *quod fecisti*) *in occulto : et substantia mea in inferioribus terræ. Imperfectum tuum* (Infra *meum*) *viderunt oculi mei* (Infra *tui*), *et in libro tuo omnes scribentur : die repleb untur, et nemo in eis. Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus : nimis confortatus est* (Infra *confortati sunt*) *principatus eorum. Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur : exsurrexi, et adhuc tecum sum. Si occidas, Deus, peccatores* (Infra *peccatorem*), *viri sanguinum declinate a me. Quia contentiones in cogitatione, accipient in vanitate civitates tuas.* (Infra *quoniam dices in cogitatione, Accipient in vanitatecivitates suas*) *Nonne qui oderunt te* (Infra *odientes te, Domine, odivi*), *Deus, oderam illos, et super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos : inimici facti sunt mihi. Proba me, Deus, et scito cor meum : interroga me, et scito semitas meas: Et vide si via iniquitatis in me est : et deduc me in via æterna* (Infra *viam æternam*).

TRACTATUS PSALMI.

1. *Psalmorum auctor Spiritus sanctus. Qui omnes de Christo sint.* — Omnem propheticum sermonem ex divini Spiritus instinctu profectum non in obscuro est : cum legimus, *Hæc dicit Dominus;* et iterum, *Audite verba Domini* (*Jer.* XXXI, 2); et rursum : *Quoniam Dominus locutus est* (*Esai.* XXIV, 37) ; et in eodem : *Os enim Domini locutum est ista* (*Esai.* LVIII, 14). De psalmis autem ipse Dominus in Evangeliis confirmat, cum de se loquens ait : *Si David in Spiritu vocat eum Dominum, quomodo dicitis quod filius ejus est* (*Matth.* XXII, 45) ? docens omnia David Spiritu prophetico elocutum. Locutum autem de se licet in hoc eodem loco ostenderit, cum ab eo ait Dominum se esse in Spiritu nuncupatum ; absolutius tamen ostendit in psalmis sacramentum omne corporei adventus sui contineri, dicens : *Hæc sunt verba mea, quæ locutus sum ad vos cum adhuc essem vobiscum, quoniam oportebat omnia impleri quæ scripta sunt in* (*c*) *lege Moysi et prophetis et psalmis de me* (*Luc.* XXIV, 44). Non est ergo ambiguum, quin in psalmis de eo scriptum sit. Nam tametsi (*d*) plerumque in his talia sint, ut ad personam patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum, (*e*) generationis quoque pri-

(*a*) Excusi, *vestes*. Rectius mss. *in calumnia vestis*, hoc est, ubi quis lite intenta vestem tollere conatur. Consule Cangii Gloss: Habemus lib. x de Trin. n. 28, *in ipsa trunci corporis calumnia :* quibus verbis indicatur ipsummet momentum quo Malcho auris ablata est.

(*b*) In reg. ms. *connumeratione :* et mox, *per eum et in eum.*

(*c*) Bad., Er. et Lips. cum mss. reg. et Turon. *in libro Moysi :* qui tamen in Psal. CXXV, n. 2, simul omnes habent *in lege.*

(*d*) Sic nostri mss. Editi vero, *pleraque.*

(*e*) In mss. Mic. et reg. *generationes quoque primæ et generationes sequentes* : male. Generationem primam Judæos, sequentem Christianos intelligit Hilarius, ut ipse declarat in psalm. CXXXIV, n. 22. Quo

mæ et generationis sequentis referri oporteant : tamen quia omnia in Christo et per Christum sunt, quidquid illud in psalmis (*a*) est sub diversorum **563** personis prophetatum, omne de ipso est : quia doctrina omnis, diversis licet præceptorum generibus multiformis, hoc per diversos præstet ut ipse noscatur. Hæc nobis propter præsentem psalmum commemoranda necessario fuerunt : ne forte (*b*) improbabili auctoritate præsumpsisse existimaremur, ut ad personam Christi omnem hanc prophetiam ejus referremus.

2. *Ne duæ Christi naturæ confundantur. Hominem assumens Deus permansit.* — Diligenter autem ea observanda ratio est, ut quæcumque homini illi, quem ex utero sanctæ Virginis assumpsit, et in quo se nasci hominem qui Deus erat voluit, apta esse et congrua videbuntur, cum debita cœlesti (divinæ) naturæ suæ dignitate tractentur : neque sacramentum salutis nostræ, qua in forma Dei manens formam servi accepit, ad contumeliam indemutabilis suæ et invisibilis et incorporeæ et impassibilis substantiæ coaptemus. Quod enim homo fuit, nobis profecit, sibi nihil dempsit. Exinanivit enim se, in forma Dei manens ; (*c*) non ut forma servi esset, et forma Dei esse desineret. Ait enim ipse : *Quæcumque Pater facit, eadem et Filius facit similiter* (*Joan.* v, 19). Numquid (*d*) in forma Dei manens, virtutem et divinitatem, qua in forma Dei manebat, amisit? Cum enim in corpore humilitatis nostræ, quæcumque Pater facit, eadem et ipse facit similiter, nihil per consortium carnis a paternæ divinitatis potestate degenerat : neque id corpus quod assumptum est, virtutem naturæ antea manentis (*e*) abolevit, cum in eo corpore quod assumptum est, virtus naturæ antea manentis operetur.

3. *Si quid in eo infirmum, ad hominem referendum.* — Itaque si quid infirmum ex persona ejus dictum reperietur; ad hominem referri oportebit, per quem habitavit in nobis. Verbum enim caro factum est, et habitavit in nobis (*Joan.* I, 14). Referendum autem ob id est, quia non alienæ aut simulatæ naturæ hominem assumpsit. Verbum namque caro factum habitavit in nobis : non in vitia infirmitatesque carnis ex Verbi virtute deficiens, sed naturæ nostræ infirmitates homo natus assumens. Assumptio autem infirmitatis non fecit infirmum, quia aliud est naturam esse, aliud assumpsisse naturam. Et extra generis necessitatem, voluntatis accessio est. Non enim peccator fuit, sed peccata suscepit. Neque infirmus exstitit, sed portavit infirmitates. Ipse enim, secundum prophetam, *peccata nostra suscepit, et infirmitates nostras portavit* (*Es.* LIII, 4). Et ne quid in **564** impassibilem atque indemutabilem divinitatem infirmitatis incidere existimaretur ; adjecit, Et nos (*f*) putabamus eum in doloribus esse. Suscepit ergo infirmitates, quia homo nascitur ; et putatur dolere, quia patitur : caret vero doloribus ipse, quia Deus est. Et cum (*g*) habitat in nobis, cumque infirmitates nostras suscipit, et cum susceptis infirmitatibus non dolet ; non potest non esse qui habitat, nec a se (*h*) defecisse qui suscipit, nec abolitus Deus esse qui non dolet. Et hæc quidem propter præsentem psalmum commemorata paucis sunt, quia videtur statim ex persona hominis cœpisse : ne per hoc, quod tamquam homo loquitur, decessisse ex paternæ divinitatis gloria videretur.

4. *Justi tribulationibus sunt probati.*—Ait enim, VERS. 1 : *Domine, probasti me et cognovisti me.* Apostolus cum nos patientiæ et spei doctrina erudiret, ait : *Tribulatio patientiam perficit, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes vero non confundit* (*Rom.* v, 3). Et hæc quidem in sanctorum quorumque vita atque operibus fuisse cognoscimus, ut multis passionibus tribulationibusque jactati, probabiles Deo facti sint. Si quis enim exsulem Abraham, et in metu parricidii et cœlibatus, et in cæterarum passionum injuriis mansisse fidelem semper meminerit ; si quis fugam Jacob, et præter æstivorum dierum laborem, hibernarum noctium vigilias in custodiis ovium recordetur ; si quis Moysi quadraginta annorum servitutem, et in eo acerba plebis opprobria, et magorum adversus eum æmulas potestates recenseat : in-

spectat illud tract. ps. LXIII, num. 3, ubi tradit in psalmis attendendum, *quando fides gentium nuntietur, quando peccata anterioris populi arguantur.*

(*a*) Editi, *et sub diversorum est personis ;* tum Lips. et Par. *prophetarum* : castigantur ex mss.

(*b*) Editi, *sine probabili :* refragantibus mss., qui mox habent *præsumpsit*, pro *assumpsit.* Sic pag. 480, 6, Dominus ex virgine corpus *præsumpturus* dicitur.

(*c*) Par. *ut et forma hominis esset, non ut forma Dei* etc. Editiones aliæ, *ut forma hominis esset, non ut forma Dei*, etc. Sequimur mss. reg. et Turon. quorum lectio facilius capietur, si quæ præcedunt ita exprimantur, *ita enim se exinanivit, ut in forma Dei, maneret.*

(*d*) Editi, *in forma servi :* renitentibus mss. Et quidem verbum *maneo* superius et inferius conjungitur cum vocibus *in forma Dei* ; nec recordamur an usquam apud Hilarium conjungatur cum his *in forma servi.* V. lib. IX de Trin. n. 50.

(*e*) In mss. reg. et Turon. *absolvit.* Huic loco similis est ille lib. IX de Trin. n. 14 : *In corpore demutatio habitus et assumptio naturæ, naturam manentis divinitatis non peremit.*

(*f*) In reg. ms. *putamus.* In lib. X de Trin. n. 46, legere est *putavimus*, quod græcis et latinis Scripturæ exemplaribus consonat. Videsis prædictum locum de Trin,

(*g*) Editi, *habitavit.... suscepit.* Aptius verbo præsenti ms. reg. enuntiat duplicis in Christo naturæ distinctionem, et divinæ, etiam postquam humana suscepta est, perseverantiam. Aliud si quidem sunt, quorum unum habitat, alterum habitatur ; unum suscipit, alterum suscipitur ; unum denique ex susceptis infirmitatibus patitur, alterum ex iis nihil patitur aut dolet. In his omnibus sola natura divina a dolore eximitur.

(*h*) Reg. ms. *defuisse* : et mox *decidisse*, loco *decessisse.* Illic ubi *persona hominis* commemoratur, naturam dumtaxat intelligendam jam monuimus in psal. LXIII, n. 3, et manifestum est ex his n. 5 : *non confundenda autem persona divinitatis et corporis est :* maxime cum Deum et hominem in Christo unum et eumdem esse pluribus asserat Hilarius.

telliget eos patientia et constantia spei probatos, non immerito id esse præmii consecutos, ut in Abrahæ (*a*) semine gentes benedicerentur, ex Jacob Israel esset, Moyses Pharaoni in Deum fieret. Longum est passiones cæterorum patriarcharum, prophetarum, apostolorum, et beata atque invicta illa Pauli in mari, in fluminibus, in terra, in solitudinibus, in urbibus, in propriis, in exteris, in plagis, in vinculis, in carceribus, in theatris fidei documenta (*Mss.* decimenta) memorare. Certe hos omnes patientia probabiles reddidit, per quam non erubescendæ spei suæ fiduciam probaverunt. Sed hæc opportunius et plenius suis locis tractari oportet (*Reg. ms.* oporterent) : nunc ad eum, ex cujus persona psalmum constare diximus, revertendum est.

5. *Christus ut homo primum probatus, deinde cognitus.* — Non confundenda autem persona divinitatis 565 et corporis est. Omnis enim nunc in exordio ex persona ejus hominis, quem assumpsit, oratio est. *Probasti me, et cognovisti me.* Probatus est, ut cognosceretur : quia posterior est probatione cognitio. Et videamus secundum evangelicam doctrinam, hic Dei filius quomodo sit et probatus et cognitus. Humilitas namque ejus, per quam meruit ab omni cœlesti, terrestri et inferno adorari, et in gloria Dei Patris esse, probatio ejus fuit. Ita enim Apostolus ait : *Fuit obediens usque ad mortem, mortem autem crucis : propter hoc exaltavit eum Deus, et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine ejus omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum; et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus in gloria est Dei Patris* (*Philip.* II, 8 *et seqq.*). Propter hanc itaque usque ad mortem obedientiam, et mortem crucis, infirmitas carnis assumptæ et in nomine (*b*) atque honore immortalitatis et in Patris Dei gloria collocatur. Dei enim nomen donatur, et nomen non sine honore donatur. Honor autem qui donatur, non alius potest esse quam nominis; nomen vero indulti honoris, non aliud est quam quod gloria est paterna : ut qui in forma Dei manens, formam servi accepit, propter obedientiam formæ servilis cum crucis morte susceptæ, in gloria Dei Patris esset, cujus antea manebat in forma. Sed hæc apostolus jam de perfectis (*c*) locutus est : demonstrandum autem in Evangeliis est, ubi et probatus et cognitus est.

6. *Probatus et cognitus est in baptismo, in deserto. Petrus qui probavit ac cognovit.* — Humilitas itaque ejus probatio est. Unigenitus namque Deus, peccatorum remissor, æterni regni dominus, baptizari se tamquam peccatorem exposcit. Officium istud Baptista renuit, agnoscens eum qui sibi potius peccata donasset. Ille autem suscepti in se hominis justitiam etiam sacramento baptismi explevit : et peccati nostri, peccati ipse nescius, particeps fieri non recusat; et omnem in se humilitatem caducæ carnis assumens, Jordanem turbis peccatorum mixtus ingreditur. Probatur in istis omnibus dum geruntur : sed videamus an probatus agnoscitur. Ait enim Evangelista : *Et baptizato Jesu confestim adscendit de aqua. Et ecce aperti sunt cœli, et vidit Spiritum Dei descendentem de cœlo, sicut columbam venientem in ipsum, et ecce vox de cœlo* (*d*) *dicens, Hic est filius meus dilectus, in quo complacui* (*Matth.* III, 16 *et* 17). Probationem mox consecuta cognitio est : et quem humilitas probabilem fecerat, hunc paterna vox filium complacitum sibi postquam probavit, ostendit. Est et probatio, quam statim consecuta cognitio est. In deserto agit, tentationi diaboli subjicitur, seseque nunc in fastigium templi, nunc in excelsum montem patitur efferri. Contumeliæ itaque se injuriæ tam gravis 566 dedit, dum in deserto est, dum conditione tentationis illuditur, dum elevari potest in templum atque montem. Sed tentationum probationem, agnoscentis testimonium non reliquit. Ait enim Scriptura, Tunc reliquit eum diabolus, et ecce angeli ministrabant ei (*Matth.* IV, 11). Homo tentatur, homo circumfertur : sed post hæc angeli ministrant. Per probationem cognoscitur, per cognitionem dignus est ministerio Angelorum. In cæteris autem quotiens probatus est, totiens et cognitus est. Petrus passionem ejus detestatus est, crucis in eo scandalum præ amore et confessæ jam a se divinitatis cognitio ne non sustinens (*Matth.* XVI, 23) : sed quia eum ob infidelitatem crucis satanam nuncupasset, non multo post cum in monte gloriæ suæ habitu constitisset, tali a Patre voce cognoscitur : *Hic est filius meus dilectus, in quo complacui, hunc audite* (*Matth.* XVII, 5). Probationem, quam tentatio Apostoli effecerat, paternæ vocis cognitio est consecuta.

7. *Sessio doctrina, surrectio opus.* — Dehinc sequitur, VERS. 2 : *Cognovisti sessionem meam, et resurrectionem meam.* In sessione doctrinam significari, evangelica auctoritas est. Sessiones autem nobiscum hæ sunt, quæ a Græcis cathedræ nuncupantur. Moyses cathedram habuit secundum Domini dictum : *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi. Omnia ergo quæcunique dicunt vobis, facite et observate : secundum autem opera eorum nolite facere; dicunt enim et non faciunt* (*Matth.* XXIII, 2 *et* 3). Cum igitur doctrina Pharisæorum ob id probabilis esse doceatur, quia ipsi in Moysi cathedra sederunt; doctrina necessario significatur in cathedra. Cognovit itaque sessionem ejus, cum dignitatem ejus in omnibus prædicat, cum voluntatem ejus qui se misit exsequitur, cum humilitati corporis sui gloriam postu-

(*a*) Regius codex, *nomine* : cum quo deinde magis placuit *ex Jacob*, quam cum vulgatis *et Jacob*. Hæc pressius dicta, perinde intelligenda sunt, ac si legere esset, Abraham quidem, ut in semine ejus gentes benedicerentur; Jacob autem, ut mutato nomine ac statu Israel, esset, etc. non immerito consecutos.

(*b*) In ms. Mic. *atque naturæ honore* : quod et in prima edit. Par. vulgatum est. Abest *naturæ* ab aliis libris : neque hoc vocabulum postulant subnexa.

(*c*) Subintelligitur, mysteriis assumptæ carnis post resurrectionem.

(*d*) Apud Par. *dicens ad eum*. Alia Patris ad Filium baptizatum verba memorat Hilarius in psal. II, num. 29.

lans audit e cœlo : *Et honorificavi, et honorificabo* (*Joan.* XII, 28). Sed (*a*) doctrina non minus in sessione ejus, quam in resurrectione opus, cognoscitur. Nam ut sessio doctrinæ præceptum est, ita et resurrectio operationis effectus est. Sedens Jesus docuit in monte : sed post doctrinam ad opera descendit. Ita enim scriptum est : *Et descendente eo de monte, secutæ sunt eum turbæ. Et ecce leprosus quidam* (*b*) *veniens adorabat eum dicens, Domine, si vis potes me mundare. Et extendens manum tetigit eum Jesu dicens, Volo, mundare* (*Matth.* VIII, 1 *et* 2). Et ad sanandam quoque (*c*) archisynagogi filiam surrexit Dominus; scriptum est enim : *Et surgens Jesus sequebatur eum cum discipulis suis* (*Matth.* IX, 19). Cum autem perfectum illud in lavandis apostolorum pedibus humilitatis suæ officium explevit, ita legimus : *Surrexit a cœna, et posuit vestimenta sua, et accepto linteo præcinxit se* (*Joan.* XIII, 4 *et* 5). Cognoscitur itaque in sessione ejus et in resurrectione doctrina atque opus : quia et sermone et **567** opere Dei (*d*) in se Patris gloriam prædicabat.

8. *Christi cogitata longe ante præscivit Deus.* — VERS. 3 : *Intellexisti omnes cogitationes meas de longe.* Scrutans corda et renes Deus est : et quomodo de longe cogitationes ejus intellectæ sunt? *De longe,* non ad locum, sed ad tempus refert. Non enim, (*e*) de longe intelligis, ait; ut res loci esse credatur, tamquam longe ab humanis operibus (*f*) sit, cum visu virtutis suæ et scientia ea quæ cogitantur intelligat : sed, *de longe* (*g*) *intellexisti*, præteriti potius temporis significans ætatem. Et ubi istud, quod longe ante cogitationes suas cognoverit, reperiemus? Nempe ubi dicitur : *Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus in quo complacuit anima mea : ponam spiritum meum super eum, et judicium gentibus nuntiabit. Non clamabit, non contendet, neque quisquam in plateis vocem ejus audiet* (*Matth.* XII, 18 *et* 19). Et hujus prophetiæ tum Evangelista meminit, cum his, quos curabat, ut de se tacerent jubebat. Has ergo cogitationes ejus, humilitatis scilicet et patientiæ, longe ante intellexit; quia de his erat prophetarum ore testatus.

9. *Semita et directio quid.* — *Semitam meam et directionem meam investigasti.* Est autem de semita et directione, antequam id ipsum tractetur, non nihilum præloquendum. Id namque, quod nobiscum semita est, alia virtute atque intelligentia cum Græcis est : (*h*) τρίβον enim nuncupant, id est, frequenti ingressu discursuque contritam, per quam non semel, neque aliquando, sed semper incessum sit. Quod autem nostri *directionem* transtulerunt, id illi ex hebræo (*i*) σχοινίον interpretati sunt. Σχοινίον autem, quarumdam gentium consuetudine, certum et constitutum modum itineri significat : ut quod nos (*j*) millia, id illi σχοινίον nuncupent.

10. *Christus a se transcursam, tritam a prophetis percurrit.* — Dominus itaque noster in eo corpore quod assumpsit, jam transcursam a se (*k*) atque tritam in prophetis semitam percucurrit : et certum constitutumque sibi itineris sui finem confecit. Quod autem per tritam prædicationis semitam ambulaverit, audiamus ipsum dicentem : *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregans pullos suos, et noluisti* (*Matth.* XXIII, 37)! Quotiens cum ait, frequentiam numerosæ significationis ostendit. Nihil ergo novi et egit et passus est, cum per nolentem congregari filios suos Jerusalem totiens et auditus et inhonoratus est in prophetis.

11. *Præscriptum sibi iter confecit.* — Quod autem definitum et præscriptum **568** (*l*) iter confecturus esset, ostenditur in eo cum ait : *Ego te honorificavi super terram, opus consummavi quod dedisti mihi* (*Joan.* XVII, 4). Qui datum sibi opus consummat, modum præscriptæ operationis explevit. Scit autem sibi constitutum esse quid gerere oporteat, cum ait Petro, gladio his qui ad comprehendendum eum

(*a*) Editi, *doctrina ejus non minus in sessione quam in resurrectione* (Par. *surrectione*) *ejus cognoscitur* : emendantur ex ms. Turon.

(*b*) Verbum *veniens* abest a Bad., Er., Lips. et mss. reg. ac Turon.

(*c*) Regius codex cum Turon. *centurionis filiam.* Lectio quæ obtinet, merito suspecta fuerit. Hilarius enim Evangelium secundum Matthæum hic memorat; in quo is simpliciter *princeps* cognominatur, non *archisynagogus*, ut apud Marcum V, 35. Neque aliud Comment. in Matth. c. IX, nomen ei tribuit, quam *principis.*

(*d*) In ms. Turon. deest *in se*, in reg. autem tantum particula *in.*

(*e*) Editi, *de longe se intellexisse ait, ut significatio loci*, etc., castigantur ex mss.

(*f*) Apud Par. *situs.* Tum in mss. reg. et Turon. *cum usu virtutis.*

(*g*) In vulgatis, *intellexit.* Concinnius in ms. Turon. *intellexisti.*

(*h*) Sic ms. Turon. consentiente regio, nisi quod pro τρίβον habet *tribu.* Editi autem, *tritam enim nuncupant, id est, frequenter gressu discursuque... semper ineundum sit.* V. psalm. CXVIII, num. 7.

(*i*) In ms. Turon. ut in vulgatis hic et inferius, σχοῖνον. Hoc vocabulo si usus esset Hilarius, deinde sumpsisset, σχοῖνος *autem*, non σχοῖνον *autem.* Verius itaque mss. Mic. et reg. σχοινίον, consentiente Vulgata, quæ non *funem*, sed *funiculum* exhibet. Genebrardus conjectat LXX pro σχοῖνον scripsisse κόῖτον. Cujus conjecturæ favet Hieronymus, qui ex hebræo vertit *accubationem meam.* Neque ab hujusmodi intelligentia procul abest Hilarii enarratio.

(*j*) Editi, *milliarium* : renitentibus mss. Et certe si σχοινίον respondeat verbo hebræo, quod locum viatorum mansioni seu accubationi (vulgo *gîte*) destinatum, id est, diei unius iter significet, non uno milliario, sed pluribus, definiri debet illa mensura : de qua Origenes relatus a Corderio in Catena Patr. græc. : Ἡ σχοῖνος ὁδοῦ μέτρον ἐστὶ παρ' Αἰγυπτίοις καὶ Πέρσαις, εἴρητο καὶ ἐν ψαλμοῖς, τὸν τρίβον μου καὶ τὸν σχοῖνόν μου σὺ ἐξιχνίασας : hoc est, quod vocatur σχοῖνος, *apud Ægyptios et Persas itineris mensura est*, etc.

(*k*) Puta cum patriarchis in hominis aut angeli specie visus est : de quibus visis toti sunt libri IV et V de Trinit.

(*l*) Adjecimus, *iter*, auctoritate mss.

venerant resistenti : *Calicem, quem dedit mihi Pater meus*, (*a*) *non bibam illum* (*Joan.* XVIII, 11)? docens se præscriptæ sibi a Patre passionis calicem esse bibiturum. Scit se etiam semitam suam directionemque complesse, cum potato (*Ms.* poto) aceto spiritum traditurus ait : *Consummatum est, et mox tradidit spiritum* (*Joan.* XIX, 30).

12. *Quæ gessit aut passus est, præscivit Pater.* — Hanc ergo semitam et directionem suam Pater investigavit. Investigavit autem per prophetam, cum de sorte vestis prophetavit, ut scriptum est : *Et super vestimentum meum miserunt sortem* (*Ps.* XXI, 19). Et iterum cum de tradito inter latrones atque suspenso (*b*) recognita est prophetia dicens : *Et cum iniquis deputatus est* (*Esa.* LIII, 12); vel cum de osse intacto atque impresso vulnere ante prædictum est : *Os ejus non confringetis* (*Exod.* XII, 46); et, *Videbunt quem compunxerunt* (*Zach.* XII, 10). Hæc itaque, quæ ei omnia erant in passione præscripta, a Deo pervestigata sunt, (*c*) ut et fuerint prophetata. Ac ne quid ex his, quæ gessit ac passus est, incognitum fuisse Patri existimaretur; generaliter cuncta complexus est, dicens, VERS. 4 : *Et omnes vias meas prævidisti.* Sed qui prævidit, vidit antequam res esset. Prævidit autem etiam hoc, *quia non est dolus in lingua mea* : est enim, secundum propriam professionem, veritas, (*d*) via et vita (*Joan.* XIV, 6). Non recipit dolum veritas; non enim mentitus est aut fefellit : lingua omnis ejus officio functa est veritatis, qui ait : *Cœlum et terra præteribunt, verba autem mea non præteribunt* (*Matth.* XXIV, 35). Patrem Deum prædicat, se vero esse et hominis et Dei filium confitetur. Dolum prædicatio ista non habuit, quæ et de se et de honore ejus qui se miserat fatebatur.

13. *Dei scientia non a propheta, non a Moyse, sed a Christo nobis tradita.* — Proficit deinde paulatim sermo cœptus ab homine, et ad significationem naturæ in eo cœlestis (divinæ) extollitur, cum ait, VERS. 5 et 6 : *Ecce tu, Domine, cognovisti omnia novissima et antiqua : tu formasti me, et posuisti super me manum tuam. Mirabilis facta est scientia tua ex me : confortata est, et non potero ad eam.* Personæ istud prophetæ non convenit, ut ex se dixisse videatur, *Mirabilis facta est scientia tua ex me*, ut mirabilis Dei cognitio ex eo facta sit, Moyse antea cognitionem 569 nobis Dei (*e*) libris Legis loquentis. Sed ne ipsi quidem Moysi hoc esse proprium potuerit, Deum antequam flagrantem rubum conspicit nescienti, (*f*) opinione quidem electi in Abraham et Isaac et Jacob populi sui religioso, verumtamen familiarem cognitionem ante hoc tempus nisi a Deo non adepto. Sed omnis sermo iste ei competit, qui ait : *Pater, manifestavi nomen tuum hominibus* (*Joan.* XVII, 6) ; et qui ait : *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Ibid.* 3). Sed hæc suo loco plenius prosequemur.

14. *Christi quæ novissima, quæ antiqua.* — Descendum autem ad id est secundum ordinem dictorum : *Ecce tu, Domine, cognovisti omnia novissima et antiqua.* Novissima sunt, cum *probasti*, cum *cognovisti*, et cætera quæ propria sunt ejus hominis quem assumpsit. Antiqua sunt, quæ modum non habent, quæ indefiniti temporis significant vetustatem. *In principio enim erat Verbum, et omnia per ipsum facta sunt* (*Joan.* I, 1).

15. *Ut Deus ait : Formasti me : ut homo posuisti*, etc. — Dehinc ut novissima Deus et antiqua cognovit; ita in eo quod sequitur : *Tu formasti me, et posuisti super me manum tuam*, utrumque significat : ut quod formavit, antiquum sit; quod superposuit manum, novissimum sit. Quod enim secundum naturam divinitatis formatus sit, Apostolus docet dicens : *Qui cum in forma Dei esset* (*Philip.* II, 6); quod enim in forma est, formatur in formam : et quidem (*g*) paternæ naturæ et divinitatis formam. Et nescio an quod formatus in forma servi est, referri possit ad Patrem, ut formatus ab ipso sit : *Sapientia enim ipsa sibi ædificavit domum* (*Prov.* IX, 1). Sed hinc nec temporis, nec quæstionis est amplius loqui. Quod autem proprie ad corpoream nativitatem referri oporteat : *Et posuisti super me manum tuam;* ita docemur ex persona Patris : *Inveni David servum meum, in oleo sancto meo unxi eum. Manus enim mea auxiliabitur ei, et brachium meum confortabit eum. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non adjiciet nocere eum* (*Psal.* LXXXVIII, 21 *et seqq.*). Et non est ambiguum, omnem hunc psalmum ad personam Domini esse referendum : quia ea omnia in eo sint, quæ et divinitati ipsius propria sint, et a naturæ nostræ infirmitate dissentiant.

16. *Dei scientia unde mirabilis.* — Et quia utroque deditus a populo suo existimetur, negatur tamen antea familiarem Dei cognitionem adeptus.

(*a*) Ita ms. hic et lib. x de Trin., n. 50. Editi vero, *non vis ut bibam illum.*

(*b*) Editi, *recognitus est propheta :* inconcinne et dissidentibus mss.

(*c*) In vulgatis, *ut fuerant prophetata*, male enuntiatur Dei scientia prophetia posterior : cum potius Deus omnia quæ passurus erat Christus, præscivisse hinc demonstratur, quod illa eo auctore prophetata fuerint. Emendantur ope ms. reg.

(*d*) Reg. ms, *via tua;* non *via et vita*, et mox, *fefellit in lingua.*

(*e*) Editi, *libro legis loquente :* corriguntur auctoritate mss.

(*f*) Quæ sequuntur, a præcedentibus male antea puncto interposito separabantur; cum ad Moysen referantur, qui quamvis ante visum rubi Dei religioni

(*g*) Subaudiendum hic, *formatus est in.* Mutilata, ut mendosa, videtur lectio ms. reg., in quo exstat, *quod enim formatur, in forma et ei paternæ naturæ et divinitatis est : ut referri possit a Patre, et formatus ab ipso sit.* Quod autem ait Hilarius se nescire *an quod formatus in forma servi est, referri possit ad Patrem;* intellige, proprio quodam modo. Non enim negat inseparabilia Filii et Patris opera, qui Filii opera Patris opera esse frequens inculcat. Proprius autem ille modus est, quod nomine Spiritus sancti in Virginem secundum angeli verbum superventuri ipsummet Filium intellexerit, qui corpus ex Virgine sibi formaverit atque coaptarit, ut copiose ostensum est in præfatione generali, §. 1.

in tempore, id est, novissimo et antiquo, vel ipse prædicando, vel in apostolis et prophetis loquendo, cognitionem ex se Dei mirabilem fecit; ait : *Mirabilis facta est scientia tua ex me.* Sed mirabilis quomodo? Nempe cum omnia esse intra Deum docentur, dum Deus esse in omnibus prædicatur, dum immensa et incomprehensibilis natura intus **570** atque extra manens, locos omnes quibus contineri possit excedat. Mirabile est Deum ubique esse, et nusquam abesse; in omnibus esse, et totum esse; et extra locos ac tempora pro infinitate atque æternitate sua semper esse. Hoc mirificum, hoc confortatum; id est, sine infirmis jam intelligentiæ opinione firmatum.

17. *Filius natura æqualis Patri quatenus æquari nequit.* — Sed quid est istud quod dicitur, *Non potero ad eam?* Unigenitus ait : *Omnia quæ Patris sunt, mea sunt* (*Joan.* XVI, 15); et, *Sicut habet Pater vitam in semetipso* (*Joan.* V, 26), *ita et Filio dedit vitam habere in semetipso*; et, *Sicut Pater vivificat mortuos, ita et Filius quos vult vivificat similiter* (*Joan.* V, 21); et, *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30). Nulla discretio potestatis in verbis est, nullam etiam differentia virtutis in factis est. Quod unum sumus, plerique irreligiosorum ad voluntatis tantum concordiam retulerunt (*Contra hos totus est liber* VIII *de Trin.*). Sed cum dicitur : *Vel operibus meis credite, quia Pater in me, et ego in Patre* (*Joan.* XIV, 11); non tantum voluntatis unitas, sed etiam divinæ virtutis ostenditur. Ergo cum omnia quæ Pater faciat, omnia faciat et Filius; eadem enim facit similiter : quærendum est, quid sit quod dictum sit : *Non potero ad eam.* Sed cum audio : *Pater major me est* (*Joan.* XIV, 28); et rursum : *Non potest Filius facere ab se quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem* (*Joan.* V, 19); hæc mihi intelligentiam suggerunt dicti hujus, *Non potero ad eam.* Est enim Pater major Filio, sed ut pater Filio; generatione, non genere : filius enim est, et ex eo exivit. Et licet paternæ nuncupationis proprietas differat, tamen natura non differt : natus enim a Deo Deus, non dissimilis est a gignente substantia. Non potest ergo ad eum ex quo est (*a*) exæquari. Nam quamvis alter in altero per uniformem ac similem ejusdem naturæ gloriam maneat; tamen (*b*) et ex quo genitus est, non exæquari in eo videtur posse quod genuit.

18. *Patris immensitas.* — Et videamus an hoc quod (*c*) *non potero ad eam* ad dignitatem paternæ confessionis relatum sit. Sequitur enim, VERS 7-10 : *Quo ibo ab spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? Si adscendero in cœlum, tu illic es; si descendero ad infernum, ades : si sumpsero pennas meas ante lucem, et habitavero in postremis maris. Etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua.* Non excedit paternam Filius infinitatem; neque naturam, quæ ultra locos omnes est, is qui in sinu est transgreditur (*Joan.* I, 18). Sit licet in cœlo, sit in infernis, et ultra postrema maris evolet, adest tamen ille ubicumque qui ubique est : nec subterfugi potest intra quem omnia sunt, et qui in omnibus est.

571 19. *Distinguendus triplex Christi status.* — Et ne quid irreligiose ad contumeliam indemutabilis atque impassibilis substantiæ opinemur ex eo quod dictum est : *Aut a facie tua quo fugiam?* ut videatur fugam ob passionis metum cogitasse : dictorum (*d*) ratio noscenda est, ut incolumi dignitate hæc necessario commemorata esse intelligantur. Nemo autem eorum, qui in studiis doctrinæ cœlestis demorantur, poterit ambigere Deum atque hominem Dominum nostrum Jesum Christum confiteri : et hominem quidem in tempore, Deum vero semper et ante hominem et post hominem : utrumque vero, Deum scilicet atque hominem, tunc tantum cum in homine fuit. Erat enim in forma Dei, et formam hominis accepit : et rursum in gloria Dei patris est, forma videlicet servili in gloriam ejus cujus in forma ante manebat proficiente, corruptionis scilicet natura per profectum incorruptionis absorpta.

20. *Naturæ alterutri quid conveniat.* — Cum igitur psalmum hunc cœptum ex persona hominis quem assumpsit meminerimus; diligenter contuendum est, ut intelligamus quid (*e*) divinitati ejus, quid homini sit aptandum : atque ita, ut sensum nostrum dictis magis applicemus, quam per fallacis intelligentiæ opinionem sensui dicta subdamus (*f*). Ait enim : *Quo ibo ab spiritu tuo, aut a facie tua quo fugiam?* Diversa significatio est spiritus, atque faciei. Et a spiritu quidem *abibo*, a facie autem *fugiam.* Dehinc sequitur : *Si adscendero in cœlum, tu illic es; si descendero in infernum, ades.* Non eadem est adscensio in cœlum, quæ et descensio in infernum. Tertium deinde est : *Si sumpsero pennas meas ante lucem, et cum in homine fuit :* quasi etiam post resurrectionem non fuerit Deus et homo. At hoc dumtaxat sibi vult Hilarius, Christum tunc tantum Deum simul et hominem fuisse, cum virtutem divinitatis simul eum infirmitate nostra sociatam habuit, quamdiu scilicet hominem infirmæ naturæ suæ dereliquit. De hac re fuse in præfatione §. 5. Videsis similem locum lib. IX de Trin. n. 6.

(*a*) Reg. ms. *non exæquari* : probe, si hæc sententia ad superiora, non ad inferiora referretur.

(*b*) Particula *et* in ms. reg. antiquo more expuncta est. Illius loco non displiceret *ei.* Mox in eodem ms. *ideo*, pro *in eo.* Hic prædicatur Filius qua genitus, Patri quatenus genuit exæquari non posse.

(*c*) Male apud Par. verbum *genuit* hic immissum erat.

(*d*) Apud Par. deest *ratio*, cujus loco in aliis editis exstat *virtus.* Deinde triplici Christi statu constituto, *ante hominem*, id est, antequam carnem susciperet; *in homine*, ab eo videlicet tempore quo carnem suscepit; *et post hominem*, seu post quam carnem infirmam morte exutus, gloriosam et infirmitatis expertem per resurrectionem recepit; potest illud movere, quod dicitur *Deum et hominem tunc tantum* eum fuisse,

(*e*) Reg. ms. *dignitati* : favet quod proxime dictum est, *ratio noscenda est, ut incolumi dignitate*, etc.

(*f*) Secundum regulam lib. I de Trin. n. 18, traditam : *Optimus lector est, qui dictorum intelligentiam exspectet ex dictis potius quam imponat, et retulerit magis quam attulerit : neque cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem præsumpserit intelligendum.*

habitavero in postremis maris : etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua. Jam non hominis hæc vox est, ut pennas sumat, ut suas sumat, ut trans Oceanum habitet, ut deducatur illuc manu Dei, ut teneatur dextera Dei : potioris istud naturæ est. Et quis hic sit qui confidenter hæc dicat, ipsa dictorum ratio monstrabit.

21. *Ut Deus nusquam abest a spiritu Dei ; ut homo qui fugiat a facie Dei.* — Ostendens igitur unigenitus Deus eam, quæ per se mirabilis facta est, et ad quam non potest, paternæ admirationis confessionem, utrumque in se tempus et naturam utramque significat, scilicet eam (*a*) qua et in spiritu, et in corpore manens docuit. Cum enim ait : *Quo ibo ab spiritu tuo ;* tempus illud quo et ipse spiritus in spiritu paternæ gloriæ ante assumptionem **572** hominis mansit ostendit. Non enim (*b*) potest a spiritu quoquam abesse, qui spiritus est : quia nec hic falli potest, nec ille decipere. At cum ait, *aut a facie tua quo fugiam* , assumptæ a se infirmitatis docuit ætatem : humana enim infirmitas facici Dei non patitur occursum; quia dictum Moysi est : *Quis est homo qui videbit faciem meam, et vivet* (*Exod.* XXXIII, 20)? Quod non sustinemus, defugimus; quia infirmitatis humanæ est, occursum naturæ inconspicabilis fugere. Et fugit quidem quantum (*c*) ad impatientiam visionis. Sed quia, secundum Prophetam, vultus Dei super facientes mala (*Psal.* XXXIII, 17), naturæ quoque humanæ est, judicium Dei, quod significatur in vultu, fugere non posse. Non enim tamquam peccator qui peccati nescius est loquebatur, ut fugeret : sed paternam infinitatem extra omnia manentem cum in spiritu ante docuisset; nunc quoque ex hominis persona, qui nusquam Deum fugere posset, ostendit.

22. *Ut Deus ascendit in cœlum, ut homo in infernum descendit.* — Sequitur quoque (*d*) ratio dictorum, ut utrumque ex eo quod et homo et Deus erat dixerit : *Si adscendero in cœlum, tu illic es* : hoc divinitatis est proprium. Nemo enim adscendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo (*Joan.* III, 5). Terreni enim corporis natura adscensionem hanc nisi in cœlestem gloriam demutata non obtinet : *Si descendero in infernum, ades :* humanæ ista lex (*e*) necessitatis est, ut consepultis corporibus ad inferos animæ descendant. Quam decensionem Dominus ad consummationem veri hominis non recusavit. Id autem, *Quo abibo*, aut *quo fugiam*, et *illic, es* et *ades ;* ad significationem doctrinæ ejus quæ mirabilis ex eo facta est pertinet, per quam Deus omnia esse et in omnibus esse sit cognitus : ut licet faciem Dei homo fugiat, quia non sustinet, licet de supernis ad inferos mortis lege descendat ; Deus tamen ubique sit semper et in omnibus.

23. *Quæ statum Christi gloriosum spectent.* — Et quia per hæc superiora discretim ex utroque in quo erat naturæ genere prædicavit, Dei scilicet atque hominis ; tertio unitatem naturæ jam (*f*) in se proficientis ostendit, dicens : *Si sumpsero pennas meas ante lucem , et habitavero in postremis maris : etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua.* Cum sumpsit pennas, jam corpore non gravatur (*V. Tract. Psal.* LIV, *n.* 7). Cum suas sumpsit, docet hanc evolandi semper sibi fuisse virtutem. Cum ante lucem sumpsit, tempus **573** resurrectionis ostendit. Cum in postremis maris est, loca ut Deus humanæ demorationis excedit. Cum deducitur manu, non timet. Cum tenetur dextera Dei, non mutatur aut decidit : *Donavit enim illi Deus nomen quod est super omne nomen, ut in nomine ejus omne genu flectatur cœlestium et terrestrium et infernorum ; et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus in gloria est Dei patris* (*Phil.* II, 9 *et seqq.*). In eo enim quod datur ei nomen super omne nomen , manu ac potestate Dei patris in gloria ipsius homo susceptus assumitur.

24. *Pennæ significant vim evolandi ad cœlum post resurrectionem.* — Pennas autem ad demutationem terrenorum corporum in spiritalem (*g*) atque æternam naturam referri, prophetica auctoritas est, cum ad inopem fidei et bonorum operum pauperem dicitur : *Ne extendas te cum sis pauper divili , sensu autem tuo abstine : præparavit enim sibi pennas ut aquila, et revertetur in domum ejus qui præest ei* (*Prov.* XXIII, 5). Pauperem extendentem se (*h*) in spes divitis arquo per resurrectionem, ut alibi loquitur Hilarius, fit totus Deus, non abolita hominis natura, sed ad unitatem et consortium gloriæ Dei assumpta.

(*a*) In ms. Mic. *quo* , posset referri ad *tempus* , nisi propius esset vocabulum *naturæ*. Christus scientiam docuit *in spiritu*, cum ante assumptum hominem patriarchis visus est, et locutus est in prophetis : docuit et *in corpore* , per assumptum hominem ipse prædicando.

(*b*) Ita mss. Editi vero, *poterat spiritu ;* et mox, *nec ille deficere*, pro *nec ille decipere.*

(*c*) Particula *ad* abest a ms. reg. in quo verbum sequens, litteris fugientibus, non licuit legere. Non displiceret, *impatiens visionis*, hoc est, visionem sustinere non valens.

(*d*) Miciacensis ms. *narratio*. Regius, *paratio*. Forte *par ratio*.

(*e*) Legis hujus meminit Tertullianus de Anima n. 55, ubi ait : *Quod si Christus Deus, quia et homo, mortuus secundum Scripturas, et sepultus secus easdem, huic quoque legi satisfecit , forma humanæ mortis apud inferos functus*, etc.

(*f*) Apud Par. exciderat particula *in*. Illud *in se*, id est, in Deum. Hic attingitur tertius Christi status,

(*g*) Editi, *atque ætheream naturam :* emendantur ex ms. Mic. Frequens Hilarius his tractatibus naturam corporum *æternam* vocat post resurrectionis demutationem , nusquam *ætheream*. Si quando *cœlestem* , hoc illi nomen donat , quia cœlum ipsius regio , non quia de cœlesti quadam materia constituta sit. *Neque enim* , inquit in psal. LV , n. 12, *resurrecturis omnibus ab exteriore materia corpus acquiritur* , etc.; et in psal. II , n. 41 : *Confracta* corpora Dominus *reparabit* , *non ex alia aliqua, sed ex veteri atque ipsa originis suæ materie* , etc. Hæc obiter notanda fuere , ne quis hunc locum frustra a nobis emendatum suspicetur, Hilariumque existimet cum Origene in resurrectionis doctrina consensisse : a quo etiam longius recedit in psal. LXVII , n. 35 , cum corporibus reparatis *formam soliditatemque membrorum* attribuit.

(*h*) Bad., Er. et Lips. *in opes :* quod prima editione

guit, quod infidelitatis suæ inopiam fidelium exæquet opulentiæ. Dives enim non humanis opibus, sed cœlestibus thesauris, parat sibi pennas, quibus revertatur in domum ejus qui præest ei. Revertetur enim unde decidit, unde in peccato primi hominis expulsus est. Et quis est iste cujus hæc domus est, et qui ei præest? Nempe ille qui dixit: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* XXIII, 45). Meminit et alibi dicens, cum de spiritalium indefessa jam æternitate tractaret, *Pennigerabunt tamquam aquilæ* (*Esa.* XL, 31), naturam evolandi in cœlum in resurrectionis demutatione sumpturi. Sed hic pennas sumit volaturus, non alienas, non novas, sed proprietatis usurpatione præsumptas: quia post passionis voluntariæ sacramentum, et naturæ et potestatis pennas ad cœlum se habuerit efferendi.

25. *Hic non Christi trepidatio, sed trepidationis opinio indicatur.* — Sequitur etiam idem ordo dictorum, et ex utriusque naturæ intelligentia, hominis scilicet et Dei sermo decurrit. Ait enim, VERS. 11: *Et dixi, Forsitan tenebræ conculcabunt me.* Vox ista (*a*) hominis esse existimatur, quia videtur quibusdam aut irreligiosis aut imperitis sub illa passionis timiditate trepidare: quasi vero nunc sermo iste timoris alicujus habeat professionem, et non magis susceptæ mortis significaverit voluntatem nullo ejus metu ac terrore prælato. Non enim ait, Tenebræ conculcabunt me; sed ait, *Forsitan tenebræ conculcabunt me.* Quod *fortuitu*, adjecit; incertum humanæ de se opinionis, qua timere inferos creditus est, irrisit errorem. Nemo enim conculcari se certus, **574** idem rursum an conculcetur incertus est.

26. *Passio cur ei in deliciis. Pater una cum Filio et virtute et natura. Tenebræ in neutrum cadunt.* — Ut autem hoc quod ait, *Forsitan tenebræ conculcabunt me*, non ad naturæ suæ trepidationem posset intelligi, sed impiæ de se intelligentiæ significaret incertum; continuo subjecit, *Et nox illuminatio in deliciis meis.* Quomodo enim conculcatur a tenebris, cui (*b*) mors illuminatio in deliciis sit futura? Domino itaque passio ista deliciæ sunt: dum portas æreas confringit, dum vectes ferreos conterit, dum omnem potestatem despoliat, dum de his in se triumphat, dum eum quem ad imaginem suam fecerat redimit, dum deliciis paradisi restituit. In his igitur passionis oblectamentis atque deliciis nox ei illuminatio est: et illuminatio ob id, *quia tenebræ non obscurabuntur a te.* Per naturæ unitatem ad (*f.* ac) indemutabilem divinitatis similitudinem in Filio Pater est: et, operibus ipsis testantibus quod in eo Pater sit, confidenter ait, *Non obscurabuntur a te:* quia ex persona Patris dictum in psalmis meminerimus, *Cum ipso sum in tribulatione* (*Ps.* XC, 15). Et ipse Dominus in Evangeliis, cum de Apostolorum trepidatione loqueretur, ait: *Ecce venit hora, ut dispergatur unusquisque vestrum, et me solum relinquatis: sed non sum solus, quoniam Pater mecum est* (*Joan.* XVI, 32). Sive virtute, qua similia patri potest; sive natura et genere et divinitate, qua ex Deo Deus natus est, Pater secum est. Confidenter ergo ait, VERS. 12: *Quia tenebræ non obscurabuntur a te.* Non enim sentit virtus indemutabilis tenebras, et infernam noctem lux vera non patitur. Sequitur enim: *Et nox sicut dies illuminabitur; sicut tenebræ ejus, ita et lumen ejus.* Hoc totum ad id refertur quod dictum est, *Tenebræ non obscurabuntur a te, et nox sicut dies illuminabitur* a te, et *sicut tenebræ ejus, ita et lumen ejus* a te. Semel dictum *a te*, refertur ad plurima. Ideo autem in deliciis nox est, quia *sicut dies illuminabitur.* Illuminabitur autem ob id, quia ut tenebræ, ita et lumen a Deo sint, potente tenebrarum conditore condere lumen in tenebris. Et audiamus istud Evangelistam docentem ita: *Et lux lucet in tenebris, et tenebræ eam non comprehenderunt* (*Joan.* I, 5): illo potente ut lux sit in tenebris, tenebris non potentibus obscuritatis suæ nocte lumen indefessi luminis comprehendere.

27. *Ut utraque Christi natura prædicetur. Christi hominis officium. Unde terribiliter mirificatus.* — Sequitur deinde, VERS. 13 et 14: *Quia tu, Domine, possedisti renes meos, suscepisti me de utero matris meæ. Confitebor tibi, quia terribiliter mirificatus sum.* Tenet etiam nunc ordinem significationis utriusque, ut se et hominem et Deum doceat. **575** Cum enim possidentur a Deo renes ejus, et a matris utero suscipitur; corporalis in eo conditio monstratur. In renibus enim voluptatis est causa. Sed cujus renes a Deo possidentur, non exeunt in voluptates corporis (*c*) incentiva lasciviæ. Et qui ab utero matris suscipitur, non ad opera sæculi a Deo susceptus excedit. Omnis igitur ejus voluntas ac labor est Patrem prædicare, voluntatem Patris explere, acceptum a Patre calicem bibere. Hæc enim hominis sui quem assumpsit officia sunt. Sed cum ait, *Confitebor tibi, quia terribiliter mirificatus sum*; confessionem omnem terribilis de se admirationis ad gloriam divinæ substantiæ suæ reddit. Mirificatus est enim ob id, quia Deus possedit renes ejus, quia a matris utero susceptus in id unum festinet, quo naturam quamdam in Christo ab infirmitate trepidationis alienam esse demonstret: id enim pro illo tempore utilius atque salubrius fuisse prudens quisque facile judicat.

Par. ex ms. Mic. bene mutatum, in postremam male revocatum est. Non enim arguitur pauper, quod in divitis opes tendat, seu quod virtutum thesauros sibi paret; sed quod carens illis opibus, quibus solis in spem bonorum supernorum provehimur, in ea tamen se extendat. Qui substituerunt *in opes*, Vulgatam imitari voluerunt, quam Hilarius non sequitur.

(*a*) Sic ms. Mic. Editi vero, *humana.* Siquidem hæc vox negatur esse hominis, ubi deinde negatur trepidatio convenire Christo, ei qua Deo, non qua homini negetur necesse est. Neque diutius inquirendum, cur dissimulans quid ei ut homini conveniat,

(*b*) Lipsio magis placuit *nox:* renitentibus Bad., Er. et mss. Ut numero superiore tenebrarum vocabulo, ita hic noctis nomine mortem intelligendam innuit Hilarius.

(*c*) Reponimus *incentiva*, loco *incentivæ*, cum *incentivus* apud Hilarium nusquam legere sit, qui *incentiva* frequens, quoties nimirum de voluptatibus corporis incidit sermo, commemorat.

est. Per id enim, quod voluntas ejus et operatio Deo dedita fuit, mirificari terribiliter promeruit. Mirificatus autem terribiliter est, dum (*a*) horis crucis tenebræ sunt, dum tremit terra, dum saxa rumpuntur, dum patent sepulcra, dum mortui resurgunt, dum in eodem corpore ipse conspicitur, dum clausis januis soli sibi penetrabili aditu assistit, dum ad cœlos elevatur, dum Apostoli gentium linguis loquuntur, dum umbræ eorum morbis medentur, dum claudis nummum poscentibus cursus donatur, dum elecmosynis inopum mortuus (*b*) redditur, dum persecutores fiunt prædicatores, dum dissolutis catenis cantatur in carcere, dum in martyrio a Martyre videtur in cœlis: dum postremo in eo quo elevatus est corpore a dextris Dei sedet, cujus in gloria et manebat et permanet.

28. *Filius Patri, licet non impar virtute, omnia sua defert.* — Omnem autem eam, qua terribiliter mirificatus est, dignitatem ad opus ejus refert, cujus et paruit voluntati, dicens: *Mira opera tua, et anima mea novit valde.* Quod enim, inquit, *terribiliter mirificatus sum*, opus tuum est. Eadem autem et in Evangeliis ratio servata est, ut cum ad demonstrationem virtutis suæ dixerit: *Quæcumque Pater facit, eadem et Filius facit similiter* (*Joan.* v, 19); et rursum: *Sicut Pater vivificat mortuos, sic et Filius quos vult vivificat* (*Ibid.* 21); tamen dignitatem operum omnium Patri deferens, cum dicat, *Non potest facere Filius ab se quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem* (*Ibid.* 19); contestatam de se potestatem, per reverentiæ honorem, ei cui omnia meminerat confitenda subjecit; non sibi adimens quod similia Patri posset, sed eum per quem similia posset ostendens. Hæc igitur, quibus terribiliter mirificatus est, licet quia potuit virtutis suæ fuerint; tamen Patris operibus universa ea detulit, dicens: *Mira opera tua, et anima mea novit valde.* Humanæ infirmitatis vox ista non est, ut mira opera Dei valde se nosse jactet. Soli hoc competit, qui ait: *Nemo novit Patrem nisi Filius* (*Matth.* xi, 27). Novit enim, non utcumque, non **576** leviter: novit autem *valde*, per eam fiduciam qua dicit: *Pater in me, et ego in Patre* (*Joan.* x, 38). In eo enim quod ait *valde*, perfectam scientiam (*c*) intimæ cognitionis ostendit.

29. *Os Christi Ecclesia. Ecclesiæ revelata sunt mysteria.* — Et quia omnia mira opera Dei valde anima ipsius novit; eruditionem doctrinæ in nos suæ memorat, (*d*) qua nobis paternæ operationis jam non sint occultata mysteria, dicens, VERS. 15: *Non est occultatum os meum a te, quod fecisti in occulto.* Os Christi Ecclesiam esse, et prophetica et apostolica auctoritas est. Nam cum, secundum ea quæ in Genesi dicta sunt, de Adam atque Eva Apostolus tractaret, ita ait: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea* (*Gen.* II, 25); ad expositionem dicti hujus adjecit, dicens (*e*): *Hoc mysterium magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (*Ephes.* v, 32). Quod autem per misericordiam Dei patris Ecclesiæ hæc occultata non fuerint, ipse Dominus in Evangelio testatus est, cum ait: *Confitebor tibi, pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis: ita Pater, quia sic fuit placitum ante te* (*Matth.* XI, 25 *et* 26). Ab eo igitur nobis non occultantur, quæ facta sunt in occulto. Nobis quidem non occultata sunt, sed sæculi hujus prudentibus facta sunt in occulto.

30. *Prius in occulto erant.* — Quod autem omnia ecclesiasticæ spei sacramenta in occulto fuerint, testatur et Apostolus, dicens: *Prout potestis intelligere intellectum* (*f*) *meum in sacramento Christi, quod aliis temporibus non est cognitum filiis hominum, sicut nunc revelatum est sanctis ejus apostolis et prophetis in Spiritu, esse gentes cohæredes et concorporales et comparticipes pollicitationis ejus in Christo* (*Ephes.* III, 4). Et iterum: *Secundum dispensationem Dei, quæ data est mihi ad vos, ad implendum verbum Dei, sacramentum quod absconditum fuit ante sæcula et a generationibus, nunc manifestatum est sanctis ejus, quibus voluit ostendere divitias gloriæ sacramenti Dei inter gentes, quod est Christus in vobis spes gloriæ* (*Coloss.* I, 25 *et seqq.*). Occultum itaque mysterium fuit, quod revelatum est, esse Deo gentes cohæredes et concorporales et comparticipes pollicitationis ejus in Christo. Occultum etiam mysterium est, quibus voluit ostendere divitias gloriæ sacramenti Dei inter gentes, quod est Christus in vobis spes gloriæ.

31. *Pater ea revelavit infimis terræ.* — Occultum igitur hoc mysterium fuit quod esset Christus in nobis: hoc Pater revelavit. Petro enim dictum est: *Non caro, non sanguis revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est* (*Matth.* XVI, 17). Revelatum autem est, Christum esse in nobis, in pauperibus spiritu, in tribulatis corde, in humilibus terræ, in purgamentis mundi, in Ecclesiæ infimis. Infimum enim Ecclesiæ, id est, omni humilitate submissum. **577** Hoc ergo occultum mysterium revelatum est, quod est Christus in nobis. Non per Apostolum hæc tantum Dominus, sed etiam in hoc eodem psalmo ita loquitur, dicens: *Non est occultatum os meum a te, quod fecisti in occulto: et substantia mea in inferioribus terræ.* Non in inferno, sicut superius cum de passione tractabat, sed *in inferioribus terræ*, cum de revelatis a Patre quæ in occulto fuerant prædicabat. Occultum autem fuerat, quod est Christus in nobis, id est, *substantia mea in inferioribus terræ*; in inferioribus scilicet omnium humilitatis officiis.

32. *Imperfectum secundum vim græci sermonis, soli Deo convenit.* — Procedit deinde secundum profec-

(*a*) In vulgatis *hora crucis*. Concinnius in ms. *horis*, nimirum a sexta ad nonam Marci XV, 33.

(*b*) Magis placeret *mortua*, scilicet Tabytha, quæ defuncta viduarum ac pauperum, quibus opem impendebat, lacrymis reddita est Act. IX, 36.

(*c*) Prima ed. Par. ex ms. Mic. *intimæ cogitationis.*

(*d*) Editi, *quia nobis*: emendantur ex ms. Mic.

(*e*) Miciacensis codex, *dicens in Ecclesia.*

(*f*) In vulgatis deerat *meum*: quod postulante sacro textu ex ms. supplemus.

tum evangelicum sermo psalmi, cum ait, VERS. 16 : *Imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur : die replebuntur, et nemo in his.* Atque ut omnia secundum doctrinam cœlestem intelligere possimus, id quod difficultatem affert absolvendum est. Quod enim latini translatores *imperfectum* interpretati sunt, id in græcis libris ἀκατέργαστον scribitur : Nec querimur de translatoribus : vereor enim ne non aliter significari ab his potuerit. Id autem, quod græce est ἀκατέργαστον, significat id quod sine (passive) operatione maneat : ut sit id ipsum, cum factum tamen non sit. *Imperfectum* autem nobiscum id demonstrat, quod cœptum, nec consummatum sit. Sed si interius verbi hujus virtutem pertractemus, potest non (*a*) sane a græcitatis proprietate esse diversum. Deo autem soli proprium potest esse, ut sit, et infectus sit : quia quod est, non est necessitatis ut fiat ; quod autem sit, non est quam fiat. Sed qui æternus est, manet, neque factus est. Hoc ergo imperfectum, et, ut ad intelligentiæ profectum dicere audeamus, inoperatum Dei oculi ejus viderunt.

33. *Imperfectum* enim *tuum viderunt oculi mei.* Sed qui tandem oculi ? Numquid spiritales (divini) illi, quibus Deum Patrem solus Unigenitus videt? Sed isti non egent his quæ sequuntur : *Et in libro*, inquit, *tuo omnes scribentur, die replebuntur, et nemo in his.* Profectum indemutabilis illa unigeniti Dei natura non expetit. Et qui tandem ei erit profectus, ut omnes oculi ejus in libro scribantur, et die repleantur, ut in his nemo sit ? Hoc totum contumeliosum et impudens est opinari.

34. *Oculi corporis Christi, apostoli et sacerdotes. Contra illos qui negotiis sæculi occupantur.* — Sed quemadmodum ossi ejus, in quo Ecclesiæ corpus ostenditur, quæ occulta erant non occultata sunt ; ita oculi ejus hoc quod imperfectum Dei est viderunt. Os autem ad Ecclesiam referri, quæ corpus est Christi, superius admonuimus. In corpore vero (*b*) oculos principalis esse officii ac virtutis, nemini dubium est. Et quia oculi potiores cæteris membris sunt, in his apostolos significari non ambigendum est : per quos lumen Ecclesiæ (*c*) et operationis divina mysteria præbentur. Quod **578** Dominus manifeste in Evangeliis ostendit. Namque cum apostolos sal terræ, lumen mundi, et lucernam domus in candelabro ob egregia et conspicabilia (ad comparationis exemplum) fidei suæ opera nuncupasset ; rursum vocans eos a terrenis et corruptibilibus thesauris et a sæculi lucris, esse oculos corporis dixit ita : *Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus simplex est, totum corpus tuum erit lucidum : si autem oculus tuus nequam est, totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen quod in te est tenebræ sunt, tenebræ ipsæ quantæ erunt* (*Matt.* VI, 22 *et* 23)? Extra corporalem intelligentiam locus iste est ; et idcirco spiritaliter intelligendus est. Apostoli itaque qui Ecclesiæ, id est, Christi corporis oculi sunt, lucidi et simplices jubentur esse, corpore toto lucido his simplicibus mansuro : si autem nequam fuerint, toto corpore necessario tenebroso futuro ; nulla scilicet tenebris spe luminis residua, si lumen ipsum in tenebris sit. Ex quo, ingenti periculo, sacerdotes qui Ecclesiæ oculi sunt, negotiis sæculi, curis pecuniæ et familiarium rerum incrementis, et conviviorum luxibus occupantur. Ecclesiæ enim lumen sunt, id est, corporis oculi. Et si lumen ipsum avaritiæ et lasciviæ nocte tenebrescat ; corpori id est, (*d*) Ecclesiæ cui per B per naturam suam tenebræ sunt, quantæ insuper tenebræ de exemplo tenebrosi luminis invehentur ? Hi ergo oculi ejus imperfectum Dei viderunt. Imperfectum autem Dei diximus, quod factum non sit, et maneat : in quo æternitas infectæ divinitatis ostenditur.

35. *Apostoli Patrem viderunt in Filio. Non per naturæ, sed per operum contemplationem.* — Sed audax forte est, (*e*) ut ininitiabilem illam Dei patris æternitatem visam ab apostolis asseramus ; maxime cum dictum sit, Deum nemo vidit unquam, nisi unigenitus Filius qui est in sinu Patris (*Joann.* I, 18). Sed nihil nostrum dicimus, nihil audax prædicamus ; dicat ille qui dixit : *Qui me vidit, vidit et Patrem* (*Joann.* XIV, 9), non ipsum se Patrem esse significans. Non enim roganti Philippo ut sibi Patrem ostenC deret, respondit : Ego Pater sum ; sed ait : *Qui vidit me, vidit et Patrem.* Per indifferentis naturæ virtutem eum, de quo quærebatur, Patrem conspici et in sese (*f*) esse respondit : et id adhuc absolutius subjecit : *Quomodo tu dicis, Ostende nobis Patrem ? Non credis mihi, quoniam ego in Patre et Pater in me est ? Verba, quæ ego loquor vobis, non a me loquor : sed Pater, qui in me manet, ipse facit opera sua. Credite mihi quoniam ego in Patre et Pater in me. Sin autem, vel propter opera credite* (*Joann.* XIV, 9 *et seqq.*). Arguit non intelligentem et adhuc de Patre quærentem, et per operum efficientiam virtutem Patris in Unigenito non contuentem. Manet enim (*addendum hic*, in eo.) Pater. Est namque genitus ex eo, non est in eo novæ creationis aliena natura. Virtute filius est, diD vinitate filius est, substantia **579** filius est, generatione filius est. Opera testantur, potestates loquuntur, per naturæ progeniem in filio Patrem esse, et per legitimæ originis substantiam Filium in Patre esse. Non dissentit hæc (*g*) ab ingenito nata generositas : unum ambo sunt. Pater videtur in Filio : et videtur non per invisibilis nobis naturæ contemcæteris vero membris tenebræ ; ita et in Ecclesia : quæ alias cum capite et membris spectata per naturam suam non tenebrosa, sed valde luminosa dicenda est.

(*a*) Ms. Mic. *non satis græcitatis proprietate.*

(*b*) Prima editio Par. cum ms. Mic. *oculis.* Antiquiores, *oculum.* Malumus *oculos* cum postrema.

(*c*) Ms. Mic. *ad operationis.* Forte *ac operationis divina ministeria.*

(*d*) *Ecclesiæ* vocabulo hic corpus intelligitur ut secretum a capite, ac præsertim ab oculis. Ac sicut in corpore nostro per naturam solis oculis lumen inest,

(*e*) Editi, *ut initialem illam* : emendantur ex ms.

(*f*) Adjecimus *esse* ms. auctoritate.

(*g*) In vulgatis, *ab unigenito* : grave mendum, quod corrigitur ope ms.

plationem, sed per operum admirationem. Filii enim opera, opera Patris sunt, non imbecillo ad efficienda ea Filio, (*a*) neque diverso virtute naturæ : sed id Filio efficiente, quidquid is a quo ipse est genitus efficiat. Atque ideo per id , quod in majestate operum Filius contemplabilis est , Pater quoque videtur in Filio.

36. *Liber Dei memoria æterna. In libro Dei præstat scribi, quam in libro viventium.* — His ergo oculis , qui æternitatem in Filio paternæ virtutis contuentur, id est, apostolis id precatur, ut in Dei libro scribantur , maneant scilicet in memoriam æternam , pro quibus tali prece in Evangeliis oravit : *Pater, manifestavi nomen tuum hominibus , quos dedisti mihi de sæculo ; tui erant , et mihi eos dedisti, et verbum tuum servaverunt. Nunc cognoverunt quoniam omnia , quæ dedisti mihi , dedi eis, et ipsi acceperunt , et scierunt vere quoniam a te prodii, et crediderunt quia tu me misisti. Ego pro his rogo ; non pro sæculo rogo , sed pro his quos dedisti mihi* (*Joan.* XVII,6 *et seqq.*). Pro his ergo orat ut in libro Dei scribantur. Et si qui forte ambigant cur non in libro viventium scripti sunt, mihi majoris dignitatis videtur esse in libro Dei scribi ; quia peccatores de libro viventium delentur, justi autem in libro Dei scribuntur (*Vid. Tract. Ps.* LXVIII , *n.* 24). Quod utrumque sub his dictis significatur : *Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur* (*Ps.* LXVIII, 29). Pro resurrectionis enim diversitate, quia stella ab stella differt in gloria , plures in libro viventium erunt (I *Cor.* XV, 41). Justi autem in libro Dei scribentur, quia peccatores non modo cum justis non scribentur , sed ne in libro quidem viventium relinquentur.

37. *Scriptis in libro Dei dies perpetua sine nocte.* — Sed contuendum est, qui profectus eorum sit, qui in libro Dei scribentur. Nempe isti *die replebuntur , et nemo in his.* In quibusdam codicibus ita legimus : *Die* (*b*) *formabuntur.* Nec multum differt repleri et formari. Formamur enim , ut conformes simus gloriæ corporis Dei. Et Apostoli dictum est : *Filioli , quos iterum parturio donec Christus formetur in vobis* (*Gal.* IV, 19). Replemur autem secundum dictum Prophetæ : *Replebimur ab ubertate domus tuæ* (*Ps.* LXIV, 5). *Die* itaque *replebuntur*, id est, vero lumine (lux enim Christus est (*Joan.* I, 9). Erat enim lux vera, quæ lucificat omnem hominem venientem in hunc mundum) ; non jam ignorantiæ nocte detenti, neque tenebris hujus sæculi cæci, sed veritatis luce illuminati et die repleti. Quod autem repletum est, nihil præter id ex quo plenum est recipit. Nox enim in eum qui die repletus est non penetrat , secundum illud Apostoli : Quæ enim participatio est luci ad tenebras , II, *Cor.* VI, 14) ? Neque sedem Spiritus Christi adit spiritus mundi, ut scriptum est : *Vos enim non spiritum hujus mundi accepistis, sed Spiritum qui a Deo est* (I Cor. II, 12). Neque qui mundo mortuus est, vivit sibi, sicut Apostolus docet : *Vivo enim jam non ego , vivit autem in me Christus* (*Gal.* II , 20). Qui die repletus est, diem tantum in se habet, et ideo ait : *Die replebuntur, et nemo in his.* Nemo in his erit præter diem, quo repleti sunt : non pecuniæ æstus, non voluptatum stimulus, non ambitionis ardor, non odiorum malignitas, non invidiæ aculeus, non conviciorum furor, non superbiæ amentia, non cætera quæ diaboli sunt arma atque virtutes, sed lux vera, sed dies sola qua repleti sunt ; cæterarum quoque jam rerum effecti sunt incapaces. Et dignum plane hi, qui sola die pleni sunt , testimonium sumunt.

38. Nimis, *id est*, valde. *Amici Dei, Abraham et Moyses, proprie Christi discipuli. Principatus eorum.*— Sequitur enim, VERS. 17, 18 : *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus, nimis* (*c*) *confortati sunt principatus eorum. Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur.* Quid cum his dictis homini commune, ut eos qui super arenam multiplicabuntur dinumeret ? Ei tantum istud competit, cui sine recensione et calculo innumerabilis numeri cognitio est. Amici autem ejus nimis honorificati sunt , *Nimis* cum dicitur , non secundum latinitatis consuetudinem intelligendum est. *Nimis* enim nobiscum id significare solet quod necessarium modum inutiliter excedat, sed Græci id, quod nostri *nimis* transtulerunt, λίαν interpretati sunt : in quo magis *valde* quam *nimis* continetur. Valde ergo honorificati amici ejus sunt. Et amicum quidem Abraham Deo fuisse cognoscimus. Amicum et Moysen lex esse Deo locuta est. Evangelia vero plures jam Deo amicos esse significant, Domino dicente : *Jam non dico vos servos, quia servus nescit quid velit dominus ejus : sed vos dico amicos, quoniam perstitistis mecum in omnibus tentationibus* (*Joan.* XV, 15). Hos igitur, quos nunc amicos nuncupat, ut superius ostendimus, et a Patre sibi datos, et Patris esse confessus est ; et, secundum id quod ait : *Et mea omnia tua sunt , et tua mea* (*Joann.* XVII, 10), amicos Patris esse eos dicit. Non solum autem ipsi honorificati sunt , sed etiam principatus eorum confortati sunt. Ipsi quidem honorificantur, cum amici sunt, cum die pleni sunt, cum in his nemo est. Sed principatus eorum confortantur : Ecclesiæ scilicet ab ipsis cœptæ , ab his principia sumentes : quæ super terram toto in orbe fundatæ fortibus principiis constiterint.

39. *Electorum numerus certus. Illud super arenam quidam ad angelos referunt.* — Et ut ad Ecclesiæ populos referri istud necessario intelligeretur, adjecit : *Dinumerabo eos. et super arenam multiplicabuntur.* Numquid numerus eorum incertus est , qui in libro Dei scribuntur ? Ergo nulla est difficultas in numero,

(*a*) Editi, *neque diversa virtute.* Rectius ms. *diverso*, nempe Filio.

(*b*) Ita secundum LXX interpretes legendum innuit auctor Commentarii in Psal. apud Hieronymum. Apud Augustinum autem exstat *per diem errabunt*. In græcis exemplaribus modo habetur ἡμέρας πλασθήσονται, cujus verbi loco Hilarii interpres legerit necesse est πληοθήσονται. Quem vero secutus est Augustinus, πλασθήσονται a πλάνομαι duxit.

(*c*) In vulgatis, *confortatus est.* At in ms. ut et apud Augustinum , *confortati sunt* , quod respondet græco et expositioni mox subjectæ. Vetera Psalteria Carnut. et German. *confirmati sunt.*

581 quorum veritas maneat in scripto. Sed aliqui id quod dictum est : *Super arenam multiplicabuntur*, non ad homines tantum referendum existimaverunt, quia Abrahæ dictum esset : Et erit semen tuum sicut arena maris est : ad id quod super arenam multiplicabuntur, amicis Dei multitudo angelicæ numerositatis accedat. Non enim aliter sibi convenire sicut arena maris et super arenam maris putaverunt, nisi hominum multitudini connumeraretur copia angelorum. Sed nos uniuscujusque sensui non contraimus. Quid autem secundum donum spiritalis gratiæ senserimus, sine cujusquam contumelia tractabimus?

40. *Gentes crediturus innuit Judæos excessuras.* — Promissiones duas Abrahæ fuisse in Genesi accipimus. Unam (*a*) ante Ismael generationem, Deo dicente : *Quia omnem terram, quam tu vides, tibi dabo eam, et semini tuo in æternum, et faciam semen tuum tamquam arenam maris. Si potest quis enumerare arenam maris, ita et semen tuum dinumerabitur* (*Gen.* XIII, 15 *et* 16). Nato vero Isaac, et in holocaustum quantum ad Abraham spectat oblato, hæc sequens repromissio fuit : *Nisi benedicens benedicam tibi, et multiplicans multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, et sicut arenam quæ est ad oram maris* (*Gen.* XXII, 17). Et si secundum Apostolum hæc duo Testamenta sunt, unum secundum Ismaelem in servitutem generans, aliud secundum Isaac in libertatem matris nostræ Jerusalem quæ in cœlis est educens (*Gal.* IV, 24), (*b*) duum necesse est seminum in stellis et in arenis numerositas prædicetur. Ergo amici Dei super arenam maris dinumerantur. Quis enim ambigat, secundum Ecclesiam toto in orbe numerosam, multitudinem gentis Judææ copia in Christo credentium præveniri? Atque ideo super arenam multiplicabuntur, quia copiosiores his erunt, qui ex legis impio populo terreni et aridi significantur in arenis.

41. *Resurrectio Christi futura, prædicitur ut jam facta.* — Dein sequitur : *Surrexi, et adhuc tecum sum. Surrexi*, ad resurrectionis gloriam spectat : sed secundum præscientiam Dei id quod futurum est tamquam præteritum loquitur, quia Deo ob scientiam atque virtutem quæ futura sunt facta sunt, ut etiam nosmetipsi facta esse existimamus, quæ futura esse confidimus. Id autem, *Et adhuc tecum sum*, nondum temporis esse significat ut resurgat, quia nondum tempus sit passionis, cum se adhuc esse cum Deo profiteatur. Ipse enim ait : *A Deo exivi, et veni* (*Joan.* XVI, 28). Adhuc ergo tecum sum : quia nondum temporis est (*c*) ut a te veniam, et veniam in mundum, ut quæ prophetata sunt expleam.

42. *Qui occidat Christus ut vivificet.*—Quod autem ait, VERS. 19 : *Si occidas Deus peccatorem* : numquid qui venit salvare quod perierat, et peccatorem redimere, peccatorem precatur 582 occidi? Absit ut velit occidi. Sed peccator occiditur, cum sæculo moritur, cum Christo commoritur, ut vivat in Christo. Beatus Apostolus ait : *Quotidie morior* (*I Cor.* XV, 31). Et rursum : *Mortuus sum legi, ut vivam Christo* (*Gal.* II, 19). Morimur autem (*d*) ita, quando in nobis per fidem perempta peccata moriuntur. Audiamus adhuc quomodo Deus peccatores occidit, per id quod dicitur : *Mortificate ergo membra vestra super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam et avaritiam* (*Coloss.* III, 5). Sic peccator occiditur, cum generatio vitæ spiritalis vitiorum omnium et peccatorum morte renovatur.

43. *Probatur magis* contentiones *quam* dices.— Sequitur deinde : *Viri sanguinum declinate a me : quoniam dices in cogitatione : Accipient in vanitatem civitates suas.* Latina translatio, dum virtutem dicti ignorat, magnam intulit obscuritatem, non discernens ambigui sermonis proprietatem. Quod enim nobiscum scribitur : *Quoniam dices in cogitatione*, cum Græcis hoc modo est, ὅτι ἐρεῖς εἰς διαλογισμὸν, et illud ἐρεῖς pronuntiatione (*e*) non distinguitur, ut aut *dicis* intelligatur, aut *contentio* : utrumque enim sub iisdem verbis significatur hoc dicto. Sed hi (*f*) qui hebraici sermonis scientiam consecuti sunt, non *dicis*, sed *contentiones* in eo quod ἐρεῖς translatum est prodiderunt. Et sane id ita esse ratio et intelligentia monstrabit.

44. *Viri sanguinum, quorum doctrina adulans aut dolosa.* — *Viri*, inquit, *sanguinum declinate a me.* Memini in Ezechiele dictum, Episcopos reos sanguinis futuros, quorum adulanti silentio plures in interitum incidissent, ita : *Fili hominis speculatorem dedi te domus Israel, et audies ex ore meo verbum, et comminaberis et si non distinxisti neque locutus es, ut distingueres iniquo, ut se averteret ab itineribus suis, et viveret; iniquus ille in iniquitate sua morietur, sed sanguinem ejus de manu tua requiram* (*Ezech.* III, 17 *et* 18). Et invenio alium sanguinarium, de quo dictum est : *Virum sanguinum et dolosum abominabitur Deus* (*Psal.* V, 8). Ut igitur viri sanguinum sunt

(*a*) Apud Bad., Er. et Lips. desiderabatur *ante*. Tum apud Par. male positum est, *Ismael generationis*.

(*b*) Bad. et Er. *dum* : Lips. *tum* : emendantur ex Par. et ms. Mic.

(*c*) Hactenus obtinuerat, *ut ante veniam*. Abstinere non potuimus, quin restitueremus, *ut a te veniam* : cum respiciat Hilarius illud, *a Deo exivi*; ubi quia sequitur, *et veni*, subjicit etiam hic cum quadam emphasi, *et veniam in mundum*.

(*d*) Pro *ita*, quod est, hoc genere mortis, substituerat Lipsius, *ait*, ac deinceps retentum fuit, absque ulla auctoritate.

(*e*) In prius vulgatis deerat particula negans. Hanc ita evidenter postulat ratio dictorum, ut adjicere eam nobis licere putaverimus, maxime cum hic ut deinceps nobis non suppetat nisi ms. Miciacensis, quem Romæ servatum consulere nobis non facile est.

(*f*) Hieronymus ex hebræo vertit, *qui contradicent tibi scelerate.* Græci plerique legunt, *qui contentiosi estis.* Cum his psalterium Mediolan. exhibet, *qui contentiosi estis in cogitationibus.* Heracleotes apud Corderium ait alium legere, *quia litigiosi sunt;* alium, *qui adversus te dixerunt cogitationem;* alium, *quoniam exacerbaverunt te in malo consilio.*

quorum adulans doctrina est; ita et viri sanguinum sunt, quorum dolosa est doctrina.

45. *Hæretici viri sanguinum.* — Dolosa autem doctrina est hæreticorum, sub nomine Dei blasphema, sub prætextu religionis impia, sub veritatis specie fallax : quorum in animo et cogitatione solum contentionis studium persistit. Nihil ad salutem hominum laborant, nihil ad spem acquirunt, nihil pacificum cogitant, ut omnis his in contentionibus labor sit, et pugnam meditentur. Isti infelices animas exstinguunt, et in vanum ecclesias sibi congregant : quas civitates Dei, secundum propheticam evangelicamque consuetudinem, nuncupari frequens et plurima auctoritas est. Hoc ergo significatur his dictis : **583** *Viri sanguinum declinate a me*, VERS. 20, *quia contentiones in cogitatione, accipient in vanum civitates suas.* Viri sanguinum sunt, propter deperditarum animarum reatum : declinare jubentur, quia contentiones in cogitatione sunt. Hi in vanum civitates Dei accipiunt, infructuosarum ecclesiarum cœtus per schismatum dissidia reddentes.

46. *Odium pium.* — Sed plane, quia pax et justitia et veritas est, affectum in eos suum ostendit, dicens, VERS. 21 et 22 : *Nonne odientes te, Domine, odivi, et super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos; inimici facti sunt mihi.* Est religiosum odium, quotiens in nobis odio est qui Deum odit. Inimicos quidem nostros amare præcipimur (*Matth.* v, 44) ; sed nostros, non et Dei. Nam, juxta Deum, et patrem et matrem et conjugem et filios et fratres odisse devotum est (*Luc.* XIV, 26). Odit ergo odientes Deum, et inimicorum odio tabescit, et odit odio perfecto, et inimici sibi facti sunt. Non enim Filius diversus a Patre est; ut non alteri inimicus, utrique fiat inimicus.

47. *Hæc Christi verba sunt.* — Concludit deinde libertatis suæ fiduciam (*f.* fiducia) : simulque ut ea, quæ (*a*) per præscientiam tamquam gesta memoraverat, nunc ad demonstrationem temporis gerenda monstraret, dixit, VERS. 23 et 24 : *Proba me, Deus, et scito cor meum; interroga me, et scito semitas meas. Et vide si via iniquitatis in me est, et deduc me in viam æternam.* Humanæ naturæ fiducia ista non est, ut probari se velit, ut sciri cor suum postulet, ut cognosci semitas suas exspectet, ut inspici non metuat si via iniquitatis in se sit, ut per hanc cognitionem in æternam viam deducatur. Vox ista ejus tantum potest esse, qui dixit : *Ecce venit princeps hujus mundi, et non invenit in me quidquam* (*Joan.* XIV). Solus enim extra peccatum est Dominus noster Jesus Christus, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXXXIX.

Eripe me, Domine, ab homine malo, a viro iniquo libera me. Quia cogitaverunt malitiam (Infra, *qui cogitavit malitias*) *in corde, tota die constituebant prælia. Acuerunt linguas suas sicut serpentes : venenum aspidum sub labiis eorum.* DIAPSALMA. *Custodi me, Domine, de manu peccatoris, ab* (*et ab*) *hominibus iniquis eripe me, qui cogitaverunt supplantare gressus meos. Absconderunt superbi laqueum mihi, et funes extenderunt muscipula* (*in muscipulam*) *pedibus meis : continuata semitis scandala posuerunt mihi.* DIAPSALMA. *Dixi Domino : Deus meus es tu : exaudi* (*inaurire*), *Domine, vocem orationis meæ. Domine virtus salutis meæ, obumbrasti super caput* **584** *meum. Non tradas me* (Infra additur *in die belli*) *a desiderio meo peccatori : cogitaverunt* (*adversum me.* Tum *ne tradas* sine *me*) *: non tradas me, Domine, ne unquam exaltentur.* DIAPSALMA. *Caput circuitus eorum, labor labiorum ipsorum operiet eos. Cadent super eos carbones ignis, et dejiciet eos : in miseriis non subsistent. Vir linguosus non dirigetur super terram : virum injustum mala capient in interitum* (*interitu*). *Cognovi quoniam fecit* (*quia faciet*) *Dominus judicium inopis, et vindictam pauperum. Attamen justi confitebuntur nomini tuo, et habitabunt recti cum facie tua.*

TRACTATUS PSALMI.

1. *David convenire potest psalmus. Aut fidelium est oratio.* — Cœptus est psalmus ex persona hominis inter multas infestationes inimicorum anxii, adversus quem multæ insidiæ et doli plures sint : et convenire hæc omnia in personam hujus prophetæ David videntur, cujus vita infestata undique et plena semper periculis fuit. Saul eum in deserto, in urbibus, bello ac dolis sequebatur; persequente quoque filio ipsius Absalon, et multa adversus regnum vitamque ejus moliente et audente. Multis præterea aliis et domesticis et extraneis insidiis subjectus semper fuit. Sed nihil speciale ex his omnibus in psalmo continetur, ut propria personæ ejus oratio esse credatur. Generalis autem forte et ex spiritu prophetiæ psalmus esse noscitur, unumquemque nostrum per orationis exemplum, cum in mediis infestantium in nos odiis jactemur, erudiens quali Deum prece oporteat deprecari.

2. *Christo magis convenit, non seclusis fidelibus. Alia ut homo, ut Deus alia loquitur.* — Sed contuenti mihi penitus quasdam virtutes proprietatesque verborum, quæ ultra humani sermonis consuetudinem altius nescio quid et sublimius eloquuntur, ejus potius hominis, in quo ex partu Virginis ad sacramentum humanæ salutis unigenitus Dei filius natus est, repertus est psalmus iste intelligi oportere. Secundum enim eam quæ in se fuit generis utriusque naturam, Dei videlicet atque hominis, non modo in Evangeliis, sed etiam in Prophetis, ita coaptatis ad utrumque dictis locutus est, ut dum divinitatis suæ impassibilem atque indemutabilem virtutem docet, infirmitatem quoque naturæ corporeæ non taceret (*Vid. lib.* IX *de Trin.*

(*a*) Postrema editio Par. cum Bad., Er. et Lips. *per præsentiam*. Ex prima, necnon ex ms. Mic. restituimus *per præscientiam*, hoc est, per certam gerendorum scientiam, *qua universa utique disponendo præsciit, et præsciendo disposuit*, ut loquitur Tertullianus lib. II contra Marcion. n. 5. ubi et de eadem præscientia dicit : *Tantos habet testes, quantos habet prophetas.*

n. 5 *et* 6) : rursumque, cum ex susceptione carnis, infirmitatis in eo sermo esset, præconium quoque mox non infirmandæ ex aliquo divinitatis adsisteret. Quod enim Deus est, naturæ suæ est ; quod autem homo fuit, naturæ nostræ assumptio est. Loquitur itaque in psalmo ex infirmitatis nostræ quam assumpsit affectu : cum traditorem suum novit, cum consilia adversus **585** se inita prospicit, cum quæstionum prælia et obtrectationum venena perpetitur, cum tentationum scandala et verborum laqueos vitat, cum Patri confitetur, cum ad eum orat, cum ei omnis virtus ab eo est, cum licet ex infirmitate corporis anxius sit, non solum tamen se relinquendum in die passionis meminerit. Hæc igitur omnia ex persona ejus in psalmo contineri docemur : atque ita, ut in his, quæ naturæ humanæ societas permittit, personæ etiam nostræ ex aliquo intelligi possit oratio.

3. *Oratio fidelium peccati occasiones deprecantium. Christi corda scrutantis.* — Hoc enim quod ita cœptum est, VERS. 2 : *Eripe me, Domine, ab homine malo, a viro iniquo libera me*, ad communem quoque credentium omnium precem pertinet. Omnes enim insidiæ, quascumque nobis spiritales nequitiæ prætendunt, maxime per homines aptantur : et occasiones vitiis nostris alienæ naturæ perversitas subministrat. In lites nos iniquus exagitat, in anxietates adversantium et insidiantium nobis terror impellit. In libidinem facultas se in id præbentis loci invitat. Oculus enim meretricis, laqueus peccatoris est (*V. Tract. Ps.* CXXIII, *n.* 9) : Oramus ergo in his malis positi, dicentes : *Eripe me, Domine, ex homine malo, a viro iniquo libera me.* Sed propria hæc esse oratio Domini ex consequenti docetur, cum ait, VERS. 3 : *Qui cogitaverunt malitias in corde.* Cogitationes cordis nosse non nostrum est, sed ejus de quo dictum est : *Scrutans corda et renes Deus* (*Psal.* VII, 10) : ejus quoque qui dixit sciens cogitationes eorum : Quid cogitatis mala in cordibus vestris (*Matth.* IX, 4)? Ille occultos omnes malignorum cordium sensus (*a*) penetrabili atque pervio aditu obeunte natura virtutis suæ contuetur.

4. *Vir iniquus, proditor. Christi et piorum vita tota odiis impiorum exagitata. Mali dæmonum instrumenta.* — Sed qui eripi se de homine uno malo et iniquo deprecatus est, in quo significare traditorem suum existimatur, jam de plurimis mala in corde cogitantibus loquitur, dicens : *Qui cogitaverunt malitias in corde, tota die constituebant prælia.* VERS. 4. *Acuerunt linguas suas sicut serpentes : venenum aspidum sub labiis eorum.* Non omni et tota adversum David die armis certatum est, neque semper instructa sunt prælia. Adversum autem Dominum, secundum evangelicas (*b*) narrationes ejus, nullum tempus vacuum fuisse ab insectantium odiis invenimus. Paralyticum sanat (*Matth.* IX, 5) : mox de eo ob illicitam, ut putabant, peccati indulgentiam veneriato ore disseritur. Aridam manum reformat (*Matth.* XII, 10), statim violatæ legis reatus adscribitur. Dæmoniacos curat (*Luc.* XI, 15) : continuo per Beelzebub dæmoniorum principem hæc perficere arguitur. Nihil est, quod non ei plenum semper insidiis sit, quod non vipereæ linguæ veneno objectum sit. Nostra quoque omnium vita, maximeque eorum qui religioni student, quæ adversantium virtutum sustinet bella, atque obtrectationum venenata jacula suscipit. Quo fraudulentæ blandiloquentiæ veneno appetitur? Et hæc omnia per homines, in quibus spiritales nequitiæ operantur, exsistunt. Scriptum est enim : *Excitavit Dominus Satanam Salomoni*; **586** *Ader Idumæum* (III *Reg.* II, 14). Et adversatus est Ader, non ut homo, sed ut satanas, Salomoni omnibus diebus vitæ ejus. Et Salomoni quidem, quia ita meruit, Ader in satanam a Deo est excitatus; sed per istius modi homines hæc multimoda infestantium in nos odia desæviunt, inimicæque virtutes horum ministerio grassantur.

5. *Supra de verbis, nunc de factis querela est.* — Intercessio autem diapsalmæ attulisse videtur aut personæ, aut sensus demutationem. Fit autem repetitio orationis ejusdem : ita tamen, ut absolutius ea quæ in confusum ante adjecta sunt recenseantur, et quæ superius fuerat de verbis, nunc sit querela de factis. VERS. 5. *Custodi me, Domine, de manu peccatoris, et ab hominibus iniquis eripe me, qui cogitaverunt supplantare gressus meos.* Ab uno tantum cœpta deprecatio refertur ad plures, ut significaret et in uno traditorem, et in pluribus populus nosceretur. Et uni quidem, et nunc et superius, malitiam et peccatum et iniquitatem exprobrat : in plurimis vero cogitatas supplantationes, absconsos laqueos, exstensas funium captiones, et continuata semitis scandala arguit, dicens.

6. *Consilia de supplantando Christo. Laquei ei absconsi. Funes ei in muscipulam tensi.* — *Qui cogitaverunt supplantare gressus meos.* VERS. 6. *Absconderunt superbi laqueum mihi, et funes extenderunt in muscipulam pedibus meis, continuata semitis scandala posuerunt mihi.* Cogitaverunt enim Synagogæ principes supplantare gressus ejus, cum post depulsam necem Lazari de eo occidendo cogitant (*Joan.* XII, 10), cum ob receptos oculos cæco illi a nativitate maledicunt (*Id.* IX, 28), cum taceri de eo decernunt, cum mortem confessoribus ejus denuntiant (*Ibid.* 22). Egregium itaque divinarum operationum suarum gressum atque cursum istius modi rebus supplantare cogitaverunt. Absconderunt autem laqueos superbi, cum Sadducæi fraudulentiam simulatæ de resurrectione interrogationis occultant (*Matth.* XXII, 23), cum responsionis laqueum captioso sermone prætendunt (*Ibid.* 15). *Superbi*, cum admisceri peccatoribus dedignantur, cum convivia publicanorum ei qui peccatorum est remissor exprobrant (*Id.* IX, 11). Funes etiam extenderunt in muscipulam pedibus ejus : cum

(*a*) Antiquiores edit. *impenetrabiles atque invios aditus.*

(*b*) In ms. Mic. *operationes ejus;* lectio non spernenda.

tributum poscitur, cum de dando Cæsari tributo interrogatur (*Mat.*, XXII, 17). Absconsus autem superius laqueus fuit, nunc autem funes in laqueum extensi sunt: ut validior hic interrogationis laqueus esse nosceretur in funibus, cum per extensum interrogationis laqueum, captiosæ ab eo professionis responsio adversus nomen Cæsaris quæreretur. (*a*) Continuantes autem semitæ scandala posuerunt ei: cum de mandatis legis interrogaretur, cum dives, legi utpote satisfaciens, quid sibi adhuc desit requirit (*Luc.* XVIII, 18), cum apud eum de repudii conditione tractatur. Hæc enim interrogationum scandala (*b*) viæ suæ doctrinæque legis continuata statuerunt, ut sub specie ac earum familiaritate quæ in lege scriptæ sunt quæstionum, hæc ei ubique continuantium semitæ interrogationum et responsionum scandala ponerentur.

587 7. *Insidiæ nobis ubique paratæ. Orandi necessitas.*—Nobis autem meminimus vitæque nostræ ubique funes, ubique scandala, ubique laqueos occurrere; nihilque esse, ubi non prætentæ nobis semper insidiæ sint. Et difficile est nunc laqueo ventrem absolvere: quia confusio illis est, quorum Deus venter est (*Phil.* III, 19). Rarum etiam est nunc a laqueo oculum liberare: quia qui ad concupiscentiam vidit, jam mœchatus in corde est (*Matth.* v, 28). Arduum quoque est linguam laqueo eximere: de omni enim otioso verbo in die judicii erit ratio reddenda (*Id.* XII, 36). Maximi etiam laboris est cor a laqueo referre: malæ enim cogitationes de corde exeunt (*Id.* XV, 19). Hi omnibus nobis laquei ubique prætensi sunt: et orandus est Dominus, ut ab his omnibus laqueis fidei nostræ pennis et spiritus evolemus.

8. *Hic mutatur oratio. Sanctorum est dicere*, Deus meus es tu? — Dehinc sequitur, VERS. 7—9: *Dixi Domino, Deus meus es tu: inaurire, Domine, vocem orationis meæ. Domine, virtus salutis meæ, obumbrasti super caput meum in die belli. Ne tradas, Domine, a desiderio meo peccatori: cogitaverunt adversum me: non tradas me, Domine, ne unquam exaltentur.* Et hic intercedens diapsalma videtur aliquam demutationem attulisse; et non exiguam quidem. Namque cum superius de cogitata supplantatione, de absconditis laqueis, de extensis muscipulis, de scandalis positis sermo omnis fuisset, nunc ad Deum refertur oratio, *Dixi Domino*: *Deus meus es tu.* Non levis atque exiguæ fiduciæ est Domino dixisse: *Deus meus es tu.* Loqui istud mens libidinosa, avara, insolens, ebria fideliter non potest. Renuntiandum his omnibus, et a servitute eorum ac famulatu desinendum est, ut ab his desinentes dicere audeamus: *Dixi Domino, Deus meus es tu.* Et hæc quidem personæ nostræ, quam in quantum fas est psalmo admiscemus, ita coaptata sunt.

9. *Filii Dei etiam proprium est.*—Sed et Domino quoque usitatum et frequens et proprium est, ut diximus: *Dixi Domino, Deus meus es tu.* Numquam confessionis hujus honorem negavit (*V. lib.* XI, *de Trin. n.* 10, *et seqq.*), ut et Dominum confiteretur et Deum, dicens: *Confitebor tibi, pater Domine cœli et terræ* (*Matth.* XI, 25); et rursum: Ad Deum meum et Deum vestrum (*Joan.* XX, 17). Oratio quoque ei ad Deum semper omnis fuit. Lazarum suscitaturus orat (*Id.* XI, 41); panes et pisces benedicturus ipso ad cœlum aspectu precatur (*Matth.* XIV, 19): calicem bibiturus pernox orat. Post confessionem itaque Domini et Dei sui, sequitur: *Inaurire, Domine, vocem orationis meæ.* Honoris confessio præcessit, cum Dominum suum et Deum dicit. Exaudiendæ autem orationis precatio consequitur, cum se orat audiri.

10. *Nostrum est virtutis salutem, Christi virtutem salutis orare.*—Sed in eo quod sequitur: *Domine, virtus salutis meæ*, non communis est fiduciæ professio. Non enim ait: Salus virtutis meæ. Humani namque voti res ista est, ut virtuti nostræ salutem precemur, ut sanitas his in quibus valemus a Deo sit. Hæc autem e contrario precatio est, ut non virtutis suæ salus, sed salutis 588 suæ virtus a Deo sit. Qui saluti virtutem precatur, jam de salute non ambigit, et certus est nihil in se caducum, nihil mortale esse. (*c*) Sed ei, quod assumpsit, infirmo ut virtus præstetur, orat per corpus quod Dominus in se gerebat. Quod tametsi (*d*) secundum nos morti debitum erat, non tamen erat obnoxium corruptioni, ipso per Prophetam loquente: *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem* (*Ps.* XV, 10).

11. *Christo unde cum trepidationis affectu summa fiducia.* — Non est igitur de salute naturæ hujus in se infirmis incertus. Solam a Deo virtutem ejus quæ in se sit salutis orat: et orat per hanc confidentiam qua ait: *Obumbrasti super caput meum in die belli.* Si ex persona cujusque hominis psalmus hic omnis est; quomodo sibi tam diversa conveniet, ut cum dictum sit: *Eripe me, Domine, ab homine malo*, et: *Custodi me de manu peccatoris, Domine;* nunc rursum securus de omnibus dicat: *Obumbrasti super caput meum in die belli?* et cum superius ex metu fuerit oratio, nunc sit gratulatio ex securitate? Hoc autem totum dici ab eo ex ratione poterit, qui gerens hominis Deique naturam, habebat et ex hominis infirmitate trepidationis affectum, et ex conscientia divinitatis fiduciam securitatis. Scit autem se in die gloriosi illius belli, quo mortem perimet, quo diabolum vincet, quo omnes potestates inimicas triumpho crucis suæ configet, obumbratum protectumque iri. Namque cum ex persona Dei patris dictum de eo antea fuerit: *Cum ipso sum in tribulatione* (*Ps.* XC, 15); et rursum: *Manus enim mea auxiliabitur ei, et brachium meum confortabit eum, nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non adjiciet nocere ei* (*Ps.* LXXXVIII, 22 *et* 23); quid profecit inimicus Judam ad voluntatem traditionis inspirans?

(*a*) Prima editio Par. et ms. Mic. *continuantis.*
(*b*) Miciacensis ms. *viæ se doctrinæque legis coninuanti.*
(*c*) Sic mss. At editi, *sed et quod assumpsit.*
(*d*) Id est, nostri ad instar mori debebat. Præpositionis *secundum* eadem vis est supra pag. 455, b.

Permissum enim corpus passioni est; (*a*) sed permissa sibi, dominata mors non fuit: Sanctus enim non vidit corruptionem. Et iniquitatis filius cum eum traderet, ad nocendum ei quid adjecit? Non modo in vitam corpus rediit ex morte, sed etiam ad divinitatis gloriam natura corruptionis absorpta est.

12. *Patri obsequens, etiam voluntatem habet. Quæ de sua passione prædicta sunt, optat impleri et in nullo præpediri.* — Securus itaque et confidens obumbratum se esse in die belli, etiam hoc precatur: *Ne tradas, Domine, a desiderio meo peccatori.* Qui ait: *Non veni voluntatem meam facere, sed voluntatem ejus qui me misit* (*Joan.* VI, 38), susceptum opus etiam pro obedientiæ obsequela festinat implere; sed ita, ut meminerimus esse in eo voluntatis officium. (*b*) Vult namque quæ Pater voluit. Id enim quod ait: *Non veni voluntatem meam facere, sed voluntatem ejus qui misit me:* eum a quo est missus cuique obedit ostendit: non tamen sibi detrahit voluntatem. Omnia ergo quæcumque Patri placita sunt, consummare optat, et universa quæcumque sibi in passione desiderabilia sunt, exsequi properat: 589 ne quid ex his sit, quod (*c*) præveniens peccator impediat. Desiderio desideravit cum discipulis pascha manducare (*Luc.* XXII, 15); festinato paschæ cœnam peregit. Desideravit calicem passionis bibere, dicens: *Calicem quem Pater meus mihi dedit, non bibam illum* (*Joan.* XVIII, 11)? quærentibus se ultro his, qui ad comprehendendum eum venerant, et interrogantibus qui Jesus esset, ingessit (*Ibid.* 4). Scit sibi aceti poculum esse potandum: hoc ut bibat postulat. Magnum in eo, cum bibisset, voluntatis suæ fructum capiens, ait: *Consummatum est* (*Id.* XIX, 30): quo in verbo desiderabilis voti gratulatio continetur. Liberari animam suam a framea in psalmis frequenter oraverat (*Ps.* XXI, 21), os non comminuendum significaverat (*Exodi* XII, 46), sortitu vestem suam obtinendam denuntiaverat (*Ps.* XXI, 19). Hæc omnia, quæ desiderii sui sint, ad prophetiæ fidem ut impleantur orat: ne quid ex his peccatori sit potestatis, ne (*d*) pascham præveniat quæ desiderio desideratur, ne calicem passionis ingerere non audeat (nam ad primam Domini responsionem peccator omnis, qui ad comprehendendum eum venerat, procidit), ne acetum quod potandum est non præsto sit, ne ante quam spiritum (*e*) emittat, lancea miles latus fodiat, ne frangendi ossis manente adhuc spiritu pateat occasio, ne quid ex prophetia minus fiat, ne aliquid peccatori ex desideriis suis tradatur; sed in se omnia, quæ et desiderata sibi et A prophetata sunt, impleantur. Orat autem de his, non quod implenda non essent, sed ut de se prophetata esse intelligi possint.

13. *Inimici ejus a cogitatis exciderunt.* — *Cogitaverunt*, inquit, *adversum me: non derelinquas me, ne quando exaltentur.* Multa adversus eum cogitata sunt: sed maxime illud, ut pecunia militibus collata, fama ab his furati corporis venderetur. Sed eo in corpore rursus adstante, inanis hæc impiæ cogitationis meditatio fuit. Non relictus peccatoribus exaltandi se locus ullus est: impletur prophetia. Pendet in ligno vita eorum, aceto ac felle potatur, anima ejus a framea liberatur, os non conteritur, sors super vestem mittitur: nihil e desideriis unigeniti filii Dei peccatori traditur, tertia die resurgit, non relinquitur in B inferno nec corruptionem Sanctus videt: et omnia, quæ geruntur in Domino, ad confundendas et consternandas impiorum cogitationes, habent in se et rerum præsentium admirabilem efficientiam, et prophetiæ indemutabilem veritatem.

14. *Eorum pœna. Circuitus contra Christum.* — Dehinc sequitur, VERS. 10 et 11: *Caput circuitus eorum, labor labiorum ipsorum operiet eos. Cadent super eos carbones* (*f*) *ignis, et dejicies eos, in miseriis non subsistent.* Post superiorem sermonem, in quo omnis ad Deum de se fuerat oratio, nunc etiam interventu diapsalmæ demutavit ordinem sensus. Retulit enim (*g*) se ad peccatorum justissimam pœnam, quos primum ipsum illud 590 conventus sui caput, deinde labor labiorum suorum et omne maledictionis opus operiet. Ut enim omnibus sanctis caput Christus est, ita omnibus iniquis caput diabolus est. Testatur autem frequenter (*h*) istos impios erga se circuitus Dominus, cum ait: *Circumdederunt me gemitus mortis* (*Psal.* XVII, 5); et rursum: *Tauri pingues obsederunt me* (*Ibid.* XXI, 13); et iterum: *Circumdantes circumdederunt me* (*Ibid.* CXVII, 11); et statim: *Circumdederunt me sicut apes* (*Ibid.* 12). Quod autem principe diabolo hæc gesta sint, testantur Evangelia, cum dicunt: *Et immisit se diabolus in cor Judæ, ut traderet eum* (*Joan.* XIII, 2). Laboratum est autem multa voce populi, cum clamatum est: *Crucifige, crucifige* (*Luc.* XXIII, 21). Operiet igitur eos caput circuitus, et labor labiorum eorum, ut cum alii immortalitatis gloria induentur, illi impietatis C suæ pudore et damnatione diaboli operiantur. Et quæ ea damnatio esset qua operirentur, adjecit: *Cadent super eos carbones ignis, super terram dejicies eos, in miseriis non subsistent.* Hæc impiorum operi-

(*a*) In vulgatis, *sed permissi sibi corporis:* interpolationem suspicamur, quam corrigimus ex ms.

(*b*) Non ut *sine voluntatis libertate sit*, et *ei naturæ infirmitas imperet necessitatem*, ut fuse disseritur lib. IX, de Trin., n. 48 et 49.

(*c*) Mic. ms. *præbens.*

(*d*) Ex ms. restituimus *pascham* pro *pascha;* maxime cum *quæ*, non *quod* subjiciatur. Tum legendum putamus *præpediat*, non *præveniat.*

(*e*) Editi, *amittat:* emendantur ex ms.

(*f*) Sic. Par. et ms. Mic. suffragante pervetusto psalterio German. nisi quod habeat *et dejiciet.* Ita quoque vertit Hieronymus ex hebræo, omisso *et.* At Bad. et Er., *in igne dejicies.* Lips., *in ignem dejicies.* Græcus textus, ἄνθρακες πυρὸς ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ καταβαλεῖς αὐτούς: juxta quem habet Augustinus, *carbones ignis in terra et dejicies eos.* Hilarius infra eidem consentit.

(*g*) In vulgatis deest *a se.* Suppletur ex ms. Mic.

(*h*) Editi omittunt *istos.* Tum Par. post Lips. exhibet, *impiorum*: reluctantibus aliis libris.

menta sunt, hæc irreligiosorum æterna vestis est : ut adversus decidentes carbones et ingruentes miserias non subsistentes, tali cum ipso circuitus sui capite et labore labiorum damnationis suæ onere deprimantur.

15. *Judæ proditoris nequitia.* — Tenuit autem etiam nunc eum ordinem, quo in superioribus usus est, ut cum in pluribus populum ostendat, nunc in uno Judam significare videatur, dicens, VERS. 12 : *Vir linguosus non dirigetur super terram : virum injustum mala capient in interitu.* In linguoso anceps et dubium et fallax os proditoris ostenditur, qui, sero criminis sui scelere comperto, laqueo se a vita et fide profugus suspendit. Nihil enim directum in eo, nihil simplex, nihil absolutum fuit : fur antea, dehinc proditor, postremo ipse in se dignus ultor (*Joh.* XII, 4); nunc mulierem effuso in caput Domini unguento damni inutilis arguens, nunc Judæis omnes Domini aditus et egressus nuntians, nunc de pretio justi sanguinis paciscens (*Matth.* XXVI, 15); linguosus semper; semper in verbis, ut in eum prophetæ dictum competenter aptetur : *De multiloquio non effugies peccatum* (*Prov.* X, 19). Hic ergo in hoc multiloquio suo peccator non directus in vitam est, neque rectum fidei iter tenuit; sed, ut dignum est, mala eum in interitu ceperunt. Impius in Deum cum fuisset, postea in semet quoque ipsum impius mansit. Fur pecuniæ, venditor sanguinis justi, proditor Dei, et quantum in se est, parricida, nec vitæ venian potuit habere, nec mortis.

16. *Paupertas Christi. Vindicari proprie non convenit Christo, sed servis ejus.* — Non nescius itaque hujus vindictæ suæ unigenitus Deus est; ait enim, VERS. 13 : *Cognovi quia faciet Dominus judicium inopis, et vindictam pauperum.* Pauper Dominus secundum hominem est. Paupertavit enim se, secundum Apostolum, ut nos locupletaremur, cui in sæculi rebus nihil nisi corpus fuit (II *Cor.* VIII, 9). Hujus enim salutis **591** causa nasci inops voluit ex virgine : non pecuniam, non agrum, non pecus cœlorum Dominus elegit. Pauper ergo in homine tantum suo fuit, sed non solum judicium inopis, sed et vindictam pauperum Dominus faciet. Judicium inopis referri ad damnationem eorum, qui injusti in Dominum exstiterunt, oportet. Convenit enim eos secundum judicium, non secundum vindictam judicari. Inferioris naturæ est, (*a*) qui debeat vindicari. Vindicantur cæteri pauperes, id est, qui Dominum exemplo passionis secuti sunt, qui ex contemptu sæculi et pecuniæ pauperes fuerunt. Fit ergo judicium inopis, cum ob passionem Domini impii judicantur. Pauperes vero vindicantur, quorum sub ara occisorum sanguis clamat, vindictam in impios postulans (*Apoc.* VI, 9) : qui quotidie in gloria martyrii manentes, Dei nomini confitentur.

17. Et sermo ipse, quo psalmus clauditur, ita loquitur, VERS. 14 : *Attamen justi confitebuntur nomini tuo, et habitabunt recti cum facie tua.* Justorum confessio potest etiam (*b*) corporalis videri, quia plures in carne adhuc licet positi, Dei nomini confitentur. Recti autem habitantes cum facie Dei, nihil in se corporale retinere intelliguntur. Natura enim carnis Dei non patitur aspectum, ipso dicente : *Nemo videbit hominum faciem meam, et vivet* (*Exod.* XXXIII, 20). Hoc jam cœlestium est, et transformatorum, et terrenam corruptionem cœlesti incorruptione mutantium : quos jam divinitatis honore claros, conregnaturos (*c*) ipse Deo patri tradet in regnum Dominus noster Jesus Christus, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXL.

Domine, clamavi ad te, exaudi me : intende voci orationis meæ, cum clamavero (Infra, *dum clamabo*) *ad te. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo* (His præmittitur, *Domine*) : *Elevatio* (*allevatio*) *manuum mearum sacrificium vespertinum. Pone Domino custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis. Non declines cor meum in verba mala* (*malitiæ*), *ad excusandas excusationes in peccatis, cum hominibus operantibus iniquitatem : et non combinabo cum electis eorum. Corripiet me justus in misericordia, et increpabit me : oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Quoniam adhuc* (*et*) *oratio mea in beneplacitis eorum ; absorpti sunt continuati petræ judices eorum, Audientur* (*audient*) *verba mea, quoniam potuerunt : sicut crassitudo terræ eruptum est super terram.* **592** *Dissipata sunt ossa nostra secus infernum ; quoniam ad te, Domine, oculi mei : in te speravi, non auferas animam meam. Custodi me a laqueo quem statuerunt mihi, et scandalis operantium iniquitatem. Cadent in retiaculo ejus peccatores : singulariter sum ego, donec transeam.*

TRACTATUS PSALMI.

1. *Oratio, etsi tacita, per fidem clamat.* — Omnium sanctorum fidelis oratio, clamor est Deo : fide enim ad eum, non vocis clamore clamatur (*Psal.* CXVIII, *n.* 1 et 2). Moyses instante Ægyptiorum rege mœstus stabat in littore : sed tacente licet eo, excelsæ mentis fidelem orationem Dominus audivit, dicens : *Quid proclamas ad me* (*Exod.* XIV, 15)? Martyrum quoque sanguis voce corporis caret ; sed indignitas necis eorum Deo clamor est, ipso Domino de Abel ad Cain dicente : *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me* (*Gen.* IV, 10). Sic et sub ara Dei Martyrum animæ proclamare scribuntur, magna voce dicentes : Quousque Dominus sanctus et verus non judicas et vindicas sanguinem nostrum de habitantibus in terra (*Apoc.* VI, 10)? Si igitur non humilia, nec terrena, nec corporalia fidei spiritu oremus ; tacens licet oratio nostra, Deo clamor est. Atque ideo Propheta

(*a*) Ms. Mic. *quæ debeat.*

(*b*) Hoc est, potest ad eos referri, qui in corpore adhuc degunt terreno, fragili, infirmo, corruptibili ac nondum per gloriosam resurrectionem renovato. Hinc intelligitur quid deinde sibi velit quod *habitantes cum facie Dei nihil in se corporale retinere debeant.*

(*c*) In vulg. *ipsi Deo.* Præferimus cum ms. Mic. *ipse*, scil. *Dominus.*

totus (*a*) ad Deum spiritu orationis intentus, ita cœpit, VERS. 1 : *Domine clamavi ad te, exaudi me.* Et ut clamorem istum non vocis, sed fidei doceret esse ; adjecit : *Intende voci orationis meæ, dum clamabo ad te.* Clamor etiam invitis nobis penetrat in auditum, ac se sponte in aures nostras vi contentæ vocis immittit. Sed quia Propheta non tali clamore clamat, orat ut clamante se Deus in vocem orationis intendat : per id namque quod intenditur, fidei inspectio est, non clamoris auditio. Id enim quod interius est, intenditur : cæterum clamorem corporalem intendi non necesse est, per semetipsum omnem sensum aurium occupantem.

2. *Oratio pura. Incensi natura et compositio. Significat orationum quatuor genera, vel ex quatuor elementis hostiam laudis Deo offerri.* — Dehinc sequitur, VERS. 2 : *Domine, dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Quorum pura et recta et sincera oratio est, hi dicere poterunt, *Dirigatur oratio mea :* cæterum si externarum cogitationum interventu depravabitur, non dirigetur. Sed quod ait, *Dirigatur ut incensum ;* intelligendum est quid sibi velit comparatio proposita incensi. Et primum natura incensi ea est, ut in altum se de humilibus extollat, spirans optime, et sese nobis in sensum suaveolentiæ immittens. Hinc ex quatuor odoratissimis generibus in maximam subtilitatem comminutis componitur, stacte, onyche, galbano, thure : quæ omnia hæc in formam orationum **593** fidelium constituta esse, beati Joannis Apocalypsis ostendit, cum ait : *Et illi quidem viginti quatuor seniores prociderunt ante Agnum, habentes quisque citharam et phialas aureas plenas odoribus, qui* (*al.* quæ) *sunt orationes sanctorum.* Quatuor autem genera orationum Apostolus esse significat, ad Timotheum scribens : (*b*) *Exhortare ergo primo omnium fieri precationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones* (I *Tim.*, II, 1). Humilitatis nostræ est deprecari, magnificentiæ Dei est orari, fidei est postulare, confessionis et laudis est gratulari. Et forte quatuor illa genera odorum ad unum thymiama ex partibus subtilissimis comparata, singulis quoque generibus poterunt consummandæ orationis aptari. Quamquam speciem quatuor elementorum, horum quatuor odorum natura et species significare videatur : ut thus quod perlucidum est spiritui comparetur, stacte vero aquis, galbanum et onyx terræ et igni : ut per hæc omnium quæ in cœlo et infra cœlum et in terra et in aquis sint, placita Deo incensi modo hæc offeratur laudis oratio. Sed hæc his, quos profundioris scientiæ cognitio delectat, relinquamus : nobis sufficit prophetica atque apostolica auctoritas, quæ et incensum orationes esse significat, et orationes deprecatur dirigi ut incensum.

3. *Manuum elevatio et extensio quid differant.* — Sed qui deprecatus est orationem suam dirigi ut incensum, etiam illud post hæc ait : *Allevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Plurimis locis (*In Ps.* LXII, n. 7) tractavimus, in allevatione manuum excelsi operis officium monstrari : ut cum Moyses elevatis manibus stare præceptus est, populo in allevatione et demissione manuum suarum vel victore vel victo. Apostolus quoque orantes jubet elevare manus puras (I *Tim.* II, 8). Et cum ait : *Sine ira et contentione* (*Ibidem*) ; non habitum orandi constituit, sed præscriptum divinæ operationis adjecit. Denique Dominus per Esaiam (*Esa.* I, 15) prophetam orationes impiorum improbans, ita locutus est ; *Si extendatis manus, avertam oculos meos a vobis,* non utique si elevetis, sed si extendatis manus ; quia habitus orandi in manibus extendendis est, perfecti autem operis efficientia est in elevandis.

4. *Vespertinum sacrificium quid.* — Manuum ergo elevatio, sacrificium vespertinum est. Non enim sanguine et holocaustis nos, in quos consummatio sæculorum devenit, sacrificamus Deo. Sed quod sacrificium vespertinum placitum sit, audiamus Dominum in Evangeliis dicentem : *Venite, benedicti Patris mei, possidete præparatum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare ; sitivi, et dedistis mihi bibere ; hospes eram, et suscepistis me ; infirmus et visitastis me ; in carcere fui, et liberastis me* (*Matth.* XXV, 34 *et seqq.*). Et respondentibus illis quod numquam his officiis humanæ necessitatis eguisset, ait : *Amen* **594** *dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus minimis, mihi fecistis* (*Ibidem*, 40). Hoc sacrificium vespertinum, id est, temporum novissimorum est. In hoc manus elevandæ sunt : quia istius modi orationibus, jam ab initio mundi, benedictis Dei regni cœlestis præparata possessio est.

5. *Linguæ lapsus et remedia.* — Sed meminit propheta, præter clamorem fidei, præter orationem quæ dirigenda est ut incensum, et præter elevationem manuum in qua sacrificium vespertinum est, et aliud sibi adhuc opus consummandæ in se justificationis optandum. Dicti scilicet hujus evangelici memor, Ex verbis tuis justificaberis, aut ex verbis tuis condemnaberis (*Matth.* XII, 37) ; recolens quoque de omni se verbo otioso rationem in die judicii redditurum (*Ibid.* 36), necessario deprecatus est, dicens, VERS. 3 : *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis.* Non levem custodiam ori orat apponi, ostium scilicet circumstantiæ : ut custodia illa non observatio sit aliqua, sed claustrum. Periculosus enim linguæ et promptissimus lapsus est : et ex ea maledictum, mendacium, perjurium, obtrectatio motu facili et aditu patenti efferuntur. Oremus ergo nobis circumstantiæ ostium. In eo enim libro, qui nobiscum (*c*) Salomonis inscribitur, apud Græcos autem atque Hebræos Sapientia Sirach ha-

(*a*) Ita ms. At Bad. *ad Deum spiritum :* ac deinde cum Er. et Lips. *orationi.* Tum apud Par. desideratur *intentus.*

(*b*) Editi excepto Par. *exoro ergo.* Apud Par. ex ms. Mic. repositum est *exhortare ergo.* Magis nobis probaretur, *exhortor,* secundum græc. παρακαλῶ.

(*c*) Hoc est, apud Latinos. Ita inscriptus sæpenumero occurrit apud Cyprianum, puta lib. III, ad

betur, ita monemur : *Ecce circumvalla possessionem tuam spinis, argentum et aurum tuum constitue, et ori tuo fac ostium et seram, et verbis tuis jugum et mensuram* (*Eccli.* XXVIII, 28 *et* 29). Et ostium et seram ori jussit apponi : ne verbis esset facilis egressus. Iisdem autem verbis jugum mensuramque constituit : ut rationis jugo subdita, librata per mensuram moderatione penderent.

6. *Cor pravum qui delictis excusationes perquirat, præsertim hæresi.* — Tendit adhuc propheta ad justitiæ perfectionem. Namque post fidei clamorem, post orationem, post opera, post ostium oris, consummari se quoque officio cordis orat, dicens, VERS. 4 : *Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis, cum hominibus operantibus iniquitatem.* Cum ex innocentiæ ac justitiæ studiis in vitiosam voluntatem decidimus, tum cor nostrum in mala verba declinat : non ut peccatum excusemus (omne enim peccatum inexcusabile est), sed ut excusationes excusemus. Crimen enim cædis, atque adulterii, et talium cæterorum, per naturam atque indignitatem facti inexcusabile est. Sed qui in eo deprehensus erit, non dicet : Adulterium aut cædes non habet crimen : sed dicet, Mulier importuna, incontinens, adblandiens pellexit, et in (*a*) voluptatem coegit. Vel alius ille dicet, Conviciis movit iram, injuriis armavit dolorem, casus litis cædem peregit. In hæc verba cor sese, postquam ab eo peccatum est, declinat : ut (*b*) per excusationes peccati quod admisit, se excuset. Cor autem rectum atque purum in hæc verba excusationum **595** non declinat : sed manet inviolatum atque constans, sine sollicitudine verborum ad excusandas excusationes quærendorum, cum vitæ innocentia peccati excusatione non egeat. Et hæc quidem in corporalibus rebus ita sunt. In his vero, quæ spiritalia existimantur, id est, in hæreseos doctrina, incredibile est quo cordis labore, qua verborum exquisitione excusationes suas hæretici excusent. In quæ omnia ne declinetur cor suum; justus exposcit : ne per hanc declinati cordis ad excusandas excusationes necessitatem, cum electis eorum combinetur.

7. *Binarius numerus male sonat.* — *Et non* (*c*) *combinabo*, inquit, *cum electis eorum.* Combinari cum electis iniquorum non vult propheta. Meminit enim numerum hunc rebus immundis deputatum, cum ad Noe de recondendis in arca animalibus constituitur præceptum (*Gen.* VII, 2) : *A pecoribus autem mundis induces ad te septem et septem, et a pecoribus immundis bina et bina.* Est et majus adhuc et absolutius inutilis hujus numeri exemplum. Dominus enim noster Jesus Christus omnes immunditias nostras et peccata nostra auferens, fecit secundum Apostolum utrumque unum (*Ephes.* II, 14) ; et secundum eumdem, ut duos conderet in se (*d*) in unum novum hominem, faciens pacem, ut reconciliaret ambos Deo in corpore uno, internum scilicet hominem et externum fecit unum (*Ibid.* 15). Non ergo combinamur, sed unimur : quia unitas fidei est, at vero combinatio consortium factionis.

8. *Misericordia in delinquentes utendum, sed justa.* — Non modo autem non combinari se propheta cum (*e*) electis iniquorum non optat ; sed etiam, quia homini errare (*f*) debitum est, si quid forte secus et humanitus gesserit, corripi se a justo in misericordia et argui mavult. Formam namque in se naturæ nostræ infimitatisque constituit. Plures etenim nostrum, cum lapsi fuerint, cum erraverint ; emendari se justæ misericordiæ arguitione fastidiunt : et combinari malunt peccatoribus, quam per justorum correptionem ad pœnitentiam retorqueri. Tenuit autem egregie rationem veri propheticus **596** sermo, dicens, VERS. 5 : *Corripiet me justus in misericordia, et increpabit me.* Est enim misericordiæ modus : et miserandi adhibenda justitia est. (*g*) Dolor quidem potest esse erga eos, quorum crimina gravia sunt ; sed misericordiæ locus nullus est. Misericordia enim se ad veniam de Deo orandam his quæ sunt gesta deflectit : cæterum veniam præstare illicitis, non est misericordiam præstare, sed justitiam misericordiæ non tenere. Quam rationem diligentissime apostolus Joannes retinuit, dicens : *Si quis scit fratrem suum delinquere, sed non ad mortem ; petat, et dabit illi Deus vitam. Est enim peccatum ad mortem, sed non pro eo dico* (I *Joan.* V, 16). Quod autem justus in misericordia corripere atque arguere eum qui lapsus sit debeat, beatus Paulus docet, dicens : *Fratres, et si præventus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui estis*

Quirinum, n. 95, 96, 100, etc. Idem liber ab eodem *Scriptura divina* appellatur lib. de Mortalit. Pamelius, in lib. II Cypriani ad Quirin., nota 2, recenset antiquos, qui eumdem librum Salomoni nuncupant, eique divinam attribuunt auctoritatem.

(*a*) Editi, *voluntatem* : corriguntur ex ms.

(*b*) Ita editi excepto Par. in quo exstat, *ut excusatione peccati*, omisso deinde *se*. Non displiceret, *ut excusationes peccati* sine *se*.

(*c*) Bad. Er. et Lips. *combinabor* : quibus favet subnexa Hilarii expositio. Non male tamen apud Par. ex ms. Mic. restitutum est *combinabo*. Sic enim legere est apud Augustinum et in veteri psalterio German. suffragantibus plerisque græcis, qui scribunt συνδυάσω, *combinabo*, ubi alii præferunt συνδιάσω, *communicabo*. Illi tamen verbo vim passivam Hilarius attribuit.

(*d*) Particulam *in* hactenus omissam restituimus auctoritate ms. et apostolici textus. Porro externum hominem corpus, internum autem animam Hilarius intelligit in psal. CXVIII, n. 6 et 7, et in psal. CXXIX, n. 6.

(*e*) Qui sint illi, exponit vulgatus Hieronymus in eumdem versum : *Sicut Dominus habet electos sanctos, ita et diabolus habet electos suos.*

(*f*) Sic *homini errare debitum* hic dicitur, quomodo supra in psal. CXXX, n. 15 : *Hæc sunt infirmitati nostræ et corpori debita, mori, infirmari, egere.* Quod ad hominem lapsum attinet.

(*g*) Ita ms. ac prima editio Par. nec debuit in postremam revocari, quod apud Bad., Er. et Lips. perperam exstabat, *proh dolor, quid potest esse erga eos*, etc. Proxime adeo Hilarium audivimus adversus impiam Novatianorum doctrinam disputantem, puta in psal. CXXXVII, n. 7, ut eum illis hic favere voluisse, ne vel suspicari liceat.

spiritales, consummate eum in spiritu lenitatis (*Gal.* v, 1). Sed ne ipse quidem rationis justæ misericordiæ immemor fuit : præventum enim in delicto, non (*a*) voluntate delinquentem, consummari per arguitionem jubet. Atque ideo propheta cum ait : *Corripiet me justus in misericordia, et increpabit me ;* et fidei suæ, et humanæ infirmitatis memor, corripiendum se in his ait, quæ justæ misericordiæ arguitione sunt digna.

9. *Ut correptio, ita et doctrina a sancto viro quærenda.* — Orat autem adhuc et aliud, ne doctrinis videlicet peccatorum imbuatur, neve usque (*b*) ad peccantium misericordiam decidat : *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Vult eum, qui nos doceat atque arguat, conscientiæ puræ esse. Dominus vero in Evangeliis, cum de jejuniorum puritate loqueretur, ait : *Vos autem cum jejunatis, ungite caput vestrum, et faciem vestram lavate* (*Matth.* VI, 17). In abluenda facie, nitorem puræ conscientiæ exegit; ne quid in nobis sordidum, ne quid oblitum adhæreret : in capite vero ungendo, doctrinis nos atque operibus spiritalis institutionis perfectos esse præcepit. Oleum enim luminis pabulum est ; et doctrina atque opus spiritale cœlestis nobis gloriæ causa est. Ut enim lumen ex 597 oleo luminis habet causam ; ita, ut lucem spiritalis gloriæ retineamus, doctrina atque operatio præstat : ut caput nostrum, sedes scilicet vitæ et prudentiæ et omnium sensuum, oleo operationis doctrinæque pinguescat. Sed oleum hoc non a peccatore sumendum est : et orandus est Deus, ne hoc peccatorum infundat. Ut enim a sancto et fideli viro argui se velle prudentis est ; quia ægris animis et peccator morbo languentibus utilis est severæ objurgationis sub honesto auctore medicina : ita miserum est per peccati miserationem usque ad ipsam peccantium misericordiam decidisse. Hoc ergo utrumque a se detestatur propheta.

10. *In peccatis permanetur, quia placent.*—Sequitur deinde : *Quoniam adhuc et oratio mea in beneplacitis eorum ;* VERS. 6 : *absorpti sunt continuati petræ judices eorum.* Causam cur absorbeantur continuati petræ eam dicit, quia adhuc sit oratio sua in beneplacitis eorum. Orat propheta (*c*) eadem quæ superiora sunt, ne oleum peccatoris caput suum impinguet. Hoc Propheta orat. Sed peccatores ne hac quidem prophetæ oratione terrentur, ut ab his quæ placita sunt sibi desistant. Nemo enim in peccatis, nisi (*d*) quia his delectatur, perseverat : et causam in unaquaque re permanendi, voluptatis oblectatio subministrat. Ergo quia adhuc orante eo in beneplacitis eorum sunt, id est, quia quod erant, non demutatur per eos voluntate (*supple* permanente) peccandi, et peccatores esse persistunt ; nec oratio ejus finem accipit : quia tamdiu in beneplacitis eorum ejus oratio est, quamdiu beneplacitum illis fuerit peccare.

11. *Iniqui adventu Christi absorbendi.*—Idcirco *absorpti sunt continuati petræ judices eorum.* Petram non novimus nisi Christum : quia dictum est de eo, *Petra autem erat Christus* (I *Cor.*, x, 4). Quo adveniente (*e*), cum se hi peccatorum electi et judices ipsi continuabunt, absorbentur. Mors enim tunc, et corruptio, et peccatum absorbebitur, ut scriptum est, *Absorpta est mors in contentionem. Ubi est aculeus tuus ? ubi est contentio ? Aculeus enim mortis peccatum est* (I *Cor.*, xv, 54 *et* 55). Absorbentur autem continuati petræ horum judices cum illo suo principe, de quo dictum est : *Et tunc revelabitur ille impius, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et evacuabit eum præsentia adventus sui* (II *Thess.*, II, 8). Per hanc ergo adventus Domini præsentiam evacuabuntur absorpti, et absorpti judicio sanctorum. Sequitur enim : *Audient verba mea, quia potuerunt.* Potuerunt vel absorbere, vel (*f*) audire. In præsentia enim Domini absorbentur propheticæ veritatis arguitione et impiæ suæ falsitatis opprobrio.

12. *Crassitudo vitiorum comes aut causa. Vitia non sinunt hominem intra leges naturæ coerceri.* — Neque

(*a*) Hoc est, qui voluntatem ita habet in peccato obfirmatam, ut cum sciat peccatum esse, nolit ab eo discedere : seu ut Hilarius ipse explicat in psal. CXLIV, n. 19 : *Qui voluntate permanserit* in peccato, *quem vitiorum usus oblectet, quem non pœniteat admissi.* Hinc cum ait in psal. CXXXV, n. 4 : *Extra veniam est, qui peccatum cognovit, nec cognitum confitetur*, confiteri hic pro pœnitere videtur posuisse, adeoque tantum impœnitentibus veniam negare. Licet enim hæc, *nec cognitum confitetur*, intelligere ex illis, *quem non pœniteat admissi.* Et quidem cum in psal. CXXXV, n. 4, et in CXXXVII, n. 3, ait : *Confessio est professio desinendi*, ac rursum in ps. CXLIV, n. 18 : *Pœnitentia auctor est desinendi*, satis indicat pœnitentiæ et confessionis vocabulis non aliud sæpe numero se significare. Itaque cum apud Hilarium voluntate delinquentes opponantur pœnitentibus, quia nimirum his affectus inest inviti; quos intelligere debemus voluntate delinquentes, nisi impœnitentes? His autem veniam negans, cæteris concedit in ps. CXLIV, n. 19 : *Habet enim veniæ apud Deum solatium, pœnituisse de gestis : nec temperamento severitatis indignum est, quod per admissi dolorem, affectum ita profitetur inviti.* Quamquam hoc pluribus locis videtur docere, iis tantum, qui aut errore, aut carnis fragilitate, aut tentatione diaboli lapsi sint, veniam concedendam ; iis autem, qui scientes ac volentes peccaverint, denegandam. Hoc præ se fert illud lib. VI de Trin. n. 45, ad insignes quosdam Arianos, quos, ut loquitur, *irreligiositatis voluntas* in hæresi detineret : *Tibi jam omnia clausa sunt ad salutem, qui negas quod jam ignorare non potes. Non enim ignoras esse filium Dei*, etc. Vide similia ibid. num. 1 et alibi.

(*b*) In vulgatis, *usque ad peccandi usum per misericordiam :* lectio interpolata. Sincerior est, quam exhibemus ex ms. Observandum porro est, in quibusdam psalteriis, v. g. in Germanensi, pro *Oleum autem peccatoris*, haberi : *Misericordia autem peccatoris ;* sane quia interpres pro ἔλαιον legerit ἔλεος. Hilarius autem utramque illam versionem complectens, utrique congruam interpretationem subjicit ; quod non tantum liquet ex primis illis, sed et ex postremis hujusce numeri verbis.

(*c*) In ms., *idem.*

(*d*) Ita cum ms. prima editio Par. Aliæ vero, *qui.* Ita infra reposuimus *quia adhuc*, ubi obtinebat *qui adhuc.*

(*e*) Sic ms. At editi, *cum ei hi.... continuabuntur.*

(*f*) Miciacensis codex, *audiri.* Magis placet *audire.* At non displiceret prius *absorberi.*

solum audient verba quæ possunt, sed etiam id quod sequitur his accidet. VERS. 7. *Tamquam crassitudo terræ (a) eruptum est super terram.* Quod autem crassitudo impietatis et vitiorum aut comes sit, aut causa, propheta testatur, dicens : Incrassatum est cor populi hujus. Sed et **598** Moyses irreligiositatem populi insolentis pronuntians ait : manducavit et bibit Jacob, et repletus est, et incrassatus est, et calcitravit dilectus (*Deut.*, XXXII, 15). Virtutem dicti hujus ex ipsa terræ natura absolutius intelligemus. Namque scimus crassiores pinguioresque terras in eas scrobes, e quibus effossæ sunt, ex solido non redire ; quia erumpente earum crassitudine, rursus ipsarum sunt incapaces. Itaque secundum id quod ait, *tamquam crassitudo terræ eruptum est super terram* ; docuit exemplo, quia omnis terræ nostræ, id est, corporis crassitudo, ex naturæ suæ lege vitiis effossa erumpit, et capax sui non est, in perniciem suam, ne in se reformari possit, exæstuans.

13. *Charitas aliena plorat mala quasi sua.*—Erumpente autem hac crassitudine super se, habet mœrorem Propheta, dicens : *Dissipata sunt ossa nostra secus infernum.* Se dissipari, se dispergi, se secus infernum abigi in peccatorum calamitate existimat. Si enim unum membrum compatitur, compatiuntur et omnia (I *Cor.*, XII, 26). Omnes enim invicem unius corporis membra sumus, ut et in altero psalmo ait : *Dispersa sunt omnia ossa mea* (*Ps.* XXI, 15) ; non utique ea ossa, per quæ corpus nostrum in hanc firmitatem virtutis suæ continetur : sed quia omnes unum corpus sumus, et invicem membra sumus, corporis nostri ossa sunt cæteri.

14. *Oculos corporis ac mentis qui ad Deum intendat Propheta.*— Vellet potius non erumpere crassitudinem terræ eorum, neque dissipari ossa secus infernum ; sed omnes magis hac, quæ consequitur, voce voti uti. VERS. 8 et 9. *Quia ad te, Domine, oculi mei : in te speravi, non auferas animam meam. Custodi me a laqueo quem statuerunt mihi, et a scandalis operantium iniquitatem.* Intenti Prophetæ ad Dominum oculi non deflectuntur in aliquas superfluarum rerum admirationes, non ad contumeliam pudicitiæ honestas humanorum corporum species contuentur, non capiuntur aut pretiosarum vestium opere, aut blando argenti nitore, aut illecebroso fulgore auri, aut inani honore gemmarum, aut factioso spectaculi theatralis certamine, aut ambitiosa potestatum sæcularium pompa : sed in omnia magnifica Dei opera, ad admirationem ejus, qui ea est operatus, intendunt. Neque solum oculis, sed etiam mente semper intentus est, dicens : *In te speravi, non auferas animam meam.* Ablatio animæ non abolitio ejus est : sed cum a gloria constituti sibi honoris aufertur, cum (*f.* tum) ab exspectatione et affectu spei suæ decidit.

15. *Insidiis plenus omnis mundus. Laquei et scandali discrimen.*— Multa autem spei suæ pericula non ignorat esse, cum ait : *Custodi me a laqueo quem statuerunt mihi, et a scandalis operantium iniquitatem.* Ubique laquei, ubique sunt scandala, mundus omnis plenus insidiis est, sive per principem aeris hujus, sive per spiritales virtutes in cœlestibus, sive per filios inobedientiæ in quibus spiritus erroris operatur. Habemus enim laqueos in hominibus malæ adhortationis, **599** periculosi exempli, et (*b*) elicitæ necessitatis : cum nos ad voluptates adhortantur, cum in prosperis rebus suis in Deum impii sunt, cum per contumelias et injurias ad motum nos turbulentæ voluntatis exagitant. Differt autem laqueus a scandalo. Laqueus enim est adhortatio voluptatum et incentivum appetitionis inhonestæ, quod modo laquei fallens capit. Scandalum autem est uxor irreligiosa, filius iniquus, et cætera deinceps (*c*) domi nomina, et omnis ex Ecclesia frater aut contumeliosus, aut avarus, aut ebriosus, aut turpis. In his enim nobis est scandalum, quotiens ad necessitatem irascendi, arguendi, inhibendi, vindicandi, ex illa quietæ fidei nostræ mansuetudine provocamur.

16. *Iniquitatum omnium unus auctor diabolus.*— Novit autem unum, qui per omnes iniquitatem operantes ipse potius in his laqueis semper operetur, dicens, VERS. 10 : *Cadent in retiaculo ejus peccatores :* ejus scilicet qui operatur in plurimis. Quidquid enim iniquitatum homines gerunt, a diabolo suggeritur : quem nunc sub singulari numero demonstrat, cum superius sub plurali ministeria ejus significasset in plurimis. Plures in eo, et eum significat in pluribus : atque ideo iniqui laqueos prætendunt, et in retiaculo ejus cadent peccatores ; quia iniqui retiaculi sui (ipsius *scil.* diaboli) laqueos prætendunt. Cadent autem peccatores : (*d*) non tunc peccatores cum ceciderint effecti, sed cadentes ob id quia peccatores sunt ; captioni retiaculi effecti, per id quod peccatores sunt, opportuni.

17. *Singularitas bona.*—Propheta autem, per spem suam ac fidem tutus, confidenter de se ait : *Singulariter sum ego donec transeam.* Scit impiam esse, ut supra ostendimus, combinationem. Deo autem deditus, nullis aliis sæculi negotiis occupatus, est et singularis, donec transeat. Et quid est illud quod

(*a*) Sic ms. hic et infra consentientibus psalteriis Carnut. ac German. Editi vero, *erupta est.* Utrumque permittit verbum græcum διερ῾ῥάγη. Exemplo terræ, quæ effossa quodam modo amplificatur et excrescit, ut intra scrobes e quibus effossa est contineri non valeat, ostendit Hilarius carnem vitiis erumpentibus extra naturæ leges egressam, intra easdem coerceri jam non posse.

(*b*) Quid sint illi *necessitatis elicitæ* laquei, intelligere est ex his ps. CXVIII, num. 17 : *Cum interdum occurrit causa iræ, doloris affectio, querelæ necessitas, malæ cupiditatis occasio.* Rursum in ps. CXLII, n. 4, prædicatur *necessitas per naturam corporis, vel per motum animæ semper fluctuantis admixta.*

(*c*) Id est, quod in ps. CXVIII, num. 3, et alibi *carissima nobis nomina.* Quomodo scandalo sint, ibi enarratur.

(*d*) Similis locus est in ps. CXXIII, n. 9. Hoc autem vult tantum Hilarius, semper præexistere peccatum, quo homo peccator efficiatur, antequam in laqueos diaboli cadat, seu potestati ejus tradatur.

transeat ? Scandala scilicet, et retiacula, et laqueos. Et quo transeat, quærendum est. Nempe eo quo dictum est ; fidelis enim et sanctus et verus est, qui ait : *Qui autem credit in me non judicabitur, sed transiet de morte in vitam* (*Joan.*, v, 24) : Dominus noster Jesus Christus, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXLI.

Intellectus David cum esset in spelunca oratio.

Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Dominum deprecatus sum. Effundo in conspectu ejus (Infra add. *orationem meam et) tribulationem meam : ante ipsum pronuntio, in deficiendo ex me spiritum meum. Et tu* **600** *cognovisti semitas meas. In via hac, qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi. Considerabam ad dexteram et videbam : quia non erat qui cognosceret me* (*non est qui cognoscat me*). *Periit fuga a me : et non est qui requirat animam meam. Clamavi ad te, Domine : dixi : Te es spes mea, portio mea in terra viventium. Intende in* (Infra abest *in*) *orationem meam : quia humiliatus sum nimis. Libera me a persequentibus me : quia confortati sunt super me. Educ de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo, Domine. Me exspectaverunt* (*exspectant*) *justi, donec retribuas mihi.*

TRACTATUS PSALMI.

1. *Psalmus hic est de Christo in David adumbrato ; Christum gestis suis David prophetavit.*—Psalmi hujus ratio titulo continetur, sed potius spiritali quam corporali intelligentia : et ideo in titulo *intellectus oratio* est. Nam si simplex, secundum David gesta, sensus esset ; *oratio* tantum psalmi titulo fuisset inscripta. Sed quia ad orationis cognitionem spiritali intelligentia opus esset ; idcirco *intellectus oratio*, quia sit intelligenda, præscribitur. Scimus enim esse et illum David, cujus tabernaculum quod ceciderat excitatum est, justum, orientem, regnantem, id est, Dominum nostrum Dei filium : qui frequenter fugerit, frequenter latuerit, frequenter oraverit, in ipso quoque tempore passionis et fleverit, et ad Deum in tribulatione clamaverit, non ob naturalem quasi passionis metum, sed affectum hominis quem gerebat ostendens : ut per hanc orationem et filius Dei ad quem oraret, et ipse non simulatus (*a*) homo, sed verus posset intelligi. Ejus itaque esse hæc intelligitur oratio. David quidem in spelunca loquitur ; sed prophetat in Christo. David fugit ; sed fugam Domini sui non tam per verba quam per fugam prophetat. David spiritu defecit ; sed et Domino tristis est anima usque ad mortem. David semitas Deus cognoscit ; sed et Filium nemo novit nisi Pater. David in fidei suæ viis laquei absconsi sunt ; Domino quoque in prædicationis suæ cursu ubique parantur insidiæ. Hic in spelunca orat ; ille orat in corpore. Servus Dominum prophetat Christum : David iste illum David omnium passionum prophetat exemplo. Atque ideo hæc non tam David de se ipso, quam de Domino per David dicta intelligitur oratio.

2. *Orationis perfectæ varii gradus.*—Vers. 2-4. *Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea* **601** *ad Dominum deprecatus sum. Effundo in conspectu ejus orationem meam, et tribulationem meam ante ipsum pronuntio. In deficiendo ex me spiritum meum.* Egregie verborum ordo dispositus est. Primum voce clamatur : omnis enim fidelis viri etiam tacita et spiritalis expectatio Deo clamor est. Deinde voce oratur, id est, desiderii et fidei petitio verbis vocis effertur, secundum illud Apostoli : *Psallam spiritu, psallam et voce* (I *Cor.*, xiv, 15). Tertio in conspectu Dei oratio effunditur, non verbis scilicet de lingua excidentibus, sed de profundo et interno fidei fonte oratio precantis effunditur ; et effunditur in conspectu Dei, non negligenter neque ex securitate, sed tamquam Domino præsente : qui enim oratur ut exaudiat, præsens necesse est esse credatur : qui autem præsens existimatur, non absentis dissimulatione, sed præsentis honore reverendus est. Quarto quoque tribulationem suam pronuntiat. Non impeditur, cum tribulatur, quin semper ad Deum omnium angustiarum suarum et passionum molestias referat. Neque sane leves tribulationes sunt, quas ante Deum effusa oratione pronuntiat : sed in eo (*supple* pronuntiat) cum deficit ab eo spiritus suus. At vero nos leves tantum tentationes ab assiduitate orationis impediunt : et quantulamcumque, in secundis modo rebus, animi nostri constantiam a devotionis officio repentinus exiguæ difficultatis motus avertit. At vero hic, ne deficiente quidem spiritu suo, cessat et tribulationem suam pronuntiare, et orationem effundere, et voce orare ipsa, et spiritalis fidei voce clamare.

3. *Psalmi de Christo unde dignoscantur. Quædam hic nemini convenientia. — Tu cognovisti semitas meas. In via hac, qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi.* Hæc tam illius, quam hujus David, oratio esse poterit existimari : quia, ut diximus, omnia Domini dicta atque gesta et servi fide et prophetæ præfiguravit exemplo. Numquam vero psalmorum prophetia, quotiescumque ex persona Domini profertur, non aliquid peculiare ejus ac proprium, quod alii cum eo commune esse non possit, adjecit : ut quia multa ex persona ejus hominis quem assumpsit commemorata, personis hominum essent naturisque communia, psalmi potius de eo prophetia ea, quæ proprie ex persona ejus dicerentur, ostenderet : ut illud nunc, Vers. 5 : *Considerabam ad dexteram, et videbam quia non est qui cognoscat me. Periit fuga a me : et non est qui requirat animam meam.* David enim licet fugedicatur, ut explicatum est in ps. lxviii, n. 18. Videsis tract. ps. liv, n. 6. Neque frustra ait in psal. cxxxix, n. 11 : *Gerens hominis Deique naturam, habebat et ex hominis infirmitate trepidationis affectum, et ex conscientia divinitatis securitatis fiduciam.*

(*a*) Si ad hoc assumpsit hominis affectum, ut non simulatus homo, sed verus intelligeretur ; verus quoque debuit esse ille affectus, vera tristitia, verus dolor, verus passionis metus : qui tamen quia assumptus, Verbo assumenti non naturalis recte præ-

ret, non tamen incognitus erat : neque solum ad dexteram contuebatur, sed etiam ad sinistram ei conspectus patebat. Illud autem quomodo personæ ejus aptabitur : *Periit fuga a* 602 *me :* dehinc illud, *Et non est qui requirat animam meam :* postremo etiam illud quo psalmus concluditur : *Me exspectant justi, donec retribuas mihi ?* Contraria sibi ista sunt, ex persona hominis intellecta. Si enim sunt justi expectantes ; quomodo nemo cognoscit ? quomodo animam nemo requirit. Per id enim nemo animam requirit, et nemo animam cognoscit, quia perspiciente eo a dextris, nemo justus est visus.

4. *Christo conveniunt.*— Sed hæc omnia in Domino tempore passionis impleta sunt, cum cunctem eum ad crucem eorum nemo comitatus est, quos ad possessionem regni cœlestis secundum evangelicam dispositionem separatos a sinistra (*a*) dexteræ præparabat, ob quos et homo erat natus : cum in tot tantisque crucis ipsius signis Deum nemo cognovit : cum frequenter antea latens, se his qui eum quærebant et prodidit et ingessit. Et per oblationem spontaneæ voluntatis fuga ab eo periit, cum nullus (*b*) virtutem vitæ ejus, quæ in anima significatur, inquirit. Corpus enim quod cruci affixerant contuentes, potestatem animæ, (*c*) quæ se signis et factis Deum probaverat, nemo quærebat.

5. *Paradisus quid.*— Jam illa quæ sequuntur, licet communia videantur esse cum cæteris, tamen etiam per eum tempore passionis omnia dicta gestaque sunt. *Clamavi ad te, Domine, dixi : Tu es spes mea, portio mea in terra viventium.* Clamans dixit : *Tu es spes mea*, cum ait : *Pater, commendo in manus tuas spiritum meum* (*Luc.*, XXIII, 46). Pars ejus in terra viventium est, cum latroni die eodem incolatum paradisi promittit (*ibid.*, 43), id est, sortem et regnum hæreditatis suæ : ut licet ad inferos adiret, tamen per spiritalem (divinam) potestatem doceret se a paradiso non abesse.

6. *Resurrectionem suam cur Patri tribuat Christus.* —Redit deinde ad adorationis suæ modestiam, dicens, VERS. 7 : *Intende orationem meam : quia humiliatus sum nimis.* Humiliatus est enim, formam servi accipiens, et obediens factus usque ad mortem, et mortem crucis (*Phil.* II, 8). *Libera me a persequentibus me : quia confortati sunt super me. Educ de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo, Domine.* Quamquam enim potestatem haberet ponendi animam suam, et resumendi ; tamen semper, per reverentiam filii, honorem paternæ (*d*) majestati reservavit, cum orat : *Pater, clarifica me* (*Joan.* XVII, 5) ; cum proclamat : *Deus meus, quare me dereliquisti* (*Psal.* XXI, 2) ? In his enim non est infirmitatis suæ confessio, sed paternæ virtutis prædicatio. Liberari ergo se nunc similiter a persequentibus orat, *quia confortati sunt.* Confortati enim sunt, cum crucifigere audent, cum per carnem Deum nesciunt, cum eos 603 habitus humilitatis et (*e*) forma in eo servilis hortatur.

7. Deinde rogat, ut anima sua educatur e carcere. Si in carcere positis, etiam ante Noe tempora, (*f*) resurrectionem secundum beatum Petrum Dominus prædicavit (I *Pet.* III, 19, 20) ; carcer est inferi, a quo se educi rogat, ut et in altero psalmo erat precatus : *Non contineat super me puteus os suum* (*Ps.* LXVIII, 16). Oratio omnis ista ad confessionem, ut diximus, virtutis paternæ est. Sed adjecit et causam, cur sese de carcere oret educi : *Ad confitendum*, inquit, *nomini tuo.* Resurrectio ejus paternæ in se virtutis prædicatio est ; quia potestas ei omnis ex Patre est.

8. *Fides Apostolorum ante resurrectionem Christi nutans, post firmata est.*—Sed (*g*) per quos sit Dei nomini confitendum, subjecit dicens : *Me exspectant justi, donec retribuas mihi.* Omnium apostolorum fides usque ad resurrectionis tempus fuit trepida : quam in Domino contuentes, exspectationis suæ securitate firmati sunt. Et hinc illud est a Domino dictum : *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI, 38). Non enim ait, propter mortem : quia licet se passioni daret, non tamen Virtus æterna dolorem passionis exciperet. Sed quia Apostolorum metus per humilitatem passionis exortus (adeo ut et firma superædificandæ in ea Ecclesiæ petra trepidaret), post mortem et resurrectionem Domini in eadem trepidatione esse desineret ; idcirco usque ad mortem tristis est, postquam trepidantis fidei

(*a*) Ita ms. At editi, *ad dexteram.*

(*b*) Ms. *veritatem vitæ.*

(*c*) Magis placeret *qua.* Verum illud *quæ* potest referri *ad potestatem*, vel potius ad animam prout divinitatem significat : adeoque nihil hic erit difficultatis. Si vero ad animam proprie dictam referri quis malit, eatenus se Deum factis probare intelligenda est, quatenus se ad Deum pertinere ostendat, cui substantialiter et in unitatem personæ copulata sit. Ut enim Verbum caro, quia carnem suscepit ; ita anima Deus prædicatur, quia ipsa cum carne a Deo suscepta est. Cum autem plerique Patres, quos recenset Petavius, lib. IV, de Incarn., c. 15, sentiant Verbum absque ullo medio cum anima, illa vero tantum mediante cum corpore adunatum, ipsa quoque potissimum virtutis divinæ signa præ se ferre non immerito censeatur.

(*d*) Editi, *majestatis.* Concinnius ms. *majestati.* Ita observat Hilarius lib. IX de Trin. n. 12, Christum Patris mandato animæ resumendæ virtutem deferre, et lib. XI de Trin., n. 10, sicut et in Psal. CXXXVIII, n. 10, eumdem prædicare se non suam, sed ejus qui se misit ; voluntatem venisse facere, ac demum lib. de Synod. n. 54, et in psal. CXXXVIII, n. 29, se non posse ab se facere quidquam ; hæc porro et alia hujusmodi eum loqui, non tantum quatenus homo est, sed etiam quatenus Deus unigenitus est, qui verbis reverentiam sonantibus ita se Patri æqualem significat, ut ab eo se natum simul declaret. Et ratione etiam verba illa, *Pater major me est*, ad Christum ut Deus est referre non dubitat in ps. CXXXVIII, n. 17, Alias hujusmodi locutiones videsis lib. de Synod., n. 51.

(*e*) In vulgatis, *formæ.* Magis placet cum ms. *forma.*

(*f*) In Psal. CXVIII, num. 3, legimus *exhortationem*, non *resurrectionem.* Confer locum.

(*g*) Excusi, *per quod :* castigantur ex ms.

essent securitate firmandi. Exspectant ergo justi, donec sibi retribuatur a Deo. Et quid ei a Deo retribuatur, Apostolus docuit, dicens : *Propter hoc exaltavit eum Deus, et donavit ei nomen quod est super omne nomen : ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus in gloria est Dei patris* (*Philip.* II, 9 *et* 10). Hæc ei a Deo retributio est : ut ei corpori, quod assumpsit, paternæ gloriæ donetur æternitas. Quæ autem sit justorum exspectatio, idem Apostolus docet, dicens : *Nostra autem conversatio in cœlis est, unde et* (*a*) *Salvatorem nostrum exspectamus Jesum Christum, qui transformabit corpus humilitatis nostræ, conformatum corpori gloriæ suæ* (*Phil.* III, 20 *et* 21). Exspectant ergo eum justi, dum retribuatur illi : scilicet ut conformes fiant gloriæ corporis ejus, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXLII.

Ipsius David, quando persequebatur eum Abessalon.

Domine (Infra, *Deus*), *exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam : in veritate tua exaudi me, in tua justitia.* 604 *Et non intres in judicia* (*judicium*) *cum servo tuo : quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Quia persecutus est inimicus animam meam, humiliavit in terra vitam meam, collocavit me in obscuris, sicut mortuos sæculi. Et anxiatus est super me spiritus meus : in me turbatum est cor meum. Memor fui dierum antiquorum,* (omittitur *et*) *et meditatus sum in omnibus operibus tuis : in factis manuum tuarum meditabar* (*meditabor*). *Expandi manus meas ad te : anima mea sicut terra sine aqua tibi.* DIAPSALMA. *Velociter exaudi me, Domine, defecit spiritus meus. Non avertas faciem tuam a me : et similis ero descendentibus in lacum. Auditam fac mihi mane misericordiam tuam : quia in te speravi, Domine* (abest *Domine*). *Notam fac mihi viam in qua ambulem : quia ad te levavi animam meam. Eripe me de inimicis meis, Domine, ad te confugi : doce me facere voluntatem tuam, quia tu Deus meus es. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam propter nomen tuum, Domine. Vivificabis me in æquitate tua. Educes de tribulatione animam meam, et in misericordia tua disperdes inimicos meos. Et perdes omnes qui tribulant* (Infra, *omnes inimicos qui persequuntur*) *animam meam : quoniam ego servus tuus sum.*

TRACTATUS PSALMI.

1. *Psalmi inscriptio a* LXX *fuit addita.* — Psalmi superscriptio nulla esse secundum Hebræos videtur : id enim ab his qui utraque lingua eruditi sunt traditur. (*b*) Translatoresque cæteri nihil omnino de rebus gestis, id est, Abessalon in David patris sui insectatione scripserunt. Sed hi septuaginta seniores, A quibus legis ac prophetarum scientia ultra præscriptum et ambiguitatem litteræ fuit, addendum hoc psalmo judicaverunt (*V. Tract. Psal.* II, *n.* 2 *et* 5). Causam vero judicii istius in exordio psalmorum (*Præf. n.* 5) docuimus, per quam nihil in psalmis nisi propheticum cognoscimus oportere tractari. Cum enim nec gestis sermo, nec temporibus (*c*) ordo conveniat ; reliquum est, in exemplum ac scientiam gerendorum, et gesta omnia in David, et ab his intellecta esse doceamur. Apposita ergo nunc psalmo superscriptio est, quæ non exstat in libro : ut ubi exstat (id est, sicut in psalmo tertio, in quo a facie ejus qui nunc persequi scribitur fugerit), ad scientiam propheticæ intelligentiæ vocaremur.

605 2. *Quis, quo nomine in toto hoc psalmo lo-* B *quatur.* — Prophetat ergo nunc David passionibus suis dominicas passiones : non de Abessalon conquerens, sed de his qui Abessalon ad impietatis crimen ignirent. Ignita enim secundum Apostolum diaboli sunt jacula (*Eph.* VI, 16) : quæ se in cor Judæ ut Dominus traderetur injecerint, et nunc in filiis inobedientiæ operentur. Ob quod Dominus assumpta peccati carnis similitudine, de peccato condemnavit peccatum in carne. Tractabimus ergo psalmum ex persona Prophetæ, intelligentis se in peccati corpore positum, et inter multas et graves diaboli tentationes per hominem fatigari. Nam ut Dominus principem mundi non ignoravit hæc in se per Judæos Judamque gessisse, cum ad Apostolos dicit, *Ecce ex vobis unus est satanas* (*Joan.* VI, 71) ; totus enim hoc esse, quia C per eum animabatur, ostenditur : ita et David in Abessalon eos, per quos Abessalon est talis, intelligit. Et quia jam in tertio psalmo latior hinc fuit sermo (*Non exstat hic tractatus*), nunc psalmi ipsius dicta tractemus ita, ut meminerimus omnia, quæcumque sub prophetæ nomine dicentur, etiam ad personam Domini esse referenda : qui se ex forma Dei evacuans, ac formam servi assumens, infirmum naturæ nostræ hominem etiam usque ad ignoratæ diei atque horæ suæ scientiam sit professus.

3. *Orandi exemplum. Deus non est invidus aut prædurus judex.* — VERS. 1 : *Deus, exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam : in veritate tua exaudi me, in tua justitia.* Primum orationem suam deprecatur audiri : quia id humilitatis humanæ est, D ut audientiam Dei his quæ oret exoptet. (*d*) Secundo deinde, secundum propheticam scientiam, ut in veritate Dei audiatur expostulat. Non est huic fideli viro Deus ex elementis sæculi, non ex regum nominibus, non ex errore sæculi in saxis, metallis et lignis : sed verus ei Deus est, æternus, omnipotens, et universitatis effector. Tertia quoque postulatio est ut in justitia Dei audiatur. (*e*) Non est tyrannicæ vo-

(*a*) Ms. *salvificatorem.*

(*b*) Bad. *Translatoresque cæterique.* In aliis edit. *Translatores cæterique.* Verius mss. *Translatoresque cæteri*, nimirum quotquot præter Septuaginta psalterium ex hebræo verterunt, ut liquet ex subsequenti tractatu, n. 1. Sic et Theodoretus de titulo loquens : *Neque apud Hebræum*, inquit, *neque apud alios interpretes hanc inveni additionem.* Apud Hieronymum inscribitur duntaxat *psalmus David.*

(*c*) Abest *ordo* a mss. reg. et Albin.

(*d*) Regius codex cum Albin. *sequenti deinde.*

(*e*) In prædictis mss. *non est orator* (an *auditor ?*) *invidæ voluntatis Deus.*

luntatis Deus, non præduræ et iniquæ pertinaciæ arbiter; sed qui rationem habeat infirmitatis humanæ: neque qui hos demutabilis naturæ nostræ promptissimos lapsus secundum indemutabilis substantiæ suæ indeflexam constantiam metiatur; sed justus et moderans tantum ab homine exspectet, quantum meminerit humanæ licere naturæ.

4. *Innocentiæ hominis quam multa insidientur.* — Et ideo subjecit ad id, quod se in justitia Dei oravit audiri, VERS. 2: *Et non intres in judicium cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Quid enim spei est, si judicare nos secundum se Deus velit, si ad comparationem sui vitæ nostræ innocentiam postulabit. Justificari autem in conspectu Dei quis viventium potest? cui ira, cui dolor, cui cupiditas, cui ignoratio, cui oblivio, cui casus, cui necessitas vel per naturam corporis, vel per motum animæ semper fluctuantis admixta sit: cui et quotidie gravissimus hostis immineat, diabolus **606** videlicet animæ viri fidelis insidians, eamque ad interitum persequens? Hanc enim esse causam docet, qua nemo vivens justificari in conspectu Dei possit. VERS 3. *Quia persecutus est inimicus animam meam, humiliavit in terra vitam meam, collocavit me in obscuris sicut mortuos sæculi.* Obscuritas per corporis vitia effunditur: et cum per diaboli laqueos in cupiditates carnis incidimus, a cognitionis luce depulsi in obscuris collocamur, gentilium tenebris demersi, et sæcularium operum nocte detenti.

5. *Hujus tenebras qui appellat vir spiritalis.* — Sed quantumlibet persequens animam inimicus, et humilians in corpore tamquam mortuum sæculi collocet in obscuro; spiritalis tamen viri anxietas his corporis tenebris (*a*) non tenetur, et cor super hac ipsa naturæ suæ infirmitate turbatur, repugnansque vitiis hominem suum in memoriam primæ suæ constitutionis et in meditationem Dei operum convertit. Non enim eum inimicus in obscuris mortuum sæculi, sed tamquam mortuum sæculi collocavit: per quod libertas spiritus semper in se anxii reservatur.

6. *Meditandi materies. Facta manuum Dei, homo.* — Id enim sequitur, VERS. 3 et 4: *Et anxiatus est* (*b*) *super me spiritus meus: in me turbatum est cor meum. Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis, in factis manuum tuarum meditabar.* Scit Adam a diabolo captum; et idcirco memor est antiquorum dierum. Scit eum per transgressionem legis constitutæ et a promissionibus Dei et ab incolatu paradisi excidisse, et ideo memor est operum Dei. Scit non sufficere ex præterito innocentiam, sed beatum esse qui usque in finem innocens esse permanserit; et ideo in factis Dei manuum meditabitur. Facta manuum Dei homo ipse est: qui postquam peccavit, peccati servus effectus est. Talis igitur esse meditatur, qualis ille, (*c*) qui a Deo factus est, fuit ante peccatum. Per quod quia non mortuus sæculi, sed tamquam mortuus sæculi in obscuris est collocatus, meditabitur semper; et meditabitur semper, quia antiquorum dierum memor, (*d*) scit per transgressionem legis mortem introisse peccati.

7. *Homo sterilis est sine Dei gratia.* — In eo autem quod et memor antiquorum dierum, et in operibus Dei meditatus est, atque meditabitur, quamquam per fidem suam cœperit, tamen non proprium suum esse, ne insolens existimetur, sed per auxilium Dei ad quem oravit sibi indultum esse demonstrat, dicens, VERS. 6: *Expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua.* Terra sine aqua arida et infecunda est, et irrigari sese semper imbre pluviæ cœlestis exspectat: ita et sancti anima naturæ suæ conscia, immadescere se dono divini eloquii desiderat: de quo Moyses ait, *Exspectetur sicut pluvia dictum meum, et descendant sicut ros verba mea, ut pluvia super gramen, et ut nives super fœnum* (*Deut.* XXXII, 2). Arens ergo et sitiens anima, tali propheticæ doctrinæ imbre **607** perfunditur: ut mortua et jejuna ariditate naturæ, in uberes fructus præceptorum Dei cognitione revirescat.

8. *Cito dissolvi et cum Christo esse optat propheta.* — Jam in his quæ sequuntur humanæ fidei et conscientiæ confessio est, per diapsalmæ intercessionem impatientia prophetici desiderii monstrata. VERS. 7. *Velociter exaudi me, Domine, defecit spiritus meus.* Moras corporis sui Propheta non patitur: et secundum illud Apostoli: *Dissolvi me melius est, et cum Christo esse* (*Phil.* I, 23), et illud, *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus* (*Rom.* VII, 24)? et illud, *Quia in hoc veteri tabernaculo congeniscimus desiderantes superindui, tædium ipse in hoc mortis corpore patitur* (II *Cor.* V, 2): sed velocitatem auxilii, quod ob defectionem spiritus deprecatur cum gratia divini in se muneris optat expleri. Quid enim sibi proderit exauditum esse velociter, nisi tamquam fidelis et Deo placens et beatis locis quieturus excedat e corpore?

9. *Lacus, pœnalis locus.* — Et idcirco ait: *Non avertas faciem a me: et similis ero descendentibus in lacum.* Lacum pœnalem inferorum locum Scriptura commemorat: ut in his psalmis ait: *Tu, Domine, abstraxisti ab inferno animam meam, servasti me* (mss. salvasti) *a descendentibus in lacum* (*Psal.* XXIX, 4). Ergo nisi facies Dei, qui utique Christus est, qui imago Dei invisibilis est, unicuique sancto adfuerit; erit illis similis, qui pœnæ inferni deputati e vita hac sine spe quietis excesserint.

10. *Resurrectionem sperat propheta.* — Sed de spe sua Propheta non ambigit, neque extra evangelicæ securitatis fiduciam est. Tempore quidem ipse anterior, sed in spiritu apostolici gaudii (*e*) particeps;

(*a*) Apud Par. *continetur*.
(*b*) Ms. Mic. *in me*.
(*c*) Bad. et Er. *qualis ille a Deo* (addidit deinde Par. *qui*) *factus fuit*, omisso *est*, quod ex mss. supplemus.
(*d*) In vulgatis, *memor sit*. Longe melius in ms. *scit*.
(*e*) Apud Par. *participes*. In aliis vero libris, *particeps*, nimirum Propheta: quod autem sequitur, ad apostolos refertur, quasi prius *apostolorum gaudii*, non *apostolici gaudii* præmissum esset.

qui resurrectionem Domini contuentes, æternitatem caducorum corporum crediderunt. Id enim in consequentibus ait, VERS 8 : *Auditam fac mihi mane misericordiam tuam : quia in te speravi.* Matutinæ hujus misericordiæ gaudium locis plurimis demonstratur, velut tum cum ait, *Ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia* (*Psal.* XXIX, 6). Hoc enim resurrectionis est tempus, in quo per misericordiam Dei potestas mortis infracta est.Quam misericordiam, quia in ea Propheta speravit, optat audire.

11. *Ignorantiæ conscius lucem a Deo exposcit. Optat in primum hominis statum redire.* — Dehinc sequitur : *Notam fac mihi viam in qua ambulem ; quia ad te levavi animam meam.* Apostolus per speculum et in ænigmate videt, et pro parte scit, et pro parte prophetat (I *Cor.* XIII, 12 *et* 9). Propheta quoque tamquam per naturam humanæ fragilitatis ignorans, notas sibi fieri, in quibus ambulet, vias orat. Non enim hæ sæculi viæ utiles sunt : spiritales et cœlestes ille nosse desiderat. Id enim ait : *Quia ad te levavi animam meam.* Non in humilibus est anima illius, sed in excelsis ; et idcirco excelsarum viarum postulat notionem. Scit enim esse inimicos sibi, **608** qui se in alias vias avocent, qui in voluntatem alteram deducant. De inimicis istis spiritalibus Apostolus multa et frequenter ingessit. Ab his ergo se eripi orat, et viam illam (*a*) tribulatam, quæ ad cœlum agit, cognoscere rogat, et de voluntate Domini doceri, et per Spiritum ejus in terram rectam deduci : id est, ut constituatur in hominem non vitiis perversum. Nam in rectam terram se dirigi quomodo (*b*) optat, si de elementi hujus creatura dixisse existimabitur : nisi quod secundum primi hominis naturam, cui post peccatum dictum est, *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III, 19), (*c*) constitui se hominem rectum indeflexumque desiderat? Id enim sub his dictis continetur : *Notam fac mihi viam in qua ambulem : quia ad te levavi animam meam.* VERS. 9-11. *Eripe me de inimicis meis, Domine, ad te confugi : doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam propter nomen tuum, Domine* (*d*).

12. *Non ex propriis meritis, sed ex Dei bonitate.* — Consonans Apostoli confessio est ad id quod ait, *Doce me facere voluntatem tuam,* illud quod per eum dictum est, Et qui putat se scire, nondum scit quemadmodum oporteat sese scire (I Cor. VIII, 2). Quod si nec orare quidem adhuc scimus, et loqui desideria nostra non novimus, Spiritu potius pro nobis inenarrabilibus gemitibus postulante, et imperitiam nostram (*e*) arcano conscientiæ affectu repensante, secundum hoc Apostoli dictum, *Quid enim oremus secundum id quod oporteat nescimus ; sed ipse Spiritus pro nobis postulat gemitibus inenarrabilibus* (*Rom.* VIII, 26) ; non incondite Propheta creditur orare, ut voluntatem Dei doceatur explere. Et competens illa humanæ verecundiæ professio est, ut quod per Spiritum Dei in terram rectam deducendus sit, id non meriti esse sui arroget, neque per satisfactionem (*f*) proprii obsequii id sibi postulet : sed totum hoc ad clarificandum in se Dei nomen exspectet, ut propter honorem Dei nominis in terra recta esse statuatur.

13. *Beatitudo ex Dei misericordia, non excluso merendi officio.* — Et quia hanc terram rectam scit sibi non in corpore mortis hujus posse concedi, quia labes carnis humanæ per admixtam in se vitiorum consuetudinem aboleri penitus, nisi cum naturæ demutatione, non possit ; vivificari se, quasi nondum vivat, expostulat, dicens, *Vivificabis me in æquitate tua. Educes de tribulatione animam meam,* VERS. 12, *et in misericordia tua disperdes inimicos meos. Et perdes omnes* (*g*) *inimicos qui persequuntur animam meam : quoniam servus tuus sum ego.* Habuit quidem, ut diximus, hoc justitia verecundiæ, ut quidquid (*h*) illud sibi beatitudinis sperat, id pro magnificentia Dei potius (quia Deo beata et æterna et bona tribuere sit dignum), quam pro merito suo postulet. Sed tamen præferens honorem et misericordiam **609** Dei : merendi quoque id per se non exclusit officium. Nam cum vivificandus sit, vivificandus tamen est in æquitate ; quia æquum sit vitam retribui stipendiis sanctitatis. Et cum per misericordiam Dei educto eo de tribulatione disperdendi sint ejus inimici, jam non est misericordia indiscreti confusique judicii ; (*i*) cum quæ a tribulatione educit, eadem disperdat inimicos: quia ex meritorum diversitate, vel in pœnam, vel in (*j*) misericordiam judicium temperatur.

14. *Quæ Dei gratiæ, quæ merito pars sit in victoria tentationum.* — Non leves autem sibi esse inimicos Propheta demonstrat, sed eos qui etiam animam persequantur : non quod cum corpore possit occidi, sed quod ita diabolicis infestationibus fatigetur, et sub injectorum sibi vitiorum (*k*) incendiis aduratur, ut a Domino mereatur occidi. Verum ut etiam

(*a*) Abest *tribulatam* a duobus mss. De ea tamen via hic sermo est, de qua in Psal. CXVIII, n. 11: *Via, quæ ad vitam ducit, et angusta et tribulata est.*

(*b*) Apud Bad., Er. et Lips : *quomodo optasset, cum elementi hujus natura existimabitur.* Apud Par. : *quomodo optasse de elementis hujus naturæ existimabitur :* locus depravatus, resarcitur ope mss. reg. et Albin.

(*c*) Ita in mss. ubi male in vulgatis, *constituisse hominem.*

(*d*) Expunximus hic, *vivificabis me in æquitate tua,* mss. auctoritate.

(*e*) Ita Regius codex cum Albin. Editi vero, *arcanæ scientiæ.* Tum Bad., Er. et Lips. *effectu :* Par. *affectu.*

(*f*) In vulgatis, *pii obsequii.* Magis placet cum mss. *proprii.*

(*g*) Adjecimus *inimicos* auctoritate mss. Deinde in sola edit. Par. *qui tribulant*, non, *qui persequuntur.*

(*h*) Male in vulgatis, *aliud.* Magis probanda vox *illud*, quam præ se fert ms. Mic. In reg. autem et Albin. neque exstat *illud*, neque *aliud.*

(*i*) Mss. reg. et Albin., *qua et eum a tribulatione educit et eadem disperdit inimicos : qua*, etc.

(*j*) Excusi, *vel in misericordiæ judicium temperatur.* Melius mss. *vel in misericordiam,* etc.

(*k*) Editi, *incentivis arguatur :* castigantur ex mss. a quibus mox abest particula *verum,* quæ salvo sensu potest adesse vel abesse.

inimici sui pereant, quamquam ad id potissimum et nomen et misericordia Dei est; tamen (*a*) cum etiam ea causa est, quod servus Dei est, cujus animam persequantur; et liberalitas (ex parte Dei) admiscetur, et meritum (ex parte hominis); atque ad Domini misericordiam, servi quoque et fides et nomen adjungitur : ut misericordia Dei quamquam omnibus prompta sit, his tamen qui servi ejus sunt intelligatur assistere, per eum et in eo qui ait : *Ego sum vobiscum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20), Dominum nostrum Jesum Christum, qui est benedictus et nunc et semper, et in omnia sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXLIII.

Psalmus David in Goliam.

Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad bellum, et digitos meos in prælium. Misericordia mea et refugium meum, susceptor meus et liberator meus (Infra additur *es tu*). *Protector meus, et in ipso speravi : qui subjiciet* (Infra, *subjiciens*) *populum meum sub me. Domine, quid est homo, quia innotuisti ei : aut filius hominis, quod deputas eum? Homo vanitatis similis factus est : dies ejus sicut umbra prætereunt. Domine, inclina cœlos tuos, et descende; tange montes, et fumigabunt; corusca coruscantes* (Infra, *coruscationes*), *et dissipabis eos; emitte sagittas tuas, et conturbabis eos. Emitte* (Infra, *emittes*) *manum tuam de alto : eripe me, et libera me* (abest *et libera me*) *de aquis multis, et de manu* (Infra, *manu iniqua*) *filiorum alienorum. Quorum os locutum est vanitatem : et dextera eorum dextera iniquitatis. Deus, canticum* GIO *novum cantabo tibi, in psalterio decemchordarum psallam tibi. Qui dat* (Infra, *das*) *salutem regibus : qui liberat servum suum* (Infra, *liberas David servum tuum*) *: de gladio maligno eripe* (Infra, *erue*) *me. Et eripe me de manu filii alieni* (Hæc non exstant infra). *Quorum os locutum est vanitatem, et dextera eorum dextera iniquitatis. Quorum filii sicut novellæ plantationes, stabilitæ* (Infra, *novella plantatio stabilita*) *in juventute sua. Filiæ eorum decoratæ* (Infra, *compositæ*) *: et circumornatæ ut similitudo templi. Et promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud. Oves eorum fetosæ, abundantes in itineribus eorum* (Infra, *egressibus suis*) *: boves eorum crassi* (Infra, *crassæ*). *Non est ruina maceriæ, neque transitus, neque clamor in plateis eorum. Beatum dixerunt populum cui hæc sunt : beatus populus, cujus Dominus Deus ejus.*

TRACTATUS PSALMI.

1. *Titulus a* LXX *additus, de quo psalmum intelligendum indicet.*—VERS. 1-7. Et huic quoque psalmo addendam hanc Septuaginta superscriptionem putaverunt: *Psalmus David in Goliam;* cum neque in hebraicis libris (*b*) reperiatur, neque translatores alii quidquam aliud quam simplicem titulum præscripserint, id est, *David*. Quod non sine spiritali ratione effectum fuisse psalmi ipsius textu docetur : nihilque hic psalmus proprium habet, quod ad gratulationem perempti Goliæ possit referri, cum magis illic et gestis et tempori multa contraria sint. Cum enim dicitur : *Subjiciens populum meum sub me*, numquid tum David rex erat? aut quis tum ei populus subjectus est, si allophylorum (*subaud.* populus) non erat suus? Sed ne ipse quidem Israel, Saul adhuc regnante, poterat esse subjectus. Deinde et illud : *Domine, inclina cœlos tuos, et descende; tange montes, et fumigabunt; corusca coruscationes, et dissipabis eos*, quæ esse intelligetur ob humani belli tempus oratio? Aut cum secundum titulum Golia esset occisus, quid sibi hæ preces volunt : *Eripe me, et libera me de aquis multis, et de manu filiorum alienorum?* Aut cum rex tantum unus in Israel esset; quid est istud quod dicitur, V. 10: *Qui das salutem regibus?* Numerus plurium intelligentiam ejus temporis, quo unus tantum habebatur, excludit. Sed cum nec in hebræis libris ita sit, neque translatores cæteri horum aliquid addiderint; intelligimus septuaginta hos seniores sensum nobis spiritalis scientiæ reliquisse : ut in David et Golia bellum præfiguratum esse satanæ Dominique sciremus; cum quando neque GII superscriptio exstaret in libris, neque rebus gestis prophetiæ sermo concineret.

2. *An ipsius David, an de David sint psalmi, latinus sermo non exprimit. Psalmus hic de Christo.* — Affert autem plerumque nobis difficultatem intelligentiæ ratio latinitatis, quæ nominibus pronomina non est solita præponere : ut in David nomine accidit. Cessante enim pronomine, incertum est utrum in illum, aut per illum psalmus exstiterit. Cum enim scribitur *psalmus David;* utrum ab illo dictus sit, aut propter illum, ambiguum facit nominis sola præscriptio. Græcitas vero cum per David psalmum scriptum esse significat, ita titulum inscribit, ψαλμὸς τοῦ Δαβίδ : at vero cum de David vult psalmum qui sit scriptus intelligi, ita superscribit, τῷ Δαβὶδ : discernens per utriusque pronominis propriam significationem, utrum David scripti psalmi auctor, an causa sit : ut superscriptio psalmi istius continet, τῷ Δαβὶδ, ita enim habet, id est, quod propter eum vel illi potius, quam ab eo scriptus sit. Ex qua etiam psalmi superscriptione monstratur, in eum hominem, quem Dominus assumpsit in eo nascens, et quem David sæpissime nominari docuimus, psalmum hunc Spiritus virtute et Prophetæ ore cantatum.

3. *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas in bellum, et digitos meos in prælium.* Si ob id gratulationi interfecti Goliæ deputatur hic psalmus, quia dictum est, *Qui docet manus meas in bellum;* accipiant exemplum hoc personæ potius Domini convenire. Nam in septimo decimo psalmo, qui totus ex persona Domini consistit, id ipsum dic-

(*a*) Lipsius expuncta particula *cum*, cætera perturbate expresserat. Ea distinctius exhibemus ex Bad., Er. et mss.

(*b*) Imo teste Theodoreto neque in omnibus Septuaginta exemplaribus : sic enim habet, *In nonnullis exemplaribus inscriptioni additum inveni,* πρὸς τὸν Γολιάθ. *Verum neque apud Hebræum, neque apud alios interpretes, neque apud ipsos* LXX *inveni in hexaplo.*

tum ita meminimus : *Qui doces manus meas in prælium, et posuisti ut arcum æreum brachia mea* (*Ps.* XVII, 35). Quod autem nihil in illum David referri possit, in omni quidem psalmo, sed maxime his dictis docetur : *Audivit de templo sancto suo vocem meam, et clamor meus in conspectu ejus introivit in aures ejus. Et commota est et contremuit terra, et fundamenta montium conturbata sunt* (*Ibid.* 7,8). Et illud : *Clamaverunt, nec erat qui salvos faceret, ad Dominum, nec exaudivit eos. Et comminuam illos ut pulverem ante faciem venti, ut lutum platearum delebo eos. Eripies me de contradictionibus populi, constitues me in caput gentium. Populus quem non cognovi servivit mihi, ad auditum auris obaudivit mihi* (*Ibid.* 42 *et segq.*). Rebus ipsis inepta eorum intelligentia coarguitur, qui hæc David de se ipso dixisse contendunt : cum omnia in eum hominem, quem Dominus in eo natus assumpsit, secundum spiritalem rationem et gesta conveniant.

4. *Christus ut ad bellum passionis instructus.* — Manus igitur ejus edoctæ ad bellum sunt, cum sæculum vincit : Ego enim, ait, vici mundum (*Joan.* XVI, 33) : cum extensus in crucem invictissimis armis ipsius passionis instruitur : *Et posuisti*, inquit, *ut arcum æreum brachia mea :* cum de omnibus virtutibus ac potestatibus, in ipso se, trophæo gloriosæ crucis triumphat ; et principatus et potestates enim traduxit cum fiducia triumphans eos in semetipso (*Coloss.* II, 15) : cum dissidentia inter se cœlestia et terrena pacificat (*Coloss.* I, 20) ; Et in ipso, 612 inquit, reconciliari omnia in eum ; pacificans per sanguinem crucis suæ sive quæ in terra sunt, sive quæ in cœlis. Ad hoc igitur bellum manus ejus edoctæ sunt, in quo arcus ærei certamine vincitur (*Hic videtur deesse* mundus) ; dehonestatione potentes triumphantur, pace reconciliantur inimici. Sed post manuum bellum, succedit et digitorum prælium. Omnis enim in eo habitus et pugna passionis ostenditur. Manus enim extenduntur, et digiti configuntur in palmis : vetus scilicet chirographum, secundum Apostolum, delens, et affigens illud cruci (*Coloss.* II, 14), etiam eas partes manuum commemorat in prælio, cum quibus omnia veterum criminum peccata confixa sunt.

5. Dehinc sequitur : *Misericordia mea et refugium meum, susceptor meus et liberator meus es tu. Protector meus, et in ipso speravi.* Carent ista difficultate. Omnia enim in Evangeliis ista gesta ab eo atque dicta sunt : ut honorem majestatis paternæ per humilitatis nostræ confessionem, quorum habitum assumpserat, prædicaret.

6. *Christi populus, non soli Judæi.* — Illud autem quod ait : *Subjiciens populum meum sub me*, non ex persona unius. Judaici populi dictum existimandum est : cum universitatem Ecclesiæ unum populum in psalmo alio nuncupaverit, dicens : *Populus, quem non cognovi, servivit mihi* (*Psal.* XVII, 45). Quod autem etiam hic qui eum non cognovit suus sit, Evangelia docent, cum aiunt, *In sua venit, et sui eum* (*a*) *non receperunt. In mundo erat, et mundus per eum factus est, et mundus eum non cognovit* (*Joan.* I, 11 *et* 10). Sed ne forte hic populus, quem (*Hic desideratur* non) cognovit et sibi servivit, non suus fuisse, quia non erat cognitus, existimetur ; divina illa Moysi cantio errorem hunc omnem ambiguitatis excludit, dicens, Cum divisisset Excelsus gentes, statuit fines gentium secundum numerum angelorum suorum, et facta est portio Domini Jacob, funiculus hæreditatis ejus Israel (*Deut.* XXXII, 8 *et* 9 ; *vid. Tract. Ps.* II, *n.* 31). Israel iste in hæreditatem æternam fuerat electus : et ideo quia ille portio Domini erat, cæteri quasi incogniti habebantur, quia illi essent per privilegium portionis electi. Sui autem omnes ; quia sibi quod sunt, tamquam auctori suo debent.

7. *Christo quando, cur, et quatenus data omnia.* — Subditi autem ei sunt, cum dicitur, *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti ei, det illi vitam æternam* (*Joan.* XVII, 2) ; et illud, *Omnia data sunt mihi in cœlo et in terra* (*Matth.* XXVIII, 18). Data autem nondum ei primum, quia jam in mundo erat per quem mundus erat factus, qui gloriam repetit quam ante constitutionem mundi habuerat apud Patrem : sed data post hominis assumptionem ; quia ita dictum est, Qui cum in forma Dei esset, formam servi accepit : propter quod exaltavit illum Deus, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen (*Philip.* II, 7 *et* 9). Quid ergo, vel cui donatur ? Non ei utique, qui in forma Dei erat, donatur ut Dei forma sit ; erat enim, et quia erat, jam non egebat hoc dono. Sed fuit causa donandi, quia qui in forma Dei erat, formam servi accepit ; et se de forma Dei evacuans, formam servi 613 assumens, usque ad mortem obediens fuit. Obedientiæ ergo illi, per quam habitus servilis assumitur, et ipsi habitui servili id donatur, ut quod erat (*b*) esset : in forma scilicet Dei esset. Damnum enim ad detrimentum sui (*c*) evacuatio formæ Dei nescit ; assumptioni potius servili formam Dei

(*a*) In ms. *non cognoverunt.* Aliter tamen legere solet Hilarius.

(*b*) Hoc est, ut quod erat secundum divinitatem, esset etiam secundum carnem. Tum forma Dei, id est, gloria Dei.

(*c*) In vulgatis, *evacuatæ formæ.* At in ms. *evacuatio formæ :* rectius, ut liquet ex lib. IX de Trin. n. 14, qui locus cum hoc conferendus. Qua ratione assumptioni servili forma Dei acquiratur, Fragmentum quod ex Hilario laudat Arnobius, lib II de Confl. cum Serap. sic explicat : *Superavit enim magnitudo Domini parvitatem servilis formæ, ita ut ipsa servilis forma quam assumpsit cessaret esse servilis per eum Dominum qui eam assumpsit.* Erit forte qui hæc ita intelligat, ut Verbum non degenerarit in subsistentiam hominis assumpti, sed homo potius profecerit in subsistentiam Verbi : quo sensu dixisse videtur Leporius in libello emendationis, *Caro igitur profecit in Verbum, non Verbum profecit in carnem : et tamen vere Verbum caro factum est.* Cum tamen de profectu hic sermo sit, quem Christus per obedientiam usque ad mortem acquisivit, de gloria potius quam de subsistentia videtur intelligendus. Forma autem servilis cessat esse servilis, non interitu, sed demutatione naturæ : quatenus ex mortali, corruptibili et infirma,

rursus acquirens. Ita neque Virtus (*a*) in humilitatem, sese licet cohibens, defecit ex sese, cum quod erat est : et humilitas cohibita in sese Virtute suscepta, cum quod non erat esse cœpit, profectum ejus quæ a se non defecerat Virtutis accepit. Et hæc quidem evangelici sacramenti, et humanæ spei veritas est, humanam naturam corruptibilemque carnem per hujus gloriæ demutationem in æternam transformatam esse substantiam.

8. *Dei notitia indignus homo. Deputari quid. Vanum est quidquid transitorium. Homo quatenus Deum cognoscat, aut ad quid deputetur.* — Sed hujus tamquam difficillimi facti admirationem, et maximæ ac pulcherrimæ spei donum, etiam præsenti psalmo propheticus sermo testatur, dicens ad id quod dixerat : *Subjiciens populum meum sub me; Domine, quid est homo, quia innotuisti ei; aut filius hominis, quod deputas eum? Homo vanitati similis factus est : dies ejus sicut umbra prætereunt.* Non differenter in octavo quoque psalmo proclamat Spiritus sanctus : Quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam visitas eum? Confessio ista pulcherrima est, ut indignum se homo tanto munere ipse testetur. Et cum se indignum confitetur, gratiam ejus qui sibi hæc largiatur extollit. Quod enim meritum hominis est, ut ei se cognoscibilem Deus præstet, ut incognoscibilis natura cognitioni nostræ sese ipsa submittat? Aut quæ dignitas est filii hominis, ut deputetur? Deputatur autem, quidquid de eo in quo est in aliud destinatur. Rei naturam verborum virtus eloquitur. Homo vanitati similis effectus, et cujus dies tamquam umbra prætereunt, per indultam cognitionem Dei deputatur. Vanitas sæculum est, cujus habitus et forma tolletur. Deo enim inane est, quidquid quamvis exstet, tamen non ita subsistit ut maneat : et umbra quæcumque, etiamsi sit, tamen non est; quia cum fit, abeunte eo per quem efficiebatur (*b*) eximitur. Homo itaque non umbra, sed umbræ similis; neque vanitas, sed similis vanitati per intercessionem mortis effectus; per indultam vero sibi cognitionem Dei deputatur. Et in quid deputetur, cognitio indulta testatur. Si enim cognitus fieri 614 Deus homini, nisi assumpto homine, non potuit; quia incognoscibilem cognoscere, nisi per naturam nostram, natura nostra non potuit; et per hanc cognitionem homo (*c*) qui deputatur, necesse est ut in id deputetur, in quo Deum ipse cognovit, scilicet, ut conformis Deo fiat, quia hæc sit deputatio cognitionis indultæ.

9. *Inimici fortissimi dæmones. Montes iidem.* — Et quia ex persona ejus hominis, quem Dominus assumpsit, hæc omnis oratio est; scit cum quanta se dignitate Deus legibus mortis absolvat, et iniquorum manibus per gloriam resurrectionis abripiat, dicens : *Domine, inclina cœlos tuos, et descende; tange montes, et fumigabunt; corusca coruscationes, et dissipabis eos; emitte sagittas tuas, et conturbabis eos. Emittes manum tuam de alto.* Simile his dictis psalmo cujus superius meminimus continetur : *Et inclinavit cœlum, et descendit* (*Ps.* XVII, 10), *et carbones succensi sunt ab eo, et ignis a facie ejus* (*d*) *exardescet, et adscendit fumus in ira ejus* (*Ibid.*, 9). *Misit sagittas, et dissipavit eos; et fulgura multiplicavit, et conturbavit eos* (*Ibid.*, 15). *Misit e summo, et accepit me, et assumpsit me de multitudine aquarum. Eripuit me de inimicis meis fortissimis* (*Ibid.*, 17, 18). In eo autem quod fortissimos dixit, possumus intelligere quos dixerit; nempe de quibus Apostolus ait : *Non est nobis pugna adversus carnem et sanguinem, sed adversus mundipotentes, adversus spiritales nequitias in cœlestibus* (*Ephes.* VI, 12) : satana ipso se in cor Judæ, ut Dominum traderet, inserente (*Luc.* XXII, 3). Sed et in hoc psalmo hoc contuendum est : *Corusca coruscationes, et dissipabis eos; emitte sagittas tuas, et conturbabis eos.* Non illos superius, de quibus ita (*e*) memoraret, ostendit : quod necesse est ad montes hos referri, qui ad solum Dei tactum fumabunt. Et ne de terrenis istis montibus dictum existimemus, psalmo alio admonemur, cum dicitur, (*f*) Ut quid suscepistis montes coagulatos? et quantum intelligi conceditur, montes interdum etiam diabolicas potestates, ut nunc in hoc loco, significari arbitramur : qui constitutiones divinæ legis transgressi, tamquam ex lactis sinceritate, vitiosa coaguli corruptione coagulaverint. Et hos esse potentissimos inimicos suos psalmus anterior (XVII) locutus est.

10. *Descensus Dei, et inclinatio cœli quid.*—Descendit ergo Dominus inclinato cœlo suo, non corporali motu, ut declinatum descendente eo cœlum sit : sed per corporalem significationem spiritalis sensus instruitur, ut 615 cum Deo somnus, vigiliæ, memoria, oblivio, discessus et accessus adscribitur; quia (*g*) secundum meritorum nostrorum differentiam, unicuique nostrum aut dormiens aut vigilans, aut immemor aut recordans, aut desit aut adsit. Atque ita inclina-

evadit æterna, incorruptibilis, gloriosa; quæ quidem non humanæ sunt, sed divinæ proprietates.

(*a*) Ms. Mic. *in humilitate.*

(*b*) Sic prima edit. Par. cum ms. At postrema cum Bad., Er. et Lips. *exinanitur.* Verbum *eximitur* cum eadem vi denuo recurret n. 15.

(*c*) Legendum videtur, *homo quid deputatur;* ac deinde, *necesse est ut in id deputetur, in quod*, non *in quo*, hoc est, cujus rei causa Deum cognovit.

(*d*) Hic obtinebat *exardescit.* At Hilarium legere solere *exardescet*, constat ex tract. ps. LXIV, n. 8 et 9.

(*e*) Sic ms. Mic. in quo paulo ante *nullos*, pro *non llos.* At apud Par. *memorat* : in aliis autem editis, *memorarat.* Vult Hilarius psalmographum superioribus dictis non ostendisse ad quos referret pronomen *eos*, ubi subjicit *dissipabis eos, conturbabis eos*, nisi ad montes referatur.

(*f*) Ita ms. quomodo et in psal. LXVII, n. 16, ex mss. restitutum est. At excusi, *ut quid suscipitis.* Montium nomine dæmones intelligendos esse jam ostensum est in psal. LXIV, n. 8.

(*g*) Quod hic, *secundum meritorum nostrorum differentiam*, etc., hoc in ps. CXX, n. 9 : *Secundum uniuscujusque mores ac studium unicuique Deus adjacet :* et paulo ante, *Secundum fidem nostram aut vigilantem aut dormientem, Dei auxilium nobiscum aut vigilabit aut dormiet.*

tum descendente eo cœlum est : quia (*a*) cum descendente eo ad assumendum hominem famulatus cœlestis adstiterit, Cum Maria evangelizatur, cum pastores æthereum cœtum et sonum vident atque audiunt, cum post tentationem diaboli Angeli ministrant, cum ipse totus (*b*) in forma licet servi, tamen in paternæ majestatis virtute se gessit. Sic inclinatur cœlum, cum ad terras cœlestium Virtus (*scil.* Dei Filius) honorque deducitur.

11. *Diaboli potestas qui confracta, etsi maxima. Fumat, nondum totus uritur.* — In eo autem quod tacti montes fumigant potius quam uruntur, (*c*) cum tamen id indicet quod fumetur; deinde cum coruscantibus coruscationibus dissipantur potius quam illucescunt; tum quod emissis sagittis conturbantur magis quam configuntur : non sine maxima ratione spiritalis intelligentiæ ita dicitur. Et quidem jam et alius psalmus his paria significat, cum ait : *Præparans montes in virtute tua, accinctus potentia* (*Psal.* LXIV, 7). Adventu enim Domini confracta et obtrita diaboli potestas est, cum fidei sanctorum hominum subjectus est : non quod non adhuc potentiæ suæ maximas habeat vires, sed per id quod utcumque subjectus est, præsentis subjectionis conditione ultioni et pœnæ legitimæ præparatur : ut nunc per hanc eamdem subjectionem virtute Dei tactus fumet, licet nondum totus uratur : sed per id quod interim fumare potuit, et uri posse noscendus est. Uritur non ille tantum, sed et omnes ejus. Non uni tantum præparatus hic ignis est, Domino dicente : Abite in ignem æternum, quem præparavit Pater meus diabolo et angelis ejus (*Matth.* XXV, 41). Hi ergo montes tacti a Domino fumabunt.

12. *Dei doctrina dispergitur.* — Dissipabuntur etiam (*d*) per coruscatas coruscationes : lumen scilicet eorum de quibus dictum est : *Vos estis lumen mundi* (*Matth.* V, 14), non ferentes. Domini namque adventus, tamquam fulgur ab oriente usque in occidentem apparens intelligetur (*Matth.* XXIV, 27). Sed interim coruscationes multæ sunt, id est, apostolicæ prædicationes, et splendor doctrinæ Dei, quæ condensam illam et conspiratam dæmonum virtutem coruscationis luce (*e*) dispergit.

13. *Fidelium doctrina a regno suo deturbatur.* — Sagittæ etiam emissæ conturbabunt eos. Meminit eadem quoque prophetia et loco alio harum sagittarum : Sagittæ, inquit, parvulorum factæ sunt plagæ A eorum (*Ps.* LXIII, 8) : parvulorum, ut **616** Apostolus ait, malitia, non sensu (1 *Cor.* XIV, 20). Horum igitur, id est, fidelium ad innocentiam renatorum verba, tamquam sagittæ emissæ ; illos fumantes montes conturbabunt : cum regni cœlestis beatitudo et æternitas prædicetur, cum honor sæculi contemnatur, et Christi gloria speretur : cum luxus et ebrietas relinquatur, et corpus jejuniis purgetur; cum avaritia vincatur, et largitio exerceatur; cum Virgines corpus suum oderint; cum Viduæ fuisse virgines maluissent; cum confessores vitam suam detestentur : cum mori martyribus sit optabile. Et hoc totum sagittæ istæ, id est, doctrinæ et adhortationum verba præstiterint, quæ emissæ eos qui his adversabantur conturbant : cum cessante regno eorum, Christi B regni exspectatio prædicatur.

14. *Manus Dei Christus.*—Sed et ex alto manus Domini emittitur. Manum autem Dei Dominum nostrum Jesum Christum significari in Spiritu, non obscura doctrina est. Per eum enim facta sunt omnia. Et scriptum legimus, Manus enim, inquit, mea auxiliabitur ei (*Ps.* LXXXVIII, 22) : quia per filium Dei homo assumptus, laqueis mortis et judicio iniquæ damnationis per gloriam resurrectionis eripitur.

15. *Aquæ, populi perituri.* — Sequitur enim : *Eripe me de aquis multis.* Aquas populos dici, usitata cognitio est (ut etiam per Esaiam dicentem (VIII, 7) docemur; *Propter hoc ecce Dominus inducet super vos aquam fluvii validam et multam, et regem Assyriorum*), quorum virtus atque vita in abolendum finem C exemplo aquæ transfluentis elabitur. Ut hic idem Propheta ait : Perierunt sicut aqua præterfluens (*Psal.* LVII, 8) : quia natura earum, cessante incremento maris in quod feruntur, eximitur. (*f*) *Et de manu iniqua filiorum alienorum.* Dei enim esse desiterant, de quibus dictum est, *Filii alieni inveteraverunt* (*Ps.* XVII, 46) : et quibus dictum est, *Vos e diabolo patre estis* (*Joan.* VIII, 44).

16. *Dextera eorum qui iniqua.* — Sed non solum filii alieni sunt, Dominum suum non recipiendo, sed etiam id quod sequitur, VERS. 8 : *Quorum os locutum est vanitatem.* Vanitas oris et (*g*) confessionis fuit illa, qua dictum est : *Nos non habemus regem, nisi Cæsarem* (*Joan.*, XIX, 15). Regem enim sæculi, id est vanitatis, populus in regnum æternum electus elegit. D *Et dextera eorum dextera iniquitatis.* Iniqua dextera est, cum palmis cædit, cum virgis laniat, cum cala-

(*a*) Particula *cum* hic non conjunctionis, ut in vulgatis exprimebatur, sed præpositionis habet rationem, quasi *una cum Christo descendente*, secus vero deinceps.

(*b*) Quia nimirum ita latebat forma Dei, ut oculis carnalibus non appareret nisi forma servi. Hinc intelligere est quomodo pluribus in locis Christus gloria donatus, salva carnis substantia, prædicetur totus in forma Dei.

(*c*) Postrema editio Par. prætulit, quod apud Bad., Er. et Lips.: *cum tamen id quod fumat uratur, deinde*, etc. Nobis magis probatur lectio ms. hoc est, cum fumus ustionis index sit. Quia autem ignis cum paratur, etiam fumat ante quam ardeat; hac similitudine putat Hilarius demonstrari inchoatam dæmonum pœnam, qua interim legitima eorum ultio præparatur. *Fumus enim interim arsuri* aliquando *ignis præparatur*, inquit in ps. LXIV, n. 9.

(*d*) In ms. *coruscata coruscatione :* quod ad Christum referri queat, hac nimirum intelligentia : Qui modo lumen apostolorum non ferunt, quanto magis tunc Christi, cum apparebit sicut fulgur ?

(*e*) In vulgatis, *disperget.* Præferimus cum ms. *dispergit*, quia sermo est de eo quod nunc fit, donec succedat Christi coruscatio.

(*f*) *Cum videlicet ad solam sui abolitionem usque ad maria deferantur*, ut habet tract. ps. LVII, n. 4.

(*g*) Ita ms. In vulgatis autem, *confusionis.*

mo collidit, cum coronam spineam coaptat, cum A clavo manus ac pedes figit, cum fel aceto admiscet, cum omnia iniquitatis opera consummat.

17. *Canticum novum, gentibus ob novam Dei notitiam.* — Post quæ potenter a Domino gesta atque perfecta, novo nobis gloriosæ victoriæ erit cantico concinendum. Ait enim, VERS. 9 : *Deus* **617** *canticum novum cantabo tibi, psalterio decachordo psallam tibi.* Et quod hoc novum canticum sit, contuendum est. Plures autem novum canticum cantantes psalmi reperiuntur. Nonagesimus enim et quintus psalmus ita cœpit : *Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra :* et rursum, *Annuntiate inter gentes gloriam ejus, in omni populo mirabilia ejus :* et rursum, *Commoveatur a facie ejus omnis terra, dicite in nationibus, Dominus regnabit.* Hoc canticum novum, quod omnis terra cantat, quod jam non intra Judææ (*a*) limbos atque fines cognitio ejus, qui omnia creavit, esse celebratur ; quod jam inter gentes gloria Dei invisibilis nuntiatur, quod omnes patriæ gentium laudationem honoris debiti confitentur, quod in nationibus Deus regnaturus ostenditur. Novum hoc inter tot errores sæculi canticum est, et errantibus antea gentibus inopinatus hic hymnus est : per quem Deus invisibilis, incorporeus, æternus, et justi judicii judex, et beatæ æternitatis rex esse cantatur.

18. *Alterum ob mirabilem Christi resurrectionem.* — Est et nonagesimus septimus psalmus canticum novum cantans : *Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit Dominus.* Sed nescio an idcirco sit C cantico novo cantandum, quia mirabilia Deus fecit. Olim (*b*) cœlum pulcherrimum atque immobile manet, olim in eo astra indefessis officiorum suorum cursibus perseverant, olim tempora alterno et indemutabili recursu temperantur, olim terra annuis fructibus dives est, olim homo maxime mirabile opus Dei nascitur : et si nihil postea Deus mirabile cum hæc creavit adjecit, quæro quod novum canticum ob mirabilia facta cantandum sit. Et non diu nos psalmus patitur errare. Ob quæ enim mirabilia novum canticum cantaret, ostendit dicens : *Liberavit eum dextera ejus et brachium sanctum ejus. Notum fecit Dominus salutare suum ante conspectum gentium* (*Psal.* XCVII, 1 *et* 2). Hoc novum canticum est, hoc mirabile Dei est : quod liberavit eum dextera ejus, quod sibi ipsi salutem virtus sua tribuit. Potestatem enim, inquit, habeo animam meam ponendi, et potestatem habeo animam meam resumendi (*Joan.* X, 18). Non externo eguit unigenitus Dei filius ad salvandum hominem, in quo nasci voluit, auxilio, et (*f.* sed) in gloria paternæ majestatis manens sua in se usus est potestate: per quam resurrectionis gloriam salutare suum notum gentibus fecit, cum in eo naturæ suæ carnem in æternæ salutis substantiam transformatam esse cognoscunt.

(*a*) In ms. *libros atque fines.*

19. *Aliud ob indultam sanctis judicandi potestatem.* — Cantat et centesimus quadragesimus nonus psalmus canticum novum. Et cur sit hoc canticum novum, mox Propheta subjecit, dicens, *Exaltabit mansuetos in salutem. Exsultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. Et exsultationes Dei in gutture eorum, et gladii bis acuti in manibus eorum,* **618** *ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos reges eorum in manicis et compedibus, et nobiles eorum in vinculis ferreis ; ut faciant in his judicium conscriptum, gloria hæc est omnibus sanctis ejus* (*Ps.* CXLIX, 4 *et seqq.*). Hoc canticum novum est, Dei sanctos judicii æterni sumere potestatem. Sancti enim, secundum Apostolum, mundum judicabunt (I *Cor.* VI, 2). Hoc igitur novum cantatur a B nobis, ultio in nationes, arguitio in populos, manicæ et compedes regum, et nobilium vincula ferrea, et conscripti in eos judicii sententia.

20. *Psalterium decachordum. Reges regni Dei consortes.* — Quod etiam in hujus psalmi novo cantico simile cantatur : *Deus cantionem novam cantabo tibi, in psalterio decachordo psallam tibi, qui das salutem regibus.* In decachordo igitur psalterio, id est, vel quod decem chordarum illud psalterium sit, vel quod decem verborum organo atque gestis cantio nova ista cantatur : vel quod homo ipse decem quibusdam chordis manibus ac pedibus extentus, perfectus spiritalium operum suorum gestu motuque sic psallat, ut cantionem novam hanc cantet. VERS 10. *Qui das salutem regibus :* regibus quibus dictum est, *Venite, benedicti Patris mei, possidete præparatum vobis regnum a constitutione mundi* (*Matth.* XXV, 34) : qui nobiles ligabunt, qui reges manicis et compedibus constringent, qui judicabunt, arguent, vindicabunt.

21. *Christi liberatio, salus regum.* — Et quomodo salus regibus detur, ostendit : *Qui,* inquit, *liberas David servum tuum :* eum nempe David, de quo hic idem liber ex persona Dei patris alio psalmo prophetat : *Posui adjutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus enim mea auxiliabitur ei. Ipse invocabit, Pater meus es tu, Deus meus, susceptor salutis meæ. Et ego primogenitum ponam eum, excelsum super omnes reges terræ. Et sedes ejus sicut* D *sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in æternum et testis in cœlo fidelis* (*Ps.* LXXXVIII, 20 *et seqq.*). Et rursum in psalmo eodem ex persona ejus ad Patrem : *Sicut jurasti David in veritate tua, memor esto Domine opprobrii servi tui, quod continui in sinu meo multarum gentium. Quod exprobraverunt inimici tui Domine, quod exprobraverunt commutationem Christi tui* (*Ibid.*, 50 *et seqq.*). Opprobria multarum gentium in sinum suum David hic unus excepit. *Ipse enim peccata nostra suscepit, et infirmitates nostras portavit ; livore ejus nos sanati sumus* (*Esa.* LIII, 5). Ita dum hic David libe-

(*b*) Hoc est, jam ab antiquis ac primis temporibus.

ratur, et legi mortis eximitur, salus quoque regibus datur. Ipse est enim primogenitus ex mortuis (*Coloss.* I, 18). *Et ut in Adam omnes morimur, ita et in Christo omnes resurgemus.* (I *Cor.* VIII, 22.) Liberatio ergo ejus, salus regum est. Regnabunt enim conformes gloriæ suæ, per assumptam ab eo naturæ nostræ (*a*) conjunctionem, rursum omnes in naturæ ejus communione mansuri.

619 22. Eripitur ergo hic David de gladio malignorum. Spiritum enim Jesus posuit cum voluit : nec exspectavit ut animam impressum vulnus emitteret. Jus animæ ejus manus irreligiosa non habuit. Ait enim, *De gladio maligno erue me.* Quamquam enim exanimis jam corporis latus miles transfoderit (*Joan.* XIX, 34), usus est ministerio sævitiæ : cæterum potestas spiritus emittendi, causam violandæ in se animæ non reliquit.

23. *Falsæ felicitatis opinio reprobatur.* — Consummat deinde cantionem novam novæ confessionis hymno, terrena judicia et sæcularium bonorum gaudia falsa condemnans, cum ait : *Quorum os locutum est vanitatem, et dextera eorum dextera iniquitatis ;* VERS. 12-15 : *Quorum filii sicut novella plantatio stabilita in juventute sua. Filiæ eorum compositæ, circumornatæ quomodo similitudo templi. Et promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud. Oves eorum fetosæ, abundantes in egressibus suis : boves eorum crassæ. Non est ruina maceriæ, neque transitus, neque clamor in plateis eorum. Beatum dixerunt populum cui hæc sunt : beatus populus cujus Dominus Deus ejus.* Et hæc sunt, quantum arbitror, hujus sæculi bona communi universorum beata judicio, res sæculi loqui atque agere, rapere aut emere honores, sub pretio falso ditescere, gloriari in adultæ ætatis liberis, quorum efflorescentes anni novellæ exsultationis firmitate confidant, optare speciosi corporis filias, atque eas in modum templi damno inutili pecuniæ ingentis ornare, multiplicatis horrea fructibus rumpere, quæ congestas opes in promptuaria alia angusta his quæ in se conduntur eructent, geminatis quoque oves fetibus velle, quas egressas nullus feræ occursus imminuat, delectari boum suorum sagina, circumsepta etiam domorum firma præbere, ne transeundi per ea cuiquam sit potestas; non flere, non lugere, non gemere, sed prospero felicitatis suæ cursu nulla adversæ calamitatis molestia impediri. Beatum hunc populum cui hæc essent dixerunt : sed Propheta scit falsam esse hujus beatitudinis opinionem. Quid enim hæc tot et tanta sæculi bona ad vitam, quæ morte intercipienda esset, acquirent? Et ideo qui populus beatus esset, ostendit dicens, *Beatus populus cujus Dominus Deus ejus.* Deus ille Dominus, qui cum superiora hæc terrena præsitierit, æternitatem tamen illis qui his recte utentur impertiet : qui cohæredes nos Filii sui in ipso ante constitutionem sæculi elegit, qui erit Deus omnia in omnibus : (*b*) ipsi gloria, laus, honor, virtus, imperium Patri in Filio, Filio in Patre et in Spiritu Sancto, et nunc et semper et in omnia sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXLIV.

Laudatio ipsi David.

Exaltabo te Deus meus et rex meus, et benedicam nomen tuum in sæculum et in sæculum sæculi. Per singulos **620** *dies benedicam te, et laudabo nomen tuum in sæculum et in sæculum sæculi. Magnus Dominus, et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis. Generatio et generatio laudabit opera tua, et potentiam tuam pronuntiabunt. Et magnificentiam majestatis tuæ, et sanctitatem tuam loquentur, et mirabilia tua narrabunt. Et virtutem terribilium tuorum dicent, et magnitudinem tuam narrabunt. Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt, et justitiam tuam* (Infra, *justitia tua exultabunt. Miserator et misericors Dominus, et* (Infra abest *et*) *patiens et multæ misericordiæ. Suavis Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus. Confiteantur tibi Domine omnia opera tua, et sancti tui benedicant te* (Infra, *confiteantur tibi*). *Confiteantur tibi: gloriam regni tui dicent, et potentiam tuam loquentur : ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam, et gloriam magnificentiæ regni tui. Regnum tuum regnum* (Infra non repetitur *regnum*) *omnium sæculorum : et dominatio tua in omni generatione et progenie. Fidelis Dominus in verbis suis, et sanctus in omnibus* (Infra additur *operibus*) *suis. Suffulciet Dominus omnes qui corruunt* (Infra, *suffulcit, ruunt*), *et corrigit* (Infra, *erigit*) *omnes elisos. Oculi omnium in te sperant, et das* (Infra, *Domine et tu das*) *escam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, et imples omnem animam beneplacito. Justus Dominus in omnibus viis suis : et sanctus in omnibus operibus suis. Prope est Dominus omnibus* (Infra abest *omnibus*) *invocantibus eum, omnibus invocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium se facit* (Infra, *faciet*), *et orationem eorum exaudiet, et salvos faciet eos. Custodiet Dominus omnes diligentes* (Infra, *custodit Deus diligentes*) *ipsum, et omnes peccatores disperdet. Laudationem Dei* (Infra, *Domini*) *loquetur os meum, et benedicat omnis caro nomen sanctum ejus in sæculum et in sæculum sæculi.*

TRACTATUS PSALMI.

1. *Christus hoc psalmo nomine David laudatur.* — Absolutus est Psalmus, Dei tantum laudibus occupatus. Sed et titulus ipse solam contineri in psalmo prædicationem Dei edocet. Adjecto autem, secundum græcitatis consuetudinem, nunc quoque ut in cæteris aliis pronomine, ostendit illum David isto laudante

(*a*) Bad., Er. et Lips. *conditionem :* quod et prætulit postrema editio Par. Retinemus cum prima et ms. *conjunctionem*, id est, societatem ; sic enim habetur in psal. LXVII, n. 57 : *Mirabilis ergo in sanctis Deus est, quos cum conformes gloriæ corporis sui fecerit, per se qui mediator est, etiam in unitatem paternæ majestatis assumet : dum et in eo per naturam Pater est, et ille rursum per societatem carnis in nobis est.*

(*b*) Singularis est hæc clausula per doxologiam totius Trinitatis, cum cæteri tractatus solius Filii benedictione claudi soleant.

laudari. Et quis hic sit, quem psalmus hic laudet, A clamant omnium temporum omnes prophetiæ, ut hic ipse Propheta sæpe de eo ita contestatus est : *Sedes tua Deus in sæculum sæculi, virga æquitatis,* **621** *virga regni tui. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem; propterea unxit te, Deus, Deus tuus*(Psal. XLIV, 7, 8). Et rursum : *Et adorabunt eum omnes reges, et omnes gentes servient ei. Erit nomen ejus benedictum in sæcula, ante solem permanet nomen ejus. Et benedicentur in eo omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum* (*Ps.* LXXI, 11, 17). Hujus igitur laus cantatur hoc psalmo, ex cujus persona dictum meminimus, *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus. Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Posce a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ.* B *Reges eos in virga ferrea* (*Ps.* II, 6 *et seqq.*). Cujus regni perennitatem Daniel ita contestatus est, dicens : *Et in diebus regnum illorum excitabit Deus cæli regnum aliud, quod numquam corrumpetur usque in sæcula, regnumque ejus alteri populo non relinquetur : comminuet et ventilabit omnia regna, et hoc regnum* (*subaud.*, stabit) *in æternum* (*Dan.* II, 14). Et rursum : *Et ecce cum nubibus cæli, sicut filius hominis veniens, et usque ad vetustum dierum pervenit, et oblatus est ei, et datus est ei principatus et honor et regnum : et omnes populi, tribus et linguæ servient ei, et potestas ejus potestas perpetua quæ numquam transibit, et regnum ejus non corrumpetur* (*Dan.* VII, 13, 14). Hic igitur rex laudatur per ista, quæ psalmo continentur : *Exaltabo te Deus meus et rex meus :* et per illud, *Sancti tui confitebuntur tibi, gloriam* C *regni tui dicent, et potentiam tuam loquentur. Notam faciant filiis hominum potentiam tuam, et gloriam magnificentiæ regni tui. Regnum tuum regnum omnium sæculorum, et dominatio tua in omni generatione et progenie.*

2. *Dei ad admirationem instituimur.*—Et quamquam hic ob æterni regni gloriam, qua sanctis conregnantibus ipse regnabit, laus Deo prophetæ confessione cantetur; tamen ita laudationis ipsius ratio et ordo dispositus est, ut ea, quæ de eo dicta sunt, ex sensu communis intelligentiæ prædicentur : ut in quantum humani sermonis consuetudo permittit, de immensa illa et incomprehensibili Dei natura, licet non ad perfectam cognitionis veritatem, tamen ad admira- D tionem nos ingentis illius, quæ ejus est, virtutis instituat. Possumus enim eum maxime quantum in nobis est admirari : cognosci autem a nobis quantus ipse est non potest.

3. *Patris aut Filii laus est mutua.* — Verum cum in omni psalmo simplex Dei et absoluta laudatio est; meminisse debemus Patrem in Filio, et Filium in Patre laudari : et cum ex substantiæ similitudine ac proprietate naturæ alter in altero sit, et ambo unum sint, et qui vidit Patrem, videat et Filium, (*subaud.* meminisse debemus) non differre quis ex duobus laudari existimetur; cum utrumque sibi invicem et virtutis atque operum similitudo, et indifferentis naturæ ex **622** Patre Deo genita et Filio Deo nata divinitas unum eos esse testetur.

4. *In eos qui Dei providentiam aut animæ negant immortalitatem.* — Cœptus ergo ita psalmus est, VERS. 1 et 2 : *Exaltabo te Deus meus et rex meus, et benedicam nomen tuum in sæculum et in sæculum sæculi. Per singulos dies benedicam te, et laudabo nomen tuum in sæculum et in sæculum sæculi.* Ratio et virtus propheticæ magniloquentiæ per intentam audiendi diligentiam noscenda est. Ait enim : *Exaltabo te Deus meus et rex meus.* Multi Deum per ea, quæ in operibus mundi ab eo instituti cognitioni nostræ sunt subjecta, magnificant : sed pauci sunt, qui regem sibi futurum velint credere, dum aut curam negant (*a*) humanorum operum Deo esse, aut ad consolandam eorum quæ impie egerunt conscientiam, præsumpta animæ et corporis abolitione, nolunt divinum in bonos et malos constitutum esse judicium. Sed propheta hinc prædicandi Dei sumit exordium, quod sibi rex sit. Sed et nunc quidem nomen ejus, qui sibi rex atque Deus sit, ob exspectationem regni benedicit, cum ait : *Benedicam nomen tuum in sæculum.* Sed quia scit se gratiam Deo atque regi suo, etiam tum cum in regno ejus maneat, debere; quia demutata caduci corporis sui infirmitate, depulsoque inimicæ mortis imperio, regi suo conformis et coæternus adsistat : adjecit, *et in sæculum sæculi*, id est, in illo sæculo, quo, habitu sæculi hujus exempto, (*b*) jam ut sæculum sæculi, æternitatis successione renovabitur.

5. *Benedictionis et laudis discrimen. Utrumque semper debemus Deo.* — Et in hoc quidem sæculo quisque benedicens Deum potest non semper in benedictionis officio permanere, dum (*c*) aut luctu impeditur, aut metu occupatur, aut ægritudine anxius detinetur; et aut torpescente animo, aut ingrato, in benedictionibus Dei mutus est. Sed perfectio prophetalis fidei ab istius modi infirmitatum demutationibus libera est, dicens, *Per singulos dies benedicam te.* Nullum vacuum habet tempus, et dies ei nulla est otiosa, quin semper in benedictionum confessione versetur. Accidit autem frequenter, ut de quibus bene loqui possimus, laudare eos non possimus. Abstinere a malo, benedictione dignum est. Sed solum malum non admittere, non habet laudem, nisi mali abstinentiam etiam gloria boni operis consequatur. Et beneficium

(*a*) Ita affectus videtur Tullius, ut hoc verum esse voluisset; cum de Stratone præmittens lib IV quæst. Acad. : *Ipse autem singulas mundi partes persequens, quidquid aut sit, aut fiat, naturalibus fieri aut factum esse docet ponderibus et motibus;* exinde subjicit, *Sic ille et Deum opere magno liberat, et me timore. Quis enim potest, cum existimet a Deo se curari, non et dies et noctes divinum numen horrere.* Si hæc gentilis de Dei providentia incertus, quid sentire debet christianus, cui certo constat opposita sententia ?

(*b*) In vulgatis, *jam in sæculum.* Rectius in ms., *jam ut sæculum.* Sic in psal. CXVIII, n. 7 : *Ait enim sæculum sæculi, tamquam temporis tempus, quod succedente quadam vicissitudine hujus sæculi sæculum sit futurum.*

(*c*) In ms. *aut loco impeditur.*

quidem in nos benedicere possumus; quia natura exigit, non obtrectare nos illis, quorum benevolentia confovemur : sed si et aliis vitiis adspersi sunt, nostro quidem commodo benedicuntur, sed veri judicio non prædicantur. Perfectio autem Dei nihil in se esse patitur pro parte. Nam ut benedictus, ita et laudabilis est; habens et ex his, quibus beneficentia in nos sua utimur, benedictionis nostræ confessionem, et ex perfectarum in se virtutum admiratione præconium. Ob quod benedicturus per dies singulos **623** propheta, etiam id adjecit, *Et laudabo nomen tuum in sæculum et in sæculum sæculi* (*a*) Cum benedictum laudat, et laudat in sæculum sæculi, in nullo prophetæ officium infirmum est, nec benedictione, nec laude, nec tempore.

6. *Prima laudandi Dei ratio, ejus infinitas.* — Dehinc sequitur, VERS. 3 : *Magnus Dominus, et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis.* Hæc Dei prima et præcipua laudatio est, quod nihil in se mediocre, nihil circumscriptum, nihil emensum et magnitudinis suæ habeat et laudis. Virtus ejus opinione non clauditur, locis non continetur, nominibus non enuntiatur, temporibus non subditur : artus ad id sensus noster est, ingenium hebes est, sermo mutus est. Finem magnificentia ipsius nescit : et aliquam ementiendi se opinionem immensa magnitudo non patitur. Extenta ubique, extenta semper est, hanc habens infinitatis suæ laudem : cæterum omnem intelligentiam infinitæ hujus in se qualitatis excedens.

7. *A quibus laudandus.* — Et quia hæc vel immensæ magnitudinis cognitio, vel laudatio operum Dei non omnium gentium est; quibus a constitutione mundi vita et sensus fuisset futuraque esset, consequenter subjecit, VERS. 4 : *Generatio et generatio laudabit opera tua.* Non utique generationes et generationes, quæ et temporibus et gentibus multæ atque adversæ sunt : sed *generatio* quæ ab Abraham (*b*) cœpit, quæ per signum circumcisionis deputatur in Legem ; *et generatio* quæ renovatur in Christo, quæ ex doctrinis propheticis ad fidem evangelicæ justificationis instruitur. Harum igitur generationum proprium est, Dei opera laudare.

8. *Laudandus Deus quia in factis potens.* — Laudari opera Dei non alia ratio admonet, quam quod omnia ab eo potenter effecta sunt (*c*) : quia præconium habeat, non aliquid egisse, sed potenter egisse. Et ideo subjecit, *Et potentiam tuam pronuntiabunt.*

9. *Magnificus.* — Sed potentia operum ea demum prædicanda est, (*d*) quæ magnificentiæ exæquetur operantis : ut potentis magnificentiæ potens intelligatur operatio. Ob quod consequitur, VERS. 5 : *Magnificentiam majestatis tuæ.*

10. *Sanctus seu beneficus.* — Sed magnificentia, si quod in se est tantum sibi habeat, habet admirationem, non habet laudem : et otiosa aliis est potentis operatio, nisi per operantis sanctitatem usum aliquem ex se illis qui laudabunt et admirabuntur impertiet. Ex quo competenter hoc sequitur : *Et sanctitatem tuam loquentur.* Et sanctitas quidem jam bona est, neque tantum sibi proficit : neque hoc quod ex se est, intra usum commodi proprii consumit. Nam etiam, ad provocandam in se aliorum beneficentiam, sanctitatis **624** officiis sese ipsa commendat. Sed nihil de se dignum admiratione præstabit, si sibi sola sit. At vero hoc proprium est et admirabile sanctitatis, cum hoc quod in se est, in usum aliorum quibus est sancta concedat : ipsa aliquo non egens, nisi forte per benevolentiam eo tantum, ut se alius utatur. Ad id ergo quod dictum est, *Et sanctitatem tuam loquentur ;* merito subjecit, *Et* (*e*) *mirabilia tua narrabunt.*

11. *Malis terribilis.* — Et mirabile quidem est, sanctitatem nihil sibi proficientem in usum alienæ beatitudinis exuberare : sed mirabilius est, sanctitatem plenam esse (*f*) terroris ; ne si non indiscretam se utentibus aut abundantibus præstet, dum bonis ac malis promiscua est, et tamquam ex naturæ necessitate se præbens, admirationem non habeat sanctitatis. Et idcirco mox subdidit, VERS. 6 : *Et virtutem terribilium tuorum dicent :* ut sanctitatem loquentes, et mirabilia narrantes, dicant quoque terribilium virtutem, media admiratione inter sanctitatem atque terrorem, dum et terror suavis et terribilis suavitas admirabilem facit et terrorem suavem et terribilem suavitatem.

12. *Magnus sine modo. Bonus semper et abundanter.* — Ob quod ingentem hanc admirandæ temperationis magnitudinem propheta intelligens, subjecit, *Et magnitudinem tuam narrabunt.* Magnitudinis enim infinitæ est, in Deo quod terribile est suave esse, et quod suave est esse terribile. Magnitudo autem non habet modum : ne si moderata sit, jam magnitudo non sit per id, quod modo non caret. Ut ergo propriæ admiratio sanctitatis atque terroris in magnitudinis suæ infinitate consistat (*g*) ; mansura est et semper et abundans, nec tempore definita nec copia. Et idcirco connexuit,

(*a*) Ms. Mic ac prima editio Par. *cum benedicit, cum laudat in sæculum*, etc.

(*b*) Non quod velit Hilarius ante Abraham defuisse, qui Dei opera laudarent, cum passim doceat, *in mandatis Dei jam a sæculi institutione perrectum.* Hæc autem diserte declarans in ps. CXVIII, n. 8, subjicit, *In hac enim semita et Abel cucurrit, et Seth institit, et Enoch placuit, et Noe reservari meruit, et Melchisedech*, etc. Neque vero illi, nisi Deum ejusque opera laudando placuerunt. Hoc igitur tantum sibi vult, generationem ac populum peculiarem, qui Deum laudaret, ab ævo Abrahæ cœpisse segregari.

(*c*) In vulgatis, *qui*. Rectius in ms. *quia.*

(*d*) Editi, *quæ magnificentiam exequatur operantis :* emendantur ex ms.

(*e*) Origenes apud Corderium *mirabilia* interpretans *miracula quæ in beneficium quorumdam fiunt*, hunc Hilarii locum non mediocriter illustrat. Sanctitatem loquuntur populi, quæ miraculis sibi comperta fuerit.

(*f*) Apud Bad., Er. et Lips. *erroris, nisi non*, etc. corrupte. Tum etiam apud Par. retentum est *nisi non*. Totus hic locus jam emendatur ex ms.

(*g*) Sic prima editio Par. cum ms. Cæteræ autem,

VERS. 7 : *Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt :* quia nec memoria oblivione intercipitur, nec abundantia per inopiam detrahitur.

13. *Bonitatem Dei justitia moderatur.* — Tenuit autem ordinem propheta orationis; ut memoriam et abundantiam suavitatis, conditione et moderatæ et conservatæ magnitudinis temperaret, dicens, *Et* (*a*) *justitia tua exsultabunt.* Infinita quidem est memoria et abundantia suavitatis; quia nequaquam Deus aut obliviscitur esse suavis, aut desinit; sed infinitatem memoriæ atque abundantiæ justitia interjecta moderatur. Moderatur autem non præbendi modo, sed utendi : dum quod per abundantiam et memoriam Dei semper æquis omnibus patet, id ab iniquis utendi indignitate non capitur. Sanctitas Dei iter populo suo diviso mari præbuit (*Exodi* XIV, 22 *et seqq.*) : sed eadem sanctitas et terribilis fuit virtus, cum ingressis in ipsum iter impiis, ubi fuerat salus religiosorum, 625 ibi pœna constitit impiorum. Circumstant alios firmitate muri solidatæ undæ, alios refusæ ipsæ illæ quæ constiterant absorbent. Ad istos pelagus naturam suam nescit; hos per naturam suam punit. Ad istos ex mari terra est; istis quod erat mare est. Horum salus sanctitas est; horum mors terror est. Aut cum tribus pueris in camino cantantibus, circumstantes flammis quas illi non sentiunt aduruntur, illis in roris humore ignis temperatur, hos exæstuans ignis amburit. Ipsæ intus extraque flammæ sunt, quarum, pro diversitate meritorum, et deficit a se natura, nec deficit. Nam quod est, manet erga eos ignis esse quos urit; et quod (*b*) non est, necesse est in his esse quibus ros est. Atque ita magnitudinem memoriæ et sanctitatis Dei justitia sola moderatur; cum per justitiam Dei ad iniquos atque justos, et A terrorem sanctitas, et terror temperet sanctitatem.

14. *Justitia Dei misericors, et misericordia justa, non sic hominum. Patientia Dei erga peccatores.* — Et justitia quidem (*supple* hominum) recta atque utilis est : sed tamen eadem ipsa aliquando prædura est; ita ut sibi uti bonitate non liceat, dum pro diversitate judicii decernendo quod justum est, fit severa. Sed Dei justitia justitiæ non coæquatur humanæ. Neque enim naturæ legi subdita est, per quam est lex statuta naturæ : ut necessitatem non habeat bona non esse, cum justa sit. Habet Dei justitia miserandi voluntatem : neque tamen per miserandi voluntatem ita a se erit demutata, ne justitia sit. Humana autem justitia solet in id devenire, ne misericors sit; et misericordia ita se præstare, ne justa sit. Misericordia B enim (*c*) non erit, si miserabiliter inopi calumnianti jus opulentioris invideas, si feminæ lacrymas viri præferas contumeliæ, si cæci convicia non putes arguenda. At vero e contrario misericordiam justitia non tenebit, si furem unius nummi, ut furem ingentis thesauri plectas; cum tamen in uno nummo thesaurum habuerit qui amisit : ut adolescentem in uno tantum et eodem infami adulterio irretitum, pari in morte, ut plurium adulteriorum artificem, (*d*) pœnarum quæstione vexabis; cum tamen crimen sit mortis in utroque. 626 Hæc atque istiusmodi imperfectam faciunt et misericordiam et justitiam humanam; Dei autem justitiam misericordem præstat criminosorum pœnis indulta patientia. Qui cum contra morem humanæ impatientiæ non festinat punire, C miseratus est : tenens justitiam in pœna, post misericordiam non proficiente patientia; habens misericordiam in pœna, post patientiam (*e*) exserendo justitiam. Non enim Deus rapit humanorum criminum

mensura est : quod nequit stare cum proxime dictis, *non habet modum*, etc.

(*a*) Editi, *justitiam tuam*, græco textu et ms. refragantibus.

(*b*) Vocabula, *non est*, desiderantur in prius vulgatis : supplentur ex ms. Post illa subintelligendum, *nempe ros*. Potest et tota phrasis sic inverti : *et quod est, necesse est in his non esse quibus ros est.* Ut enim habetur lib. x de Trin. n. 44 : *Naturam suam in his et corpora et ignis amittit; nam neque illa uruntur, neque ille urit : et tamen in cæteris in natura sua est et ignis et corpus; nam circumstantes ardent.*

(*c*) Hic aut adjiciendum, aut subintelligendum *justa*. D Mox apud Bad., Er. et Lips. : *si feminæ lacrymis viri præferas contumelias* : minus ad rem.

(*d*) Editi, *pœna, non quæstione :* emendantur ex codice Miciacensi, cujus lectionem confirmat Cod. Theod. l. IV : *quorum appell.*, ubi sancitur ut adulterii crimen *quæstionibus adhibitis approbetur;* atque *ita sacrilegos nuptiarum tamquam manifestos parricidas insuere culeo vivos, vel exurere judicantem oporteat.* Eidem suffragatur celebris Hieronymi epistola XLIX, *de muliere septies icta*, sic ab eo inscripta, quia mulier innocens una cum juvene adulterii accusata toties percussa est, cum juvenis malens se reum fateri, quam diuturnos acerbissimæ quæstionis cruciatus perferre, capite truncatus esset. Ambrosius quoque, lib. de lapsu Virg. consecr. c. 5, n. XX, innuit mortis pœnam in adulteros decretam. Demum Justinianus Novella CXXXIV, c. 10, Constantini constitutionem de pœna adulteris infligenda probat atque confirmat. Hunc legis tam severæ primum auctorem multi faciunt. At eam ante Constantinum viguisse non inficias ierit, qui apud Eusebium, lib. IV Hist. Eccl. c. 17, edit. Val., legerit, *Cum Urbicius Ptolemæum ad supplicium duci jussisset, Lucius... sic Urbicium allocutus est : Quid causæ est, ut hominem neque adulterii, neque stupri convictum, nec homicidam, nec furem... condemnaveris?* Ptolemæus autem M. Aurelio imperante passus est : jam tum igitur mortis pœna plectebantur adulteri. Ita auctor passionis S. Vincentii, in Actis sincer. Mart., pag. 392, n. 5, inter crimina, quæ capitalibus pœnis obnoxia erant, adulterium recenset. In iisdem actis, pag. 141, Achatius Martiano consulari Decii imperatoris præfecto sibi jubenti, *Aut sacrifica, aut morere*, respondet : *Jus publicum punit scortatorem, adulterum, furem, corruptorem sexus virilis, maleficum et homicidam. Horum si reus sum, ante vocem tuam jam ipse me condemno.* Ad hæc Arnobius, lib. IV, contra gentes deorum gentilium adulteria exprobrans, *Homines*, inquit, *adulteria legibus vindicant, et capitalibus eos afficiunt pœnis, quos in aliena comprehenderint fœdera genialis se lecturi expugnatione dejecisse.* Postremo Augustinus, lib. III de Civ. Dei, c. 5, ubi ait : *Antiqui Romani... adulteras feminas, quamvis aliqua damnatione, non tamen morte plectebant;* significare videtur aliam apud posteriores morem obtinuisse. Neque necesse est moneamus antiqua lege cautum, Deut. XXII, 22, ut adulter et adultera morte punirentur.

(*e*) Hic, ut et alias, in vulgatis substitutum erat *exercendo*.

occasiones, neque tamquam infirmitatis nostræ naturæque nescius, ipsum illud ad pœnam erroris et peccati nostri tempus (*a*) invadit : sed dissimulat et differt, et pœnitentiæ solatium dilatione ultionis exspectat; suavem se omnibus præstans, dum per misericordiæ et justitiæ modum, temperandæ severitatis indulgentiæ se reservat.

15. *Miseri, præcipuum Dei opus.*—Hoc in Deo præcipuum, hoc in potente laudandum : non cœlum fecisse, quia potens est; non terram fundasse, quia virtus est; non annum astris temperasse, quia sapiens est; non hominem animasse, quia vita est; non mare in accessus ac decessus movisse, quia spiritus est : sed misericordem esse, qui justus est; sed miserantem esse, qui rex est; sed dissimulantem esse, qui Deus est. Ad id enim quod dictum est, *Justitia tua exsultabunt*, tanquam necessarium sequitur, VERS. 8 et 9 : *Miserator et misericors Dominus est, patiens et multæ misericordiæ. Suavis Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus.* Quod enim potens est, naturæ suæ virtus est : quod autem misericors est, salutis nostræ profectus est. Et plus est, non suis uti, sed aliis præstitisse quæ sua sunt : atque ideo præstat cæteris Dei operibus misericordia, quia magnifica ejus operatio virtutis suæ res est, misericordia vero ejus usus alienus est.

16. *Immortalitatis nostræ probatio.* — Ob quod tamquam in apice ipse divinarum ob misericordiam laudum Propheta consistens, debitum Deo honorem veluti publicæ confessionis ostendit, dicens, VERS. 10-13 : *Confiteantur tibi Domine omnia opera tua, et sancti tui confiteantur tibi. Gloriam regni tui dicent, et potentiam tuam loquentur : ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam, et gloriam magnificentiæ* **627** *regni tui. Regnum tuum omnium sæculorum, et dominatio tua in omni generatione et progenie.* Dignus prophetica magniloquentia ordo dictorum est. Opera Deum confitentur : quam magnificus enim sit, operum et creaturæ magnificentia confitetur. Sed confitentur et sancti, quibus rex esse dignatur. Gloriam regni eloquuntur : ne ignorata non desideretur usuris. Magnificentiam quoque gloriæ regni Dei nuntiant : ne desperetur æterna. Dominatus etiam in generationem et generationem ostenditur : (*b*) ut se dominatui intelligat coæternam. Atque ita cognitio Dei in operibus est, sanctorum officium in doctrina est, prophetiæ usus in prædicatione est, regni gloria in æternitate dominatus est, dominatus æternitas eos necesse est habeat, in quos agatur æternus.

17. *Sanctitas operum Dei verborum firmat fidem.* — Atque ad id spebus fidelibus expetendum, adhortatio Prophetæ continuo subjecta est : *Fidelis Dominus in verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis.* Verborum fides forte nutaret, nisi sanctitas operibus esset admixta. Atque ita sanctitas in operibus, fidem confirmat in verbis : ut de sancti fide in promissis non ambigas, cujus sanctitate utaris in rebus. Si enim sanctum esse Deum intelligimus per id quod nascimur, vivimus, alimur, et copiis omnibus humanæ naturæ congruis abundamus; sanctitas ita (*f.* ista) esse non potest infidelis in dictis.

18. *Pœnitentes suffulcit Deus.* — Scit autem Propheta esse et aliud sanctitatis Dei opus, in eo quod sequitur : *Suffulcit Dominus omnes qui ruunt, et* (*c*) *erigit omnes elisos.* Adest omnibus Dei sanctitas, et se humanis auxiliis non subtrahit. Sed servat etiam nunc justitiæ et misericordiæ (*d*) Propheta rationem. Suffulcit enim Dominus, non collapsos, sed cadentes. Quos, et si trahat pronus naturæ lapsus in casum, pœnitentia tamen, quæ auctor est desinendi, ne penitus jam (*e*) ceciderint, sistet, in lapsu suffulcit. Ruere enim, non ruisse, potest in id confirmatum esse ne ruerit.

19. *Elisos per fragilitatem aut errorem erigit.*— Sed et eriguntur allisi. Differt autem, vi exteriore collidi, et ruisse suo casu. Alliditur namque ille, quem per diaboli instinctum calens ætas præcipitavit in casum, quem ignoratio compulit in errorem, quem fraudulentis usa blanditiis naturæ infirmitas egit in crimen. Hic potius eliditur, quam ille qui voluntate permanserit, (*f*) quem hic vitiorum usus oblectet, quem non pœniteat admissi. Habet enim veniæ apud Deum solatium, pœnituisse de gestis : nec temperamento severitatis indignum est, quod per admissi dolorem, affectum ita profitetur inviti.

628 20. *Omnia et corporis et animæ bona a Deo* merus illo superior ab his etiam verbis inchoatur, *Sed et eriguntur allisi.*

(*a*) Hoc est, non statim punit, atque erramus aut peccamus, seu ut habetur in psal. CXXVIII, n. 8 : *Non inter exordia humanæ iniquitatis promptus ad pœnam, sed desinendi a criminibus seram licet voluntatem peccatoris exspectans.*

(*b*) Editi, *ut se dominatui subjiciat coæterno :* corriguntur ex ms. Mic, nisi quod in eo mendose exstat *dominatu*. Sic ratiocinatur Hilarius : *Dominatus æternitas eos necesse est* in æternitate *habeat, in quos æternus agatur :* æternus autem agitur in generationem et generationem : illa igitur generatio coæterna sit necesse est. Non enim videtur ad quid referat *se coæternam*, nisi ad generationem. Idem argumentum postremis hujus tractatus verbis inculcatur, ex quibus hic *dominatui*, non *dominatu* legendum liquet.

(*c*) In ms. *corrigit*. Habemus quidem initio num. 20 : *Cur cadentes suffulciat, et allisos corrigat :* at nu-

(*d*) Ita ms. ac prima editio Par. Neque in novissima debuit præferri *prophetationem*, quod male apud Bad., Er. et Lips. obtinebat.

(*e*) In vulgatis, *ceciderit*, ac deinde *si stet*, duobus verbis. Rectius in ms. *ceciderint, sistet :* id est, quos pœnitentia sistet, eos in lapsu suffulcit Deus. Hæ enim duæ propositiones præcipuæ sunt, quarum cæteræ tantum sunt appendices. Obiter observare est de pœnitentia hic dici, *auctor est desinendi ;* quomodo in ps. CXXXV, n. 4, et in CXXXVII, n. 3, de confessione dictum est, *professio est desinendi.*

(*f*) Editi, *quem vitiosus*, vel, *quem vitii usus :* et mox, *habet enim veniam et apud Deum*, etc., et post pauca, *affectum profitetur inviti*, sine *ita*. Corriguntur auctoritate ms. De peccatore qui veniam non mereatur, vide annotata in ps. CXL, n. 8.

exspectanda. — Et cur cadentes suffulciat, et allisos corrigat; consequentibus docet, dicens, VERS. 15 et 16 : *Oculi omnium in te sperant Domine, et tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, et imples omnem animam benedictione.* Totis itaque in Deum allisi et cadentes oculis adspectent : neque quisquam ita de se confidat, ut non semper cadere, semper se vereatur allidi. Ab illo sperandum est, ne casu periclitemur, ne allidamur infirmitate naturæ. Omnia autem nobis vitæ subsidia ex ipso sunt : cum ex opportunitate fructuum indultis cibis vivimus, cum manum aperiendo animas nostras donis spiritalibus replet, et cum ex virtutis suæ fonte copia in nos eorum quæ sibi beneplacita sunt exuberat. Quod utrumque in his quæ consequuntur discernit ita, VERS. 17 : *Justus Dominus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis.* Justus in viis est, cum infirmitatem nostram in æternum regnum suum confirmata (*f.* confirmatam) donorum spiritalium communione deducit; sanctus autem in operibus suis, cum universis fructus in temporum opportunitate suppeditat : sanctitatem suam in omnium alimonia docens, justitiam vero in replendis beneplacito animis conservans.

21. *Deus ubique totus, quo animo invocandus.* — Post quæ sequitur, VERS. 18 : *Prope est Dominus invocantibus eum.* Non longe abest, qui per naturæ suæ virtutem, et ipse (*id est*, idem) ubique semper est, et totus semper et ubique est, secundum illud Apostoli, Quia in ipso sumus, et in ipso vivimus ac movemur (*Act.* XVII, 28). Prope est ergo invocantibus, cum nihil sit quod sine eo sit. Sed quibus invocantibus prope sit, ex subjectis docet. *Omnibus invocantibus eum in veritate.* Non ex otio invocantibus, neque ex infidelis ambiguitatis incerto; sed verum Deum fideli invocantibus veritate.

22. *Quo fructu.* — Et cum prope adsit, quid invocantibus se in veritate tribuat, demonstrat, dicens, *Voluntatem timentium se faciet*, non (*a*) turpium voluntates, neque vitiosorum cupiditates Deus faciet; sed *timentium se* (*supple*, voluntates), per metum innocentes, per fidem honestas, per reverentiam verecundas : et voluntates non otiosas, neque mutas, neque sperare aliquid a se quodam contemptu silentii dedignantes; sed quas eloquatur oratio, quas preces contestentur. Et ideo subjecit : *Et orationem eorum* (*b*) *exaudiet.* Voluntas ergo ea a Deo fit, quæ voce orationis exauditur. Sed quæ voluntas fiet orantium? *Et salvos*, inquit, *faciet eos.* Hoc volunt timentes Deum, hoc ut audiantur orant, ut non dominetur eorum æterna mors, non in interitum perpetui judicii deputentur, sed sub custodia 629 Dei tuti sint. Sequitur enim, VERS. 20 : *Custodit Deus diligentes ipsum.* Salvos ergo faciet eos custodiendo, (*c*) id est, æterni regni participes reservando : sed eos qui et timebunt, et precabuntur, et diligent. Dehinc sequitur : *Et omnes peccatores disperdet*, qui nec ut homines timuerint, nec ut subditi oraverint, nec ut donati vita mundoque dilexerint.

23. *Laudandus semper Deus. Id ab omnibus præstari optat Propheta.* — Conclusit autem Propheta honoris debiti confessionem, dicens, VERS. 21 : *Laudationem Domini loquetur os meum.* Laudasse non sufficit (*subaud.* ei), nisi et laudare non desinat. Laudabit enim adhuc, cum jam tamen laudet. Sed cum ille laudet, omne quoque ad benedictionem Dei humanum genus adhortatur : *Et benedicat omnis caro nomen sanctum ejus.* Per officii sui et fidei constantiam semper quidem (*d*) ille laudabit : sed Propheta et curat, ut omnes Deum benedicant, et optat. Non enim ait, benedicent, tamquam certus sit in futurum; sed ex voti affectu ait, *benedicant :* (*e*) et illud, potius ut intelligeretur optare, quam confideret sic futurum. Deinde benedictionem non temporariam esse postulat, sed æternam, *in sæculum et in sæculum sæculi.* Nobis potius optandum, ut in æternum benedicamus Æternum : quia in æternum benedicens, Æterno illi necesse est maneat coæternus, Domino scilicet nostro unigenito et primogenito Dei filio Jesu Christo, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXLV.

Psalmus David. Alleluia. Aggæi et Zachariæ.

Lauda anima mea Dominum, laudabo Deum (*Dominum*) *in vita mea, psallam Deo meo quam diu ero. Nolite confidere in principibus, neque* (Infra, abest *neque*) *in filiis hominum, in quibus non est salus. Exivit spiritus ejus, et revertetur* (Infra, *eorum et revertentur*) *in terram suam : in illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Beatus cujus Deus Jacob adjutor ejus : et* (Infra abest *et*) *spes ejus in Domino Deo ipsius, qui fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt. Qui custodit veritatem in sæculum, facit* 630 *judicium injuria patientibus* (Infra, *his qui patiuntur injuriam*), *dat escam esurientibus. Dominus solvit compeditos, Dominus sapientificat cæcos. Dominus erigit allisos* (Infra, *elisos*), *Dominus diligit justos. Dominus custodit advenas* (Infra, *proselytum*), *pupillum et viduam suscipiet, et vias pecca-*

(*a*) Sic ms. Editi vero, *turbidorum.*

(*b*) In ms. *exaudivit.*

(*c*) Clarius hæc edisseruntur in ps. CXX, n. 16 : *Non enim temporis hujus et sæculi est ista custodia..... sed futuri boni exspectatio est, cum exeuntes de corpore ad introitum illum regni cœlestis per custodiam Domini fideles omnes reservabuntur, in sinu scilicet interim Abrahæ collocati..... quo usque introeundi rursum in regnum cœlorum tempus adveniat.* Hinc proxime pro *custodit Deus*, mallemus *Dominus*, quomodo habet psalmi textus tractatui præmissus.

(*d*) Apud Bad., Er. et Lips. *ille laudabilis :* prave. Tum eædem editiones, *sed propheta hæc curat.* Par., *sed prophetæ cura.* Elegantior est lectio ms.

(*e*) Editi cum ms. *ut illud.* Tum Bad., Er., Lips., ac postrema editio Par. subsequens *ut* removent. Malumus loco primi *ut* reponere *et*, maxime cum in veteribus libris non rara sit hujusmodi mutatio. Sic legenti, post *et illud*, subintelligendum *dixit.* Mox pro *quam confideret*, non displiceret *quam confidere.*

torum exterminavit (Infra, *viàm..... exterminabit*). *Regnabit Dominus in sæculum* (Infra, *in æternum*) *Deus tuus Sion, in generatione et generationem.*

TRACTATUS PSALMI.

1. *Tituli pars addita, quare. Vita misera qui non vita nostra.* — Etiam huic psalmo addere aliquid translatoribus visum est. Nam cum Hebræis (*a*) sola *alleluia*, sit prælata confessio, illis placuit Aggæum et Zachariam in titulo anteferre : hoc eo, ut psalmum esse propheticum nosceremus : quia per hos prophetas, sub quibus ædificata rursum Jerusalem est, ipso illo tum tempore æternæ Jerusalem ædificatio prædicatur, etiam Evangelio testante, cum ingressuro templum Domino, et nummulariorum mensas, et ementium ac vendentium negotia subversuro (*Matth.* XXI, 4, 5), ita scriptum est : Hoc autem factum est, ut impleretur quod dictum est per Zachariam prophetam dicentem : *Dicite filiæ Sion, Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam et pullum novellum subjugalem* (*Zacch.* IX, 9).

2. Et, ut arbitror, hujus Jerusalem potius et Sion regem psalmus ostendit, qui ita cœpit, VERS. 2 : *Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo quam diu ero.* Scienter et de prophetæ doctrina dictorum ordinem tenuit. Primum enim eam (animam) hortatur ad laudem, quæ in hanc est constituta naturam, ut maneat æterna. Tum deinde, quia per resurrectionis donum glorificato corpore totum (*scil.* corpore ut anima) se ei meminerit coæternum, tamquam de futuro confidens ait : *Laudabo Dominum in vita mea.* Non enim ea vita, quæ nunc est per infirmitates corporis, sua est : ab Adam namque (*b*) ista cœpit, non cum Adam inchoata est, quam non vitam, sed mortem esse, Apostolus novit dicens : *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus* (*Rom.* VII, 24) ? In hac ergo vita sua Deum, qualis primum in homine est (*c*) instituta, **631** laudabit. Tum tertio ne in hoc eodem nunc corpore irreligiosus existimaretur ; adjecit : *Psallam Deo meo quam diu ero* (*supple*, in hac vita misera ; *vid. Prolog. n.* 19). In omni autem hoc psalmorum libro, in *psallere* religiosas operationes corporis significari meminimus : apta et consona corporei motus varietate placituri.

3. *In reges, quos deos sibi finxit antiquitas, non est sperandum.* — Post quæ stultas hominum opiniones, et inanes in regum nominibus religiones, quos sibi deos antiquitas finxit, redarguit dicens : *Nolite confidere in principibus*, VERS. 3 et 4, *in filiis hominum in quibus non est salus. Exibit spiritus eorum, et revertentur in terram suam : in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* Confidere vetuit in regibus. Et quibus regibus? subjecit : *et in filiis*, inquit, *hominum.* Et quibus filiis hominum? *quibus non est salus.* Et cur salus non sit? ostendit : *Exibit spiritus eorum, et omnes revertentur in terram suam.* Et reversuris in terram quid erit? *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum :* corruptæ ipsi scilicet originis; quia esse filii hominum perstiterunt, nec filii Dei esse voluerunt : nullius quoque salutis; quia exeunte spiritu, et in terram corporibus dissolutis, cogitationes eorum corporeæ atque terrenæ cum terreno corpore interibunt.

4. *Quam rectius in mundi opificem speretur.* — Sed ut ita in istiusmodi reges fiduciam non conferas, in quem sperandum esset ostendit, VERS. 5-7 : *Beatus cujus Deus Jacob adjutor ejus : spes ejus in Domino Deo ipsius, qui fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt; qui custodit veritatem in sæculum, facit judicium his qui patiuntur injuriam.* Non est caduca cogitatio in regem istiusmodi sperare : et spes illa non interit, quæ in Creatorem cœli et terræ et maris et omnis universitatis hujus extenditur. Hic sperandus adjutor est, in quo dolus non est. Nam cum, secundum prophetiam, omnis homo mendax sit; veritatem in sæculo solus ille custodit : et custodiens veritatem, judicium facit ob eos qui patiuntur injuriam. Beatus ille est, quem adjuvando ex Jacob (*d*) faciet Israel. Spes ejus æterna est, quia in Creatorem cœli et terræ marisque confidit. Creator autem horum omnium hic et verus et judex est, et veritatem custodiendo, et faciendo judicium.

5. *Esuriem verbi Deus satiat. Compedes spiritales solvit. Cæcitatem sæculi fugat.* — Neque solum judicium facit, sed etiam id quod sequitur : *Dat escam esurientibus. Dominus solvit compeditos*, VERS. 8 et 9 : *Dominus sapientificat cæcos, Dominus erigit elisos, Dominus diligit justos. Dominus custodit proselytum, pupillum et viduam suscipiet, et viam peccatorum exterminabit.* Hæc quidem et corporaliter intelligere non otiosum est : sed altius nescio quid et majus

(*a*) Ita ms. Editi vero *solæ alleluiæ*. Posset quidem ferri *alleluiæ*, ut ab Hilarii more non dissonans, sed non ita *solæ*, quod ad *confessio* refertur. Quod *Aggæi et Zachariæ* vocabula attinet, testatur Theodoretus ea se non modo apud Hebræum, aliosve interpretes, sed nec apud LXX in hexaplo reperisse.

(*b*) Editi, *ita cœpit*. Rectius ms. *ista*, hoc est, vita corporeis cupiditatibus et infirmitatibus misere subdita. Apposite Augustinus, l. I Retract. c. 10, n. 3 : *Ipsa enim vere ac proprie natura hominis dicitur, qualis sine vitio primitus condita est.*

(*c*) In vulgatis, *constituta*. Elegantius in ms. *instituta, in qua* nimirum, ut explicat tract. psal. CXXXVI, num. 5 : *sine cupiditate, sine dolore, sine metu, sine crimine vita est.* Hic vita beata secundum quid, non per omnem modum, cum primi hominis vita comparatur. Alias enim post resurrectionem corporibus nostris dotes passim tribuit Hilarius, quibus Adam caruit. Ea autem illius hic mens est, quæ Augustini lib. I Retr., c. 11, n. 3, ubi ait : *Quod dixi* (*Hæc autem sanitas tunc firmissima erit atque certissima, cum pristinæ stabilitati certo suo tempore atque ordine hoc corpus fuerit restitutum*), *non ita dictum putetur, quasi non sint futura post resurrectionem corpora meliora, quam primorum hominum in paradiso fuerunt; cum illa jam non sint alenda corporalibus alimentis, quibus alebantur ista; sed pristina stabilitas hactenus accipienda est, quatenus ægritudinem ita nullam corpora illa patientur, sicut nec ista pati possent ante peccatum.*

(*d*) Ita ms. At editi, *facit Israel*, et mox, *qui in creatore.*

sermo complectitur. *Dat*, inquit, *escam esurientibus*. Videamus quam escam, et quibus esurientibus. Et hæ quidem escæ corporales (*a*) non tum semper præbentur a Deo, cum esuritur a nobis. Annuum namque earum munus 632 est : et ideo intra tempus præbentur, ut intra tempus ne quis esuriat. Est igitur alia esuritio, et sunt aliter esurientes, quibus esurientibus esca præbetur. Scriptum namque est in Amos propheta (VIII, 11) : *Ecce induco famem super terram ; non famem panis ; neque sitim aquæ ; sed famem ut audiatur verbum Dei*. Hanc igitur escam prædicationis esurientibus Dominus impertit. Quæ cum in cibum fuerit assumpta, vincula diaboli resolvuntur. Ligavit enim, secundum Evangelia, decem et octo annis Abrahæ filiam (*Luc.* XIII, 16). Compedes quoque avaritiæ, libidinis, ebrietatis, cibus talis absolvit. Et absolutis compedibus, cæcis sapientiam præstat. Si de corporalibus donis Propheta loqueretur, commemorassel potius cæcis lumen (*b*) indultum. Sed quia per cibum (*c*) verbi esuritione depulsa, solvebantur compedes sæculi ; etiam cæcitas sæculi sapientiæ impertitione depellitur. Alimur enim post ingentem famem divinæ cognitionis spiritalibus cibis : et compedibus quibus currere ad æterna (*d*) non sinimur absolutis, discussa per indultam sapientiam cæcitate. Creatorem nostrum oculis intelligentiæ contuemur. Desinit ergo fames longa, compedes graves, cæcitas stulta, et id quod sequitur succedit.

6. *Pupillus*. — Allisi eriguntur, justi diliguntur, advenæ sive proselyti custodiuntur, pupillus et vidua suscipitur, et via peccatorum disperditur. Quisquis ille est, qui modo Dei est, etsi non uniforme, tamen proprium habet munus, ut allisus (*e*) licet, si non esuriat, si non compeditus et stultus sit, tamen erigi possit ne jaceat in æternum ; ut justus ob justitiam diligatur ; ut advena etsi non tamquam justus diligitur, tamen vel ob hoc quia advenerit reservetur ; ut pupillus, quia patrem sibi diabolum abjuraverat, exemplo apostolorum non orphanus relinquatur ; ut vidua suscipiatur in sponsam, postea quam sibi in Christo confixus hic mundus est (*V. Tract. psal.* CXXXI, *n.* 24). Omnem enim credentium fidem, cui per adimpletionem temporum lex tamquam vir primus emortuus sit, viduam apostolus nuncupavit (*Rom.* VII, 4). Sed non solum vidua suscipitur, sed etiam via peccatorum exterminatur. Quibus in interitum demersis, Jerusalem sancti illius regis civitas incoletur : non ista utique, quæ desolata et subversa profani parricidii luit pœnas.

7. *Quæ Sion sedes regni Dei*. — Concludit enim ita, VERS. 10 : *Regnabit Dominus in æternum, Deus tuus Sion, in generationem et generationem*. Ubi illa Sion, in qua regnaturus est Dominus? Nisi forte in ea (*subaud.* regnaturus est) quæ Prophetas occidit, et lapidat eos qui ad se missi sunt? Hæc utique hodie jam non est : et quomodo Dominus in æternum regnabit, regni sui sede subversa? Sed regnabit in ea, quæ mater cœlestis est, quæ vivis ex lapidibus exstructa, 633 et sanctis civibus (*f*) plena per generationem legis et per generationem fidei frequentabitur a domesticis Dei et Domini nostri Jesu Christi, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXLVI.

Alleluia. Aggæi et Zachariæ.

Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus ; Deo nostro jucunda sit laudatio. Ædificans Jerusalem Dominus, et dispersiones Israel congregans. Qui sanat contritos corde, et alligat contritiones eorum. Numerans multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocans. Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus, et sapientiæ ejus non est numerus. Suscipiens mansuetos Dominus : humilians autem peccatores usque ad terram. Incipite (Infra, *Inchoate*) *Domino in confessione, psallite Deo nostro in cithara, qui operit cœlum nubibus, et parat* (Infra, *qui parat*) *terræ pluviam, qui producit in montibus fœnum, et herbam servituti hominum. Dat* (Infra, *qui dat*) *jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum. Non in viribus equi voluntatem habuit* (Infra, *habebit*), *nec in tabernaculis viri beneplacitum est ei. Beneplacitum est Domino super timentes eum, et in eos qui sperant in* (Infra, *omnes qui sperant super*) *misericordiam ejus.*

TRACTATUS PSALMI.

1. *Non canitur hoc psalmo temporaria Jerusalem ædificatio*. — Post primam Jerusalem subversionem, traductoque in Babyloniam populo captivo, ædificatam rursum eamdem civitatem fuisse, et historia Regnorum et libri Esdræ loquuntur. Sed hodie eamdem nullam esse, rerum fides edocet. Hoc idcupat, et hoc ob infidelitatem et impietatem, ut ibidem insinuatur num. 8.

(*a*) In vulgatis, *non tamen*. Rectius in ms. *non tum*.

(*b*) Ex hoc loco liquet ignotam Hilario fuisse lectionem Vulgatæ nostræ præferentis : *Dominus illuminat cæcos*.

(*c*) A ms. abest *verbi*.

(*d*) In ms. *nunc sinimur* : forsitan verius, ea nimirum ratione, ut verbum *absolutis* non modo ad *compedibus*, sed et ad relativum *quibus* referatur, quasi *quibus absolutis*.

(*e*) Editi, *licet sit, nunc esuriat : si nunc compeditus et stultus*, etc., valde confuse. Confusio jam tollitur ope ms. Porro in hoc ac superioribus locis esuries non sanctum verbi desiderium, sed ejusdem inopiam et egestatem sonat : et quos hic Hilarius *esurientes*, infra in psal. CXLVI, n. 9, *aridos et infructuosos* nun-

(*f*) In ms. Mic. *plena per generationem fidei*, omissis intermediis, quæ re ipsa interpolata judicabit non nemo, cum generatio legis ad eam Sion videatur pertinere quæ prophetas occidit, quæque mox regni Dei sedes negata est. At apud Hilarium generatio legis duplex hominum genus complectebatur, et eorum scilicet qui carnaliter, et eorum qui spiritaliter legem implebant. Ac sicut in psal. CXLIV, n. 7, horum intuitu tam generationis legis, quam generationis fidei proprium esse prædicat opera Dei laudare ; ita etiam hic regni Dei sedem esse. Et contra in ps. CXXXIV, n. 22, solos carnales respiciens, memoriam operum Dei a Judæorum generatione ad generationem Christianorum transisse asserit.

circo prædixímus, ne quia translatoribus visum est, huic et anteriori psalmo in Aggæum et Zachariam titulum præscribere, existimemus in illius temporis homines prophetiæ hujus præscientiam convenire. Propheta enim non ignarus mysterii cœlestis, cum in ædificatione Dei civitatis humanam ædificationem inanem esse dixisset, cum Deo civitas nisi per ipsum ædificata æterna esse non posset; non nos nunc ad gratulationem ædificatæ a Deo rursum Jerusalem **634** adhortaretur, quam vane ab hominibus ædificari ante prædixerat. Quod si quis forte putabit, id quod in alio psalmo ita dictum est: *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laborant qui ædificant eam; nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum vigilabit qui custodit eam* (*Ps.* CXXVI, 1), idcirco dictum fuisse, quia eversionem ejus urbis, in qua templum ædificandum esset, propheta prænosceret: meminisse hæc debet ita intelligens, eumdem hunc prophetam ædificationem eam, quæ a Zorobabel secundo innovata est, inanem et caducam futuram fuisse non ignorare potuisse; neque illam, quæ a Salomone cœpta est, non a Deo constitutam idcirco dixisse, quia per regem Babyloniæ (Nabuchodonosor, II *Paral.* XXXVI, 26) esset destruenda, cum post septuaginta deinde annos (*juxta vaticinium Jerem.* XXIX, 10) rursum eadem sit reformata; hanc vero, quæ a Zorobabel gesta est, esse ædificationem Dei prædicatam, cum exinde diruta et sine aliqua restauratione sit dissoluta; et eam dirutam licet renovatio sit consecuta, inanem atque humanam tamen prædicasse; hanc vero quæ sine spe reformationis acciderit, divini operis perpetuitate renovari. Hæc omnia intelligentiæ genera stulta atque ridicula sunt.

2. *Jerusalem spiritalis ad laudandum bonis operibus Deum invitatur.* — Laudat autem propheta Dominum ædificantem Jerusalem illam, quæ secundum Evangelia sancti regis (*Matth.* V, 35) est civitas, in qua per Dominum resurgentes sancti (*a*) demonstrantur, quæ invectum pullo asinæ Dominum (*b*) in spe sanctorum læta suscepit. Corporaliter quidem tali vectione illam, quæ occidit prophetas et lapidat apostolos (*Matth.* XXI, 9), Dominus ingressus est: sed alterius civitatis (*c*) erat illa lætitia. Ob illius ergo ædificationem propheta nos advocat, dicens, VERS. 1: *Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus: Deo nostro jucunda sit laudatio.* Non levis gratulationis laus est, cujus psalmus bonus est. Et psalmus non tam vocis, ut frequenter diximus, quam corporeæ operationis officium significare solet. Deum enim non tam sermone, quam re et gestis obedientiæ laudamus: ut mare et terra et cœlum Deum non tam voce, quam officiorum suorum vicissitudine atque observatione laudant. Advocat igitur nos propheta ad Dei laudem: *quia bonus psalmus est*: et optat ut hujus boni psalmi *Deo nostro fiat jucunda laudatio*, scilicet ut placentia Deo opera nostra sint, per quæ a nobis gestorum nostrorum laudatur obsequio.

3. *Israel hic ædificatur, in fine temporum congregandus.* — VERS. 2-4. *Ædificans Jerusalem Dominus, et dispersiones Israel congregans. Qui sanat contritos corde, et alligat contritiones eorum. Numerans multitudinem stellarum, et omnibus his nomina vocans.* Reversuris de Babylonia in Jerusalem Judæis **635** sub Dario (*d*) rege edicto potestas data est revertendi. Neque alibi tum, quam in regni Babyloniæ finibus detinebantur: ex qua ergo dispersione Israel congregatur? Nempe de ea, de qua ait Dominus, Emittet Angelos suos cum tuba et voce magna, et congregabit electos a quatuor angulis ventorum (*Matth.* XXIV, 31): quorum congregatio cœtum sanctæ civitatis efficiet, quæ hodie per spei et fidei opus ædificatur in nobis. Et idcirco anterior ædificatio (*e*) congregatione est, quia nos ad futuræ civitatis congregationem Dei misericordia per gratiam justificationis ædificet. Cæterum si de terrena ædificatione loqueretur, prior fuerat congregatio prædicanda: quia non nisi congregatus Israel Jerusalem ædificare posset eversam.

4. *Sanitas ejus modo inchoata, tum erit perfecta.* — Tenet deinde ordinem competentem, dicens, VERS. 3: *Qui sanat contritos corde, et alligat contritiones eorum.* Congregato enim Israel, et in unam quæ ædificatur civitatem collecto, omnes humanæ infirmitates et labes corporeæ auferentur. Absorpta enim corruptione, et omnibus humanæ naturæ vitiis devoratis, incorruptio æterna et in nullis anxietatum mortibus conterenda succedet. Venit enim Dominus, secundum Evangelia, *sanare contritos corde, prædicare captivis remissionem et cæcis visum, dimittere confractos in requiem, prædicare annum Domini acceptum, et diem retributionis* (*Luc.* IV, 18, 19). Et hæc quidem pro parte jam cœpta sunt; quia per speculum et in ænigmate et in imagine futurorum secundum Apostolum demoramur (I *Cor.* XIII, 12). Sed tamen nondum nobis ejus temporis fructus est, quo secundum prophetam dicere adepta spei consummatione possimus, *Convertere anima mea in requiem tuam: quia Dominus benefecit* (*f*) *tibi. Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu, placebo Domino in regione vivorum* (*Psal.* CXIV, 7 *et seqq.*). Sanata enim omni cordis contritione, et ne perpetuo rursum subeat alligata, his omnibus humanarum passionum infirmitatibus

(*a*) In vulgatis, *demorantur*. Præferendum putamus cum ms. *demonstrantur*, atque hic alludi ad illud Matth. XXVII, 53: *et exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis.* Adeoque *demonstrantur* respondet verbo *apparuerunt.*

(*b*) Editi, *et spe*; corriguntur ex ms.

(*c*) Ita ms. Editi vero *erit.*

(*d*) Hæc potestas primum a Cyro facta est I Esdræ I, 2, ac deinde a Dario illius successore confirmata I Esdræ VI, 14.

(*e*) Editi, *congregatio non est*: castigantur subsidio ms.

(*f*) Sic ms. Editi vero, *mihi.*

liberati, placebimus Deo in regione vivorum, anima nostra in requiem suam, ex qua per transgressionem primi parentis sui Adæ ejecta est, revertente (*V. Tract. Ps.* CXLV, *n.* 2).

5. *Stellas, id est, electos qui vocet Deus ac numeret.* — Sed post prædicationem sanati cordis, etiam id ad præconium divinæ bonitatis adjectum est: *Numerans multitudinem stellarum, et omnibus his nomina vocans.* Si laus Deo ob ædificatam corporaliter Jerusalem defertur; quid hic numerus stellarum et omnibus his nomina tamquam ad præcipuam divini operis laudationem proferuntur? Aut numquid laudabilius Deo est numerasse et nuncupasse stellas, quam creasse; cum creatio et numerum fecerit, et nomina imposuerit, et vocabulis nomina numerumque discreverit? sed numerantur hic stellæ, quas Abraham contuitus in cœlo est, quas Isaac accepit in semine, quas Paulus discrevit in gloria. Quod autem nominibus suis vocentur, audiamus eum qui vocaturus est. **636** Dicit enim in Evangeliis : *Nolite mirari ista; quoniam venit hora, in qua omnes qui sunt in monumentis, audient vocem ejus, et procedent* (*Joan.* v, 28, 29). Vocantur ergo, et prodient. Adeo autem numerantur per Deum, ut capilli quoque, qui in singulis nobis innumerabiles esse existimantur, in numero sint, eodem Domino dicente : *Nonne et capilli capitis vestri numerati sunt* (*Luc.* XII, 7)? Hoc Domino potius dignum, hoc in misericordia ejus præferendum, ut eos, quos contritos corde sanaverit, quorum alligaverit contritiones, nominibus vocet, proprietate numeret, cœlesti luce clarificet.

6. Ob quæ mirabilia ejus atque præclara, ait VERS. 5 et 6 : *Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus, et sapientiæ ejus non est numerus. Suscipiens mansuetos Dominus, humilians autem peccatores usque ad terram.* Hoc enim mansuetorum proprium est, (quia, secundum Evangelia, mansueti possidebunt terram (*Matth.* v, 4), ut digni apud Deum sint nuncupatione, numero, claritate. Magnus est Dominus, cum dispersiones congregat. Magna virtus ejus, cum contrita clarificat. Innumerabilis sapientia ejus est, cum universa et nominibus discernit et numero. Sed qui suscipit mansuetos, humiliat quoque peccatores usque ad terram. Post meritum sanctitatis, impietatis pœna subjecta est : cum susceptis mansuetis in claritate stellarum, peccatores usque ad terram humiliati (*a*) infernæ legis judicio destinantur.

7. *Non alius Creator omnium, alius legis Deus.* — Ob quæ nos, tamquam cunctantes et hæsitantes, propheta cohortatur ad laudem, dicens, VERS. 7, 8 : *Inchoate Domino in confessione, psallite Deo nostro in cithara, qui operit cœlum nubibus, qui parat terræ pluviam, qui producit in montibus fœnum, qui dat jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum.* Frequenter admonet propheticus sermo, ut eum universitatis hujus esse Dominum credamus, quem omnis lex Deum locuta est, qui se nuncupari Deum A Israel voluerit : ut nunc in eodem hoc psalmo cum dixisset : *Ædificans Jerusalem, et congregans dispersiones Israel*, et ad laudem ejus cohortatus adjecit : *Qui operit cœlum nubibus, qui parat terræ pluviam :* ut non alius atque alius legis latæ et creationis istius Deus posset intelligi. Ita autem temperata doctrinæ istius ratio est, ut ea creationis enumeratæ et nomina commemorarentur et genera, quæ cum creatorem Deum esse latæ legis ostenderent, significationem tamen in se institutionis typicæ et propheticæ continerent. Et nunc confiteri Deum ob id admonemur, quia *operit cœlum nubibus*, quia *parat terræ pluviam*, quia *producit in montibus fœnum*, quia *dat jumentis escam ipsorum, et herbam servituti hominum, et pullis corvorum invocantibus eum.* In his enim omnibus Dei et providentia significatur, et bonitas : ut subtecto nubibus B cœlo terris pluvias infundat, ut vertices collium fœno vestiat, jumentis pabulum præbeat, et avibus cibos præstet, quia ab eo alimoniam **637** universa quæ creavit exspectent. Sed hæc omnia diligentius introspecta, significationis alterius virtutem in se habent.

8. *Nubium varia acceptio. His doctrina sanctorum significatur.* — Scimus enim esse nubes, quibus Deus ne super vineam pluant mandat, sicut per Esaiam dictum est : *Et nubibus mandabo, ne pluant super eam pluviam; vinea enim Domini Sabaoth domus Israel est* (*Esa.* v, 6). Novimus nubes, quæ præ fulgore ejus in conspectu Domini transeunt : Præ fulgore, inquit, ejus in conspectu ejus nubes transierunt (*Ps.* XVII, 12). Novimus nubes, quas Deus in C adscensum suum posuit; et posuit nubem adscensum suum. (*Ps.* CIII, 3.) Novimus nubes ad quas usque Dei veritas est; *Et usque ad nubes veritas tua* (*Ps.* LVI, 11). Et has nubes aliquot locis sanctorum doctrinam significari ratio absoluta est, quæ vetitæ infidelibus pluere, (*b*) eloquio arida impiorum corda non rigant. Quæ cum Dominus adsit, esse cessabunt: ut (*forte*, ut sicut) orto sole stellarum lumen hebetatur, ita et doctrina nubium Domino ipso jam per se fulgente prætereat. Per quas etiam ad Dominum conscenditur, dum divina prædicatio iter nobis regni cœlestis ostendit : et ideo hæ nubes nobis positæ sunt in adscensum. Veritas quoque Dei usque ad nubes easdem est; quia in se veram Dei cognitionem hæc doctrina prophetica continet.

D 9. *Pluvia Dei eloquia. Montes fecundi, viri præcelsi.* — Hæc ergo ad commemorationem Dei laudum creaturarum genera electa sunt, quæ cum præconium in se Creatoris ostenderent, parabolicam tamen, sive, ut Apostolus ait, allegorumenam nobis doctrinam ita commemorata præberent (*Gal.* IV, 24). Cœlum ergo nubibus subtegitur, id est, prophetica doctrina rebus est subjecta divinis. Pluvia terris infunditur, eloquia scilicet harum subtectarum nubium profunduntur per quæ infructuosi ipsi atque aridi (*c*) ad eliciendos ex nobis fructus dono divini imbris humescimus. Et hæc eloquia divina tamquam imbrem intelligenda

(*a*) Editi, excepto Par. *internæ legis.*
(*b*) Ms. *pluere eloquia.*
(*c*) Ms. *ad eligendos.*

esse Moyses testatus est, dicens : *Exspectetur sicut pluvia eloquium meum, et descendant sicut ros verba mea, ut pluvia super gramen* (*Deut.* XXXII, 2). Hæc ergo terræ pluvia præparatur, (*a*) per quam fœnum in montibus producitur, et jumentis in escam propriam præbetur. Opinor fecundiores esse montibus valles, quæ circumjectorum collium concavo declivi in se humore pinguescant : et quid rationis est, ut ad escam jumentorum produci fœna laudentur in montibus? Et quamquam plures montes fecundis verticibus atque herbidis sunt; tamen rerum corporalium nominibus spiritalis doctrina conserta est. Producunt ergo montes jumentis in escam suam fœnum; sed montes qui exsultaverunt sicut arietes (*Ps.* CXIII, 4), in quos frequenter propheta oculos erexit, dicens : Levavi oculos meos in montes (*Ps.* CXX, 1). Hi ergo montes, patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum altitudines, fœnum pecoribus **638** producunt. Et quibus tandem pecoribus? Esaiam audiamus : *Agnovit*, inquit, *bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui; Israel vero me non cognovit* (*Esa.* I, 5). Et quia per hebetis naturæ irreligiosam ignorationem pecora sunt dicta, cibus quoque eorum significatus in fœno. Hoc ergo fœnum his jumentis præbetur in montibus.

10. *Versus adjectus. Herba servituti hominum quid.* — In pluribus autem codicibus insertum (*b*) hunc versum deprehendimus, *Et herbam servituti hominum*: ut ea quæ superius dicta sunt, de homine dicta esse per nuncupationem ipsius hominis intelligerentur. Sed nos non egemus hoc sensu. Nam licet non impediat adjectus; non tamen eum, tamquam non (*c*) aliis ad hujus intelligentiæ confirmationem uti possimus, amplectimur. Hic enim ordo dictorum est, VERS. 8 et 9 : *Qui operit cœlum nubibus, et parat terræ pluviam, qui producit in montibus fœnum, dat jumentis escam ipsorum, et herbam servituti hominum, et pullis corvorum invocantibus eum.* (*d*) Sive igitur per nubium pluviam producto jumentis in montibus fœno, ut allegorica doctrina posset intelligi, hæc herba servituti hominum præbetur, qui pecudea ignoratione deposita, Deum tandem rationabiliter comperissent; sive, quod absolutius intelligi potest, in herba fructus humanis cibis præstiti edocentur, quia omnes fructus per herbam confirmantur in messem : Deo utrumque laudi est, infirmitati cum nostræ vel corporales (*e*) in fructus cibos, vel spiritalia in prophetis vitæ pabula præbuisse.

11. *Corvorum natura.* — Sed id quod sequitur, quomodo intelligi oportebit, *Et pullis corvorum invocantibus eum?* Deum invocare proprium hominis officium est, qui solus ex universis animantibus particeps rationis effectus est. Corvorum vero pulli Deum quomodo invocant? Et cur pulli corvorum potius quam corvi, quorum natura hebes, (*f*) improba, improvida, nulla Dei cognitione donata sit? Aut quæ esca præbetur? Numquid ut fœnum jumentis, et ut herba hominibus; sic corruptorum cadaverum fœtidas sordes Deus orantibus se corvorum pullis et pecudum mortes ad cibum vitæ præsentis impertiet? Hæc ita intelligere, non dicam erroris, sed irreligiositatis extremæ est. Quid ergo intelligi oporteat, prout ipsi dono gratiæ cœlestis adepti sumus, loquemur.

12. *Corvus peccatorum figura. Corvus Eliæ nutritius gentium conversionem adumbrat.* — Corvum in foram peccatoris constitutum esse tum, cum ex arca emissus non rediit, meminimus. Cum enim consistendi nusquam locus esset, aquis in universa diffusis, ipse, columba postea non reperta requie revertente, non rediit (*Gen.* VIII, 7). Cum enim illic arca Ecclesiæ formam habuerit, is qui Ecclesiam cum numquam alibi posset consistere derelinquit, peccatoris in eo exemplum est constitutum, qui cum nullam aliam præter quam Ecclesiæ **639** requiem habeat in sæculo, mavult tamen in inanibus sæculi demorari. Hanc quoque avem legimus in pastum Eliæ deputatam, cibos semper ei fuisse solitam inferre (III *Reg.* XVII, 6), et hoc tum, cum impiissime omnis populus et irreligiosissime diversaretur. In famulatum ergo tanti prophetæ hæc avis, quæ in formam peccatoris erat constituta, delecta est. Cum enim anterior populus improbabilis repertus est, tum Dei prædicatio, quæ cibus et esuritio est prophetarum, per eorum qui peccatores erant officia expletur. Nos enim, vel cæteri (*g*) ante nos, ex impudentibus et procacibus et immundis et cruentis geniti atque nati, tamquam pulli corvorum Deum invocamus, agnitione, confessione, famulatu : ut ex jumentis et pecoribus per agnitionem Dei homines effecti, rationis scilicet participes ex rationis ignaris, quibus quotidie a Deo producente in prophetis doctrinæ prædicationem, tamquam in montibus fœnum, cibi cœlestis præbetur alimonia.

13. *Ex his superiora allegorice intelligenda esse conficitur.* — Ut autem omnia hæc, quæ allegorice commemorata sunt, in profectum humanæ salutis geri intelligerentur; psalmi conclusione confirmat. Ita enim ait, VERS. 10 et 11 : *Non in viribus equi voluntatem habebit, nec in tabernaculis viri beneplacitum est ei. Beneplacitum est Domino super timentes eum, et* (*h*) *in omnes qui sperant super misericordia ejus.* Con-

(*a*) In ms. *post quam*.
(*b*) Abest etiam nunc ab hebræo textu, non autem a vulgatis LXX exemplaribus.
(*c*) Apud Par. *non in aliis*.
(*d*) Bad., Er. et Lips. *si ergo*, etc., mendose.
(*e*) Ex. ms. revocamus *in fructus*, quod deerat in vulgatis. Mallemus tamen *in fructibus*, vel *corporales fructus in cibos*. Sic superius *fructus humanis cibis*, id est, in alimenta corporalia præstiti memorantur.
(*f*) Adjecimus *improba*, auctoritate ms.
(*g*) Apud Par. desiderabatur *ante*. Hilarii dictis lucem affert Augustinus. *Vere*, inquit in eumdem psal. n. 18, *omnes gentes in peccato, in idololatria, in adoratione lapidum atque lignorum erant : sed numquid sic remanserunt? Etsi non ipsi corvi patres nostri, tamen pulli corvorum ipsi nos invocamus Deum.*
(*h*) Sic ms. Græcum autem, ἐν τοῖς πᾶσι. At editi, *et omnes*, sine *in*.

traria ista sibi sunt, si corporaliter intelligantur. Quomodo enim Deus jumentis fœnum producit in montibus, cui non est beneplacitum in equis? Necessitatis namque ministerium, non providentiæ benignitas est alimoniam præbere non placitis. Sed quia omnis Dei misericordia curam habet humanæ salutis, allegorice superius dicta conclusionis absolutione consummat: non pecorum speciem atque virtutem, nec pretiosarum domorum Deo ornamenta placuisse, quæ maxima est humanæ opinionis ambitio, habere nobiles equos, domos pulchras, sed placere tantum timentem, sperantem, et potestatem Dei et misericordiam spe metuque testantem. Misericors enim et potens est, qui dixit: *Qui credit in me, non judicabitur, sed transiet de morte in vitam* (*Joan.* v, 24). Est potens mortem demutare vita, et misericors judicii amovere terrorem, Dominus noster Jesus Christus, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXLVII.

Alleluia, Aggæi et Zachariæ.

Lauda Jerusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion: quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis (Hil. *filios tuos*) *in te. Qui posuit fines tuos pacem,* ☧ *et adipe frumenti satiat te. Qui emittit eloquium suum terræ, velociter currit sermo ejus. Qui dat nivem sicut lanam, nebulam sicut cinerem spargit. Emittit* (Hil. *mittit*) *crystallum suam sicut frusta* (Hil. *buccellas*) *panis: ante faciem frigoris ejus quis subsistit* (Hil. *sustinebit*)*? Emittet verbum suum, et liquefaciet ea; flavit spiritus ejus, et fluent aquæ. Pronuntians* (Hil. *qui annuntiat*) *verbum suum Jacob, justitiam* (Hil. *justitias*) *et judicia sua Israel. Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestabit* (Hil. *manifestavit*) *eis.*

TRACTATUS PSALMI.

1. *Regnum Dei æternum hic psallitur.* — Et huic psalmo, ut ei qui ante superiorem fuit, *Aggæi et Zachariæ*, cum in hebraicis non exstet, nomen adscribitur: ut et per hunc et per eos, sicut superius ostendimus, æternæ Jerusalem prophetia posset intelligi.

2. *Cur Jerusalem nuncupatur.* — Vers. 12. *Lauda Jerusalem Dominum; lauda Deum tuum Sion.* Non differt Jerusalem a Sion; nam secundum locorum nomina urbis ipsius locus idem est: sed nominum interpretatio geminam hanc ejusdem urbis commemorationem necessario desiderabat. Jerusalem enim est civitas pacis. Et quia Domini nostri regnum in pace et unanimitate sanctorum est; et factus est, inquit, in pace locus ejus (*Psal.* lxxv, 3): conventus ille beatorum, qui Dei (*f.* Domini) regnum est, Jerusalem tamquam civitas pacis est dictus. Civitate vero hanc vivis, ut ait Apostolus, lapidibus extructam, sanctorum cœtus conformis gloriæ Dei ex resurrectione consummat (I *Petr.* II, 5). Qui se, qualis futurus esset, per fidem in corpore Domini (*a*) ante speculatus est; et idcirco etiam Sion nuncupatur. Corpus quidem Domini, secundum interpretationis virtutem, quia in eo spem nostram fide contemplamur, in omnibus Scripturis Sion nuncupari existimatur; quia Sion speculatio est. Sed et civitas illa, quæ Jerusalem est, quæ propter unanimitatem civitas pacis est; etiam propter conformationem in se corporis Dei, in quo se ante speculata est, Sion nuncupatur: et cujus gloriam adepta est, accepit quoque ejus et nomen. Ergo et conventus ille pacificus, et gloria illa corporum demutatorum, in Jerusalem et Sion nomine, quod utrumque unum est, non saxa inanima, neque ædificationes hebetes, sed rationale animal, fundamentorum vivarumque lapides gemmarum, et cives sanctitatis, et Dei in domesticos suos (*b*) dominatus hæc civitas est, quæ ex sensu beatitudinis suæ et confessione præconii advocatur ad laudem.

☧ 3. *Vitæ æternæ felicitas et securitas.* — Et propheta causam laudationis adjecit, Vers. 13 et 14: *Quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit* (c) *filios tuos in te. Qui posuit fines tuos pacem, et adipe frumenti satiat te.* Hæc est illa beatæ terræ hæreditas, quam Dominus in Evangelio mansuetis spopondit, dicens: *Beati mansueti, quoniam ipsi hæreditabunt terram* (*Matth.* v, 4). Plurimis in locis prophetæ beatitudinis hujus tempus prædicaverunt, et firmitatem civitatis hujus æternæ: cujus ita portæ et seræ confirmatæ sunt, ut adversariis nobis inimicisque virtutibus impenetrabilis, invia, indissolubilisque perseveret; nullius egens ad corporis animæque substantiam, æternitate firma, benedicta in incolis, voluntate pacifica, vitæ substantia copiosa.

4. *Verbi Dei velocitas ad construendam Dei civitatem.* — Sed ad hanc Dei prædicationem etiam illud adjungitur, Vers. 15: *Qui emittit eloquium suum terræ; velociter currit sermo ejus.* Prædicationis regni Dei non fuit lenta properatio; sed in omnem terram indefessa mobilitate et celeri transcurrit. Ubi enim non statim, cum Dominus (*d*) regni sui gloriam in corpore natus ostendit, apostolicæ et propheticæ doctrinæ cursus egressus est? Per hanc namque velocem transcursionem ædificatio beatæ hujus civitatis est cœpta, quæ, auditis opulentiæ suæ copiis, quotidie ubique vivis fidelium lapidibus structa, usque ad incolatus sui plenitudinem comparatur, cujus in congregandis omnibus ex quatuor partibus mundi velox sermo (*e*) præcucurrit, rursum ad confrequentandam hanc beati regni civitatem in

(*a*) *In quo* nimirum, ut exponitur in psal cxxiv, n. 4; *Ipsi nosmetipsos per assumptionem carnis nostræ corporisque speculamur. In eo enim sumus resurrectionem nostram resurrectione nostri in eo corporis contemplantes: speculatio est enim Sion mons.*

(*b*) Ita ms. Editi vero, *deputans*, loco *dominatus*.

(*c*) Ms. *filios tuos in pacem, et adipe frumenti satians te.*

(*d*) Deerat in vulgatis *regni sui*. Suppletur ex ms.

(*e*) Sic ms. At Par. *percurrit*. Aliæ vero editiones, *percurreret*. Aliquid deinde desiderari prima fronte quis crediderit. At perfecta et absoluta est sententia,

cœtum consummatæ plenitudinis congregandis.

5. *In via vitæ gravis labor, sed transitorius.* — Sed et prædicatio alia connectitur, VERS. 16-18: *Qui dat nivem sicut lanam, nebulam sicut cinerem spargit. Mittit crystallum suam* (a) *sicut buccellas, ante faciem frigoris ejus quis sustinebit? Emittet verbum suum, et liquefaciet ea; flabit spiritus ejus, et fluent aquæ.* Vitæ via, sicut Dominus in Evangeliis ait, angusta et tribulata est (*Matth.* VII, 14); neque nisi per maximas difficultates et molestias hac ad cœlorum regnum via pergitur. Quod quidem de molestiis hujus sæculi dictum fuisse intelligi oportet; per præsentes enim vexationes in requiem æternam aditur. Et quamvis rerum præsentium laboribus, quasi quadam violentia asperrimæ hiemis, uramur; tamen post harum præsentium acerbitatum rigores, Deo eos resolvente, in placidis et tranquillis et serenis quiescemus. Secundum enim dictum propheticum (*b*) et allegorumeni consuetudinem, nunc in nive et nebula et crystallo, quæ omnia per naturam suam urunt atque mortificant, sæcularium in nos molestiarum et calamitatum et dolorum nocturnum frigus significatum esse credendum est. Scit hic idem propheta 642 beatæ hujus civitatis participem nequaquam jam frigore isto injuriæ sæcularis urendum, dicens: *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem* (*Ps.* CXX, 6). Hæc enim omnia, quibus per præsentes calamitates adurimur, rursum Dei bonitate (*c*) resoluta liquuntur. Nix namque lanæ mollitudine defluens, tegens omnia intra se detinet: pruina quoque (*d*) nebulæ descendentis cineris modo sparsa constringit: crystallum etiam ultra consuetudinem grandinis duratum, et in frusta solidatum, habet in se et impetum et rigorem. Et si hæc perpetuo permanerent, numquid non universa horum frigore perusta semper arerent? Quis enim ferre æternas corporis calamitates indeficientesque posset, si series mali nostri sempiterna traheretur?

6. *Felicitas æterna.* — Sed dissolutis infirmitatibus corporis, regni beati hujus tempus æternum est, ubi non flendum, non dolendum, non corporeæ cupiditatis demutatione labendum est: sed in his vivendum, quæ, inquit, *oculus non vidit, et auris non audivit, et in cor hominis non ascendit* (I *Cor.* II, 8).

Cessat in bonis futuris intelligentiæ auditus et aspectus: nec conspectui subjicitur, nec auditu capitur, nec mente percipitur, quidquid illud Beatis æternis beatum æternumque promittitur. Solventur igitur hæc omnia nivis, pruinæ, crystalli frigora, tam A quam flatu tepenti, tum cum post hos sæcularis noctis rigores, tempora illa regni æterni in unam atque indemutabilem tranquillitatem Dei spiritus temperabit.

7. *Qui verus Jacob: ejus prærogativæ.* — Atque ut sub nivis et nebulæ et crystalli frigore, intolerabili si maneret, Dei tamen spiritu in deliquium resolvendo, significasse illam æterni regni æterno populo beatam temperiem nosceremus; psalmum Propheta tali confessione conclusit: *Ante faciem frigoris ejus quis sustinebit? Emittet verbum suum, et liquefaciet ea; flabit spiritus ejus, et fluent aquæ.* VERS. 19 et 20. *Qui annuntiat verbum suum Jacob, justitias et judicia sua Israel. Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis.* Peculiaris hæc in Jacob et Israel Dei voluntas est: non in eum Israel neque in eum B Jacob, qui hoc corporis nomen ad solatium veluti generosæ in se stirpis amplectitur; sed in eum Jacob, qui supplantavit priorem, qui primogenita spe æternitatis emit, cui Israel de Deo videndo cognomen est, qui ipse Jerusalem et pacis est civitas, qui ædificatus supra petram fidei, confirmatis portarum seris, fortiores portarum portas inferi obtinebit, qui in verbo Dei congregatur, qui non inopia eget, non sæcularis rigoris frigore aduretur: sed liquefactis omnibus, 643 et Dei spiritu absolutis, (*e*) temperie æternæ serenitatis utetur. Huic pronuntiatur hoc verbum, hic per spiritalem intelligentiam has Dei justitias et judicia exspectat. Consors boni hujus nulla gens alia est, neque hanc judicii gloriam infidelitas irreligiosa cognoscit. *In sua enim venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri* (*Joan.* I, 11 *et* 12) Dominus noster Jesus Christus, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXLVIII.

Alleluia.

Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis. Laudate eum omnes angeli ejus: laudate eum omnes virtutes ejus. Laudate eum sol et luna: laudate eum omnes stellæ et lumen; laudate eum cœli cœlorum, et aquæ quæ super cœlos sunt, laudent (Infra, *aqua quæ super cœlos est laudet*) *nomen Domini. Quia ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt. Statuit ea in æternum* (Infra, *et statuit ea in sæculum*) *et in sæculum sæculi: præceptum posuit, et non præteribit. Laudate Dominum de terra dracones et omnes abyssi. Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, qui faciunt verbum ejus* (Infra, *crystallum, spi-*

puta, prophetica et apostolicæ doctrinæ sermonem præcucurrisse ad congregandos eos qui cœlestis Jerusalem ædificationem hic inchoarent, quique rursum congregandi essent ut eamdem consummarent. Nulla autem supererit obscuritas, si post *rursum*, adjiciatur *iisdem*.

(*a*) Ms. *sicut frusta panis*, consentiente Augustino cum veteribus psalteriis German., Carnut., Mediolan., Rom. Videntur quoque favere expositionis verba, *in frusta solidatum*. Sed si *frusta*, non tamen post vocem *panis* permittit eadem expositio.

(*b*) Editi, excepto Par., *et allegoricam consuetudinem*.

(*c*) Bad., Er. et Lips. *resoluti liquimur*.

(*d*) Ubi in Vulgata nunc præfertur, *nebulam sicut cinerem spargit*, qui apud Hieronymum psalmos illustravit, monet ex hebræo legendum esse *pruinam*, non *nebulam*. Hieronymus ipse vertit *pruinas*. Lectionem utramque Hilarius et vidisse videtur et probasse, quam hic in unum componit, quomodo observavimus hujus edit. col. 391, not. *a*, cum legere mortem absorptam *in contentione victoriæ*, cum alibi tantum *in contentionem*, alibi *in victoriam* legeret.

(*e*) Male apud Par. ex Lipsio, *tempore*.

ritus procellæ quæ faciunt verba ejus), montes et omnes colles, ligna fructifera et omnes cedri, bestiæ et omnia (Infra, *universa*) *pecora, serpentes et volucres pennatæ, reges terræ et omnes populi, principes et omnes judices terræ, juvenes et virgines, seniores cum junioribus laudent nomen Domini; quia exaltatum est nomen ejus solius. Confessio ejus super cælum et terram. Exsultavit* (Infra, *et exaltavit*) *cornu populi sui. Hymnus omnibus sanctis ejus, filiis Israel, populo appropinquanti sibi.*

TRACTATUS PSALMI.

1. Superiores tres psalmi, quibus prophetia nos ad laudem Domini advocat, beatæ illius spei nostræ distributionem ipso collocationum suarum ordine sunt secuti. Primus enim eorum ob spem æternitatis et cœlestis regni exspectationem cantatus est. Secundus ob ædificationem sanctæ civitatis et congregationem sanctorum, qui ad plenitudinem sanctæ hujus civitatis conveniant, subsecutus est. Tertius iste jam ob gratulationem exædificatæ civitatis, et æterna pace fundatæ, et 644 post sæculi urens arensque frigus cœlesti spiritu temperatæ, in hunc hymnum est comparatus. Doctrinæ ergo idem est ordo, qui rerum. Nam, secundum propheticam et apostolicam prædicationem, beati istius regni et civitatis æternæ in his ordo dispositus est, in resurrectionis demutatione, in congregatione sanctorum, in dominicorum civium (*a*) confrequentantium incolatu.

2. *Beatitudinem nostram qui exspectet omnis res creata.* — Post quæ, jam in æterna beatitudine omnibus constitutis, ad canendas Dei laudes hoc consequenti psalmo chorus cœlestium virtutum potestatumque contrahitur: ut ob depulsam sæculi vanitatem creatura omnis ex magnis officiorum suorum laboribus absoluta, et in beato regno æternitatis aliquando respirans, Deum suum et læta prædicet et quieta, et ipsa secundum Apostolum in gloriam beatæ æternitatis assumpta, cum ait: *Etenim exspectatio ipsius creaturæ revelationem filiorum Dei exspectat. Vanitati enim creatura subjecta est, non volens, sed propter eum* (*b*) *qui subjecit in spe: quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem claritatis filiorum Dei* (*Rom.* VIII, 19 *et seqq.*). Hinc ergo hymnus est libertatis indultæ, quod officiorum suorum necessitate absoluta, et antea in usus humani subjecta servitii, jam conformata tandem filiorum Dei gloria in æternam beatitudinem, creationum elementa requiescunt. Cujus beatitudinis longo jam diu secundum apostolum Petrum desiderio detinebantur, cum ait: *Hæc quæ modo vobis nuntiata sunt, per eos qui vobis Spiritu sancto evangelizáverunt, quæ missa sunt e cælo, in qua re concupiscunt angeli prospicere* (I *Petr.* I, 12). Exspectatio itaque cœlestium est beatitudo terrena (*seu*, terrestrium): et corruptionis nostræ demutatio divinarum creationum demoratur elementa, prospicere hanc evangelicæ prædicationis spem concupiscentia (*scil.* elementa), gloriam suam ex gloriæ nostræ conformatione susceptura: qua jam secundum prophetiam psalmi adepta, in consonam laudem perceptæ beatitudinis advocantur.

3. *Mundus non fortuitus, non Deus. Nulla mundi pars honore divino colenda.* — VERS. 1-6. *Laudate Dominum de cælis, laudate eum in excelsis. Laudate eum omnes angeli ejus: laudate eum omnes virtutes ejus. Laudate eum sol et luna; laudate eum omnes stellæ et lumen. Laudate eum cæli cælorum: et aqua quæ super cælos est, laudet nomen Domini. Quia ipse mandavit, et creata sunt; ipse dixit, et facta sunt; et statuit ea in sæculum et in sæculum sæculi: præceptum posuit, et non præteribit.* Absoluto quidem ad intelligentiam sermone, propheta omnes cœlestes virtutes adhortatur ad laudem, sed non sine perfecta ratione doctrinæ. Primum enim errorem hunc humanæ ignorationis avertit, quo fortuitis concursibus hunc mundi habitum in se coisse, atque ita ex inordinatione in ordine constitisse, quidam ausi sunt opinari: tum quod alii hunc ipsum mundum Deum esse, qui se agitet ac moveat, et 645 in annuam temperiem cursu dimensæ rationis moderetur, existiment: postremo quod quædam sibi ex his ipsis unusquisque legit elementis, aut cœlum, aut solem, aut aquam, aut aera, quibus Dei honorem inani atque impia religione deferret. Omnem igitur errorem ignorationis exclusit, dicens, *Quoniam ipse dixit, et facta sunt; ipse præcepit, et creata sunt.* Nullus igitur hic fortuitorum concursus, nulla naturæ propriæ virtus, nulla æternitatis ex semet substantia, in his quæ creata docentur, admittitur.

4. *Filium Patri in creando mundo adstitisse.* — In quo dicto etiam id docetur, quod et Genesis distinxit, et Evangelia testata sunt, et Apostolus prædicavit, Dei jussu facta esse omnia: non per se exstitisse, tamquam ipsa illa materia obedientiæ (*c*) vitalis exsisteret, cum esse ac subsistere juberetur: sed omnia ex mandato creata esse, et dictum fuisse ab eo qui dicebat (*d*) ut fierent. Ita enim Genesis est locuta: *Et dixit Deus... Et fecit Deus* (*Gen.* I, 6 *et* 7). Et nunc Propheta ait, *Dixit, et facta sunt.* Non enim sibi præcepit ut fierent, sed sunt facta cum dixit. Facta autem sunt per eum, de quo Evangelista testatus est, *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I, 3): et Apostolus ait: *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ, quia in ipso condita sunt omnia in cælis et in terra, vi-*

(*a*) Bad., Er. et Lips. *cum frequentatione*: præter morem Hilarianum. Confer numerum 4 tractatus superioris.

(*b*) Sic ms. juxta græc. Ac vulgati *qui subjecit eam*: et paulo ante *non sponte*, pro *non volens*.

(*c*) In vulgatis, *vitalis*, uno verbo, quod separandum duximus: ut hic, quantum sapimus, refellatur quædam sententia, quæ vellet materiam per se exstitisse, et præcepto Dei tantum obtinuisse formam qua talis exsisteret.

(*d*) Editi, *ut fieret*. Rectius ms. *ut fierent*, nempe omnia. Dicebat autem Pater, et Filius faciebat, ut exponitur lib. IV de Trin., n. 16.

sibilia et invisibilia ; sive Sedes, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates, omnia per ipsum et in ipso condita sunt (*Coloss.* I, 15 *et* 16). Et Sapientia de se ita locuta est : *Ego eram apud illum componens ; mihi adgaudebat, cum lætaretur orbe perfecto* (*Prov.* VIII, 30). Cessat itaque ambiguitas intelligentiæ, et novi et veteris Testamenti auctoritate convicta, Patri Filium ante sæcula manentem in creandi mundi exordio adstitisse.

5. *Creaturæ non dissolvendæ ad laudem Dei invitantur. Quod non dissolventur, mandato Dei, non naturæ suæ debent.* — Causam etiam propheta aliam laudis adjecit : *Quoniam ipse dixit, et facta sunt ; ipse mandavit, et creata sunt ; statuit ea in sæculum sæculi.* Manent enim ex nihilo substituta, et gratiam **646** ex eo quod sunt, Creatori suo debent (*a*) cum sensu B vitæ suæ, bonitatem ejus et virtutem sentientia, per quem vivere se sentire cœperunt. Vivunt autem adeo, ut et in sæculum sæculi maneant, et, secundum Apostolum, revelationem filiorum Dei exspectent, a corruptionis servitio in conformem eorum gloriam liberanda. Contuendum autem est, in his creaturis, quæ in sæculum sæculi sunt statuta, neque cœlum hoc quod firmamentum nuncupatur, neque terram quæ arida dicta est, (*b*) connumerata fuisse : quia et in Prophetis dictum sit ; *Ecce ego facio cœlum novum, et terram novam* (*Esa.* LXV, 17), et Dominus in Evangelio dixerit : *Cœlum et terra præteribunt, verba autem mea non præteribunt* (*Matth.* XXIV, 35) : de quibus non hujus loci sermo est. Tantum illud ad admonitionem commemorandum a nobis fuit, non dissoluhiles creationes nunc ad laudem Dei fuisse numeratas, sed eas quæ in æternitatis sunt (*c*) substantiam constitutæ. Ac ne forte, quod in æternum manerent, naturale illis esse ex substantiæ beatitudine crederetur ; subjecit, *Præceptum posuit, et non præteribit :* ut hoc quod sunt, id est, ut maneant in æternum, non naturæ suæ esse intelligant, sed præcepti ejus sit, qui potens sit rebus ex nihilo substitutis naturam æternitatis afferre. Non enim, inquit, præteribit præceptum, id est, mandati ejus non erit finis : (*d*) quia in æternum maneant, quibus æternitatem Virtus æternitatis indulsit.

6. *Qui Deum laudent inanima.* — Post quæ rursum terrena cætera advocantur ad laudem, quæ etsi non omnia sunt horum cœlestium et beatorum bonorum consortia, partim per irrationabilem sensum, partim per inanimalem naturam, partim per impietatis offensam ; tamen Deum per id, quod talia sunt instituta, ipsa institutionis in se habitæ providentia prædicant. Ait enim ita, VERS. 7-12 : *Laudate Dominum de terra dracones et omnes abyssi. Ignis, grando, nix, crystallum, spiritus procellæ, quæ faciunt verba ejus, montes et omnes colles, ligna* **647** *fructifera et omnes cedri, bestiæ et universa pecora, serpentes et volucres pennatæ, reges terræ et omnes populi, principes et omnes judices terræ, juvenes et virgines, seniores cum junioribus laudent nomen Domini.* Omnia laudem Dei concinunt, licet quædam sensu laudis carentia sint ; sed per institutionis ordinem qualitatemque gignendi præconium Creatoris ostendunt. Detenti in terra dra- C cones, eorumque plures in abyssis demersi : ut nos

(*a*) In editis, *cum sensum vitæ suæ, bonitate ejus et virtutem et scientiam, per quem vivere seu sentire cœperunt :* valde perturbate. Confusio tollitur subsidio ms. in quo tamen *sententiæ*, non *sentientia* mendose librarius descripserat.

(*b*) Sic ms. At Bad. et Er. *connumeratam.* Lips. *commemoratam.* Par. *commemorata.*

(*c*) Editi, *in æternitatis sunt substantia.* Rectius ms. *substantiam*, hoc est, in substantiam æternam, seu ad subsistendum sine fine. Cum hæc ad memorata initio n. 5, referantur, ubi sol, luna, stellæ, etc. ad laudem Dei advocantur ; quæri potest num prædictas res creatas animatas senserit Hilarius. Eo quidem errore inspersos illius in Job libros ad sanctum Gregorium papam scribit Licinius t. II Spicil. p. 369 : *Satis miror*, inquit barbaro dicendi modo, *hominem doctissimum et sanctum, ut de stellis nœnias Origenis transferret.* At quod ad illum Licinii locum attinet, D non constat an in veros Hilarii in Job tractatus inciderit. Aut certe a prædicto errore pura judicanda sunt quæ in Job scribit Hilarius, aut, quod nefas, pondus et pondus Hieronymo attribuendum. Qui enim generatim Hilarii libros *inoffenso pede* decurrendos docet, nominatim de Origenis in Job tractatibus epist. LXXV ait : *Ad te ipsum*, Vigilanti, *veniam : cur tractatus ejus* (Origenis) *in Job descriptos habes, in quibus contra diabolum et de stellis cœloque disputans, quædam locutus est quæ Ecclesia non recipit.* Cur exprobrat viro quod vel descriptos apud se retineat Origenis tractatus, et feminæ auctor est non modo ut retineat, sed et legat Hilarii libros, nisi quia in his errorem de stellis non advertit, quem in illis respuendum duxit ? Neque in hoc ipso tractatu nisi temere error idem reprehendi potest. Primo enim non ait eas tantum enumeratas esse creationes, quæ animatæ, sed quæ non dissolvendæ essent. Deinde si solis, lunæ, stellarum et aquæ quæ super cœlos *sit* vocabulis vivas substantias intellexit, ea non proprie sed spiritaliter intellexerit necesse est. Neque inficias ibit, qui illius dicta tract. ps. CXXIII, n. 5, perpendet : ubi primo ponit, absurdum videri ut aquæ *animales* sint : tum sumit, aquas tamen super cœlos esse quæ laudent Dominum, ac proinde animales : tandemque concludit, aquarum nomine populos intelligendos esse, quos inter *sint cœlestes, sint et terrestres*, etc. Eas aquas magis proprie videtur intelligere in ps. CXXXV, n. 8, dum vocat temperatiorem naturam, cujus objectu primi cœli sedes circumfusi Dei virtute nimium accensa temperetur, ut ab inferioribus sit patienda naturis. Neque etiam dubium est ex tract. ps. CXLVI, n. 5, quas stellas animatas senserit, ubi explicaturus illud, *Numerans multitudinem stellarum*, etc., rejecto primum litteræ sensu subjicit, *Sed numerantur hic stellæ, quas Abraham contuitus in cœlo est, quas Isaac accepit in semine, quas Paulus discrevit in gloria.* Non enim obscurum est, stellarum nomine electos et filios Abrahæ eum interpretari. Neque vero quis dixerit cœlum et terram spiritaliter intellecta ad res non dissolvendas pariter accommodari potuisse. Vetat enim illud, *Cœlum et terra transibunt.* Nec simile quidquam habetur de creationibus superius memoratis. Demum Hieronymus epist. LXII ad Theophilum, quatenus Origenem Hilarius imitatus *sit* declarans, dum dicit : *Noxia quæque detruncans utilia transtulit*, satis aperte significat illum Origenis de stellis nœnias, ut cum Licinio loquamur, vel, ut cum ipso Hieronymo, quæ Ecclesia non recipit, minime transtulisse.

(*d*) In ms. *quin æternum maneant.*

intra metum et religionem, dum ipsi intra abyssum terramque religati impietatis nostræ pœnis præparantur, coercerent. Natura ignis, nivis candor, (*a*) crystalli glacies, procellæ spiritus, montium celsitas, distinctio collium, arborum fructus, bestiarum varietas, pecorum utilitas, serpentum nisus, volucrum volatus, regum potestas, populorum famulatus, principum dignitas, judicum æquitas, ætatum omnium et sexuum mores, studia, virtutes; hæc itaque omnia in diversos ineffabilesque usus formata, distincta, animata, perfecta, Creatoris providentiam laudant. Et eorum quæ aut inanima, aut irrationabilia sunt, qualis laudatio esset ostendit, dicens : *Quæ faciunt verbum ejus* : ut ex eo, quod in hunc officiorum suorum sint ordinem constituta, præconium ejus a quo ita sint instituta testentur.

7. *Rationalibus quæ laudandi Dei causa. Regni beati sedes.* — Regibus vero et cæteris aliis tamquam rationis consortibus, hæc laudandi causa proposita est, VERS. 13 : *Quia exaltatum est nomen ejus solius, confessio ejus super cælum et terram.* Et hac quidem Deus regum, et populorum, et principum, et judicum, et ætatum omnium constitutione laudabilis est, quia (*ms.* quo) humanæ vitæ cursum tali diversorum officiorum temperatione contineat. Tamen quia omnis superior laudatio beati illius regni tempus ostendit: hanc causam laudis adjecit, *quia exaltatum est nomen ejus solius.* Tum enim Deus unus etiam ab invitis et intelligitur et (*b*) videtur, religato diabolo, et angelis ejus pœnæ cum eo æterni ignis addictis, et omni spiritalium nequitiarum potestate sublata; cum jam non peccatum, non mors, non terrenus hic mundus sit. Ait enim, VERS. 14 : *Confessio ejus super cælum et terram, et exaltavit cornu populi sui* : id est, in illo beatæ civitatis illius sæculo, ubi cornu populi sui Dominus exaltabit, et incorruptionem ei, quæ significatur in cornu, per honorem immortalitatis impertiet. Tum enim cœlum novum et terra nova erit, cum his præsentibus dissolutis nova illa et æterna succedent. Ideo confessio ejus super cœlum et terram reddetur : quia non in hoc sæculo, neque in hoc aere, sed in superioribus locis sedes beati illius regni est constituta.

8. *Populus appropinquans, qui jam in regno Filii, nondum in regno Patris.* — Et quia illud sanctorum est regnum, per quod regnante Domino ad beatum regnum Dei patris adscendent; psalmum ita propheta conclusit : *Hymnus omnibus sanctis ejus, filiis Israel populo appropinquanti sibi.* Sanctorum omnis hic hymnus est, qui Deum, non ut cæteri 649 reges aut principes aut judices, pro virtutis et confessionis admiratione laudent, sed pro gaudio consummatæ in se beatitudinis et gratulatione cantantium : sancti scilicet, qui Israel filii sunt, Deo propinquantes; non illi utique de quibus dictum est : *Plebs hæc labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* (*Matth.* XV, 8); sed hi qui merebuntur audire, *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum* (*Ps.* CXLIV, 18). Illis ergo proprius hic hymnus est, qui Deo propinquabunt, qui per hoc sanctæ Jerusalem regnum beatum æterno regno proximi, post regnum Domini Jesu Christi in regnum Dei patris Domino congregante transibunt, Apostolo dicente : *Cum tradet regnum Deo patri, cum evacuaverit omnem principatum et omnem potestatem et virtutem. Oportet enim eum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus* (*c*). *Omnibus enim subjectis sub pedibus ejus, novissima evacuatur mors.* Cum dixerit : *Omnia sunt subjecta præter illum qui ei subjecit omnia, tunc ipse subjectus erit illi qui ei subjecit omnia, ut sit Deus omnia in omnibus* (*Cor.* XV, 24 *et seqq.*). Hic ergo populus est propinquans regno Dei patris per regnum filii Dei proximus. Regnat itaque Dominus, traditurus Deo patri regnum; non regni potestate carituras, sed nos, qui regnum ejus sumus, Deo patri traditurus in regnum (*V. l.* XI *de Trin.*, *n.* 59). Regni traditio, nostra provectio est; ut qui in regno Filii erimus, in regno quoque simus et Patris : digni per id regno Patris, quia digni regno erimus et Filii; proximi tum Patris regno, cum Filii (*d*) erimus in regno : qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXLIX.

Alleluia.

Cantate Domino canticum novum; laus (Infra, *laudatio*) *ejus in ecclesia sanctorum. Lætetur Israel in eo qui fecit eum, et filii Sion exsultent super regem suum. Laudent nomen ejus in choro, in tympano et psalterio psallant ei. Quoniam beneplacitum est Domino in populo suo : exaltavit* (Infra, *exaltabit*) *mansuetos in salutem. Exsultabunt sancti in gloria : lætabuntur in cubilibus suis. Exsultationes Dei in faucibus* (Infra, *gutture*) *eorum : et gladius ancipitis* (Infra, *gladii bis acuti*) *in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes* (Infra, *objurgationes*) *in populis. Ad alligandos reges in manicis et* (Abest infra *manicis et*) *compedibus, et nobiles eorum in vinculis ferreis. Ut faciant in eis judicium conscriptum : gloria hæc est omnibus sanctis ejus.*

649 TRACTATUS PSALMI.

1. *Psalmi superioris recapitulatio.* — Superior psalmus omnem creationum diversitatem ad laudem Dei creatoris est adhortatus : et ordo a cœlestibus cœptus, cuncta terræ ac maris et aeris animantia percurrit, universo quoque genere ætatum, sexuum, potestatum ad honorem debitæ confessionis admonito, ut gloriam ejus, qui se ad vitam animasset, firmasset, ornasset, pius gratiarum sermo celebraret. Postquam, ut dignum fuit, Propheta psalmi hujus fine

(*a*) Quomodo superiore tractatu num. 5, *pruina nebulæ*, et in psal. LIX, n. 14 : *in contentione victoriæ;* ita hic non *crystallum* dumtaxat ponitur aut *glacies*, sed *crystalli glacies*, duobus legendi modis ita adoptatis.

(*b*) Sic ms. At editi, *videbitur.*

(*c*) Bad., Er. et Lips. *Omnes enim subjiciet sub pedibus ejus. Novissima enim evacuabitur mors.* V. lib. XI de Trin., n. 22.

(*d*) Editi, *erimus regnum* : corriguntur ex ms.

proprium officii sui munus expleverat, omnibus quidem ad laudem divinam adhortatis, hymnum tantum esse sanctorum ejus ostendit, filiis scilicet Israel, populo qui fieret Deo proximus ; ut cum universitas omnis Deum ex vitæ suæ sensu et gratulatione laudasset, Israel tamen (*a*) ei solus approprians hymnum de cognitionis ac dignationis divinæ familiaritate cantaret. Post quæ nunc ad cantandum Deo novum canticum (*b*) incitamur. Et forte nihil ultra reliquisse psalmus anterior novitatis admirationisque credatur, cum si quid illud in gratulatione nostra sensuque sit, idipsum in laude oportere esse præscriptum sit. Efferre autem se ultra cœlestem sedem (*c*) mens nostra non sufficit : sed laudare Deum ea quæ supra cœlos sunt admonentur. Rursum autem se tendere ultra abyssi immensitatem intelligentiæ nostræ opinio non potest : verum ea, quæ in his sunt, ad laudis officium advocantur. Jam vero ipsa illa natura aeris in grandine, nive, crystallo, procellæque spiritu concinere gloriam tantæ laudis jubentur. Tum porro universitas generis humani in regibus, in principibus, in judicibus, in omni vel ætatis flore, vel senectutis maturitate, Dei laudem cantare præcepta est; quia hæc omnia sibi imperturbato cursu moderatoque consistant, fluantque universa ita naturæ suæ lege præcepta, ut decedere his ex ea qua creata sunt constitutione non liceat.

2. *Quorum proprium sit hoc canticum novum.*—Cum ergo nulla, extra hæc rerum divinarum cœlestiumque decreta, videatur homini concessa esse cognitio, cognitionisque laudatio ; videamus, ad quod nunc novum canticum advocemur, cum dicitur, VERS. 1 : *Cantate Domino canticum novum.* Est plane novum canticum. Cujus quidem novi cantici gratulationem jam 650 (*d*) et in superioribus psalmis, in quibus novum canticum cantatur, ostendimus ; cum in gentibus Dominus esse regnaturus ostenditur (*Ps.* XCV, 10), cum ipsum ad regni gloriam dextera sua salvabit (*Ps.* XCVII, 1), cum assumens ex inferno animam suam nos secum assumpsit in reges. Proprium ergo hoc canticum novum est sanctis ejus. Id enim sequitur : *Laudatio ejus in Ecclesia sanctorum.* VERS. 2 et 3. A *Lætetur Israel in eo qui fecit eum, et filii Sion exsultent super regem suum : laudent nomen ejus in choro, in tympano et psalterio psallant ei.* (*e*) Id est, in eo qui secundum nonagesimi et quinti psalmi canticum novum regnabit in gentibus, et (*f*) quem in sequenti cantico novo, in mirabilibus factis suis Dominum salvabit dextera sua. Super hoc igitur rege lætatur Israel et Sion filii, ejus scilicet Sion quæ mater in cœlis est, quæ conscriptorum primitivorum et angelorum frequentantium civitas est ; et Israel ille, qui spiritu non littera (*subaud.* lætetur) et super quem Apostoli pax est (*Gal.* VI, 16). Hi ergo filii, qui suscipientes confitentesque regem filii Dei facti sunt, et hi ergo qui in corpore Deum mentis oculis agnoverunt, lætabuntur in choro, in tympano psalterioque psallentes. Hæc autem musa (*f.* causa) lætitiæ in tabernaculis justorum est, et in symphoniæ cantu (*f.* et symphoniæ cantus) in reditu filii pœnitentis auditur.

3. *Homo creatione Deo placens, peccato displicens, in Christo bene placuit.* — Quæ autem nunc proprie post creaturarum laudationem, et superiora cantica nova, hujus cantici novi causa esset, ostendit dicens, VERS. 4 et 5 : *Quia beneplacitum est Domino in populo suo : exaltabit mansuetos in salutem. Exsultabunt sancti in gloria.* Omnia quidem Deo cum sunt creata placuerunt, Genesi testante cum dicit : *Et vidit Deus quia bona sunt* (*Gen.* I, 31) ; sed beneplacitum ei in populo suo esse cognoscimus. Bona quidem creatio hominis est, (*g*) ut quæ initium creationis secundum originem Dei similitudinemque sortita est ; sed judicio se immutabilis Dei secundum demutationem humanæ voluntatis atque arbitrii (*h*) temperante, tum quia peccassent et agerent pœnitenda, pœnitere se quia fecisset hominem testatus est. At vero ipsis illis ex peccato in vitam reformatis, depulsa pœnitentiæ (*i*) querela, jam beneplaciti in eos affectus ostenditur. Reconciliati enim sumus per corpus et sanguinem Christi ex inimicis in filios Deo, cum nobis æterni sacerdotis placationem (*j*) impœnitentiæ sacramento spopondisset, Propheta dicente : *Juravit Dominus, et non*

(*a*) Par. *ejus solus* : castigatur ex ms.

(*b*) Quæ sequuntur, primum ex ms. Miciacensi vulgata sunt editione Parisiensi anni 1605, cum prius hic desineret Hilarii Commentarius.

(*c*) Apud Par. ut in ms. *mensuram non sufficit :* corrupte. Legendum esse *mens nostra,* sequentia confirmant : nec magnum in veteribus libris discrimen inter utramque lectionem interesse norunt periti. Mox in ms. *admonentur*, ubique vulgatum erat *admonemur*.

(*d*) Hoc quidem quodam pacto ostensum est in ps. CXLIII, n. 19; sed cum dicat Hilarius *in superioribus psalmis*, non in superiore psalmo, hisque adjiciat, *in quibus novum canticum cantatur*, haud obscure significat se psalmos XCV et XCVII, enarrasse, quorum tractatus desiderantur.

(*e*) Apud Par. *idem in eo*. Malumus *id est*, cum in mss. eadem ratione *idem* et *id est* pingi soleant. Hac particula indicatur quid sibi velit *lætetur Israel in eo*.

(*f*) Restituimus *quem*, pro *quæ*, hoc manifeste postulante sententia. Mox in prima editione Par. desiderabatur *Dominum*, ejusque loco in postrema substitutum est *Dominus*, omissis verbis *dextera sua :* contra fidem exemplaris ms. Non displiceret *salvavit*, loco *salvabit*, ut et antea *regnavit* pro *regnabit*.

(*g*) Pro *ut*, in ms. exstat *quia*. Forte *quippe*. Deinde *secundum originem*, id est, quia nullam aliam habet sui causam nisi Deum, saltem secundum potiorem sui partem quæ est anima, a cujus creatione homo initium sumpsisse prædicatur in ps. CXXIX, n. 5 ; ps. CXVIII, n. 7.

(*h*) Hactenus obtinuit, *temperantes tum quia paccassent*, vel *peccassent*. Nemo non videt præferendum esse *temperante :* quod aliter dictum est in ps. CXX, n. 9 : *Secundum uniuscujusque mores ac studium unicuique Deus adjacet : idcirco et perversis aversus et sanctus in sanctis est*. Deinde pro *dum* duximus restituendum esse *tum*, quasi *tunc temporis testatus est*, etc.

(*i*) Hoc est, mutato judicio non jam se pœnitere ait Deus. Ex hac particula *jam*, liquet superius legendum fuisse *tum*, non *dum*.

(*j*) Apud Par. *in pœnitentiæ sacramento* : cui le-

pœnitebit **651** *eum, Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* (*Ps.* CIX, 4). Complacitum ergo est quod impœnitens esse (*a*) juratum est ei, quo regnante secundum ordinem Melchisedech, id est, gentium et rege et sacerdote, primum mansuetis salus, deinde splendor est sanctis exsultantibus super regem suum.

4. Sanctorum privilegia. Guttur, quid significet; quid gladius. Gladii bis acuti quis usus sanctis. — Sed post sanctorum gloriam, intelligendum est quid ad cantici novi plenitudinem consequatur : *Lætabuntur in cubilibus suis.* VERS. 6. *Exsultationes Dei in gutture eorum, et gladii bis acuti in manibus ipsorum.* Jam non lacrymis stratum rigabitur, nec in hoc mortis corpore degentium ob peccati necessitatem ac dolorem noctibus singulis lectus lavabitur. In cubilibus enim jam suis sancti lætabuntur in gloria ; et ob id Dei exsultationes semper in gutture. Per significationem gutturis, internæ conscientiæ protestatur affectum. Sed neque solum in eorum gutture exsultatio Dei est ; verum etiam ipsorum manus bis acutis gladiis armabuntur. Hæc filiis Sion cognitio regis indulget, quibus in choris tympanisque psallentibus disposita sit et salus, et gloria, et lætitia, et exsultatio, et potestas. Nam potestatem in gladio (*b*) significari, tum pluribus locis, tum consequentibus admonemur. Cur enim bis acuti gladii in manibus eorum essent, edocuit mox Propheta, dicens, VERS. 7-9: *Ad faciendam vindictam in nationibus, objurgationes in populis ; ad alligandos reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis ; ut faciant in his judicium conscriptum : gloria hæc est omnibus sanctis ejus.* Hoc ergo est canticum novum dum humiles terræ tribulatique corde regibus constituantur in reges, cum existimati purgamenta mundi et vel abortiva gentium lumen mundi et ultores sint nationum (I *Cor.* IV, 13). Gladii enim bis acuti in manibus eorum sunt : (*c*) quia sancto illi in Apocalypsi gladius bis acutus ex ore sit, judicium undique potestatis exercens (*Apoc.* XIX, 15). Nam et gladium venit Dominus mittere in terram (*Matth.* X, 34) : et sancti secundum Apostolum mundum judicabunt, et in illis judicabitur mundus (I *Cor.* VI, 2). Dictum est enim, aut nescitis quia angelos estis judicaturi ? Fit ergo per eos vindicta in nationibus ; Deus enim in nobis est (*d*) ultionum. Objurgatio deinde exseritur in populos : fidelis namque est, qui ait : *Arguam te, et statuam hæc contra faciem tuam* (*Ps.* XLIX, 21). Sed arguitionis hujus hic exitus est, ut reges nationum nobilesque earum manicis et compede vinciantur. Vincti enim manibus et pedibus, secundum evangelia, in exteriores tenebras deputantur (*Matth.* XXII, 13). Et quia illic erit fletus et stridor dentium, fiet judicium conscriptum, quod lex scilicet præscripserat, quod Prophetæ nuntiaverant, quod omnis divinus erat sermo testatus. Hoc fides, pietas, continentia, confessio habet meritum : hoc contemptus sæculi muneris sumit, fieri regem regum, quorum odia ob **652** Christi nomen excepta sint ; vinciri nobiles, quorum nos vincula carceresque concluserint ; conscriptum in eos judicium habetur (*f.* haberi), quorum et gladii desævierint, et potestas. Sic sanctorum gloria omnis a Deo est, cum post has vitæ et corporum passiones exserant potestatem. Sic cantici novi hymnus impletur, cum post gentium opprobrium regumque cruciatus judicium conscriptum in gentes regesque decernant, quibus Dominus Jesus Christus et unigenitus Deus et Dominus et rex est, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CL.

Laudate Dominum in sanctis ejus : laudate eum in firmamento virtutis ejus. Laudate eum in virtutibus ejus : laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus. Laudate eum in sono tubæ ; laudate eum in psalterio et cithara. Laudate eum in tympano et choro ; laudate eum in chordis et organo. Laudate eum cymbalis bene sonantibus, laudate eum in cymbalis jubilationis ; omnis spiritus laudet Dominum.

TRACTATUS PSALMI.

1. Psalmi mysteriis referti. Cur in tres quinquagesimas distributi. — Magnis psalmorum librum sacramentis rerum cœlestium refertum esse sæpe tractavimus, vel cum dispositio singulorum, contra temporis gestorumque rationem, ordinem, numerumque sortita sit, vel cum superscriptiones nonnullæ aliter, quam Hebræorum libris continentur, adscriptæ sunt, vel cum tituli plures, cum nulli sint, præferantur. Cum ergo ultra litteræ opinionem celsioris intelligentiæ sensu volumen digestum sit ; oportuit idipsum digno fine concludi : ut secundum gloriosam spei nostræ perfectionem liber quoque tanti Prophetæ consummatus exsisteret. Primum enim in eum est numerum distributus, qui ex tripartito quinquagesimo numero esset explendus, cum neque in Hebræis numerus singulis quibusque connexus sit, et plerique apud eos psalmi, quo minus hic triplicis (*e*) quinquagesimus numerus conveniret, juncti sunt. Fuit ergo in translatoribus hoc intelligentiæ spiritalis, ut congestam hanc in plurimis continuatamque seriem partirentur in numerum : ut psalmorum omnium hic et ordo et numerus, qui in his

ctioni repugnant sequentia. Apertius *impœnitenti sacramento* diceretur, sed quidam in verbis lusus affectatus videtur, quia nimirum *pœnitentiæ querela* proxime jam dictum esset.

(*a*) Par. *juratum est, cui regnantem secundum ordinem Melchisedech, idem gentium*, etc.

(*b*) Huic correctioni nemo, puto, refragabitur, quamvis apud Par. juxta ms. editum sit, *significantium pluribus locis.*

(*c*) Et hic restituimus, *quia*, ubi obtinebat *qui*. Mox verbum *exercens* (familiarius Hilario foret *exserens*), per quemdam tropum ad gladium bis acutum refertur.

(*d*) Apud Par. *ultionum objurgatio. Deinde :* vitiosa interpunctione.

(*e*) Et hic legendum videtur *triplicis quinquagesimæ*, et infra *tribus quinquagesimis*, loco verbi *trisquinquagesimus.*

trisquinquagesimus est, possit expleri (*V. Prolog.*, *n.* 11); totiusque libri idem hic quasi status exsisteret, qui fidei, ut in quinquagesimo psalmo centesimoque **653** tractavimus, quorum unus secundum præscripta legis, post sabbatorum sabbata confessionem peccati remissionemque complexus est, alius sub ejusdem numeri plenitudine non indulgentiam peccati, sed fructum officiumque justitiæ comprehendit. (*a*) Post quæ rursum ædificata jam in æternum Dei civitate, et omnibus ad gratulationem ejus laudemque commonitis, sub ejusdem rursum numeri potestate spes est consummata sanctorum, jam ad spiritalem omnibus gloriam naturamque renovatis : ut gradatim per hoc ad Dei consortium veniretur, cum peccatorum remissio vitæ innocentiam et judicii constantiam mereretur, vitæ autem innocentis judiciique constantia spiritalis gloriæ sumeret dignitatem. Ac sic omnia, baptismum resurrectio, demutatio continentur, cum prima nos libri hujus quinquagesima regeneret ad innocentiam, sequens ad judicium innocentiæ (*b*) resurrectio perducat, tertia in naturam spiritus et laudem constituat. Post vinctos enim compedibus reges, ligatosque manicis nobiles (*f.* et) sanctorum judicium conscriptum, cum in his omnibus gloria constitisset, gloriæ tamen ipsius consummatio (*c*) hæc secuta est.

2. Superior proximo psalmus ad laudem nos Dei ob creationum magnificentiam advocavit : sed post cantici novi hymnum Deus non adhuc **654** in operibus laudandus, sed laudandus in sanctis est, quos post judicium conscriptum in æternitatis gloriam collocaverit, et indemutabiles jam cœlesti honore donaverit : per quod in virtutis suæ laudandus sit firmamentum, quia firmamentum æternæ virtutis invexerit, absorpta in contentione morte, cum corruptionem incorruptio devoraverit. Et idcirco firmamentum virtutis laus sequitur potestatum, quia mortem immortalitas consumpserit, tribuens quod oculus non vidit, nec cor cogitavit, nec auris audivit. (*Versus quinque, fugientibus ms. litteris, legi hic non potuere.*)..... in sanctis et ad laudem..... suas..... ..... Deus secundum Apostolum nos ante mundi constitutionem in cœlestibus spiritali benedictione benedixit (*Ephes.* I, 3) : ad cujus laudis gloriam omnia et vocis et operum officia incitant diversitate habitationum et claritate. Laudamus idcirco in cymbalis bene sonantibus : in cymbalis exsultationis laus ista perficitur. Quæ laus omnis in sanctis est, quod ab his corruptionem carnis sanguinisque depulerit, quod ad imaginem creatoris sui sint reformati, quod conformes jam esse gloriæ corporis Dei cœperint, quod in omnem Dei plenitudinem impleantur, quod cum Deus spiritus sit, Deum tamen non caro jam sit laudatura, sed spiritus.

(*a*) Reponimus *post quæ*, ubi prius exstabat *postquam*, experti mendum idem superius fuisse corrigendum.

(*b*) Apud Par., *resurrectione producat* : non displiceret *resurrectione*, nisi obniteretur ms. nam *sequens* videtur referri ad vocem *quinquagesima*, quæ retineatur.

(*c*) Nimirum potestatem reges vincendi, judicium conscriptum decernendi ; nam illud *hæc* in quarto casu pluralis numeri intelligendum est. Mox *proximo* sic per modum adverbii apud Par. designabatur, cum idem sit Hilario *superior proximo*, quod vulgo *antepenultimus*, puta 147.

(*d*) *Hieron.*, contr. Rufin. lib. I, § 11, opp. tom. II, pag. 459, edit. Veron.

(*e*) Id. ibid. lib. II, § 19, pag. 513.

MONITUM

DE COMMENTARIO IN PSALMOS XV, XXXI, XLI.

(*Ex Biblioth. Galland.*)

Quantum litteris et doctrina excelluerit sanctus Hilarius, ex iis præconiis satis constat, quibus veteres Ecclesiæ scriptores ejus merita celebrarunt. Hieronymus Doctor maximus *columnam Ecclesiæ* ipsum appellat (*d*). Præterea (*e*) *virum eloquentissimum, et contra Arianos Latini sermonis tubam.* Alibi vero (*f*) *magnum virum* eum vocat, *et temporibus suis disertissimum, qui et confessionis suæ merito, et vitæ industria, et eloquentiæ claritate, ubicumque Romanum nomen est, prædicatur.* Et ad Lætam scribens (*g*) ejus filiam hortatur, ut *Hilarii libros inoffenso decurrat pede.* Quin tanti faciebat Hilarii scripta Hieronymus, ut ejus interpretationem Psalmorum Davidicorum et prolixum valde de Synodis librum manu sua ipse descripserit (*h*). Sed et ab Augustino laudatur (*i*) Hilarius tamquam *ecclesiæ catholicæ adversus hæreticos acerrimus defensor*, atque (*j*) *venerabilis catholicus disputator et insignis ecclesiarum doctor* (*k*), *neque mediocris auctoritatis in tractatione scripturarum et assertione fidei vir.* Post hos autem magni nominis doctores haud interest reliqua in medium proferre de nostro antistite Pictaviensi judicia, quæ tulisse noscuntur Rufinus (*l*), Sozomenus (*m*), Cassianus (*n*), Cassiodorus (*o*) aliique.

« Quapropter, inquit Martenius (*p*), satis dolere non possumus, complura tanti Doctoris monumenta aut periisse omnino, aut oblivioni tradita alicubi jacere pulvere obsita. Et in postrema quidem operum ejus recensione quam piæ memoriæ e nostris adornavit Petrus Coutantius, nihil diligentiæ prætermissum, quominus et a mendis expurgata et integra prodirent in lucem omnia. Nec inanis omnino fuit

(*f*) *Hieron.* epist. XXXIV, al. CXLI ad Marcell. § 3, t. I, pag. 154.

(*g*) Id. epist. CVII al. VII, § 11, pag. 682.

(*h*) Id. epist. V, al. VI, ad Florent., § 11, pag. 15.

(*i*) *Aug.* contr. Julian. lib. I, cap. 3, num. 9, opp. tom. X, pag. 501.

(*j*) Id. de Trinit. lib. II, cap. 8, num. 26, 28, tom. VIII, pag. 543, seq.

(*k*) Id. ibid. lib. VI, cap. 10, num. 11, pag. 850.

(*l*) *Rufin.* Hist. eccl., lib. I, cap. 31.

(*m*) *Sozom.* lib. V, cap. 13.

(*n*) *Cassian.* de Incarn., lib. VII, cap. 24.

(*o*) *Cassiod.*, de Instit. divin. litter., cap. 17.

(*p*) *Marten.* Veter. script. collect., tom. IX, pag. 55, seqq.

ejus labor : nam et aliquot in Psalmos tractatibus, et apologeticis ad reprehensores libri de Synodis responsis editionem suam auxit. Verum non pauca adhuc delitescunt.

Quamobrem cum superiorum nostrorum jussu Germanicum iter suscepissemus, hortatus est nos vir doctissimus, ut in perlustrandis bibliothecis singulari studio Hilarii codices pervolveremus, si forte tractatum ejus in Job, præfationem in Matthæum et plurium Psalmorum expositiones recuperare possemus : persuasum quippe habebat integrum Psalterium a beato Doctore fuisse expositum. Et ecce discutientibus nobis monasterii Aquicinctensis libros manu exaratos, incidit feliciter in manus nostras codex ab annis circiter sexcentis eleganter scriptus, cujus in limine hæc legebatur epigraphe : *In hoc volumine continentur libri* XII *S. Hilarii Pictavensis episcopi de Trinitate contra omnes hæreses, et alia opuscula ejusdem ;* scilicet *liber de Synodis contra omnes hæreses, liber contra Constantium, tractatus ad eumdem ; liber ad eumdem, quem Constantinopoli dedit adhuc viventi ; blasphemiæ Auxentii Arianorum episcopi, liber contra eumdem. Super Psalmos.* Consulto vero indice Psalmorum, quorum expositiones in editis Hilarii operibus desiderantur, enarrationes in Psalmos XV, XXXI et XLI, necdum vulgatas in codice illo reperimus : quas studiose perlegentes, Hilarii in scribendo methodum observatam, stylum ejus, scripturæ versionem antiquissimam et ante elucubratam ab Hieronymo vulgatam usitatam, constanter in eis citatam animadvertimus : nihilque incommodi visum est, si eas Hilario attribueremus. »

SANCTI HILARII
PSALMORUM XV, XXXI ET XLI
INTERPRETATIO,
Quæ hactenus in editis desideratur.
(*Indidem.*)
TRACTATUS DE PSALMO XV.

1. Tituli inscriptione prænotatur iste psalmus : sed quæ fuerit David tituli inscriptio, in historia non invenimus. Verumtamen tituli inscriptionem in passione Domini factam recognoscimus : et negari non potest secundum interpretationem, quia iste psalmus de passione et resurrectione Christi prophetasse videatur, quod in illo loco manifestum est, ubi ait, VERS. 10 : *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* David enim mortuus est et sepultus : Christi autem caro sola non vidit corruptionem, nec detineri potuit anima ejus in inferno. Quamobrem psalmus qui et de passione ejus et resurrectione et hæreditate dicturus esset, merito notatus est tituli inscriptione. Quid enim in se habuit scriptura tituli, quam cruci ejus Pilatus affixit? *Jesus*, inquit, *rex Judæorum.* Quod in se nomen et ipse confessus est, interrogante eum Pilato : *Tu es rex Judæorum* (*Marc.* XV, 26)? *In hoc*, inquit, *veni et in hoc natus sum.*

2. Sed numquid carnalium Judæorum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus? non utique arbitror in monte hoc terreno qui est in Judæa, regnum a Patre datum Domino, cujus cœleste regnum Apostolus docet : sicut et ipsam civitatem Jerusalem, non hanc Christi esse ostendit quæ nunc servit cum filiis suis, sed illam quæ sursum est, matrem nostram liberam, cœlestem Jerusalem. Ita nec horum Judæorum qui circumcisi sunt circumsicione manu facta, sed sicut Apostolus docuit, dicens : quia non est hic Judæus qui palam videtur, neque illa circumcisio quæ in carne sit, sed circumcisio cordis, cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est; et non horum Judæorum rex Jesus qui ex operibus apud homines gloriantur, sed quorum gloria apud Deum propter spem gratiæ ejus est. Vide enim Apostolum dicentem, quorum sit gloria apud Deum. *Si enim*, inquit, *Abraham ex operibus justificatus est, apud homines habens gloriam* (*Rom.* IV, 2); ad quid credit in eum qui justificare impium potest, et gratuitam misericordiam Dei sperat? habet gloriam, sed non apud Deum.

3. Judæorum itaque rex Christus, quorum gloria non ex hominibus, sed ex Deo. Denique et hic psalmus significanter ait, VERS. 5 et 6 : *Dominus est portio hæreditatis meæ. Funes ceciderunt mihi in ipsis potentissimis, etenim hæreditas mea perquam maxima est.* Quæ est ergo hæreditas Domini, nisi hæc de qua scriptum est : *Posce, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam* (*Ps.* II, 8). Peccatores autem ex gentibus credunt in eum qui justificare impium potest. Et si gloria eorum non ex hominibus, sed ex Deo est; et istorum Judæorum rex Christus. Non enim hic Judæus qui palam videtur, neque illa quæ in aperto in carne fit circumcisio. Sed quid ait? numquid ex illa circumcisione non plurimi crediderunt? verum est quia crediderunt, sed et ipsi ad exemplum gentium reducti, ut prius se confiterentur peccatores, et sic misericordiam merererentur, sicut Paulus ad Galatas scribens docet : *Si tu*, inquit, *cum Judæus sis, gentiliter vivis; quomodo gentes cogis judaizare* (*Gal.* II, 14)? Nos natura judæi, et non ex gentibus peccatores, scientes quod non justificatur omnis caro ex lege. Itaque volens lucrifieri in Christo inventus est peccator ; quia Christus venit non justificatos vocare, sed peccatores. Itaque et qui ex circumcisione manu facta crediderunt, ad confessionem peccatricum gentium humiliati crediderunt, ut essent omnes hæreditas Christi : non in his qui ex operibus suis justificabuntur, sed in his qui per gratuitam gratiam Dei justificantur. Et hæc est tituli inscriptio, quod sit ipse rex Judæorum. Itaque narrat hic psalmus quorum Judæorum rex Christus esse videatur, et quam habeat rationem tituli inscriptione; qui non eorum Judæorum qui palam viderentur, et quorum esset aperta in carne circumcisio, sed potius illorum Judæorum qui in secreto Judæi, quibus circumcisio cordis, quorum gloria non ex hominibus, sed ex Deo est. Videamus denique psalmi textum, si ad hæc quæ diximus attinet.

4. VERS. 1. *Custodi me*, inquit, *Domine, quoniam*

in te speravi. Qui debitum petit, non sperat : nam si debetur mihi aliquid, jure id reposco. Quod si quis mihi ex voluntate tribuat, non ex oblatione ; de hac consuetudine ejus, benevolentiam ejus sperabo. Itaque hic qui non ex operibus justitiam magnificabat, sed gratuitam Dei gratiam introducebat, *Custodi me,* dixit, *Domine, quia in te speravi. Dicam Domino, Deus meus es tu.* Potestas enim Domini in eo est, ut faciat in servum quod vult, non quod necesse habet. Si autem operibus merces debetur ; id mihi retribuet, quod necesse habuerit, non quod voluerit. Si enim operatus fuero, velit nolit, debetur mihi merces, et evacuabitur per hæc gratia Dei, sicut Apostolus ait : Nam qui operatur, merces illi accepta fit per debitum, non per gratiam ; sed qui se non ex operibus suis, sed ex gratia Dei salvum fieri vult, sicut oportet nos omnes credere ; hic sperans in Deum constituet sibi bonum quod voluerit Deus, non quod necesse habuerit, ac per hoc significanter ait, VERS. 2 : *Dixi Domino, Deus meus es tu.* Neque enim umquam Dominus gratias agit servo, si fecerit quod jusserit ; sed per hæc omnia exspectari volet benevolentiam suam et gratiam, sicut et Dominus docet dicens : *Quis ex vobis habet servum arantem aut pascentem ? Numquid cum venerit domum, dicit ei, transi et recumbe? sed dicit, transi et ministra mihi, et tunc manducabis. Numquid agit dominus illi gratias servo, quia sic fecerit ? amen dico vobis quia non agit. Sic et vos cum omnia feceritis quæ jussero vobis, dicite : Servi inutiles sumus : quod necesse habuimus, fecimus* (*Luc.* XVII, 7). Igitur qui agnoscit se Deum habere, talem exhibere debet servitutis humilitatem. Sed hæc confessio non est operum, sed fidei. Itaque novi Testamenti bene annuntiator ait : *Dixi Domino meo, Deus meus es tu.* Et quid post hæc dicit ?

5. *Quoniam bonorum meorum non indiges,* VERS. 3. *Sanctis qui sunt in terra.* Quid tam consequens erat, quam quod ait, bona sua necessaria non esse sanctis terræ, neque ea bona Domini ad usum esse sanctorum terræ habitatorum? Quæ autem sunt bona Christi, quæ bona Novi Testamenti, nisi gratuita, nisi peccatorum remissio? Hæc bona sanctis terræ necessaria non sunt. *Non egent qui sani sunt medico, sed qui male habent* (*Marc.* II, 17). Et proprie illos qui se in operibus suis justificant, sanctos non cœli sed terræ appellavit; ex hominibus enim laus eorum, non ex Deo est : quales fuisse eos Dominus notat, justificantes se in conspectu hominum, qui reprehendentibus quod cum publicanis conviveret, *Non veni,* inquit, *justos facere salvos, sed peccatores* (*Ibid.*). Igitur gratia gratuita et remissio peccatorum justis necessaria non est ; sed utique justis qui se justos putant ; nam vere justus ex fide venit (*f.* vivit). Isti itaque sancti non indigent bonorum filii sui. Itaque infra ait : *Non congregabo synagogas eorum de sanguine meo.* Non est enim talibus redemptio per sanguinem meum necessaria, qui se justos esse arbitrantur.

6. Sed quare ait : *Ipsi miras fecerunt voluntates tuas in se ;* VERS 4 : *multiplicatæ sunt infirmitates eorum : post hæc acceleraverunt ?* Tractat hunc locum Apostolus plenissime ad Romanos, *quod lex introivit ut amplificaretur peccatum. Ubi amplificatum est peccatum, ibi gratia abundavit* (*Rom.* V, 20). Postquam enim repudiantes gratiam Dei inventi sunt in operibus legis, infirmis mira facta est voluntas Dei, qua ad gratiam suam provocabat eos. Quicumque ergo vult salvus esse, oportet ut gratia Dei liberari velit. Itaque bene psalmus ait : *Ipsi miras fecerunt voluntates tuas in se ; multiplicatæ sunt infirmitates eorum ; post hæc acceleraverunt.* Cum enim multiplicatæ sunt infirmitates eorum qui se in operibus justificari volebant, miræ factæ sunt voluntates Dei quæ ad fidem gratiæ vocabant. Horum igitur synagogas, ait, non aggregabo de sanguine meo : id est, non redimam eos qui redemptionem meæ gratiæ non requirunt. *Nec memorabor,* inquit, *nomina eorum per labia mea.* Qui enim in operibus suis vult salvus esse, hic beneficium meum non confitetur : et *qui me confessus non fuerit coram hominibus, nec ego confitebor illum coram Patre meo qui est in cœlis* (*Matth.* X, 32). Quod si hos tales non fuerat congregaturus, supererat ut ostenderet quos in hæreditate acceptarus esset. Itaque ordine subjungit :

7. VERS. 5. *Dominus portio hæreditatis meæ et calicis mei : tu es qui custodisti mihi hæreditatem meam.* Si enim eos qui ex operibus justificantur repudiabat, eos utique quos Deus per gratiam salvos faciebat, habere malebat. Itaque significanter ait : *Dominus portio hæreditatis meæ.* Cum enim Dominus gratia sua salvos fecerit illos, quos ille in hæreditatem dedit ; vere Dominus est portio hæreditatis ejus. Servavit autem obsequium filius, ut hæreditatem suam non in sanguine suo quæsitam prædicaret ; sed per Deum donatam sibi diceret a Deo, ut et calicis sui, id est passionis, Dominum portionem esse confiteatur. Etenim si passione Domini redemptæ sunt gentes de peccato, ipsa tamen passio Domini voluntas Patris fuit, sicut testatur in evangelio dicens (ut homo loquitur quem suscepit) : *Pater, transeat calix iste a me : verumtamen, non quod ego volo, sed quod tu* (*Matth.* XXVI, 39). Igitur si voluntatem Domini consideres, ipse confessus est dicens : si fieri potest, transeat iste calix a me. Unde etiam redemptio gentium non in voluntate Filii, sed in voluntate Patris recipienda est. Non enim quod ego volo, inquit, sed quod tu. Igitur hanc ipsam gratiam qua per mortem ejus redemptæ sunt gentes, non sibi Filius, sed Patri assignat. Itaque et hæreditatis suæ et calicis portionem Dominum esse asserit.

8. VERS. 6. *Funiculi,* inquit, *ceciderunt mihi in potentissimis : etenim hæreditas mea maxima est mihi.* Fuit enim consuetudo vetus, ut et fines possessionum in funiculo mensurarentur : ideoque hic cum de hæreditatis suæ portione loqueretur, *funiculi,* inquit, *ceciderunt mihi in ipsis potentissimis.* Accipimus autem rei hujus testimonium ex cantico Moysi, ubi scriptum est : *Cum dispersit Deus filios Adæ, et statuit fines gentium secundum numerum angelorum Dei,*

et facta est portio Domini populus ejus, Jacob funiculus hæreditatis ejus (*Deut.* XXXII, 8). Et merito hic qui portionem hæreditatis suæ Deum esse dixerat, funiculos possessionis suæ in ipsis potentissimis cecidisse dicebat. Quid enim nisi potentissimi sunt, quos Dominus justificat, quos Dominus honorificat? *Quis accusabit electos Dei? Deus qui justificat? quis damnavit* (*Rom.* VII, 33)? Igitur qui in talibus hæreditatem suam futuram esse dicebat, merito ait: *Funiculi ceciderunt mihi in ipsis potentissimis.* Quod autem *ceciderunt*, ait; nemo sic accipiat, quasi deteriorem factam hæreditatem suam dicat, quia omne quod cadit deterius fiat; sed usus est proprio verbo et necessario. Ubi enim quis non propter meritum eligitur, ibi quasi quædam sors cadit gratiæ; sicut in assumptione apostoli qui subrogatus est in locum Judæ, scriptum est, quia *sors cecidit super Matthiam* (*Act.* I, 26). Itaque quia non nisi ex gratia Domini talis sibi hæreditas sorte contigerit, significanter ait: *Funiculi ceciderunt mihi in ipsis potentissimis: etenim hæreditas mea maxima mihi est.* Hic novus Adam loquitur

9. VERS. 7. *Benedicam Dominum qui intelligere me fecit:* nihil enim scit Filius, nisi quæ vidit et audivit a Patre. Itaque benedicit eum, qui intelligere se fecit. Et vere hic intellectus non ex homine, sed ex Deo est. Nam quis hominum duabus positis hæreditatibus, quarum altera sit in operibus magnifica et dives, altera pauper et egens; eligat eam quæ aliena egeat misericordia? Verum Filius edoctus a Patre, mavult in his hæreditatem qui in Deum sperent, quam qui in operibus suis justificantur. Ita pulchre ait: *Benedicam Dominum qui intelligere fecit me: adhuc autem et sicut in nocte erudierunt me renes mei.* Quid eum erudierunt renes sui? scilicet, ait, intelligere eum fecerunt, melius esse sperare in Domino, quam in suo opere justificari. Nam et ipsum Dominum nonne renes sui quasi in nocte erudierunt sperare in Deum? Nam et contristata est anima ejus usque ad mortem. Didicit sperare in Deum, et hoc est quod ait in hunc se intellectum eruditum esse a renibus quasi in nocte. Et sequentia enim ostendunt de passione eum sua dicere, cum subjungit:

10. VERS. 8-10. *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quia a dextris est mihi ut non commovear. Propter hoc jucundatum est cor meum, et exsultavit lingua mea, insuper et caro mea habitabit in spe: quia non derelinques animam meam in infernum, neque dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Et textus quidem hic et ordo manifestus est: sed quod renes nominavit, et quasi in nocte, ait, erudierunt me; ne obscuriora videantur, interrogemus. Deus scrutator dicitur renum et cordis, in quibus quasi duobus locis hominis secreta teneantur. Sed in corde quidem secretum animæ, in renibus vero secretum carnis est; quas subinde inter se diversitates interioris et exterioris hominis etiam Apostolus docet cum ait: *Consentio legi secundum interiorem hominem; sed video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ* (*Rom.* VII, 12). Et alio loco: *Igitur ego ipse quidem mente servio legi Dei; carne autem legi peccati* (*Ibid.* 25). Talem ergo ipse quamdam et Dominus noster Jesus sentire se refert dissensionem, ubi ait: *Spiritus promptus, caro autem infirma:* secundum interiorem enim hominem consentiebat legi Patris, ut pateretur; secundum exteriorem autem, ut ipse testatur, in carne trepidabat. Itaque quia renes secreta continent carnis quæ infirmabatur in tempore passionis, eruditum se renibus suis ait, ut intelligeret ipse, licet esset Filius, sperare in Deum. Quod similiter de eo et epistola quæ scribitur ad Hebræos, sentit. *Quamquam enim*, ait, *esset Filius Dei, didicit ex his quæ passus est obaudientiam: et perfectus factus est omnibus obaudientibus causa salutis æternæ* (*Heb.* V, 8). Sic enim renes erudierunt eum, ut provideret Deum a dextris suis semper ut non moveatur. Scilicet de voluntate, spiritus promptus est, sed caro infirma. Et proprie sic eruditum se esse dixit renibus suis quasi in nocte; non dixit in noctem, sed quasi in nocte. Non enim penitus contenebrati sunt sensus ejus de timore mortis, qui dicebat: *Verum non quod ego volo, sed quod tu* (*Matth.* XXXVI, 39). Sed tamen non erat sine quadam perturbatione, qui infirmitatem et tristitiam fatebatur. Nam si alibi David ait: *Metus mortis cecidit super me, timor et tremor occupaverunt me, et operuit me tenebra* (*Psal.* LIV, 6); recte hæc tenebra ex timore mortis veniens, quam minima fuisse in Filio Dei convenit, non nox, sed quasi nox appellatur. Itaque significanter dicitur: Adhuc autem quasi in nocte erudierunt me renes mei. Quid autem erudierunt? Scilicet quod sequitur infra, ut provideret Deum in conspectu suo semper, quia a dextris ejus est ut non commoveatur.

11. *Pro hoc*, ait, *jucundatum est cor meum, et exsultavit lingua mea; adhuc autem et caro mea habitabit in spe: quoniam non derelinques animam meam in inferno, neque dabis sanctum tuum videre corruptionem. Notas fecisti mihi vias vitæ: implebis me lætitia cum vultu tuo: delectationes in dextera tua.* Ergo et jucunditates in dextera Dei, quibus cunctis repletus est Filius. In dextris enim habebat Deum. *Providebam Dominum*, inquit, *in conspectu meo semper; quia a dextris meis est.* Ascendens autem in cœlum, ipse in dextris Patris factus est. In dextris ejus: quæ sit istius dextræ sinistra, interrogemus. Novit ergo quodam loco Apostolus, arma justitiæ dextra et sinistra, gloriam quidem et ignobilitatem. Dextra formam justitiæ puto; ignobilitatem autem et infamiam sinistra. Attamen utraque justitiæ arma sunt. Sed ut perveniamus ad dextra arma justitiæ, in sinistris prius militandum est. Suscipienda est vero in hoc mundo ignobilitas, infamia, infirmitas, stultitia et cætera his similia; ut perveniamus ad nobilitatem, ad gloriam, ad virtutem, ad sapientiam: quæ omnia accipiemus, cum pervenerimus illic ubi Christus est in parte dextra Dei sedens. Seminamur autem in ignobilitate, ut resurgamus in gloriam; seminamur in

mortalitate ut resurgamus in æternitatem. Itaque Dominus noster passus in tempore passionis flagellorum ludibria atque sputaminum, cum accusaretur quasi blasphemus, cum intra latrones deputaretur, positus in tanta ignobilitate et infamia, quid nisi in sinistris armis justitiæ militabat? Itaque tunc in sinistra Dei positus, providebat eum a dextris suis, ut non commoveretur. At vero posteaquam resurrexit et ascendit in cœlum, perveniens ad dexteram, ad palmam justitiæ, ad gloriam, ad nobilitatem, impletur lætitia cum vultu Dei, et habet delectationes in dextris ejus. A quibus nos spe cohortatur Apostolus dicens: *Quia non sunt condignæ præsentis temporis passiones ad illa ventura bona, quæ adaperientur in nobis* (*Rom.* VIII, 18). Propter quod et nos libentius in infirmitatibus nostris gloriemur, ut protegat nos virtus Dei. Et nunc quidem sit nobis ipsis Pater in dextris ut non moveamur, translaturus nos postmodum in dextris suis, in divitias Domini nostri Jesu Christi: cui est gloria. Amen.

TRACTATUS DE PSALMO XXXI.

1. *Psalmus David intellectus* notat quam continet prophetiam. Apostolus docuit, quia Novum Testamentum annuntiaret per vocationem gentium. In quo justificanda erat fides sine operibus, et in quo futura promittebatur remissio iniquitatum et oblivio peccatorum per gratuitam gratiam Dei: et ad hoc manifesta est ratio. Sed operæ pretium est persequi omnem psalmi textum, in quo affectus psallentis deprehendantur. Quis viderit secundum carnem, tentationes introeuntes ad fidem? Vidit enim beatos quidem esse, quorum justitia ex operibus non computaretur. Lex enim intravit ut amplificarentur peccata: et lex iram fabricat: et ubi lex non est, nec transgressio. Quamobrem non immerito beatus vocabitur, qui non fuerit sub lege, sed fuerit potius sub gratia.

2. Verum fides hæc qualis requiratur, notavit psalmista dicendo, VERS. 2: *Neque inventus fuerit in ore ejus dolus.* Credo utique talem virum quærat, qualem venientem ad se Nathanaelem Dominus laudavit; quales non erant in Israel, quos ita Deus increpaverat per prophetas: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* (*Isa.* XXIX, 13). Nec dubium est quin hoc sit dolus, aliud in labiis, aliud in corde habere. Itaque bene David in alio psalmo: *Credidi*, inquit, *propter quod locutus sum* (*Psal.* CXV, 10). Et Apostolus enarrat: *quia corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom.* X, 10). Ita si in corde credat quod labia confitentur, non invenietur in ore ejus dolus. At si labiis quis honoret Deum, cor autem ejus longe inveniatur ab eo; dolus in ore ejus est, quo proprie in eo tempore notamur, in quo doctrinas hominum et consilia nostra sequimur, mandata Dei repudiantes. Sic enim scriptum est: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est* (*Isa.* XXIX, 13). *Colunt me, mandata et doctrinas hominum sequentes* (*Matth.* XV, 7). Sic et Dominus in Evangelio legis doctores hypocritas vocat, prætereuntes voluntatem Dei, et consilia sua statuentes. Omnis autem hypocrita simulator est et dolosus est. Et profecto manifestus dolus est, fidem Deo promittere, et humanis consiliis credere. Hujusmodi autem viri nec remittere iniquitates, nec operire peccata possunt; quia salutem suam magis ponunt in consiliis hominum, quam in auxilio Dei. Denique quasi suam statim tentationem in vacillatione fidei notat propheta; et quasi semetipsum castigans, quid alii vitare debeant, commonet dicens: cum gravis super se manus Dei fuisset, hoc est perseverans in tentationibus multis, clamasse quidem ad Deum, sed in clamore non perseverasse: verum postremo tacuisse, et ex taciturnitate continuo inveterasse ossa sua.

3. Ossa autem spiritaliter quid æstimemus, frequenter notavimus: quia sicut corporis sui stabilimentum et fortitudo sunt ossa, ita et mentis nostræ stabilimentum et fortitudo patientia est; ita hic qui gravata super se manu Dei perseverare non potuit ad Deum, sed defecit et tacuit; inveterasse merito dicit ossa sua: id est consenuisse patientiam suam. Omne autem senium affert infirmitatem. Itaque et manifestum est infirmatam esse patientiam ejus. Et proprie posuit inveterasse, id est ad veterem impatientiam redisse: novus enim homo et nativitas nova habet perseverantem patientiam; inde Apostolus ait: *Vexatio patientiam pariet, patientia probationem, probatio spem; spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in corda nostra* (*Rom.* V, 3). Igitur quia in novo homine charitas Dei diffusa est in corde per Spiritum sanctum qui clamat: Abba Pater; merito perseverans est patientia ejus, ut possit dicere: *Quis me dividet a charitate Dei? Vexatio, angustia, an nuditas, an fames, an gladius* (*Rom.* VIII, 35)? At qui defecit clamando et sperando in Deum, benedicit quia inveteraverunt ossa sua; quod est, ad veterem impatientiam reversa sunt, deficiente novæ nativitatis charitate, quæ numquam de Patre desperat.

4. Quid ergo docet? Quoniam hæc nobis fida repromissio est: quoniam si iniquitas aut operatio peccati, etiamsi gravis facta fuerit manus Domini super nos, et oneraverit nos tentationibus multis, non deficere debet clamor noster ad Deum. Quid si tacuerimus? Quod revertamur ad veteres cogitationes, remedium in nostris consiliis requirentes, adhibentes curas et sollicitudines, et per sapientiam nostram relinquentes spem quæ est ex Deo, quæ est firmior omnibus cogitationibus nostris. Et hanc quasi in tentatione notans propheta, psallit, VERS. 5 et 4: *Quoniam tacui, inveteraverunt omnia ossa mea; cum clamassem tota die ac nocte; gravata est in me manus tua.* Et quid novissime ait? *Conversus sum in miseriam, dum infixa est mihi spina.* Ideo aperte significat, ex hoc vitio quod in tentationibus supervenientibus clamare ad Deum et sperare desiisset, succedente silentio et taciturnitate, suscepisse se in cogitationibus curas et sollicitudines vitæ suæ, ac per hoc conversum se esse in miseriam, relicta scilicet spe adjutorii Dei: atque

significanter ait, infixam sibi esse spinam. Spinas enim in Evangelio Dominus docet curas et sollicitudines victus esse, quibus suffocatur verbum : aut quam hic propheta spinam, id est curam et sollicitudinem vitæ, infixam esse sibi dicit, ex eo ex quo tacuerit et desierit clamare ad Deum, per quod conversum se esse in miseriam confitetur. Et quoniam hæ curæ et sollicitudines sæculares frequenter in animos nostros, etiam cum non attenduntur, irrepunt; *Peccatum*, inquit, *meum cognitum mihi fac.*

5. Et separavit, distinguens iniquitatem a peccato; quia iniquitas ignota esse minime potest. Cujus verbi magis aptior est significantia in græco. Ansdayan enim vocant, per quod significatur tempus quo sine lege vixerit mundus, cum adhuc in gentili vita Deum nesciret. Omnes autem conversi ad Dominum confiteantur necesse est, damnabilem fuisse prioris temporis vitam. At vero quia peccati nomen in hoc definimus, in quo quis intrat in curas et sollicitudines et cogitationes victus, quæ quammultæ et variæ sunt, quarumque imagines invitis etiam bonis quam frequenter occurrunt; quis possit in sua observantia deprehendere? Itaque super hoc bene auxilium de Deo requirit propheta dicendo, VERS. 5: *Peccatum meum cognitum mihi fac, Domine.* Et in hoc peccati nomen a principio mundi et teneri, si ipsam protoplasti transgressionem discriminemus, manifesto inveninus. Sed de hoc longum erit persequi; æque tamen sensus discriminantes inter peccatum et iniquitatem persequentibus quoque manifestantur. De peccato enim petit, ut cognitum sibi fiat; ut vero iniquitatem non celaverit sibi inquit. Illud enim, quia sine scientia hominis non erat, supererat in eo medicina humilitatis ut annuntiaret illud, et confiteretur Domino. At vero peccatum, cujus varietas etiam ignoranti poterat obrepere, cujus multitudo fallere poterat et latere, ut cognitum sibi fieret deprecatus est. Perseveravit denique in significantia verbi; et quia iniquitatem a peccato separabat, dixit: *Ego*, inquit, *renuntiabo adversum me iniquitatem meam, Domine.* Adeo et hic non peccatum meum nuntiabo, Domine, sed iniquitatem. Peccatum enim annuntiare non poterat, cujus cognitionem sibi quærebat a Domino. At vero iniquitatem quam in conscientia habebat, hanc, ait, annuntiabo adversum me coram Domino. Iniquitati enim alia nulla medicina est, nisi confessio ad Deum. Facimus enim ignoranter quod agnitum facit Dominus, cum agnitionem ejus conversio fecerit, et necesse est pœnitentia consequatur. Ita post iniquitatem hanc, si confessus fuerit coram Domino, et annuntiaverit illam adversum se, scilicet accusator sui factus, redimet impietatem cordis sui. Et hic prudenti ratione ait: *Dixi: pronuntiabo adversum me iniquitatem meam, Domine; et tu remisisti impietatem cordis mei.* Denique qui iniquitatem non confitetur Domino, superbiam adversum Dominum recipit, ac sic impietatem acquirit. Dominum enim non agnoscit patrem totius creaturæ. Contra, prophcta eum qui confitebitur, ac per hoc impietatis crimen deprecatur, humilem vocat; quod est utique superbo contrarium.

6. Pro hoc enim, inquit, deprecabitur humilis et justus ad te in tempore recte. Est ergo tempus quando non est recte justus a Domino. Ipse propheta in subsequenti docet dicens, VERS. 6: *Verum in diluvium multarum aquarum ad illum non appropinquabunt.* Ergo in diluvio multarum aquarum non rectum est tempus, ut justus appropinquet ad Dominum; justi enim viri non est dare animæ suæ audaciam, sicut et lex dicit: *Non dabis animæ tuæ audaciam.* Quod si quis profundus et altissimus mysteriis Dominum quærat, scrutetur omnia judicia ejus: et si forte ad sustinendos omnes fructus (*f.* fluctus) ejus existimet se posse sufficere, non erit iste vir justus, neque utiliter in diluvio aquarum multarum appropinquare conabitur ac Dominum quærere; quoniam in exaltatione sapientiæ suæ, profundi ejus absconsa pulsare pertentaverit. Sic et apostolus Paulus: *Et ne in multitudine*, ait, *adapertionum exalter, datus est carni meæ stimulus, angelus satanæ qui me colaphizet: propter quod ter Dominum rogavi: et dictum est mihi: Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur* (II *Cor.* XII, 7 - 9). Itaque et hic propheta, cum dixisset: quia justi et humiles in diluvio aquarum multarum non appropinquabunt ad Dominum, ostendit ipse quo magis sibi tempore Dominus requiratur, VERS. 7: *Tu es*, inquit, *refugium meum a tribulatione circumdante me.* Et hic ergo magis in infirmitatibus gloriatur, ut protegat eum virtus Dei, sicut Paulus ait: *Libentius ergo in infirmitatibus meis gloriabor, ut protegat me virtus Christi* (*Ibid.* 9). Denique et subjunxit: *Exultatio mea, libera me a circumdantibus me.* Dominum exultationem suam vocat: quia non glorietur sapiens in sapientia sua, neque fortis in fortitudine sua; sed in hoc unusquisque glorietur, quod cognovit et timet Dominum. *Exultatio ergo mea libĕra me a circumdantibus me.*

7. VERS. 8. *Intelligam et conjungar tibi in via hac qua ambulabis: firmabo in te oculos meos.* Sequitur præceptum quod mandatur: *Post Dominum Deum tuum ambulabis.* Et hoc est fidelis vir, non sibi ipsum eligere viam, sed ipsum sequi viam quam Dominus ostendit, illud putare rectum quod ille mandavit. Denique ait: *Confirmabo in te oculos meos;* ut scilicet nullum aliud iter videant, nisi quod dirigat Dominus: quod ait in alio psalmo manifestius: *Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, sic oculi nostri ad Dominum nostrum* (*Psal.* CXXII, 2); scilicet, non quod ipsi verum intendere dirigamur; sed quod Dominus convertit oculos nostros, in cujus manibus esse debebunt; et quia in ejus potestate sit, ubi aperiat visum nostrum, ubi claudat.

8. Quod si quis ad hoc refugium Dei non sponte accedat, discamus quomodo talem castigat propheta, cui comparet, quid prohibeat. *Nolite*, inquit, VERS. 9, *fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus.* Homo enim verbo obsequitur, et ad vocem obaudit. At vero quibus dici potest: *Quæsivi et non fuit homo,*

vocavi et non fuit qui exaudiret (*Isa.* LXIII, 5); ejusmodi sunt equus et mulus: in freno et camo cogendi sunt illuc ire quo nolunt. Ex quo postulat justus, ut dura cervix et duræ maxillæ eorum tormento et violentia molliantur. Et benigne propheta non vult illos duritiæ suæ relinqui, quicumque sponte non appropinquant ad Dominum: sed potius expostulat quibuscumque suppliciis pertrahantur, dummodo salvi fiant. Itaque ait: *In freno et camo maxillas eorum deduc, qui non appropinquant ad te.*

9. VERS. 9. *Multa flagella peccatoris.* Per hæc enim Dominus salutem peccatoribus fabricat: inferendo enim plagas et tribulationes, superbiam peccatorum, ut timere consuescat, erudit. *Sperantem autem in Dominum misericordia circumdabit.* Neque enim aut freno aut camo ducendus est, aut flagello arguendus ut appropinquet, cujus spes semper est in auxilio Dei. Itaque huic proxima est misericordia ejus. Quamobrem sicut propheta ait, VERS. 11: *Jucundamini in Domino, et exultate justi, et gaudete omnes recti corde.* Per Jesum Christum Dominum nostrum, cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen.

TRACTATUS DE PSALMO XLI.

1. Disciplinam enarrandi generaliter in omnibus psalmis servandam puto, ut prius titulus inspiciatur, et ad ipsum omnis psalmus aptetur. Neque enim aliquis tam stultus est, qui cum se de cedro promiserit esse dicturum, describat quercum: nedum Spiritus Dei quem locutum credimus per prophetam, aliud in titulo notaverit, aliud in psalmi cantico dixerit, sicut in præsenti ea utique cantavit David quæ *intellectus* esse deberent *filiis Core* (*Num.* XVI, 8): sic enim est prætitulatio psalmi. Legimus autem synagogam Core in tempore Moysi adversus ordinationem Dei murmurasse, ut summam ministrationis sacerdotii quam Aaron et filii ejus secundum voluntatem Dei susceperant, usurpare sibi et rapere niterentur. Quod vitium cupiditatis Apostolus notat et monet quodammodo arguens: *Ita dico vobis per gratiam quæ data est mihi in omnibus vobis, ne supra modum sapiatis, quam sapere vos oportet* (*Rom.* XII, 3); sed in eo sapiat unusquisque vestrum secundum quod et Dominus impertivit mensuram fidei: *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eosdem actus habent; sic multi unum corpus sumus in Christo, alter autem alterius membra, habentes charismata diversa* (*Ibid.* 4-6). Igitur alii datur ministratio, alii prophetia, alii virtus, alii sermo doctrinæ. Quod si quis supra modum sapere voleris egrediatur mensuram partitionis Domini, invenitur in stultitia Core, vocabiturque spiritualiter filius Core: et his talibus cantabitur *intellectus*, psalmus iste quem docet.

2. VERS. 2. *Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, sic desiderat anima mea ad Deum vivum.* Arbitror enim non sine causa fontes positos aquarum, cum proximum fuisset, ut diceret, sicut desiderat cervus ad aquas; sed maluit *ad fontes aquarum* nominare, id est originem et principium aquarum; sciens videlicet per sapientiam spiritalem quæ sola novit radices arborum, et naturas bestiarum, etiam hoc mutum animal, non proximas quasque aquas, sed ipsos aquarum fontes desiderare, mundiora et puriora rivorum appetere principia. Quo exemplo commoneri vult, ut et nos ad ipsum fontem vitæ et sapientiæ Dominum, qui est omnium caput, desideremus. Unus est enim iste fons, ex quo multæ spiritualium aquarum divisiones efficiuntur, ut curationes, ut prophetiæ, ut genera linguarum, ut ministrationes, ut sermo scientiæ, ut sermo doctrinæ. Sed et proximorum modi non ita appetendi sunt, ut per æmulationem et concertationem et discordias, ipsius fontis desideria negligamus. Negligimus enim eum, quoties volumus mensuram divisionis ejus et ordinationis in pace et charitate servare. Ita in similitudinem filiorum Core figurati quicumque in hac superbia invenientur, commonebuntur hoc psalmo, ut intelligant potius ad quod intendere debeant desiderium suum, dicente justo: *Sicut desiderat cervus ad fontes aquarum; sic desiderat anima mea ad Deum vivum.*

3. VERS. 3. *Quando veniam et parebo ante faciem Dei? Factæ sunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, Ubi est Deus tuus?* Sed de hoc ipso, *quando veniam et parebo*, ostenditur nobis quoniam non de proximo impetrabile est; et nisi fuerint nobis panis lacrymæ nostræ die ac nocte, nequaquam perveniatur ad faciem Domini. Et debet intellectus filiorum Core doctrinæ ordinem sequi, ut sciat per multas tribulationes et vexationes et imperia (*f.* improperia) pervenire usque ad domum Dei, ne exaltetur in superbia sua, sciens quod virtus in infirmitatibus magis probatur, neve sibi rapiat dignitatem, quia Apostolus ait: *Id sapite in vobis quod et in Christo Jesu: qui cum esset in forma Dei, non rapinam existimavit se esse parem Deo; sed humiliatus est, formam servi accipiens, et habitu inventus ut homo. Exinanivit se usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Philip.* II, 5-8); in qua cum esset affixus, audivit hæc improperia: *Ubi est Deus tuus?* cum dicerent ei exprobrantes: *Veniat et liberet eum* (*Matth.* XXVII, 43). Docetur ergo, ut dixi, synagoga Core, per quantas tribulationes et lacrymas accedatur ad domum: quas sibi lacrymas pulchre ait propheta in pane fuisse, id est in cibum vitæ æternæ; et ex ordine venit, ut in subsequentibus dicat:

4. VERS. 5. *Hæc memini, et effudi in me animam meam, quia transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei.* Et quidem aliquantulum hic præloquendum puto de signantia verbi, quid sit *effudi*. Ideo se effudisse dicit, quia transiturus esset in locum tabernaculi usque ad domum Dei. Bona autem spiritus sunt transitus usque ad domum Dei. Effundere ergo animam, spei bonæ operatio est: sed quid de communi ejus novimus? quia quidquid effunditur, projicitur et perit, nec tam salvum est quam cum retineatur in vasculo. Hoc enim est effundere, quod alicubi clausum habueris id foras fundere. Ita qui dixit, *effudi animam meam*, non aliud dixisse intelligendus est, quam projeci et perdidi et vilem habui.

Quomodo ergo ideo projecit et perdidit, quia transiturus esset in locum tabernaculi usque ad domum Dei? nisi forte manifestum facit præceptum Dei, qui ait discipulis suis: *Quicumque salvaverit animam suam, perdet illam; et quicumque perdiderit, salvam faciet eam* (*Luc.* XVII, 35). Et revera ordinem tenuit: cum enim prælocutus de tribulationibus fuisset, quoniam factæ essent lacrymæ ejus panis die ac nocte, dum dicitur ei quotidie, *Ubi est Deus tuus? Hæc*, inquit, *memini, et effudi in me animam meam*: in quo non aliud dixisse intelligendus est, quam projeci et perdidi et vilem habui. Quomodo ergo animam Deo projecit? Scit enim justus, quotiens superveniunt tribulationes et persecutiones et improperia propter nomen Dei, perdendam esse et projiciendam et vilem habendam animam, ut salva fiat in die Domini; ideoque et hic significanter, non ideo se fudisse animam suam ostendit, quia desperaverit de spe vitæ futuræ; sed ideo effudisse animam, quia transiturus esset in loco tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei. Docti igitur hoc psalmo, quotiens persequetur inimicus et improperabit nobis nomen Domini, effundamus ei animas nostras, perdere eas, parati, ut salvas faciamus illas: non ideo effundentes eas, quasi desperemus de fiducia adjutorii Dei; sed ideo quia certi simus reddendas illas esse nobis, et transituros nos esse in loco tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei.

5. Quisquis autem hic locus sit admirabilis tabernaculi, in quo transitus erit usque ad domum Dei, jam hic interrogare incipiamus. In veteribus libris invenimus tabernaculum a Moyse factum Deo Israel, in quo arca testamenti tenebatur (*Exod.* XXVI, 1), et in hoc omnia celebrata mysteria, et hic eos prius hostias offerentes apparuisse ante faciem Dei, usquequo per Salomonem ædificata est domus Dei, transivit arca ex tabernaculo pellium in templum lapidibus instructum: sed illud tabernaculum quod in deserto fuerat, et illæ pelles quæ ante tecta templi cooperiebant, ministerio admirabiles fuerunt. Denique in Canticis canticorum initia sua sponsa sic laudat: *Nigra sum et bona, filiæ Jerusalem, sicut tabernaculum Cedar, sicut pelles Salomonis* (*Cant.* I, 4). Et in alio psalmo David licet in atria Domini concupisceret; laudat tamen et tabernacula ejus dicens: *Quam admirabilia*, inquit, *Domine, concupiscit anima mea in atria Domini* (*Psal.* LXXXIII, 2). Est enim quidem admirabile tabernaculum Dei; sed magis concupiscenda domus Dei. Denique et ipse David pacifico jam regno Israel, cum arca Dei in Sylon sub pedibus (*f.* pellibus) tabernaculi moraretur, concupiscit ædificare domum Dei. Sed quid illi ait propheta? *Non mihi ædificabis domum* (II *Reg.* VII, 7): non est omnium ædificare domum Dei. Itaque quasi ad majores ascensiones, transitus nobis est faciendus in loco tabernaculi, ut perveniamus usque ad domum Dei. Et admonemur de exemplo Jerusalem, quia non prius ædificatur domus Domini, nisi hoste victo atque peccato: sed tamen tamdiu in tabernaculo sumus, quousque desertum transeatur, et intretur in terram Jordanis, initium repromissæ hæreditatis, debelletur omnis Chananæus hostis.

6. Id autem interest inter dignitatem tabernaculi et domus, quod in tabernaculo non semper degitur; at vero in domo semper, sicut in ascensionibus significat David dicens: *Quoniam elegit Dominus Sion, complacitam habuit inhabitationem sibi: hæc requies mea in sæculum sæculi* (*Psal.* CXXXI, 13). At vero in tabernaculo non habet requiem: movendum est enim in tempore belli, in quo et recedebat nubes ab eo quæ significabat præsentiam Dei: quæ recte comparabitur similitudo nobis, quamdiu in hoc corpore peregrinamur, in hac æquanimitate vincamus omnia vitia ejus, ut nullus hostis vivens aut vigens relinquatur. Visitabit enim nos etiam in tabernaculo Deus, et in tempore quietis: at ubi exorta fuerit pugna cum vitiis, constringendum est tabernaculum nostrum, et ad expeditionem belli præparandum; nec poterit expandi, nec delectari in requiem Dei tempore quo fiet interpellatio vitiorum: et præcedet te Deus quidem in pugna, ut si ambulaveris post eum, facile vincas hostes tuos, habitare autem illo tempore in te non potest. Itaque licet vincas, licet exsuperes vitia carnis, ex ipsa tamen conflictatione contaminas manus tuas in sanguine tuo. Nec idoneus eris in hoc tempore ædificare domum Domini, sicut reprobatur David qui operatus esset in sanguine. Ille autem ædificat domum Domini qui intrat in requiem, qui nullis inquietatur vitiis, cui omnis hostis extinctus est, qui possit dicere: *Mihi autem mundus crucifixus est et ego mundo* (*Gal.* VI, 14); apud quem omnia vetera transierunt, nova facta sunt, quale regnum Salomonis in figuram nostri refertur. Sed si in hujus vitæ cursu nemo tam perfectus inveniatur, qui mundus ab omni interpellatione peccati pervenire in domum Dei possit: potero tamen ita dicere, *quoniam transibo in locum tabernaculi usque ad domum Dei*: id est in hac vita præsenti, ut quandiu in hoc mundo sum, in locum transeam tabernaculi; quippe cum quotidie pugna contra carnem et sanguinem, contra spiritualia nequitiæ gerenda sit. At cum resoluta fuerit inhabitatio tabernaculi hujus, sicut Apostolus ait, et accipere domum non manibus fabricatam, sed æternam in cœlis; cum transfiguratum fuerit corpus humilitatis nostræ in similitudinem corporis filii Dei: tunc perveniam in domum Dei, quo tempore possit in æternum habitare in me; et recte psallam, *quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei*.

7. Erit autem hic transitus meus *in voce exultationis et confessionis, sonus epulantis*. Nec mirum autem si umbra futurorum bonorum habuit imaginem hujus jucunditatis, vel cum David transferens arcam Dei de tabernaculo Sylon, intrabat in Jerusalem cum choro et tympanis diem festum agens, vel cum Salomon ædificato templo intulit omne ministerium in multa exultatione cantantium et psallentium Deo. Nec mirum, inquam, cum unusquisque nostrum tabernaculum hoc corporis sui commutabit in illam domum non manu

factam, sed æternam in cœlis, si erit transitus ejus in voce exultationis et confessionis sonus epulantis.

8. Hanc igitur spem qui percepit, merito interpellavit tristitiam animæ dicendo, VERS. 6 : *Ut quid, anima, tristis es, et ut quid conturbas me? Spera in Deum, quoniam confitebor illi, salutare vultus mei et Deus meus.* Et vide nisi conveniat intellectui huic quem secuti sumus, ut in tempore persecutionis et improperii nominis Dei hujusmodi spe consoletur animam justus. *Ut quid tristis es, anima, et ut quid conturbas me? Spera in Deum quoniam confitebor illi.* Sed quoniam fieri non potest, ut projiciens animam suam in mortem non aliqua contristatione turbetur, quippe cum ipse omnium virtutum Dominus, ipse princeps fidei, ipse Filius Dei, qui antequam in tempus crucis veniret, ac fiducia loquebatur ut diceret : *Nemo auferet animam meam a me, potestatem habeo ponendi animam meam et iterum resumendi eam* (*Joann.* x, 18); idem tamen in proxima hora mortis, *perturbata est*, inquit, *anima mea usque ad mortem* (*Marc.* XIV, 34); et, *Pater, si fieri potest, transeat calix iste a me* (*Matth.* XXVI, 39), et in novissimo gemitu : *Deus, Deus meus, ut quid me dereliquisti* (*Matth.* XXVII, 46)? Ita et psalmus iste imaginem persecutionis in ordinem ostendens, quantæ conflictiones tribulationesque sustinendæ sint justo, per quas tentanda et probanda sit fides ejus; ideo ait, VERS. 7 : *Deus meus, turbata est in me anima mea.* Quis enim est cujus non turbetur anima in tempore persequentium nomen Dei? Præter illam enim necessitatem fragilitatis humanæ, præter corporales trepidationes, est quædam peculiaris fidei perturbatio, cum videantur persecutores nominis Dei increscere et dominari, nec vindicare Deus famulos suos, nec subvenire tribulationibus eorum, nec extendere adversus inimicos suos potentem dextram suam. Et ideo quia nemo in hujusmodi tempore sensum judiciorum Dei retinet, pulchra est illa exclamatio Domini : *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti* (*Ibid.*)? qua ostendit se non intelligere causam quare sit derelictus. Et si ille sapientiæ magister et enarrator Patris, Filius sic perturbatur, ut interroget Patrem ut quid dereliquisset; quid facient reliqui quamlibet justi, cum judiciorum Dei altitudines supervenerint eis? Verumtamen docet psalmus, quid in his perturbationibus retinere et solum facere debeamus. Oportet enim omnem virum justum cum tentatur, cum tribulatur, cum angustiatur, cum in perturbatione animæ venit, etsi quare hæc sibi accidant non intelligit, fidem tamen non relinquere, nec condemnare credulitatem, quam docuit propheta dicendo : *Propterea memor ero tui, Domine, de terra Jordanis et Hermonis a monte modico.* Nam quia perturbata est in me anima mea, propterea, inquit, memor ero tui de terra Jordanis et Hermonis. In terra enim Jordanis introitum significat repromissæ hæreditatis populo Israel. Et quoniam nos spiritualibus spiritualia comparantes, nobis hæreditatis introitus fides existimatur. Hæc est enim janua repromissionum nostrarum. Itaque ubi initium fidei nostræ commendare voluit Propheta, ibi terram Jordanis et montem Hermonem nominavit. Sic et in Canticis canticorum ubi prima vocatio Ecclesiæ facta est : *Veni*, inquit, *a Libano, sponsa; veni a Libano, sponsa; veni a Libano* (*Cant.* IV, 8) : transiens transibis, et transibis ab initio fidei, a capite Hermon. Nec moveat quemquam quod in hoc loco et Sanir nominatus est, cum idem sit mons Sanir qui Hermon, quem in terra Jordanis constitutum esse historia docet per Moysem in Deuteronomio. *Et accepimus*, ait, *in tempore illo terram de manibus duorum regum Amorrhæorum, qui erant secus Jordanem, a torrente usque Hermon Sanir* (*Deut.* III, 8). Amorrhæus nominavit illum Sanir. Caput ergo Hermon quod est in terra Jordanis, initium vocatur fidei. Ideo illic et Joannes primus præcursor auditur, et Joanni primum Christus ostenditur : illic Spiritu sancto Dominus adimpletur, illic paternæ vocis testimonium redditur : *Hic est filius meus in quo complacui* (*Matth.* III, 17). Hic progrediens initia virtutum, hic initia signorum quibus Filius Dei creditur operatus.

9. Merito igitur caput Hermon initium fidei vocatur : unde memores nos esse oportet salutare vultus nostri Deum nostrum, quotiens in tentationibus anima nostra turbatur. Initium enim fidei simplex prima credulitas, qua via intramus ad fidem Dei per Jesum Christum. *Sapientia vero inter perfectos quæritur* (*I Cor.* II, 6) : quæ varietates sint judiciorum Dei, quæ altitudines cogitationum ejus. Ita etsi in tempore persecutionum, in perturbatione mortis instantis defecerit sapientia, initium tamen fidei non relinquatur : sed saltem simplici illa et nuda credulitate memores simus Dei, scientes quia non habeat in nos inimicus potestatem, nisi quantum permittitur. Non abutamur tamen insipientis mulieris jactatione, qua dictum est : *Ubi sunt opera justitiæ Dei? Job, quid profuit timor Domini* (*Job.* XXII, 3)? Sed quoties in hanc perturbationem veniet cogitatio, justum erit secundum hujus psalmi doctrinam dicere : *Deus meus, perturbata est anima mea; propterea memor tui ero de terra Jordanis et Hermonis de monte modico.* Ergo et significanter monti Hermoni *modici* addit appellationem : fidei enim initium mons pusillus, et cui multæ ascensiones usque ad regnum cœlorum per contumelias, per injurias, per tribulationes, per mortem crucis credere in Deum primus ascensus est : quoties enim in illo vertice amarissimo crucis perturbabitur anima mea de initio fidei, de monte modico; memor ero, Domine, qui es salus vultus mei.

10. *Abyssus* enim *abyssum invocat in voce cataractarum tuarum*, id est fluctus tentationis Dei, qua terra patietur : quia altitudines cogitationum et judiciorum ejus quis novit? Diluvium est sensus Domini, cujus magnitudinem ostendere volens justus, quoniam de tribulationibus suis loquebatur : *Abyssus*, inquit VERS. 8, *abyssum invocat, in voce cataractarum ejus.*

11. *Omnes altitudines tuæ et fluctus tui super me transierunt.* Reddit causam cur turbata est anima ejus :

abyssus enim abyssum invocat in voce cataractarum. Prælocuti quidem jam sumus, quid esse abyssum putaverimus; reddimus tamen rationem quid de hoc ipso propheta ait: *Judicia tua, Domine, abyssus multa* (*Psal.* XXXV, 7): magnum enim profundum est in altitudines judiciorum Dei, quasi in nos ita frequenter ut judicium judicia consequantur quæ caro emergat, quæ caro sustineat? Vide apostolum, licet in pace tractaret, intendens tamen mysterium Dei, perturbatus exclamat: *O altitudo sapientiæ et scientiæ Dei! quam inscrutabilia judicia ejus, quam investigabiles viæ ejus* (*Rom.* XI, 33)! Hæc igitur altitudo cordis Dei recte abyssus nominatur, cujus profundum nemo cognoscit: multæ enim altitudines, ubi nullus est finis. Et merito hic nos abyssus ad abyssum invocat in voce cataractarum tuarum. Species quasdam abyssorum constituamus, quo tractatus magis luceat. Ecce Filius Dei in multis signis et virtutibus veniens curat multorum varias ægritudines, et accusatur quod faciat sanitates. Quis unquam male audivit qui bene fecerit? Et admittit Pater tam impiam contumeliam Filii sui: ecce una abyssus. Judicia Dei struuntur, comparantur falsi testes quasi adversus blasphemum et irreligiosum, cum esset solus verus Dei testis: et dicunt impii testimonium, et obtinent causam: ecce altera abyssus consequitur priorem. Colaphizatur, flagellatur, in ludibriosum habitum componitur, exsultat et subsannat inimicus, in Filium Dei longa omnis transit impietas: ecce jam tertia abyssus supervocatur, damnatur in cruce gloriæ Dominus, inter latrones et impios deputatur. Vide quanta judicia abyssus consequatur, ut merito ab hoc dici possit: Omnes altitudines et fluctus tui super me transierunt.

12. Et hic jam satis dictum puto. Sed ne aliquis requirat et studio præterisse nos existimet, quid sit quod ait: *In voce cataractarum tuarum abyssus abyssum invocat*, modice de cataractarum voce repetamus. Habent utique hæ visibiles aquarum cataractæ voces suas, quia emissiones fluminum sonare et strepere necesse est. Et quoties ex infinito lacu stagnorum vel fontium eructatione surgunt in exitum flumina, cujus profundum nequaquam deficere et exhauriri queat; bene de his dicitur abyssus abyssum invocat in voce cataractarum. Sed nos meminisse debemus de quibus abyssis loquatur propheta, de quibus etiam prælocuti sumus. Itaque et cataractas horum nosse debemus: omnes autem eructationes judiciorum Dei per voces prophetarum invenimus sonuisse, quas hic cataractas appellatas existimo. Abyssus abyssum invocat in voce cataractarum. Post prædicationem prophetarum consecuta sunt Dei judicia, et velut vocarunt se in illam vocem quam præmiserat ut sequerentur. Vox cataractæ fuit: *Opprimamus justum quia inutilis est nobis, et contrarius est operibus nostris, et Filium Dei se nominat* (*Sap.* II, 12). Altera vox cataractæ est: *Sicut ovis ad victimam adductus, et sicut agnus coram tondente se non aperuit os suum* (*Isa.* LIII, 7). Est et alia vox: *Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea* (*Psal.* XXI, 17). Est et illa vox: *Diviserunt vestimenta mea, et super vestimentum meum miserunt sortem* (*Ibid.* 19): *et in siti mea potaverunt me aceto* (*Psal.* LXVIII, 22). Et quid necesse est nunc omnes voces cataractarum referre, cum pleni sunt libri prophetarum de contumeliis et passione Domini? Quoniam ergo omnes prædicationes etiam rerum gestarum fides secuta est, in hanc vocem cataractarum abyssus abyssum invocavit, ut suppleret scilicet effectus sonos earum. Igitur quia de talibus abyssis loquebatur propheta, opportune subjungens ait:

13. VERS. 9 et 10. *Inter diem mandavit Dominus misericordiam suam, et nocte manifestavit: apud me oratio mea Deo vitæ meæ: dicam Deo, susceptor meus es, quare oblitus es?* Dat videlicet doctrinam et consolationem omnibus justis, ut si ex multis tentationum fluctibus operti, perturbationem sensus patiuntur, quæ tenebræ oculorum nox vocatur; meminerint quia semper in hanc noctem manifestatur misericordia Dei potens, nisi sit tempus causa miserandi. Sed cum in periculum venerimus, et perturbatio ex desperatione vitæ quamdam cordi nostro fecerit noctem, tunc si potuerimus dicere: *Apud me oratio Deo meo: dicam, susceptor meus es, quare me dereliquisti?* Hoc ergo in nocte retinendum est; et cum cæteri sensus perturbantur, hoc tamen deficere non debet quod clamemus ad Dominum: *quare me dereliquisti?* de quo sermone prius tractavimus: quia etsi causa judiciorum Dei non intelligamus quare nos in aliquibus tentationibus relinquat; deficere tamen nos non oportet, quin ab ipso misericordiam deprecemur.

14. *Quare*, inquit, *tristis incedo, dum affligit me inimicus*, VERS. 11, *et confringit ossa mea?* Hæc ergo semper etiam in nocte apud justum erit oratio ejus. Quod autem ait: *Confringit ossa mea*: non utique, proxima mors, subintelligendum est; sed quia hic in tribulatione frangebatur patientia ejus, quæ est stabilimentum et fortitudo mentis nostræ, sicut ossa sunt corporis: ossa patientiam vocavit, quæ cum assiduis tribulationibus confringetur: *dum confringit*, ait, *ossa mea*, improperabant tribulantes me, cum dicerent quotidie: *Ubi est Deus tuus?* Sed licet hanc gravem manum sentiat justus, quid tamen fieri necesse sit, et quod remedium obtinendum sit in persecutionibus, docet dicens, VERS. 12: *Ut quid tristis es, anima mea, ut quid conturbas me? Spera in Deum, quia confitebor illi, salutare vultus mei et Deus meus.* Quo nobis proposito exemplo, si qua vexatio, si qua pressura, si quod improperium nominis Dei venerit super nos, si tristis erit anima nostra, si perturbabitur, nos dicamus: Spera in Deum, quia confitebor illi, protegente Jesu Christo Domino nostro, cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen.

ADMONITIO

DE COMMENTARIO IN EVANGELIUM SANCTI MATTHÆI.

I. *In Scripturis exponendis qui primas inter Latinos Hilarius obtineat. Quid senserit de Tertulliani scriptis.* — Versionem tractatuum Origenis in Lucam nonnullis a se exposcentibus, hunc Hilarii Commentarium una cum altero Victorini misit Hieronymus, gratulans quod Scripturis exponendis jam pridem ipsi etiam Latini operam navassent. *Commentarios*, inquit prologo, qui Origenis in Lucam explanationi præfixus est, *viri eloquentissimi Hilarii, et B. martyris Victorini, quos in Matthæo diverso sermone, sed una gratia Spiritus ediderunt, post paucos dies ad vos mittere disposui, ne ignoretis quantum nostris quoque hominibus* (Latinis videlicet) *sanctarum Scripturarum quondam studium fuerit.* Quibus verbis quodam pacto indicat Hieronymus, sacrarum litterarum intelligentiam hactenus e Græcis quæsitam, et necdum bene notos qui ex Latinis idem studium suscepissent. Ipse in lib. de Script. eccl. si Victorinum excipias, qui etiam *non æque latine ut græce noverat*, nullius ante Hilarium in Scripturas operam memorat, nisi Rhætici Heduorum episcopi in Cantica, et Fortunatiani Aquileiensis in quatuor Evangelia *brevi et rustico sermone*. His autem cum æqualis fuerit Hilarius, primas ei inter Latinos Scripturæ interpretes dare si non licebit; licebit certe cum primis eum accensere. Dubitari etiam potest, an Matthæi evangelium ab ullo Latinorum ante se explanatum scierit. Neque enim videtur expositionem illius aggressurus fuisse, si hoc latine jam confectum rescisset; cum vel in orationem Dominicam, ut testatur ipse c. 5, idcirco dumtaxat scribere supersederit, quia eamdem Cyprianus explicasset. Quo in loco non silet aptissimum etiam de eadem oratione volumen a Tertulliano scriptum, sed ob errorem consequentem hominis detractam scriptis probabilibus auctoritatem. Ægre quidem daretur Victorini opera eum ignorasse, si cum Mariano in editione Hieronymi de Script. eccles. idem Victorinus *Pictaviensis*, et non potius cum mss. aut *Pictavionensis*, aut *Petabionensis*, aut *Poetabionensis*, aut denique, quod habet Germanensis codex litteris Merovingicis exaratus, *Pectabionensis* in superiore Pannonia episcopus scribendus esset. Sed et ex Hieronymo jam audivimus commentarios utriusque diverso sermone fuisse conscriptos. Itaque dum in his aliorum sententias affert Hilarius, non tam Græcos intelligendus est memorare, quam Latinos.

II. *An in hoc opere quidquam ex Origene mutuatus sit.* — Non desunt qui putent, illum ut in psalmos, ita et hic in Matthæum, Scripturæ sensus ex Origene fuisse mutuatum. Hieronymi verba lib. de Script. eccl. ambigua sunt, cum Hilarii opera recensens hæc habet: *Et liber hymnorum, et mysteriorum alius, et commentarii in Matthæum, et tractatus in Job, quos de græco Origenis ad sensum transtulit.* Anceps enim est, an solos tractatus in Job velit ex græco Origenis translatos, an etiam cum iis Commentarios in Matthæum. At ambiguitatem ipse solvit epist. LXXV, adversus Vigilantium, a quo accusatus quod Origenis lectio familiaris ei fuisset, cum primis reponit: *Si hoc crimen est, arguatur et confessor Hilarius, qui psalmorum interpretationem et homilias in Job ex libris ejus, id est, ex græco in latinum transtulit.* Neque enim hoc loco, ad majorem causæ suæ defensionem, Commentarios in Matthæum silentio prætermisisset, si eos etiam credidisset ex Origene translatos. Sed et hoc ipsum magis patet ex initio apologiæ ipsius adversus Rufinum, ubi enumerans antiquos Origenis translatores, statim profert *Hilarium confessorem, qui quadraginta ferme millia versuum Origenis in Job et psalmos transtulit.* Certe in promptu ei magis erat commentarium integrum, quam tot versuum millia recensere. Aut si ex numero versuum putavit partes suas juvari, quidni ex multitudine operum? Quid quod Origenis tractatus expetentibus hoc Hilarii opus promittens, non mandat Origenis sententiis refertum, sed *gratia Spiritus?*

III. *Stylus.* — Sed neque hujus commentarii cum lucubrationibus iis, quas ex Origene in Matthæum habemus, frequens admodum occurrit consensio. Hoc vero maxime ab iis dissentit, quod rara in rerum enarratarum probationem Scripturarum adducantur testimonia. Nusquam etiam latius divagatur oratio; sed prope semper sermo concisus, et paucis complectens multa: quod ab Origeniana discendi ratione procul abest. Brevitati autem dum studet Hilarius, nonnulla passim reticet verba, neque semper accuratis grammaticæ legibus adstringitur. Sed et quosdam Scripturæ locos ita leviter tangit, ut interdum menti non occurrat quid velit, nisi partem Evangelii quam explanat prælegeris. Ipse ut plurimum evangelica dicta gestave strictim percurrendo ea animo sistit. Tum litteræ sensum nonnunquam paucis indicat. At præcipuus ac fere totus illius labor est in spiritalibus et abstrusis sensibus investigandis.

IV. *Interpretandi ratio.* — Non enim tantum vetus instrumentum, sed etiam novum, præter simplicem intelligentiam, altera etiam altiore, interiore et spiritali refertum esse existimabat: *Sermo Dei*, inquit cap. 12, n. 9, *dives est, et ad argumentum positus intelligentiæ plurimam de se exemplorum copiam præbet: et vel simpliciter intellectus, vel inspectus interius, ad omnem profectum est necessarius. Sed relictis his quæ*

ad communem intelligentiam patent, causis interioribus immoremur. Quibus verbis declarat, duplicem illam intelligentiam utilem ac necessariam esse, se vero interiori potissimum et spiritali adhærere; et hoc quidem, quia simplex cuique per se obvia, communem captum non superet.

V. *Ex intimis ipsius Scripturæ sensibus est petita.* — Hanc autem adorsus interpretandi rationem, se non propriam animi sententiam sectatum, neque ad cogitata Scripturas, sed ad Scripturas cogitata accommodasse cap. 7, n. 8, profitetur his verbis : *Non nos intelligentiam fingimus; sed gesta ipsa intelligentiam impertiuntur. Neque enim res intelligentiæ, sed rei intelligentia subsecundat.* Fatetur quidem c. 19, n. 4, ut et sæpissime alias, quod res omnes, quæ scriptæ sunt(in evangelio) gestæ effectæque sunt. At statim admonet *ea, quæ sub Deo* (Christo) *agebantur, præsentium effectibus, consequentium formam prætulisse : atque ita semper in Scripturis cœlestibus sermonem temperatum fuisse, ut non minus his quæ gerebantur, quam eorum quæ gerenda essent similitudini convenirent.*

VI. *Qua ratione indaget quod Spiritus sanctus latenter significavit.* — Ea ut assequatur, quæ in evangelicis scriptis dictisve præfigurari sibi persuasum est, observare solet ordinem rerum gestarum, verborum proprietates, nec non locorum, temporum ac personarum rationem : hisque omnibus probe perpensis atque perspectis, contendit nonnumquam fieri vix potuisse, quin, præter litteræ sensum, alium quemdam spiritalem nobis Spiritus sanctus significare voluerit. Eam ob rem factum esse putat, ut nonnihil aliquando ad perfectam rerum præsentium tractationem desideraretur. *Sicut in cæteris admonuimus*, inquit cap. 21, n. 13, *hic quoque meminisse nos oportet, rationi rerum præsentium aliquid interdum ea conditione deesse, ut futurorum species sine damno aliquo præfiguratæ* (*f.* præfigurantis) *efficientiæ expleatur.*

VII. *Hoc semper præstat salva historiæ veritate.* — Hujus autem spiritalis intelligentiæ, rerum circumstantium ratione habita, necessitatem ita quandoque exprimit, ut nisi sæpe sæpius obtestatus esset, illibatum se velle litteræ sensum, hunc prorsus repudiare videretur. Crederes, verbi gratia, cap. 10, n. 17, eum negare, verbis : *Veni enim separare filium adversus patrem*, etc., ullam a propinquis carnalibus præcipi separationem, nisi eam jam antea cap. 4, n. 19, ubi ipsi scandalo sunt, omnino necessariam eorumdem verborum auctoritate docuisset. Quibuslibet igitur verbis declaret aliquid in Scripturis aliud, quam quod sonat, intelligendum esse, hoc ita accipiendum est, *ut*, quemadmodum monet cap. 2, n. 2, *meminerimus veritatem non idcirco corrumpi, si gerendis rebus interioris intelligentiæ ratio subjecta sit.* Quod etiam in Psal. CXXIII, n. 5, tradidit his aliis verbis : *Fides historiæ non periclitatur, si rebus effectis inesse et connexam sibi extrinsecus significantiam existimemus.* Dum autem sedulo quærit quod sub dictis gestisve evangelicis latet, nihil ei occurrit familiarius, quam legis et Evangelii, Ecclesiæ et Synagogæ, Judæorum et Gentium seu Christianorum status, quem iis dictis ac gestis præformatum esse enarrat. In his sat celebris est Judæorum distinctio, eorum videlicet paucorum numero, qui Evangelio paruerunt, et eorum longe plurimorum, qui restiterunt.

VIII. *Operis hujus nomenclatura.* — An vero ad populum ista peroraverit, incertum. Immo cum cap. 19, n. 11, *libri* nomine hoc opus ipse nuncupet; certum est non in modum concionum in lucem fuisse editum. In quibusdam mss. inscribitur : *Tractatus super Matthæum*; in aliis : *Expositio super Matthæum*; in cæteris : *Commentarium super Matthæum*: quo nomine constanter ab Hieronymo appellatur, ipsomet Hilario suffragante, cap. 5, n. 1, ubi de oratione Dominica *commentandi necessitate* se a B. Cypriano liberatum memorat.

IX. *Indubitatus est Hilarii fetus.* — Nihil est cur in illis commentariis Hilario asserendis diutius immoremur. Non enim tantum antiqui tradidere commentarios in Matthæum ab illo editos; sed et cum iis quos præ manibus habemus consentiunt, quæ ex illis descripsere Hincmarus lib. de Prædest. c. 25, Augustinus, post Pelagium, lib. de Nat. et Grat. c. 62, et Hieronymus epist. CXLV. Qui quidem quanti illos fecerit, initio hujus admonitionis jam audivimus. Dicere etiam liceat Ambrosium ex iis plurimum profecisse. Certe Lucam exponens, iis in locis in quibus hic evangelista cum Matthæo convenit, sententias ut plurimum aut imitatur, aut memorat, quas in his commentariis noster Hilarius consignavit.

X. *Præfatio deest quam ediderat.* — Hos præfatione auctos viderat Joannes Cassianus. Sic enim lib. VII de Incarn. c. 24, postquam plura retulit ex libris Hilarii de Trinit. excerpta, subjicit : *Item ejusdem in proœmio expositionis Evangelii secundum Matthæum : Erat namque primum necessarium nobis, ut unigenitus Deus nostri causa homo, id quod tum non erat, gigneretur. Item in eodem : Tertium deinceps illud congruum fuit, ut quia Deus homo genitus in mundo, et cætera.* Præfationem eamdem viderat et Alcuinus. Quamquam suspicamur vehementer, ex ea illum nihil aliud vidisse, quam quod apud Cassianum legerat. Hujus quippe verba describens post medium lib. IV contra Felicem Urgel. sic habet : *Hilarius* (ex Cassiano addendum *vir*) *virtutum omnium atque ornamentorum, et sicut vita, ita et eloquentia insignis, in libro fidei secundo*, etc. *Idem in proœmio expositionis Evangelii secundum Matthæum : Erat namque primum necessarium nobis, ut unigenitus Deus nostri causa homo cognosceretur.* Sed et ex ipsismet Hilarii verbis initio num. 2, cap. 1, apparet aliquid nobis deesse, in quo de Christi generatione præfatus sit.

XI. *De elencho argumentorum.* — Proœmii loco nunc habetur titulorum seu argumentorum in 33 capita distributorum elenchus. Hic in prius vulgatis *elenchus canonum* inscriptus est, ex eoque et commentarius omnis in canones divisus est. Cujus inscriptionis ac nuncupationis ratio quia non omnibus obvia

est; ab re non erit inquirere, unde profecta et num probanda sit. Hoc per se cuique perspectum fore speramus, postquam expenderimus quæ titulis illis auctoritas debeatur.

XII. *Illius auctor.* — Ambigi potest an auctor eorum Hilarius habendus sit: utpote quorum elenchus nonnihil barbare ordinatus videtur, et non satis accurate, dum omittit nonnulla, de quibus satis fuse disseritur; alia vero continet, quæ deinceps vix attingantur. Præscribitur v. g., cap. 15: *De lavandis manibus, et non ea quæ in os intrant, sed ea quæ ex ore exeunt inquinare;* cum nihil tractetur, quod huic titulo aperte respondeat. Addimus et hoc capitis 13, in quo prænotantur tituli *de seminante bonum semen, de zizania et tritico*, licet in enarratione de his parabolis nec verbum fiat. Nescio tamen an non plus valere debeat illa ratio, ut elenchus ille Hilario adjudicetur, quam ut ei abjudicetur. Ipse enim sibi potuit initio quædam proponere, quibus deinde non immorandum judicarit: non potuit alter ex illius scriptis nisi rerum quæ tractantur argumenta colligere. Hinc magna nobis oboritur suspicio, titulos illos jam Hilarii ævo in evangeliorum exemplaribus prænotatos fuisse, illumque ex iis selegisse, quorum utiliorem duceret explanationem. Quamquam enim in totum Matthæi evangelium excurrit, non singula tamen illius verba, sed selectos dumtaxat ex singulis capitibus titulos enarrat. Quod et Origenem ante ipsum fecisse planum est ex commentariis illius ab Huetio vulgatis, in quibus Matthæi evangelium sub certis titulis illustratur. Hoc vero illa ætate usitatum confirmat Hieronymus de Script. eccles. ubi Fortunatianum Aquileiensem episcopum *in evangelia titulis ordinatis brevi et rustico sermone commentarios scripsisse* commemorat. Quæ cum ita sint, opinari licet, Hilarium etsi non ipsorum titulorum, saltem eorum collectionis seu prævii indicis fuisse auctorem. At certe non recentiorem eum existimare cuiquam permittitur, quem plerique mss. etiam antiquiores exhibent sub hac inscriptione: *Incipiunt capitula sancti Hilarii super Matthæum.* Quocirca eumdem indicem cum suis titulis integrum ad illorum fidem exprimendum duximus, nec quidquam mutandum, etiamsi forte accuratius aliquid confici potuisset.

XIII. *Elenchi in fronte librorum ab antiquis positi.*— Certe titulorum hujusmodi elenchum in fronte librorum proponendi morem antiquum esse fidem faciet *canon hebraicæ veritatis* ab ipso Hieronymo compositus, ac tandem aliquando in lucem edendus. In eo namque videre est in ipso cujusque libri limine Indicem titulorum varios in numeros distinctorum, qui quidquid libro subsequente comprehendatur summatim exhibeant. Hi autem indices *Capitula* et *Tituli* promiscue inscribuntur, puta, *Incipiunt capitula libri Exodi; Incipiunt tituli libri Levitici; Incipiunt tituli libri Deuteronomii; Incipiunt capitula libri Josue*, etc. Ita etiam in antiquioribus mss. libris Augustini de Civitate Dei ante ipsos libros præponitur Index variis duntaxat numeris distinctus, quibus deinde capitum A nomen inditum est, in quo summa habetur eorum quæ quolibet libro continentur. Porro hic index in Corbeiensi codice a mille annis exarato *canon* nuncupatur. Inscriptus enim legitur in hunc modum: *Aurelii Augustini episcopi contra Paganos de Civitate Dei incipit liber primus prælato Canone, quo indicatur quid liber quisque contineat:* et ad calcem elenchi seu Indicis *finit canon librorum decem.*

XIV. *Non recte in canones hoc opus distributum. Unde hoc factum sit.*—Ex his facile jam quisque animadvertit unde in his Hilarii commentariis canonis vocabulum obtinuerit, et num recte obtinuerit. Nullum quidem ms. codicem vidimus, in quo occurrat hoc *canonis* vocabulum. Fieri tamen posse concedimus, ut ubi in nostris mss. legere est, *Incipiunt capitula* libri B sancti Hilarii, in nonnullis præferatur, *Incipit canon libri sancti Hilarii:* atque ita exstitisse credimus in codice alias sancti Benigni Divionensis, ex quo primum vulgatus est hic commentarius. At cum Hieronymus *canonem* hebraicæ veritatis hoc vocet, quod nos diceremus complexionem omnium librorum, quos in veras scripturas Hebræi recipiunt; cumque librorum Augustini *canon* id sit, quod nobis Index et elenchus eorum quæ iis libris continentur: patet titulum initio indicis vulgatum, scilicet *Elenchus canonum* non probandum esse, multo minus *canonis* nomen ad singulas commentarii sectiones repeti debere. Quocirca *canonis* loco vocabulum *capitis* ut usitatius atque receptius substituemus, et unicuique capiti suos titulos, uti jam antea factum est, commoditatis C ergo adscribemus, quamvis in mss. tantum in indice, qui operi præponitur, locum habeant. In his enim commentarius totus una serie continuatur, nulla capitum aut titulorum adjectione interruptus. In quibusdam dumtaxat, eisque non potioribus, numeri annotantur iis fere in locis, in quibus antea canones, nunc capita præscribuntur.

XV. *Tempus hujus operis.*—De tempore hujus operis non videtur tacendum. At nulla subest nota, unde certo asseratur. Quantum tamen ex illius cum aliis Hilarii scriptis comparatione licet assequi, ante alia opera et ante exsilium ipsius, proindeque ante ann. 356, compositum opinamur. Non enim virum sapit multis adversus Arianos commissis jam præliis exercitatum. Certe in psalmorum expositionibus nullam D asserendæ Christi divinitatis elabi sinit occasionem. At in hoc commentario, ut alia mittamus, cap. 2, n. 6, Patris de Filio suo testimonium, imo præclaram Petri confessionem cap. 16, n. 6, sic attingit, quasi Arianos non cognovisset. Saltem de eorum argutiis nondum probe instructum eum fuisse manifeste apparet ex cap. 31, n. 3, ubi catholice quidem quantum ad sensum, quantum autem ad verba minus circumspecte scribit, Filium *natum esse ex eo qui erat, et hoc in eo esse qui natus est, quod is ipse est penes quem erat antequam nasceretur; eamdem scilicet æternitatem esse et gignentis et geniti.* Hoc certe inficiabitur nemo scriptum esse ante libros de Trinitate, in quibus, sed maxime in duodecimo, magno studio

multisque argumentis disputatur, illud *antequam nasceretur*, in æterna Filii generatione nullum omnino locum habere. Quanto magis concedendum est tractatus in psalmos, in quibus libri de Trinitate memorantur, hoc eodem commentario esse posteriores? Ignotos tamen ei tum non fuisse prædictos hæreticos liquet non tantum ex postremis capitibus, sed etiam ex cap. 15, n. 12. Cum autem Arianorum hæresis in Gallorum notitiam tardius pervenerit, adeo ut Hilarius, quemadmodum ipse testatur lib. de Synodis, n. 91, *fidem Nicænam numquam nisi exsulaturus* audiisset; hinc colligi quodam modo potest non longe ante exsilium ipsius fuisse compositum. Si autem scripsit etiam antequam fidem Nicænam audiret, cum in eo opere Filium *unius substantiæ* cum Patre non semel affirmet: nec frustra loco laudato de synodis testificatur, sese illam fidem ex evangeliis et apostolis didicisse. *Regeneratus pridem*, inquit, *et in episcopatu aliquantisper manens, fidem Nicænam numquam nisi exsulaturus audivi: sed mihi homousii et homœusii intelligentiam evangelia et apostoli intimaverunt.*

XVI. *De Trinitatis unitate.* — Siquidem ea sese offert occasio, ut in sanctissimæ Trinitatis confessione hæc nostra lucubratiuncula finiatur, hanc præclaro illo cap. 13, n. 6, testimonio absolvimus, quod *in Patre et Filio et Spiritu sancto, sine admixti extrinsecus fermenti necessitate in Christo, omnia unum sint.* In quo etiam habet lector specimen eorum, quæ in hoc commentario scriptorum codicum subsidio et auctoritate reddita sunt pristinæ puritati. Sic enim illud omne antea perturbate et mendose obtinebat: *In Patre et Filio et Spiritu sancto, in ea admixti extrinsecus fermenti necessitate in Christo omnia unum sunt.* Qui autem apud Hilarium quæritant disertam de Spiritu sancti divinitate sententiam, hanc interim teneant, donec ad libros de Trinitate plenius eis satisfiat.

CAPITULA

COMMENTARII SANCTI HILARII (a) IN EVANGELIUM MATTHÆI.

I. *De nativitate Christi, et de Magis cum muneribus, ac de infantibus occisis.*

II. *De Jesu regresso ex Ægypto, et de prædicatione Joannis et baptismo ipsius, et de Domino baptizato.*

III. *De tentatore diabolo, et de jejunio Jesu quadraginta diebus, de Petro et Andræa piscatoribus.*

IV. *De beatitudine et præceptis, de reconciliatione fratrum, de adulterio, de oculo et manu eruenda, de juramentis et eleemosyna.*

V. *De oratione et jejunio, de thesauro in cœlo, de lucerna corporis, de duobus dominis, de cibo et vestitu, de volatilibus et liliis agri et fœno, de sollicitudine diei, de festuca et trabe in oculo.*

VI. *De margaritis ante porcos, de pseudo-propheta, de domo ædificata supra petram.*

VII. *De leproso quem curavit, de puero tribuni paralytico, de socru Petri, de plurimis et diversis curis.*

VIII. *De discipulis in navi excitantibus Jesum, de duobus dæmoniacis in terra Gerasenorum,* (b) *de paralytico curato et lectum auferente.*

IX. *De Matthæo publicano, de pharisæorum et discipulorum Joannis jejunio,* (c) *de assuto panno rudi, de profluvio mulieris, de filia principis excitata a mortuis, de duobus cæcis, de surdo et muto.*

X. (d) *Ubi duodecim discipulos præmittit cum doctrina.*

XI. *Joannes de carcere ad Jesum mittit, et Jesus de Joanne ad turbas loquitur. Item confessio Jesu ad Patrem.*

XII. *Discipuli spicas vellunt.* (e) *Manum aridam hominemque sabbato curavit Jesus. Cæcum et dæmoniacum curavit. De blasphemia spiritus, de fructu arboris bonæ et malæ, de omni verbo otioso,* (f) *de Ninivitis et regina Austri, de septem spiritibus et octavo, de matre Jesu et fratribus.*

XIII. *Sedens in navicula Jesus turbis parabolas loquitur de seminante bonum semen, de zizania et tritico, de grano sinapis, de fermento absconso in farina, et expositio zizaniæ, de thesauro in agro, de bona margarita, de reti misso in mare.*

XIV. *De scriba in regno cœlorum, de fratribus et sororibus Domini, de Joannis capite in disco, de quinque panibus et duobus piscibus, ubi supra mare ambulat, et Petrum mersum erexit.*

XV. *De lavandis manibus, et non ea quæ in os intrant, sed ea quæ ex ore exeunt inquinare, de filia Chananeæ mulieris, de septem panibus et paucis piscibus.*

(a) In prius vulgatis, *Elenchus Canonum Divi Hilarii in Evangelium Matthæi, ordine quo ab eo editi sunt.* Cur non probanda sit hæc inscriptio, diximus in admonitione, ubi ostendimus etiam *capitula* idem esse atque *titulos*. Præterea observare quisque potuit apud Hieronymum, Augustinum et alios Patres, sententiam quamlibet e Scripturis expressam *capitulum* appellari: qua intelligentia eadem vox etiamnum in officiis ecclesiasticis usitata est.

(b) Articulus hic ad cap. IX pertinet secundum mss. ex quibus ponimus *auferente*, pro *ferente*.

(c) In mss. *de assumpto*, etc. In vulgatis, *de adsutu panni rudis*.

(d) Editi, *misertus turbarum Dominus duodecim discipulos præmittit cum potestate et doctrina*, etc., reluctantibus mss. e quibus codex Majoris monasterii Turonensis, pro *discipulos*, habet *apostolos*, quod et in Vindocinensi manus antiqua ad marginem adscripsit.

(e) Sic mss. Editi vero, *manus aridæ hominem curavit. Cæcum.*

(f) Auctoritate mss. removimus hinc verba, *de signo Jonæ*, quæ cap. XVI locum suum obtinent.

XVI. (a) *De Jonæ prophetæ signo. De fermento pharisæorum, de confessione Petri et benedictione Domini, et* (b) *de se abnegando qui Christum sequi voluerit.*

XVII. *Ubi in monte cum Moyse et Elia videtur, et vox de cœlo auditur, ubi puerum lunaticum* (c) *solvit, de credentium fide, de didrachma postulata, et statere in ore piscis.*

XVIII. *De infantibus inhibitis, et de humilitate eorum assumenda, de manu et pede et oculo eruendo, et de ove perdita, de corripiendis fratribus secreto primum, tum duobus testibus, postremo ecclesia præsente. Semper ignoscendum.* (d) *Qui conservum suum, remisso sibi a domino debito, suffocat.*

XIX. (e) *Uxorem non debere dimittere, de eunuchis, de infantibus inhibitis. Divitem difficile introire in regnum cœlorum.*

XX. *De spe apostolorum, de novissimis primis efficiendis. Ubi conducuntur operarii ad vineam. De filiis Zebedæi, de primo accubitu, de duodus cæcis secus viam sedentibus.*

XXI. *De asina et pullo ejus, de ejectis a templo nummulariis, de ficu maledicta, de duobus filiis ad vineam missis, de publicanis et meretricibus.*

XXII. *De vinitoribus qui missos ad se ob repetendos fructus interficiunt, de invitatis promiscuis et veste nuptiali.*

XXIII. *De tributo et imagine Cæsaris, de eadem septem fratrum uxore, de mandatis maximis, de David filio.*

XXIV. *De cathedra Moysi super quam sederunt scribæ et pharisæi, de* (f) *clauso ab iisdem regno cœlorum, et ab iisdem comedi domos viduarum, circumeuntibus mare et aridam, et dicentibus :* Quicumque juraverit in templo, nihil est, *et decimantibus mentam et anethum, et ædificantibus sepulcra prophetarum, et de Jerusalem quæ interficit prophetas, et lapidat eos qui ad se missi sunt.*

XXV. *De structura templi interrogantibus discipulis, et de his qui in tecto sunt, ne descendant tollere aliquid de domo ; et qui in agro sunt, ne revertantur tollere tunicam suam, et de prægnantibus et nutrientibus.*

XXVI. *De sole obscurato, luna et stellis.*

XXVII. *De servo fideli quem constituit dominus super familiam suam, de decem virginibus, de homine in peregre profecto, qui tradidit substantiam suam servis suis.*

XXVIII. *De adventu filii hominis venientis* (g) *in majestate sua.*

XXIX. *De muliere, quæ accessit ad Jesum in domum Simonis leprosi habens alabastrum unguenti pretiosi.*

XXX. *De die prima azymorum, in qua accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes,* Ubi vis paremus tibi comedere pascha?

XXXI. *Cum venit Jesus in agrum qui dicitur Gethsemani, et dicit discipulis suis :* Sedete donec eam illuc orare, (h) *et de tristi anima sua usque ad mortem, de calice si possibile est transire a se, de spiritu prompto et carne infirma, et rursum,* (i) Pater, non potest hic calix transire nisi illum bibam? fiat voluntas tua.

XXXII. *De Juda, qui erat unus de duodecim discipulis, veniente ad Jesum cum plurima turba ut eum traderet ; de gladio quem jussit Petro convertere in locum suum.*

XXXIII. *De Pilato : cum sederet pro tribunali, misit ad illum uxor sua, dicens :* Nihil tibi sit et justo isti. *De transeuntibus juxta crucem qui movebant capita sua, et dicebant :* Hic est qui destruebat templum et in triduum illud reædificabat.

(a) Hic articulus in mss. postremus est capituli superioris.

(b) Hunc articulum omittunt mss.

(c) In vulgatis, *salvat.*

(d) In mss. capitulum subsequens ab his verbis inchoatur.

(e) His præmittunt editi, *Transit in Galilæam.*

(f) Mss. *cluso :* et mox, *et circumeuntium*, pro *circumeuntibus.*

(g) Editi, *ad judicium cum majestate sua :* refragantibus mss.

(h) Ita mss. Editi vero, *et tristata est anima ejus usque ad mortem. Et de calice mortis quod dixit, Pater, si possibile est, transeat a me calix iste. De spiritu*, etc. Tum in mss. *promptu*, non *prompto.*

(i) Editi hic adjiciunt, *de eo quod dixit.*

668

SANCTI HILARII

IN EVANGELIUM MATTHEI COMMENTARIUS.

(SCRIPTUS CIRCA ANNUM CCCLV.)

CAPUT PRIMUM.

De nativitate Christi, et de Magis cum muneribus, ac de infantibus occisis.

1. *Christi ex regio et sacerdotali genere ortus.* — (a) Gradum, quem Matthæus in ordine regiæ successionis ediderat, Lucas in sacerdotali origine computat. Quem dum uterque dinumerat, cognationem in Domino utriusque tribus uterque significat. Recteque

(a) In editis hic frustra præferebatur, *Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abrahæ*, etc.,

generationis gradus ponitur : quia sacerdotalis et regiæ tribus societas per David ex conjugio inita, jam a Salathiel in Zorobabel confirmetur ex genere. Atque ita dum Matthæus paternam originem, quæ ex Juda proficiscebatur, recenset, Lucas vero acceptum per Natham ex tribu Levi genus edocet (*Luc.* III, 24) ; suis (*a*) quibusque patribus Domino nostro Jesu Christo, 669 qui est æternus et rex et sacerdos, etiam in carnali ortu utriusque generis gloriam probaverunt. Quod vero Joseph potiusquam Mariæ nativitas recenseatur, nihil refert : eadem enim est totius tribus atque una cognatio. Exemplum autem etiam Matthæus et Lucas dederunt, patres invicem appellantes, non tam genere quam gente : quia ab uno tribus cœpta, sub unius successionis et originis familia continetur. Cum enim filius David atque Abrahæ esset (*b*) ostendendus, quia ita Matthæus cœpit ; *Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abrahæ* (*Matth.* I, 1) : (*c*) non differt quis in originis numero atque ordine collocetur, dummodo universorum familia cœpta esse intelligatur ab uno. Ita cum ejusdem tribus sit Joseph et Maria ; dum profectus esse ex Abrahæ genere Joseph ostenditur, profecta quoque docetur et Maria. Hæc enim in lege ratio servata est, ut si mortuus sine filiis familiæ princeps fuisset, defuncti uxorem posterior frater ejusdem cognationis acciperet, susceptosque filios in familiam ejus qui mortuus esset 670 referret (*Deut.* XXV, 5) : maneretque ita (*d*) in primogenitis successionis ordo, cum patres eorum, qui post nati essent, aut nomine haberentur, aut genere.

2. *Cur generationes quædam omissæ. Cur quatuordecim ubi tantum tredecim recensentur.* — Sequens illud est, ut quia (*e*) diximus, secundum rerum fidem, generationis istius ordinem nec numero sibi nec successione constare ; hujus quoque rei ratio afferatur. Non enim levis causa est, ut aliud in narratione sit, aliud fuerit in gestis ; et aliud referatur in summa, aliud vero teneatur in numero. Namque ab Abraham usque ad David quatuordecim generationes enumeratæ sunt, (*f*) et David usque ad transmigrationem Babylonis generationes quatuordecim, cum in Regnorum libris decem et septem deprehendantur. Sed in hoc non mendacii aut negligentiæ vitium est. Tres enim (*g*) ratione præteritæ sunt. Nam Joras genuit Ochoziam, Ochozias vero genuit Joam, Joas deinde Amasiam, Amasias autem Oziam (IV *Reg.* VIII, 25). Et in Matthæo Joras Oziam genuisse scribitur, cum quartus ab eo sit. Hoc ita (*supple*, factum est), quia ex gentili femina Joras Ochoziam genuit, (*h*) ex Achab scilicet domo : dictumque erat per prophetam, non nisi quarta generatione in throno regni

absque ulla mss. auctoritate. Deinde mirum est quantum inter se dissideant excusi et mss. Namque editio opera Badii Ascensi excusa, cum Erasmo qui eamdem editionem recognovit, sic auspicatur : *Gressus quem Matthæus et Lucas in ordine regiæ successionis ediderant : quem dum uterque dinumerat, et agnitionem in Domino utriusque tribus uterque significat, et rectæ generationis gradum ponit : quia sacerdotalis*, etc. Lipsius autem nomine Martinus, ac post eum editio Parisiensis, *Gressum quem Matthæus in ordine regiæ successionis, eum Lucas per sacerdotalem ordinem ediderat : quem dum*, et cætera ut apud Bad. nisi quod *agnationem* mox habeant, pro *agnitionem*. Tres vero mss. puta, Michaelinus, monasterii Silvæ majoris, et Beccensis, *Gressum quem Matthæus in ordine regiæ successionis ediderat, prosequitur et Lucas, quem dum*, cætera cum Bad. consentientes, nisi quod postea subjiciant, *recteque generationis gradus ponitur*. Codex majoris monasterii Turon. ac Vindocinensis, *Gressus quem Matthæus in ordine regiæ successionis ediderat, quem dum*, etc., ut in superioribus mss. Vaticanus, *Gressus quem Matthæus in ordine regiæ successionis, et quem Lucas per sacerdotalem ordinem dinumerat, uterque agnitionem in Domino utriusque tribus significat*, etc. His omnibus prætulimus lectionem, quam omnibus numeris suis absolutam exhibet lectionarium Germanense ms. a qua non dissidet unus codex Colbertinus, nisi quod initio, pro *gradum*, habeat *gressum*, et *agnitionem* pro *cognationem*. Quamquam multum propendebamus in id quod præ se ferunt mss. S. Petri Carnutensis, et alter Colbert. si vel vocem addere licuisset : *Genus quod Matthæus et Lucas in ordine regiæ* (hic videtur deesse, *et sacerdotalis*) *successionis ediderat, dum uterque dinumerat, et agnitionem in Domino utriusque tribus significat, recte generationis gradus ponitur*. Cum lectionario autem *cognationem*, vel cum Par. *agnationem*, vocabulo *agnitionem* præferendum esse patet ex cap. 11, n. 6. Satis probabile est primam hanc partem ad prœmium pertinere, atque hinc natam esse tantam inter codices dissensionem, quod cum præcedentia dilapso ex archetypis exemplaribus folio excidissent, adeoque hujus commentarii initium claudicaret, a pluribus pro suo captu desudatum sit, ut demptis aut adjectis aliquot verbis plena et integra sententia haberetur.

(*a*) Editi, *uterque*, ne uno quidem suffragante ms. in quorum plerisque legere est *quisque* ; in tribus autem, *quibusque*. Tum cum Par. et ms. Reginæ Suecorum, quem vocabimus Rom. retinemus *patribus*, cum in aliis libris exstet *partibus*.

(*b*) Ita mss. Editi vero, *sit ostendendus*, omisso deinde *quia*, cujus loco lectionarium German. habet *quare*.

(*c*) Excusi, *non refert*, refragantibus mss. Tum in Carn. et Colb. *quis quo in originis numero*. Eo spectant illa Chrysostomi homil. 2 in Matth. : *Non solum de alia tribu, sed ne de familia quidem altera fas erat conjugia copulari. Ita istud, quod dicitur ex domo esse et familia David, sive Virgini copuletur, constabit dictum ; sive ipsi Joseph potius aptetur, illud idem conficitur.*

(*d*) Ms. Rom. *in progeniti successione*. Carn. et Colb. *in primogenito*, et mox cum Par. *qui post se nati* : ubi in ms. Bec., *qui prius nati*. Nihil immutaveris : cum primogeniti hic prædicentur haberi patres eorum qui post se nascuntur.

(*e*) Expunctum est in ms. Bec. verbum *diximus*, quo sane memorat Hilarius quod prologo proposuerat.

(*f*) Hunc locum ex German. lectionario resarcimus. At mss. Carnut. et unus Colb. hic proxime subjiciunt, *cum in Regnorum libris*. Apud Bad., Er. et Lips. post *usque ad transmigrationem Babylonis*, sequitur, *in quibusdam libris decem et septem deprehenduntur*. His etiam magis decurtata est lectio septem mss. qui post *enumeratæ sunt*, habent dumtaxat, *et in aliis libris deprehenduntur. In hoc ergo non*, etc.

(*g*) In plerisque mss. *generationes*.

(*h*) Ita quatuor melioris notæ mss. In aliis, *ex Achab scilicet. Prædixerat namque Dominus per prophetam*. At in vulgatis, *ex Achab scilicet, qui Jezabel habuit uxorem. Denique per prophetam..... esse sessurum dicitur* : perversa interpolatoris opera. Non

Israel quemquam de domo Achab esse sessurum. Purgata (*a*) igitur Achab familia gentili, tribusque præteritis, jam regalis in quarto generationum consequentium origo numeratur. (*b*) Quod vero usque ad Mariam generationes quatuordecim esse scribuntur, cum in numero (*c*) tredecim reperiantur; nullus error esse poterit scientibus non eam solum esse Domino nostro Jesu Christo originem, quæ cœpit ex Maria; sed in procreatione (*d*) corporea, nativitatis æternæ significantiam comprehendi.

3. *In eos qui nolunt Mariam virginem permansisse.*— Generationis autem (*e*) ratio simplex est. Nam conceptum ex Spiritu sancto, natum ex Maria virgine, omnium opus prophetarum est. Sed plures (*f*) irreligiosi, et a spiritali doctrina **671** admodum alieni, occasionem ex eo occupant turpiter de Maria opinandi, quod dictum sit, *Priusquam convenirent, inventa est in utero habens* (*Matth.* I, 18) : et illud, *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam* (*Ibid.* 20) : et illud, *Non cognovit eam donec peperit* (*Ibid.* 25) ; non recordantes desponsatam fuisse, et dictum hoc Joseph volenti eam abjicere ; quia justus ipse nollet in eam lege decerni. Igitur ne qua de partu ejus ambiguitas existeret, ipse concepti ex Spiritu sancto Christi testis assumitur : dehinc quia desponsata esset, (*g*) in conjugem recipitur. Cognoscitur itaque post partum id est, transit in conjugis nomen. Cognoscitur enim, non admiscetur. Denique cum transire Joseph ad Ægyptum admonetur, ita dicitur : *Accipe puerum et matrem ejus;* et, *Revertere cum puero et matre ejus* A (*Matth.* II, 13 *et* 20); et rursum in Luca (*Luc.* II, 33, *juxta græc.*) : *Et erat Joseph et mater ejus.* Et quotienscumque de utroque fit sermo, mater potius Christi, quia id erat; non uxor Joseph est nuncupata, quia non erat. Sed hæc quoque ab angelo ratio servata est : ut cum desponsatam cum justo Joseph significabat, conjugem nuncuparet. Nam ita ait : *Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam.* Ergo et conjugis nomen sponsa suscepit, et post partum in conjugem recognita (*h*) tantum Jesu mater ostenditur : ut quemadmodum justo Joseph deputaretur ejusdem Mariæ in virginitate conjugium, ita venerabilis ejus ostenderetur in Jesu matre virginitas.

4. *Josepho ex priore conjugio filii.* — Verum homines pravissimi hinc præsumunt opinionis suæ B auctoritatem, quod plures Dominum nostrum fratres habuisse sit traditum. Qui sit Mariæ filii fuissent, et non potius Joseph (*i*) ex priore conjugio suscepti; numquam in tempore passionis Joanni apostolo transcripta esset in matrem, Domino ad utrumque dicente : *Mulier, ecce filius tuus* (*Joan.* XIX, 26 *et* 27) ; et Joanni : **672** *Ecce mater tuas* nisi quod ad desolatæ solatium, charitatem filii (*j*) in discipulo relinquebat.

5. *Magorum fides et munera quid indicent.*—Stellæ autem ortus primum a Magis intellectus, indicat mox gentes in Christum credituras, et homines professionis longe a scientia divinæ cognitionis (*k*) aversæ, lumen quod statim in ortu ejus exstitit cognituros.

enim gentilis feminæ nomine Jezabel hic significatur, C sed filia Achab quam Joras uxorem duxit, ex qua Ochoziam genuit. Respicit Hilarius illud IV Reg. VIII, 18, et II Paral. XXI, 6, ubi cum dicitur Joram fecisse malum in conspectu Dei, redditur ratio, *Filia enim Achab erat uxor ejus.* Prophetia Eliæ enuntiatur III Reg. XXI, 21, confirmaturque IV Reg. IX, 8, non tantum adversus quatuor generationes, sed adversus totam domum Achab : quod completum memoratur IV Reg. X, 30.

(*a*) In aliquot mss. et vulgatis, *purgata igitur labe familiæ gentilis* : lectio eatenus non spernenda. At perverse omnino in solis vulgatis subjicitur : *tribus : quæ præteritis jam regulis.* Tum Bad., Er. et Lips. *in quatuor generationum consequentium ordine numeratur.* Pro *in quarto*, quidam mss. habent *in quarta*, non alio sensu.

(*b*) Editi, *et usque*, pro *quod vero usque* : emendantur ex scriptis.

(*c*) Editi, *decem et septem reperiantur* : falso et D obnitentibus mss. Tredecim tantum generationes a Jechonia ad Joseph intercipi, una cum Hilario observant Chrysostomus homil. I, Hieronymus et auctor homiliæ Hilario adscriptæ, quam in Appendice forsitan dabimus.

(*d*) Sic plerique mss. At editi, *corporeæ nativitatis æternam significantiam.*

(*e*) In German. lectionario, *ratio non simplex.* Generationis ratio simplex hic asseritur, quia ex una Virgine, non ex viro et femina.

(*f*) Eosdem videtur notasse Epiphanius hær. LXXVIII, n. 7, ubi ait : *Certo ex auctore cognovi, nonnullos id de illa affirmare ausos esse, postquam Salvatorem peperit, cum viro consuetudinem habuisse.* Nisi forte hæc Epiphanii ad Helvidium aut Jovinianum Hilario posteriores referenda sint. At potuit Hilarius Hebionis discipulos respicere. Certe Tertullianus libr. de Vel. Virgin. num. 6, adversus eorum magistrum asserit Mariæ virginitatem, *quam utique*, inquit, *virginem constat fuisse, licet Hebion resistat.*

(*g*) Bad., Er. et Lips. cum pluribus mss. *in conjuge* vel *in conjugem reciperetur* : lectio non spernenda. Reprehendit 1° Hilarius *non recordantes desponsatam fuisse* : tum duplicem subjicit rationem cur Joseph dictum sit : *Noli timere accipere Mariam conjugem*, scilicet et ut testis esset concepti ex Spiritu sancto Christi, et ut Maria, quæ hactenus tantum desponsata erat, deinceps etiam in conjugem reciperetur. Non servantur quidem hic grammaticæ leges : sed eas in sequentibus ne nimis scrupulose exegeris. Brevitatis enim studio sæpenumero negliguntur.

(*h*) Mss. Carn. et Colb. *tantum ut Jesu mater ostenderetur* : non sunt audiendi.

(*i*) In German. lectio. *ex priore conjuge.* Joseph ex priore conjugio filios ac filias procreasse tradunt. Epiphanius, hær. LXXVIII, n. 7, Theophilactus in Matth. XIII, aliique quos Origenes in Matth. ex editione Huetii, p. 223, observat ad id adductos *traditione Evangelii quod secundum Petrum inscribitur, vel libri Jacobi.* His ipse adjicit se rationi consentaneum ducere, castitatis virorum *primitias fuisse Jesum, mulierum autem Mariam.* Contra Hieronymo adversus Helvidium longe magis consentaneum videtur, *etiam ipsum Joseph virginem fuisse, ut ex virginali conjugio virgo filius nasceretur.*

(*j*) Sola editio. Par. *discipulo*, sine *in*. Eodem adversus eamdem hæresim argumento utuntur Chrysostomus homil. V, in Matth.; Epiphanius, hær. LXXVIII, n. 9; Ambrosius, lib. II, in Luc., n. 4; quamquam hic Joseph passionis tempore superstitem ponens eo aliter utatur.

(*k*) Beccensis codex, *aversos* : quod etiam habet Mich. a secunda manu. Rectius alii, *aversæ*, scil. *professionis.* Non obscure tradit Hilarius Magos, quod non

Denique oblatio munerum intelligentiam in eo totius (*a*) qualitatis expressit : in auro regem, in thure Deum, in myrrha hominem confitendo. Atque ita per venerationem eorum, sacramenti omnis est consummata cognitio : in homine mortis, in Deo resurrectionis, in rege judicii. Quod vero repetere iter, atque ad Herodem in Judæam redire prohibentur (*Matth.* II, 12) : nihil a Judæa petere scientiæ agnitionisque permittimur, sed in Christo salutem omnem et spem locantes, admonemur prioris vitæ itinere abstinere.

6. *Quid fuga Christi in Ægyptum. Innocentes, martyres.* — Parante autem Herode (*b*) parvuli necem, Joseph per Angelum monetur, ut eum in Ægyptum transferat (*Ibid.* 13) : Ægyptum idolis plenam, et omnigenum deum monstra venerantem. Jam post Judæorum insectationem, et in exstinguendo eo profanæ plebis assensum, Christus ad gentes inanissimis religionibus deditas transit : et (*c*) Judæam relinquens, ignoranti eum sæculo colendus infertur, Bethlehem, id est, Judæa, martyrum sanguine redundante. Herodis vero furor et infantium interfectio, populi Judaici in Christianos sævientis est forma : existimantis se beatorum Martyrum cæde posse in omnium fide et professione Christi nomen exstinguere.

7. *Ecclesia dolet Judæorum perditionem.* — Sed gloriosus per prophetam neci eorum honor redditur, dicentem, *Vox in Rama audita est, ploratus et ululatus multus, Rachel plorans filios suos : et noluit consolari, quia non sunt* (*Jerem.* XXXI, 15; *et Matth.* II, 18). Rachel Jacob uxor fuit diu sterilis; sed nullum ex his quos genuit amisit. Verum hæc in Genesi Ecclesiæ typum prætulit. Non igitur illius vox et ploratus auditur, quæ nullum habuit amissorum filiorum dolorem, sed hujus Ecclesiæ diu sterilis, nunc vero fecundæ. Hujus ploratus ex filiis, non idcirco quia peremptos dolebat, auditur; sed quia ab his perimebantur, quos primum genitos filios retinere voluisset. Denique consolari se noluit quæ dolebat. (*d*) Non enim non erant ii, qui mortui putabantur; in æternitatis enim profectum per martyrii gloriam efferebantur. Consolatio autem rei amissæ erat præstanda, non auctæ. men eorum sonat, magicæ arti fuisse deditos : quod rursum docet lib. II, de Trin., n. 27, et lib. IV, n. 36, eaque in re consentientes habet Ignatium, epist. ad Ephes.; Justinum, Dial. cum Tryph. Origenem lib. I, contra Cels.; Ambrosium, lib. II, in Luc., n. XLVII et XLVIII; Hieronymum, in Esa. XIX et XLVII, qui tamen ab hac opinione recedere videtur in Dan. c. II, ubi ait : *Consuetudo autem et sermo communis Magos pro maleficis accepit, qui aliter habentur apud gentem suam, eo quod sint philosophi Chaldæorum, et ad artis hujus scientiam reges quoque et principes ejusdem gentis omnia faciunt.*

(*a*) In tribus mss. *totius æqualitatis.*

(*b*) Duo mss. *parvulo.* Quatuor alii, *parvulis;* et mox, *ut Jesum*, pro *ut eum.* Verba evangelica, *futurum est enim ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum*, postulant *parvuli* aut *parvulo.* Caput II. in mss. incipit a superioribus verbis, *Parente autem*, etc.

(*c*) Editi, *Judaicam relinquens ignorantiam sæculo*, etc., emendantur ope mss. in quorum plurimis corrupte exstat *ignorantium sæculo.* Hic *sæculum* cognominatur gens a Deo aliena; quomodo in ps. I, n. 6, *sæcularis vir*, qui ad Christum non pertinet.

(*d*) Erasmus in quodam codice reperisse se testatur, *Neque enim erant ii qui*, etc., quod non rejicit eo sensu, *Neque enim erant mortui, qui mortui putabantur :* minus tamen ad rem. Vult quippe Hilarius hæc verba, *quia non sunt*, non consentanea esse iis qui persecutionem fuerint passi, qui nedum non sint, melius sunt; sed iis qui illam excitando ab Ecclesiæ sinu exciderint, eique adeo sint perditi, ut jam vere non sint.

(*e*) Beccensis ms. *sed gerendis.* Diligenter retinenda hæc Hilarii præmonitio, ne deinceps reconditos aperiens Scripturæ sensus, rerum videatur offendere veritatem.

(*f*) Apud Par. *venitur;* et mox, *in vacuam sancti Spiritus habitationem;* mendose.

673 CAPUT II.

De Jesu regresso ex Ægypto, et de prædicatione Joannis et baptismo ipsius, et de Domino baptizato.

1. *Joseph apostolorum typus.* — Post quæ, mortuo Herode, Joseph per Angelum monetur, ut in Judæam cum puero et matre ipsius redeat (*Matth.* II, 20). Et revertens cum Archelaum Herodis filium regnare audisset, timuit eo venire (*Ibid.* 21) : et per angelum monetur, ut in Galilæam transeat, et in regionis ejus civitate Nazareth inhabitet. Reverti ergo ad Judæam monetur : et reversus timet. Et rursum visu admonitus, transire ad regionem gentium jubetur. Sed aut timere eum qui admonitus sit non oportuit, aut per angelum deferri admonitio mox mutanda non debuit. Verum typica ratio servata est. Joseph enim apostolorum habet speciem, quibus Christus circumferendus est creditus. Hi tamquam Herode mortuo, id est, populo ejus in passione Domini deperdito, Judæis prædicare sunt jussi; missi enim erant ad oves perditas domus Israel : sed manente hæreditariæ infidelitatis dominatu metuunt et recedunt. Admoniti per visum, sancti scilicet Spiritus donum in gentibus contemplantes, ad eas transferunt Christum, Judææ missum, sed vitam et salutem gentium nuncupatum.

2. *Joannis locus, prædicatio, vestitus, cibus.* — *In diebus illis venit Joannes prædicans in deserto Judææ, dicens, Pœnitentiam agite; appropinquavit enim regnum cœlorum*, etc. (*Matth.* III, 1). In Joanne locus, prædicatio, vestitus, cibus est contuendus : atque ita, ut meminerimus gestorum veritatem non idcirco corrumpi, (*e*) si gerendis rebus interioris intelligentiæ ratio subjecta sit. Fuerant enim prædicanti et locus opportunior, et vestitus utilior, et cibus aptior : sed subest gestis rebus exemplum, et in eo operatio ipsa meditatio est. Nam et ad desertam Judæam (*f*) venit, desertam Dei frequentatione, non populi; et vacuam sancti Spiritus habitatione, non hominum : ut prædicationis locus, eorum quibus prædicatio erat missa, solitudinem protestaretur. Pœnitentiam quoque regno cœlorum propinquante pronuntiat, per quam est

reditus ab errore, et recursus a crimine, **674** et post (*a*) vitiorum pudorem professio desinendi : ut deserta Judæa meminisset eum se susceperturam, in quo cœlorum est regnum ; non vacuam deinceps futuram, si se a veteribus vitiis pœnitentiæ confessione purgasset. Pilis etiam camelorum vestis adtexta, peregrinum propheticæ istius prædicationis habitum designat : cum exuviis immundarum pecudum, quibus pares (*b*) existimamur, Christi prædicator induitur ; fitque sanctificatum habitu prophetali, quidquid in nobis vel inutile fuerat ante, vel sordidum. Zonæ autem præcinctio, efficax in omne opus bonum est apparatus : ut ad omne ministerium Christi (*c*) voluntate simus accincti. In esum etiam eliguntur locustæ, fugaces hominum, et ad omnem adventus nostri sensum evolantes : nos scilicet, qui ab omni sermone et congressu prophetarum (*d*) ip is quibusdam corporum saltibus efferebamur. Voluntate vagi, operibus inutiles, verbis queruli, (*e*) fide peregrini, nunc sumus sanctorum alimonia et satietas prophetarum electi simul cum melle silvestri : dulcissimum ex nobis cibum, non ex alveariis legis, sed ex truncis silvestrium arborum præbituri.

A

3. *Filios Abrahæ vel diaboli facit fides aut infidelitas.* — Tali igitur Joannes habitu prædicans, venientes Pharisæos et Sadducæos ad baptismum, *progenies* nuncupat *viperarum* : fructum dignum pœnitentiæ faciant monet, neve Abraham patrem habere se glorientur, quia ex lapidibus Deus potens est Abrahæ filios excitare (*Matth.* III, 7-9). Non enim successio carnis quæritur, sed fidei hæreditas. Dignitas igitur originis in operum consistit exemplis : et prosapiæ gloria fidei imitatione retinetur. (*f*) Diabolus infidelis, Abraham fidelis. Nam ille in hominis transgressione fuit perfidus, hic vero justificatus ex fide est. Igitur uniuscujusque mores atque vita propinquitatem cognationis acquirit : ut qui fideles sunt, Abrahæ propago per fidem sint ; qui autem infideles sunt, in diaboli progeniem infidelitate mutentur : quando et Pharisæi viperarum natio nuncupantur, et gloriatio **675** sanctificati parentis eis inhibetur, et ex saxis ac rupibus Abrahæ filii excitantur, et ut operantes dignos fructus pœnitentiæ sint admonentur : ut qui diabolum patrem habere cœperant, cum eis, qui de lapidibus excitarentur, rursum Abrahæ filii per fidem fiant.

B

4. *Christus noster servator et judex.* — Securis vero radicibus arborum apposita testatur (*Matth.* III, 10) (*g*) jus præsentis in Christo potestatis, infructuosarum arborum cæde et concremationc significans inutilis perfidiæ excidium (*h*) conflagrationi judicii præparari. Et quia Legis opus (*i*) esset jam inefficax ad salutem, et Joannes baptizandis in pœnitentiam nuntius exstitisset (prophetarum enim officium erat a peccatis revocare, Christi vero proprium, salvare credentes) ; se quidem baptizare in pœnitentiam dicit, sed fortiorem esse venturum, cujus ferendorum (*j*) calceamentorum sit indignus officio (*Ibid.* 11) : apostolis circumferendæ prædicationis gloriam derelinquens, quibus speciosis pedibus pacem Dei erat debitum nuntiare (*Esa.* LII, 7). Salutis igitur nostræ et judicii tempus designat in Domino, dicens, *Ille baptizabit vos in Spiritu sancto et igni :* quia baptizatis in Spiritu sancto, reliquum sit consummari (*k*) igne judicii. *Habens ventilabrum in manu, et purgabit aream suam, et congregabit triticum suum in horreum ; paleas autem comburet igni inextinguibili* (*Matth.* III, 12). Ventilabri opus est, ab infructuosis fructuosa discernere. Quod in manu Domini sit, arbitrium indicat potestatis, triticum suum, perfectos scilicet credentium fructus, horreis recondentis ; paleas vero, (*l*) id est, inutilium atque infructuosorum hominum inanitatem, igni judicii concremantis.

C

5. *Hominem assumptione, aquas lavacro sanctificavit.* — *Tunc venit Jesus* (*m*) *a Galilæa in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo* (*Ibid.* 13) ; et readsimile est illud, quo in psal. CXLIII, n. 11, primum prædicat adventu Domini confractam et obtritam diaboli potestatem ; ac deinde subjicit, *Præsentis subjectionis conditione ultioni et pœnæ legitimæ præparatur.*

D

(*a*) Ab effectu confessio hic significatur.

(*b*) Gentes nimirum. Unde infra cap. 19, n. 11 : *In primordio libri, sub vestitu Joannis, in camelo gentes significari admonuimus.*

(*c*) Editi, *voluntatis cingulo.* In quatuor mss. exstat *voluntatis*, in cæteris, *voluntate ;* sed in nullo vox *cingulo.*

(*d*) Er., Lips. et Par. *impiis quibusdam :* Bad. et mss. magno consensu refragantibus.

(*e*) In vulgatis ac pluribus mss. *sede.* Magis placet cum mss. Colb. et Carnut. *fide.*

(*f*) Hoc vocabulum alia ab Hilario, quam a cæteris Patribus, ratione pronuntiatum fuisse, cum non constet ex mss. in quorum vetustissimis legere est *diabulus ;* in quibusdam *zabulus*, in aliis *diabolus ;* hoc posteriore modo constanter scribendum curavimus, cum interdum *diabolus*, sæpius *zabulus* in prius vulgatis obtinuerit.

(*g*) Ita ms. Carn. cum Colb. At *vim*, non *jus*, præfert sola editio Par. In aliis autem libris deest *testatur jus præsentis in Christo potestatis.* Mox ex iis quidam pro *significans*, habent *significat.*

(*h*) Ms. Becc. *confractione :* quinque alii, *conflagratione :* male. Vult Hilarius infideles, dum jam excidunt, igni quo in judicio conflagrabunt præparari. Haud

(*i*) Carnutensis codex cum Colb. *esset etiam inefficax.* Melius in aliis *jam.* Rursum legem *jam inutilem atque inefficacem* prædicat Hilarius c. 7, num. 1. Viderint nostri temporis hæretici, annon magnum ponat discrimen inter baptisma Christi et Joannis.

(*j*) In vulgatis hic adjicitur *ac solvendorum*, quod neque habent mss. neque postulat Matthæi textus aut Hilarii expositio : quippe qui Christi calceamenta ferre, interpretatur gloriam prædicationis circumferre. Nec quidquam habet, quod ad eorumdem solutionem pertineat.

(*k*) Quia, uti docetur in psal. CXVIII, n. 5 : *Est perfectæ emundatio puritatis etiam post baptismi aquas reposita... quæ judicii igni nos decoquat.*

(*l*) Non exstat illud *id est* in mss. Superius apud Bad., Er. et Lips. legere est *recondendum*, loco *recondentis ;* et infra *concremandos*, pro *concremantis :* quod etiam in postremam editionem Par. revocatum.

(*m*) Editi, *in Galilæam :* cum sacro textu renitentibus mss.

liqua. Erat in Christo Jesu homo (*a*) totus; atque ideo in famulatum (*b*) spiritus corpus assumptum, omne in se sacramentum nostræ salutis explevit. (*c*) Ad Joannem igitur venit ex muliere natus, constitutus sub lege, et per Verbum (*d*) caro **676** factus. Ipse quidem lavacri egens non erat, quia de eo dictum est, *Peccatum non fecit* (1 *Pet.* II, 22); et ubi peccatum non est, remissio quoque (*e*) ejus est otiosa. Sed assumptum ab eo creationis nostræ fuerat et corpus et nomen : atque ita non ille necessitatem habuit abluendi, sed per illum in aquis ablutionis nostræ erat sanctificanda purgatio. Denique et a Joanne baptizari prohibetur, ut Deus (*Matth.* III, 14) : et ita in se fieri oportere, ut homo edocet (*Ibid.* 15). Erat enim per eum omnis implenda justitia, per quem solum lex poterat impleri. Atque ita et prophetæ testimonio lavacro non eget, et exempli sui auctoritate humanæ salutis sacramenta consummat, hominem et assumptione sanctificans et lavacro.

6. *Baptismi nostri effectus in Christi baptismo adumbrati.* —Ordo etiam in eo arcani cœlestis exprimitur. Nam baptizato eo, reseratis cœlorum aditibus, Spiritus sanctus emittitur, et specie columbæ visibilis agnoscitur, et istius modi paternæ pietatis unctione perfunditur. Vox deinde de cœlis ita loquitur : (*f*) *Filius meus es tu, ego hodie genui te* (*Ibid.* 17). Filius Dei auditu conspectuque monstratur, plebique infidæ et prophetis inobedienti testimonium de Domino suo mittitur et contemplationis et vocis : ac simul ut ex eis quæ consummabantur in Christo cognosceremus, post aquæ lavacrum, et de cœlestibus portis sanctum in nos Spiritum involare, et cœlestis nos gloriæ unctione perfundi, et paternæ vocis adoptione Dei filios fieri; cum ita dispositi in nos sacramenti imaginem ipsis rerum effectibus veritas præfiguraverit.

CAPUT III.

De tentatore diabolo, et de jejunio Jesu quadraginta diebus, de Petro et Andræa piscatoribus.

1. *Tunc Jesus ductus est in desertum ab Spiritu, ut tentaretur a diabolo* (*Matth.* IV, 1), et reliqua. Et in desertum traductio, et quadraginta dierum jejunium, et post jejunium fames, et satanæ tentatio, et responsio Domini, magni cœlestisque consilii effectibus plena **677** sunt. Nam quod in desertum ductus est, significatur libertas (*g*) Spiritus sancti, hominem suum jam diabolo offerentis, et permittentis tentandi et assumendi occasionem, quam non nisi datam tentator habuisset. Erat igitur in diabolo de metu suspicio, non de suspicione cognitio : movebatur enim quadraginta dierum jejunio. Sciebat totidem diebus aquas (*h*) abyssi effusas (*Gen.* VII, 17), exploratam repromissionis terram, Moysi legem a Deo scriptam, annorum quoque, quibus plebs in eremo vita angelorum habituque mansit, hunc numerum fuisse expletum. Igitur istius temporis metu, in tentando eo, quem hominem contuebatur, sumpsit temeritatem. Adam enim pellexerat, et in mortem fallendo traduxerat. Sed ita dignum nequitia ejus et scelere erat, ut in eo, cujus morte et calamitatibus gloriabatur homine vinceretur; et qui Dei beneficia homini invidisset, ante tentationem Deum in homine intelligere non posset. Tentatur igitur statim post baptismum Dominus, tentatione sua indicans in sanctificatis nobis maxime diaboli tentamenta grassari : quia victoria ei est magis exoptata de sanctis.

2. *Fames Christi qualis.* —Non cibum etiam hominum esuriit, sed salutem : nam post quadraginta dies, non in quadraginta diebus esuriit (*Matth.* IV, 2), Moyse et Elia in eodem jejunii tempore non esurientibus. Igitur cum esuriit Dominus, non inediæ subrepsit operatio : (*i*) sed virtus illa, quadraginta

(*a*) Id est, *omnis homo*. Hunc locum illustrant hæc tract. psal. XIII, n. 4 : *Quia non nisi ex assumptione carnis nostræ hi morbi essent nostri corporis auferendi, ex assumptione carnis salutiferæ omnis* (caro) *in Domino est*, etc. necnon illa l. II, de Trin. n. 25 : *Non ille equit homo effici... sed nos equimus ut Deus caro fieret, et habitaret in nobis, id est, assumptione carnis unius interna universæ carnis incoleret* : ad hoc scilicet, *ut sanctificatum in eo universi generis humani corpus existeret*, ut ibidem explicatur, n. 24. Hinc, infra, c. 4, n. 12, Christi caro civitas nuncupatur, quia *in eo, per naturam suscepti corporis, quædam universi generis humani congregatio continetur*. Hoc posito principio, sequitur recte de Christo quædam prædicari, quæ non conveniant nisi nobis.

(*b*) Id est, Verbi : cujus in famulatum corpus assumitur, dum per conjunctionem suam ita ei subest, ut quidquid agit, Verbi personæ attribuatur. Haud multum igitur differt corpus *in famulatum spiritus* assumi, et in Verbo subsistere, seu in unitatem personæ Verbi assumi.

(*c*) In pluribus mss. *ad Jordanem*.

(*d*) Non per virum. Jam enim observatum est hæc Angeli ad Mariam, *Spiritus sanctus superveniet in te*, de ipsomet Verbo dicta Hilarium intellexisse. Unde lib. II, de Trin., n. 24 : *Filius Dei*, inquit, *natus ex Virgine est et Spiritu sancto, ipse sibi in hac operatione famulante, et sua, Dei videlicet, inumbrante virtute, corporis sibi initia consevit.*

(*e*) In duobus mss. *ei*. Mox quid sibi vult *creationis nostræ*, nisi carnis in Adam primum creatæ et ab eo ad nos usque propagatæ? Pluribus hujusmodi locis refelluntur, qui Hilarium sensisse volunt Christum ex Maria nihil accepisse.

(*f*) Ita hunc locum etiam a Justino martyre lectum fuisse observatum est col. 278, not. *i*, quam videsis.

(*g*) Id est, divinæ Verbi naturæ, cujus libertas ideo consideratur, ne quis existimet Christum necessitate et non sponte fuisse tentatum; atque ita nihil habere supra hominem, cui tentatio obvenit, etsi non vincit, sine ipsius voluntate. Mox in ms. Mich. *quam nisi datam*, omisso *non*.

(*h*) Plures mss. *abyssis effusas*.

(*i*) In uno ms. Colb. *sed velut illo quadraginta dierum non motus jejunio*. In Rom. *sed velut illud*, etc. ut in Colb. In quinque aliis, ut apud Bad. *sed vultus illa quadraginta dierum non motæ* (vel *non mota*) *jejunio*. Omnino retinenda est lectio, quam præferimus cum Er., Lips. et Par. Paucis verbis hic insinuat Hilarius quamdam in Christo naturam fuisse, quæ ex se esuritioni obnoxia minime fuerit, quæque præstare potuerit ut nec humana esuriret, ac proinde esuriem ei non obrepsisse invito, sed cum voluit naturæ suæ hominem defeli-

dierum non mota jejunio, naturæ suæ hominem dereliquit. Non enim erat a Deo diabolus, sed a carne vincendus : quam utique tentare ausus non fuisset, nisi in ea per esuritionis infirmitatem quæ sunt hominis recognovisset. Quam utique in eo sentiens ita orsus est : *Si filius Dei es* (*Matth.* IV. 3). Anceps sermo est, *si filius Dei es*. Licet esurientem videret, quadraginta tamen dierum in eo jejunium pertimescebat. Qua rerum ratione indicat, post quadraginta dierum conversationem, quibus post passionem in sæculo erat commoraturus, esuritionem se humanæ salutis habiturum. Quo in tempore, exspectatum Deo patri munus, hominem quem assumpserat reportavit.

3. *Quid diabolus Christi deitatem explorare, vel patientiam tentet frangere. Christus Deus et homo.*— Contuendum itaque nunc illud est, quibus tandem interrogationibus usus sit. Ait : *Si* **678** *filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* Fallax diabolus, et ad traducendum artifex callidissimus, posse omnia Christum sciebat, et esuritionem in homine ex ipso jejunii tempore sentiebat, ignarus quidnam esuriretur. Eam ergo in tentando conditionem operis proposuit, per quam et in Deo, ex demutatione lapidum in panes, virtutem potestatis agnosceret ; et in homine, oblectamento cibi, patientiam (*a*) esuritionis illuderet. Sed Dominus non panem potius, quam salutem hominum esuriens, ait : *Non in pane solo vivit homo* (*Ibid.* 4) : quia ipse non solum homo, sed et Deus, licet usque in tentationis diem cibo hominis abstineret, Dei tamen Spiritu alebatur : ostendens non in pane hoc solitario, sed in Verbo Dei alimoniam æternitatis esse sperandam.

4. *Diabolus silet quæ contra se : jactantia cavenda.* — Sequens etiam interrogatio talis est, cum eum in summum templi sustulisset : *Si filius Dei es, mitte te deorsum*, et reliqua (*Ibid.* 6). Laborat tentatione Dominum de excelsis ad inferiora deducere : et positum in templi summo, id est, super leges et prophetas eminentem, in humilibus continere. Sciebat quidem et ministeria angelorum prompta esse Dei filio, neque in lapidem posse offensionis incidere (*Psal.* XC, 12 *et* 13) : quippe super aspidem et basiliscum ambulaturum, et calcaturum leonem et draconem. De his enim quæ in se dicta sunt tacuit ; sed superiora memorando, vult quoquo modo obedientiam elicere (*b*) tentato ; relaturus hinc gloriam, si sibi Dominus majestatis, licet per confidentiam, paruisset. Sed nulla diabolo contigit tantæ fraudis occasio, idipsum Domino tempore posteriore testante, cum dicit : Venit princeps hujus sæculi, et non invenit in me quidquam (*Joan.* XIV, 30). Digna igitur hanc ejus petulantiam Domini est secuta responsio : *Non tentabis Deum et Dominum tuum* (*Matth.* IV, 7). Diaboli conatus et tentamenta (*c*) contundens, et Deum se protestatur et Dominum : docens a fidelibus abesse oportere jactantiam, quia cum omnia possibilia Deo sint, nihil tamen in tentationem ejus audendum sit.

5. *Tentationum Christi idem ordo, qui Adæ. Honor sæculi, opus diaboli.* — Sed jam tertio tota diabolicæ potestatis commovetur ambitio. Constituto igitur Domino in monte excelso, universa orbis terrarum regna, eorumque gloriam obtulit, si modo adoraretur ipse (*Ibid.* 8 *et* 9). Jam gemina responsione opinionem suspicionis excesserat. Cibo Adam pellexerat, et de paradisi gloria in peccati locum, id est, in regionem vetitæ arboris deduxerat : tertio divini nominis ambitione corruperat, diis futurum similem pollicendo. Igitur adversus Dominum tota jam sæculi potestate pugnatur, et Creatori suo possessio hujus universitatis offertur : ut tenens ordinem fraudis antiquæ, quem neque **679** cibo pellexerat, nec loco moverat, nunc vel ambitione corrumperet, Sed responsio Domini dignum de superioribus gradum fecit. Ait enim : *Vade* (*d*) *satana. Scriptum est enim, Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (*Ibid.* 10). Temeritatis tantæ congruum exitum tulit, cum et criminum suorum in *satana* nomen audivit, et Dominum Deum suum adoderit. Hic porro locus ad illustrandam ejusdem doctoris tum de passione tum de morte Christi sententiam tam aptus visus est, ut eum non inconsiderate transeundum duxerimus. Ex eo quippe liquet veram eum et corporalem esuriem Christo attribuere, quamvis hujus occasione spiritalem quamdam prædicet. Ut quid enim homo post jejunium naturæ suæ a Deo derelictus est, nisi ut paterētur quæ ex jejunio hominum natura pati solet ? præsertim cum spiritalis illa salutis humanæ fames neque Deum dedeceat. Neque vero nisi ad corpoream esuritionem pertinet, quod ait diabolum in Christo homine *per esuritionis infirmitatem ea quæ sunt hominis* recognovisse.

quere. Cum autem subjicit hominem ideo naturæ suæ derelictum, quia diabolus a carne, non a Deo erat vincendus ; diserte declarat se virtutis derelinquentis nomine divinam Verbi naturam intelligere. Simili ratione ostendit numero superiori, Christum non tentatum fuisse nisi cum voluit, cum nimirum Spiritus sanctus, hoc est Verbum, hominem suum diabolo tentandum permisit, ut in homine vinceretur. Ita ex iis ipsis locis, ex quibus hæresim suam tueri conabantur, sive Hebionitæ, eorumque sectatores Paulus Samosat. atque Photinus, qui nihil in Christo præter hominem esse asserebant, sive Ariani, qui divinam in ipso naturam nolebant confiteri : ex iis, inquam, locis studiose demonstrare solet, et in Christo aliquid præter hominem ac supra hominem esse, et hoc ipsum esse Deum. Hinc nemo non videt cur singularem illam Christi naturam, quam divinam ipse intelligit, non proprio *Dei* nomine, sed generalibus *spiritus* et *virtutis* vocabulis maluerit appellare, puta ut ad hæreticorum sermonem se accommodaret. Certe *virtutis* vocabulum, ubi Hilario de Christo sermo est, ad divinam ipsius naturam non referri nusquam animadvertimus. De ejusdem vi non ambiget, qui vel unum caput 9, n. 7, expen-

(*a*) In aliquot mss. *esurientis*. Hic rursum in humana Christi natura corpoream agnoscit Hilarius esuritionem, ita veram, ut per eam patientiæ meritum obtineat diaboli invidia dignum.

(*b*) Quatuor mss. *tentator*. Mox *per confidentiam*, id est, ut rerum Dominus : *naturæ scilicet ejus confidentiam non oblitus, qua in assumptione licet hominis non carebat*, ut loquitur in psal. LIV, n. 2.

(*c*) Mss. Carn., Rom., Colb. *contemnens*.

(*d*) Carnutensis codex, *vade retro post me, satana*.

randum in homine cognovit. Præbuit etiam hujus responsionis effectu magnum nobis Dominus exemplum : ut (*a*) contempta humanæ potestatis gloria, et sæculi ambitione postposita, solum meminissemus Deum et Dominum adorandum ; quia omnis sæculi honor diaboli sit negotium. Post hanc ergo diaboli fugam, Angeli Christo ministrant (*Matth.* IV, 11) ; ostendentes (*b*), a nobis victo calcatoque diaboli capite, et Angelorum ministeria, et Virtutum in nos cœlestium officia non defutura.

6. *Apostolorum priorum vocatio quid designet.* — *Cum audisset autem Jesus, quod Joannes traditus esset, secessit in Galilæam* (*Ibid.* 12). Transitus in (*c*) Capharnaum, et prophetia Esaiæ, rei gestæ ordo est. In piscatorum vero (*d*) electione, ex hominum arte futuri eorum officii opus proditur ; ut piscibus e mari, ita hominibus deinceps e sæculo in locum superiorem, id est, in lumen cœlestis habitaculi protrahendis. Quibus et artem et patrias et domos relinquentibus, docemur Christum secuturi, et sæcularis vitæ sollicitudine, et paternæ domus consuetudine non teneri. In quatuor vero primum Apostolis eligendis, præter rerum fidem, quia et ita gestum est, futurorum Evangelistarum numerus præfiguratur. Galilæam igitur circuit, et in synagogis prædicat regni Evangelium : et omnium ægritudinum infirmitates medendo, factis ipse se profert : ut quem in prophetarum voluminibus legere erant soliti, præsentem operibus contuerentur.

CAPUT IV.

De beatitudine et præceptis, de reconciliatione fratrum, de adulterio, de oculo et manu eruenda, de juramentis et eleemosyna.

1. *Christus in monte, quid.* — Congregatis igitur pluribus turbis, montem conscendit, et docet (*Matth.* V, 1) : in paternæ scilicet majestatis positus celsitudine, cœlestis vitæ præcepta constituit. Non enim æternitatis instituta, nisi in æternitate positus, tradidisset. Denique ita scriptum est : *Aperuit os suum, et docebat eos* (*Ibid.* 2). Locutum eum fuisse, promptius erat dicere. Sed quia in gloria paternæ majestatis (*e*) institerat, et æternitatem 632 docebat, idcirco ad motum Spiritus eloquentis obedisse ostenditur humani oris officium.

2. *Humilitatis causæ et præmium.* — *Beati pauperes spiritu ; quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Ibid.* 5). Exemplo Dominus docuerat humanæ ambitionis gloriam relinquendam, dicens : *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (*Matth.* IV, 10). Et cum se per prophetas populum humilem et ad verba sua trementem (*f*) præmonuisset esse electurum (*Esai.* LXVI, 2) ; in spiritus humilitate perfectæ beatitudinis posuit exordium. Igitur humilia spirantes, id est, esse se homines recordantes, in cœlestis regni possessione (*g*) constituti, conscii sibi ex sordentibus ac tenuissimis se principiis coalitos in hanc formam perfecti corporis procreari, et in hunc sentiendi, contuendi, judicandi, agendi sensum, Deo profectum ministrante, procedere : nihil cuiquam suum esse, nihil proprium, sed cunctis dono parentis unius eadem et veniendi in vitam tribui primordia, et utendi (*h*) ea substantiam ministrari : ac nos optimi illius, qui nobis sit ista largitus, exemplo, perfunctæ in nos bonitatis ejus esse æmulos oportere ; ut boni omnibus simus, communia omnia omnibus existimemus ; nulla nos nec sæcularis fastus insolentia, nec opum cupiditas, nec inanis gloriæ ambitio corrumpat : sed subjecti Deo simus, et de communione vivendi in omnes communis vitæ charitate teneamur, magnum etiam in eo, quod nati sumus, divinæ bonitatis futurum profectum (*i*) existimantes, cujus præmium atque honor præsentis vitæ operibus sit merendus : atque ita per hanc spiritus humilitatem qua de Deo nobis meminerimus et indulta omnia, et deinceps potiora speranda, cœlorum regnum erit nostrum.

3. *Beati mites ; quoniam ipsi hæreditabunt terram.* (*Matth.* V, 4). Mitibus terræ hæreditatem pollicetur, id est, ejus corporis, quod ipse Dominus assumpsit habitaculum (*Vid. infra, n.* 12). Quia per mansuetudinem mentis nostræ habitaverit Christus in nobis, nos quoque 631 gloria clarificati ejus corporis vestiemur.

4. *Cujus luctus erit consolatio.* — *Beati lugentes ; quoniam ipsi consolabuntur* (*Ibid.* 5). Lugentibus æternæ consolationis solatia repromittit. Non orbitates aut contumelias aut damna mœrentibus, sed peccata vetera flentibus, et criminum quibus obsordescimus conscientia ærumnosis, hæc sedula in cœlo consolatio præparatur.

5. *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam ; quoniam ipsi saturabuntur* (*Ibid.* 6). Sitientibus et esurientibus justitiam, beatitudinem tribuit : significans extensam in Dei doctrinam sanctorum aviditatem bonis perfectæ in cœlo satietatis expleri.

(*a*) In tribus mss. *contemplata.*

(*b*) In potioribus mss. *ostendens*, barbara quidem lectio, sed forte sincerior, pro *quod indicio est.*

(*c*) Sic mss. quibus verbis obiter memoratur illud Matth. : *Relicta civitate Nazareth habitavit in Capharnaum... ut adimpleretur quod dictum est per Esaiam*, etc. Male igitur in Bad. et nonnullis mss. *proditus in Capharnaum et prophetæ Esaiæ.* Nec melius in editis aliis, *transiens in Capharnaum et prophetæ*, etc.

(*d*) In quibusdam mss. *allectione.*

(*e*) Beccensis codex, *instituerat* : Rectius alii, *institerat*, hoc est, *positus erat*, supple, *nec ab ea recesserat.*

(*f*) Editi, *præmonuit esse lecturum* : corriguntur ex potioribus mss.

(*g*) Apud Par. *constituit, conscii.* Minus male in Colb. ms. post *constituit*, positum est *conscios.*

(*h*) In vulgatis, *eadem.* Rectius in mss. *ea*, scil. vita.

(*i*) Eadem in psal. CXVIII, n. 1, luculentius edisseruntur in hunc modum : *Neque enim quisquam tam demens aut inops sensu est, ut in id cum nullus esset natum se existimet, ut rursum postquam natus est nullus esset : cum sine dubio meminerimus ex Dei bonitate profectum esse quod natus est, nec id in bonitatem ejus malitiæ cadat, ut in nobis hoc suum munus quo nascimur interimat.*

6. *Beati misericordes; quoniam ipsis miserebitur Deus* (*Matth.* v, 7). Misericordibus misericordiæ munera præparat. In tantum enim Deus benevolentiæ nostræ in omnes delectatur affectu, ut misericordiam suam sit (*a*) solis misericordibus præstiturus.

7. *Dei conspectum ferre nequit immundus. — Beati mundo corde; quoniam Deum ipsi videbunt* (*Ibid.* 8). Mundis corde conspectum Dei spondet. Nihil enim pollutum et sordidum ad occursum divinæ claritatis insistit, et ad conspectum Dei acies (*b*) obsoletæ mentis hebetatur : eos scilicet et visui et occursui Dei esse (*c*) patentes, quibus per animi nitorem ac vitæ puritatem potestas sit contuendi. Non enim nisi spiritu perfecti, (*d*) et immortalitate immutati, quod solis mundis corde dispositum est, hoc quod in Deo est immortale cernemus.

8. *Beati pacifici; quoniam filii Dei vocabuntur* (*Ibid.* 9). Pacificorum beatitudo adoptionis est merces, ut filii Dei maneant; parens enim omnium Deus unus est. Neque aliter transire in nuncupationem familiæ ejus licebit, nisi oblivione earum rerum assumpta, quibus possemus offendi, fraternæ invicem charitatis pace vivamus.

9. *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam*, et reliqua (*Ibid.* 10). Perfecta ad postremum A eos beatitudine muneratur, quibus omnia pro Christo pati (*e*) pronus affectus est : quia ipse justitia est. His igitur et regnum reservatur, et merces 682 in cœlo copiosa promittitur, qui in contemptu sæculi pauperes spiritu, et damnis rerum præsentium jacturisque probrosi, et adversus maledicta hominum cœlestis justitiæ confessores, ac deinceps gloriosi promissorum Dei martyres, omnem vitæ usum testimonio (*f*) æternitatis ejus impenderint.

10. *Sal terræ apostoli. — Vos estis sal terræ. Quod si sal* (*g*) *infatuatum fuerit : ad nihilum valet id quod salietur* (*Matth.* v, 12). Sal, ut arbitror, terræ nullum est : quomodo ergo apostolos sal terræ nuncupavit? Sed proprietas est quærenda dictorum, quam et apostolorum officium, et ipsius salis natura monB strabit. Sal est in se uno continens aquæ et ignis elementum; et hoc ex duobus est unum. Hic igitur (*h*) in unum usum humani generis effectus, incorruptionem corporibus quibus fuerit adspersus impertit, et ad omnem sensum conditi saporis aptissimus est. Apostoli autem sunt rerum cœlestium prædicatores, et æternitatis velut satores : immortalitatem omnibus corporibus, quibus eorum sermo adspersus fuerit, (*i*) conserentes, atque, ut Joannes superius testis est, sacramento aquæ ignisque per-

(*a*) Abest *solis* a quatuor non inferioris notæ mss. et abesse debet, si sola hujus capitis verba evangelica respiciantur. Non expunximus tamen, ne forte ad verba Christi cap. xxv, 55, respectus sit.

(*b*) Aliquot mss. *subsoleta eminus* : corrupte. Ab hoc obsoletæ mentis vitio aberat propheta, qui in psal. CXXII, n. 1, memoratur : *Incrementis competentibus contemplandi Dei usus, per modica et dimensa admissæ sibi lucis intervalla, ad consuetudinem totius luminis præparatus.*

(*c*) Ita ms. Bec. cum antiquis edit. Alii vero mss. *patientes* : quod verbum non displiceret, si cum secundo casu jungeretur. Quippe in psal. CXXXVIII, n. 21, humana infirmitas occursum Dei fugere dicitur ob *impatientiam visionis*. Legitur quidem hic apud Par. *visus et occursus Dei esse patientes* : sed absque auctoritate. Verbum *patere* Hilario familiare est, ut videre est in psal. CXVIII, et in psal. CXXXI, n. 6.

(*d*) Excusi, *et jam mortalitate immutati*. Rectius aliquot mss. *et immortalitate*, quomodo et apud Augustinum lib. de Nat. et Grat. c. 62, olim legit Pelagius, qui hæc Hilarii verba ad hæresis suæ patrocinium detorquere conabatur. Ad quem Augustinus ibid. *Quid dixerit* (Hilarius) *contra id quod dicimus, vel quid istum* (Pelagium) *adjuvet, nescio, nisi quia posse esse hominem mundo corde testatus est. Quod quis negat? sed gratia Dei per Jesum Christum Dominum, non sola arbitrii libertate.* Reipsa munditiem et confidentiam Pelagianam sexcentis locis explodit Hilarius, qui humanæ naturæ corruptelam, ignorantiam, et infirmitatem passim inculcat. Illi verbi gratia minime favet quod ait in ps. CXXXVI, n. 5, et CXLV, n. 2, hominem ab insitis naturæ suæ dotibus per peccatum excidisse. Neque minus abest ab illius sententia, cum non modo in psal. LII, n. 11, docet bonitatem nulli homini inesse perfectam; sed et cum hujus doctrinæ rationem afferens in psal. CXVIII, num. 6, habet : *Sunt enim multa scandala, quæ prohibent perfectam nobis mandatorum esse custodiam. Taceo de naturis corporum, quæ nos interimper incentiva vitiorum imperfectos esse compellunt;* et num. 5 : *Habemus autem etiam nunc admixtam nobis materiam, quæ mortis legi et peccati obnoxia est*, etc., vel cum num. 1, suadens neminem non egere Dei misericordia : *Si enim*, inquit, *digna secundum opera nostra retributio aderit, in peccatorum ac delictorum nostrorum pœnis manebimus.* Quid præterea Pelagium juverit, quod in psal. CXLVI, n. 4, scribit, in hac quidem vita inchoari sanitatem hominis, sed non consummari nisi in altera? Neque illius doctrinæ magis commodum est hoc tract. psal. CXLIV, n. 20 : *Totis itaque in Deum allisi et cadentes oculis adspectent : neque quisquam ita de se confidat, ut non semper cadere, semper se vereatur allidi.* Immo in hoc ipso loco aliud omnino Hilarius asserit, quam quod eo vult probare Pelagius. Ille quippe hic affirmat nemini, quamdiu mortalis fuerit, conspectum Dei esse concedendum, quia nimirum tandiu impollutus non erit. Contendit contra Pelagius ex hoc loco confirmare, quosdam etiam ex hac vita eo animi nitore, ea vitæ puritate esse præditos, quam solis immortalitate donatis concedit Hilarius. Hæc strictim dicta sint, ut ostendatur hæresis genium, quæ ex veterum testimoniis non tam veritatem illustrare studet, quam fucum facere.

(*e*) Bad., Er. et Lips. *promptus affectus*. Habent tamen infra n. 25, *pronos esse oportere* in officio dispensandæ gratiæ.

(*f*) Editi, *veritatis*. Verius mss. *æternitatis*, hoc est, cum temporalis vitæ, ut eam testarentur æternam, fuerint prodigi. Ea ratione apostoli mox dicentur *æternitatis velut satores*.

(*g*) Lips. et Par. *infatuatus fuerit*. Mss. Colb. et Carn. *evanuerit*. Mox non male legeretur *id quo salietur* : sed ad receptam lectionem non minus accommodata sunt postrema hujus numeri verba, quibus ii qui salierint, *cum his quos salierint*, projiciendi declarantur.

(*h*) Editi cum septem mss., *in omnem*. Cum mss. Rom., Vatic., Colb. et Carn. præferimus *in unum*, utpote verbum, quod dictis evangelicis *ad nihilum valet*, etc., propius respondeat.

(*i*) Ita plerique mss. Alii vero libri, *conferentes*, Tum apud Bad., Er., Lips. et in postrema edit. Par., *Atque.... sacramenti aquæ ignisque perfecti*, ubi *perfecti* ad sacramentum, non ad Apostolos refertur.

fecti. (*a*) Merito igitur sal terræ nuncupati sunt, per A virtutem doctrinæ saliendi modo æternitati corpora reservantes. Sed natura salis semper eadem est, nec immutari umquam potest. Verum quia conversioni homo subjacet, et solus beatus, qui (*supple*, est) usque ad finem in omnibus Dei operibus permanserit; ideo eos, sal terræ nuncupatos, monet in traditæ sibi potestatis virtute persistere, ne infatuati nihil saliant, et ipsi sensu accepti saporis amisso vivificare corrupta non possint, et projecti de Ecclesiæ promptuariis, cum his quos salierint, pedibus incedentium proterantur.

11. *Mundi fugant tenebras. — Vos estis lumen mundi* (*Matth.* v, 14). Natura luminis est, ut lucem quocumque circumferatur emittat, illatumque ædibus tenebras interimat, luce dominante. Igitur mundus B extra cognitionem Dei positus (*b*) obscurabatur ignorantiæ tenebris : cui per apostolos scientiæ lumen invehitur, et cognitio Dei claret, et de parvis eorum corpusculis, quocumque incesserint, lux tenebris ministratur.

12. *Civitas caro a Christo assumpta, cives homines. — Non potest civitas abscondi supra montem ædificata, neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio*, et reliqua (*Ibid.* 15). Civitatem carnem quam 683 assumpserat nuncupat : quia ut civitas ex varietate ac multitudine consistit habitantium ; ita in eo, per naturam susceptı corporis, quædam universi generis humani congregatio continetur. Atque ita et ille ex nostra in se congregatione fit civitas, et nos per consortium carnis suæ sumus civitatis habitatio. C Abscondi ergo jam non potest : quia in altitudine positus celsitudinis Dei, admiratione operum suorum et contemplandus et intelligendus omnibus efferatur.

13. *Synagoga, modium occultans lumen. Christus lucerna.* — Sed nec lucerna accenditur, recondenda sub modio. Qui enim fructus est, (*c*) clauso impensam luminis continere? Verum Synagogam digne Dominus modio comparavit : quæ susceptos fructus intra se tantum receptans, certum modum dimensæ observantiæ continebat; nunc tamen fructu omni, adveniente se, (*d*) vacua sit, non tamen adhuc potens luminis occulendi. Atque ideo jam lucerna Christi non recondenda sub modio est, neque operimento occultanda Synagogæ : sed (*e*) in ligni passione suspensa, lumen æternum est in Ecclesia habitantibus præbitura. Pari etiam fulgere apostolos monet lumine (*Matth.* v, 16); ut admiratione operis eorum Deo laus impertiatur : non quod ab hominibus oporteat gloriam quærere, quia omnia (*f*) in honorem Dei sunt agenda ; sed ut, dissimulantibus licet nobis, opus nostrum his inter quos vivimus eluceat.

14. *Lex Christi prænuntia. — Nolite putare quoniam veni dissolvere legem aut prophetas : non veni* B *dissolvere, sed adimplere* (*Ibid.* 17). Virtus et potestas verborum cœlestium grandia in se momenta complexa sunt. Lex enim operum posita est, et omnia in fidem eorum, quæ in Christo erant revelanda, conclusit : cujus et doctrina et passio grande et profundum est paternæ voluntatis arbitrium. Lex autem sub velamento verborum spiritalium nativitatem Domini nostri Jesu Christi, et corporalitatem, et passionem, et resurrectionem locuta est : atque id ita jam ante tempora sæcularia in ætatis nostræ tempus esse dispositum, frequens et prophetica et apostolica auctoritas est. Igitur post jejunium dierum quadraginta, satanas tantis suspicionibus anxius, usque ad tentandi erupit audaciam : ingens in Jesu pertimescens cœlestis molitionis arcanum. (*g*) Jesus C enim Domino nostro nomen ex corpore est. Itaque et 684 corporalitas ejus et passio, voluntas Dei et salus sæculi est : et ultra humani sermonis eloquium est, Deum ex Deo, Filium ex Patris substantia atque intra Patris substantiam consistentem, primum in hominem corporatum, dehinc morti hominis conditione subjectum, postremo post triduum in vitam ex morte redeuntem, (*h*) consociatam Spiritus et substantiæ suæ æternitati materiem ad cœlum assumpti corporis retulisse.

In prima Par., *ut quin.... sacramento aquæ ignisque perfici.* In pluribus mss. *atque.... sacramenti ignisque perfecti.* Ex his restituendum conjectamus *aquæ, ut Joannes superius testis est, sacramentis ignisque perfecti.* Neque infra mediocriter confirmatur conjectura nostra ex n. 26, ubi *baptismi et spiritus sacramenta* rursum memorantur. Sequimur tres mss. nisi quod D ponimus *atque ut*, ubi habent *atquin.*

(*a*) In vulgatis hic insertum erat, *dum ait : Ipse vos baptizabit Spiritu sancto et igni :* ne uno quidem e nostris mss. suffragante. Obiter observare est, Hilarium, cum superius, cap. 2, n. 4, baptismum ignis de igne judicii extremi interpretetur, aliam hujus baptismi interpretationem non excludere, si quidem apostolos ante judicium hoc ignis baptismo perfectos hic prædicat.

(*b*) Plures mss. *obscuræ tenebatur*. Mox in tribus *venit*, pro *invehitur.*

(*c*) Sic magno consensu mss. id est, clam et occulte. Ita lib. III, de Trin. n. 20 : *Erant discipuli in clauso, et secreto post passionem Domini congregati consederant.* At in prima editione Par. *clausam ;* in cæteris, *clausi.*

(*d*) Ita quatuor mss. Alii habent *vacuata sit.* Male autem in vulgatis, *vacuavit.* Pessime vero paulo ante pro *nunc tamen*, Lipsius substituit *nunc tametsi*, ac postea voculam *se* a verbo *adveniente* virgula separatam cum *vacuavit* conjunxit, cum referatur ad Christum, cujus adventu Synagogæ cultus inanis et infructuosus evaserit.

(*e*) Præferremus cum pluribus mss. *in ligno passione*, quasi, passionis tempore, nisi experti essemus Hilario familiares esse hujusmodi vocum inversiones, ut dicat *in ligni passione*, pro *in ligno passionis.*

(*f*) Bad. cum plurimis mss. *in ordine in honorem.*

(*g*) Sic potiores mss. Alii vero : *Jesu enim Domino non nomen ex corpore est :* adversantur his tract. ps. LXV, n. 12 : *Jesus enim ejus hominis, qui ex Maria natus est, nuncupatio est.*

(*h*) Clarius hæc ita ordinarentur : *materiem assumpti corporis consociatam æternitati Spiritus et substantiæ suæ* (hoc est divinæ naturæ, quæ filio Dei sua est per proprietatem, humana autem tantum per assumptionem) *ad cœlum retulisse.* Et hic locus avertit omnem suspicionem, quæ ex aliis oriri posset, ne Hilarius Christi glorificati carnem abolitam existimarit.

15. *Qui a Christo impleta. Crux Christi non erubescenda.* — Ne igitur aliud existimaremus in operibus suis esse, quam contineretur in lege; non solvere se legem professus est, sed implere : cœlum quidem et terram, maxime, ut arbitramur, elementa esse solvenda : cæterum ne minimum quidem posse esse de mandatis legis infectum ; in ipso enim lex et prophetia omnis impletur. Sub passione et jamjam spiritum traditurus, magni hujus in se certus arcani, (*a*) potus aceto consummata omnia est professus : fidem enim gestorum, omnia tum prophetarum dicta sumebant. Itaque ne minima quidem mandatorum Dei, nisi cum piaculo (*b*) Dei constituit esse solvenda (*Ibid.* 19) : futuros minimos, id est, novissimos ac pœne nullos denuntians, minima solventes. Nulla autem his minora possunt esse, quæ minima B sunt. Minimum autem est omnium, Domini passio et crucis mors : quam si quis tamquam erubescendam non confitebitur, erit minimus; confitenti vero magnæ in cœlo vocationis gloriam (*c*) pollicetur.

16. *Evangelium qui legem excedat.* — *Dico autem vobis, quia nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum* (*Ibid.* 20). Pulcherrimo ingressu opus legis cœpit excedere, ut non dissolveret eam, sed profectu potiore præcederet : aditum apostolis in cœlum, nisi justitiam Pharisæorum æquitate anteissent, denuntians non futurum. Propositis igitur his quæ in lege præscripta sunt, profectu ea non abolitione transgreditur.

17. *Ira sine causa homicidii rea.* — Lex vetuit occidere, reatum homicidii severitate judicii expiatura (*Ibid.* 21). Sed male in alterum commotæ mentis affectio idem in Evangeliis habet (*d*) pœnæ; et ex præcepto fidei non minus rea ira est sine ratione susC cepta, quam in operibus legis homicidium. *Et qui dixerit fratri suo racha, reus erit concilio* (*Ibid.* 22). Racha vacuitatis opprobrium est : et qui sancto Spiritu plenum convicio vacuitatis insimulat, fit reus concilio sanctorum; contumeliam Spiritus sancti **685** sanctorum judicium animadversione luiturus : *Qui autem fatuum dixerit, reus erit gehennæ ignis.* Piaculi magni periculum est, quem salem Deus nuncupaverit, eum contumelia infatuati sensus lacescere : et stultorum intelligentiam salientem (eum D qui salit), stultæ intelligentiæ exasperare maledicto. Istiusmodi igitur æterni ignis erit pabulum. Ita quidquid lex (*e*) ne in ipsis quidem operibus damnavit, evangeliorum fides pro contumeliosa tantum verborum facilitate condemnat.

18. *Pax cum fratribus paci Dei præmittenda.* — Mutua igitur universos charitate devinciens, nullam impacificæ orationis fieri precem patitur : sed altario munera offerentes, si recordentur habere se cum fratribus aliquid simultatum, reconciliatos humana pace reverti in divinam pacem jubet, in Dei charitatem de charitate hominum transituros (*Ibid.* 23 *et* 24).

19. *Cito ineunda est.* — Et quia nullum tempus vacuum affectu placabilitatis esse permittit, cito in omni vitæ nostræ via reconciliari nos adversario benignitate præcepit : ne in reditu gratiæ morosi, in mortis tempus non inita pace veniamus, nosque adversarius judici tradat, et judex ministro, et in carcerem mittamur, et non exeamus inde, donec reddamus novissimum quadrantem (*Ibid.* 25 *et* 26). In præceptis dominicæ orationis remitti nobis peccata nostra oramus exemplo, et data adversariis conditione veniæ, ipsius veniam deprecamur (*Matth.* VI, 12). Hæc itaque negabitur nobis, si aliis negetura nobis : nostroque ipsi judicio rei sumus, si in judicii tempus non remissis simultatibus transeamus ; adversario tradente nos judici, quia manens in eum simultatis nostræ ira nos arguit. Et quia charitas plurimum peccatorum tegit (I *Petr.* IV, 8), et errorum nostrorum ambitiosa ad Deum patrona est ; novissimum pœnæ quadrantem solvemus, nisi pretio ipsius aliquantorum criminum culpa redimatur. Quid autem a pluribus in hoc capite sensum sit, non putavi esse tractandum. Hoc enim, quod adversario reconciliari (*f*) benevolentia jubemur, ad corporis et spiritus adversantium sibi concordiam retulerunt; sed nos ordinem doctrinæ tenentes, et opus legis evangelicis profectibus excedentes, non putavimus intelligentiæ continuationem oportere convelli.

20. *Audistis quia dictum est antiquis, non mœchaberis,* etc. (*Matt.* V, 27). Fertur suo cursu ordo præcepti, et prætermissis legis operibus, jam in Evangeliis adulterio motus tantum oculi incidentis æqua-

(*a*) In quibusdam libris *poto*, in aliis *potato aceto*, in nonnullis *potu aceti*, in Ps. CXXXI, n. 4, *post poculum aceti*. Deinde, pro *fidem enim gestorum*, longe mallemus *finem enim gestorum*, Christi scilicet. *Perfectis enim omnibus*, ut dicitur in Ps. CXXXI, n. 4, *ait : Consummatum est.... Percucurrerat enim omnia sacramenti officia : et ubi in consummatione gaudetur, ibi in suscepti operis perfectione lætitia est.* Itaque cum dixit Christus : *Consummatum est*, et continuo tradidit spiritum; finem *omnium prophetarum dicta* (apud Par. et in uno ms. Colb. *gesta*) *sumebant* : tum quia mors est finis et extremum eorum, quæ prophetæ ab ipso in carne gerenda prædixerant; tum etiam quia finem sumit prophetia, cum ad exitum perducitur quodcumque ea prædictum est.

(*b*) Aliquot mss. *Deus*.

(*c*) Ita potiores mss. In aliis, *confitetur*. In vulgatis autem, *Dominus esse confitetur*. Hic *magnæ vocationis gloriam* dicit Hilarius, quasi magni nominis, juxta illud : *Hic magnus vocabitur*.

(*d*) Singulare est illud *idem pœnæ*, pro *eamdem pœnam*. Deinde notandum fidei vocabulum legi, fidei præceptum præcepto legis opponi.

(*e*) Particula *ne* deest in vulgatis. Exstat in mss. quorum auctoritate hic adjicitur, maxime cum in lege homicidium perpetratum non gehennæ, sed judicio dumtaxat condemnatum memoretur.

(*f*) Dum hic ait Hilarius, *reconciliari benevolentia*, et supra, *reconciliari benignitate;* vim græci sermonis expressit : quia, ut notat Hieronymus in hunc locum, *pro eo quod nos habemus in latinis codicibus consentiens, in græcis scriptum est* εὐνοῶν, *quod interpretatur benevolus ac benignus.*

tur : et cum fornicationis opere punitur illecebrosa visus transcurrentis affectio.

686 21. *Membra abscidenda, propinqui scandalizantes. Frustra corpus, et non cor, exsecatur.* — *Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te*, etc. (*Ibid.* 29). Fit innocentiæ gradus celsior, et profectum fides sumit. Carere enim non solum propriis vitiis, sed et extrinsecus incidentibus admonemur. Non enim ex causis peccantium membrorum, corporis damna præcepta sunt : dextro enim oculo non minus sinister erraret. Certe pes sensu concupiscentiæ carens damno inutilis est, in quem pœnæ causa (*a*) non incidet. Sed quia diversa invicem membra, corpus tamen omnes unum sumus; abjicere a nobis, vel potius eruere, propinquitates (*b*) carissimorum nominum admonemur, si in illis aliquid tale cernamus, ne in consortium criminis eorum de familiaritate veniamus : rectius utilibus et maxime necessariis, tamquam oculi et pedis membris carentes, quam usque in societatem gehennæ, vitiosæ propinquitatis teneamur affectu. Esset autem abscisio membrorum utilis, si et cordis esse posset exsectio. Cum enim (*c*) concupiscentia efficientiæ comparetur, damnum corporis otiosum est, relicto voluntatis instinctu.

22. *Dictum est autem : Quicumque dimiserit uxorem suam, det illi repudium*, etc. (*Ibid.* 31). Æquitatem in omnes concilians, manere eam maxime in conjugiorum pace præcepit : legi addens plura, nihil demens. Nec sane profectus argui potest. Nam cum lex libertatem dandi repudii ex libelli auctoritate tribuisset, nunc marito fides evangelica non solum voluntatem pacis indixit, verum etiam reatum coactæ in adulterium uxoris imposuit, si alii ex discessionis necessitate nubenda sit : (*d*) nullam aliam causam desinendi a conjugio præscribens, quam quæ virum prostitutæ uxoris societate polluerel.

23. *Jurandi consuetudo ac necessitas Christianis sublata.* — *Iterum audistis quia dictum est antiquis : Non perjurabis*, etc. (*Ib.* 33). Lex pœnam posuerat perjurio, ut fraudulentiam (*e*) mentientium sacramenti religio contineret; simulque plebs rudis atque insolens frequentem de Deo suo mentionem haberet familiaritate jurandi. Fides vero sacramenti consuetudinem removet, vitæ nostræ negotia in veritate constituens, abjecto fallendi 687 affectu, simplicitatem loquendi audiendique præscribens; ut quod erat esset, non esset vero quod non erat : (*f*) quia inter est et non, patens esset materia fallendi, *et quod ultra est, id omne de malo est* (*Ibid.* 37). Quod enim est, suum est ut semper sit : quod vero non est, naturæ est ut non sit. Ergo in simplicitate viventibus (*g*) jurandi religione opus non est, cum quibus semper quod est, est : quod non, non : et per hæc eorum et opus et sermo omnis in vero est.

24. *Judæorum superstitio damnatur.* — *Neque per cœlum jurabis, quia sedes Dei est*, et reliqua (*Ibid.* 34). Non solum nos reddere Deo sacramenta non patitur, quia omnis Dei veritas dicti factique nostri simplicitate retinenda est : sed superstitionem contumaciæ veteris condemnat. His enim elementorum nominibus Judæis erat religio jurare, et cœli, et terræ, et Jerusalem, sed et capitis sui, quibus in contumeliam Dei (*h*) sacramento venerationem deferebant. Quid

(*a*) In mss. nonnullis omittitur particula negans. Potest retineri, ut sic ratiocinetur Hilarius : Causa pœnæ est peccatum : peccatum autem non est, ubi non est malæ appetitionis affectus : neque igitur in illam corporis partem pœnæ causa cadet, *cum ipsa absque aliquo appetitionis affectu solum in re habeat ministerium necessariæ servitutis*, ut loquitur in Psal. CXX, n. 7. Itaque quia pes aut hujusmodi membrum non est causa culpæ, adeoque nec pœnæ, inutili damno abscindetur, remanente interim concupiscentia. Potest et expungi prædicta particula, ac pes dici *pœnæ causa*, quomodo superius *membra peccantia*, hoc nimirum sensu : Pes, in quem pœna infligetur, cum concupiscentiæ sensu careat, adeoque hæc cum illo non resecetur, damno inutili abscindetur.

(*b*) Editi cum mss. non paucis, *carissimorum hominum*. Verius Vaticanus codex cum Rom. et Colb. *carissimorum nominum*. Unde infra cap. 18, n. 4, hic ipse locus notatur his verbis : *Superius in abscindendis manu vel pede propinquitatum contineri nomina exposuimus* : et cap. 10, n. 24, damnantur *qui domesticas nominum caritates dilectioni* Dei *prætulerint*. Illa autem nomina carissima sic recensentur in Psal. CXVIII, n. 3 : *Irasci hæc carissima nobis nomina, pater scilicet ac mater, uxor et filii non possunt, quod eos præcipitur odisse*, etc. Quo loquendi modo cum Hieronymus ep. XXIX, de morte dicat, *quod fratres dividat, et carissima inter se nomina crudelis et dira dissociet*, hæc verba se ex prophetali vaticinio mutuatum esse subjicit.

(*c*) Hoc est, cum desiderium malum haud secus damnetur atque opus. Hic de concupiscentiæ motibus, quos primo primos vocant, non est sermo.

(*d*) In tribus mss. *nullam malitiæ causam*. Qui ex hoc loco volunt Hilarium non modo uxorem adulterii ream dimittendi, sed et alteram ducendi licentiam tribuere, aliud ei attribuunt, quam quod dicit aut sentit, cum maritum uxoris adulteræ ab illius societate dumtaxat absolvat.

(*e*) Editi, *fraudulentiam mentium* : castigantur ope mss.

(*f*) Apud Par. *qui* : quod in modum particulæ interrogantis nonnullis forte placuerit : at videtur potius Hilarius prædicare, inter duo illa extrema *est* et *non* patere materiam fallendi, quæ a Christo hic amputetur.

(*g*) In aliquot mss. *jurandum de religione*. Non displicet quod in Colb. *jurandi religio* : ut vocabulum *opus* per modum nominis adjecti pro *necessaria* efferatur. Jurandi necessitatem hic, superius consuetudinem, infra superstitionem, nusquam licentiam Christianis auferri docet Hilarius. Imo lib. V de Trin., n. 26 et 29, hanc Esaiæ prophetiam : *Et qui jurant super terram, jurabunt in Deum verum*, evangelicis temporibus convenire demonstrans, juramentum etiam Christianis aliquando pium ac laudandum probat : quod amplius liquet ex his tract. Ps. LXII, n. 1 : *Quisquis in eo jurabit, sacramenti hujus religione laudabitur*. Illinc ubi subjicit, *nos reddere Deo sacramenta non patitur*, intelligere est *citra necessitatem*. Frustra igitur Scultetus hoc uno in Matthæum loco fretus inter singulares Hilarii opiniones recenset, *juramentum omnino Christianis esse interdictum*. Quamquam gravissimorum virorum hæc opinio quondam fuit.

(*h*) Plures mss. *sacramenti venerationem*. At potiores cum vulgatis *sacramento* : quibus favet illud Hieronymi in eumdem locum, *Judæi per angelos et*

enim momenti erat jurare per cœlum Dei sedem, jurare per terram scabellum pedum ejus, jurare per Jerusalem urbem brevi ob insolentiam et peccata inhabitantium destruendam : cum præsertim in præformationem Ecclesiæ, id est, corporis Christi, quæ magni regis est civitas, esset constituta? Per caput autem jurare cur vellent? Numquid vel capilli unius mutandi facultas esse poterat juranti, cum omnibus colorem natura a Deo profecta suggereret? Atque ita hæc sacramentorum pignora plena apud eos piaculi fuisse demonstrat : cum ignorato aut neglecto opifice suo, religionem operibus impertirentur.

25. *Ulciscendi libido coercetur.* — *Audistis, quia dictum est, oculum pro oculo, dentem pro dente*, et reliqua (*Ibid.* 38). Extensam fidei nostræ in æternum spem rebus ipsis Dominus vult probari : ut ipsa dissimulandæ injuriæ tolerantia testis judicii sit futuri. Lex infidelem Israel intra metum (*a*) metu continebat, et injuriæ voluntatem injuriæ vicissitudine coercebat. Fides autem nullius tam gravem dolorem esse patitur injuriæ, ut ultionem expetat, et illatæ sibi quisquam vindex sit contumeliæ : **688** quia in judicio Dei, et perpessis injuriam plus est consolationis, et pœna severior injuriosis. Atque ita non solum ab iniquitatibus nos abesse Evangelia præcipiunt, verum etiam ulciscendæ injuriæ exigunt dissimulationem. Nam accepta alapa maxillam alteram jubemur offerre (*Ibid.* 39), et mille passus onus vehentes, progredi in spatium passuum duum millium, injuriæ augmento profectum ultionis habituri, ipso virtutum cœlestium Domino ad incrementum gloriæ et maxillas palmis, et flagris scapulas offerente.

26. *Litium causæ amputantur. Munificentia jubetur. Gratiæ Dei gratuita sit dispensatio.* — Non solum autem judicii humani refugienda esse arbitria præcipit, verum etiam cum damni voluntate vitanda ; ut tunicam nobis volenti judicio (*b*) exuere, remittamus et pallium (*Ibid.* 40) : et per spem bonorum futurorum sæcularem supellectilem contemnentes, inanem gentium cupiditatem et vanitatem infructuosæ avaritiæ arguamus. Omnibus etiam dari quæ poposcerint jubet, et a precibus volentium mutuari os atque animum non referre ; ut his, quibus indigent, per nostram munificentiam expleantur, et eorum vel sitim potu, vel famem cibo, vel nuditatem vestitu indulto arceamus : ac sic bonorum eorum, quibus a Deo indigemus, digni reperiamur ; cum obtinendi meritum indulgendi consuetudo conciliet. In officio quoque (*c*) dispensandæ ejus quam accepimus gratiæ, pronos esse oportere demonstrat ; ut boni gratuiti sit dispensatio gratuita, et mutuari volentibus non negemus quod mutuamur a Deo, semper sine habendi damno impertiendi ministerio (*d*) functuri.

27. *Inimicorum dilectio.* — *Audistis quia dictum est, Diliges proximum tuum, et odies inimicum tuum*, et reliqua (*Ibid.* 43). Conclusit omnia bonitate perfecta. Amari enim lex proximum exigebat, et in inimicum licentiam odii dabat. Diligi vero inimicos fides præcipit, et petulantes humanarum mentium motus, publicæ charitatis frangit affectu (*Ibid.* 44) ; non solum iram ab ultione depellens, sed etiam in amorem mitigans injuriosi : quia gentium sit amantes amare, et commune sit diligere diligentes. Vocat igitur nos in Dei ut hæreditatem, ita et imitationem : bonis et injustis, Christi sui adventu, in baptismi et Spiritus (*e*) sacramentis et solem tribuentis et pluviam (*Ibid.* 45). Ita nos ad perfectam vitam, per hanc publicæ bonitatis concordiam, quia nobis in cœlo pater sit perfectus imitandus, instituit.

28. *Jactantia fugienda.* — *Attendite, justitiam vestram ne faciatis coram hominibus*, etc. (*Matth.* VI, 1). Omnem curam rerum præsentium amovet, et attentos tantum esse in spem futuri jubet, neque sectari vel hominum **689** favorem ostentatione bonitatis, vel jactantiam religionis orationis publicæ copia, sed intra conscientiam fidei fructum boni operis continendum : quia humanæ laudis consectatio eam tantum, quam ab hominibus expetit, mercedem sit receptura ; cæterum promerendi Dei exspectatio, præmium sit longæ patientiæ consecutura. Sinistra quoque manus ut ignoret opus dexteræ (*subaud.* jubet) (*Ibid.* 3). Sed numquid istud natura corporis sinit? aut intelligentiæ sensum manuum ministeria sortiuntur? Verum (*subaud.* hoc vult) ut in Dei scientia opera nostra consistant : cum sub nuncupatione membrorum, in his quæ geramus, eorum quæ nostra sunt atque nobiscum sunt conscientia arceatur

CAPUT V.

De oratione et jejunio, de thesauro in cœlo, de lucerna corporis, de duobus dominis, de cibo et vestitu, de volatilibus et liliis agri et fœno, de sollicitudine diei, de festuca et trabe in oculo.

1. *Orationis locus, cor.* — Clauso quoque cubiculi ostio jubemur orare, atque in omni loco precem fundere edocemur (*Matth.* VI, 6) : et sanctorum oratio inter feras, carceres, flammas, et de profundo maris ac bestiæ ventre suscepta est (*Jonæ* II, 2). Ergo non

urbem Jerusalem et templum et elementa jurantes, creaturas resque carnales venerabantur honore et obsequio Dei.

(*a*) Abest *metu*, a Bad., Er., Lips. et pluribus mss.

(*b*) Bad. cum mss. *eruere*. Mox in vulgatis, *per spem bonam* : ubi restituimus *per spem bonorum futurorum*, ex potioribus mss. Ita cap. 5, n. 6, habemus, nos *in spem bonorum æternorum confirmari*.

(*c*) Aliquot mss. cum Bad. et Er. *dispendendæ*.

(*d*) Beccensis codex, *fruituri*.

(*e*) Bad., Er., Lips. et aliquot mss. *sacramento*. Retinendum putamus cum Par. et melioribus mss. *sacramentis*. Hic enim duo distingui videntur Sacramenta, quorum alterum pluviæ, alterum soli comparetur ; hoc *bonis* conferatur ad fidei et charitatis augmentum, illud *injustis* in remissionem peccatorum et fecunditatem bonorum operum. In hanc opinionem confirmamur ex verbis in psal. CXVIII, n. 5 : *Est ergo, quantum licet existimare, perfectæ illius emundatio puritatis etiam post baptismi aquas reposita, quæ nos sancti Spiritus sanctificet adventu*, etc. Quæ hic *baptismi et spiritus*, superius n. 10, *aquæ ignisque* sacramenta vocati opinamur.

occulta domus, sed cordis nostri cubiculum ingredi, A et clauso mentis nostræ secreto orare ad Deum, non multiloquio, sed conscientia admonemur, quia dictorum verbis opus omne præcellat. (*a*) De orationis autem sacramento necessitate nos commentandi Cyprianus vir sanctæ memoriæ liberavit. Quamquam et Tertullianus hinc volumen aptissimum scripserit: sed consequens error hominis, detraxit scriptis probabilibus auctoritatem.

2. *Jejunantis sit conscientia pura, et bona opera.* — *Cum autem jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes: exterminant enim facies suas, ut pareant hominibus jejunantes*, etc. (*Ibid.* 16 *et* 17). Jejuniorum profectum docet extra jactantiam confecti corporis esse oportere, neque de (*b*) injuriæ ostentatione favorem gentium consectandum; sed omne jejunium in sanctæ operationis decore ponendum. Oleum enim fructum misericordiæ esse, cœlestis et propheticus sermo est. Ergo bonitatis operibus caput nostrum, id est, vitæ nostræ sensus ornandus est; quia intelligentia omnis in capite est: sordesque in facie abluendæ, ne quid sit horroris ex vitiis, sed magis gratia candoris sit in (*c*) occursu: atque ita nos **690** in splendorem bonæ conscientiæ elutos, et in gratiam misericordis operis delibutos, Deo jejunia nostra commendent. Cæterum fugientes in jejuniis hominum conscientiam (*d*) unctis capitibus, et ridiculi magis erimus, et cognoti.

3. *Ubi cor hic, ibi post hanc vitam erit.*—*Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra*, et reliqua (*Ibid.* 19). Prætermissa igitur humanæ gloriæ et opulentiæ sol- C licitudine, omnem placendi Deo curam sumi oportere demonstrat: quia humanam laudem vel corporum vitia, vel obtrectatio invidentium corrumpat; et hic thesaurus pecuniæ, aut detrimento sit periculosus, aut furto. Cæterum laus cœlestis æterna est, nec subrepentis furto subtrahenda, nec tinea aut rubigine invidiæ exedenda: corde nostro sedem thesauri utram sit (*e*) secutum habituro, et intelligentiæ nostræ lumine aut cum pecunia damnosa futuro, aut cum Deo sempiterno.

4. *Corporum claritas aut tenebræ æternæ pro diversa ratione animorum.* — *Lucerna corporis tui est oculus tuus* (*Ibid.* 22). Continens sensus est. De oculi enim (*f*) luminis officio lumen cordis expressit. Quod si simplex et lucidum manebit; claritatem æterni luminis corpori tribuet, et splendorem originis (*g*) suæ corruptioni carnis infundet. Si autem obscurum peccatis, et voluntate erit nequam; vitiis mentis natura corporis subjacebit. Et si lumen, quod in nobis est, tenebrosum sit; quantas necesse est ipsarum tenebras esse tenebrarum (*Ibid.* 23)? quia jam periculose soleat animi generositati terrenæ carnis vitiosa origo dominari, longeque magis peccata corporum ingravescere, si etiam cupiditatibus adjuventur animorum: ex eoque (*h*) fieri præter naturam suam corpora B nostra tenebrosa, si in illis mentium lumen exstinctum sit; quod si per simplicitatem spiritus retinuerimus, lumine suo necesse est et corpus illuminet.

5. *Deo et sæculo serviri nequit.* — *Nemo potest duobus dominis servire*, etc. (*Ibid.* 24). Duum dominorum infidele servitium est, nec par ejusdem potest esse ad sæculum atque ad Deum cura. In alterum enim necesse est odium sit, in alterum amor: quia idem opus diversæ dominorum non conveniat voluntati, nec pauperes spiritu Deo placentes ambitiosæ sæculi hujus possint apti esse jactantiæ.

6. *Sæculi contemptu cœlum unum suspiret animus.* — *Ideo dico vobis, ne cogitetis in corde vestro, quid manducetis; neque corpori vestro, quid vestiatis. Nonne anima vestra pluris est quam esca, et corpus pluris est quam vestimentum* (*Ibid.* 25)? Contemptum sæculi, et fiduciam futurorum toto superiore **691** sermone præceperat. Nam cum ad injuriam pronos jubet esse, et ad damnum voluntarios, et ad ultionem negligentes, et ad diligendum (*i*) promiscuos, et ad humanam gloriam incuriosos; confirmari nos in spem bonorum æternorum laborat. Plures enim et amor præsentium, et desperatio futurorum incertos facit: et aut illecebris capit, aut infidelitate confundit: Ergo regnum cœlorum, quod prophetæ nuntiaverunt, Joannes prædicavit, Dominus noster in se esse posi-

(*a*) In mss. hic dumtaxat fit initium capitis 5. Ut hic Hilarius, ita Ambrosius Lucam exponendo dominicam orationem prætermisit.

(*b*) Bad., Er. et Lips. *inediæ*. At Par. cum omnibus mss. *injuriæ*: quod mendose scriptum putamus D loco *incuriæ*.

(*c*) Hic supple *Dei* vocabulum. Jam enim legimus cap. 4, n. 7: *eos visui et occursui Dei esse patentes, quibus per animi nitorem ac vitæ puritatem potestas sit contuendi*. Utroque in loco videtur respici parabola virginum, quibus dicitur: *Ecce sponsus venit, exite obviam ei*. Rursum huic lucem confert illud ex tract. ps. CXL, n. 9: *In abluenda facie nitorem puræ conscientiæ exegit, ne quid in nobis sordidum, ne quid oblitum adhæreret: in capite vero ungendo, doctrinis nos atque operibus spiritalis institutionis perfectos esse præcepit.*

(*d*) Carnutensis codex, *comptis capitibus*. Monet Hieronymus Christum hic loqui *juxta ritum provinciæ Palestinæ, ubi diebus festis solent ungere capita.*

(*e*) In vulgatis, *secutus*: solœcismus quem emendant mss. Ante in nonnullis *utrum*, non *utram*: quod ad sedem vel in Deo vel in pecunia habendam rectius refertur. Post in iisdem *damnoso*: hoc ad intelligentiæ lumen referri queat, quod in pecunia damnosum, in Deo sempiternum futurum sit.

(*f*) Vocabulum *luminis* in vulgatis omissum, supplemus ex mss. Sic et infra n. 7, non simpliciter *ex oculo*, sed, *ex oculi lumine corpori quoque splendorem spopondit.*

(*g*) Hilarius hic, veterum more, animam nostram spectat ut ex natura sua quamdam lucem, quemdam splendorem. Sic a Gregorio Naz. Or. XLII post quam num. 12, dicti sunt angeli *secundi splendores primi splendoris administri*, num. 15, homo secundum animam *angelus alius* nuncupatur.

(*h*) Apud Par. *fuerit*: corrupte. Tum *præter naturam suam*, id est, amplius quam ex natura sua sint, quasi præter naturales tenebras, novas quasdam contrahant exstincto lumine mentium; *quod* lumen *si retinuerimus*, etc.

(*i*) Hoc est, ad diligendos amicos vel inimicos, seu ad bene vel male sibi facientes promiscue se habere.

tum est professus, vult sine aliqua incertæ voluntatis ambiguitate sperari : alioquin justificatio ex fide nulla est, si fides ipsa fiat ambigua. Igitur curam nullam esse vestitus et cibi præcipit, dicens et escis animam, et cibo corpus esse pretiosius.

7. *Altior sensus latet in prædictis.* — Et quidem pulchrum est, præsentium rerum contemptu, curam tantum divinis rebus impendere : sed altius sermo descendit, et in cœlestis dicti intelligentiam verbis subjecta ratio extenditur. Thesaurum Dominus condi jussit in cœlo, et ex oculi lumine corpori quoque splendorem spopondit, et dominis duobus neminem placere posse testatus est : et post hæc ait : *Ideo dico vobis, ne cogitetis in corde vestro, quid manducetis; neque corpori vestro, quid induatis.* (*a*) Quæ consequuntur, non satis propositionibus congruunt. Numquid et unius domini servus non possit circa vestem esse cibumque sollicitus? Numquid per adversam valetudinem hebetato oculi lumine obscurabitur corpus? aut quod corporis lumen esse possit ex oculo? Numquid thesaurizare in cœlis sola nuditas aut fames poterit?

A 8. *De resurrectione quædam dubia solvuntur.* — Sed quia corruptus circa futurorum curam infidelium sensus est, calumniantium quæ in resurrectione corporum species sit futura, quæ (*b*) in substantiam æternitatis alimonia ; et cum ex difficultatibus quæstionum inutilium, quædam utendarum præsentium voluptatum ratio quæsita est, inutili (*c*) metu circa Dei reverentiam demorantes, in sæculi gaudia transeunt; atque ita est, ut duobus dominis unius infidele servitium sit : igitur ex summo pietatis affectu, gravissimo (*d*) diffidentiæ periculo ante prædicto, ita admonet : *Nonne anima pluris est quam esca, et corpus pluris est quam vestimentum* (*Ibid.* 25)? In dictis Dei veritas est, et rerum creandarum efficientia omnis in verbo est. Ita nec quod spopondit ambiguum
B est, nec inefficax **692** quod locutus est. Nihil est quod non in substantia sua et creatione (*e*) corporeum sit : et omnium, sive in cœlo sive in terra, sive visibilium sive invisibilium, elementa formata sunt. Nam et animarum species, sive obtinentium corpora, sive corporibus exsulantium, (*f*) corpoream tamen naturæ suæ substantiam sortiuntur ; quia

(*a*) Id est, licet in his : *Ideo dico vobis ne cogitetis*, particula *ideo* connexionem superiorum cum subsequentibus indicet : tamen quæ illud *ideo* consequuntur, non satis congruunt cum iis quæ præcedunt.

(*b*) Editi, *in substantia.* Rectius mss. potiores, *in substantiam;* hoc est, qua in æternum valeant subsistere atque conservari : tum pro *et cum*, mallemus *ut cum;* maxime quia in ms. Colb. post sequitur, *in sæculi gaudia transeant.*

(*c*) Hoc est, cum abjecta æternitatis spe in cultu ac
C metu Dei ita demorentur, ut cultus ac metus sui nullam utilitatem sperent. *Dejectus enim unusquisque vel motus de gradu spei ejus quam susceperat apud Creatorem, facile jam declinatur ad alterius spei auctorem*, ut loquitur Tertullianus de resurr. carnis n. 2.

(*d*) In vulgatis, *gravissimoque.* Removetur particula supervacanea auctoritate ms. Colb. Neque audiendi quinque alii, qui hunc locum ita exhibent : *igitur ex summo impietatis affectu, gravissimoque diffidentiæ, prædicatio ita admonet.* Admonet porro Dominus ex affectu pietatis, post quam prædixit diffidentiæ periculum.

(*e*) Quid hic *corporeum* dicat Hilarius, non satis liquet. Cum tamen in Psal. CXXIX, n 3, explicaturus illud Joannis, *Deus spiritus est*, subjiciat, *invisibilis scilicet et immensa atque intra se manens et æterna natura;* innuit id corpus esse, quod immensitate aut
D æternitate carens intra se non maneat. Idipsum confirmare videtur in Psal. CXXIV, n. 6, ubi docet Deum omnibus adesse : et hoc, quia *Spiritus est omnia penetrans et continens. Non enim secundum nos corporalis est, ut cum alicubi adsit, absit aliunde*, etc. Ubi vides id vocari corporale, quod *cum alicubi adsit, absit aliunde.* Cum igitur hic asserens nihil non in substantia et creatione corporeum, id una ratione confirmet, *quia omne quod creatum est, in aliquo sit necesse est;* nil vetat quominus intelligatur id corporeum dicere, quod in aliquo tantum, non in omni tempore aut loco sit, seu quod in alio aliquo, non intra se maneat. Id quoque corporeum vocare potuit, quod cum ex partibus aut qualitatibus natura sua compositum sit, nihil non habet quod ad integritatem sui pertineat : quo spectat illud in psal. CXXIX, n. 4 : *Quidquid compositum est..... habet initium quo corporatur ut maneat.* Imo apud Phœbadium Hilarii æqualem vacuo et inani ac non pleno corpus opponitur. Ipse enim Dei filius ab illo vocatur *Dei sermo, non sonus vocis, sed res substantiva ac per substantiam corpulentiva.* Tum prosequitur, *Non enim sine substantia constitit, quod de tanta substantia fecit* (forte *fuit*). *Nihil ergo vacuum de pleno, nihil inane de solido : quia Dei sermo spiritus Dei Christus instructus est, et, ut evidentius dicam, sermonis corpus est. Corpus enim spiritus, sed corpus sui generis. Nam et invisibilis et incomprehensibilis spiritus : numquid tamen et inane et vacuæ res* (forte *rei* aut *vacua res*) *Deus.* Quo sensu Tertullianus, lib. de carne Christi, num. 12, dixisse videtur : *Omne quod est, corpus est sui generis. Nihil est incorporale, nisi quod non est.* Sic et Tullius, lib. IV, de Finibus : *Alii, quasi nullum corpus sit hominis, ita præter animum nihil curant : cum præsertim ipse quoque animus non inane nescio quid sit (neque enim id possum intelligere), sed in quodam genere corporis.* Id demum corporeum vocare licet, quod non est sine aliqua ad corpus habitudine, sicque intelligi commode potest illud Evodii apud Augustinum epist. CLVIII, num. 11 : *Animam ergo omni corpore carere penitus non posse, illa res ut puto ostendit, quod solus Deus omni corpore semper caret.* Hæc interim notæ subsequenti præmissa sint.

(*f*) Difficile est hunc locum conciliare cum pluribus aliis, puta tract. psal. LII, num. 7, psal. CXVIII, n. 8, necnon psal. CXXIX, n. 4, 5 et 6, ubi anima non modo spiritalis, sed et incorporalis diserte asseritur. Si pro *corpoream*, legere liceret *congruam*, nihil jam difficultatis superesset. Sed lectionem Claudiani Mamerti ævo jam receptam mutare quis sibi arroget? Verum aliter conciliari valet, si attendatur Hilarii scopus. Non enim ei sermo est de interna animarum substantia, sed de externa quadam aut quasi externa, quæ in modum vestimenti aut alimoniæ ad vitam earum conservandam requiratur. Totus quippe est contra eos, qui resurrectionem licet a Deo audiant, de ea tamen idcirco diffidunt, quia quæ alimonia tum futura sit non assequantur. Primo itaque resurrectionem adstruit, de qua ambigere stultum sit, post quam eam Deus et in dictis verax, et in factis potens spopondit. Tum asserta resurrectionis veritate non minus vanum ostendit, de alimonia sollicitum esse, cum experientia doceamur, nihil a Deo semiplenum aut non integrum, non formatum et quodam modo corporatum creari, sed omnia ab eo accipere quæ ad substantiæ semel creatæ conservationem necessaria sint. His addit, Deum qui promisit majora, animam

omne quod creatum est, in aliquo sit necesse est. Atque ideo (*a*) ineptiam inutilissimæ quæstionis Deus arguens, non patitur, anima et corpore in æternitatis substantia collocandis, spem nostram futuri in resurrectione cibi et vestitus sollicitudine demorari : ne (*b*) tanto pretiosa reddenti, corpus scilicet atque animam, contumelia in non efficiendis levioribus inferatur.

9. *Non laborant dæmones ut habeant unde vivant.*— *Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque congregant in horrea : et pater vester cœlestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis* (*Ibid.* 26) ? Sub nomine volucrum exemplo nos immundorum spirituum adhortatur : quibus sine aliquo negotio quærendi et congregandi, vivendi tamen tribuitur de æterni consilii potestate substantia. Atque ut ad immundos istud spiritus referri oportere monstraret, adjecit : *Nonne vos magis pluris estis illis* ? de comparationis præstantia, discrimen nequitiæ et sanctitatis ostendens.

10. *Corpora in statura viri perfecti suscitandi.* — *Quis autem vestrum potest adjicere ad staturam suam cubitum unum? Et de vestimento quid* **693** *solliciti estis* (*Ib.* 27, 28) ? Fidem vitalis substantiæ nostræ de documento spirituum firmavit : opinionem autem habitus futuri, judicio communis intelligentiæ dereliquit. Cum enim universorum corporum, quæ vitam hauserint, diversitatem in unum consummatum virum perfectumque sit excitaturus, solusque potens sit ad uniuscujusque proceritatem cubitum unum et alterum tertiumve præstare, de vestitu, id est, de specie corporum, cum quanta ejus contumelia ambiginus (*Ephes.* IV, 13) ! qui ut æqualem atque uniformem omnem hominem efficiat, tantum mensuræ sit humanis corporibus additurus.

11. *Lilia non laborantia angeli. Cur liliis comparati angeli.* — *Considerate lilia agri quomodo crescunt; non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis,* etc. (*Ibid.* 29). Lilia non laborant, neque nent : et Salomon coopertus eorum gloria non fuit, propheta magnus, et merito dilectæ sapientiæ Deo carus. Sed lilia nascuntur potius, quam operiuntur. Coopertio autem velamentum est corporis, non corpus ipsum. Quod si ad sensum humanæ intelligentiæ refertur, colorem lilii, velamenti candor potuerat æmulari. Sed lilia non laborantia neque nentia significari intelligenda sunt (*c*) angelorum cœlestium claritates, quibus extra humanæ scientiæ eruditionem, suique operis mercedem, a Deo gloriæ **694** candor indultus est : ne quid ex proprio labore aut arte existimarentur habuisse. Et cum in resurrectione similes homines Angelis erunt, sperare nos cœlestis gloriæ voluit operimentum, exemplo angelicæ claritatis. Est autem in natura istius germinis, ut aptissime cœlestibus Angelorum substantiis comparetur. Hoc enim efflorescens, cum a stirpe detentæ humi radicis avellitur, naturæ suæ virtutem licet aruisse putetur occultat, et redeunte tempore rursum lilii sui honore vestitur. Ex se (*d*) enim effloresciť ac redditur; et quod est, nec radici potest debere nec terræ : cum ille qui se subeat succus, ex se sit. Atque ita annuæ licet hujus viriditatis exemplo, virtutem (*e*) suæ cœlestis substantiæ æmulatur : cum ex eo tantum, quod intra se acceptum habeat, alatur in florem. Ideo ergo lilia non laborant, neque nent : quia Virtutes angelorum, ex ea quam adeptæ sunt originis suæ sorte, ut sint semper accipiant.

12. *Fœnum, gentes. Resurgent ad ignem æternum. Justorum resurrectio longe minus ambigenda.*—*Si enim fœnum agri, quod hodie est, et cras in ignem mittitur, Deus sic vestit; quanto magis vos* (*f*) *modicæ fidei* (*Ibid.* 30) ? Fidei nostræ inviolabilem confidentiam exemplo scilicet et corpus, non negaturum esse leviora, hoc est, alimoniam et vestimentum. Denique totum hoc illustrat exemplo spirituum immundorum, *quibus, sine aliquo negotio quærendi et congregandi, vivendi tamen tribuitur de æterni consilii potestate substantia.* Unde et post pauca concludit : *Fidem vitalis substantiæ nostræ de documento spirituum firmavit.* Ubi igitur ait, *Animarum species corpoream naturæ suæ substantiam sortiuntur*, nihil aliud sibi vult, nisi animas non interire, sed unde in sua vita conserventur ac subsistant accipere : cum quod hic *corporea substantia*, numero sequenti *vivendi substantia*, et num. 10, *vitalis substantia* verbis jam apertioribus nuncupetur. Hanc porro vitalem substantiam homines ex se et non aliunde sumpturos tacite significat num. 11, ubi tradit angelos ex originis suæ sorte ut sint semper accipere, eisque non similes post resurrectionem futuros ; quod diserte jam declarat in psal. CXLVII, n. 3, ubi beatorum cœtus *nullius egens ad corporis animæque substantiam* prædicatur. Demum cum Hilarius eos hic refellat, qui de animarum post resurrectionem tum alimonia tum vestimento solliciti sunt ; cumque infra cap. XI, n. 4, explicaturus illud, *Hominem mollibus vestitum*, vestimentum animæ interpretetur corpus quo anima ambitur ac circumscribitur, *Vestem*, inquit, *ambitum corporis quo anima induitur significat* : quid hic sibi volet, *Corpoream naturæ suæ substantiam sortiuntur*, nisi, Non carent veste, quæ a corporibus numquam non ambiuntur ? Ad summum igitur hic sensit animas numquam exsistere extra omne corpus : cum tota quæstio non de animæ substantia, sed de subsistendi modo versetur. Sed hæc interpretetur quisque ut volet, modo non credat Hilarium iis dictis animam in se ipsa corpoream voluisse : aliter enim eum sensisse constat, ut fuse in generali præfatione singulari dissertatione demonstratum est. Observamus obiter quosdam in his, *Animarum species, sive obtinentium corpora, sive corporibus exsulantium*, animas humanas et angelos significari existimare. Nobis tamen potius ad diversum animarum humanarum statum videntur referenda.

(*a*) Ita cum Par. mss. potiores. Plures alii cum Bad., Er. et Lips., *inertiam*.

(*b*) Par. *tanto pretiosiora*, quod prior Lipsius ex Erasmi margine in textum transtulerat : renitentibus mss. quorum alii habent *tanta*, alii *tanto pretiosa*.

(*c*) In vulgatis, *ut angelorum* : redundat *ut*, neque exstat in mss.

(*d*) In vulgatis, *igitur*. Concinnius in mss. *enim*. Exemplo lilii, cujus stirps a radice excisa cum jam calices suos emiserit, ita eosdem nutrit ac fovet, ut penitus effloreant, ostenditur vitam angelorum, ex propria, et non externa substantia foveri.

(*e*) Ex pluribus mss. huc revocatur vocabulum *suæ*, quod non ad lilium refertur, sed ad cœlestem substantiam, quæ sua est, seu quæ ex sua natura ut semper sit habet.

(*f*) Plures mss. *minimæ fidei*.

plorum auctoritate confirmat : ut tanto majoris periculi res sit ambigere, quanto impensiore cura omnem occasionem infidelitatis abstulerit. Fœnum non idcirco nascitur, ut detur igni ; neque ideo vestiendi ejus peculiaris Deo cura est, ut cremetur : sed sub fœni nomine nuncupatas esse a Deo gentes, crebro invenimus. Germen autem illud est, quod virtutis suæ flore dilapso, ad calorem solis arescit. Igitur requies nulla gentibus, neque mortis, ut volunt, compendio quies dabitur : sed corporalis et ipsis æternitas destinabitur ut ignis æterni in ipsis sit æterna materies, et in universis sempiternis exerceatur ultio sempiterna. Si igitur gentibus idcirco tantum indulgetur æternitas corporalis, ut mox (*a*) igni judicii destinentur ; quam profanum est, sanctos de gloria æternitatis ambigere, cum iniquis æternitatis opus præstetur ad pœnam. Omnem igitur exspectationem nostram in fide repromissionum et virtutis suæ potestate exigit collocari : ut cura rerum quibus indigemus omissa, ab eo potius omnia, a quo ipsi vitale exordium sumpsimus, exspectemus ; regnumque Dei vitæ nostræ stipendiis quæramus. Et hæc recte perfecteque viventium merces est, ut in novam cœlestemque substantiam ex hac corruptibilis corporis materie transferantur, et corruptio terrena cœlesti incorruptione mutetur. Gentium igitur est, infidelitatis istius cura angi : quibus sæculi amore detentis, et corporis gaudiis occupatis, nullum per fidem et confessionem Dei in cœleste regnum iter quæritur et optatur.

13. *Dies quid. Sollicitudo in diem non cadit. Circa quæ tota versari debeat hominis cura.* — *Nolite ergo solliciti esse de crastino. Crastinus* **695** *enim dies sollicitus erit sibi ipse. Sufficit diei malitia sua* (*Ibid.* 34). Communne judicium est, diem esse labentium temporum cursum luce solis illuminatum, quem nox interjecta discriminat ; et interventu suo diei diem subrogat : futuri autem temporis significantia continetur in crastino. Ergo de futuro sollicitos nos esse Deus vetuit. Incuria autem sollicitudinis relaxatæ, non negligentiæ, sed fidei est. Cur enim solliciti simus in crastino ; cum crastinus dies sibi ipse sollicitus sit ? Ergo anxietatem nostram ipsa pro nobis dies sollicita depellit. Sed sollicitudo, ut arbitror, proprius est hominis affectus : hanc enim excitat aut curæ, aut metus, aut doloris anxietas. Dies vero cursus est temporis : et sola (*b*) providentiam consecuta sollicitudinis recipiunt affectum. Constituetur ergo dies esse animal, quod et caveat, et prospiciat, et curet ; cui et malitia propria sufficiat, neque extrinsecus accidenti sit cumulanda peccato. Sed natura rei non capit, diei deputare mentis affectum : ergo et quod sibi ipsa sollicita est, et quod ei malitia sua sufficit, et quod inhibemur solliciti esse de crastino ; totum (*c*) sub dictis cœlestis significantiæ continetur. Jubemur igitur non ambigere de futuris ; satis enim vitæ nostræ malitia, et dierum quibus vivimus peccata sufficiunt, ut circa hæc purganda et promerenda omnis vitæ nostræ meditatio laborque versetur, ne etiam de futurorum diffidentia inexpiabilis irreligiositas contrahatur : cum cessante cura nostra, ipsa in officio suo, quæ sunt futura, sollicita sint ; et nobis æternæ claritatis profectus, Dei procurante bonitate, jam non sollicitis præparetur.

14. *Judicare de Dei sponsionibus nefas est. Cur.* — *Nolite judicare, ne judicemini. Quo enim judicio judicaveritis, judicabitur de vobis* (*Matth.* VII, 1, 2). Omne judicii officium penitus Deus submovet, nec ullum omnino suscipi patitur. Sed compugnare propositis subsequentia existimantur, cum dicit : *Quo judicio judicaveritis, judicabitur de vobis.* Sed superius ait : *Nolite judicare, ne judicemini.* Numquid boni judicii arbitrium suscipi non oportebit ? Atquin profitetur pro conditione judicii judicandos, et universis genere quo mensi sunt metiendum. Ergo numquam bene judicabitur, si omnino non erit judicandum. Sed jam dudum, ut superius cognoscitur, nihil in verbis Dei leve aut inane tractatur : omnisque hic ultra sensum gentilium aurium sermo est. Judicari enim de sponsionibus suis vetuit : quia ut judicia ex incertis rebus inter homines sumuntur, ita et hoc judicium adversum Deum ex sentiendi atque opinandi ambiguitate suscipitur, quod penitus repellit a nobis, ut constans potius fides retineatur ; quia non sicut in rebus cæteris, peccatum sit **696** perperam judicasse ; sed (*d*) in his rebus tantummodo de Deo judicium, initium esse sit criminis.

15. *Infidelitas quale et quantum peccatum. Frustra alios corrigit non correctus.* — *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides*, et reliqua (*Ibid.* 3) ? In consequentibus docuit, solam in Spiritum blasphemiam extra veniam futuram, cæteris omnibus Deo indulgentiam largiente. Peccatum autem in Spiritum est, Deo virtutis potestatem negare, et Christo substantiam adimere æternitatis : per quem, quia in hominem Deus venit, homo rursum fiet in Deum. Ergo quantum inter festucam et trabem discriminis est, tantum ostendit peccatum in Spiritum conditionem cæterorum criminum excedere : ut cum infideles delicta corporis aliis exprobrent, onus peccati (*e*) quo de promissis

(*a*) In septem mss. *igni judici* : lectio non spernenda, ut ignis judex dicatur quasi ignis vindex. Aliam tamen confirmat tract. psal. XIII, num. 11, ubi *inutiles et infructuosos igni judicii deputatos* legimus.

(*b*) Editi, *sola providentia* ; castigantur ex mss. Rom., Colb. et Carn. Providentiam autem vocat Hilarius providendi ac prospiciendi facultatem.

(*c*) Ita mss. potiores, id est, totum hoc spiritaliter dictum est. Alii vero cum vulgatis, *sub dicti cœlestis significantia.*

(*d*) Par. *in rebus*, omisso pronomine *his*, quo sponsiones Dei indicantur. Mox. apud Bad., Er. et Lips. *initum*, ubi in aliis libris rectius, *initium*.

(*e*) Apud Par. *quod promissis*. Juverit hic totum Hilarii argumentum, quod non per se omnibus satis apparet, paucis perstringere. Sic enim ratiocinatur : Qui de promissis Dei ambigit, ambigit se evasurum in Deum. Circa hoc incertus, non credit Christum Deum ; siquidem ad hoc, cum esset Deus, factus est homo, ut homo fieret Deus. Qui autem Christum

Dei ambigant, in se ante non videant, (*a*) infidelitatis trabe in oculo tamquam in mentis acie insidente. Fit enim sæpe, ut assumamus nobis arguendi alios auctoritatem, sine ullo propriæ emendationis exemplo ; et medendæ cæcitatis alienæ jactantiam præferamus, ipsi in tenebris corrupti luminis constituti : cum difficile quemquam sit præstare (*b*) quod egeat, et optimum sit exemplo potius docere quam dictis. Cura erga propriæ adhibenda est cæcitati : quia ex natura rerum est, non prius aliquem purgandæ de oculo fratris festucæ idoneum effici posse doctorem, quam de mentis suæ lumine trabem perfidiæ gravantes ejecerit.

CAPUT VI.

De margaritis ante porcos, de pseudopropheta, de domo ædificata supra petram.

1. *Mysteria Christi caute gentibus et hæreticis aperienda. — Nolite dare sanctum canibus, neque miseritis margaritas vestras ante porcos*, et reliqua (*Matth.* VII, 6). Præceptis et promissis Dei nihil pretiosius sanctiusque est, quæ sanctificatis nobis immortalitatis thesaurum largiuntur. Horum igitur sacramenta atque virtutes neque in gentes efferre, neque cum hæreticis conferre permittimur. Canes enim, de oblatrandi adversus Deum rabie, gentes sunt nuncupatæ. Porcorum vero hæreticis est nomen : quia quamvis ungulæ bifidæ sint, acceptam tamen Dei cognitionem non ruminando disponunt. Ergo et (*c*) concorporationem Verbi Dei, et passionis mysterium, et virtutem resurrectionis non promiscue tractare nos convenit, neque imperite incurioseque proferre : ne ignorantiam nostram, si perfectæ **697** scientiæ desit instructio, proterant atque conculcent, et infirmitatem in Deo passionis irrideant ; conversique in nos, contradictionum aculeis imperitiam nostram fidemque disrumpant.

2. *Orationis vis contra imperitiam. Lex caritatis.*— Sed in his, quæ ignorabimus, via nobis consequendæ veritatis aperitur : quam obtinere in sola precum mora est. Ut igitur sentiamus credamusque omnia, et nullo ambiguæ voluntatis differamur incerto ; orandum est, quærendum est, pulsandum est (*Ibid.*, 7) : oratione (*d*) misericordiam, inquisitione profectum, tentamento aditum reperturi. Quin etiam ad spem obtinendi, exemplo humani affectus docemur. Nam cum nos filiis piscem panemve poscentibus, non serpentem simus aut lapidem reddituri ; quanto magis nobis optimus ac præstantissimus pater Deus orantibus perfectæ fidei munera largietur (*Ibid.*, 9 *et seq.*) ; neque sit pro vitæ cibo lapidem duritiæ gentilis, aut pro baptismi conservatione serpentem veneni hæretici præsiturus ? Consummavit deinde omnia bonitatis exemplo, universos amoris mutui pace conjungens : in eo legis et prophetarum mandata constituens, ut universorum in nos bonitatem optantes, ipsi omnibus boni simus.

3. *Via cœli a paucis trita, et e contra. — Intrate per angustam portam. Quam lata et spatiosa via, quæ ducit ad perditionem* ! Arduum in cœlum iter hominis est, et aditus angustus ac tenuis : cæterum perditionis via lata est. Hanc plures obtinent, illam porro pauci inveniunt. Paucis enim damna rerum præsentium cara sunt : quibus cupiditates et animi vincere et corporis frangere, et exposita totis sæculi viribus illecebrarum omnium lenocinia præterire, maximum cœlestis spei lucrum est. Illis autem quibus solum bonum est scortari, comessari, ambire, insolescere, fastidire, odisse, diripere, plurimus est frequentatum iter tale comitatus.

4. *Dei servus non verbis, sed factis dignoscitur.*—Et quia paucorum esset viam angustam invenire, fraudulentiam eorum qui eam se quærere mentirentur exponit, dicens : *Attendite a pseudoprophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium*, etc. (*Ibid.*, 15). Blandimenta verborum et mansuetudinis simulationem admonet fructu operationis expendi oportere : ut non qualem quis se verbis referat, sed qualem se rebus efficiat spectemus ; quia in multis vestitu ovium rabies lupina contegitur. Ergo, ut spinæ uvas, ut tribuli ficus non generant, et ut iniquæ arbores utilia poma non afferunt (*Ibid.*, 16) : ita ne in istis quidem consistere docet boni operis effectum ; et idcirco omnes cognoscendos esse de fructibus. Regnum enim cœlorum sola verborum officia non obtinent : neque qui dixerit : *Domine,* **698** *Domine*, hæres illius erit (*Ib.*, 21). Quid enim meriti est Domino dicere *Domine, Domine?* Numquid Dominus non erit, nisi fuerit dictus a nobis? Et quæ officii sanctitas est nominis nuncupatio ; cum cœlestis regni iter obedientia potius voluntatis, (*e*) non Dei nuncupatio repertura sit ?

5. *Cœlum non mirabilibus sed bonis operibus redditur. —Multi mihi dicent in illa die, Domine Domine, nonne in tuo nomine prophetavimus?* et reliqua (*Ib.* 22). Etiam nunc pseudoprophetarum fraudulentiam et hypocritarum simulamenta condemnat, qui gloriam sibi ex verbi virtute præsumunt, in doctrinæ prophetia, et dæmoniorum fuga, et istiusmodi operum virtutibus : atque hinc sibi regnum cœlorum pollicentur. Quasi vero eorum aliquid proprium sit, quæ loquuntur aut faciunt, et non omnia virtus Dei invocata perficiat :

Deum non credit, peccat in Spiritum sanctum, id est in Christi divinitatem, quod peccatum trabs infidelitatis est in oculo mentis.

(*a*) Editi, omissis verbis *infidelitatis trabe*, subjiciunt *in oculo utroque* : restaurantur ex mss. in quorum nonnullis deest vox *infidelitatis*.

(*b*) In excusis, *quod exigat*. Melius in mss. *quod* (vel *quo*) *egeat*. Hoc est quod scholæ dicunt, *nemo dat quod non habet*.

(*c*) Bad., Er. et Lips. *incorporationem*. Alii vero libri *concorporationem*. *Corporationem* prologo in psalmos n. 5, 6 et alibi dicere solet Hilarius.

(*d*) Ms. Rom. *misericordia, inquisitione perfectum testamento aditum reperturi* ; falsa veri specie, licet in cæteris etiam exstet *misericordia*, *inquisitione*, *profectu*, ac deinde in duobus *testamento*.

(*e*) Editi, *quam Dei* : reluctantibus mss. Rursum particula *potius* cum *non* jungitur infra c. 8, n. 8.

cum doctrinæ scientiam lectio afferat, (*a*) dæmoniorum confugam Christi nomen exagitet. De nostro igitur est beata illa æternitas promerenda : præstandumque est aliquid ex proprio, ut bonum (*b*) velimus, malum omne vitemus, totoque affectu præceptis cœlestibus obtemperemus ; ac talibus officiis cogniti Deo simus, agamusque potius quod vult, quam (*c*) quod potest gloriemur : repudians eos ac repellens, quos a cognitione sua opera iniquitatis averterint.

6. *Tentationum progressus.—Omnis ergo qui audit verba mea, et facit, similem eum æstimabo viro sapienti, qui ædificavit domum suam super petram*, et reliqua (*Ibid.*, 24). Sensus est superioribus junctus. (*d*) Objurgans enim pseudoprophetarum jactantiam et hypocritarum figmenta, per comparationis exemplum perfectæ in se fidei hominem exponit, quod is, qui verba sua et audiat et faciat, super petram sit ædificatus, et fundamento stabili firmoque consistat, (*e*) eumque incidentium tempestatum impetu non posse dissolvi ; in petra se ipsum Dominus significans, validum ædificii fundamentum. (*f*) Cum autem qui ex se in sublime opus excreverit, moveri non possit vel pluviis, vel fluminibus, vel vento ; in pluviis, blandarum et sensim illabentium voluptatum illecebras significat, quibus primum fides rimis patentibus immadescit : post quas torrentium procursus, id est, graviorum cupiditatum motus incurrit : atque exinde tota ventorum vis circumflantium (*g*) desævit, universus scilicet diabolicæ potestatis spiritus infertur. Sed fundamento petræ homo ædificatus **699** insistet, nec moveri loco suo poterit. Stultus vero hæc audita dissimulans, tamquam super arenam opus ædificationis impenderit, infideliter stat, cito pluviis illabentibus (*h*) subluendus, et fluminibus propellendus, et ventis differendus, secundum naturam super quas ædificatus est arenarum, cum gravi ruinæ suæ strage solvendus (*Ibid.*, 25).

7. *Scopus prædictorum.* — Atque ita superiorum (*i*) comparationum exemplo Dominus nos voluit, et efficere quæ jussit, et credere quæ spopondit. Consummatis igitur omnibus, turbæ mirabantur doctrinam ejus, qua se non Scribarum et Pharisæorum more docuisset (*Ibid.*, 28 *et* 29). In verborum enim virtutibus effectus potestatum metiebantur.

CAPUT VII.

De leproso quem curavit, de puero tribuni paralytico, de socru Petri, de plurimis et diversis curis.

1. *Sensus allegoricus nil detrahit litteræ veritati. Lex jam inutilis.— Et descendente eo de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ. Et ecce leprosus quidam veniens adorabat eum dicens, Domine, si vis, potes me mundare*, et reliqua (*Matth.* VIII, 1 *et* 2). In exordio sermonis (*j*) admonuimus, ne quis forte existimaret aliquid rerum gestarum fidei detrahendum, si res ipsas profectus rerum consequentium continere in se doceremus. Nihil enim veritati detrahit, imitationem veritas consecuta. Toto igitur superiore sermone Dominus fidei præcepta tradiderat, legem excesserat, jam inutilem atque inefficacem excedendo significans. Mandatorum observantiam exegerat, ante promissorum suorum spem fidissimam imperaverat : quod igitur post hæc primum gesserit, contuendum est.

2. *Legis infirmitas a Christo suppletur.*— Adest leprosus, emundari se rogat, purgatur verbi potestate (*k*) cum tactu, jubetur silere (*Ibid.*, 3 *et* 4), sed tamen ostendere se sacerdoti et munus quod Moyses in testimonium fieri præcepit offerre. Curatio igitur (*l*) audientis et credentis turbæ et cum Domino de monte venientis in leproso ostenditur : quæ vitiosa labe corporis contaminata, auditaque regni cœlorum prædicatione curari se rogat ; (*m*) cum tactu corporis visitatur, Verbi virtute curatur, et ut salus hæc **700** non offerretur potius, quam quæreretur, silentium imperatur, et ostendere se sacerdotibus jubetur : ut prænuntiatus in lege factis et operibus cernatur ; et in quo lex infirmabatur, in eo (*n*) verbi virtus intelligeretur : præmium quoque receptæ salu-

(*a*) Sic mss. At editi, *dæmonia Christi*, etc.

(*b*) In aliquot mss. *malimus*. Ita autem vult Hilarius de nostro promerendam beatitudinem, ut salutis nostræ opus Dei esse non neget. *Et competens*, inquit in ps. CXLII, n. 12 : *Illa humanæ verecundiæ professio est, ut quod per Spiritum Dei in terram rectam deducendus sit, id non meriti esse sui arroget.* Tum n. 13, meritum cum gloria Dei præclare conciliat his verbis : *Habuit quidem hoc justitia verecundiæ ut quidquid illud sibi beatitudinis sperat, id pro magnificentia Dei potius, quia Deo beata et æterna et bona tribuere sit dignum, quam pro merito suo postulet. Sed tamen præferens honorem et misericordiam Dei, merendi quoque id per se non exclusit officium*, etc.

(*c*) Apud Par. *quod prodest*. Rectius in aliis libris *quod potest*, id est, de potestate Dei gratis et absque ullo merito indulta.

(*d*) In pluribus mss. *subjurgans*.

(*e*) Ita codex Colb. aliis faventibus. At Bad., Er. et Lips. cum aliquot mss. omittunt *eumque*, ac proximum verbum *consistat* : moxque subjiciunt *possit dissolvi..... Dominus significat*. Mallemus, *quodque incidentium tempestatum impetu non possit dissolvi*.

(*f*) Editi, *cum autem qui ex se in sublime opus excreverit, moveri non possit*

(*g*) Bad., Er. et omnes prope mss. *desæviat..... inferatur*.

(*h*) In vulgatis, *subruendus*. Verius in mss. *subluendus*. Non enim domus pluviis evertitur, sed eversioni præparatur. Sic lib. II de Trin. n. 22, laudatur fundamentum *non inundationibus subluendum*. Et in ps. LXVIII, n. 3 : *Sunt et aquæ arenosam domum subluentes*.

(*i*) Editi *conturbationum exemplo* corriguntur ex potioribus mss.

(*j*) Puta cap. 2, num. 2.

(*k*) Editi, *contactum jubetur silere*. Verbis evangelicis, *tetigit eum dicens, Volo, mundare*, magis congruunt mss.

(*l*) Sic mss potiores. Alii vero libri, *obedientis*, ac post verbum *venientis* adjiciunt *adoratio*.

(*m*) In vulgatis, *contactu*. Rectius in mss. *cum tactu*. Sic enim et tempus notatur impertitæ sanitatis, quando carne a Verbo assumpta populus visitatus est, et Verbi virtus cum corporis tactu jungitur, quomodo superius in his, *purgatur verbi potestate cum tactu*.

(*n*) Vocabulum *verbi* abest a Bad., Er., Lips. et aliquot mss.

tis, qui purgatus est, Deo offerat (*a*); sed ut donum illud non sit ex avibus, sed ut homo ipse a sordibus peccati corporis emundatus, in sacrificium Dei transeat (*Levit.* XIV, 4); quia quod Moyses in lege præceperit, testimonium sit, non effectus.

3. *Tribunus, princeps gentium crediturarum.* — *Post hæc autem cum introisset Capharnaum, accessit ad eum quidam tribunus rogans eum, et dicens: Puer meus jacet in domo paralyticus*, etc. (*Matth.* VII, 5 *et* 6). Sequitur emundationem leprosi, paralytici pueri curatio. Sed quid istud est, quod non dignum se tribunus pueri dominus profitetur esse, ut Christus domum ejus introeat, puerum videat, et præsens præsenti opem afferat; seque habere milites, jubere quod velit, et in potestate posito parere sibi plurimos, similiter et Dominum curationem verbo posse præstare? De tribuno posuisse me satis sit, principem esse gentium creditarum. Quis hic princeps sit cui subjecti sunt plures, qui volet scire, Moysi in Deuteronomio canticum (*Deut.* XXXII), et Salomonis librum Ecclesiasticum, ubi de dispersione gentium quædam locuti sunt, legat: nobis tantum de puero tractatus sit.

4. *Gentium salus ex fide.* — Succedit deinde in hoc puero post paralysis sanitatem (*b*) curationi populi de monte descendentis, salus gentium. Jacebat enim puer dissolutus in domo humili, corruptibili, et ingressu ejus, cujus tamen egens erat, Salvatoris indigna. Et tribunus scit puerum verbo posse sanari: quia salus gentium omnis ex fide est, et in præceptis Domini vita est universorum. Igitur jacentes in sæculo, et peccatorum morbis dissolutæ gentes existimandæ sunt: omnibus undique artubus fluidis, et ad consistendi officium ingrediendique corruptis. Quarum salutis sacramentum in tribuni puero expletur, non tamen ingressuro domum Christo. Licet enim in sæculo demoratus sit, vitia tamen sæculi et peccata non adiit.

5. *Tribunus non erat de gentibus* — Miratus deinde fidem ait, *Non inveni tantam fidem in Israel* (*Ibid.* 10). (*c*) Non erat tribunus iste de gentibus: et quomodo in Israel fides talis non est reperta; cum qui crederet esset Israelita? Sed ut similitudinem futuri hæc ipsa veritas æmularetur; idcirco verbi ratio subjecta est, tantam fidem, quanta gentium est, in Israel non reperiendam, et cum Abraham et Isaac et Jacob in regno cœlorum ex ultimis gentibus quieturos (*Ibid.* 11). Perfecta quidem est in puero secundum credentis fidem veritas sanitatis: sed præsentium efficientia etiam futurorum imagini proficere monstratur, quando et tribuno credente, **701** et puero salvato, nec talis in Israel fides reperta est, et regni cœlorum consortium cum Abraham gentibus destinatur.

6. *Petri socrus infidelitatis affectio. Petrus fidei et apostolatus princeps.* — *Cum venisset Jesus in domum Petri, vidit socrum ejus jacentem et febricitantem*, et reliqua (*Ibid.* 14). In socru Petri, vitiosa infidelitatis æstimatur affectio, cui adjacet libertas voluntatis, quæ nos quadam sibi conjugii societate conjungit. Ergo ingressu Domini, (*d*) in Petri domu, id est, in corpore curatur infidelitas peccatorum calore exæstuans, et vitiorum ægra dominatu. Mox deinde sanata, officii famulatu ministrat. Nam primus credidit, et (*e*) apostolatus est princeps: et quod in eo ante languebat, Dei verbo invalescens (*f*) ministerio tamquam publicæ salutis operatum est. Recte autem hanc ex socru Petri similitudinem ad affectionem infidelitatis aptari, loco qui de nuru et socru consequitur tractabimus (*Cap.* 10, *n.* 18). Nunc autem ideo infidelitatis socrus Petri nuncupabitur, quia usque dum credidit, voluntatis suæ servitio detinebatur.

7. *Christus passione sua infirmitates nostras sanavit.* — *Vespere autem facto obtulerunt ei multos dæmonia habentes: et ejiciebat spiritus immundos*, etc. (*Ibid.* 16). Curationem promiscuam horis vespertinis, concursu eorum quos post passionem docuit recognoscimus: omnium peccata dimittens, omnium infirmitates auferens, et malarum voluptatum insidentium incentiva depellens, passione corporis sui, secundum prophetarum dicta, infirmitates humanæ imbecillitatis absorbens (*Ibid.* 17).

8. *Qua ratione hæc explicanda.* — *Videns autem Jesus turbas multas circum se, jussit discipulos suos ire trans fretum. Et accedens ad eum quidam Scriba ait, Magister, sequar te quocumque ieris*, et reliqua (*Ibid.* 18 *et* 19). Multa incurrunt, quæ sensum communem movere possunt. (*g*) Atque non nos intelligentiam fingimus, sed gesta ipsa intelligentiam nobis impertiuntur. Neque enim res intelligentiæ, sed rei intelligentia subsecundat. Turbæ plures sunt, et ire trans fretum Dominus discipulis præcipit. Non existimo cadere in Salvatoris bonitatem, ut circumcursantes relinquere voluerit, et secretum quoddam (*h*) imperiendæ salutis eligere. Deinde consequitur Scriba, dicens magistrum se quocumque ierit secuturum: sed nihil a Scriba dictum factumve legitur, quod pos-

(*a*) Supplendum hic *jubetur*. Tum particula *sed* apud Par. perperam expuncta est.

(*b*) Lips. et Par. *curatio populi*: prave. Planius hæc ita diceres: Populi de monte descendentis curationi in leproso significatæ succedit salus gentium præfigurata in puero post paralysis sanitatem. Quamquam de nostro reposuimus *paralysis*, maxime cum in ms. Tur. exstet *paralyticis*, ubi in editis et aliis scriptis habetur *paralytici*.

(*c*) Beccensis codex, *nam erat*: non sibi constat, dum proxime subjicit, *cum crederet, quia esset Israelita*.

(*d*) Editi, *in Petri domum, id est, corpus*.

(*e*) Rom. ms. *apostolatu*. Hilarii mentem illustrat illud Innocentii epist. ad Victricium dicentis de Petro, *per quem et apostolatus et episcopatus in Christo cœpit exordium*.

(*f*) Mss. Carn., Colb., Vatic. et Rom. *ministeria... operatus est*.

(*g*) Lips. et Par. *at non nos*, Bad. et Er. *ad quæ non nos*: refragantibus mss.

(*h*) Bad. et Er. *imperandæ salutis*.

set offendere. Dominus respondit, vulpibus esse foveas, et cœli volucribus nidos quiescendi, filio autem hominis, quo reclinet caput suum, locum esse nullum (*Ibid.* 20). Et discipulum postulasse, dari sibi tempus patris sepeliendi : hoc negatum, et pii atque humani officii vetitam religionem (*Ibid.* 21 *et* 22). Ergo rerum tantarum, et tam diversarum ratio promenda est : atque ita, ut secundum continentem rerum ordinem, et gravissimas veritatis ipsius causas, interioris significantiæ intelligentia explicetur.

702 9. *Fidelium electionis typus. Ecclesiæ navis.* — Discipulorum nomen non in duodecim tantum Apostolis versari existimandum est. Nam præter Apostolos, plures fuisse discipulos legimus. Ex omni igitur turba quædam fieri (*a*) jubetur electio : eorum scilicet, qui Dominum per multa sæculi hujus pericula et jactationes essent secuturi. Ecclesia enim instar est navis, et plurimis locis ita nuncupata est : quæ diversissimi generis et gentis (*b*) vectore suscepto, subjecta est omnibus et ventorum flatibus et maris motibus. Atque ita illa et sæculi et immundorum spirituum vexatur incursibus. Propositis enim periculorum omnium motibus, Christi navem, id est, Ecclesiam introimus : scientes nos mari ventoque jactandos. Ut igitur ordo typicæ significantiæ cohæreret, possetque intelligi fidelium portio conscendentium navem, et infidelium turba residentium; Scribæ et discipuli persona subjungitur.

10. *Scriba doctor legis, infideles adumbrat. Vulpes, pseudoprophetæ. Volucres cœli, dæmones. Caput Christi Deus. Omnes in Ecclesiam invitati.* — Et quidem Scriba, qui est unus ex doctoribus legis, an sit secuturus interrogat. Quasi vero lege non hunc esse Christum, quem sequi esset utile, contineretur. Igitur infidelitatis affectum sub diffidentia interrogationis expressit : quia fidei assumptio non interroganda est, sed sequenda. Ut autem eadem interrogatio infidelitatis esset punita judicio; Dominus respondit, vulpes habere foveas, et volucres cœli nidos quibus requiescant, hominis autem filium non habere ubi caput suum reclinet. (*c*) Vulpes est animal insidiosum, circa domorum se occulens foveas, et domesticis avibus insidians : atque hoc nomine pseudoprophetas nuncupari aliquot locis legimus. Volucres autem cœli sæpe numero immundos spiritus cognominari didicimus. Dei ergo filius paucitatem sequentium contuens, et doctore legis diffidente an sequeretur ipsum, exprobrat pseudoprophetis esse foveas, et immundis spiritibus nidos quiescendi; quod extra navem relicti, id est, extra Ecclesiam positi, effecti sint incolatus pseudoprophetarum, et habitatio dæmonum : filium autem hominis, se scilicet cui caput Deus sit, non reperire in quos collocata Dei cognitione requiescat : invitatis omnibus ut in navem, ita in Ecclesiam; paucis metu maris, id est sæculi, secuturis.

11. *Patri infideli an jus in filium fidelem.* — Adest post hæc discipulus, non interrogans an sequatur (jam enim sequi oportere se credidit), sed permitti sibi orans sepelire patrem. Accepimus in dominicæ orationis exordio, ita primum precandum : Pater noster qui es in cœlis (*Matth.* VI, 9). Ergo quia credentis in discipulo populi persona est, admonetur ut meminerit quod pater sibi (*d*) vivus in cœlis est. Sequi autem **703** Dominum jubetur, quia et volebat, ita ut mortui mortuum sepeliant. Sed nullum arbitror officium exspectari a mortuis posse. Quomodo ergo mortui mortuos humabunt? Primum igitur ostendit, perfectam in se fidem nulla sæcularis in alterum officii religione esse devinctam : deinde inter fidelem filium patremque infidelem jus paterni nominis non relinqui. Non igitur obsequium humandi patris negavit : sed addendo, *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos*, admonuit non admisceri memoriis sanctorum mortuos infideles : mortuos autem etiam eos esse, qui extra Deum vivant. Et idcirco mutua mortuis officia relinquenda, ut mortui sepeliantur a mortuis : quia per Dei fidem vivos vivo oporteat adhærere.

CAPUT VIII.

De discipulis in navi excitantibus Jesum, de duobus dæmoniacis in terra Gerasenorum, de paralytico curato et lectum auferente.

1. *Christus quando et quanto periculo dormiat in nobis.* — *Et ascendente eo in naviculam, secuti sunt eum discipuli. Et ecce tempestas magna facta est in mari,* et reliqua (*Matth.* VIII, 23 *et seqq.*). Navem discipulis introgressis tempestas oritur, mare commovetur, navigantes turbantur. Ipse vero somno consopitus (*e*) timentium metu excitatur, oratur ut opem afferat. Et increpitis iis quod modicæ essent fidei, vento et mari tranquillitatem imperavit, (*f*) cum admiratione hominum præceptis ejus ventum et mare obedisse. Igitur secundum hæc ecclesiæ, intra quas verbum Dei non vigilaverit, naufragæ sunt : non quod Christus in somnum relaxetur, sed quod somno nostro consopiatur in nobis. Maxime autem illud accidit, ut a Deo (*g*) præcipue in periculi metu et vexatione speremus. Atque utinam vel spes sera confidat sese periculum posse evadere, Christi (*h*) intra se virtute vigilante. Perpetuam autem nobis objurgationis suæ recordationem reliquit, dicens: *Modicæ fidei, quid timidi estis* (*Ibid.* 26)? metum scilicet motuum sæcu-

(*a*) In vulgatis, *videtur*. At in mss. *jubetur*, quomodo et in sacro textu, *jussit discipulos suos ire trans fretum*.

(*b*) Hic ut infra c. 21, n. 2, *vector* passive sumitur.

(*c*) Mss. summo consensu, *vulpis*.

(*d*) Editi, *unus in cœlis est*. Rectius mss. *vivus*, puta loco mortui : et hoc, *quia per Dei fidem vivos vivo oporteat adhærere*, ut infra subjicitur.

(*e*) Carnutensis codex cum uno Colb. *compositus*.

(*f*) Illud, *cum admiratione hominum*, eamdem vim habet ac, mirantibus hominibus.

(*g*) Latinio conjectanti legendum esse *præsidium* non suffragantur mss.

(*h*) Vulgati, *intra nos servitute vigilante* : corriguntur auctoritate mss.

larium, cum quibus (*a*) Christi fides vigilet, nullum esse oportere.

2. *Discipuli cur jam homines, non discipuli dicantur.* — Consequitur deinde hominum admiratio dicentium: *Qualis hic homo est, quod venti et mare obediunt ei* (*Ibid.* 27)? Non discipulorum hic sermo, sed gentium est. Nam cum superius et discipulos tantum navem introisse, et a discipulis tantum excitatum esse dixisset; nunc admiratos esse homines significat, (*b*) hominibus hominem **704** in ipsa admiratione dicentibus. Qua nominum conversione intelligitur, omnia opera Christi, omnesque ejus virtutes ut Dei esse laudandas : quia piaculi gentilis miserrimique erroris stultitiam demonstrat, quod eum ex humilitate passionis hominem potius nuncupent, quam ex virtutibus Deum.

3. *Et cum venisset trans fretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo homines dæmonia habentes de monumentis exeuntes, periculosi nimis*, et reliqua (*Ibid.* 28). Duum hominum occursus, dæmonum in duos homines longa possessio, et periculosa transeuntibus via, et transfugiendi in porcos deprecatio, et purgatis hominibus gregis ipsius per præceps in mare casus, dehinc pastorum in oppidum fuga, populi de civitate progressus, et ne urbem Dominus adiret legatio, et reditus ejus in patriam, et illic paralytici in lecto jacentis oblatio, et (*c*) pro fidei merito in tempore ipso peccatorum remissio, et murmur Scribarum, et virtutis confessio, et paralytici etiam sub onere lectuli in domum reditus, et hominum admiratio, hanc habent causam.

4. *Dæmones e gentibus expulsi hæreticos obtinent. Christus a Judæis repudiatus* ABIT AD GENTES. — In exordio generis humani in tres fuit humani generis divisio, Noe scilicet filios, ex quibus secundum prophetiam Genesis, Sem in possessionem Dei delectus est. Extra urbem autem, id est, extra legis et prophetarum synagogam, duos homines in monumentis dæmones detinebant : duarum scilicet gentium origines intra defunctorum sedes et mortuorum reliquias obsederant, efficientes prætereuntibus viam vitæ præsentis infestam. Igitur ut esset in rebus gerendis futuri plena meditatio, venienti Domino duo homines occurrunt : ut occursu eorum, concurrentium ad salutem voluntas indicaretur. Sed in hominibus dæmones proclamant, cur sedem invideat, cur ante judicii tempus infestet. Adjacebat etiam eis duobus gentium populis plebs (*d*) ex Sem genere Sadducæorum, quorum hæresis ex Judæis negatæ resurrectionis piaculum est. Videntes igitur dæmones, non sibi jam locum in gentibus derelinqui, ut patiatur habitare se in hæreticis deprecantur : quibus occupatis, totus in mare impetu rapido per præceps grex coactus est : in cupiditatem scilicet (*e*) sæcularem dæmonum præcipitantur instinctu, in aquis multis, id est, cum reliquarum gentium **705** infidelitate morituri. Atque etiam in hoc typica ratio servata est, ut non satis esset dixisse præcipitatos in mare, nisi etiam adderetur, *Et mortui sunt in aquis multis.* Quorum principes atque pastores rerum talium admiratione turbati ad urbem veniunt, et quæ gesta sunt nuntiant (*Ibid.* 32, 33). Urbs illa Judaici populi habet speciem, (*f*) quæ Christi operibus auditis, Domino suo obviam pergit, prohibens ne fines suos urbemque contingeret; neque enim Evangelia (*g*) lex recipit : a qua repudiatus, in civitatem suam revertitur (*Matth.* IX, 1). (*h*) Deo civitas fidelium plebs est. In hanc igitur navi, id est (*i*) Ecclesia, vectus introiit.

5. *Adam obtinuit veniam.* — Jamque in paralytico gentium universitas offertur medenda. Sed et curationis ipsius verba sunt contuenda. Non dicitur paralytico, Sanus esto; non dicitur, Surge et ambula; sed dicitur, *Constans esto fili, remissa sunt tibi peccata tua* (*Ibid.* 2). In Adam uno peccata universis gentibus remittuntur. Hic itaque Angelis ministrantibus curandus offertur, hic filius nuncupatur, (*j*) quia primum Dei opus est : huic remittuntur animæ peccata, et indulgentia primæ transgressionis ex venia est. Non enim paralyticum peccasse aliquid accepimus : cum præsertim alio in loco idem Dominus dixerit, cæcitatem a nativitate non ex peccato aut proprio aut paterno fuisse contractam (*Joan.* IX, 3).

(*a*) Sex mss. *Christus vigilet :* non alio sensu, cum *secundum fidem nostram aut vigilantem aut dormientem*, et Deus et Christus in nobis vigilent et dormiant, ut exponitur in psal. CXX, n. 9. Rectius tamen in aliis libris exprimitur fidei vocabulum propter verba *modicæ fidei.*

(*b*) Vocem *hominibus* in vulgatis omissam revocamus ex mss. retinentes simul subsequentem, scil. *hominem*, quamvis in his desit.

(*c*) Abest *pro fidei merito* a tribus mss.

(*d*) In aliquot mss. *ex genere*, omisso vocabulo *Sem*, quod omnino cum aliis libris retinendum. Vult quippe Hilarius, gentium infidelitati proximam esse hæresim, maxime quæ resurrectionem negat, quæ populi Dei, seu generis Sem portionem corrupit. His porro explanat illud, *Erat autem non longe ab illis* (duobus dæmoniacis) *grex multorum porcorum :* ubi in porcis hæreticos intelligit hic et infra, ut et superius cap. 6, n. 1.

(*e*) Editi, *sæcularium :* refragantibus mss. cum quibus deinde malumus *præcipitantur... morituri*, nimirum hæretici, quam cum vulgatis *præcipitatur... moriturus.*

(*f*) In vulgatis, *qui.* Melius in mss. *quæ*, scil. urbs. Unde et mox legitur *a qua*, non *a quo.*

(*g*) In pluribus mss. desideratur *lex;* quo nomine suppresso, verbum *recipit* ad Judaicum populum referre liceret. Horum loco apud Bad. exstat, *evangelica lex præcepit :* apud Er. *Evangelica lex præcipit :* apud Lips. *evangelicam legem percepit.*

(*h*) Editi, *Dei civitas :* non suffragantibus mss. quorum tres mox subjiciunt, *in hanc igitur sedem navi*, etc.

(*i*) Sic plures mss. ut etiam conjectabat Latinius. At editi, *id est Ecclesiam.* Hanc autem plurimis locis navim nuncupari ipse Hilarius superiori capite n. 9, observat.

(*j*) In vulgatis, *qui.* Rectius in potioribus mss. *quia :* qua particula redditur ratio cur Adam dicatur filius Dei, ad imitationem scilicet Lucæ III, 38, ubi ait, *Qui fuit Henos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei.* Paulo ante Bad., Er. et Lips. cum aliquot

6. *Christum esse Deum.* — (*a*) Veritatis deinde ordo succedit in gestis, quamvis futuri species expleatur in dictis. Movet Scribas remissum ab homine peccatum (*Matth.* IX, 3) : hominem enim tantum in Jesu Christo contuebantur. Et remissum est (*b*) ab eo, quod lex laxare non poterat; fides enim sola justificat. Deinde murmurationem eorum Dominus introspicit, (*c*) dicitque facile esse filio hominis in terra peccata dimittere (*Ibid.* 4 *et* 5). Verum enim nemo potest dimittere peccata, nisi solus Deus : ergo qui remittit Deus est. Quia nemo remittit nisi Deus, Deus in homine manens curationem homini præstabat : et nulla ei agendi et loquendi erat difficultas, cui subest totum posse quod loquitur.

7. *Paralytici curatione quam multa docentur.* — Porro autem ut ipse (*d*) esse in corpore positus intelligi posset, qui et animis peccata dimitteret, et resurrectionem corporibus præstaret; ait, *Ut sciatis quoniam filius hominis habet potestatem in terra dimittere peccata, ait paralytico, Surge, et tolle lectum tuum* (*Ibid.* 6). Satis fuerat **706** dixisse, *Surge :* sed quia omnis erat perficiendi operis ratio explicanda; adjecit, *Tolle lectum tuum, et vade in domum tuam.* Primum remissionem tribuit peccati, dehinc virtutem resurrectionis ostendit, tum sublatione lectuli infirmitatem ac dolorem corporibus docuit afuturum (*al.* abfuturum), postremo reditu in domum propriam iter in paradisum credentibus esse redhibendum, ex quo Adam parens universorum peccati labe dissolutus excesserat.

8. *Venia omnes egent: Non miranda in Christo potestas dimittendi peccata.* — *Videntes autem turbæ timuerunt* (*Ibid.* 8). Opus istud admiratio potius consequi, non metus debuit; sed manet etiam nunc ordo mysterii; ut veritati præsentium, futurorum species (*e*) adjecta sit dictorum et factorum Domini virtutem turbæ timent. Magni enim timoris res est, non dimissis a Christo peccatis in mortem resolvi : quia nullus sit in domum æternam reditus, si cui indulta non fuerit venia delictorum. *Et honorificaverunt Deum, qui tantam dedit potestatem hominibus.* Conclusa sunt omnia suo ordine, et cessante jam desperationis timore honor Deo redditur, quod tantam dederit hominibus potestatem : sed soli hoc Christo erat debitum, soli de communione paternæ substantiæ hæc agere erat familiare. Non ergo hoc venit in admirationem, quod posset ista (quid enim non posse Deus credetur?); alioquin laus de uno homine, non de pluribus exstitisset : sed delati Deo honoris hinc causa est, quod potestas hominibus (*f*) ac via data sit per verbum ejus, et peccatorum remissionis, et corporum resurrectionis, et reversionis in cœlum.

CAPUT IX.

De Matthæo publicano, de Pharisæorum et discipulorum Joannis jejunio, de assuto panno rudi, de profluvio mulieris, de filia principis excitata a mortuis, de duobus cæcis, de surdo et muto.

1. *Et cum transiret inde Jesus, vidit hominem sedentem in teloneo Matthæum nomine, et ait illi, Sequere me,* et reliqua (*Matth.* IX, 9). Matthæum publicanum sedentem in teloneo sequi se jubet. Et concedens in domum convivium instruit, et cum eo publicanorum et peccatorum turba discumbit : Pharisæis discipulos objurgantibus, cur magistro cum publicanis cibus esset. Quibus respondet, Sanis medico opus non esse, sed curatione ægrotos indigere : euntesque jubet discere quid sit, *Misericordiam* **707** (*g*) *volo quam sacrificium.*

2. *Publicani. Matthæi vocatio. Salus omnibus necessaria, nulli a lege præstatur.* — Publicanorum nomen ex vita est, qui relictis legis operibus, gerere se usu communi et publico maluerunt. Ergo ex domo, id est, ex peccatis corporis, Matthæum Dominus evocavit, in cujus mentem ingressus recumbit. Hic enim idem Evangelii istius scriptor est, et de peccati sui domo exiens, Dominum ipse (*f.* in se) suscepit, interiore ejus habitatione illuminatus, intra quem evangelicis cibis peccatoribus et publicanis convivium divite copia præparatur. Æmulatio deinde agitat Judæos, Dominum publicanis et peccatoribus communicare (*Ibid.* 11). Quibus ille operta infidelitatis velamine verba legis exprompsit, se quidem ægrotis opem ferre et medicinam egentibus præstare; eis autem, qui se sanos existimarent, necessariam curationem nullam esse. Sed ut intelligerent, neminem suorum sanum esse; admonuit ut discerent quid est, *Misericordiam volo, non sacrificium* (*Ibid.* 13) : legem scilicet, sacrificiorum observatione devinctam, opem ferre non posse; sed salutem universis in misericordiæ indulgentia reservari. *Non enim veni justos vocare, sed peccatores in pœnitentiam.* Omnibus venerat; quomodo ergo non se justis venisse dicit? Erant ergo quibus necesse non erat ut veni-

mss. *angelis ministrandus offertur :* male. De Adæ salute videsis notam *g* col. 647 hujus editionis.

(*a*) In nonnullis mss. *veritati* : non placet. Veritati hic ut sæpe alias opponitur species futuri : ut *ordo veritatis* idem sit quod rerum vere gestarum ordo.

(*b*) In vulgatis, hic omisso verbo substantivo *est*, non satis patet Hilarii sententia.

(*c*) In mss. Rom., Vatic., Colb. et Carn. alius est subsequentium verborum ordo, puta, *dicitque, Nemo potest dimittere peccata, nisi solus Deus : ergo qui remisit, Deus est : facile esse* (Colb. *est*) *filio hominis in terra peccata dimittere. Verbum enim Dei in homine manens*, etc.

(*d*) Apud Bad. *esset.* Erasmus deinde verbum *esse* post *posset* transtulit, detorta nonnihil Hilarii sententia, qua vult a Christo declarari, eum ipsum in se jam cerni corporatum, cui convenit peccata dimittere.

(*e*) Par. cum ms. Colb. *adtexta.* Concinnius alii libri, *adjecta*, nimirum præter præsentium veritatem. Deinde in aliis etiam edit. post verba *dictorum et factorum* punctum figebatur; cum n. 6, futuri speciem in dictis expleri dicat Hilarius, non in factis.

(*f*) In vulgatis, *hac via.* Magis placet cum quatuor mss. *ac via*, maxime cum de reversione ad cœlum mox sermo sit.

(*g*) Aliquot mss. cum vulgatis, *malle.*

ret? Sed nemo justus ex lege est. Ostendit ergo inanem justitiæ esse jactantiam : quia sacrificiis infirmibus ad salutem, misericordia erat universis in lege positis necessaria. Nam si justitia fuisset ex lege, venia per gratiam necessaria non fuisset.

5. *Christus sponsus. Cibus vitæ, quo præsente nemo esurit.* — *Tunc accesserunt ad eum Joannis discipuli dicentes, Quare nos et Pharisæi jejunamus frequenter, discipuli autem tui non jejunant* (*Ibid.* 14)? Jejunabant Pharisæi et discipuli Joannis, et Apostoli non jejunabant. Sed istis spiritaliter respondet, sponsumque se Joannis discipulis ostendit. Joannes enim repositam in Christo omnem vitæ spem spopondit; et recipi a Domino discipuli ejus adhuc eo prædicante non poterant. Usque in eum enim lex et prophetæ sunt; et, nisi lege finita, in fidem evangelicam eorum nemo concederet. Quod vero præsente sponso jejunandi necessitatem discipulis non esse respondet (*Ibid.* 15); præsentiæ suæ gaudium, et sacramentum sancti cibi edocet, quo nemo se præsente, id est, in conspectu mentis Christum continens, (*a*) indigebit. Ablato autem se jejunaturos esse dicit : quia omnes non credentes resurrexisse Christum, habituri non essent cibum vitæ. (*b*) In fide enim resurrectionis sacramentum panis cœlestis accipitur : et quisquis sine Christo est, (*c*) in vitæ cibi jejunio relinquetur.

708 4. *Hunc cibum non percipit vetus homo.* — Ut autem intelligerent, non posse sibi in veteribus positis perfecta hæc salutis sacramenta committi, comparationis posuit exemplum. Pannum rudem vestimento veteri non adsui, quia vetustatis infirmitatem virtus (*d*) adsumenti rudis dissolvat : et vinum novum veteribus utribus non infundi; ferventis enim musti calor utres veteres abrumpit (*Ibid.* 16 *et* 17) : infirmas videlicet vetustate peccatorum et animas et corpora, novæ gratiæ sacramenta non capere. Fiet enim scissura pejor, effusoque vino utres veteres peribunt. Duplex enim talium erit reatus, si præter vetustatem peccatorum suorum virtutem novæ gratiæ non sustinebunt : atque ideo et Pharisæos et discipulos Joannis nova non accepturos esse, nisi novi fierent.

5. *Princeps filiæ vitam deprecans, legis typus.* — *Hæc illo loquente, ecce princeps unus accessit, et adorabat eum, dicens, Domine, filia mea modo defuncta est, veni et pone manum super eam*, etc. (*Ib.* 18). Preces principis, fides mulieris, turbæ in domo conventus, et cæcorum duum clamor, muti et surdi et dæmoniaci oblatio, ex superioribus dictis connexæ sibi intelligentiæ tenent ordinem. Princeps hic, lex esse intelligitur; quæ Dominum (*e*) orat pro plebe, quam ipsa Christo prædicata adventus ejus exspectatione nutriverat, ut vitam mortuæ reddat. Nam nullum principem credidisse legimus : ex quo persona principis hujus orantis merito in typum legis aptabitur. Cui quidem Dominus opem spopondit, ad quam præstandam profectus est.

6. *Salutem Judæis paratam gentes præripiunt.* — Sed prior cum apostolis peccatorum turba salvatur. Et cum primum electionem, quæ ex lege destinabatur, vivere oportuisset : anterior tamen in mulieris specie salus publicanis et peccatoribus redditur. Hæc itaque ad Domini prætereuntis occursum tactu vestis Domini sanam se de profluvio sanguinis futuram esse confidit : sordibus scilicet polluta corporis sui, et interioris vitii immunditiis dissoluta, fimbriam vestis per fidem festinat attingere, donum videlicet (*f*) Spiritus sancti, de Christi corpore modo fimbriæ exeuntis, cum apostolis conversata contingere; fitque mox sana (*Ibid.* 22). Ita alteri salus, dum alii defertur, est reddita. Cujus fidem et constantiam Dominus mox laudavit : quia quod Israeli parabatur, plebs gentium occupavit.

7. *Virtus Christi infinita.* — Est autem in simplici intelligentia, magna virtutis dominicæ admiratio : cum potestas intra corpus manens rebus caducis efficientiam **709** adderet sanitatis, et usque in vestium fimbrias operatio divina procederet. Non enim divisibilis et comprehensibilis erat Deus, ut corpore claderetur. Ipse enim dona in Spiritu dividit; cæterum non dividitur in donis. Virtutem autem ejus fides ubicumque consequitur : quia ubique est, et nusquam abest. Et assumptio corporis non naturam Virtutis inclusit, sed ad redemptionem (*g*) suam, fragilitatem corporis

(*a*) Sex mss. *indigebat* : quod non placet. Hæc quidem nihil videntur sonare aliud, nisi, quo sancto cibo nemo indigebit Christo præsente : sed ex subnexis liquet ea potius ita intelligenda : quo sancto cibo Christus efficitur præsens, eoque præsente nemo alio cibo indigebit.

(*b*) Tres mss. *in fidem.* Eucharistiam accipimus in fide resurrectionis, dum ejus perceptione credimus nos panem vivum, et vivi, non mortui, Christi corpus accipere. Accipimus et in fidem resurrectionis, dum non solum panem vivum, sed et vivificantem in ea contineri profitemur, in qua immortalitatis semen nobis præstari nonnulli Patres non immerito tradiderunt. Unde Athanasius epist. 4, ad Serap. t. I, p. 579, edit. Paris. an. 1627, Christum sic loquentem inducit : *Corpus meum, quod ostenditur et datur pro mundo, in cibum dabitur, ut spiritaliter unicuique tribuatur, et fiat singulis tutamen præservatioque ad resurrectionem vitæ æternæ.*

(*c*) Latinius e ms. Vatic. *in vitæ cibo jejunus*, Hilarii mentem clarius ita expressisset, *a cibo vitæ jejunus* : hoc enim est, *relinquetur in jejunio cibi vitæ.*

(*d*) Sic Bad., Er. et Lips. faventibus Par. et quatuor mss. in quibus *adsumpti*. In aliis mss. *adsuti*.

(*e*) Editi, *orat plebs, quam ipsa Christi prædicatio adventus*, etc. emendantur ex mss.

(*f*) *Spiritus sancti* vocabulo verbi divinitatem significari, liquido patet ex subnexis. Quid enim hic sibi vult *Spiritus sancti domum modo fimbriæ exeuntis*, nisi quod infra *operatio divina usque in vestium fimbrias procedens*, seu quod *potestas intra corpus manens rebus caducis efficientiam addens sanitatis*. Sed non minus manifestum est *Virtutis* nomen mox ad eumdem significatum assumi. Divinitas autem Christi de corpore exiit, cum se per opera divina manifestavit. Nec immerito memoratur exisse, quæ corpore non claudebatur.

(*g*) Illud *suam* non ad virtutem, sed ad corpus refertur : corporis autem vocabulo hominum natura intelligitur. Hoc igitur sibi vult hominum naturam infirmam ad eorum redemptionem assumpsit.

Virtus assumpsit : quæ tam infinita, tam libera est, ut etiam (*a*) in fimbriis ejus humanæ salutis operatio contineretur.

8. *Judæi resurrectionem rident. Pauci ex eis credituri.* — Ingreditur deinde Dominus domum principis, synagogam videlicet, cui in canticis legis hymnus luctuum personabat (*Ibid.* 23) : et irridetur a plurimis. Numquam enim illi Deum in homine crediderunt, quin potius prædicari resurrectionem ex mortuis riserunt. Apprehensam igitur puellam manu, cujus apud se mors erat somnus, retraxit ad vitam (*Ibid.* 25). Atque ut rarus hinc esse ex lege credentium electionis numerus intelligi posset, turba omnis expulsa est : quam utique salvari Dominus optasset ; sed irridendo dicta gestaque ejus, resurrectionis non fuit digna consortio. Et exeunte fama in universam terram illam (*Ibid.* 26), (*b*) post electionis salutem donum Christi atque opera prædicantur.

9. *Fides ad salutem prærequisita.* — Exeunte igitur Domino, mox cæci duo sequuntur (*Ibid.* 27). Sed cæci et egressum et nomen Domini quomodo scire potuerunt ? Quin etiam et filium David nuncupant, et salvari se rogant. In cæcis duobus ratio totius superioris præfigurationis absolvitur. Ex his enim filia principis esse monstratur, (*c*) Pharisæi scilicet et discipuli Joannis, qui Dominum jam superius in commune tentaverant. His igitur nescientibus a quo salutem peterent, indicavit lex, et his salvatorem suum in corpore ex David genere monstravit, et cæcis vetere peccato, quia Christum nisi admoniti non videbant, lumen mentis inseruit. Quibus Dominus, (*d*) ostendens non ex salute fidem, sed per fidem salutem exspectandam (cæci enim quia crediderant viderunt, non quia viderant crediderunt (*Ibid.* 28) : ex quo intelligendum est fide merendum esse quod petitur, non ex impetratis fidem esse sumendam), si credidissent, visum pollicetur, et credentibus præstat, et silentium imperat (*Ibid.* 30) : quia apostolorum erat proprium prædicare.

10. *Gentes dæmoniaco designantur.* — Quin etiam post hæc, in muto et surdo **710** et dæmoniaco (*Ibid.* 32), gentium plebs (*e*) indiga totius salutis offertur. Omnibus enim undique malis circumsessa, totius corporis vitiis implicabatur. Et in eo rerum ordo servatus est. Nam dæmon prius ejicitur, et tum reliqua corporis officia succedunt. (*f*) Dei quippe cognitione superstitionum omnium vesania effugata, et visus et auditus et sermo salutis invehitur. Cujus facti admirationem talis turbæ est consecuta confessio, *Numquam sic apparuit in Israel* (*Ibid.* 33) : eum, cui per legem nihil afferri opis potuerat, verbi virtute salvari ; quodque laudes Dei homo mutus surdusque loqueretur. Salute autem gentibus data, civitates omnes et castella omnia virtute et ingressu Christi illuminantur, et omnem infirmitatem veterni languoris evadunt.

CAPUT X.

Ubi duodecim discipulos præmittit cum doctrina.

1. *Videns autem turbas, misertus est : quod essent vexatæ et jacentes*, et reliqua (*Matth.* IX, 36). Verborum virtutes non minus oportet introspicere, quam rerum : quia, ut diximus, paria in dictis atque in factis significationum momenta consistunt. Turbarum Dominus miseretur vexatarum et jacentium, tamquam gregis sine pastore dispersi. Et ait, messem multam, paucos operarios, orandum Dominum messis, ut operarios plures in messem ejiciat (*Ibid.* 37). *Et discipulis convocatis, dedit potestatem ejiciendorum spirituum immundorum, curandæque cunctæ infirmitatis, omnisque languoris* (*Matth.* X, 1). Hæc igitur licet in præsens gesta sint, quid tamen in futurum significent, contuendum est.

2. *Messis Spiritus sancti munus. Quam abundet. Per precem præstatur Virtus ejus.*—Nullus in turbas vexator irruperat, neque casu aliquo motuque perculsæ jacebant : quomodo ergo jacentes vexatasque miseratur (*al.* miseretur) ? Immundi videlicet spiritus dominante violentia vexatam, et sub legis onere ægrotam plebem Dominus miseratur, quia (*g*) nullus adhuc his pastor esset, custodiam sancti Spiritus redditurus. Erat autem doni istius copiosissimus fructus, sed nondum (*h*) messus a quoquam. Ejus enim copia haurientium (*i*) de se multitudinem vincit. Nam quantumlibet assumatur a cunctis, ad largiendeoque in filia principis Pharisæi et discipuli Joannis monstrantur ut legis filii, per se cæci, sed legis ministerio Christum discentes servatorem.

(*a*) Apud Bad., Er., Lips. et in aliquot mss. desiderantur postrema hujus numeri verba : sed eorum loco plura ex numero subsequenti inserta sunt, ut mox dicemus.

(*b*) Editi excepto Par. *in electionis salutem.* Rectius alii libri, *post electionis salutem*, hoc est, post quam sanata est electa portio Judæorum in filia principis adumbrata. Quippe hic, ut paulo ante, et initio num. 6, *electionem* Hilarius nuncupat Judæos, quibus salus a Deo destinata est, ad imitationem scil. Pauli Rom. XI, 5 et 7 : *Reliquiæ secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt... Quod quærebat Israel, hoc non est consecutus : electio autem consecuta est :* et rursum v. 28 : *Secundum Evangelium quidem inimici propter vos, secundum electionem autem carissimi propter patres.*

(*c*) Beccensis codex, Turonensi secundis curis cum eo consentiente, *Pharisæis scilicet et discipulis Joannis.* Nil videtur immutandum. Superius princeps filiæ pater, lex ; filia, plebs legi subdita intellecta est ;

(*d*) Sex versus consequentes, scil. usque *si credidissent*, in antiquis editionibus et septem mss. hic omissi, numeri 8 finem conficiebant. Longe melius hic apud Par. et in quatuor mss. locum obtinent : nisi forte ex margine in textum irrepsisse quis suspicetur.

(*e*) Par. *indigna* ; mox etiam alii editi, *totis corporis vitiis* ; corriguntur auctoritate mss.

(*f*) Editi, *Deus quippe cognitione.* Castigantur ex mss.

(*g*) In tribus mss. *nullum.*

(*h*) Sex mss. *nondum messis.* Cæteri cum Bad. et Er. *nondum missus.*

(*i*) Vocabula *de se* apud Lips. et Par. omissa, supplemus ex mss. Rom. et Colb. His verbis subsequenti vocabulo male conjunctis pro *multitudinem*, apud Bad. et Er. *dissimilitudinem*, in pluribus mss. *dissi-*

dum se tamen semper exuberat. Et quia plures esse utile sit, per quos ministretur; rogari Dominum messis jubet, ut in messem operarios plures ejiciat: ad capessendum scilicet quod præparabatur donum **711** Spiritus sancti, messorum copiam Deus præstet: per orationem enim ac precem hoc nobis a Deo munus (*a*) effunditur. Atque ut in messem illam messores numerosos ex his duodecim primum Apostolis diffundendos indicaret; convocatis illis dedit ejiciendorum spirituum potestatem, et omnis infirmitatis medendæ. Hujus enim doni (*b*) virtutibus, poterant et turbator expelli, et infirma curari. Et dignum est præceptorum singulorum significantiam contueri.

3. *Præcepta Christi apostolicum munus spectantia.*— Abstinere se a viis gentium admonentur (*Ibid.* 5): non quod non etiam ad salutem gentium mitterentur, sed ut opere et vita gentilis ignorantiæ abstinerent. In civitates Samaritanorum vetiti sunt introire. Numquid non potius Samaritanam ipse curavit (*Joan.* 4)? Sed ut ecclesias hæreticorum non adeant admonentur. Nihil enim differt ab ignoratione perversitas. Mittuntur deinde ad oves perditas domus Israel (*Matth.* x, 6). Atquin in eum (*Scil.* Christum) luporum ac viperarum linguis et faucibus sævierunt. Sed (*c*) legislatio obtinere privilegium Evangelii debebat: hoc minus Israel sceleris sui excusationem habiturus, quo plus sedulitatis in admonitione sensisset.

4. *Perfecta in Apostolis Christi imago.* — Tota deinde in apostolos potestas virtutis dominicæ transfertur: (*d*) et qui in Adam in imaginem et similitudinem Dei erant figurati, nunc perfectam Christi imaginem et similitudinem sortiuntur, nihil a Domini sui virtutibus differentes; et qui terrestres antea erant, cœlestes modo fiunt. Prædicent regnum cœlorum propinquare (*Ibid.* 7), imaginem scilicet et similitudinem Dei nunc in consortium veritatis assumi; ut sancti omnes, qui cœli nuncupati sunt, Domino conregnent. (*e*) Infirmos curent, mortuos suscitent, leprosos emundent, dæmones ejiciant (*Ibid.* 8); quidquid malorum Adæ corpori satanæ instinctus intulerat, hoc rursum ipsi de communione dominicæ potestatis emundent. Et ut ex toto, secundum Genesis prophetiam (*Gen.* 1, 26), Dei similitudinem consequantur, dare gratis quod gratis acceperunt jubentur: ut sit scilicet ministratio gratuita muneris gratuiti.

5. *In apostolico ministerio nil venale.* — Aurum, argentum, pecuniam possidere inhibentur in zonis, et peram in via ferre, et duas tunicas et calceamenta, et virgam in manibus assumere: et dignus mercede sua est operarius (*Ibid.* 9 *et* 10). Non invidiosus, ut arbitror, thesaurus in zona est: et quid sibi vult auri, argenti, atque æris in zona inhibita possessio? Zona est ministerii apparatus, et ad efficaciam operis præcinctio. Ergo ne quid in ministerio nostro venale sit admonemur; (*f*) neque hoc apostolatus **712** nostri opus fiat auri, argenti, ærisque possessio. *Nec peram in via*, curam scilicet sæcularis substantiæ relinquendam: quia omnis thesaurus sit perniciosus in terra, corde nostro illic futuro, ubi condatur et thesaurus. *Non duas tunicas.* Sufficit enim nobis semel Christus indutus: neve, per pravitatem intelligentiæ nostræ, altera deinceps vel hærescos vel legis veste induamur. *Non calceamenta.* Numquid humanorum pedum infirmitas patiens est nuditatis? Sed in sancta terra, et peccatorum spinis atque aculeis non obsessa, ut Moysi dictum est, nudis pedibus staturi (*Exodi* III, 5), admonemur non alium ingressus nostri habere, quam quem a Christo accepimus, apparatum. *Neque virgam in manibus*, id est, potestatis extraneæ non (*g*) indigi, quærere jura, habentes virgam de radice Jesse; nam quæcumque alia fuerit, non erit Christi: instructi omni superiore sermone ad conficiendum iter sæculi, gratia, viatico, veste, calceamento, potestate; in his enim operantes, digni mercede nostra reperiemur, id est, per horum observantiam cœlestis spei præmia recepturi.

6. *In quamcumque civitatem introieritis interrogate quis in ea dignus est*, et reliqua (*Ibid.* 11). Levia forte Dominus dedisse Apostolis præcepta existimabitur: quod se usque ad monita introeundi, habitandi, morandi, exeundique summiserit. Hæc quidem intellecta simpliciter sanctorum modestiæ congruunt, ut cum digno sit hospitalitas, neve per incuriam aut ignorantiam cohabitatione probrosæ familiæ polluantur. Sed introeuntes civitatem de digno jubet interrogare, et cum eo habitare usque ad profectionem: domum quoque ab introeuntibus pacifice salutari: quæ si digna est, et pacis (etiam pacis) communione sit digna; si indigna, pax invicem revertatur: qui autem non receperint eos, sermonesque eorum; his excusso pedum pulvere, æternæ maledictionis semina relinquenda (*Ibid.* 13 *et* 14).

mulationem conficiebatur.

(*a*) Bad., Er. et Lips. *effundetur*. Alii vero libri, *effunditur*. Hic locus rursum ad confirmationis sacramentum potest referri. Vide infra c. 19, n. 5, ubi Spiritus sancti donum *per impositionem manus et precationem* præstari declaratur. Tum eædem editiones cum Par. et mss. Colb. et Carn. *atque ut messem illam messoresque*; quibus subjiciunt duo prædicti ms. *ex bis numero duodecim primum apostolos*. Cæteros sequimur.

(*b*) In duobus mss. *virtute poterant*. Deinde apud Latinium Vaticanus codex, *et turbata:* male, cum potestas in turbatorem diabolum data significetur.

(*c*) Turon. mss. a prima manu, sed magis lectio; a secunda, *sed legis lectio*, quod et habent alii quinque.

(*d*) Editi, *ut qui..... sortiantur..... fiant:* reluctantibus mss. Tum ante verbum *prædicent*, reticetur *jubentur ut*.

(*e*) Hic denuo supple, *jubetur ut*. Male autem in prius vulgatis consequentia ad sanctos, quibus prædicatur regnum cœlorum, referebantur; cum de prædicatoribus apostolis dicta sint.

(*f*) Plures mss. *neque in apostolatus*.

(*g*) Apud Par. expunctum est vocabulum *indigi*. Aliæ autem editiones præferentes *potestatis externæ jure non indigi*, omittunt deinde verbum *quærere*. Sequimur mss. in quorum nonnullis habetur *externæ*, loco *extraneæ*.

7. *Domus digna, Ecclesia; dignus hospes, cujus Christus habitator.*— Hæc non mediocriter sensum intelligentiæ commovent. Si enim successuri hospitio non erunt, nisi ante quis dignus sit interrogaverint; quomodo indigna domus postea reperietur? Et quomodo (*a*) sermones eorum non audiet, et ipsos non audiens, et ipsos non recipiens? Aut enim hoc in eo qui justus est non est verendum: aut si indignus repertus sit, nec communio erit habitationis ineunda. Et quid interrogasse proderit et quæsisse de digno, si adversus indignum hospitem et observantia præcipiatur et pœna? Sed instruit eos Dominus, non admisceri eorum domibus ac familiaritatibus, qui Christum aut insectantur, aut nesciunt: et in quacumque civitate interrogare quis eorum habitatione sit dignus, id est, sicubi Ecclesia sit, et Christus habitator: neque quoquam alibi transire, quia sit domus digna, et justus hospes.

8. *Qui pax dicta reverti queat.* — Quod autem ab introeuntibus salutari domum voce præcepit, dicens, *Dicite, Pax* **713** *huic domui:* et si digna domus reperta sit, venire super eam pacem oportere; si vero indigna, pacem ad ipsos reverti: sed si jam primo ingressu in salutationis officio dicta pax est; quomodo postea veniet, aut quomodo postea revertetur? Aut enim dici pax ante non debuit, quam utrum digna esset probaretur: aut si digna fuit et salutata cum pace est, conditio et venturæ et reversuræ pacis non potest ex ratione superioribus cohærere. Quæ ergo dictorum sit proprietas monstranda est.

9. *Judæorum fidem profitentium varia fallacia. Pax indignis optata, non data.*— Judæorum plures erant futuri, quorum tantus in favorem legis affectus esset, ut quamvis per admirationem operum in Christum credidissent, tamen in legis operibus morarentur; alii vero (*b*) explorandæ libertatis quæ in Christo est curiosi, transisse se ad Evangelia ex lege essent simulaturi: multi autem etiam in hæresim per intelligentiæ perversitatem traducerentur. Et quia istius modi omnes fallentes, et audientibus blandientes, penes se esse veritatem catholicam mentiuntur; ideo superius admonuit, dignum cum quo habitandum sit esse quærendum: quia vero per verborum fallaciam incidere ignorantes in istius modi hospitem possent; domo ipsa quæ digna sit dicta, id est, Ecclesia quæ catholica dicitur, caute et diligenter utendum; salutandam quidem cum pacis affectu, sed ita ut potius pax dicta, quam data sit. Nam ita præcepit: *Salutate eam, dicentes, Pax huic domui.* Ergo pax salutationis in verbis est et orationis sermone tribuenda. Porro autem pacem propriam, quæ viscera miserationis sunt, non oportere in eam venire nisi digna sit: quæ si digna reperta non fuerit, sacramentum pacis cœlestis intra propriam eorum conscientiam continendum.

10. *Habitationis communio.*— In eos autem, qui audita cœlestis regni prædicatione apostolorum præcepta respuerint, egressu eorum, et signo pulveris de pedibus excussi, æterna maledictio relinquatur (*Ibid.* 14). Nescio enim quæ (*c*) insistenti in loco cum eo in quo institerit loco videtur esse communio, et fit inter eos quædam corporis solique conjunctio. Ergo omne domus illius habitationisque peccatum intra ipsam excusso pulvere pedum relinquitur, nihilque sanctitatis de insistentium apostolorum vestigiis mutuatur: ut quorum aditu ingressuque delicta terrenæ originis auferuntur, eorum testimonio infidelitas cum omni terræ suæ pulvere judicetur. *Tolerabilius in die judicii terræ Sodomorum et Gomorrhæorum erit, quam civitati isti* (*Ibid.* 15): quia illis ignorato Christo errasse sit levius, his vero inexpiabile sit, aut prædicatum non recepisse, aut receptum non sancte neque catholice prædicasse.

11. *Serpentis prudentia quatenus imitanda secundum quosdam.*— Et quidem plures hos, qui vesano furore in Apostolos desævituri essent, futuros esse significat, cum se eos sicut oves in medio luporum ait mittere, prædicans simplices sicut **714** columbas, et prudentes sicut serpentes esse oportere (*Ibid.* 16). Sed columbæ simplicitas in absoluto est: quæ autem sit serpentis prudentia, contuendum est. Nescio quid in illo prudentiæ consiliique exstet, licet quædam hinc aliqui memoriæ (*d*) mandaverint, quod ubi se in manus hominum venisse intelligat, omni genere ab ictu caput subtrahat, idque aut collecto in orbem corpore contegat, aut foveæ immergat, cæcdique partem reliquam derelinquat: nosque hoc exemplo oportere, si quid acciderit persecutionum, caput nostrum, quod est Christus, occulere; ut oblatis nobis in omnes cruciatus, fidem ab eo acceptam jactura corporis communiamus.

12. Sed omnis hic Domini de Judæis atque hæreticis sermo est: *Tradet frater fratrem, et pater filium, et insurgent filii in parentes* (*Ibid.* 21): id est, familiam inter se (*e*) ejusdem modi dissidere: quia de parentum cognationumque (*f*) nominibus, populi

(*a*) In tribus mss. *sermones eorum non audiens, et ipsos non recipiens.*

(*b*) Rom. ms. *exprobrandæ.* Apertum est expressam esse hanc sententiam ex dictis Pauli II Gal. 4: *Propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram.*

(*c*) Par. cum. ms. Colb. *insistentis loco:* eodem sensu.

(*d*) Ea ipsa de serpente memoriæ prodiderunt post Theophilum Antioch. Tom. II Bibl. Patrum edit. Colon. Chrysostomus hom. XXXIV; Hieronymus in hunc locum; Ambrosius, lib. III de Fide, n. 151; Augustinus, quæst. XVII in Matth. VIII, et alii.

(*e*) Editi excepto Par. ac plures mss. *ejusdem domus.* Quamdam veritatis speciem præ se ferunt, neque anteponendum esset cum mss. Colb. et Carn. *ejusdem modi* (ubi apud Par. *ejusmodi*), nisi Hilarius hic sensum spiritalem sectaretur.

(*f*) Male et absque auctoritate in postrema editione Par. *hominibus.* Tum in sex mss. *populi quædam unitas.* Exinde in vulgatis, *indicatur. Nunc hostili invicem odio, diversisque judicibus, etiam et regibus:* lectio mendosa, et perturbata interpunctio. Castigatior ac distinctior exprimitur ex mss. Horum enim sensus est: exemplo familiæ primum cognatione conjunctæ, post odiis divisæ, indicatur populus, qui quondam unitus, nunc hostili odio diversus sit.

quondam unitas indicatur nunc hostili invicem odio diversi ; judicibus etiam et regibus terræ offerendos (*Ibid.* 18), dum extorquere aut silentium nostrum, aut conniventiam tentant. (*a*) Testes enim ipsis et gentibus futuri : quo testimonio excusatio ignoratæ divinitatis adimenda sit persequentibus ; gentibus vero via pandenda credendi Christum, pertinacibus inter sævientium pœnas confessorum vocibus prædicatum. Instructos igitur nos serpentis prudentia monet esse oportere.

13. *Serpens uti prædicatoribus imitandus.* — Hunc antequam Adam traduceret, jam sapientem Genesis nuncupavit (*Gen.* III, 1) ; et prudentiam ejus malignantis consilii ordine docuit. Primum enim animum sexus mollioris aggressus est, spe deinde illexit, communionem immortalitatis spopondit : et per hæc tanta præmia, opus consilii et voluntatis suæ gessit. Pari igitur opportunitate, introspecta uniuscujusque et natura et voluntate, verborum adhibenda prudentia est. Spes bonorum futurorum revelanda, et (*b*) sic cœlestia perfectæ fidei præmia proferenda : ut quod ille mentitus est, nos prædicemus ex vero, secundum sponsionem Dei angelis similes futuros esse qui crederent : ut mentes plebium faciles et absolutas, circumsævientibus licet et lupis et hæreticis, promissis regnorum cœlestium occupemus, et rerum fidem serpentis prudentia, columbæ simplicitate tradamus.

14. *Gentes quando credituræ, quando Judæi.* — Monet etiam traditis abesse oportere 715 curam responsionis, sed exspectandum potius quid Spiritus Dei suggerat (*Matth.* x, 19) ; quia fides nostra omnibus præceptis divinæ voluntatis intenta, (*c*) ad responsionis scientiam instruetur : in exemplo habentes Abraham, cui postulato ad hostiam Isaac non defuit aries ad victimam (*Gen.* XXII, 13). Ex una deinde in duas urbes fugam suadet (*Matth.* x, 23). Quia prædicatio ejus primum a Judæa effugata transit ad Græciam, dehinc diversis intra Græciæ urbes apostolorum passionibus (*d*) fatigata, tertio in universis gentibus demoratur. Sed ut ostenderet, gentes quidem apostolorum prædicationi credituras, verum ut (*e*) reliquum Israel crederet, esse adventui suo debitum ; ait, *Non consummabitis civitates Israel, donec veniat filius hominis* (*Ibidem*) : post plenitudinem sciA licet gentium, quod erit reliquum Israel, ad implendum numerum sanctorum, futuro claritatis suæ adventu (*f*) in Ecclesia collocandum.

15. *Passionum est solatium, quod per eas Domino assimilamur.* — *Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum* (*Ibid.* 24). Multum proficit ad tolerantiæ assumptionem rerum imminentium cognitio (*g*), maxime si patientiæ voluntas præsumatur exemplo. Dominus noster, lumen æternum, et dux credentium, et immortalitatis parens, discipulis suis futurarum passionum solatia ante præmisit : ne se quis discipulus magistro potiorem, aut super dominum esse servus existimaret. Si enim patri-familias cognomentum, per invidiam, dæmonis addiderunt ; quanto magis in domesticos ejus omnia injuriarum et B contumeliarum genera perficient (*Ib.* 25) ? Sed ea nihil nos terreant, gloriæ loco potius amplectentes, si Domino nostro vel passionum conditionibus adæquemur.

16. *Judicii die occulta prodentur.* — *Nihil est occultum, quod non revelabitur* (*Ibid.* 26). Diem scilicet judicii ostendit, quæ abstrusam voluntatis nostræ conscientiam prodet : et ea quæ nunc occulta existimamus, luce cognitionis publicæ deteget. Igitur non minas, non consilia, non potestates insectantium monet esse metuendas : quia dies judicii nulla hæc fuisse atque inania revelabit.

17. *Dei cognitio constanter ingerenda.* — *Et quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine : et quod in aure auditis, prædicate super tecta* (*Ibid.* 27). Non legimus C Dominum solitum fuisse noctibus sermocinari, et doctrinam in tenebris tradidisse. Sed quia omnis sermo ejus carnalibus tenebræ sunt, et verbum ejus infidelibus nox est ; (*h*) et cuique quod a se dictum est, 716 cum libertate fidei et confessionis est loquendum ; idcirco quæ in tenebris dicta sunt, prædicari jussit *in lumine*, et quæ secreto aurium commissa sunt, *super tecta*, id est, (*i*) excelsa, ut loquentium præconio audiantur. Constanter enim Dei ingerenda cognitio est, et profundum doctrinæ evangelicæ secretum lumine prædicationis apostolicæ revelandum : non timentes eos, quibus cum sit licentia (*j*) in corpora, tamen in animam jus nullum est (*Ibid.* 28) ; sed timentes potius Deum, cui perdendæ in gehenna et animæ et corporis sit potestas.

(*a*) Sic mss. potiores. At editi, *testes et ipsis*. Verbum *sunt* reticetur post *futuri*, sicut et antea *monet* vel *sermo est*, post *offerendos*. D

(*b*) Particulam *sic* adjecimus auctoritate mss. Rom., Colb. et Carn., qui mox loco verbi *proferenda*, habent *promerenda*.

(*c*) Editi, *ad responsionem scientiæ*. Præferimus cum tribus prædictis mss. *ad responsionis scientiam*, hoc est, ut sciat quid sibi respondendum sit. Deinde sex mss. auctoritate liceret reponere *in exemplo habens*, pro *habentes*, quod cum sincerioribus retinere malumus.

(*d*) Lipsius ac post eum Par. *fugata* : contra fidem veterum librorum. Hic porro ponitur nomen abstractum pro concreto, *prædicatio* loco vocabuli *prædicatores*, quibus et pati et fatigari convenit.

(*e*) Ms. Carn. cum Colb., *reliquus Israel* ; mox autem, *quod erit relictum Israel*.

(*f*) Editi, *in Ecclesiam convocandum*. Aliquot mss. *in Ecclesia convocandum*. Verius Rom., Vat., Colb. et Carn. *in Ecclesia collocandum* vel *conlocandum*. Convocari quippe etiam ad infideles pertinet : at collocari in Christi corpore quod est Ecclesia, non convenit nisi fidelibus. Sic cap. 7, num. 11, legere est omnes in Ecclesiam invitari, paucos intrare.

(*g*) In sex mss. *continuatio, maxime si sapientiæ*. Tum in tribus, *voluptas*.

(*h*) Editi, *Itaque id quod a se dictum est, cum libertate fidei vult esse loquendum* : castigantur ex mss.

(*i*) Bad. et Er. *excelsum loquenda ut præconio*, etc. Lips. et Par. cum ms. Turon., *excelso loquentium*. Quatuor alii, *in excelso loquentium*. Carnut., Vatic. et Colb. sequimur.

(*j*) Colbertinus codex cum Rom. *in corpore, tamen in anima ejus nulla est*.

18. *Passeres duo asse, corpus et anima peccato vendita. — Nonne duo passeres asse veneunt; et unus ex illis non cadit in terram sine voluntate patris vestri* (*Ibid.* 29)? Non est, ut puto, criminis agere aucupium; neque venditio passerum habet culpam. Et quod ait : *Unus ex illis non cadit super terram sine voluntate Patris vestri*, contra apostolicum dictum facere videtur quod ait : *Non est pecudum Deo cura* (I *Cor.* IX, 9). Et auctoritati ejus multum derogabitur, si sensisse aliter, quam in evangeliis traditum est, reperietur. Nec enim apostolis multum dignitatis tribuitur, si passeribus ante stabunt. Locus hic ex sensu superiore proficiscitur. Iniquitates enim eorum exaggerantur, qui tradituri sunt, qui insectaturi, qui in fugam coacturi, quibus propter nomen Domini esse odio nos oportet, qui omne jus suum in solis corporibus exerceant, potestatem in animam non habentes. Hi igitur passeres (*a*) duos asse veneunt. Et quidem quæ sub peccato vendita sunt, redemit ex lege Christus : ergo quod venditur, corpus atque anima est; et cui venditur, peccatum est : quia Christus et de peccato redemit, et animæ ac corporis est redemptor. (*b*) Qui igitur duos passeres asse veneunt, se ipsos peccato minimo veneunt, natos ad volandum, et ad cœlum pennis spiritalibus efferendos. Sed capti pretiis præsentium voluptatum, et ad luxum sæculi venales, totos se talibus (*c*) actionibus nundinantur.

19. *Corpus et anima nata ut sint unum in cœlis, qui cadant unum in terram.* — Sed quærendum est, quomodo unum ex **717** illis (*d*) est, quod sine voluntate Dei non cadet. Dei (*e*) voluntas est, ut unum ex illis magis evolet, sed lex ex constitutione Dei profecta decernit unum ex eis potius decidere. Quemadmodum autem si evolarent, unum essent, id est corpus in naturam animæ transisset, et gravitas illa terrenæ materiæ in profectum et substantiam animæ (*f*) aboleretur, fieretque corpus potius spiritale : ita peccatorum pretio venditis, in naturam corporum animæ subtilitas ingravescit, et terrenam contrahit ex vitiorum sorde materiem, fitque unum ex illis quod tradatur (*g*) in terram. Plurimis autem eos ante stare passeribus cum dicit, ostendit multitudini infidelium electionem fidelium præesse : quia his casus in terram sit, illis volatus in cœlum.

20. *Vitæ melioris spe timor mortis aufertur.* — In numerum autem aliquid colligi, diligentiæ ac sollicitudinis cura est : neque enim dignum negotium est, peritura numerare. Ut igitur nihil ex nobis perituram esse cognosceremus, quia multo passeribus meliores simus; ipso capillorum nostrorum supputatorum numero indicatur, salvis nobis ex solido futuris (*Ibid.* 30 *et* 31) : cum quod innumerabile in nobis sit, (*h*) conservandi et affectu et potestate numeretur. Nullus igitur corporum nostrorum casus est pertimescendus, neque ullus interimendæ carnis admittendus est dolor : quando pro naturæ suæ atque originis conditione resoluta, in substantiam spiritalis animæ refundatur.

21. Et quia doctrinis talibus confirmatos, oportet

(*a*) Ita omnes mss. Quocirca pronomen *hi* ad persecutores referatur necesse est. Verbum autem *veneunt* active Hilario usitatum fuisse liquido constat ex subsequentibus; quod non advertentes qui priores editiones procurarunt, hic posuere *passeres duo*, et inferius multa sibi permisere.

(*b*) Er. *quid igitur duo passeres*, etc. Bad. *qui igitur duo passeres esse veneunt*. Habet etiam Par. *esse* pro *asse*. Lipsius vero pro *veneunt*, posuit *vendunt*; quod verbum etiam aliæ editiones mox habent : reluctantibus mss.

(*c*) Sic mss. quibus favet illud psalm. CXVIII, num. 18 : *In cœlestem scientiam homo eruditus es : quid tibi cum terrenis operibus et gestis est? Avis effectus es*, etc.; ubi pulchre ostenditur, homines ad superna natos, merito insidias in terrenis pati. Editi vero hic, *auctionibus nundinantur*.

(*d*) Lipsius, expuncto verbo *est* cum subsequente relativo *quod*, proxime antea et post reposuit *unus ex illis*, repugnantibus mss. quasi vero *unum* ad passeres referretur, non ad corporis et animæ unitatem. Solet quippe Hilarius prædicare animam et corpus, quæ modo duo sunt, quia neutrum alteri plene perfecteque subjectum est, post resurrectionem unum fore vel in gloria vel in pœna : aut enim corpus animam secuturum, ut cum illa spiritalis subtilitatis consors in cœlum evolet; aut a corpore animam ad se trahendam, ut secum in terram seu terrenam gravitatem cadat. Hanc igitur ex corpore et anima unitatem vocabulis *unum ex illis* intelligit.

(*e*) Mss. Rom., Vat., Colb. et Carn. : *Dei voluntas unum ex illis magis volet : sed ex constitutione Dei propheta decernit unum ex illis potius decedere* : corrupte. Hoc enim sibi vult Hilarius, Deum, quantum in se est absque ullo ad nos respectu, velle ut corpus in naturam animæ assurgat, sed dictante æquitatis lege propter peccata nostra decernere ut anima in terrenam corporis naturam decidat. Hanc generalem Dei voluntatem, qua vult omnes salvos fieri, alibi etiam Hilarius asserit, ut cum in ps. CXXXIV, n. 24, ait, *Voluisset enim populum suum, quem in patribus eorum Abraham et Isaac et Jacob elegerat, non judicari* : aut supra, cap. IX, n. 8 : *Turba omnis expulsa est, quam utique salvari Dominus optasset; sed irridendo dicta gestaque ejus, resurrectionis non fuit digna consortio.* Idipsum fuse explicatur in ps. II, n. 16, 17 et 18, ubi præterea declaratur secundariam illam Dei legem ac voluntatem nihil esse aliud nisi pœnam iis qui inique agerent constitutam; quia nimirum *iis, quibus ex voluntate libertatis malitia magis placuit, ultio constituta* est.

(*f*) In ms. Rom. *avolaret* : lectio non spernenda. Neque vero putandus est Hilarius corporeæ materiæ abolitionem asserere, cum velit dumtaxat terrenam gravitatem aliasque hujusmodi qualitates, quæ corporibus inesse natæ, animabus graves ac molestæ sunt, post resurrectionem abfuturas : *ut corruptibilium corporum in incorruptionis gloriam resurrectio non interitu naturam perimat, sed qualitatis conditione demutet. Non enim aliud corpus, quamvis in aliud resurget*, quemadmodum ipse loquitur in ps. II, n. 41. Superiores autem sententias, *corpus in naturam animæ transire*, vel *in substantiam animæ aboleri* alia quam solemus ratione intelligendas esse vel ex eo liquet, quod mox subjicitur, peccatorum *animam in naturam corporum ingravescere* : ut interim mittamus quod infra legere est num. 24, baptismo nobis præstari, *ut corpus ipsum in naturam animæ, quæ ex afflatu Dei venit, evadat.*

(*g*) Editi, *trudatur* : nullo e nostris mss. suffragante.

(*h*) Colbertinus codex cum Carnutensi, *conservandum*.

liberam confitendi Dei habere constantiam ; etiam conditionem qua teneremur adjecit, negaturum se eum Patri in cœlis, qui se hominibus in terra negasset (*Ibid.* 32) : eum porro, qui confessus coram hominibus se fuisset, a se in cœlis confitendum ; qualesque nos nominis sui testes hominibus fuissemus, tali nos apud Deum patrem testimonio ejus usuros.

22. *Quæstiones variæ proponuntur.* — *Nolite arbitrari quoniam veni pacem mittere in terram. Non veni pacem mittere, sed gladium.* **718** *Veni enim separare filium adversus patrem, et filiam adversus matrem, et nurum adversus socrum suam, et inimici hominis domestici ejus* (*Ibid.* 34-36). Quæ ista divisio est ? Inter prima enim legis præcepta accepimus : *Honora patrem tuum et màtrem tuam* (*Exod.* XX, 12). Et ipse Dominus ait : *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis* (*Joan.* XIV, 27). Quid sibi vult missus potius gladius in terram, et separatus a patre filius, et filia a matre, et nurus adversus socrum, et hominis domestici ejus inimici ? Igitur (*a*) exinde publica auctoritas impietati proferetur. Ubique odia, ubique bella, et gladius Domini inter patrem et filium, et inter filiam matremque desæviens. Et in Luca quidem talis de hoc sermo est : *Erunt enim ex hoc quinque in una domo divisi,* (*b*) *tres in duos, et duo super tres dividentur* (*Luc.* XII, 52). Numquid non in majorem numerum potest agnationis domesticæ familia diffundi ? Aut præscripto temporis continebatur, ut ex hoc essent quinque tantum in domo una, iidemque divisi ? Ergo qui sit gladius in terra, quæ proprietas nominum, et in numero quinque quæ ratio, et quomodo tres in duos, et duo super tres dividendi, et quatenus homini domestici ejus inimici, contuendum est.

23. *Gladii natura. Dei verbum significat. In Adam ante peccatum tria, in posteris quinque.* — Et singularum quidem rerum, et universæ quæstionis primum natura est explicanda : nec minus intelligentiam nostram sensus et superior et consequens adjuvabit. Gladius telorum omnium telum acutissimum est, in quo sit jus potestatis, et judicii severitas, et animadversio peccatorum. Et hujus quidem teli nomine novi Evangelii prædicationem appellatam, frequens in prophetis auctoritas est. Dei igitur verbum nuncupatum meminerimus in gladio : qui gladius missus in terram est, id est, prædicatio ejus hominum (*c*) corporibus infusa. Hic igitur quinque habitantes in una domo dividit, et dividit tres in duos, et duos super tres. Sed tria tantum in homine reperimus, id est, et corpus et animam et voluntatem. Nam ut corpori anima data est, ita et potestas utrique utendi se ut vellet indulta est : atque ob id lex est (*d*) proposita voluntati. Sed hoc in illis deprehenditur, qui primi a Deo figurati sunt, in quibus cœptæ originis ortus effectus **719** est, non traductus aliunde. Sed ex peccato atque infidelitate primi parentis, sequentibus generationibus cœpit esse corporis nostri pater peccatum, mater animæ infidelitas ; ab his enim (*e*) ortum per transgressionem primi parentis accepimus. Nam voluntas unicuique sua adjacet. Ergo jam unius domus quinque sunt : pater corporis peccatum, mater animæ infidelitas, et (*f*) accedens voluntatis arbitrium, quod totum hominem quodam conjugii sibi jure distringit. Huic infidelitas socrus est, (*g*) quæ nos ex ea natos, atque a fide metuque Dei peregrinantes accipiens, ut inter infidelitatem (*h*) voluptatemque possessos, et in ignoratione Dei et in omnium vitiorum oblectatione detineat.

24. *Regenerationis effectus. Concupiscentiæ lucta in regeneratis.* — Cum ergo innovamur baptismi lavacro per (*i*) verbi virtutem, ab originis nostræ peccatis atque auctoribus separamur ; recisique quadam exsectione gladii Dei, a patris et matris affectionibus dissidemus : et veterem cum peccatis atque infidelitate sua hominem exuentes, et per Spiritum anima et corpore innovati, necesse est ut ingeniti et vetusti operis consuetudinem oderimus. Et quia corpus ipsum per fidem mortificatum, in naturam animæ, quæ ex afflatu Dei venit (quamvis id ipsum adhuc in materia sua exstet), evadat ; quia communio ipsis invicem concilietur ex verbo : idcirco jam unum atque idem cum anima velle cœpit effici, scilicet ut illa est spiritalis, quibus (*j*) libertas voluntatis a socru

(*a*) In tribus mss. *extendendæ publicæ impietati auctoritas proferetur.*

(*b*) Omnes mss. constanter, *tres in duo :* tum ex iis sex etiam constanter habent, *et duo per tres.* Particulæ *in* et *super* græce eodem vocabulo ἐπί exprimuntur.

(*c*) Ita mss. uno Colb. excepto interpolationis suspecto, ubi habet, *corporibus vel in cordibus infusa.* At Par. *cordibus infusa. Hoc igitur.* Aliæ vero editiones, *prædicationem ejus hominum cordibus infusam. Hoc igitur.* Hæc porro verba respondent illis, *qui in terram missus est.* At vero Hilarius ubi *terram* in Scripturis reperit, eo nomine corpus quod de terra sumptum est solet intelligere, ut patet ex cap. 4, n. 5, et ex tract. psal. CXVIII, n. 7 et 8, n. 9, ac pluribus aliis locis. At terram nusquam cor interpretatur.

(*d*) In vulgatis, *præposita.* Magis placet cum aliquot mss. *proposita.* Ad hoc autem lex proposita est, quia *qui nos per benevolentiam utendæ beatitudinis suæ creasset, profectum nobis ad id per meritum vitæ innocentis honestæque constituit*, ut habetur in psal. II, num. 16.

(*e*) Bad., Er. et quatuor mss. *mortem.* Rectius alii libri, *ortum*, a peccato scil. et infidelitate. Deinde *nam voluntas* perinde est ac *præterea voluntas.*

(*f*) Editi, *incidens.* Aliquot mss. *incedens.* Potiores, *accedens.* Accedit autem voluntas, ut cum peccato, infidelitate, corpore et anima fiant quinque.

(*g*) In vulgatis, omisso relativo *quæ*, corrumpitur Hilarii sententia, qua vult nos ex infidelitate natos a voluntatis libertate in quoddam conjugium accipi, sicque voluntati socrum esse infidelitatem

(*h*) Quinque mss. *voluntatemque* : male. Eidem fere rei subjacent antea *peccatum*, post *oblectatio vitiorum*, hic *voluptas.*

(*i*) Apud Bad., Er., Lips. et in aliquot mss. desideratur *verbi* vocabulum : quod cum Par. et melioribus mss. retinendum esse liquet ex proxima comparatione gladii. Mox sola editio Par. *sicque*, pro *recisique.*

(*j*) Id est, animæ et corpori verbo jam conciliatis.

sua, id est, ab infidelitate divisa, jus suum omne concedit: ut quod erat libertas voluntatis, deinceps animæ sit potestas. Fitque gravis in domo una dissensio, et domestica novo homini erunt inimica: quia ille per verbum Dei divisus ab illis, manere et interior et exterior (*subaud.* homo), id est, et corpus et anima, in spiritus novitate gaudebit: ea vero, quæ (*a*) ingenita et a quadam prosapiæ antiquitate deducta, consistere in his quibus oblectata sunt concupiscent. Et origo carnis et origo animæ et libertas potestatis in duos dividentur, animam scilicet et corpus hominis novi, (*b*) quæ unum atque idem velle cœperunt: divisique tres duobus subjacebunt, in dominatum eorum de Spiritus novitate potioribus. Et idcirco illi, qui domesticas nominum (*c*) charitates dilectioni ejus prætulerint, **720** futurorum bonorum indigni erunt hæreditate.

25. *Crux, sacramentum fidei.* — Pergit deinde eodem præceptorum et intelligentiæ decursu. Nam postea quam relinquenda omnia quæ in sæculo carissima sunt imperaverat; adjecit, *Qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus* (*Ibid.* 38): quia qui Christi sunt, crucifixerunt corpus cum vitiis et concupiscentiis. Et indignus est Christo, qui non crucem suam, in qua compatimur, commorimur, consepelimur, conresurgimus, accipiens, Dominum sit secutus, in hoc sacramento fidei spiritus novitate victurus.

26. *Mortem infert vitiis, mortis aufert metum.* — *Qui invenerit animam suam, perdet illam; et qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam* (*Ibid.* 39). Verbi scilicet potestate, et veterum divisione (*d*) vitiorum, proficiet lucrum animæ in mortem, et damnum in salutem. Ergo suscipienda mors est in novitate vitæ, et cruci Domini configenda sunt vitia: et adversus persequentes, contemptu præsentium, gloriosæ confessionis retinenda libertas est, et damnosum animæ lucrum refugiendum: scientes cuiquam jus in animam non relinqui, et detrimento brevis vitæ, fœnus immortalitatis acquiri.

27. *Christus qui mediator.* — *Qui recipit vos, me recipit: et qui me recipit, recipit eum qui me misit* (*Ibid.* 40). Universis doctrinæ affectum et præceptorum sedulitatem impendit. Et qui periculum non recipientium apostolos excussi pulveris testimonio denuntiasset, recipientium meritum ultra gratiam (*e*) sperati officii commendat: docetque in se etiam mediatoris officium, qui cum sit receptus a nobis, atque ille profectus ex Deo sit, Deus per illum transfusus (*f*) in nos sit. Atque ita qui apostolos recipit, Christum recipit; qui vero Christum recipit, patrem Deum recipit: quia non aliud in apostolis recipit, quam quod in Christo est, neque in Christo aliud est, quam quod in Deo est: perque hunc ordinem gratiarum, non aliud est apostolos recepisse, quam Deum; quia et in illis Christus, et in Christo Deus habitet.

28. *Plures consequendæ æternitatis occasiones.* — *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet* (*Ibid.* 41). Qui prophetam recipit, habitantem recipit in propheta: fitque prophetæ mercede dignus, prophetam prophetæ nomine recipiens. Par quoque recepisse justum merces deputatur, fitque justus ex honore justitiæ. Ac sic consummatur justitia ex fide, et mercedem acquirit officium, plures consequendæ æternitatis occasiones Deo largiente: quando in recipiendo justo et propheta, ipse reverentiæ affectus et justi honorem accipiat et prophetæ.

29. *Obsequium sub religionis opinione delatum indigno, mercede non fraudatur.* — *Et quicumque potum dederit uni ex minimis isti calicem aquæ frigidæ*, et reliqua (*Ibid.* 42). Non inane esse bonæ conscientiæ opus docuit, neque spem fidei alienæ infidelitatis crimine laborare. **721** Providens enim plures futuros tantum apostolatus nomine gloriosos, omni vero vitæ suæ opere improbabiles, eosdemque diu fallere diuque mentiri, tamen obsequium, quod ipsis sub religionis opinione delatum sit, mercede operis sui speique non fraudat. Nam licet ipsi minimi essent, id est, peccatorum omnium ultimi (minimum omnium autem est, quo minus nihil aliud est), non inania tamen in eos etiam levia, quæ sub frigidæ aquæ nomine designat, officia esse decernit. Non enim peccatis hominis, sed discipuli nomini honor præstitus est. Atque ita probitatem obsequentis, fallentis de se probra non lædunt: cum mercedem suam dantis fide, non assumentis mendacio consequatur.

CAPUT XI.

Joannes de carcere ad Jesum mittit, et Jesus de Joanne ad turbas loquitur. Item confessio Jesu ad Patrem.

1. *Joannes Christum non ignoravit.* — *Joannes cum audisset* (*g*) *in carcere opera Christi, mittens ad eum discipulos suos, ait illi: Tu es qui venturus es, an alium exspectamus* (*Matth.* XI, 2 *et* 3)? Joannes detentus in carcere Dominum ignorat? et propheta tantus Deum suum nescit? Atquin venturum ut præitor nuntiavit, consistentem ut propheta agnovit, ad-

(*a*) In quatuor mss. *inita*. Non displiceret *insita*. Hic vero *ingenita* (quomodo supra *ingeniti*) idem est quod *innata*: quo nomine infidelitas et peccatum seu voluptas indicantur.

(*b*) Colbertinus codex: *quia unum*: faventibus aliquibus aliis, in quibus exstat *qua unum*. Anima, corpus et voluntas jam ad duos reducuntur, cum animæ suum jus cessit voluntas. Tum vero infidelitas, peccatum, et voluntas a corpore et anima dividuntur, eisque subjacent, cum per virtutem Spiritus anima et corpus eis imperant ac dominantur.

(*c*) Hoc est, amorem patris, matris, conjugis, uti jam observatum cap. 4, n. 19, ubi, sicut et in psal. CXVIII, n. 3, ad litteram intellecta sunt, quæ hic spiritaliter explicantur.

(*d*) Par. post Lipsium, *dimissione*: minus congruenter cum superioribus, et præter veterum librorum fidem.

(*e*) Beccensis codex, *parati officii*. Hac loquendi ratione *gratiam speratam officio* intelligere est.

(*f*) Etsi in pluribus mss. exstat *in nobis*; retinendum tamen *in nos* constat ex cap. 12, n. 12, ubi idem Mediatoris officium eadem ratione explicatur.

(*g*) Mss. Vatic. et Bec. *in vinculis*.

cuntem ut confessor veneratus est. Unde tam variæ et tam abundanti ejus scientiæ error obrepsit? Sed consequens de eo Domini testimonium sentiri hoc ita non sinit. Neque sane credi potest, Spiritus sancti gloriam in carcere posito defuisse, cum Apostolis virtutis suæ lumen esset in carcere positis ministraturus.

2. *Legis forma fuit. Legis opus. Cur Joannes ad Christum misit.* — Sed præbetur in his, quæ in Joanne gesta sunt, intelligentia amplior : et cum facti efficientia, gratia in eo expressa sentitur; ut propheta ipse, ipso quoque conditionis suæ genere prophetaret, quia in eo forma legis elata est. Christum enim lex annuntiavit, et remissionem peccatorum prædicavit, et regnum cœlorum spopondit: et Joannes totum hoc opus legis explevit. Igitur cessante jam lege, quæ peccatis plebis (*a*) inclusa, et populi vincta vitiis, ne Christus posset intelligi, vinculis et carcere continebatur. Ergo ad Evangelia contuenda lex mittit: ut infidelitas fidem dictorum contempletur in factis; et quod intra eam peccatorum fraude sit vinctum, per intelligentiam libertatis evangelicæ (*b*) absolvatur. Tali igitur Joannes exemplo, non suæ, sed discipulorum ignorantiæ consulit: ipse enim venturum in remissionem peccatorum prædicavit. **722** Sed ut scirent non alium a se prædicatum, ad opera ejus intuenda discipulos suos misit: ut auctoritatem dictis suis illius opera conferrent, neque Christus alius exspectaretur, quam cui testimonium opera præstitissent.

3. *Scandalum crucis prædicit Christus.* — Et cum totum se Dominus rerum miraculis prodidisset, cæcorum scilicet visu, claudorum (*c*) cursu, leprosorum curatione, surdorum auditu, voce mutorum, vita mortuorum, pauperum prædicatione; ait, *Beatus qui in me non fuerit scandalizatus* (*Ibid.* 6). Numquid aliquid jam in Christo erat gestum, quod Joannem scandalizaret? Non utique. Nam in ipso doctrinæ suæ cursu et operis morabatur. Sed superioris sententiæ vis et proprietas contuenda est, quid illud sit quod pauperes (*d*) bene nuntiantur: id est, qui perdiderint animam, qui crucem suam acceperint et sequentur, qui humiles spiritu fient, quorum regnum præparatur in cœlo. Ergo quia in Domino hæc passionum universitas conveniret, futuraque esset crux sua plurimis scandalum; beatos eos professus est, quorum fidei nihil tentamenti afferret crux, mors, sepultura. Itaque cui (*e*) rei Joannes cavisset ostendit, dicens beatos eos, quibus aliquid in se scandali non fuisset : quia metu ejus discipulos suos Joannes, ut Christum audirent viderentque, misisset.

4. *Arundo quos significet.* — Ac ne istud referri ad Joannem posset, tamquam aliquid scandalizatus esset in Christo; abeuntibus illis, ad turbas de eo locutus est: *Quid existis in desertum videre? Arundinem* (*f*) *vento moveri* (*Ibid.* 7)? Desertum sancto Spiritu vacuum sentiendum est, in quo habitatio Dei nulla sit. In arundine enim homo (*g*) talis ostenditur, de gloria sæculi vitæ suæ inanitate speciosus, (*h*) in se autem fructu veritatis cavus; exterior placens, et nullus interior; ad omnem ventorum motum, id est, immundorum spirituum flatum movendus, neque ad consistendi firmitatem valens, et animi medullis inanis. Ergo cum dicit : *Quid existis in desertum videre? Arundinem vento moveri?* hoc loquitur: Numquid existis videre hominem cognitione Dei vacuum, et ad immundorum spirituum flatum vagantem? Nam increpantis affectu potius quam confirmantis hoc loquitur : ostendens scilicet non eum in Joanne conspici, qui et inanis et mobilis sit.

5. *Corpora luxu dissoluta domus sunt dæmonum.* — *Sed quid existis videre? Hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt* (*Ibid.* 8). (*i*) Vestem ambitum corporis quo induitur **723** anima significat, quod luxu ac lasciviis mollescat. Sed qui vestiti mollibus sunt in domibus regum sunt. In regibus, transgressorum angelorum nuncupatio est: hi enim sæculi sunt potentes, immundique dominantes. Ergo vestiti mollibus in domibus regum sunt, id est eos, quibus per luxum fluida et dissoluta sunt corpora, (*j*) esse dæmonum habitationem, consimilem sedem propositis suis atque operibus eligentium.

6. *Joannis gloria.* — *Sed quid existis videre? Prophetam? Dico vobis, etiam plus quam prophetam*, etc. (*Ibid.* 9 *et seqq.*). Gloriam omnem Joannis Dominus ostendit, dicens esse eum ultra prophetam: quia soli ipsi licuerit et prophetare Christum, et videre. Et quomodo Christum ignorare creditur, qui missus in angeli potestate viam venturo paraverit,

(*a*) Hoc est, propter populi peccata latens, seu plebis infidelitati occulta, secundum illud Prologi in psalmos num. 5: *Sunt autem omnes prophetiæ ad mundialem sensum et prudentiam sæculi clausæ atque obsignatæ.*

(*b*) Quatuor mss. *abluatur:* minime sunt sequendi. Huc spectat illud dicti prologi n. 6, Christus solus *signacula, quibus liber clausus est, per sacramentum corporationis et divinitatis suæ absolvit.* Et post pauca: *Creditis his quæ impleta per eum sunt, cuncta illa, quæ signata et clausa sunt, et aperientur et absolventur.*

(*c*) Sola edit. Par. *gressu.* Ut sibi constaret, mutandum ei erat illud num. 10, *Claudi circumcurrunt.*

(*d*) Codex Vatic. cum Rom. *evangelizantur.*

(*e*) Vox *rei* deest in mss. Colb. et Carn. Illa significatur scandalum crucis, quod Joannes discipulis suis metuerit.

(*f*) Apud Par. hic et infra, *vento agitatam :* obnitentibus aliis libris.

(*g*) In mentem nobis venerat legendum esse, *elatus ostenditur de gloria sæculi*, etc. Nil vero immutandum, cum vocabulo *talis* significetur homo arundini similis.

(*h*) Editi, *ipse autem.* Concinnius mss. *in se.*

(*i*) Par. *veste*, tum post Lips. *habitum corporis:* refragantibus mss. quorum nonnulli deinde habent, *quod induitur.* Vestis animæ non male intelligatur corpus, quo anima velut vestimento ambitur ac circumcingitur.

(*j*) Reticetur hic *significat.* Verba superiora, *in domibus regum sunt*, passive non active accipiuntur, pro iis scil. qui frequententur a regibus eorumque domus sint, non pro iis qui regum domos frequentent.

et quo ex natis mulierum nullus major propheta surrexerit (*a*); nisi quod qui minor eo est, id est, qui interrogatur, cui non creditur; cui testimonium nec opera sua præstant, hic in regno cœlorum major est?

7. *Regnum cœlorum qui rapiant gentes judæis.* — *A diebus autem Joannis Baptistæ usque nunc regnum cœlorum vim patitur, et vim facientes diripiunt illud* (*Ibid.* 12). Ut rerum natura exigit, vim potior affert; minorque erit, cui vis afferatur. Quid ergo est quod diripiens est, quodque vim patitur; contuendum est. Infidelitatem discipulorum Joannis Dominus adverterat, turbæ etiam opinionem de ejus nuntio intellexerat, in crucis scandalo ingens fidei periculum sentiebat. Ire potius apostolos (*b*) ad oves Israel perditas jusserat: ipsos constitui oportebat in regno, et in Abrahæ et Isaac et Jacob familia (*c*) atque agnatione retineri. Sed omnis hæc prædicatio profectum publicanis et peccatoribus afferebat. Ex his enim jam credentes, ex his jam apostoli, ex his (*puta* Matthæus) jam regnum cœlorum. Cæterum Joanni a plebe non creditur, auctoritatem Christi opera non merentur, crux futura erat scandalo. Jam prophetia cessat, jam lex expletur, jam prædicatio omnis includitur, jam Eliæ spiritus in Joannis voce præmittitur. Aliis Christus prædicatur, et ab aliis agnoscitur: aliis nascitur, et ab aliis diligitur. (*d*) Sui eum respuunt, alieni suscipiunt: proprii insectantur, complectuntur inimici. Hæreditatem adoptio expetit, familia rejicit. Testamentum filii repudiant, servi recognoscunt. Itaque vim regnum cœlorum patitur, inferentesque diripiunt: quia gloria Israel (*e*) a patribus debita, a prophetis **724** nuntiata, a Christo oblata, fide gentium occupatur et rapitur.

8. *Judæi a Lege et Evangelio abdicati exciderunt.* — *Cui autem similem æstimabo generationem istam? Similis est pueris sedentibus in foro, et clamantibus ad invicem*, et reliqua (*Ibid.* 16). Totus hic sermo infidelitatis opprobrium est, et de affectu superioris querimoniæ descendit; quia insolens plebs per diversa prædicationum genera edocta non fuerit: in A pueris scilicet prophetas significans, qui in medio synagogæ, tamquam in publico fori conventu, populum coarguant, quod cantantibus sibi officio corporis non obsecundaverint, id est, quod dictis suis non paruerint. Ad cantantium enim modum saltantium (*f*) motus aptatur. In simplicitate autem sensus, ut pueri, prædicaverunt, et ad confessionem psallendi Deo provocaverunt, ut cantico Moysi tenetur, ut Esaiæ, ut David, ut cæterorum prophetarum: rursumque (*g*) eos in pœnitentiam peccatorum, (*h*) et ad dolorem ac luctum veterum delictorum nec Joannis prædicatio inflexerit: quibus et lex gravis visa sit (*i*) potus cibique præscriptis et difficilis et molesta, peccatum in se, quod dæmonium nuncupat, habens (*Ibid.* 18): quia per observantiæ difficultatem B necesse sibi esset in lege peccare: rursumque in Christo Evangelii prædicatio vitæ libertate non placeat, per quam difficultates legis et onera laxata sint, et jam publicani peccatoresque crediderint (*Ib.* 19): atque ita tot et tantis admonitionum generibus frustra habitis, hæc per gratiam justificentur, et a lege sint abdicati.

9. *Juste reprobati sunt. Christus Sapientia ipsa, non solum Sapientiæ opus.* — *Et justificata est Sapientia a filiis suis:* ab his scilicet, qui vim facientes regno cœlorum, ipsum illud fidei justificatione diripiunt: confitentes justum Sapientiæ opus esse, quia munus suum ad fideles et obsequentes a contumacibus infidelibusque transtulerit. Est autem non otiosum hoc in loco virtutem dicti contueri. *Et justificata est Sapientia* de se utique locutus est. Est enim ipse Sapientia, non ex efficientiis, sed ex natura: rei enim omnis habet potestatem. Cæterum negotium omne potestatis effectus est: et non idem est opus virtutis et virtus, et efficiens discernitur ab effecto. Plures (*j*) enim eludere dictum apostolicum, quo ait Christum Dei sapientiam et Dei virtutem (I *Cor.* I, 24), his modis solent: quod in eo ex virgine creando efficax Dei sapientia et virtus exstiterit, et in nativitate ejus divinæ prudentiæ et potestatis opus intelligatur; sitque in eo efficientia potius, quam **725** natura sa-

(*a*) Editi cum paucioribus mss. *surrexit*. Tum sola editio Par. *nisi quod minor qui interrogatur*: et mox cum tribus mss. *major erit*, non *major est*. Christus autem, ut explicat Chrysostomus homil. XI, intelligitur *minor ætate, minor multorum opinione*.

(*b*) Beccensis ms. *ad oves perditas domus Israel jusserat*. Tum cum quinque aliis, *ipsos continuo*, pro *ipsos constitui*: qua ratione pronomen *ipsos* ad apostolos, non ad Judæos, minus bene refertur.

(*c*) Bad., Er. et Lips. *ac nativitate*. Par. *atque cognitione*: quod etiam habent mss. nisi quod in Carnut. secundis curis restitutum est *atque agnatione*. In eodem mendo superiori cap. 10, n. 22, consentiebant mss.

(*d*) Mss. Rom.; Colb. et Carn. *sua eum respuunt; aliena suscipiunt*.

(*e*) Præpositionem *a*, quam Lipsius perperam expunxerat, revocamus ex Bad.; Er. et mss. Porro vocabulum *Israel* in dandi casu enuntiatur: adeoque *a patribus*, perinde est ac nomine et jure promissionum patribus factarum, secundum illud Pauli Rom. XI, 28, *charissimi, propter patres*.

(*f*) Tres probæ notæ mss. *modus*.

(*g*) Hic et infra supplendum, *coarguunt quod*.

(*h*) Par. *et ablutionem veterum*, etc. Unus ms. Colb. cum Carn. *et a dolore ablutos veteres*; etc. D Revocamus lectionem Bad., Er. et Lips. quæ est plerorumque mss.

(*i*) In aliquot mss. *potibus cibisque præscriptis*. Mox mallemus, *dæmonium nuncupant*. Paulo post editi, *in legem peccare*: refragantibus mss. His illustratur illud: *Venit Joannes neque manducans, neque bibens, et dicunt, Dæmonium habet*: quod, Joannis nomine, de lege dictum intelligitur.

(*j*) Eam ipsam sententiam Paulo Samosateno attribuit Leontius, lib. de Sectis, act. 5: *Paulus Samosatenus*, inquit, *subsistentem per se Dei sermonem in Christo fuisse non dicebat; sed volebat sermonem esse jussum quemdam ut mandatum; hoc est, Jussit Deus, ut ipse loquebatur, fieri per hominem illum quod volebat, idemque per illum faciebat*.

pientiæ. Quorum ne quid tale intelligi posset, ipsum se Sapientiam nuncupavit; eam in se, non quæ ejus sunt ostendens. Est enim Sapientiæ opus, fides, spes, charitas, (*a*) pudicitia, jejunium, continentia, humilitas, humanitas: sed hæc naturæ opera sunt, non ipsa natura; et non in his quæ fiunt, consistit res ipsa quæ faciat. (*b*) Cur Apostolus Dei virtutem et Dei sapientiam dixerit, quia ex ea Sapientia quæ erat, creata sapientia est?

10. *Judæorum incredulitas quam rea.*— *Væ tibi Corozain et Bethsaida; quia si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis*, et reliqua (*Matth.* II, 21). Inobedientiæ maledictum cum obedientiæ benedictione decernitur. Primis enim Judæis oportuit prædicari; sed privilegio prædicationis infidelitatis cumulatur invidia, cum credentium arguantur exemplo, quibus nulla factorum admiratione proposita, salus omnis ex fide sit. Dominum enim in Bethsaida et Capharnaum muti laudant, cæci vident, surdi audiunt, claudi circumcurrunt, mortui sentiunt; et (*c*) nullum fidei voluntate rerum tantarum admiratio commovebat, cum sola gestorum auditio vocare (*d*) ad metum, atque ad fidem rapere debuisset. Sed non solum Tyri et Sidonis, sed ipsa Sodomorum et Gomorrhæorum facient levia peccata: quia forte illis credendi fuisset affectus, si talium virtutum contemplatio contigisset.

11. *Christi de fide gentium gaudium.* — *In illo tempore respondens Jesus dixit, Confiteor tibi, Domine pater cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus, et revelasti ea parvulis*, et reliqua (*Ibid.* 25). Digne superioribus dictis confessio talis adjungitur. Nam tametsi optabilis fuerit salus Israel, tamen non extra gaudium Domini erat prædicata olim fides gentium. Cœlestium enim verborum arcana atque virtutes sapientibus absconduntur, et parvulis revelantur: parvulis malitia, non sensu; sapientibus vero stultitiæ suæ præsumptione, non prudentiæ causis. Factique hujus æquitatem Dominus paternæ voluntatis judicio confirmat (*Ibid.* 26): ut qui dedignantur parvuli in Deo fieri, stulti deinceps in sapientia sua fiant.

12. *Pater et Filius unius substantiæ.* — Ac ne quid in illo minus, quam quod in Deo est, existimaretur; omnia sibi a Patre ait tradita esse, solique se Patri cognitum, Patremque soli sibi notum, vel cui ipse revelare voluisset (*Ibid.* 27): revelaturus ei, a quo ut revelare velit oretur. Qua revelatione eamdem A utriusque in mutua cognitione esse substantiam docet, **726** cum qui Filium cognosceret, Patrem quoque cogniturus esset in Filio: quia omnia ei a Patre sint tradita. Tradita autem non alia sunt, quam quæ in Filio soli nota sunt Patri. Nota vero Filio (*e*) soli esse, quæ Patris sunt. Atque ita in hoc mutuæ cognitionis secreto intelligitur, non aliud in Filio, quam quod in Patre ignorabile sit, exstitisse.

13. *Jugum Christi unde suave.* — Legis deinde difficultatibus laborantes, et peccatis sæculi oneratos ad se advocat (*Ibid.* 28): dempturumque se laborem onusque promittit, si modo ejus jugum tollant, mandatorum scilicet suorum præcepta suscipiant, eumque sacramento crucis adeant: quia corde humilis et mitis sit, et in his animabus suis requiem inveniant (*Ibid.* 29): jugi suavis et levis oneris blandimenta proponens, ut credentibus ejus boni scientiam præstet, quod solus ipse novit in Patre. Et quid jugo ipsius suavius, quid onere levius, probabilem fieri, scelere abstinere, bonum velle, malum nolle, amare omnes, odisse nullum, æterna consequi, præsentibus non capi, nolle inferre alteri, quod ipsi sibi perpeti sit molestum.

CAPUT XII.

Discipuli spicas vellunt. Manus aridæ hominem sabbato curavit Jesus. Cæcum et dæmoniacum curavit. De blasphemia Spiritus, de fructu arboris bonæ et malæ, de omni verbo otioso, de Ninivitis et regina Austri, de septem spiritibus et octavo, de matre Jesu et fratribus.

1. *Christi gesta aliud portendunt.* — *In illo tempore abiit Jesus per segetes sabbatis: discipuli autem ejus esurientes cœperunt vellere spicas, et manducare* (*Matth.* XII, 1). Et egressus in segetem, et dies sabbati, et discipulorum esuritio, et spicarum præcerptio, et Pharisæorum insimulatio, et Domini responsio habent, ut cætera, subjacentem interioris causæ intelligentiam. Omnes enim, ut diximus, factorum veritates, in ipsis illis gestorum effectibus sui similem atque ex se intelligendam futuræ veritatis imaginem consequuntur.

2. *Gentium fides et Judæorum infidelitas prænonstrantur.* — Ac principio contuendum, sermonem hunc ita cœptum esse: *In illo tempore abiit Jesus per segetes*, id est, in eo tempore quo patri Deo gra-

(*a*) Carnut. ms. cum Colb. *prudentia, jejunium.* Verba Pauli Gal. v, 22 et 23, ubi fructus Spiritus recenset, videtur hic Hilarius respicere, atque ita Sapientiæ et Spiritus vocabula uni eidemque rei subjicere. Quamquam et alia et non omnia memorat quæ Paulus.

(*b*) In uno ms. Colb. non exstat finis hujus numeri. Hic pro *cur*, Lipsius substituit *cum*, quod et retinuit Par. obnitentibus aliis libris. Reticetur hic hujusmodi propositio: Si non in his quæ fiunt, consistit res ipsa quæ faciat. Ex qua quidem optime consequitur: Cur Apostolus rei effectæ efficientis nomen attribuat?

(*c*) Editi, *nulla.* Rectius quatuor mss. *nullum.* In sex aliis, *nullam fidei voluntatem;* non displiceret, *nullum ad fidei voluntatem:* hoc est, nullus ad obsequendum fidei etiam conspectis tot ac tantis miraculis commotus fuit, quibus vel auditis credere debuissent.

(*d*) Codex Silvæ majoris, *ad medicum:* quod etiam habet Michaelinus a secunda manu. Verior est lectio prima. Sic enim superiori cap. n. 23, homines a Deo per peccatum originis abalienatos *a fide metuque Dei peregrinantes* nuncupari legimus. Passimque apud Hilarium *metus Dei* idem est quod cultus, religio et amor Dei.

(*e*) Vox *soli* desideratur in pluribus mss. Deinde *esse* ad superius verbum *decet* refertur.

tiam de data gentibus salute confessus est: ut idem sensus et superiora et consequentia contineret. Ergo per reliqua curramus. Ager mundus est, (*a*) sabbatum otium est, seges crediturorum profectus in messem est. Ergo sabbato in agrum profectus, in legis otio Domini progressus in hunc mundum est, segetem eam, id est, sationem humani generis invisens. Et quia esuritio fames est salutis humanæ; **727** spicas præcerpere ac vellere, scilicet sanctorum se salute satiare discipuli festinant. Neque enim homini congruit cibus spicæ, neque præcerptarum esus est utilis aristarum: sed futuri fidem facti species exsequitur, et virtus interjecta verborum sacramentum et esuritionis et satietatis absolvit.

3. Pharisæi, qui penes se clavem cœlorum esse existimarent, illicita agere discipulos coarguunt (*Matth.* XII, 2): quos Dominus facti ejus, in quo sub rerum argumento prophetiæ ratio continetur, admonuit David una cum his qui secum aderant esurientem panibus illicitis (*b*) expletum fuisse (*Ibid.* 3). Neque enim si non licebat fieri, David creditus fuisset fecisse sine crimine. Verum sine criminis piaculo factis (*c*) prophetat in lege; ut ipse cum cæteris, panibus propositionis expletus sit: ita ostendens Christum cum apostolis gentium salute satiandum, quod Judæis illicitum videretur.

4. Alterius quoque eos admonet prophetiæ, ut consummari in se omnia, quæ anterius sunt dicta, cognoscerent in lege; sabbatum in templo sacerdotes (*d*) violare sine crimine (*Ibid.* 5); templum se ipsum scilicet indicans, in quo per apostolicam doctrinam, populo legis infideliter (*e*) otiante, salus gentibus datur: quia major ipse sit sabbato, et absque violatæ legis culpa, evangelica fides operetur in Christo.

5. *Lege cessante Dei bonitate salvamur.* — Atque ut ostenderet omnem rerum efficientiam hanc speciem futuri operis continere, adjecit: *Si enim sciretis quid est, Misericordiam volo, non sacrificium; numquam condemnassetis innocentes* (*Ibid.* 7). Opus salutis nostræ non in sacrificio, sed in misericordia est: et lege cessante, in Dei bonitate salvamur. Cujus rei donum si intellexissent, numquam condemnassent innocentes, id est, apostolos: quos insimulaturi erant transgressæ legis invidia, cum sacrificiorum vetustate cessante universis per eos misericordiæ novitas subveniret; neque existimassent sabbati præscripto Dominum sabbati contineri. Hæc in campo dicta gestaque sunt.

6. *Manci curatio.* — Et post hæc synagogam ingresso hominem aridæ manus offerunt, interrogantes an curare sabbatis liceret (*Ibid.* 9): occasionem arguendi eum ex responsione quærentes. Quos decidentis in foveam ovis conclusit exemplo, quam sine crimine sabbato extrahere (*f*) sint solliciti (*Ib.* 11): rectiusque homini, qui ovi præstet, medendum esse; neque ministerio salutis humanæ existimandum sabbatum posse violari, quod extrahendæ de fovea ovis sollicitudo non violet.

7. *Eos significat, quibus virtutum potestatem fecit Christus.* — Subjicitur recte talis Domini curatio. Nam post reditum de segete, ex qua jam apostoli fructus sationis acceperant, ad synagogam venit: etiam illinc messis suæ operarios paraturus, qui plures postmodum una **728** cum apostolis exstiterunt. Hi igitur (*g*) curantur in manco. Dandæ enim salutis substantiam non habebant, et manus officium cessabat, et ministerium corporis, quo aliquid agitur atque (*h*) impertitur, aruerat. Dominus igitur manum eum jussit extendere, quæ restituta est ei sicut altera (*Ibid.* 13). Curatio omnis in verbo est, et manus sicut altera redditur, id est, similis ministerio apostolorum in officium dandæ salutis efficitur: docetque Pharisæos ægre ferre non oportere (*i*) operationem humanæ salutis in apostolis; cum ipsis ad officii ejusdem ministerium manus sit reformanda, si credant.

8. Sed invidia facti Pharisæos commovet, et adversus eum ineunt consilium (*Ibid.* 14): quia contuentes hominem in corpore, Deum in operibus non intelligebant. Sciensque eorum consilia secessit (*Ibid.* 15); ut a consiliis malignantium procul affuturus cognosceretur. Pluresque turbæ eum secutæ sunt: ab infidelibus videlicet recedenti, fidelium comitatus assistit.

9. *Cur sanatis silentium de se jubeat Christus.* — His vero, quos curat, silentium imperavit (*Ibid.* 16). Sed numquid curationis taciturnitas jubebatur? Non utique; nam salus unicuique reddita, erat sibi ipsa testis. Sed jubendo secretum, et gloriandi de se jactantiam declinat, et nihilominus cognitionem sui præstat in eo ipso, dum admonet de se taceri; quia observantia silentii ex re quæ sit silenda proficiscitur.

10. *Qui arundinem quassatam non frangat. Qui linum fumigans non exstinguat.* — Quin etiam per hanc tacendi de se voluntatem, dictorum per Esaiam effectus impletur (*Ibid.* 17; *Esai.* XLII, 1 *et seqq.*): de cujus prophetia illud nunc tantum admonemus, hunc et dilectum a Deo, et in eo paternæ beneplacitum voluntati, et Spiritum Dei super eum esse, et ab eo judicium gentibus nuntiari, et arundinem quæ quas-

(*a*) Mss. Colb. et Carn. *sabbatis.*

(*b*) Iidem mss. cum Rom. et Vatic. *exemplum fuisse.*

(*c*) Par. cum prædictis quatuor mss. *factis prophetæ intellige.*

(*d*) In vulgatis ac pluribus mss. *violant.* Concinnius in Colb. et Carn. *violare*, supple verbum *admonet*, *ad* quod subinde refertur *indicans.*

(*e*) Sex mss. *orante*; non sunt audiendi.

(*f*) In vulg. *sint soliti.* Præferendum esse cum mss. *sint solliciti*, suadet illud quod subjicitur, *ovis sollicitudo.* Tum in Carn. et Colb. *receptiusque*, non *rectiusque.*

(*g*) Editi, *curantur. In manu enim dandæ*, etc., emendantur ex potioribus mss.

(*h*) Bad. et Er. *imperatur.* Mox Lips. et Par. *cum jussit*, pro *cum jussit.* Post pauca in tribus mss. *in ministerium apostolorum.* Rectius alii libri *ministerio* in dandi casu.

(*i*) Apud Par. hic insertum est, *curationes in sabbato et*, quod etiam exstat in mss. Rom., Colb. et Carn. sed ad rem non videtur pertinere.

sata sit non esse confractam, et linum fumigans non exstinctum : id est, caduca et quassata gentium corpora non fuisse contrita, sed in salutem potius reservata : neque exiguitatem ignis tantum jam in lino fumigantis exstinctam, (*a*) exiguum Israel ex reliquiis veteris gratiæ spiritum non ablatum ; quia resumendi totius luminis in tempore pœnitentiæ sit facultas. Sed istud intra certi temporis statuta præscribitur, *donec cum ejiciat victoriam ad judicium* (*Matth.* XII, 20), sublata scilicet mortis potestate judicium claritatis suæ reditu introducat, in nomine ejus per fidem gentibus creditūris.

11. *Dæmoniaci cæci et muti curatio, gentium salus.* — *Tunc oblatus est ei homo dæmonium habens cæcus et mutus*, et reliqua (*Ibid.* 22). Sequitur dæmoniaci et cæci et muti opportuna curatio. Non enim sine ratione, cum turbas omnes curatas in commune dixisset, nunc extrinsecus dæmonium habens cæcus et mutus offertur : ut sine ambiguitate aliqua idem intelligentiæ ordo sequeretur. Spicas vellere, id est, homines sæculi præcerpere, apostolos Pharisæi arguebant, misericordia **729** super sacrificium prædicabatur, manus aridæ homo oblatus in synagoga curabatur : atque hæc ad convertendum Israel non solum nihil proficiunt, verum etiam Pharisæi consilium necis ineunt. Oportebat igitur, ut post hæc in unius hujus forma gentium salus fieret : ut qui erat habitatio dæmonis et cæcus et mutus, Deo capax pararetur, et Deum contueretur in Christo, et Christi opera Dei confessione laudaret. Stupuerunt facti istius opus turbæ ; sed Pharisæorum ingravescit invidia. Nam quia humanam infirmitatem hæc tanta ejus opera excederent, pudorem confessionis suæ majore perfidiæ scelere declinant : ut quia hæc opera esse existimare hominis non possent, confiteri Dei nollent, omnemque hanc ejus ex Beelzebub principe dæmonum esse dicerent in dæmonas potestatem (*Ibid.* 24).

12. *Sermo Dei quam dives.* — *Jesus autem sciens cogitationes eorum dixit illis : Omne regnum divisum contra se desolabitur* (*Ibid.* 25). Sermo Dei dives est, et ad argumentum positus intelligentiæ, plurimam de se exemplorum copiam præbet : et vel simpliciter intellectus, vel inspectus interius, ad omnem profectum est necessarius. Sed relictis his, quæ ad communem intelligentiam patent, causis interioribus immorémur.

13. *Prædicitur regni Israel jactura.* — *Omne regnum divisum contra se desolabitur.* Respōnsurus ad id quod de Beelzebub erat dictum, in eos ipsos, quibus respondebat, responsionis ipsius conditionem retorsit. Lex enim a Deo est, et regni Israel pollicitatio ex lege est, et Christi ortus et adventus ex lege est. Si regnum legis contra se dividitur, (*b*) dissolvatur necesse est. Et potestas omnis divisione detrahitur, et regni virtus adversum se separata consumitur : ac sic regnum Israel amisit ex lege, cum quando adimpletionem legis in Christo plebs legis impugnet.

14. *Jerusalem excidium.* — *Sed et civitas et domus divisa contra se, non stabit* (*Ibidem*). Domus quoque et civitatis eadem est ratio, quæ regni. Sed civitas hic Jerusalem (*c*) indicatur, gentium semper gloriosa dominatu. Nunc posteaquam in Dominum suum furore plebis exarsit, et apostolos ejus cum credentium turbis effugavit, discedentium illinc divisione non stabit : atque ita, quod mox consecutum est per hanc divisionem, civitatis illius denuntiatur excidium.

15. *Virtute divina Christum ejicere dæmonia.* — *Si enim satanas satanam ejicit, adversus se divisus est* (*Ibid.* 26). Dicti superioris malevolentiam, quo eum in Beelzebub hæc agere loquebantur, eo ipso quo-loquuti sunt genere condemnant : non intelligentes confessos se fuisse, Beelzebub esse divisum : et si ad divisionem suam coactus est, ut dæmon dæmones proturbaret, et adversus se divisio ipsa consisteret ; hinc quoque existimandum esse, plus in eo qui diviserit, **730** quam in his qui divisi sint, inesse virtutis. Ergo jam divisus est, et adversum se coactus est, regnumque ejus divisione tali est dissolutum. Quod si in virtute Beelzebub Christus dæmones ejicit, filii eorum, id est apostoli, in cujus nomine ejiciunt (*Ibid.* 27) ? Atque idcirco digne sunt in eos judices constituti, quibus id dedisse Christus adversus dæmones potestatis reperietur, quod ipse sit negatus habuisse. Ergo si discipuli operantur in Christo, et ex (*d*) Spiritu Dei Christus operatur ; adest Dei regnum, jam in Apostolos mediatoris officio transfusum. Sed cum per Beelzebub posse Christus arguitur, Deus blasphematur in Christo : atque ita in Deum inexpiabilis convicii contumelia per Pharisæos in Beelzebub nomine comparatur.

16. *Quomodo potest intrare quis in domum fortis, et vasa ejus diripere ?* et reliqua (*Ibid.* 29). Contusam a se in tentatione prima omnem diaboli indicat potestatem, quia nemo domum fortis introeat ejusque vasa diripiat, nisi fortem alligaverit, et tunc domum ejus diripiet : et necesse est hæc agens illo forte sit fortior. Ligatus est ergo tum, cum satanas a Domino nuncupatus, ipsa nequitiæ suæ nuncupatione con-

(*a*) Editi, *ex Sion Israel et ex reliquiis ;* castigantur ex quatuor mss. ubi exiguitatem ignis non exstinctam Hilarius interpretatur exiguum gratiæ spiritum Israel non ablatum.

(*b*) Potiores mss. *desolabitur necesse est :* forsitan sincerius. Hujus modi locutione jam in Psal. CXVIII, n. 7, legimus, *necesse est credenda est :* et ubi in Psal. CXXI, n. 1, exstat *proclamari necesse est*, in mss. habetur *proclamabit necesse est.*

(*c*) In aliquot mss. *dicitur.* Mox in Beccensi et Rom. *plebs exarsit.* Verbum *exarsit* ad Jerusalem referendum est.

(*d*) Vocabulum *Spiritus* naturam divinam, quæ in Christo operibus manifestetur, non tertiam Trinitatis personam denotat. Sic enim ratiocinatur Hilarius : Si Deus est in Christo, ut evincunt divina ipsius opera, Christus autem in apostolis virtute illius operantibus ; jam in eos Christo mediante transfusum est regnum Dei.

strictus est (*Matth.* IV, 10) : cui ita vincto spolia detraxit, et domum abstulit, nos scilicet quondam arma ejus, regnique militiam in jus suum redegit, victoque atque vincto domum sibi ex nobis vacuam et utilem comparavit. Longe autem a se esse, ut aliquid ab eo mutuatus sit potestatis ostendit : quando qui secum non est, adversum se sit ; et qui secum non congregat, dispergat (*Matth.* XII, 30). Ex quo ingentis periculi res intelligitur, male de eo opinari, cum quo non esse, idipsum est quod contra esse : et non congregare, dispergere sit.

17. *Blasphemia Spiritus, negare Christo divinitatem, quam operibus prodit. — Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus ; Spiritus autem (a) blasphemia non remittetur* (*Ibid.* 31). Pharisæorum sententiam, et eorum qui ita cum his sentiunt perversitatem severissima definitione condemnat ; peccatorum omnium veniam promittens, et blasphemiæ Spiritus indulgentiam abnegans (*Ibid.* 32). Nam cum cætera dicta gestaque liberali venia relaxentur, caret misericordia, si Deus negetur in Christo. Et in quo sine venia (*b*) peccator, benevolentiam iteratæ admonitionis impendit : omnino peccata cujusque generis remittenda, blasphemiam in Spiritum **731** sanctum non remittendam. Quid enim tam extra veniam est, quam (*c*) in Christo negare quod Deus sit, et consistentem in eo paterni Spiritus substantiam adimere : cum in Spiritu Dei opus omne consummet, et ipse sit regnum cœlorum, et in eo Deus sit mundum reconcilians sibi (II *Cor.* V, 19) ? Ergo quidquid contumeliæ exstiterit in Christo, id omne exstabit in Deo : quia et in Christo Deus, et Christus in Deo sit.

18. *Contra Judæos et Arianos. Christum qui colunt, sed Deum negant, pejores sunt quam qui ignorant. — Aut facite arborem bonam, et fructus ejus bonos : aut facite arborem malam, et fructus ejus malos,* et reliqua (*Matth.* XII, 33). Sermo se et in præsens exserit, et effert in futurum. Nam in præsens Judæos refellit, qui cum intelligerent Christi opera ultra humanam esse virtutem, nollent tamen quod Dei sint confiteri. In futurum vero omnem fidei perversitatem coarguit, eorum scilicet, qui (*d*) divinitatem et communionem paternæ substantiæ Domino detrahentes, in diversa hæreseos studia efferbuerunt : neutrum facientes, nec inter gentes sub venia ignorationis habitantes, nec in veritatis cognitione versantes. Arborem se in corpore positum significat : quia per interiorem virtutis suæ fecunditatem exeat ubertas omnis in fructus. Igitur aut arbor bona facienda cum bonis fructibus est, aut mala constituenda cum malis fructibus ; quia ex fructibus suis de se arbor ipsa testabitur : non quod secundum arborum naturam arbor mala possit constitui quæ bona sit, aut eadem ipsa cum ramis suis bona esse si mala sit ; sed ut per hanc significantiam intelligeremus, Christum aut tamquam inutilem relinquendum, aut tamquam bonum bonorum fructuum utilitate retinendum : quia adversum filium hominis dicta sub venia sint, blasphemia autem Spiritus careat venia. Cæterum medium se agere, et Christo aliqua deferre, negare quæ maxima sunt ; venerari tamquam Deum, Dei communione spoliare, hæc blasphemia Spiritus est : ut cum per admirationem operum tantorum Dei nomen detrahere non audeas ; per malevolentiam mentis et sensus, generositatem ejus, quam confiteri es coactus (*e*) in nomine, abnegata paternæ substantiæ communione decerpas. Atque ideo etiam in eo Dominus bonitatis suæ munus extendit, dicens aut malam arborem cum malis fructibus, aut bonam cum **732** bonis fructibus esse faciendam : quia in malæ arboris opinione sub secreto (*f*), indulgentiæ Dei reposita sit venia ; (quia omne (*g*) peccatum sit remittendum) ; in bonæ confessione fructus æternus sit : ne incidentes (*f.* incertum veniam esse, quod paternæ naturæ substantiam adimant, etiam *cum in Spiritu Dei*, hoc est, in ipsa divinitatis virtute et natura, *opus omne consummet*. Præterea qui apud Athanasium testimonia de communi essentia Patris et Filii et Spiritus sancti concinnavit, blasphemiam in Spiritum sanctum non alia ratione interpretatus, observat *non dixisse Christum blasphemanti et pœnitentiam agenti remissionem dandam non esse, sed blasphemanti et in blasphemia manenti*. Probabile est aliam Hilario sententiam non fuisse, cum legamus infra, cap. 18, num. 10, quod *omnium omnino peccaminum veniam Deus nobis largiatur*, ac re ipsa iis largitus sit, qui Christum Deum non negaverint modo, sed et necaverint, aut mortis ipsius fuerint auctores ; venia non dilata, ubi per fidem ad eum rediere.

(*a*) Sola editio Par. *blasphemiæ non remittetur*. Tum etiam aliæ, *Pharisæorum sententiæ*.

(*b*) Lips. et Par. *peccatur*. At Bad. et Er. cum omnibus mss. *peccator*, supple *sit*.

(*c*) Mss. Carn. *Christo negare*, sine *in*. Colb. et Rom. *Christum negare*. Tum Mich., Vind., alter Colb., Turon., Becc. et Silv. cum Bad. et Er. *quod Dei sit*. Magis placet cum cæteris libris, *quod Deus sit*. Cur autem Christum Deum negare sine venia sit, Athanasius epist. IV ad Serapionem (ex qua divulsus est tractatus in hunc eumdem locum, ac seorsim positus pag. 970, T. I edit. Par. an. 1627) hanc ad calcem rationem reddit : *Qui enim Filium abnegat, quem deprecari potest, ut propitiationem inveniat ? aut quam vitam aut refocillationem exspectabit, qui eum repudiat qui ita loquitur, Ego sum vita ?* Eo ipso loco luculenter explicat Athanasius, cur hic blasphemia in Spiritum sanctum intelligenda sit blasphemia adversus Christi divinitatem. Neque vero aut Hilarius aut Athanasius carere venia sentiunt quicumque Christi negaverint divinitatem, sed qui operibus sibi probatam atque compertam negaverint. *Nam*, ut ait Athanasius, *per hæc verba ostendit ipsos* Pharisæos *non per ignorantiam, sed sponte se in hanc eluctabilem blasphemiam infigere, nec pudore illo duci, cum scirent istius modi opera Dei esse, eaque ut amentes Beelzebub adscriberent, affirmantes ea per spiritum immundum fieri*. Cui consentiens noster Hilarius eos affirmat extra veniam esse, quod paternæ naturæ substantiam adimant, etiam *cum in Spiritu Dei*, hoc est, in ipsa divinitatis virtute et natura, *opus omne consummet*. Præterea qui apud Athanasium testimonia de communi essentia Patris et Filii et Spiritus sancti concinnavit, blasphemiam in Spiritum sanctum non alia ratione interpretatus, observat *non dixisse Christum blasphemanti et pœnitentiam agenti remissionem dandam non esse, sed blasphemanti et in blasphemia manenti*. Probabile est aliam Hilario sententiam non fuisse, cum legamus infra, cap. 18, num. 10, quod *omnium omnino peccaminum veniam Deus nobis largiatur*, ac re ipsa iis largitus sit, qui Christum Deum non negaverint modo, sed et necaverint, aut mortis ipsius fuerint auctores ; venia non dilata, ubi per fidem ad eum rediere.

(*d*) Mss. Carn. et Colb. *dignitatem ;* et mox *agitantes*, loco verbi *habitantes*.

(*e*) Sex mss. *in homine :* male. Hic refelluntur Ariani Christo Dei naturam negantes, cujus nomen ac venerationem ei deferebant.

(*f*) Hoc est, quam diu nobis occulta et latens est illius bonitas.

(*g*) Editi cum unico ms. Colb. *qua omne*. Deinde sola editio Par. cum eodem ms. *in bona confessione :* ubi Beccensis codex, *in bonæ scilicet arboris confessione*, quod in margine ad textum illustrandum non male locum haberet, præfixo *et* ante *in bonæ*.

dentes) mediam inter utrumque sententiam , cum constituere malum non audeamus; confiteri bonum nolimus, indissolubili corruptæ de se opinionis judicio relinquamur.

49. Omnem autem ita sentiendi corruptelam, ex naturæ vitio proficisci docuit, dicens : De malo thesauro non nisi quæ mala sunt posse proferri, et omnis otiosi, id est, inepti et inutilis dicti rationem Deo esse reddendam (*Matth.* XII, 35) : quia de confessionis nostræ verbis aut condemnandi simus, aut justificandi; talem futuri judicii benevolentiam recepturi, qualem de cœlestis gloriæ Domino sententiam tenuerimus.

20. *Fide gentium arguitur infidelitas Judæorum.* — Signum deinde rogatur ut præstet, quod se ex Jonæ signo daturum esse respondit (*Ibid.* 38) : et sicut triduo et totidem noctibus Jonas in ceti ventre detentus sit, ita se intra interiora terræ pari temporis spatio demoraturum. Sed majorem futuram gentium fidem monstrat. Ninivitæ enim Jona prædicante pœnitentiam egerunt, et a Deo veniam pœnitendi confessione meruerunt. Sed et Austri regina nunc in exemplum Ecclesiæ præsumpta , sapientiam admirata Salomonis, ex ultimis terræ partibus venit audire quam erat admirata sapientiam (*Ibid.* 41 *et* 42). Cumulat igitur invidiam comparatio, et Judæos sine excusatione facit fides gentium : ut cum illi prophetis, id est, Jonæ Salomonique crediderint , Christo isti non credant Jona Salomoneque potiori. Et idcirco in resurrectione eos judicabunt , quia in his repertus timor Dei fuerit, quibus lex non erat prædicata : hoc magis indigni venia (*a*) qui ex lege sunt infideles, quo plus fidei in eis qui legem ignoraverunt sit repertum.

21. *Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, et non inveniet*, et reliqua (*Ibid.* 43). Continens lectio est, et, ex ipso initi sermonis exordio , (*b*) ex sensu superiore proficisci indicatur : ex verbi enim conjunctione cœpit. Sed totius propositæ comparationis ratio tractanda est. Exiens ab homine immundus spiritus, arida et inaquosa loca circuit, in quibus nullus fons vitæ effluebat. Et cum requiem non inveniet, tum intra se loquetur, congruum sibi esse, ad domum suam unde exivit reverti; quam inveniet vacantem , scopis mundatam et ornatam; assumetque secum **733** septem spiritus se nequiores, introeuntesque habitabunt ibi, et novissima hominis illius primis pejora erunt.

Et quidem Dominus absolvit, dicens : *Sic erit generationi huic pessimæ* (*Ibid.* 45).

22. *Judæis superiora aptantur. Dæmon ante legem Israelitas obtinebat. Lege expulsus gentes invasit.* — Non igitur ambigere possumus, totum hoc ad personam populi hujus esse referendum : sed contuendum est quatenus proposita singula singulis temporibus rebusque reddantur. Superius , (*c*) nempe in Ninivitarum et reginæ Austri nomine, justificata fides gentium est : sed longe antea , post multa in Deum et gravia peccata, Judæis data lex est. Et peccata quidem eorum (*d*) libris Moysi continentur. Verum post tot divinæ virtutis documenta, id est , decem plagis percussam Ægyptum, et columnam nubis ac luminis nocte dieque famulantem , et in Erythreo mari iter præbitum, et fontes ruptis saxis effluentes , et (*e*) ministratam esurientibus mannam , et ad postremum in quadraginta annorum tempore vita atque habitu angelorum populum viventem ; (*f*) adoratum supplicatumque postea pecudibus et saxis, hisque cum choris canticisque saltatum, et metalla deos nuncupata. Ergo insidentem plebis istius pectoribus spiritum immundum lex, quæ postea data est , interventu suo ejecit, et veluti quadam custodia circumjectæ potestatis exclusit. Qui illinc exiens, circum gentes desertas atque aridas oberravit, domum veterem derelinquens : ut in his usque in diem judicii non inquietata habitatione requiesceret.

23. *Gentibus indulta gratia ad Judæos rediit. Cur septem secum assumat.*—Sed rursum Dei gratia impertita gentibus, postquam in aquæ lavacro fons vivus effluxit, habitandi cum his locus nullus est : et cum jam in his requiem non haberet , intra se reputans, optimum credit regredi in eam ex qua profectus est domum. Hæc emundata per legem, et prophetarum ornata præconiis, et Christi adventu præparata , vacua invenitur : a qua et custodia legis abscesserit (quia omnis lex usque ad Joannem est (*Matth.* II, 13) , et ad habitandum non receptus sit Christus. Atque ita et habitatore vacua est , et deserta custodibus : cum tamen (*g*) veniente habitatore, præeuntium sollicitudine, et mundata sit et ornata. Septem igitur spiritus nequiores assumuntur; quia tot erant gratiarum munera destinata (*h*) cum Christo , quæ in eo multiformis illa Dei sapientia septiformi gloria collocavit : ut tanta iniquitatis fieret possessio, quanta futura fuerat gratiarum. Atque ita novissima hominis illius pejora

(*a*) In vulgatis, *quia*. Rectius in mss. *qui* ; hoc est, populi legis , qui sunt infideles , eo magis indigni sunt venia.

(*b*) Editi , *et sensu* : corriguntur ex mss. Hoc est , ipsum sermonis exordium : *Cum autem immundus*, etc., indicat eam lectionem ex sensu superiore , cujus continuatio est, proficisci.

(*c*) In sincerioribus mss. *namque*, vox Hilario familiaris pro *nempe*.

(*d*) Solus ms. Turon. cum excusis, *libro Moysi*. Infra cap. 14, n. 11, libri legis quinque memorantur.

(*e*) Vaticanus codex apud Latinium , *ministratum esurientibus manna* : nullo alio ei suffragante. Monuimus, not. *d* col. 737 hujus editionis, in mss. haberi *mannam æternam*.

(*f*) In ms. Colb. *adorantem postea pecudes cum saxis* , consentiente Carnut. nisi quod *adorantem* habet tantum secundis curis. In aliis etiam mss. abest *supplicatumque* : quod absque auctoritate adjectum suspicamur, maxime cum verbum *adoro* in aliis etiam Hilarii locis cum quarto casu junctum adverterimus. Apud Par. *adorantem supplicatumque*, etc. Ante *adoratum*, intelligere est *continent libri Moysi*.

(*g*) In vulgatis, *venienti habitatori*. Præferimus cum potioribus mss. *veniente habitatore* , diabolo scilicet , cui neque lex sollicita prospexit , nec prophetæ , ut præ se fert prior lectio.

(*h*) Sic mss. At editi , *in Christo*.

erunt prioribus : quia (*a*) ex Judæis immundus spiritus metu **734** legis excesserat, nunc autem in eos cum ultione repudiatæ ab eis gratiæ revertetur.

24. *Propinquitatum jus jam unde sumendum. Christi propinqui foris stantes, Synagoga.* — Et quia totum istud in paternæ majestatis virtute loqueretur ; nuntianti sibi quod foris a matre atque a fratribus exspectaretur, manum in discipulos extendens, eos sibi fratres esse matremque respondit ; et quicumque voluntati paternæ obsecutus esset, eum esse et fratrem et sororem et matrem : formam se ipsum universis agendi sentiendique constituens, propinquitatum omnium jus atque nomen, jam non de conditione nascendi, sed de Ecclesiæ communione retinendum. Cæterum non fastidiose de matre sua sensisse existimandus est, cui in passione positus maximæ sollicitudinis tribuerit affectum (*Joan.* XIX, 26 *et* 27). Est autem etiam in eo typica ratio servata, ut mater ejus et fratres foris starent, cum utuiqe ingrediendi ad eum haberent ut cæteri potestatem. Sed quia in sua venit, et sui eum (*b*) non receperunt ; in matre ejus ac fratribus Synagoga et Israelitæ præfigurantur, ingressu ejus atque aditu abstinentes.

CAPUT XIII.

Sedens in navicula Jesus turbis parabolas loquitur de seminante bonum semen, de zizania et tritico, de grano sinapis, de fermento absconso in farina, et expositio zizaniæ, de thesauro in agro, de bona margarita, de reti misso in mare.

1. *Verbum Dei non capiunt av Ecclesia alieni.* — *In illa die exiit Jesus, et sedebat secus mare : et congregatæ sunt ad eum turbæ, ita ut in naviculam ascenderet* (*Matth.* XIII, 1 *et* 2) : Sedisse Dominum in navi, et turbas foris stetisse, ex subjectis rebus est ratio. In parabolis enim erat loculurus : et facti istius genere significat eos, qui extra Ecclesiam positi sunt, nullam divini sermonis capere posse intelligentiam. Navis enim Ecclesiæ typum præfert : intra quam verbum vitæ positum et prædicatum hi, qui extra sunt, et arenæ modo steriles atque inutiles adjacent, intelligere non possunt. De parabolis autem jam a Domino absolutis (*c*) loqui otiosum est.

2. *Legem ob inopiam fidei perdiderunt Judæi.* — *Qui enim habet, dabitur ei, et abundabit : qui autem non habet, et quod habet auferetur ab eo* (*Ibid.* 12). Regni mysteria fides percipit. Hæc in quibus fuerit proficiet, et incrementis profectus sui abundabit : in quibus vero non fuerit, etiam quod habent auferetur ab eis. Damnum scilicet legis ex fidei inopia declarat : (*d*) quam fidem Judæi non habentes, legem quoque quam **735** habuerant perdiderunt. Et ideo perfectum fides evangelica habet donum ; quia suscepta novis fructibus ditat, repudiata vero etiam veteris substantiæ opes detrahit.

3. *Vestri autem beati oculi qui vident, et aures quæ audiunt* (*Ibid.* 16). Apostoloci temporis beatitudinem docet, quorum oculis atque auribus contigit Dei Salutare visere et audire : prophetis atque justis cupientibus videre et audire in plenitudinem temporum (*e*) destinatorum, et exspectationis istius gaudium Apostolis reservatum.

4. *Granum sinapis Dominus. Olera prophetarum verba. Apostoli quomodo rami.* — *Simile est regnum cœlorum grano sinapis*, et reliqua (*Ibid.* 31). Grano sinapis se ipsum Dominus comparavit, acri maxime, et omnium seminum minimo, cujus virtus ac potestas tribulationibus et pressuris accenditur. Granum hoc igitur postquam in agro satum fuerit, id est, ubi a populo comprehensus et traditus morti, tamquam in agro, satione quadam fuit corporis consepultus ; ultra mensuram omnium olerum excrescit, et universam prophetarum gloriam excedit. Oleris enim vice, tamquam ægroto, Israeli data est prædicatio prophetarum. Sed jam ex ramis arboris ex solo in sublime prolatæ, cœli volucres inhabitant. Apostolos scilicet, et Christi virtute protensos, et mundum inumbrantes, in ramis intelligemus : in quos gentes in spem vitæ advolabunt, et aurarum turbine, id est, diaboli spiritu flatuque vexatæ, tamquam in ramis arboris acquiescent.

5. *Christus in lege, prophetis et evangeliis.* — *Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ mensuris tribus, donec fermentatum est totum* (*Ibid.* 33). Fermentum de farina est, quod virtutem acceptam acervo generis sui reddit. Huic se Dominus comparavit, quod acceptum mulier, synagoga scilicet, per judicium mortis abscondit, arguens legem et prophetas (*f*) evangeliis dissolvi. Hoc autem farinæ mensuris tribus, id est, legis, prophetarum, evangeliorum æqualitate coopertum, omnia unum facit : ut quod lex constituit, prophetæ nuntiaverunt, id ipsum evangeliorum profectibus expleatur. Fiuntque omnia per Dei Spiritum ejusdem et virtutis et sensus : nihilque aliud ab alio mensuris æqualibus fermentatum dissentiens reperietur.

6. *Ad Trinitatis unitatem aut trium gentium vocationem prædicta non recte referuntur.* — Quamquam ad fidei (*g*) sacramentum, id est, ad Patris et Filii

(*a*) In mss. Colb. et Carn. *ex eo* : in cæteris, *ex eis*.

(*b*) Duo mss. *non cognoverunt*.

(*c*) Cujusmodi sunt propositæ inter titulos parabolæ *de seminante bonum semen*, et *de zizania et tritico*. Hinc nemo non videt titulos illos non frustra superius locum suum obtinere, quamvis eis Hilarius tam paucis satisfaciat.

(*d*) In aliquot mss. *quia fidem*.

(*e*) Turonensis ms. ab antiqua manu secunda, *destinatum* ; quod etiam habent alii quinque, et non male potest referri ad *Salutare*. Non mutamus tamen lectionem receptam, quam confirmant mss. non minus sinceri. Lipsius autem de suo expunxerat præpositionem *in* ante *plenitudinem*.

(*f*) Sola editio Par. *ex Evangeliis* : tum cæteræ cum aliquot mss. *dissolutos*.

(*g*) Obiter observare licet mysterium Trinitatis ab Hilario *sacramentum fidei* nuncupari : ut quos de hoc mysterio libros conscripsit, aliis *de fide*, aliis *de Trinitate* inscribere vere licuerit.

et Spiritus sancti unitatem, sed et ad trium gentium A vocationem, ex Sem, Cham et Japhet, tres mensuras farinæ esse referendas, sensisse multos meminerim. Sed nescio an hoc ita opinari ratio permittat : cum tametsi omnium gentium vocatio sit (*a*) æque, tamen in his Christus non absconsus sit, sed ostensus ; et in tanta infidelium multitudine non fermentatum sit totum : in Patre autem **736** et Filio et Spiritu sancto, (*b*) sine admixti extrinsecus fermenti necessitate in Christo, omnia unum sint.

7. *Thesaurus in agro, Christus in carne.—Iterum simile est regnum cœlorum thesauro abscondito*, et reliqua (*Matth.* XIII, 44). Per similitudinem thesauri in agro, spei nostræ opes intra se positas ostendit : quia Deus in homine sit repertus, in cujus pretium omnes sæculi vendendæ sunt facultates, ut vestitu, cibo, po- B tuque indigentium, æternas cœlestis thesauri divitias comparemus. Sed contuendum est, (*c*) inventum thesaurum et absconsum fuisse ; cum utique qui invenit, et secreto et tempore quo abscondit auferre potuisset, et auferens emendi necessitate caruisset. Sed ut rei, ita et dicti fuerit ratio explicanda. Ideo enim absconsus est thesaurus, quia et agrum emi oportebat. Thesaurus enim in agro, ut diximus, Christus intelligitur in carne, quem invenisse (*d*) est gratuitum. Evangeliorum enim prædicatio in absoluto est, sed utendi et possidendi hujus thesauri cum agro potestas non potest esse sine pretio ; quia cœlestes divitiæ non nisi damno sæculi possidentur.

8. *Negotiator, a lege ad Evangelium transiens.* — Et de margarita par ratio est (*Ibid.* 45). Sed ad ne- C gotiatorem jamdiu in lege versantem proficiens hic sermo est, qui longo ac diutino labore ad margaritæ scientiam pervenerit, et ea quæ sub onere legis adeptus sit, derelinquat. Diu enim est negotiatus, et margaritam aliquando qualem optabat invenit : cui et unius hujus desiderati lapidis pretium, reliqui laboris jactura est comparandum.

9. *Prædicatio qui rete.* — *Iterum simile est regnum cœlorum reti misso in mare*, et reliqua (*Ibid.* 47). Merito prædicationem suam reti comparavit, quæ in sæculum veniens, sine sæculi damno habitantes intra sæculum congregavit, modo retis, quod mare penetrans ita agitur de profundo, ut per omne elementi illius corpus evadens, clausos intra ambitum suum extrahat, nosque ex sæculo in lumen veri solis educat : in bonorum electione, et malorum abjectione, futuri judicii examen ostendens.

737 CAPUT XIV.

De scriba in regno cœlorum, de fratribus et sororibus Domini, de Joannis capite in disco, de quinque panibus et duobus piscibus, ubi supra mare ambulat, et Petrum mersum erexit.

1. *Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei, utique. Et ait illis : Ideo omnis scriba doctus in regno cœlorum*, etc. (*Matth.* XIII, 51 *et* 52). Non turbis, sed discipulis est locutus ; et intelligentibus parabolas dignum testimonium reddit, ipsos scilicet sub patris familiæ nomine sibi comparans, quod doctrinam de thesauro suo novorum (*e*) ac veterum sint adepti : quosque scribas propter scientiam nuncupat, quod intellexerint ea, quæ ille nova et vetera, id est, in Evangeliis et in lege protulerit, (*f*) et ejusdem patrisfamilias, et unius utraque thesauri.

2. *Et factum est, cum consummasset Jesus parabolas istas, transiit inde, et venit in patriam suam*, et reliqua (*Ibid.* 53). Inhonoratur Dominus a suis. Quamquam et docendi prudentia, et operandi virtus admirationem commoveret ; infidelitas tamen eorum veritatem judicii non recipit. Non enim credunt hæc in homine Deum agere : quin etiam patrem ipsius, matrem, fratresque nuncupant, et paternæ artis quodam opprobrio lacessunt (*Ibid.* 55). Sed plane hic fabri erat filius, ferrum igne vincentis, omnem sæculi virtutem (*g*) judicio decoquentis, massamque

(*a*) Abest *æque* ab aliquot probæ notæ mss. In Sem, Cham et Japhet omnes omnino homines sive gentiles sivæ Judæos contineri diserte asseritur, cap. 8, n. 4.

(*b*) Editi, *in ea admixti extrinsecus fermenti necessitate in Christo omnia unum sunt* : emendantur ex sæpe laudatis mss. Carn., Rom., Vatic. et Colb. Hilarium sibi temperasse, quominus Spiritum sanctum D Deum diceret, iis verbis annotarat Erasmus, quæ dubiam illius de Spiritus sancti divinitate fidem efficere idonea essent. Sed vel ex hoc uno loco affatim refellitur. Si enim Spiritus sanctus cum Patre et Filio *per omnia unum* ; cum utroque non modo Dei nomine, sed et virtute, dignitate, honore, natura, substantia unum sit necesse est. Qui hoc haud dubius asseruit, non timuit sane, ne Spiritum sanctum Deum dicendo, plus ei quam par esset tribueret. Quid autem aliud docet, qui Patrem et Filium et Spiritum sanctum per se unum esse asserit, et non extrinsecus in Christo, per fermentum extrinsecus admixtum figurato ? Ex quo patet verba *in Christo*, ad *unum sint*, in prius vulgatis male fuisse relata.

(*c*) Hoc est, cur inventus non statim ablatus fuerit ; cum et secreto liceret, et tempus, quo absconsus fuit, ad id sufficeret.

(*d*) Bad., Er., Lips. et sex mss. *est gratum* : cui lectioni favet illud : *quem qui invenit homo, abscondit, et præ gaudio illius vadit.* Attamen cum Par. et quatuor mss. præferendum esse *est gratuitum*, suadet subnexa hujus dicti ratio : *Evangeliorum enim prædicatio in absoluto est*, hoc est, publica et omnibus patens, qua fere ratione cap. 14, n. 17, dicitur : *Confessio universorum tum et absoluta et publica erit.*

(*e*) Vocabulum *Spiritus sancti* apud Bad., Er., D Lips. et in aliquot mss. hic perperam insertum est : cum doctrinam novorum et veterum interpretetur Hilarius doctrinam legis et evangeliorum, ac lex non minus opus sit Spiritus sancti quam Evangelium. Si quidem thesaurus Christus est ; doctrina de thesauro, doctrina de Christo est, quæ in lege pariter et in Evangelio continetur.

(*f*) Id est, quæ lege et Evangelio continentur, et ejusdem patrisfamilias sunt, et ad unum thesaurum pertinent. His lucem præstant dicta superiori capite n. 5.

(*g*) Hic alludit Hilarius ad ignem judicii, cujus mentionem facit cap. 2, n. 4, et cap. 5, n. 12. Sæculi virtutem vocat diabolum ejusque ministros, quos *mundi potentes* nuncupare solet. Qui autem judicio decoquendi sint, declaratur in psal. CXLIII, n. 11. Hinc conficitur Joseph Hilario fabrum ferrarium exstitisse. Idem sentire videtur Theophilus An-

formantis in omne opus utilitatis humanæ : (*a*) informem scilicet corporum nostrorum materiem in diversa membrorum ministeria, et ad omnia æternæ vitæ opera fingentis. In his igitur scandalizabantur omnes : et inter tot (*b*) tamque magnifica quæ gerebat, corporis ejus contemplatione commovebantur. Quibus Dominus inhonorabilem in patria sua prophetam esse respondit (*Matth.* XIII, 57), quia in Judæa esset usque ad crucis sententiam contemnendus. Et quia penes solos **738** fideles Dei virtus est, propter eorum incredulitatem omnibus divinæ operibus virtutis abstinuit.

3. *Evangeliis est et interior sensus. — In illo tempore audivit Herodes tetrarcha famam Jesu, et ait pueris suis*, et reliqua (*Matth.* XIV, 1, 2). Frequenter monuimus, omnem diligentiam Evangeliorum lectioni adhiberi oportere : quia in his, quæ gesta narrantur, subesse interioris intelligentiæ ratio reperiatur. Habet enim omnium operum narratio suum ordinem : sed gestorum effectibus causæ subjacentis species præformatur, ut in Herode ac Joanne intelligitur. Nam et Herodes princeps erat populi, et Herodiadem uxorem Philippi fratris sui in matrimonium suum jure potestatis assumpserat. Et huic Herodiadi erat filia : quæ natali die, cum saltans placeret, potestatem cujus vellet præmii, sacramento jurantis accepit : et Joannis caput (*c*) in carcere diu habiti, puella matre admonente disco sibi inferri precata est. Et Herodes, tristis licet, sacramento fidem reddidit, et matri puella munus exhibuit : et sepulto eo discipuli ejus ad Dominum transierunt (*Ibid.* 6-11).

4. Auditisque his Dominus in naviculam in loca deserta secessit, et sequentium se turbarum vexationem misertus est, et dimitti eas in castella ad coemendos cibos Apostoli admonent. Et Dominus respondet, necessitatem eo revertendi ipsas non habere, darique his cibum præcipit. Et solos se quinque panes et duos pisces habere causantur. Et offerri sibi eos jussit, turbamque sub strato fœno accumbere. Et oblata benedixit, et turbæ manducanda comminuit, et dedit discipulis ut offerrent : et saturatis omnibus supplementa cophinorum duodecim superfuerunt, cum tamen extra mulierum puerorumque numerum, quinque millia virorum expleta essent (*Ibid.* 13-21).

5. Et discipulos naviculam conscendere, et transfretum præcedere jubet, dimissaque ipse turba in montem orare solus ascendit : factoque vespere solus fuit : et navis mari medio, vento adversante, fluctibus jactabatur. Et quarta vigilia Dominus venit super mare ambulans : videntesque turbati sunt, et inanis visus phantasma credentes, clamaverunt præ timore. Quibus mox Dominus locutus est, et constantes esse jussit. Et ex plurimis Petrus respondens, postulavit uti ad Dominum super aquas veniret. Qui de navicula descendens, et progressus aliquantulum, vento invalescente et timere cœpit et mergi. Quem apprehendens Dominus, objurgavit cur fidei modicæ sit : ingressusque navem, tranquillitatem vento et mari quiescente revocavit (*Ibid.* 22-32).

6. Igitur hæc ut commemoravimus gesta sunt : sed his omnibus personis, effectibus, causis, numeris modus adjacet, ut quæ gesserunt, præter gerendi munus instinctumque, quem unusquisque ex natura sua sumpsit, extrinsecus omnia gesserint in exemplum : hoc **739** majore ita opinandi reverentia, si tam diversarum causarum efficientiam una atque eadem intelligentia consequatur. Sermo igitur ad originem propositionis referendus est.

7. *Joannes, lex. Herodes et frater, Judæi et gentes. Gentium uxor, infidelitas. Filia, voluptas.* — Joannes, ut frequenter admonuimus, formam prætulit legis : quia lex Christum prædicavit, et Joannes profectus ex lege est, Christum ex lege prænuntians. Herodes vero princeps est populi : et populi princeps, subjectæ sibi universitatis nomen causamque complectitur. Joannes ergo Herodem monebat, ne fratris sui uxorem sibi jungeret (*Ibid.* 4). Sunt enim atque erant duo populi, circumcisionis et gentium. Sed Israelem lex admonebat, ne opera gentium infidelitatemque sibi jungeret. Gentium enim socia infidelitas est, quæ ipsis tamquam vinculo conjugalis amoris annexa est. Hi igitur fratres ex eodem humani generis sunt parente. Ob hanc itaque asperæ admonitionis veritatem, Joannes tamquam lex in carcere continebatur. Die autem natalis, id est, rerum corporalium gaudiis, Herodiadis filia saltavit (*Ibid.* 6) : voluptas enim tamquam ex infidelitate orta, per omnia Israelis gaudia totis illecebræ suæ cursibus efferebatur. Cui se omnem etiam sacramento venalem populus addixit : sub peccatis enim et sæculi voluptatibus, Israelitæ vitæ æternæ munera vendiderunt. Hæc matris suæ, id est, infidelitatis instinctu, deferri sibi Joannis caput, id est, gloriam legis oravit (*Ibid.* 8) : quia lex incestuosum Israelem auctoritate divinorum præceptorum arguebat.

---

tioch. in Matth. docens iis evangelicis verbis indicari Deum patrem *rigida mentium Spiritus igne mollire*. Consentit et Ambrosius in Luc. l. III, n. 2, ubi allata Theophili verba exscribit. In eamdem sententiam abit Beda in Marc. c. VI. Nihil itaque fuit, cur Scultetus hanc Hilarii opinionem ut nævum notaret unde nullo modo excusari possit. Quamvis enim alii Joseph fabrum lignarium dixerint, æque tamen licuit ferrarium dicere, neutrum Evangelio deficiente. Imo neque Hilarius lignarium negat. Utrumque vero innuit Ambrosius loco laudato. Verum vulgata opinio Joseph artem lignariam exercuisse, ita alte Sculteti animo inhæserat, ut facile sibi persuaserit quod *Scriptura lignariæ mentionem faciat*, eique Hilarius adversetur.

(*a*) Bad., Er., Lips. et sex mss. *formam scilicet nostrorum corporum et materiem.*

(*b*) Sinceriores mss. *tantaque magnifica.*

(*c*) In aliquot mss. *qui in carcere diu habitavit.* Hoc potius ita vertendum erat : qui in carcere jam diu habebatur.

8. *Lex infidelitate ac voluptate interiit.* — Sed superius Herodes significatus est Joannem velle occidere, et metu populi demorari, quia sicut propheta habebatur (*Matth.* XIV, 5). Nunc vero petita ipsius nece, cum præsertim religione sacramenti detineretur, quomodo tristis efficitur (*Ibid.* 9)? Contrarium videlicet est, tunc eum voluisse, nunc nolle : et præsens molestia anteriori non convenit voluntati. Verum in superioribus gestæ rei ordo est, in his autem nunc species causæ consequentis exponitur. Gloriam legis voluptas ex infidelitate orta occupavit. Sed populus boni ejus quod in lege erat conscius, (*a*) voluptatis conditionibus non sine aliquo certi periculi sui dolore (*b*) connivet. Scitque se (*c*) tali præceptorum gloria non oportuisse concedere : sed peccatis tamquam sacramento coactus, et principum adjacentium metu atque exemplo depravatus et victus, illecebris voluptatis etiam mœstus obtemperat. Igitur inter reliqua dissoluti populi gaudia, in disco Joannis caput affertur (*Ibid.* 11) ; damno scilicet legis voluptas corporum et sæcularis luxus augetur : et ita per puellam ad matrem defertur. Ac sic probrosus Israel et voluptati et infidelitati suæ familiæ, scilicet antea gentium, gloriam legis addixit. Finitis igitur legis temporibus, et cum Joanne consepultis, discipuli ejus res ita gestas Domino nuntiant, ad Evangelia scilicet ex lege venientes (*Ibid.* 12).

9. **740** *Legis finis, Ecclesiæ initium.* — Ergo Dei Verbum lege finita navem conscendens Ecclesiam adit, et in desertum concedit (*Ibid.* 13) : relicta quippe conversatione Israel, in vacua divinæ cognitionis pectora transiturus. Turba hæc audiens, Dominum de civitate pedes sequitur in desertum : de Synagoga videlicet ad Ecclesiam concedit. Quam videns misertus est, et omnem languorem ejus infirmitatemque curat (*Ibid.* 14) : obsessas scilicet mentes et corpora infidelitatis veterno ad intelligentiam novæ prædicationis emundat.

10. *Legalis doctrinæ cibus. Quinque panes et duo pisces quid significent.* — Et cum discipuli dimitti turbas in castella proxima ad coemendos cibos admonerent (*Ibid.* 15); respondit : *Non habent necesse ire* (*Ibid.* 16) : ostendens eos, quibus mederetur, (*d*) legalis doctrinæ cibo non egere, neque necessitatem habere regredi ad Judæam cibumque mercari ; A jubetque apostolis ut eis escam darent. Numquid ignorabat, non esse quod dari posset ; et humanarum mentium interna conspiciens, modum repositi penes apostolos cibi nesciebat? Sed erat omnis typica ratio explicandâ. Nondum enim concessum apostolis erat, ad vitæ æternæ cibum, cœlestem panem perficere ac ministrare. Quorum responsio ad spiritalis intelligentiæ ordinem tendit. Solos enim se quinque panes et duos pisces responderunt habere (*Ibid.* 17) : quia adhuc sub quinque panibus, (*e*), id est, quinque libris legis continebantur, et piscium duorum, id est, prophetarum et Joannis prædicationibus alebantur. In operibus enim legis, tamquam ex pane erat vita : prædicatio autem Joannis et prophetarum, in virtute aquæ, vitæ humanæ spem confovebat. Hæc B igitur primum, quia in his adhuc erant, apostoli obtulerunt : sed ex his evangeliorum prædicatio (*f*) profecta monstratur, et his originibus deducta in majorem virtutis suæ abundantiam crescit.

11. *Christus in cibum versus. Cur dentur apostolis panes, ℣. 20. Cur quinque millia inde saturentur : cur duodecim cophini reserventur.* — Acceptis igitur panibus atque piscibus, Dominus respexit ad cœlum, benedixit et fregit, Patri agens gratias post tempora legis ac prophetarum se in evangelicum cibum verti (*g*). Accumbere post hæc supra fœnum populus jubetur ; non jam in terra jacens, sed lege suffultus : et tanquam terræ fœno, fructibus operis sui unusquisque substernitur. (*h*) Dantur quoque apostolis panes, quia per eos erant divinæ gratiæ dona reddenda. Plebs deinde quinque panibus et duobus pis- C cibus pascitur et expletur : et fragmenta panis et piscium, saturatis accumbentibus, usque in duodecim cophinorum plenitudinem abundaverunt, Dei scilicet **741** verbo ex doctrina legis prophetarumque veniente, multitudo satiatur : et reservata gentium plebi (*i*) ex æterni cibi ministerio, in duodecim apostolorum plenitudinem, copia divinæ virtutis exuberat. Idem autem edentium numerus invenitur, qui futurus fuerat crediturorum. Nam sicut libro (*j*) Praxeos continetur, ex Israel populi infinitate, virorum quinque millia crediderunt (*Act.* IV, 4). Rerum enim (*k*) admiratio usque in mensuram causæ subjacentis extenditur. Confractique cum piscibus panes, saturato populo, in tantum deinceps cumulantur augmentum,

(*a*) Bad., Er. et Lips. *voluntatis* : male.

(*b*) Edit. excepto Par. cum aliquot mss. *concedit.* Rectius alii libri, *connivet*, hoc est, quamvis non sponte, cònsentit tamen.

(*c*) In sex mss. *talem præceptorum gloriam* : lectio non probanda. Hic verbum *concedere* desertionem sonat, atque idem est quod *recedere ;* antea autem *oportuisse* eamdem vim habet ac *debuisse.*

(*d*) In vulgatis et aliquot mss. *venialis doctrinæ* : lectio speciem habens veritatis. At quæ nunc exhibetur ex mss. Carn. et Colb. sincerior visa est, ut iis minus obvia, qui libros veteres proprio ingenio aut corrigunt, aut corrumpunt.

(*e*) Editi, *quinque panibus quinque libri legis*, etc. emendantur ope mss.

(*f*) In mss. Colb. et Carn. *propheta.* Ex mendosa hujusmodi lectione obtinuit apud Par. *prophetata.* D

(*g*) Excusi renitentibus omnibus mss. hic adjiciunt *significans.* Absque hoc verbo lectio ita integra est : *gratias agens se verti*, etc.

(*h*) Sic antiquæ editiones cum pluribus mss. Sic et num. 12, uti 4 : *Dat deinde discipulis panes.* At apud Par. *Subduntur quoque apostolis.* Et in mss. Carn. et Colb. *Subduntur quoque ab apostolis.*

(*i*) Bad. et Er. cum mss. *et æterni.* At in Turonensi codice secundis curis, sed eadem manu, hic expuncto *et*, antea substitutum est *reservato*, loco verbi *reservata :* quod non mutandum putamus, sed ad vocem *copia* referendum.

(*j*) Er., Lips. et Par. *libro Praxeon :* renitentibus cum Bad. omnibus mss.

(*k*) Sæpe apud Hilarium, sed in hoc maxime loco, vocabulum *admiratio* non actum admirandi, sed miraculum ipsum, quo admiratio excitatur, significat.

quantus et credentis populi, et explendorum cœlesti gratia apostolorum numerus destinabatur : ut et modus numero, et numerus modo obtemperaret; intra fines suos ratio conclusa, ad consequentis effectus conditionem ipso divinæ virtutis moderamine contineretur.

12. *Cur in cœlum respexerit Christus. Mundi auctor hoc facto innotescit.* — Vincit autem humanam intelligentiam opus facti : et cum frequenter quædam sint quæ concepta sensu, sermo non explicet; in his tamen ipsa (*a*) sensus subtilitas ingravescit, et ad rei contemplationem pro difficultate tam invisibilis negotii obstupescit. Acceptis enim panibus quinque, in cœlum Dominus respexit, honorem ejus, a quo erat, ipse confessus : non quod carnalibus oculis contueri Patrem esset necesse; sed ut qui adessent, intelligerent a quo virtutis tantæ accepisset effectum. Dat deinde discipulis panes. Non quinque multiplicantur in plures, sed fragmentis fragmenta succedunt, et fallunt semper (*b*) præfracta frangentes. Crescit deinde materies : (*c*) nescio utrum in mensarum loco, an in manibus sumentium, an in ore (*d*) edentium. Ne mirere fontes fluere, inesse uvas vitibus, et uvis vina diffundi, et omnes mundi opes annuo quodam meatu indefessoque defluere : auctorem enim hujus universitatis tantus panum profectus ostendit, per quem tali incremento modus pertractatæ materiæ adderetur. Agitur enim in opere visibili invisibilis molitio : et arcanorum cœlestium Dominus, arcanum negotii præsentis operatur. Superat autem omnem naturam virtus operantis, et supergreditur facti intelligentiam ratio virtutis, et sola relinquitur admiratio potestatis. Ordo etiam causarum operumque consequitur.

13. *Israel reliquiis erit salus.* — *Conscendere post hæc in navem discipulos præcepit, donec turbas ipse dimitteret : et dimissa turba montem conscendit orare, et vespere facto solus erat* (*Matth.* XIV, 22 *et* 23). Horum ratio distinguenda temporibus **742** est. Quod vespere solus est; solitudinem suam in tempore passionis ostendit, cæteris trepidatione dilapsis. Quod autem navem conscendere discipulos jubet, et ire trans fretum, dum turbas ipse dimittit, et dimissis turbis ascendit in montem, esse (*supple*, eos) intra Ecclesiam, et per fretum, id est, per sæculum ferri usque in id tempus jubet, quo revertens in claritatis adventu populo omni, qui ex Israel erit reliquus, salutem reddat ipse, ejusque peccata dimittat : dimissoque, vel in cœleste regnum potius admisso, agens Deo patri gratias, in gloria ejus et majestate consistat.

14. *Dei supra Ecclesiam vigiliæ quatuor. Antichristi terror.* — Sed inter hæc discipuli vento ac mari differuntur, et totis sæculi motibus, immundo spiritu adversante, jactantur (*Ibid.*, 24.). Sed quarta vigilia A Dominus venit : quarto enim tum ad Ecclesiam vagam et naufragam revertetur. In quarta enim noctis vigilia, totidem sollicitudinis ejus numerus reperitur (*Ibid.*, 25). Prima enim vigilia fuit legis, secunda prophetarum, tertia (*e*) corporalis adventus, quarta autem in reditu claritatis. Sed inveniet fessam, et antichristi spiritu et totius sæculi motibus circumactam. Veniet enim maxime anxiis atque vexatis. Et quia de antechristi consuetudine ad omnem tentationum (*f*) novitatem solliciti erunt; etiam ad Domini adventum expavescent, falsas rerum imagines, et subrepentia oculis figmenta metuentes. Sed bonus Dominus statim loquetur, timoremque apellet, dicetque : *Ego sum* (*Ibid.*, 27), adventus sui fide metum naufragii imminentis apellens.

15. *Petri fervor, lapsus, pœnitentia.* — Quod vero B ex omnium consistentium in navi numero, respondere Petrus solus audet, et juberi sibi ut super aquas ad Dominum veniat precatur (*Ibid.*, 28) ; passionis tempore voluntatis suæ designat affectum, tum cum solus retro veniens, et vestigiis Domini inhærens, contemptis sæculi, ut maris, motibus, pari ad contemnendam mortem virtute comitatus est : sed infirmitatem futuræ tentationis timiditas ejus ostendit. Nam quamvis incedere ausus esset, tamen submergebatur (*Ibid.*, 30) : per imbecilitatem enim carnis et metum mortis, etiam usque ad negandi necessitatem coactus est. Sed proclamat, et salutem orat a Domino. Clamor iste, pœnitentiæ suæ genitus est. Nondum enim passo Domino in confessionem reversus est, et negandi veniam habuit in tempore; C Christo postea pro universorum redemptione passuro.

16. *Cur non a trepidatione liberatus. Christus omnium redemptio.* — Quod autem trepidandi illi, non virtutem perveniendi ad se Dominus indulsit, sed manum extendit, apprehensumque sustinuit; hæc ratio est. Non erat quidem Petrus Domini sui indignus accessu, nam et tentavit accedere, sed et typicus in eo ordo servatus est. Non enim Domino sæculi motus tempestatesque **743** calcanti, quisquam passionis esse particeps poterat; solus enim passurus pro omnibus omnium peccata solvebat : nec socium admittit, quidquid universitati præstatur ab uno. Ita cum esset ipse redemptio universorum, erat etiam Petrus ante redimendus, ad redemptionis istius fidem (*g*) tum in Christi martyrem reservatus.

17. *Petrus fide cæteros anteiit.* — Et hoc in Petro D considerandum est, fide eum cæteros anteisse : nam ignorantibus cæteris, primus respondit : *Tu es Filius Dei vivi* (*Matth.* XVI, 17). Primus passionem, dum malum putat, detestatus est (*Ibid.*, 22). Primus et moriturum se, et non negaturum spopondit (*Matth.*

(*a*) Ita Codex Carnut. cum Colb. Alii vevo, *sensus sublimitas.*

(*b*) Antiquæ editiones cum aliquot mss. *præfracta.* Huc spectat illud lib. III de Trin. n. 6 : *Semper præfringentis manum fragmenta occupant : fallunt momenta visum, dum plenam fragmentis manum sequeris.*

(*c*) Mss. Rom., Colb., Vat. et Carn. *nescio utrum, an in mensurarum loco.*

(*d*) In uno ms. Colb. *credentium* : non placet. Habes loco laudato de Trin. *Præfringentes in ministerio sunt, edentes in negotio sunt, esurientes saturi sunt.*

(*e*) Quatuor non inferioris notæ ms. *corporis adventu.*

(*f*) Beccensis codex, *motum.*

(*g*) Editi, *cum in Christi martyrem* : ac deinde

XXVI, 33). Primus lavari sibi pedes prohibuit (*Joan.* XIII, 8). Gladium quoque adversus eos, qui Dominum comprehendebant, eduxit (*Joan.* XVIII, 10).

18. Ascensu autem ejus in navim, ventum et mare esse sedatum : post claritatis suæ reditum, (*a*) æterna Ecclesiæ pax et tranquillitas indicatur. Et quia tum manifestus adveniet, recte admirantes universi locuti sunt : *Vere filius Dei est* (*Matth.* XIV, 33). Confessio enim universorum tum et absoluta et publica erit, Dei filium non jam in humilitate corporea, sed in gloria cœlesti pacem Ecclesiæ (*b*) reddidisse.

19. *Ex Christo prodit apostolorum virtus.* — *Cum transfretassent, venerunt in terram Gennesar : et cum cognovissent eum viri loci illius, adorabant eum* (*Ibid.* 34 *et* 35). (*c*) Multa et media inciderunt, quæ nos, post quinque millium virorum et congregationem et satietatem, reddendæ rationis studio demorata sunt : sensus autem usque in hunc locum idem est. Finitis enim legis temporibus, et ex Israel quinque millibus virorum intra Ecclesiam collocatis, jam credentium (Israelitarum) populus occurrit : jam ipse ex lege per fidem salvus, reliquos ex suis infirmos ægrotosque afferens Domino, oblatique fimbrias vestimentorum contingere optabant, sani per fidem futuri. Sed ut ex veste tota fimbriæ, ita ex Domino nostro Jesu Christo sancti Spiritus virtus exiit : quæ apostolis data, ipsis quoque tamquam ex eodem corpore exeuntibus, salutem his qui contingere cupiunt, subministrat.

CAPUT XV.

De lavandis manibus, et non ea quæ in os intrant, sed ea quæ ex ore exeunt inquinare, de filia Chananææ mulieris, de septem panibus et paucis piscibus.

1. (*d*) *Tunc accesserunt ad eum Scribæ et Pharisæi ab Jerosolymis, dicentes*, etc. (*Matth.* XV, 1). Absoluta et dictorum et gestorum in consequentibus ratio est : nam his, quæ 744 proposita fuerant, ipse respondit, omnem plantationem, quæ non a Patre sit, eradicandam dicens (*Ibid.*, 13), id est, traditionem hominum eruendam, cujus favore, legis præcepta transgressi sunt : et ideo esse eos duces cæcos, vitæ æternæ iter quod non videant pollicentes, cæcisque ipsis et ducibus cæcorum casum in foveam esse communem.

2. (*al.* CANON XV) *Et egressus inde Jesus secessit in partes Tyri et Sidonis. Et ecce mulier Chananæa a finibus illis egressa, clamavit*, et reliqua (*Ibid.* 21 *et* 22). Diversa curationum genera diversos causarum complectuntur effectus : sed res atque sermo ordinem ex superioribus sumit. Infidelitatem enim Pharisæorum, et (*e*) opprobrio cæcorum ducum, et humanarum traditionum superstitionibus coarguit. Et post hæc ad regiones Tyri et Sidonis venit, et Chananæa a finibus illis egressa clamat atque orat, et Dominum David filium confitetur, et filiæ suæ opem poscit. Dominus silet, discipuli pro ea rogant : quibus se perditis ovibus domus Israel missum esse respondet. Illa vero adorans, adjuvari se postulat : cui Dominus ait, illicitum esse panem filiorum canibus offerre. Vicissimque illa respondet, decidentibus de mensa dominorum micis ali catellos solere. Post quæ fidem ejus Dominus collaudat, et in tempore ipso puellæ sanitas reddita est (*Ibid.*, 23-28).

3. *Chananæa proselytorum figura. Chananæi qui.* — Ut igitur illa, quæ gesta sunt, ea quæ interior est ratio consequatur ; quæ Chananææ persona sit, ex ipsis verborum virtutibus contuendum est. Fuisse, atque etiam esse penes Israel proselytorum plebem, fides certa est : quæ (*scil.* proselytorum plebs) de gentibus in legis opera transcendit, et vitæ anterioris egressa regionem, peregrinæ dominantisque legis tamquam domo continebatur. Chananæi autem fuerunt terras, in quibus nunc Judæa est, incolentes : qui vel bello consumpti, vel in loca vicina dispersi, vel in servitutem devictorum conditione subjecti, nomen tantum sine patria sede circumferunt. Plebs igitur hæc cum Judæis admixta de gentibus est. Et quia non est ambiguum, in ea turba quæ credidit, partem nonnullam proselytorum fuisse, merito hæc Chananæa, proselytorum formam præferens, existimabitur fines suos egressa, ex gentibus scilicet in populi alterius nomen excedens : quæ pro filia, videlicet gentium plebe, orat. Et quia Dominum cognovit ex lege, David filium nuncupat. In lege enim virga de radice Jesse (*Esai.* XI, 1), et David filius æterni et cœlestis regni rex continetur (*Jer.* XXIII, 5).

4. *Chananææ filia typum gerit Ecclesiæ. Fidei primitiæ ex Israel.* — Ipsa quidem curatione jam non eget, quæ Christum et Dominum et David filium confitetur : sed filiæ suæ, plebi videlicet gentium, 745 dominatu immundorum spirituum occupatæ, opem poscit. Dominus tacet, (*f*) silentii patientia Israel privilegium salutis reservans. Et miserantes discipuli preces jungunt : sed arcanum ille paternæ voluntatis continens, ovibus se perditis Israel missum esse respondit : ut absolute liqueret, typum Ecclesiæ Chananææ filiam continere ; cum illa posceret

iidem excepto Bad. *reservatur*. Corriguntur auctoritate mss.

(*a*) Bad., Er. et mss. *æternæ Ecclesiæ*. Superiora sic vertenda sunt : *Quod autem mare sedatum est*, etc.

(*b*) Apud Par. ut in mss. Colb. et Carn. *redisse* : potest et ea lectio retineri, qua Christi, qui est pax Ecclesiæ, gloriosus reditus prædicetur. Deinde in iisdem mss. *cum transfretasset*. Mox reponimus ex ms. Mica. *Gennesar*, quod proprius accedit ad græc. Γεννεσαρέθ, ubi in nonnullis, *Gennasar*, apud Bad. et Er. *Gennassar*. In cæteris codicibus ut in Vulgata, *Genesar*.

(*c*) Aliquot mss. *multa e medio*.

(*d*) Editi hoc XV caput a verbis num. 2, ordiuntur, refragantibus mss. necnon sacro textu dissentiente, cum præterea prima titulorum pars *de lavandis manibus*, etc., ad primum dumtaxat numerum referri valeant.

(*e*) In vulgatis, *et opprobrium*. Rectius in melioribus mss. *opprobrio*, scil. coarguit ac damnat infidelitatem Pharisæorum. Deinde Bad. et Er., *et humanarum traditionum superstitiones*. Lips. et Par., *ex humanarum*, etc. In ms. Turon. a secunda manu, *et humanarum traditionum superstitionis*.

(*f*) Editi, *silentii pœnitentia* : emendantur ex mss.

quod aliis (*a*) deferebatur, non quod non et gentibus impertienda salus esset : sed suis Dominus atque in sua venerat, primitias (*b*) ergo fidei ab his quibus erat ortus (*c*) exspectans, cæteris deinceps Apostolorum prædicatione salvandis. Atque ideo ait : *Non licet accipere panem filiorum, et dare canibus* (*Ibid.*, 26). Delatus Israel honor, affectus in eum Dei cumulat invidiam : juxta (*d*) quem plebs gentium accepit canum nomen. Sed Chananæa jam ipsa per fidem salva, et interioris certa mysterii, respondit micis, quæ de mensa exciderint, pasci catellos, canum opprobrio jam sub blandimento diminutivi nominis mitigato.

5. *Tum deinde ad fidem vocantur gentes.* — Et ut silentium Domini intelligeremus ex ratione temporis, non ex voluntatis difficultate proficisci, adjecit : *O mulier, magna est fides tua* (*Ibid.*, 28) : (*supple*, ut) salutis suæ scilicet ipsa jam certa, quin etiam de gentium congregatione confidat : quo in tempore ita credentes, mox ut puella, ab omni dominatu immundorum spirituum liberabuntur. Et continuo facti fides sequitur. Nam post præfiguratam in Chananææ filia gentium plebem, continuo in monte obsessi vario genere morborum a turbis Domino offeruntur (*Ibid.*, 29 *et* 30), id est, a credentibus infideles ægrotique ut adorent et procidant instruuntur : quibusque salus redditur, atque ad sentiendum, contuendum, laudandum, comitandumque Deum, omnia et mentis et corporis ministeria reformantur.

6. *Jesus autem convocatis discipulis ait : Misereor turbæ huic ; quia triduum est jam quod perseverat mecum*, et reliqua (*Ibid.*, 32). Tenet ordinem cursus operandi; sed et operibus iisdem sermonum par ratio succedit. In filia enim Chananææ, Ecclesiæ formam constitutam meminimus : et consequentis populi curationem, concursum ægrotarum gentium esse tradidimus. Nunc ergo diligenter et dicta Domini et facta tractanda sunt : ut videamus (*e*) an superior res atque sermo ita, ut a nobis intelligi traditus est, etiam ex consequentibus ejusdem intelligentiæ accipiat auctoritatem. Miseretur turbæ Dominus, quod triduo secum maneat : quam dimittere jejunam non vult, ne in via præ inedia deficiat. Causantur discipuli panes non esse tantos, quibus expleri saturarique possit (*Ibid.*, 33). Percontatus est 746 Dominus quot panes haberent. Responderunt illi, septem panes esse, et paucos pisces. Turbis jubetur in terram discumbere : et Dominus panes ac pisces accipiens gratias egit, ac fregit, et discipulis præfracta ut offerrent dedit (*Ibid.*, 34 36). Sed fragmenta panum septem paucorumque piscium explent virorum quatuor millia : ita tamen, quod replendis septem sportis præfractus panis, saturatis omnibus, abundavit (*Ibid.*, 37).

7. *Supra Israelitarum, nunc gentium fides exprimitur.* — Et occurrunt quidem multa quæ nova sunt (*collata cum eo quod Matth.* XIV, XV, *etc., enarratum est*). Discipuli unius diei jejunium miserantes ; quinque millia virorum ad coemendos cibos remitti in castella voluerunt : nunc toto triduo tacent. Et deinceps fœno superior turba substernitur : hæc accumbit in terra. Illic quinque panes, hic septem offerunt : illic duo pisces, hic indefinitus, sub paucitatis tamen significatione, numerus est. Illic quinque millia virorum, hic quatuor : illic duodecim cophini, hic septem sportæ repletæ. Et superioribus quidem puto esse responsum, et omnia juxta personam populi congruenter esse subjecta. Nunc quoque competentem rei atque causæ rationem afferre tentemus : ut quemadmodum illa Judaicæ credentium congruunt plebi, ita hæc populo gentium comparentur.

8. *Baptizandorum fidei professio. Jejunium passionis dominicæ tempore.* — Ordo igitur idem in sermone Domini est, qui in consequenda gratia manet. Venturi enim ad baptismum, prius confitentur credere se in Dei filio et in passione ac resurrectione ejus ; et huic professionis sacramento fides redditur. Atque ut hanc verborum sponsionem quædam rerum ipsarum veritas consequatur, toto in jejuniis passionis dominicæ tempore demorantes, quadam Domino compassionis societate junguntur. Igitur sive sponsionis sacramento, sive jejunio, omne illud passionis dominicæ cum Domino agunt tempus.

9. *Apostolorum de salute Israel sollicitudo.* — Et hujus spei atque comitatus Dominus misertus, ait triduo secum esse. Quos ne in vitæ sæcularis cursu, id est, in viæ opere defectio labefactaret, vult cibo suo alere, atque ad peragendam totius itineris fortitudinem panis sui virtute firmare : conquerentibus discipulis, panes in deserto nullos esse. Atquin in superioribus exemplum sumpserant, nihil impossibile Deo esse. Sed gestorum causæ rationem interioris intelligentiæ moliuntur. Quantus enim apostolorum in salvando Israel favor fuerit, beatissimi Pauli epistolæ docent (*Rom.* IX, 3) : atque ideo eodem demorante, nunc in concursu gentium et de pane causatio, et de jejunio silentium introducitur.

10. *Panes septem Spiritus sancti septem dona. Pisces indefiniti, diversa charismata. Gentes ex quatuor orbis partibus vocandæ.* — Panes igitur septem offe-

(*a*) Par. cum tribus mss. *differebatur*. Verius alii libri *deferebatur*, puta Israelitis. Quocirca mox subjicitur, *Delatus Israel honor*.

(*b*) Particula *ergo* abest a Bad., Er., Lips. et pluribus mss.

(*c*) Vindocin. ms. *explicandus*. Quinque alii cum Bad. *explicans*. Er. et Lips. *explicat*. Verbum *exspectans* quod habent Par. et melioris notæ mss. cum superioribus magis congruit, maxime autem cum *silentii patientia*.

(*d*) Illud *quem* vel ad affectum vel ad Israel refertur. Hinc non placet cum uno ms. *juxta quod*, aut cum duobus aliis *juxta quam*.

(*e*) Editi, *an superioris tractatus atque hujus sermo* : obnitentibus omnibus mss. Eadem ratione initio n. 2 habemus : *Sed res atque sermo ordinem ex superioribus sumit*. His autem verbis licet videatur indicari simile miraculum superiori capite enarratum, potissimum tamen significantur superiora Domini dicta atque facta, hoc ipso capite exposita, quorum cum subsequentibus connexio expendatur.

runtur. Nulla enim ex lege et prophetis gentibus salus sumitur, sed per gratiam Spiritus vivunt, cujus septiforme, ut per Esaiam traditur, munus est, Ergo (*a*) Spiritus per fidem salus gentibus est (*Esai.* XI, 2). Quæ in terram recumbunt ; nullis enim legis operibus fuerant ante substratæ : sed peccatorum et corporum suorum origini inhærentes, ad donum Spiritus septiformis vocantur. **747** Indefinitus piscium numerus, diversorum donorum et charismatum (*b*) partitiones ministrationesque significat ; quibus fides gentium gratiarum diversitate satiatur. Sed quod septem sportæ replentur ; redundans et multiplicata septiformis Spiritus copia indicatur, cui quod largiatur exuberet : fitque saturatis nobis ditior semper et plenior. Quod vero quatuor millia virorum congregantur, multitudo, innumerabilium ex quatuor orbis partibus intelligitur. Ad formam enim futuri in tot partium millia plebs dinumerata satiatur, quotidem de partibus ad cœlestis cibi donum concursura essent millia crediturorum. Turba igitur dimittitur satiata et expleta. Et quia omnibus diebus vitæ nostræ nobiscum Dominus manet, navem, id est Ecclesiam, credentium plebe comitatus ingreditur.

CAPUT XVI.

De Jonæ prophetæ signo, et de fermento Pharisæorum, de confessione Petri et benedictione Domini, et de se abnegando qui Christum sequi voluerit.

1. *Christi dignoscendi nota, operum virtus.* — *Et accesserunt ad eum Pharisæi et Sadducæi tentantes, et rogaverunt eum, ut signum de cœlo illis ostenderet,* et reliqua (*Matth.* XVI, 1). Adsunt Pharisæi et Sadducæi legis fiducia insolentes dedignantesque opera virtutum fidei, signum ostendi sibi de cœlo precantur. Humilitatem in Christo carnis et corporis contuentes, doctrinam ex his quæ sub hominis habitu gerebat dedignantur accipere. Quorum insolentiam et inanitatem irridens, multa eos de natura cœli conjicere solere respondit, cum rubicundo aut ortu aut vespere serenum nimbosumve pronutient (*Ibid.*, 2) : porro autem ignorare eos temporum signa (*Ibid.*, 4), cum omnis (*c*) lex et prophetæ adventus sui indicia ex operum quæ gereret admiratione significent : ut quemadmodum fidem tempestatis cœli vel matutini vel vesperis rubor redderet ; ita manifestam temporum cognitionem virtutum atque operum indicia præstare deberent.

2. *Jonas Christi figura.* — Sed ortus e cœlo signum his terrestre constituit, ut eos intra confessionem humilitatis corporeæ contineret, dandum dicens Jona signum : Huic se Dominus comparat, quem ad futuræ passionis effectum in prædicationem pœnitentiæ ad Ninivitas pari specie præmiserat. Namque Jonas ventis desævientibus projectus e navi est, et devoratus a ceto, et post triduum vivus emissus, non retentus a monstro, non cibi conditione confectus : sed contra humani corporis naturam integer et illæsus in auras superas virtute dominicæ (*d*) præfigurationis evadit. Hoc ergo potestatis suæ signum constitutum **748** esse demonstrat, (*e*) ipse remissionem peccatorum per pœnitentiam prædicans, de Jerusalem vel Synagoga immundorum spirituum dominante flatu ejiciendus, et Pilati potestati, id est, sæculi judicio tradendus : et a morte tamquam elementi ejusdem monstro glutiendus : et post triduum ex ea, contra conditionem hominis quem assumpserat non retentus, vivus atque incorruptus emergens. Ea igitur, quæ in homine de conceptu virginis sumpto divinarum erant plena virtutum, cognosci atque intelligi de se voluit et prophetæ signo et hominis exemplo.

3. *In legis operibus spes nulla, ubi veritas contigit.* — *Et relictis illis abiit* (*Ibid.*, 4). Non sicut locis aliis legitur, dimissis turbis abiit : sed quia infidelitatis error insolentium animos obtinebat, non dimisisse eos scribitur, sed reliquisse. *Et cum venisset trans fretum, obliti sunt discipuli ejus panes accipere. Jesus autem dixit illis : Attendite vobis a fermento Pharisæorum et Sadducæorum* (*Ibid.*, 5, 6). Absoluta omnis de fermento Pharisæorum et Sadducæorum obscuritas est. Quod autem abstinere se eo apostoli jubentur, non admisceri doctrinæ Judæorum monentur ; quia legis opera in effectum fidei et in præformationem rerum consequentium constituta sint : ut (*f*) in quorum tempora atque ætatem veritas contigisset, nihil ultra in veritatis similitudine spei positum arbitrarentur ; ne doctrina Pharisæorum Christum nesciens, effectus veritatis evangelicæ corrumperet.

4. *Filius et Deus æternus et natus est.* — *Venit autem Jesus in partes Cæsareæ Philippi, et interrogabat discipulos suos,* et reliqua (*Ibid.*, 13). In processu sermonis atque operis absolutius discipulis cognitionem suam (*id est,* sui) præstat, et quamdam intelligendi se formam rationemque constituit. Est autem hæc vera et inviolabilis fides, ex Deo æternitatis (cui ob id quod semper filius fuerit, semper et jus patris et nomen sit ; ne si non semper filius, non semper et pater sit) Deum filium profectum fuisse, cui sit ex æternitate parentis æternitas. Nasci autem eum voluntas ejus fuit (*V. l.* III *de Trin.*, *n.* 4), cujus in virtute ac potestate inerat ut nasceretur. Est ergo filius Dei ex Deo Deus, unus in utroque : (*g*) theotetam enim, quam deitatem Latini nuncupant, æterni**749**

(*a*) Carnutensis codex cum Colb. *Spiritu.*

(*b*) In ms. Rom. *participationes.*

(*c*) Apud Par. *cum omnibus lex.* Rectius in aliis libris, *omnis.* Sic et cap. 12, n. 2, *quia omnis lex usque ad Joannem.*

(*d*) Latinius ex Vat. cod. *incarnationis ;* non est audiendus.

(*e*) Sex mss. *in se remissionem,* non *ipse.*

(*f*) Ms. Rom. *in quorum tempore atque ætate,* non alio sensu : tum *veritas conticescit,* suffragantibus Colb. et Carn. in quibus legitur *conticescet :* male. Legem, ut pote figuram et umbram, veniente veritate, nullam esse hic declaratur.

(*g*) Magis arrideret græca vox θεοτῆτα nisi obniterentur antiquæ editiones cum omnibus mss. non tantum hic, sed etiam c. 26, n. 5, ubi *theotetam*

ejus parentis, ex quo nascendo est profectus, accepit. Accepit autem hoc quod erat : et natum est Verbum quod fuit semper in Patre. Atque ita Filius et æternus et natus est : quia non aliud in eo natum est, quam quod æternum est.

5. *Filius Dei est et filius hominis.* — Hunc igitur assumpsisse corpus, et hominem factum esse, perfecta confessio est : quia sicut æternitas naturæ nostræ corpus accepit ; ita cognoscendum est, naturam corporis nostri æternitatis assumere posse virtutem. Igitur quia summum in fide ista bonum est ; a discipulis requirit quem se homines esse dicerent : et adjecit, *hominis filium.* Hæc enim confessionis tenenda ratio est, ut sicut Dei filium, ita et filium hominis meminerimus : quia alterum sine altero nihil spei tribuit ad salutem.

6. *Petri juxta Christi placitum confessio.* — Editis itaque, quæ diversæ de eo erant, hominum opinionibus, quid de se ipsi sentiant quærit. Petrus respondit : *Tu es Christus filius Dei vivi* (*Ibid.*, 17). Sed Petrus conditionem propositionis expenderat. Dominus enim dixerat : *Quem me homines esse dicunt, filium hominis ?* Et certe filium hominis contemplatio corporis præferebat : sed addendo, *quem me esse dicunt*, significavit, præter id quod in se videbatur, esse aliud sentiendum ; erat enim hominis filius. Quod igitur de se opinandi judicium desiderabat ? Non illud arbitramur, quod de se ipse confessus est : sed occultum erat de quo quærebatur, in quod se credentium fides debebat extendere.

7. *Confessionis merces.* — Et dignum plane confessio Petri præmium consecuta est, quia Dei filium in homine vidisset. Beatus hic est, qui ultra (*a*) humanos oculos et intendisse et vidisse laudatus est : non id quod ex carne et sanguine erat contuens, sed Dei filium cœlestis patris revelatione conspiciens ; dignusque judicatus, qui quod in Christo Dei esset, primus agnosceret. O in nuncupatione novi nominis felix Ecclesiæ (*b*) fundamentum, dignaque ædificatione illius petra, quæ infernas leges, et tartari portas, et omnia mortis claustra dissolveret ! O beatus cœli janitor, cujus arbitrio claves æterni aditus traduntur, cujus terrestre judicium præjudicata **750** auctoritas sit in cœlo : ut quæ in terris aut ligata sint aut soluta, statuti ejusdem conditionem obtineant et in cœlo.

8. *Divitatis Christi testes lex et prophetæ, resurrectionis apostoli.* — Jubet etiam discipulis, ne cui loquantur quod ipse est Christus (*Ibid.*, 20) : alios enim (*c*) Spiritus sui esse testes oportebat, legem videlicet et prophetas. Cæterum resurrectionis testimonium proprium est apostolorum. Et quia scientium in Spiritu Christum beatitudo monstrata est ; negatæ rursum humilitatis et passionis ejus periculum declaratur.

9. *Christus Deus et homo confitendus.* — Nam cum prædicare cœpisset, oportere se Jerosolymam ire, pati deinde plura a senioribus plebis, et a Scribis et principibus sacerdotum, occidi etiam, et post diem tertium resurgere (*Ibid.*, 21), apprehendens eum Petrus, ait : *Absit a te, Domine, (d) non erit istud. At ipse conversus, Petro dixit : Vade retro post me, satana, scandalum mihi es* (*Ibid.*, 22, 23). Ut Dei munus est, Christum (*e*) in Spiritu Deum nosse ; ita

rursum legere est. Unde Erasmus hic ad marginem : *Nescio an theotetam dixerit, quemadmodum alibi dixit, rheumam, diapsalmam, et mannam.*

(*a*) Sic mss. ea scil. ratione qua lib. VI de Trin., n. 32 : *Ultra humanam intelligentiam se fides apostolica protendit.* At excusi, *ultra humanum.*

(*b*) In margine hactenus obtinuerat hæc Erasmi nota : *Ecclesiæ fundamentum fides.* At nihil est hic, cur non ipsummet Petrum hoc elegio ab Hilario commendatum arbitremur. Erasmi errorem Bellarminus vidit ac juste reprehendit, inique autem omnino ac mala fide tueri conatur Sculletus, pag. 403, quem cum veræ Hilarii sententiæ id convincere debuisset, quod ab ipso rursum in ps. CXXXI, n. 4, audiit *Petrum, cui superius claves regni cœlorum dederat, super quem Ecclesiam ædificaturus erat.... Petrum primum filii Dei confessorem, Ecclesiæ fundamentum, cœlestis regni janitorem ;* ex hoc loco id tantum memorat, quo *primus fidei confessor* nuncupatur, ac cætera dissimulans pravam sententiam præfracte tuetur. Frustra autem contendit turpissimam contradictionis maculam celeberrimo doctori adspergendam, si Petrum *Ecclesiæ fundamentum* ab eo nuncupari dixerimus, cum lib. VI de Trin., inquit, eadem verba ad Petri confessionem referat. Primo enim vanum est illud *si*, ubi mentem suam apertis verbis declaravit. Deinde quæ contradictionis macula, si elogium, quod ob fidem et confessionem suam meruit Petrus, modo ad ipsum, modo ad fidem illius referatur. Paulo etiam confidentius asserit Sculletus Hilarium his verbis : *Et super hanc petram*, etc., *petræ* nomine Christum constanter intellexisse : cum ne vel semel eum verba illa ita interpretatum esse ostendat. Nam quod affert ex lib. VI de Trin. n. 32 : *Super hanc confessionis petram Ecclesia fundata est*, ibi petram Petri fidem, non Christum, nuncupari clarum est ex initio num. 33 : *Hæc fides, Ecclesiæ fundamentum est : per hanc fidem infirmes adversus eam sunt portæ inferorum : hæc fides regni cœlorum habet claves*, etc. Immo in eodem illo libro VI, Petrus ob suam fidem Ecclesiæ fundamentum esse significatur. Quid enim aliud sibi vult illud, n. 16 : *Post sacramenti confessionem beatus Simon ædificationi ecclesiæ subjacens, et claves regni cœlestis accipiens ?* Namque ædificationi Ecclesiæ qua ratione, quæso, nisi ut fundamentum, subjacet ? Demum qui verba, n. 33, expenderit, quamdam in apostolatu ac sacerdotio Petri prærogativam ibi commendari non inficiabitur. Neque aliud sonat, quod in hoc ipso commentario, c. 14, n. 17, toties primatus ipsius celebratur. Quibus in locis Hilarius Leoni aperte prælusit docenti epist. V, c. 2, edit. Quesnel. : *Dominus apostolicæ dignitatis beatissimo apostolo Petro primatum, fidei suæ remuneratione, commisit, universalem Ecclesiam in fundamenti ipsius soliditate constituens.* Hæc dicta sint ex occasione Sculteti, cujus falsæ intelligentiæ ultro pepercissemus, nisi manifeste accessisset et mala fides.

(*c*) Id est, divinitatis : qua intelligentia mox *scientium in Spiritu Christum*, id est, scientium eum esse in natura divina.

(*d*) Michaelinus codex, *non erit tibi istud :* consentientibus græcis ac latinis Scripturæ exemplaribus. Lib. VI de Trin. n. 34, legere est, *Propitius tibi, Domine, non erit istud.*

(*e*) Sex mss. *in spiritu Dei nosse*, minus concinne, sed non alio sensu ; cum *in Spiritu Dei esse* perinde Hilario sit ac *in deitate Patris esse.*

diaboli opus est Christum in homine nescire. Atque ejusdem periculi res est, (*a*) vel corpus negare sine Deo, vel Deum negare sine corpore. Corpus autem carnis hujus in æternitate Spiritus Deo nullum est: verum humanæ salutis causa Christus in corpore est, quod assumpsit (*b*) ex homine.

10. *Diabolus auctor infidelitatis Petri. A Christo cum opprobrio revincitur.* — Igitur post prædicationem passionis accipiens diabolus facultatem (usque ad tempus enim ab eo secesserat) (*c*), quia incredibile satis apostolis videretur, eum in quo Deus erat esse passibilem, sumens hanc humanæ infidelitatis occasionem, opinionis istius Petro insinuavit affectum. Denique ita passionem detestatus est, ut dixerit, *Absit :* quo verbo, rerum detestandarum exsecratio continetur. Sed sciens Dominus diabolicæ artis instinctum, Petro ait : *Vade retro post me :* id est (*d*), ut exemplo se passionis sequatur. In eum vero per quem opinio hæc suggerebatur conversus, adjecit : *Satana scandalum mihi es.* Non enim convenit existimare, Petro satanæ nomen et offensionem scandali deputari post illa indultæ et beatitudinis et potestatis tanta præconia. **751** Sed quia infidelitas omnis diaboli opus est; Petri responsione Dominus offensus, cum opprobrio nominis, infidelitatis istius est detestatus auctorem.

11. *Felix sui damnum. Crux saltem voluntate tollenda. — Tum Jesus dixit discipulis suis : Si quis vult post me venire, abneget* (*e*) *se ipsum,* et reliqua (*Ibid.*, 24). O beatum damnum, et jactura felix! Detescere nos Dominus detrimento animæ et corporis voluit, et esse sui similes hortatur : quia ipse in figura Dei constitutus, usque ad mortem humilis et obediens factus, principatum potestatis (*f*) totius quæ in Deo est, accepit. Sequendus igitur est cruce assumpta : et passionis suæ si non forte, attamen voluntate comitandus est. Quid enim prodest occupasse mundum, et toto terrenæ potestatis dominatu opibus (*g*) sæculi incubare, si perdenda anima, et suscipiendum vitæ detrimentum est (*Ibid.*, 26)? Quæ autem commutatio pro anima, cum fuerit amissa, Quæretur? Cum angelis enim Christus aderit, reddens singulis ut merebuntur. Quid afferemus ad vitam? Præparatos credo terrenarum opum futuris commerciis thesauros, ambitiosos dignitatum famæque titulos, aut veteres delicatæ nobilitatis imagines? Neganda sunt hæc omnia, ut melioribus abundemus : et contemptu universorum Christus sequendus est, et æternitas spiritalium, terrenorum damno est comparanda.

CAPUT XVII.

Ubi in monte cum Moyse et Elia videtur, et vox de cœlo auditur, ubi puerum lunaticum solvit, de credentium fide, de didrachma postulata, et statere in ore piscis.

1. *Præcepta superiora non mediocri debebant auctoritate firmari; indulto gloriæ pignore mulcentur. — Amen, amen dico vobis, quoniam sunt aliqui de adstantibus istis, qui mortem non gustabunt, donec videant filium hominis venientem in regno suo* (*Matth.* XVI, 28). Docet Dominus et **752** rebus et verbis : et fidem spei nostræ æqualiter sermo atque opus instruunt. Grave enim onus infirmitati humanæ imposuerat, ut cum sensum vitæ homines ex vivendi affectu habere cœpissent, fructum ejus qui præsens

(*a*) Par. *vel corpus dicere sine Deo,* etc., cui editiones aliæ hac parte consentientes post hæc subjiciunt, *vel Deum sine corpore,* omisso verbo *negare.* Quarum lectionem lubenter præferremus, nisi magno consensu reniterentur mss. Hæc autem sententia ex præcedenti intelligenda est; nec non ex his Leonis ad Flavianum epist. 24, edit. novissimæ, c. 5! *Æqualis erat periculi Dominum Jesum Christum aut Deum tantummodo sine homine, aut sine Deo solum hominem credidisse.* Deinde ubi negatur Deo antequam carnem assumeret, corpus fuisse, cum non dicatur simpliciter : *Corpus Deo nullum est,* sed cum adjuncto, *corpus carnis hujus;* hoc forsitan adjunctum est, ne verbum ante carnis susceptionem substantivum quid negari existimetur. Ea enim ratione Verbum æternum corpulentum prædicari observatum est c. 5, n. 8.

(*b*) In mss. Colb. et Carn. omittitur *ex homine.*

(*c*) Nimirum diabolus. Hic respiciuntur verba Lucæ XIV, 13 : *Et consummata omni tentatione, reliquit eum diabolus usque ad tempus.* Hinc male in prius vulgatis sententia subsequens intra eamdem parenthesim comprehendebatur.

(*d*) Ita eadem verba interpretatur Origenes in editione Huetii, pag. 285, ut Petro dixerit Christus : *Vade post me, quasi qui ire post illum eumque sequi cessasset. Post Jesum quippe esse,* ut paulo post observat, *bonum est;* et diabolo dictum : *Vade satana,* absque additamento *post me.* His consentit Ambrosius, lib. I de Abraham, n. 55. Sic et Eusebius, lib. I contra Marcellum cap. 2 : *Quid,* inquit, *significet illud : Vade post me, statim exposuit Servator, cum subjunxit, Si quis vult post me venire,* etc., *quod re ipsa indimplevit ipse Petrus, cum martyrio consummaretur.* At Marcellum acriter deinde reprehendit, quod *minime intelligens quomodo hæc* (*Satana, scandalum mihi es*), *dicantur ad apostolum et quorsum, affirmat ad diabolum esse dicta.* Hilarium nostrum quod attinet, licet hæc ad diabolum dicta hic enarret, tamen in ps. CXXXI, n. 4, et in ps. CXXXVIII, n. 6, Petrum ipsum *convicio satanæ* nuncupatum diserte affirmat. Illic utramque illam interpretationem ita conciliandam diximus, ut convicium illud et in satanam cadat ut auctorem infidelitatis Petri, et in Petrum ipsum ut satanæ suggestioni non resistentem : quia eorum quisque nomen accipit *per quos est talis,* ut docetur in psal. CXLII, n. 2. Quam interpretationem multorum esse non diffitens Hieronymus in hunc Matthæi locum, eam tamen non satis probat : *Mihi* enim, inquit, *error apostolicus et de pietatis affectu veniens numquam incentivum diaboli videbitur.* Verum qui cum Hilario consentiunt, in verbis Petri, præter pietatis affectum, quoddam inesse infidelitatis vitium, quo dictis Christi de futura passione sua non credebat; neque pietatis auctorem satanam volunt, sed infidelitatis : quæ tamen, uti docet Hilarius lib. VI de Trin., n. 54, *non profecit ad crimen.* Hinc licet litteræ sensum mox rejicere videatur, fatendum tamen est, tantum esse loquendi modum alias etiam ei usitatum, quo præter litteræ veritatem aliquid significari indicat.

(*e*) Tres mss. *se ipsum sibi.*

(*f*) In mss. Rom., Colb. et Carn. *istius,* loco *totius.*

(*g*) Sola editio Par. *operibus sæculi.*

corporibus blandiebatur ammitterent negarentque se sibi, id est, quod esse cœpissent, esse se nollent; cum sensus hujus exordium ex affectu voluntatis habuissent : deinde opinionem spei ambiguæ incertæque sequerentur; cum in his, quæ præsentia haberentur, illecebræ gaudii blandientis existerent. Opus ergo erat veri ac manifesti exempli auctoritate, ut contra vim sensumque judicii (*a*) optabile fieret præsentium damnum, lucro deinceps non ambiguo futurorum. Igitur postquam et tollendam crucem, et perdendam animam, et damno mundi commutandam vitæ æternitatem monuerat, conversus ad discipulos, ait aliquos ex his futuros, qui gustaturi mortem non essent, donec filium hominis in regni sui gloria contuerentur. Ex conditione autem gustatus, tenuem quamdam fidelibus libationem mortis ostendit. Itaque verba res sequitur.

2. *Transfiguratio. Cur tres apostoli assumpti. Cur ex Sanctis Moyses tantum et Elias adsint.* — Nam post sex dies, Petrus, Jacobus et Johannes assumuntur seorsum, et in excelso monte consistunt (*Matth.* XVII, 1) : ipsisque inspectantibus Dominus transfiguratur, et toto claritatis suæ habitu circumsplendet. Et in hoc quidem facti genere, servatur et ratio et numerus, et exemplum. Nam post dies sex, gloriæ dominicæ habitus ostenditur : sex millium scilicet annorum temporibus (*b*) evolutis, regni cœlestis honor præfiguratur. Tribusque assumptis, de trium origine (*c*), Sem, Cham et Japhet, futura electio populi ostenditur. Quod autem Moyses et ex omni sanctorum numero assistunt; **753** medius inter legem et prophetas Christus in regno est; cum his enim Israelem, quibus testibus prædicatus est, judicabit : simulque ut et humanis corporibus decreta esse resurrectionis gloria doceretur, cum quando Moyses conspicabilis astitisset. Ipse autem Dominus fit nive ac sole candidior (*Ibid.*, 2), supra opinionem scilicet nostram cœlestis luminis splendore conspicuus. Petro autem, ut tria illic tabernacula fierent offerenti, nihil respondetur (*Ibid.*, 4) : nondum enim ut in hac gloria consisteretur erat tempus.

3. *Christi præcepta audienda. Silentium cur Apostolis imperetur.* — Sed loquente adhuc eo, nubes eos candida inumbravit, et divinæ virtutis spiritu ambiuntur (*Ibid.*, 5). Hunc esse filium, hunc dilectum, hunc complacitum, hunc audiendum, vox de nube significat : ut idoneus ipse præceptorum talium auctor esset, qui post sæculi damnum, post crucis voluntatem, post obitum (*d*) corporum regni cœlestis gloriam ex mortuorum resurrectione facti confirmasset exemplo. Territos deinde et consternatos

(*a*) Colbertinus codex cum Carnut., *optabile fieret, præsentium damno, lucrum deinceps non ambiguum consequi futurorum.*

(*b*) Ad intelligentiam hujus loci observasse juverit, plurimos ex antiquis omnem præsentis sæculi durationem sex millium annorum spatio conclusisse. Cui quidem opinioni aperte suffragantur Irenæus, lib. v, c. 28; Lactantius, lib. VII, c. 14, et Hieronymus, epist. CXXXIX, ad Cyprianum. Eamdem ut probabilem proponit Augustinus, lib. XX de Civ. Dei, c. 7. At in psal. LXXXIX, num. 5, omnino respuendam declarat his verbis : *Ausi sunt homines præsumere scientiam temporum, quod scire cupientibus discipulis Dominus ait : Non est vestrum nosse tempora*, etc., *et definierunt hoc sæculum sex annorum millibus tamquam sex diebus posse finiri.* Ideo vero hoc opinati sunt veteres, quod psal. LXXXIX, 4; et II Pet. III, 8, legerent mille annos apud Dominum tamquam diem unum, putarentque Deum post orbem conditum sabbati requie præmonstrasse tempus, quo requiem æternam sanctis suis impertiturus esset. Unde Irenæus loco laudato : *Quotquot diebus his factus est mundus, tot et millenis annis consummatur.* Cum his Hilarium hic consensisse multi tradunt : quibus objicere est primo quod infra, c. 26, n. 4, et alibi passim incertum mundi finem prædicet. Quo spectat illud, lib. IX de Trin., n. 66 : *Securitatem cognitionis definitæ ademit : ut pendulæ exspectationis incerto mens sollicita*, etc., *curamque pervigilem incertum ipsum non ambigendi temporis detineret.* Deinde quid hic Hilarius sentiat, notare videtur Ambrosius, lib. VII, in Luc., n. 7, qui illum et legisse et imitatus esse, cum ex multis locis, tum ex initio prædicti, lib. VII, non immerito judicandus est. Sic autem ibi habet : *Matthæus et Marcus post dies sex assumptos hos esse memorarunt. De quo possemus dicere post sex millia annorum. Mille enim anni in conspectu Dei tamquam dies una. Sed plures quam sex millia computantur anni : et malumus sex dies per symbolum intelligere*, etc. Atqui cum notet Ambrosius diem unum mille annos sine symbolo intelligi ac dici posse, ex hac sententia tantum sequitur, Christum post sex annorum millia a conditione mundi discipulos assumpsisse, et in eorum conspectu transfiguratum esse. Cui interpretationi favet quod ait Hilarius : *Sex millium annorum temporibus evolutis regni cœlestis honor præfig ratur*, cum potius *datur* dicendum ei fuisset, si de mundi consummatione loqueretur. Sed quia facile intelligitur tacitum verbum *dandus* ante *præfiguratur*, nihil vetat quo minus Hilarium de mundi fine et retributionis æternæ tempore locutum esse intelligamus. Sic etiam Ambrosius his verbis jam superius allatis : *Sed plures quam sex millia computantur anni*, satis indicat se ab hac opinione recedere, quia cum plures jam computaret annos, quam sex millia, necdum tamen mundum consummatum cerneret. Porro Hilarius cum hic mundum post sex annorum millia consummandum scribit, certum et definitum numerum pro incerto et indefinito posuisse credendus est : quemadmodum et in psal. CXVIII, n. 7, ubi David laudat, quod *septimi anni legi satisfacit, sed exactis septem millibus sæculi esse liber expostulat.* Ibi enim, mystica ad septem annos ratione habita, mundi finem jam non intra sex millia, sed *exactis septem millibus* constituit. Neque videri debet hoc posteriore loco cum millenariis facere, a quibus eum alienum esse jam demonstratum est in præfatione generali, § 6. Denique quod senserit Christum sex annorum millibus nondum exactis natum esse palam fiet ex cap. XX, n. 6.

(*c*) Hoc est, ex universo genere humano : quia post diluvium, ut enarratur cap. VIII, n. 4, *in* hos *tres fuit humani generis divisio.*

(*d*) Editi, *post obitum corporeum* : refragantibus mss. Neque vero hoc ad Christum refertur, sed ad eos qui jussa illius impleverint. Christus porro prædicatur præceptorum de sæculo relinquendo, ferenda cruce, morte corporum oppetenda idoneus auctor, qui post impleta illa præcepta dandam gloriam præmonstrasset exemplo Moysi hac vita functi, et tamen in gloria viventis.

elevavit : (*a*) et solum contuentur, quem medium constitisse inter Moysen et Eliam viderant. Ad futuri enim formam, atque ad facti fidem, Moyses et Elias in monte constiterant. Silentium enim rerum gestarum quas viderant imperat, donec cum a mortuis resurgeret (*Ibid.*, 9); (hoc (*b*) enim fidei præmium reservabatur, ut honor redderetur iis, apud quos non levis sola præceptorum auctoritas reperiretur); infirmos enim (*c*) senserat ad vocis auditum : ut cum essent Spiritu sancto repleti, tunc gestorum spiritalium testes essent.

4. Solliciti etiam de temporibus Eliæ requirunt (*Ibid.*, 10). Quibus respondet Eliam esse venturum, et restituere universa (*Ibid.*, 11), id est reliquum, quod deprehenderit ex Israel, ad cognitionem Dei revocaturum. Sed in virtute ac spiritu Eliæ **754** Johannem venisse significat, in quo (*in quem*) gravia quæque atque aspera exercuissent : ut Domini adventum prænuntians, passionem quoque præcurreret et injuriæ et vexationis exemplo.

5. *Et cum venisset ad turbam, accessit ad eum homo genibus provolutus, dicens : Domine, miserere filio meo* (*Ibid.*, 14). Reverso ad turbas Domino, a patre genibus advoluto puer offertur dæmoniacus, frequenter et in aquam decidens et in ignem, cui curationem afferre discipuli non potuerint. Objurgatis his, et increpato dæmone, sanus puer factus est.

6. *Apostolorum fides primum imperfecta.* — Crediderant quidem Apostoli : nondum tamen erant perfectæ fidei. Nam Domino in monte demorante, et ipsis cum turba residentibus, quidam tepor eorum fidem relaxaverat; atque idcirco ait : *Generatio* (*Ibid.*, 16) *incredibilis et perversa, quousque ero vobiscum* (*V. l.* VI *de Trin.*, *n.* 25)? quia, absente se, antiquæ infidelitatis consuetudo subrepserat. Docet igitur, eos nihil salutis afferre posse, qui medio Evangeliorum et iterati adventus sui tempore, a fide tamquam (*d*) Domino absente decesserint.

7. *Diabolus in profundum inferni a quibus ejiciendus.* — Denique quærentibus a se, cur dæmonium ejicere non potuissent, respondit, de inopia fidei effectum esse ne possent (*Ibid.*, 18 *et* 19) : quæ si in illis tamquam granum sinapis esset, monti huic, ut a loco in locum transiret, cum efficiendi potestate præciperent. Sed jam de monte decesserat, et inter turbas hæc loquebatur. Itaque et se granum sinapis nuncupavit omnium minimum, et diabolum montem cognominavit : quia in illo spiritales nequitiæ sunt cœlestesque virtutes per eos (*e*) ejiciendæ, et in altitudinem maris tamquam in profundum inferni abjiciendæ, quos in hanc efficaciam jejunium et oratio prosequentur.

8. *Apostolorum nomine Pharisæi et Scribæ tractantur.* — Tenebimus quoque etiam cum ordinem, ut sub discipulorum nomine, Pharisæorum et Scribarum persona tractetur. Quibus lex curandum ut discipulis populum, tamquam pater filium, cum Dominus abesset, obtulerit. Qui peccatis dominantibus, nunc in ignem judicii decidebat, nunc in aquam diurnarum (*f*) sordium suarum consuetudine mergebatur. Hi igitur nihil opis attulerunt : quia demorante (*g*) Moyse cum Domino in monte, effecti (*h*) fuerant infideles. Et ut typica ratio impleretur, discipuli mirantur se ejicere dæmonem non potuisse : **755** cum omnis potestas non solum dæmonum fugandorum, verum etiam mortuorum excitandorum esset indulta. Quia vero ultra cum his lex futura non esset, ait : *generatio incredibilis et perversa* (non utique ad eos quos sanctificaverat, videtur hæc loqui), *quo usque*, inquit, *ero vobiscum*? Quia fidem non habentes, ipsam illam, quam habebant, amissuri erant legem. Quam fidem si in se habuissent, quia ipse est granum sinapis, verbi virtute hoc peccatorum onus, et gravem infidelitatis molem, ab eo qui offerebatur

(*a*) Ita melioris notæ mss. Alii cum excusis, *ut solum contuerentur*.

(*b*) Particula *enim* aut refertur *ad silentium imperat* : quod factum dicat Hilarius, ut fidei locus daretur, et major gloria redderetur iis, apud quos satis gravis per se reperiretur præceptorum auctoritas, ut, exemplo transfigurationis minime proposito, ad credendum inducerentur : aut respicit verba *donec cum a mortuis resurgeret* : ut deinceps sermo sit de apostolis, majore reverentia tum audiendis, cum apud eos præceptorum auctoritas non nuda, sed resurrectionis exemplo confirmata reperiretur.

(*c*) Bad., Er., Lips. ac plures mss. *sanaverat*. Rectius potiores cum Par. *senserat*, hoc est, expertus erat. Scriptum quippe est ℣ 6 : *Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, et timuerunt valde*. Ideo silentium imperatur, donec Spiritus sancti virtute fortiores evadant.

(*d*) Apud Par, *a Domino* : male, cum hæc perinde intelligenda sint, ac si legeres, *tamquam Domino absente, a fide decesserint*.

(*e*) In vulgatis, *ejiciendas*, et mox *abjiciendas*, eaque superiorum interpunctio erat, qua significaretur diabolum, quia in illo spiritales nequitiæ existerent, montem cognominari : cum verba *in illo* ad Christum referantur, in cujus virtute ejiciendæ sunt nequitiæ spiritales, etc. Diabolus autem idcirco mons, quia *se contra Deum exaltans atque efferens*. uti enarratur in psal. LXIV, n. 9.

(*f*) Editi, *diutinarum*. At mss. *diurnarum* : quod et cum aquæ comparatione videtur magis congruere : quia sicut aquæ aquis, ita diurnæ sordes semper sibi invicem succedunt. Diurnas autem sordes intelligere possumus, quas ex sæculi et carnis operibus contrahimus. Ea ipsa opera aliam ob causam fluminibus comparantur in Ps. CXXXVI, n. 6, quia videl. *omnia sæculi et corporum opera, modo fluminum, sine aliqua cursus sui statione superfluunt*.

(*g*) Par. cum quatuor probæ notæ mss. *demorante modicum Domino* : bene, nisi totus hic locus typice exponeretur de Scribis ac populo legis. Quocirca verior visa est lectio Bad., Er., Lips. et sex mss. Quod de discipulis dictum est n. 6, antiquæ infidelitatis consuetudinem eis absente Domino subrepsisse, nunc refertur ad eos, quos Moyse in monte demorante infideles fuisse legimus Exodi XXXII, 1, adeoque superius *Scribarum* et *Pharisæorum* nomine intelligendi sunt rectores populi, ad quos pertinebat populum in officio continere.

(*h*) Excusi, *effecti fuerunt infideles : ut typica ratio impletur. Discipuli* : contra mentem Hilarii, qui non vult apostolos fuisse infideles, ut mystica ratio impleretur, sed ob mysticam rationem nequivisse dæmonem ejicere, cum prius data eis fuisset omnis potestas.

populo ejicientes, tamquam in mare montem, sic ad conversationem (*a*) gentium et sæculi transtulissent.

9. *Ipsis autem conversantibus in Galilæa, dixit Jesus: Futurum est ut filius hominis tradatur in manus hominum* (*Ibid.*, 21). Sequitur mœstitia cognitionem passionis : nondum enim sacramentum ineundæ crucis, resurrectionis virtute fuerat revelatum.

10. *Didrachmi solutio lege sancita quid significet.* — *Et cum venisset Jesus Capharnaum, accesserunt qui* (*b*) *didrachma exigebant ad Petrum* (*Ibid.*, 23). Dominus didrachma solvere postulatur : hoc enim omni Israel lex pro redemptione animæ et corporis constituerat in ministerio (*c*) templi servientium (*Exod.* xxx, 12). Sed lex, ut scimus, futurorum umbra est. Non enim æris prætium Deus desiderabat : ut per tam exiguam impensam criminibus corporis atque animæ quædam redemptio concederetur. Ut igitur inscriptos nos et professos et Christi nomine consignatos offerremus in Christo, (*d*) qui verum Dei templum est, pro testimonio filii Dei hujus didrachmæ oblatio constituta est.

11. *Christus redemptor redemptionis pretio non eget.* — Itaque Petrum post conventionem silentem, tali eum sermone prævenit : *Quid tibi videtur, Simon? Reges terræ a quibus accipiunt tributum aut censum?* etc. (*Ibid.*, 34). Numquid ambiguum est, filios regum tributis obnoxios non esse; et quibus regni (*e*) hæreditas est, eos esse liberos a servitute? Sed sermo interius intendit. Postulabatur didrachma a populo. Lex enim in eam fidem, quæ per Christum erat revelanda, concluditur. Ergo hæc eadem didrachma, consuetudine legis, tamquam ab homine poscebatur a Christo. Sed ut ostenderet, legi se non esse subjectum, et ut in se paternæ dignitatis gloriam contestaretur, terreni privilegii posuit exemplum : censu aut tributis regum filios non **756** teneri, potiusque se redemptorem animæ nostræ corporisque esse, quam in redemptionem sui aliquid postulandum; quia regis filium extra communionem oportere esse reliquorum (*f*) scandalum igitur præstat ut solvat, cæterum debito legis est liber (*Ibid.*, 26).

12. Deinde sub rerum præsentium effectu, et significantiam legis, et constantiam evangelicæ libertatis exposuit : ut cognosci promptum esset, quid didrachma præfiguraret in lege. Ire Petrus jubetur ad mare, hamumque mittere, et primi piscis ascendentis os requirere, repertumque in eo staterem pro se ac Domino offerre. Didrachma Dominus postulatur, id est, denarios duos; cur staterem (quatuor denarios complectentem) Petrus offert? Deinde cum primum piscem admonetur inquirere, ascensuri ostenduntur et plures. Numquid etiam natura piscium ferret, ut in littore fortuito repertum staterem ore potius contineret, non intra viscera conderet? Subest igitur efficiendis præsentibus rebus ratio interior.

13. Destinatus enim ad prædicationem Petrus, et piscator hominum factus, doctrinæ hamum misit in sæculo, quo appositi sibi dulcedine vagos ex eo fluctuantesque protraheret. Huic adhæsit beatus ille primus martyr (*g*) hamo, qui ore suo quadrigeminum denarium continebat : (*h*) id est, evangelici numeri unitate, Dei gloriam Dominumque Christum in passione contuens prædicabat. Stephanus igitur primus ascendit, Stephanus staterem ore continuit : in quo etiam didrachma novæ prædicationis, tamquam duo denarii habebantur. Hoc lex præfigurabat, hujus veritatis umbram, tamquam corporis imaginem circumferebat, hæc redemptio animæ et corporis designabatur : ideoque ait : *Da pro me et te* : quia jam talis non didrachma, sed stater, et pro Christi prædicatione solvendus.

CAPUT XVIII.

De infantibus inhibitis, et de humilitate eorum assumenda, de manu et pede et oculo eruendo, de ove perdita, de corripiendis fratribus secreto primum, tum duobus testibus, postremo Ecclesia præsente. Semper ignoscendum. Qui conservum, remisso sibi a domino debito, suffocat.

1. *Pueri credentes. Puerorum indoles. In illa die accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes : Quis putas major est in regno cœlorum?* et reliqua (*Matth.*, xviii, 1). Non nisi reversos in naturam puerorum introire regnum cœlorum **757** Dominus docet, id est, in simplicitatem puerilem vitia corporum nostrorum animæque revocanda. Pueros autem, credentes omnes per audientiæ fidem nuncupavit. Hi enim patrem sequuntur, matrem amant, proximo velle malum nesciunt, curam opum negligunt : non insolescunt, non oderunt, non mentiuntur, dictis credunt, et quod audiunt verum habent. Et hæc omnium affectionum assumpta in nobis et consuetudo et voluntas, cœlorum iter pervium præstat. Revertendum igitur est ad

(*a*) Editi, *ad conversionem gentium* : corriguntur ex mss. Hic porro male sonat conversationis vocabulum. Vult quippe Hilarius infidelitatem sæculi et gentilium dominari, Judæisque ut ab eorum consuetudine se segregarent datum esse, ubi datum est unde ad fidem se transferrent.

(*b*) Er., Lips. et Par. hic et deinceps, *didrachmam*. In mss. constanter, *didragma*. Græce in plurali τὰ δίδραχμα.

(*c*) In mss. Turon., Mich. et Vind. *templo servientium*. Lex autem ad usus tabernaculi testimonii, non ad usus servientium hanc pecuniam exigebat.

(*d*) Abest *qui verum Dei templum est* a mss. Colb. et Carn.

(*e*) Editi excepto Par. cum sex mss. *regni veritas* : minus bene. Nam filiis regum est quidem regni hæreditas, sed nondum veritas.

(*f*) Editi, *scandalo* : renitentibus omnibus mss. Solvere scandalum pro tollere dicitur, quia solvendo didrachma auferendum est.

(*g*) In vulgatis, *a Domino*. Magis placet cum pluribus mss. *hamo*.

(*h*) Solus ms. Vind. *id est, Evangelia*. Plures alii, *id est, evangelici numeri unitatem*. Hilarii verba explanat Theophilus Antioch. declarans statere quatuor drachmas contineri, *quibus intelligenda sunt quatuor Evangelia*.

simplicitatem infantium : quia in ea collocati, speciem humilitatis dominicæ circumferemus.

2. *Judæis præstaret cum gentibus Deum ignorasse, quam Christum non recepisse.* — Si qui autem in Christi nomine tales receperint, Christi recepti præmium consequentur : *Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis*, id est, qui offendiculum tentationis intulerit, *expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris* (*Ibid.*, 6). Tot tantæque res non otiose comparatæ sunt : et mola, et asinaria, et cum ea in mari mergendus, et hoc ei expediens. Communi omnium sensu, semper quod expedit utile est. Quid ergo utilitatis est, mola asinaria collo suspensa demergi? Mors enim tam gravis proficiet ad pœnam : et nescio quomodo erit utile, id expetere quod ultimum sit malorum. Quid ergo sentiri oporteat, quærendum est. Molæ opus, labor est cæcitatis : nam clausis jumentorum oculis aguntur in gyrum. Et sub asini quidem nomine, frequenter gentes cognominatas reperimus. Igitur gentes quod agunt, nesciunt : et in vitæ suæ opere detentæ, cæci laboris ignorantia continentur. Judæis autem scientiæ iter in lege (*a*) præstatum est. Qui si Christi apostolos scandalizarent, rectius illigata collo mola asinaria demersi in mare fuissent, id est, gentium labore depressi in ignorantia sæculi demorarentur : quia illis tolerabilius fuerit nescisse Christum, quam istis prophetatum non recepisse.

3. *Scandalum crucis necessarium, et quam periculosum. — Væ huic mundo ab scandalis. Necesse est enim venire scandala; verumtamem væ homini illi, per quem scandalum venit* (*Ibid.*, 7). Humilitas passionis scandalum mundo est. In hoc enim maxime ignorantia detinetur humana, quod sub deformitate crucis æternæ gloriæ Dominum (*b*) nolit accipere. Et quid mundo tam periculosum, quam non recepisse Christum ? Verumtamen sub hominis nuncupatione, auctorem scandali hujus Judaicum populum designat, per quem omne hoc mundo periculum comparatur, ut Christum in passione abnegent, quem lex et prophetæ passibilem prædicaverunt. Ideo vero necesse esse ait venire scandala : quia ad sacramentum reddendæ nobis æternitatis, omnis in eo passionis humilitas esset explenda.

4. Superius autem in abscindendis manu vel pede propinquitatum contineri nomina exposuimus (*cap. 4, n. 21*) : atque ideo cognationem generis Israelitæ **758** relinquendam veluti quadam membrorum recisione significat, quia per eam mundo scandala comparentur.

5. *Angelorum de nobis cura. — Videte ne contemnatis unum de pusillis istis, qui credunt in me* (*Ibid.*, 10). (*c*) Arctissimum vinculum mutui amoris imposuit, ad eos præcipue qui vere in Domino credidissent. Pusillorum enim angeli quotidie Deum vident (*Ibid.*, 11) : quia filius hominis venit salvare quæ perdita sunt. Ergo et filius hominis salvat, et Deum angeli vident, et (*d*) angeli pusillorum sunt. Fidelium orationibus præesse angelos, absoluta auctoritas est. Salvatorum igitur per Christum orationes angeli quotidie Deo offerunt. Ergo periculose ille contemnitur, cujus desideria ac postulationes ad æternum et invisibilem Deum ambitioso angelorum famulatu ac ministerio pervehuntur.

6. *Ovis una errans, homo. Nonaginta novem non errantes, angeli. Horum numerus ex hominibus perficitur.* — Atque ut ingentem esse in cœlis lætitiam reditu humanæ salutis ostenderet, comparationis posuit exemplum, ejus qui oves nonaginta novem in montibus reliquisset, et errantem unam requisisset : qua inventa plus gaudii sit, quam habebatur in nonaginta et novem (*e*) conservatione lætitiæ (*Ibid.*, 12). Ovis una, homo intelligendus est, et sub homine uno, universitas sentienda est. Sed in unius Adæ errore omne hominum genus aberravit; ergo nonaginta novem non errantes, multitudo angelorum cœlestium opinanda est, quibus in cœlo est lætitia et cura salutis humanæ. Igitur et quærens hominem, Christus est; et nonaginta novem relicti, cœlestis gloriæ multitudo est : cui cum maximo gaudio errans homo in Domini corpore (*f*) est relatus. Merito igitur hic numerus per litteram (*g*) et Abrahæ additur et consummatur in Sara : ex Abram enim Abraham nuncupatur, et ex Sarai Sara accipit nomen. In uno enim Abraham omnes sumus : et per nos, qui unum omnes sumus, (*h*) cœlestis gloriæ numerus explendus est. Atque ideo et creatura omnis **759** revelationem filiorum Dei exspectat : et ideo congemit

(*a*) Ita in omnibus mss. nisi quod in uno Bec. *præstitum*. At in editis primo *præstratum*, ac demum *præmonstratum*.

(*b*) Auctoritate mss. Carn. et Colb. restituitur *nolit*, cum prius obtineret *noluit*.

(*c*) In nonnullis mss. *aptissimum*.

(*d*) In vulgatis ac pluribus mss., *Angeli pusillorum præsunt fidelium orationibus. Præesse angelos*, etc.; neque oratio suis numeris videtur absoluta, neque bene ex superius sumptis conclusa. Ex eo enim, quod angeli pusillorum Deum vident, sequitur angelos pusillorum esse, eosque Deum videre ; sed non indidem efficitur eos præesse orationibus. At hoc alterum ex occasione superioris conclusionis subjicit Hilarius, non tamquam ex superioribus conclusum, sed veluti per se in Scripturis manifeste comprehensum, puta Apoc. VIII, 3, vel etiam Tob. XII, 15, quo pertinet illud tract ps. CXX, n. 7 : *Sunt, secundum Raphael ad Tobiam loquentem, angeli assistentes ante claritatem Dei, et orationes deprecantium ad Deum deferentes*. Hinc et Tertullianus, de Orat. n. 12, *orationis angelum* agnoscit. Quæ autem hic magis arrisit lectio, exhibetur ex mss. Colb. et Carn.

(*e*) Prima editio Par. cum aliquot mss. *conversatione*.

(*f*) Quia nimirum Christus, ex quo *naturam universæ carnis assumpsit, genus in se universæ propaginis tenet*, ut habetur in psal. LI, n. 15. Huc spectat illud Ambrosii lib VII, in Luc. n. 208 : *Christus te suo corpore vehit, qui tua in se peccata suscepit.*

(*g*) In sola editione Par. hic adjicitur *alpha*, quod quidem videtur deesse, sed suppressum facile intelligitur.

(*h*) Ita plerique mss. Editi vero cum mss. Colb. Rom. et Carn. *cœlestis Ecclesiæ* : quod et nobis probaretur, nisi supra legeremus, *nonaginta novem re-*

miscit et dolet, ut numerus, qui per alpha Abrahæ additus est, et qui (*a*) in alpha consummatus in Sara est, ad cœlestem constitutionem incremento credentium impleatur.

7. *Correptionis ordo in Judæos a Deo servatus.* — *Quod si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum*, et reliqua (*Ibid.*, 15). Eum ordinem continendæ charitatis nobis Dominus imposuit, quem ipse in conservando Israel tenuerat (*Lev.* XIX, 18) : jubet enim peccantem fratrem ab eo solo, in quem peccaverit, corripi atque objurgari. Ipse enim sacrificantem diis alienis populum Judaicum, majestatis suæ adventu, et toto præsentis potestatis terrore corripuit (*b*). Et tum, cum idem populus (*c*) Dei propinquantis adventum, extra montem licet positus, ferre non potuit (*d*), inobedienti etiam unum atque duos jussit adhiberi, ut in ore duum testium fides verbi ac veritas maneat : quia insolenti Israel lex et prophetæ et Joannes est missus, testibusque istis ut peccare desineret conventus est, tertio ipso Domini adventu, tamquam cœtu Ecclesiæ inspectantis, admonitus est : frustraque habitis his objurgationibus, publicani aut ethnici vilitate negligitur.

8. *Ligandi et solvendi potestas apostolis data.* — Ad terrorem autem metus maximi, quo in præsens omnes continerentur, immobile severitatis apostolicæ judicium præmisit : ut quos in terris ligaverint id est, peccatorum nodis innexos reliquerint, et quos solverint, (*e*) confessione videlicet veniæ receperint in salutem (*Matth.*, XVIII, 18) ; hi apostolicæ conditione sententiæ in cœlis quoque aut soluti sint aut ligati.

9. *Unitatis merito nil negat Deus.* — In tantum igitur humanæ pacis studuit concordiæ, ut unitatis merito omnia, quæ a Deo precanda sint, impetranda esse confirmet (*Ibid.*, 19 *et* 20) ; et ubi duo atque tres A pari spiritu ac voluntate collecti sint, ibi se medium eorum pollicetur futurum. Ipse enim pax atque charitas, sedem atque **760** habitationem in bonis et pacificis voluntatibus collocabit.

10. *Deus sine modo nobis ignoscens, vult et nos sine modo aliis ignoscere. In Cain homicidarum, in Lamech Deicidarum pœna est adumbrata.* — Quærenti deinde Petro, an peccanti in se fratri septies remitteret, respondit : *Non usque septies, sed usque septuagies-septies* (*Ibid.*, 21 *et* 22). Omni modo ad similitudinem nos humilitatis ac bonitatis suæ instruit, et molliendis ac frangendis turbidorum motuum norum aculeis, placabilitatis suæ confirmat exemplo : quippe peccatorum omnium veniam per fidem tribuens. Neque enim naturæ nostræ vitia indulgentiam merebantur. Ergo venia omnis ex eo est : cum etiam ea quæ in se sint peccata, post reditum confessionis indulgeat. Solvenda quidem per Cain pœna in septuplum constituta est (*Gen.* IV, 24) : sed peccatum illud in hominem est ; in Abel enim fratrem peccatum usque ad necem fuerat. Sed in Lamech supplicium usque ad septuagies et septies est constitutum ; et in eo, quantum existimamus, constituta in auctores dominicæ passionis est pœna. Sed Dominus per confessionem credentium hujus criminis veniam largitur, id est, per baptismi munus obtrectatoribus ac persecutoribus gratiam salutis indulget : quanto magis oportere ostendit sine modo ac numero veniam a nobis esse reddendam, nec cogitandum quotiens remittamus ; sed (*supple*, oportere) ut irasci his qui in nos peccant, quotiens irascendi necessitas exstiterit, desinamus ? Quæ utique veniæ assiduitas docet, nullum omnino penes nos iræ tempus esse oportere : quando omnium omnino peccaminum veniam Deus nobis suo potius munere, quam nostro merito largiatur. Neque enim fas est,

licti, cœlestis gloriæ multitudo est. Paulo ante in mss. Colb. et Carn., *super nos*, non *per nos*. In uno Abraham omnes fideles sunt tamquam in radice ac parente. Ipse est enim, secundum apostolum Rom, IV, 11 : *Pater omnium credentium*, et secundum Hilarium nostrum in psal CXXXIV, n. 5, *princeps electionis.*

(*a*) Bad., Er., Lips. cum mss, Turon. et Carn. *in rho*. Plerique alii mss. *in ra*. Nemo non videt hic respici rationem numerandi apud Græcos usitatam, apud quos alpha principium est numerorum et unitatem designat.

(*b*) Editi, *corripuit tum*, omissa particula *et*, quam supplemus ex sex mss. eaque declaratur alter ordo, quem in Judæorum correptione Deus tenuit. Primo enim eos per se terruit, ac tum sui impatientes per legem et prophetas corripuit, postremo eosdem admonuit in Christo, in quo *per naturam suscepti corporis, quædam universi generis humani congregatio continetur*, ut habetur cap. 4, n. 12.

(*c*) In ms. Beccensi, *Dei majestatem propinquantis ad montem*, *extra montem licet*, etc., glossema, cui lectio mss. quorumdam, *ad montem* loco vocis *adventum* exhibentium, locum dedit.

(*d*) In vulgatis, *ferre non potuit inobedientiam, unum*, etc. Præferimus cum mss. sincerioribus, *inobedienti etiam*, quod respondet verbis evangelicis, *Si te non audierit*. Hujus lectionis loco cæteri mss. habent *inaudientiam*.

(*e*) Dallæus, lib. III de Conf., c. 9, hic *concessione veniæ* substituendum contendit. Reclamat contra v. c. Jacobus, Boileau Hist de Conf. auric. c. 8, nihil esse immutandum ; aut si quid mutandum sit, *venia* loco *veniæ* legendum esse ; ut nimirum confessio dicatur veniæ, quia veniæ sit causa, ea ratione qua in psal. CXVIII, n. 13, de pœnitentia dictum est : *Hæc venia peccati est*, etc. Dallæo negari nequit clariorem esse eam lectionem, quam inducendam vellet. Sed quo clarior est, eo minus mutationis suspecta est altera. Nihil enim est cur illam attribuat sciolorum temeritati, cum hi tantum mutare soleant, quod non intelligunt, et in obscuris locis clariores sententias substituere. Longe minus typographorum incuriam incusare valeat, cum fideliter expresserint, quod in mss. invenerunt. Non enim tantum in editis omnibus exstat *confessione*, sed ex undecim mss. a nobis excussis, ne in uno quidem aliter legere est. Neque etiam aliter legendum suadet illud quod post pauca subjicitur : *Ergo venia omnis ex eo est, cum etiam ea quæ in se sint peccata, post reditum confessionis indulgeat.* Cum itaque nihil immutandum constet, expendendum restat quid Hilarius sibi velit : quantum sapimus, vocabulum *veniæ*, non ad præcedentem vocem *confessione*, sed ad subsequentem, scil. *salutem*, referendum est, ut sit, *quos confessione receperint in salutem veniæ* ; hoc est, in salutem quam venia dat, non meritum.

nos ex præscripto legis, dandæ veniæ numero concludi, cum per Evangelii gratiam sine modo nobis a Deo fuerit indulta.

11. Quin etiam ad perfectæ bonitatis affectum comparationis posuit exemplum, in qua servo unde redderet non habenti, omne Dominus debitum relaxavit (*Ibid.*, 26) : conservoque suo servus ille exiguum quod sibi debebatur extorquens, per hoc voluntatis suæ vitium donum munificentiæ Domini (*a*) et liberalitatis amisit. Absoluta autem comparationis ejus est ratio, atque ab ipso Domino omnis exposita est.

761 CAPUT XIX.

Uxorem non debere dimittere, de eunuchis, de infantibus inhibitis. Divitem difficile introire in regnum cœlorum.

1. *Cur Galilæos in Judææ finibus curet Christus.* — *Et factum est, cum locutus esset sermones istos Jesus, transtulit se in Galilæam, et venit in fines Judææ*, etc. (*Matth.* XIX, 1). Galilæos in Judææ finibus curat. Potuerat namque ægrotorum turbas non fatigare, et intra ipsam Galilæam opem ferre debilibus : sed typica ratio etiam locorum erat explenda privilegiis, ut peccata gentium in eam veniam quæ Judææ parabatur admitteret.

2. *Tunc accesserunt ad eum Pharisæi, tentantes eum, et dicentes : Si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa* (*Ibid.*, 3)? In eo sermone, qui de uxore et de repudio est, occurrit illud, aliter scriptum esse in Genesi (II, 24), quam nunc in præsens Dominus sit locutus (*Matth.* XIX, *4 et* 5). Illic enim sub verbis Adæ res omnis refertur : hic Dominus indicat ab eo, qui et hominem figuraverit et mulierem fecerit, omnia (*b*) illa dicta esse. Sed nos secuti apostolicam auctoritatem, qui hoc mysterium grande esse professus est, se autem in Christo atque in Ecclesia accipere (*Ephes.* V, 32; *vid. cap.* 22, *n.* 3), locum hunc sicuti est intactum relinquamus. Admonemus tamen legentem, ut quotienscumque de hac eadem quæstione se consulat, verborum virtutes, et quibus Dominus responderit, et quibus discipuli usi sint, diligenter advertat : Pauli autem apostoli de hoc affectum, vel silentis, vel interdum sub aliis locis tractantis, expendat. Nobis circa eunuchos sermo sit et voluntas. In uno posuit naturam, in altero necessitatem, in tertio voluntatem (*Ibid.*, 12) : naturam in eo qui ita nascitur, necessitatem in eo qui ita factus est, voluntatem in illo qui spe regni cœlestis, talis esse decreverit : cui nos similes effici, si tamen (*c*) possimus, admonuit.

3. *Infantes, gentes a discipulis inhibentur præ favore Israel.* — *Tunc oblati sunt ei infantes, ut manus his imponeret et oraret : Discipuli autem prohibebant eos*, et reliqua (*Ibid.*, 13). Novum est, discipulos prohibuisse ne infantes ad Christum accederent, qui offerebantur ut super eos manum imponeret et oraret. Res evangelica, ut diximus, inter præsentis et futuri effectum, mediam utrique rei et congruam rationem temperavit : ut his, quæ efficiebantur, futuri species adhæreret. Infantes quidem vere oblati sunt, sed et vere inhibiti sunt. Sed hi gentium forma sunt, quibus per fidem et auditum salus redditur. Verum ex affectu primum salvandi Israel, a discipulis inhibentur 762 accedere. Inhibendi quidem voluntas placabilitati apostolicæ non convenit : sed in typicam consummationem prohibendorum infantium (*d*) subrepit instinctus. Quos Dominus ait non oportere prohiberi, quia talium sit regnum cœlorum : munus enim et donum Spiritus sancti (*e*) per impositionem manus et precationem, cessante legis opere, erat gentibus largiendum.

4. *Judæorum insolentia in juvene adumbrata. Christus quatenus non bonus.* — *Et* (*f*) *ecce unus accessit*

(*a*) Ita codex Carnutensis. Alii vero, *et libertatis*.

(*b*) In mss. Colb. et Carn. *illi*, quod ad Adam commode retuleris. Notat Hilarius verba hæc, *Relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori*, secundum Genesim ab Adam, secundum Matthæum a Deo proferri.

(*c*) Scultetus allatis hisce verbulis, *si tamen possimus*, ovans et insultans satis superque refutasse se putat, quod Bellarminus in gratiam voti castitatis adduxerat ex tract. ps. LXIV, n. 3, ubi disertis verbis ait Hilarius, *Deo ergo vovenda sunt contemptus corporis, castitatis custodia, jejunii tolerantia.* Vellet nimirum insinuare continentiæ hostis votum hujusmodi vires humanas ita superare, ut nonnisi temere sit promittendum quod præstare nemo possit. Quasi vero Christus consuluerit aliquid, quo nemo pervenire valeat; aut non id possimus opitulante Dei gratia perficere, quod eo inspirante voverimus; aut alia ab Ecclesia defendantur et approbentur vota, quasi quæ Deum auctorem habuerint. Hinc sese hæresis ostendit a Spiritu Christi alienam, quod nullos habet, quibus cara sint ipsius consilia. Habet contra Ecclesia plurimos, qui cum Paulo dicant, *Omnia possum in eo qui me confortat*. Itaque non immerito Bellarminus Hilarium recensuit ut votorum patronum.

(*d*) Vaticanus codex apud Latinium, *subrepsit in sanctos*. Idem apostolorum erga Israel affectus rursum declaratur cap. 15, n. 9. Eadem ratione apostolos ab inclementia excusat Ambrosius in Luc., lib. VIII, n. 60.

(*e*) Jam in Psal. CXVIII, n. 5, observatum est hunc locum verbis illustrari Tertulliani lib. de baptismo, ubi ritum et effectum baptismi enarravit, subjicientis, c. 7 : *Exinde egressi de lavacro perungimur benedicta unctione de antiqua disciplina* : et post pauca : *Dehinc manus imponitur per benedictionem advocans et invitans Spiritum sanctum.* Num hæc et alia Hilarii cap. 4, num. 10 et 27, confirmationis sacramentum non spectent, quisque judicet. Hinc certe non temeraria fuit nostrorum propensio, qua lib. VIII in Luc., n. 61, legi maluissent : *Ubi ad se infantes accedere jubet, ut eos vel precatione vel manuum impositione benediceret*, quamvis mss. auctoritati cedentes retinuerint *vel prædicatione.* Sic et Leo papa epist. nunc CXXIV, c. 7, indicat Spiritum sanctum per impositionem manuum ac precationem præberi, cum de iis, qui baptismum ab hæreticis acceperunt, habet : *Sola invocatione Spiritus sancti per impositionem manuum confirmandi sunt;* et post pauca, *Sola sanctificatio Spiritus sancti invocanda est, ut quod ab hæreticis nemo accipit, a catholicis sacerdotibus consequatur.*

(*f*) In pluribus mss. *ecce juvenis unus.*

ad eum, et ait illi : Magister, quid boni faciam ut habeam vitam æternam ? et reliqua (*Ibid.*, 16). Opportune post sermonem superiorem; quo et infantes inhibiti sunt, et talium regnum cœlorum esse responsum est, succedit hic juvenis, requirens quibusnam bonis operibus vitam æternam habere posset. Juvenis iste et interrogavit, et insolens fuit, et rursum mœstus est factus : resque omnes, quæ scriptæ sunt, gestæ effectæque sunt. Sed admonuimus ea, quæ sub Deo agebantur, præsentium effectibus consequentium formam prætulisse : atque ita semper in Scripturis cœlestibus sermonem omnem temperatum fuisse, ut non minus his quæ gerebantur, quam eorum quæ gerenda essent similitudini conveniret. Juvenis hic itaque formam Judaici populi habet, in lege insolentis, et nihil præter præcepta Moysi spei exspectantis a Christo. Cui Dominus, in responsione ipsa, severitatem judicii ex se futuri protestatus est, dicens (*Ibid.*, 17) : *Quid me vocas bonum ?* (*V. lib.* IX *de Trin.*, *n.* 16.) Is enim, cui necesse sit impia et iniqua punire, nomine bonitatis abstinuit, soli hoc nomen Deo patri reservans, qui se, judicem dando, officio severitatis exuerit : non quod bonus et ipse non esset, sed quod congrua in eum severitate judex (*a*) esset usurus.

5. *Judæi in lege gloriantes lege convincuntur nil recti egisse.* — Hunc igitur ex lege insolentem, sollicitum de salute remittit ad legem : ut in ea ipsa, in qua gloriaretur, intelligeret nihil se exinde recti operis fecisse. Verbis enim legis ei Dominus respondit. Sed adolescens, tamquam populus insolens et glorians, in lege confidit, cui tamen obsecutus ex nullo est. Jussus enim fuerat non occidere : prophetas interfecerat. Non mœchari : hic corruptelam fidei, et legi adulterium intulerat, et (*b*) deos alienos adoraverat. Non furari : hic ante quam libertatem credendi in fide Christus redderet, furto legis præcepta dissolvit. Non falsum testem fieri : hic Christum negavit ex mortuis. Patrem et matrem **763** jussus est honorare : hic ipse se a Dei patris atque ab Ecclesiæ matris familia abdicavit. Proximum tamquam se amare præceptus est : hic Christum, qui omnium nostrum corpus assumpsit, et unicuique nostrum assumpti corporis conditione factus est proximus (*c*), usque in pœnam crucis persecutus est. Ut igitur his depositis, ac recisis omnibus vitiis in legem reverteretur, est jussus.

6. *Ab umbra legis ad evangelicam veritatem migrare suadentur.* — Sed respondet, hæc omnia fecisse a juventute sua : et quærit quid adhuc sibi restet (*Ibid.*, 20). Sed, ut diximus, neque superiora illa egerat ad quæ remittitur, et in ipsis glorians tamquam consummatus hæc loquitur. Cui Dominus respondet, vendenda omnia bona sua esse, et danda pauperibus : et tunc eum futurum esse perfectum, habiturumque thesaurum in cœlis (*Ibid.*, 21). Respondetur huic quidem juveni, pulcherrimo illo ac maxime utili relinquendi sæculi præcepto, quo jactura terrenæ substantiæ cœlorum opes emendæ sunt : sed in eo quod bona sua vendere et dare pauperibus jubetur, confidentiam legis relinquere admonetur, et eam felici commercio mutare : et ut meminerit umbram in ea veritatis esse, quæ deinceps pauperibus, id est, gentibus sit sub ipsius veritatis corpore dividenda ; hæc autem neminem posse efficere, nisi qui sequi cœperit Christum.

7. *Quid sit quod adolescens a juventute legi se servisse testetur.* — Sed adolescens, auditis his, tristis recessit (*Ibid.*, 22) : multam enim opulentiæ fiduciam habebat ex lege. Atque in eo etiam typicæ efficientiæ ratio servata est, ut cum adolescentem hunc esse significet, ipse superius dixerit, ab omni se juventute sua præceptis his quæ habentur in lege servivisse : cum adolescentia (*d*) intra juventutem sit, et posterior ætatis gradus non possit intra prioris (*e*) terminos contineri. Sed hoc ideo, ut a juventute (*f*) hoc serviente, longum jam in opere legis populi tempus ostenderet.

8. *Israeli superbo difficilis cœli aditus.* — Dehinc Dominus cognita adolescentis mœstitudine respondit, difficile divitem venturum in regnum cœlorum (*Ibid.*, 23). Divitem se igitur Israel, ut diximus, legis fiducia gloriabatur. Huic difficilis est aditus in cœlum, veteres opes sub Abrahæ nomine inanis prosapiæ ambitione retinenti.

9. *Crimen non est in habendo, sed in habendi modo. Opum cura periculosa.* — Quin etiam adjecit, camelum facilius per foramen acus posse transire, quam cœlorum regnum divitem introire (*Ibid.*, 24). (*g*) Habere criminis non est, sed modus in habendo retinendus **764** est. Nam quomodo impertiendum est, quomodo communicandum, si impertiendi et communicandi materia non relinquatur ? Ergo nocenter magis habere, quam illud ipsum habere fit crimen. Sed periculosa cura est, velle ditescere : et grave onus innocentia subit, incrementis opum occupata. Rem enim sæculi, famulatus Dei non sine sæculi ipsius vitiis assequitur. Hinc difficile est divitem

(*a*) Editi excepto Par. cum aliquot mss. *esset futurus.*

(*b*) Bad. et Er. *diis alienis adoraverat.* Tum Lipsius de suo posuit *adoleverat.* Supra cap. 12, n. 22, observatum est in plerisque mss. haberi *adoratum postea pecudibus et saxis.* Ad Hilarii sententiam de furto et adulterio accedit illud Turibii inter epistolas Leonis edit. Quesnel, pag. 459 : *Neque illa sola sunt furta, quæ alienorum direptione committuntur ; vel sola adulteria, quæ violatis maritalis thori affectibus perpetramus : sed et subtractis quæ vera sunt, furtum catholicæ fidei perversi dogmatis facit assertio ; et adversus veritatem Verbi Dei, malarum doctrinarum adulterio, zizaniæ semina jaciuntur.*

(*c*) In mss. *fit proximus.*

(*d*) Editi, *infra juventutem :* refragantibus mss. Sed et mox ætas superior inferiorem *intra,* non *infra* se continere dicitur.

(*e*) In vulgatis *priores.* Concinnius in mss. *prioris* videlicet ætatis.

(*f*) Pronomen *hoc,* quo adolescens indicatur, a Lipsio expunctum restituimus auctoritate Bad. Er. et mss.

(*g*) Post verbum *habere,* excusi adjiciunt *divitias,* renitentibus mss.

regnum cœlorum adire. Atque etiam, quia uti plures his quæ habent recte possent, ea in sermone Domini ratio servata est, ut non absolute regnum cœlorum nemo introire posset; sed intelligi posset futurorum raritas ex difficultate. Et hæc quidem ad simplicis sensus intelligentiam pertinent : verum eodem cursu interioris causæ ordo retinendus est.

10. *Cur Judæis difficilis cœli aditus.* — Adolescens, ut diximus, insolens, ubi jacturam legis facere præcipitur, mœstus et tristis est. Est autem huic populo crux et passio scandalum; et idcirco ipsi nihil salutis ex ea est. Sed gloriatur in lege, et cohæredes gentes aspernatur, et transire in evangelicam libertatem recusat : atque ideo difficile regnum cœlorum introibit. Pauci enim eorum, et juxta multitudinem gentium admodum rari erant credituri : ut (*mss.* et) difficile præduratam in lege voluntatem, ad prædicationem evangelicæ humilitatis inflecterent.

11. *Pervius est gentibus. Cameli natura.* — Sed facilius camelus per foramen acus transibit. Non convenit camelo cum acus foramine; neque in angustiis cavernæ exiguissimæ, recipi poterit belluæ ingentis informitas. Sed in primordio libri (*cap.* 2, *n.* 2), sub vestitu Johannis, in camelo gentes significari admonuimus. Pecus enim hoc (*a*) verbis obedit, metu continetur, jejunii patiens est, et oneri suo quadam disciplinæ ratione succumbit : cujus exemplo, gentium immanitas ad obedientiam præceptorum cœlestium emollitur. Hæ igitur angustissimum iter regni cœlestis introeunt : acus scilicet, quæ est verbi (*b*) novi prædicatio, per quam corporum vulnera assuuntur, et dissuta vestium retexuntur, et mors ipsa compungitur. Ergo hujus novæ prædicationis hoc iter est : in quod facilius informitas gentium introibit, quam opulentia divitis, id est, gloriantis in lege.

765 CAPUT XX.

De spe apostolorum, de novissimis primis efficiendis. Ubi conducuntur operarii ad vineam. De filiis Zebedæi, de primo accubitu, de duobus cæcis secus viam sedentibus.

1. *Summa sacri textus.* — Auditis itaque istis, discipuli admirantur et metuunt, dicentes neminem posse salvari (*v.* 25-30). Dominus respondit, hoc impossibile esse apud homines, possibile apud Deum. Rursum illi dictis Domini hæc reddunt : reliquisse se omnia, et cum ipso esse. Quibus Dominus, cum sederit in majestatis suæ sede, sessuros super sedes duodecim, ac totidem tribus Israel judicaturos spopondit; omnibusque, qui universa reliquerint propter nomen ejus, fructum centupli præmii reservatum : multos autem ex novissimis primos, et ex primis futuros novissimos.

2. *Spiritaliter intelligi debet.* — Multa sunt, quæ non sinunt nos simplici intellectu dicta evangelica suscipere. Interpositis enim nonnullis rebus, quæ ex natura humani sensus sibi contrariæ sunt, rationem quærere cœlestis intelligentiæ admonemur. (*c*) Apostoli dicunt, et sequi se Christum, et se omnia reliquisse : quomodo igitur fiunt tristes, et quomodo metuunt, dicentes salvum esse neminem posse? Namque et ab aliis fieri poterat, si quid fecissent ipsi. Deinde cum fecissent ipsi; quare metus vel unde susceptus est? Additur etiam in responsione Domini, hæc apud homines impossibilia, possibilia apud Deum. Numquid apud homines impossibilia erant, quæ et Apostoli fecisse se gloriantur, et fecisse eos Dominus agnoscit : et deinceps plures usque ad martyrii beatitudinem essent omnia relicturi? Aut numquid est Deo, quo egere possit; relictumque sit aliquid, quod (*d*) jactura rerum quas habeat sit sequendum, ut soli ipsi hoc facere possibile sit? Omnis itaque hic sermo est spiritalis.

3. *Apostolis sine Lege salus nulla videbatur.* — Apostoli enim spiritaliter audientes, neminem ex lege posse salvari, (*e*) cum ipsi etiam tunc in lege essent; nam vehemens eos amor legis favorque detinuit : hi igitur, nondum penitus evangelici mysterii veritate comperta, metuunt neminem salvum esse posse sine lege : quia omnem salutem etiam tunc in lege constituant. Sed Dominus brevi absolutaque ratione, eorumdem et ignorantiam et metum solvit, dicens, *Hoc quidem impossibile est apud homines possibile autem apud Deum.* Quid enim Judæo tam sine effectu videtur, (*f*) ut ab homine magis **766** salutem exspectanti et ex lege, quam ut in crucis scandalo legislatio, et testamentum, et adoptio, et hæreditas negligatur (*g*)? Quid autem Dei virtuti tam possibile est, quam ut per fidem salvet, ut per aquam regeneret, ut per crucem vincat, ut per Evangelia adoptet, ut per resurrectionem ex morte vivificet?

4. *Regeneratio quid. Centesimus fructus.* — Quibus auditis apostoli cito credunt, seseque omnia reliquisse profitentur. Sed hanc eorum obedientiam cito Dominus muneratur, omnem difficultatem superioris quæstionis absolvens, cum dicit : *Vos qui secuti estis me* (*h*) *in regeneratione judicabitis duodecim tribus*

(*a*) Bad. et Er. *verberibus obedit.*

(*b*) Vaticanus codex apud Latinium, *nova prædicatio*, eodem sensu.

(*c*) In mss. hic dumtaxat inchoatur caput 20.

(*d*) Par. cum ms. Carnut. *quod ei jactura.*

(*e*) Lectionarium ms. German. *cum etiam ipsi non intellexissent : nam vehemens.* Apostoli dicuntur in lege affectu versari.

(*f*) In vulgatis, *quam ut ab homine magis salutem expetat, quam ex lege* : lectio verbis evangelicis non satis respondens. In nonnullis mss. *ut ab homine magis salutem exspectat quam ex lege.* Non displicet quod in aliis quinque, *ut homini magis salutem exspectanti ex lege;* sicque secundis curis repositum est in ms. Turon. qui a prima manu præfert, *ut ab homine*, etc., *et ex lege :* quæ lectio integrior visa est. Judæus quippe nihil præter Moysen ejusque legem audire volens, et ab homine salutem exspectat et ex lege.

(*g*) Verbum *negligatur* omittit prima editio Par. Hoc sibi vult, Judæo stultum videri, ut crucis scandalum præferatur religioni patrum, quorum secundum Apostolum Rom. IX, 4, est legislatio, testamentum, etc.

(*h*) Voces *in regeneratione* in prius vulgatis cum

Israel. Secuti in regeneratione sunt, in lavacro baptismi, in fidei sanctificatione, in adoptione hæreditatis, in resurrectione ex mortuis. Hæc enim illa regeneratio est, quam apostoli sunt secuti, quam lex indulgere non potuit, quæ eos super duodecim thronos in judicandis duodecim tribubus Israel, in duodecim patriarcharum gloria copulavit. Cæteris quoque contemptu sæculi se sequentibus, centesimi fructus copiam pollicetur. Hic centesimus fructus est, qui in centesima ove cum cœlesti lætitia expletur. Hic centesimus fructus est, quem perfectæ terræ uberias consequitur. Qui Ecclesiæ honor jam in Saræ (V. *cap.* 18, *n.* 6) cognomento est destinatus, et jactura legis ac fide evangelica promerendus est : atque ita (*subaud.* pollicetur) ex novissimis primos efficiendos, quia novissimi efficiantur ex primis.

5. *Pater familias. Vinea. Denarius. Forum.* —*Simile est regnum cœlorum homini patri familias, qui exivit primo mane conducere operarios*, et reliqua. (*Matth.* xx, 1.) Comparatio omnis per se absoluta est : sed personis distinguenda, et discernenda temporibus est. Patremfamilias hunc, Dominum nostrum Jesum Christum existimari necesse est : qui totius humani generis curam habens, omni tempore universos ad culturam legis vocaverit. Vineam vero, legis ipsius opus et obedientiam; denarium autem, obedientiæ ipsius præmium significari intelligimus. Et de denario jam superius (*a*) tractavimus. De vinea vero, opportunius in consequentibus rationem afferemus. Forum autem pro sæculo accipi res ipsa admonet, æquabiliter turbis hominum, calumniarum, injuriarumque contentionibus, et diversorum negotiorum difficultatibus semper tumultuosum.

6. *Quinque testamenta. Quando Christus in carne natus sit.* — In prima igitur hora, tempus constituti testamenti ad Noe ex matutini significatione **767** noscendum est, tertia autem hora ad Abraham, sexta ad Moysen, nona ad David et prophetas. Totidem enim testamenta humano generi constituta per singulos reperiuntur, (*b*) quotidem ad forum enumerantur egressus. In (*c*) undecima autem hora, corporei adventus Domini tempus ostendit; nam ex omni numero, qui spatio est præsentis sæculi constitutus, in eam rationem convenit ortus ejus ex Maria, in quam undecimæ horæ tempus ex die est. Divisione enim per quingentenum numerum facta, in omni sex millium annorum summa, tempus corporei ortus ejus (*d*) undecimo divisionis totius calculo supputatur.

7. *Judæi gentibus invident gratiam.* — Et quidem diversus ad undecimæ horæ operarios sermo est. Primis enim, sed et cæteris dictum est : *Ite ad vineam* (*Ibid.*, 4) : merces tamen denarii cum primo constituta est; nam cæteris, justæ solutionis promissa spes est, novissimis vero dicitur : *Quid hic statis* (*Ibid.*, 6)? quia quamvis ad Israel lata lex fuerat, voluntas tamen gentium non excludebatur a lege. Qui responderunt : *Nemo nos conduxit* (*v.* 7). Debitum namque erat per orbem terrarum Evangelium prædicari, et gentes fidei justificatione salvari. Hi igitur mittuntur ad vineam. Et cum sero esse cœpisset, donum constitutæ in totius diei labore mercedis, primi operarii (*e*) horæ vesperis consequuntur (*v.* 8). Merces quidem ex dono nulla est, quia debetur ex opere; sed gratuitam gratiam Deus omnibus (*f*) ex fidei justificatione donavit : verum secundum insolentiam populi jam sub Moyse contumacis, hinc murmur operantium est, hinc gratuitæ mercedis invidia est, quod sine longi laboris difficultate, et sub æstus nomine non longo in eos diabolici instinctus calore flagrante, idem præmium redhibeatur operantibus. Sed ideo quod apud homines impossibile est, possibile est apud Deum : ut mercedem legis optime et inculpabiliter custoditæ, (*g*) donum gratiæ per fidem credentibus primis ex novissimis largiatur.

8. *Et adscendens Jesus Jerosolymam assumpsit duodecim discipulos, et ait illis* (*h*) *: Ecce ascendimus Jerosolymam*, et reliqua (*Ibid.*, 17 *et* 18). Jam sine scandalo audituris apostolis sacramentum crucis Dominus exponit (denique nulla hunc sermonem mœs-

---

subsequenti verbo *judicabitis* male connecti, liquet ex subjectis.

(*a*) Tuta cap. 17, n. 12, ubi Hilarius denarium diserte exponit Evangelium, minus clare autem evangelicæ spei gloriam. At in psal. cxxix, n. 11, denarium hujus parabolæ haud obscure vocat *evangelicæ mercedis spem.*

(*b*) Editi, *quot ejusdem :* refragantibus mss.

(*c*) Bad., Er. et Lips. cum omnibus mss. *In duodecima :* rursumque inferius, *in quam duodecimæ horæ :* et post pauca, *ad duodecimæ horæ operarios :* quæ lectiones his locis an aliqua auctoritate apud Par. mutatæ sint, valde ambigimus. Hæc tamen mutatio confirmari potest ex tract. psal cxxix, ubi ad eamdem parabolam respicitur, et in uno numero 11, quinquies memoratur hora *undecima*, numquam *duodecima.*

(*d*) In hoc uno loco editi cum scriptis consentientes exhibent *undecimo*, non *duodecimo*. Quod confirmare licet his Hieronymi in Michææ cap. iv, verbis : *In consummatione sæculorum Salvator noster apparuit: et in undecima hora ad conducendos operarios venit; et, completa illius passione Johannes dicit, Filii novissima hora est. Nam si in sex millibus annis quingenti anni per horas diei singulas dividantur ; novissima hora consequenter est tempus fidei gentium.* Ex quibus conficitur, Christi ortum circa annum mundi 5500. Contigisse. Sed jam monuimus, non ad litteram exigendum, quod de mundi hujus spatio, et perinde quod de annis ortus Christi hic scribitur. Quia porro Hilarius Scripturam spiritalibus sensibus fetam credebat, non in eo uno hæret, sed in psal. cxxix, n. 11, undecimæ horæ operarios intelligit eos, qui in extrema senectute salutem suam operari incipiunt.

(*e*) In vulgatis, *hora*. Rectius in mss. *horæ :* quod totum ita intelligendum, ut operarii horæ undecimæ mercedem iis, qui totam diem laborassent, condictam primi consequantur.

(*f*) Mss. Rom., Colb., Vatic., Carn., *fidei justificationem.*

(*g*) In iisdem mss. *dono gratiæ :* non male, si verbum *largiatur* ad Deum retuleris. Minus bene apud Par. ex ms. nunc Colb. subjicitur *primis et novissimis.*

(*h*) Sex mss. hic adjiciunt *secreto*, sacro textu consentiente.

titia consequitur) : confirmatis scilicet superiore sermone, per fidem crucis novissimos primos futuros; divitibus autem, id **768** est, confidentibus (*a*) legis in eamdem crucem scandalizantibus, invium iter regni cœlorum futurum.

9. *Zebedæi filiorum mater, lex; filii ejus, Judæi credentes.* — *Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis*, et reliqua (*Ibid.* 20). Non sine aliquo momento rerum ita effectum fuisse existimandum est, ut mater filiorum Zebedæi Dominum deprecaretur. Numquid et filiis petendi familiaritas non erat? Sed erat gestorum effectibus prophetandum. Apostoli quidem jam ex lege crediderant, quæ eos in fidem evangelicam nutriverat. Itaque in matre filiorum Zebedæi lex intelligitur quæ confidentia privilegii sui pro credentibus ex se populis deprecatur. Quæ quia superius audierat primos novissimos, et novissimos primos futuros; deferri filiis suis orat, ut in Domini regno unus ad dexteram ejus sedeat, alius ad sinistram (*Ibid.*, 21). Cui Dominus respondit, nescire eam quid oret (*Ibid.*, 22). Nihil quidem de gloria apostolorum ambigebatur, et judicaturos eos sermo superior exposuit. Denique in medio sermone an calicem suum possent bibere interrogat. Non utique de communis poculi genere loquebatur; neque enim labor est bibere de calice : sed ille de calice sacramenti passionis interrogat. At illi, qui jam martyrii libertatem constantiamque retinebant, bibituros se pollicentur. Dominus collaudans eorum fidem ait, martyrio quidem eos secum compati posse; sed (*b*) lævæ ejus ac dexteræ assidere, aliis a Deo patre fuisse dispositum (*Ibid.*, 23).

10. *Qui destinati sint, ut Christo in regno assidant.* Et quidem, quantum arbitramur, ita honor iste aliis est reservatus, quod tamen nec apostoli ab eo erunt alieni : (*c*) qui in duodecim patriarcharum sede considentes, Israelem judicabunt. Et quantum sentire ex ipsis Evangeliis licet, in regno cœlorum Moyses et Elias assidebunt. Nam cum spopondisset Dominus, visuros quosdam de apostolis, antequam mortem gustarent, filium hominis venientem in regno suo; assumptis Petro et Jacobo et Johanne, apparuit **769** cum gloriæ suæ habitu, Moyse et Elia in monte comitantibus (*Matth.* XVI, 28). Et hos quidem eosdem prophetas duos prævenientes adventum ejus esse intelligimus, quos Apocalypsis Johannis (XI, 7) ab antichristo perimendos esse dicit : licet variæ vel de Enoch, vel de Jeremia, plurimorum exstiterint opiniones, quod alterum eorum sicut Eliam mori oporteat. Sed non possumus veritatis fidem, quam Dominus tribus superioribus testibus revelavit, sensus nostri opinione corrumpere : neque aliqs venturos existimare, quam qui ad sponsionem fidei venisse conspecti sunt. Et quamquam ultra evangelicam veritatem non necesse sit opinari : tamen si quis conditionem et mortis (*d*) et sepulturæ et sepulcri Moysi diligenter adverterit, et secretarum Scripturarum, secundum Apostoli auctoritatem, cognitionem adeptus sit; intelliget omnia ita esse tractata, ut Moyses potuerit jam videri. Et hæc quidem instruendi causa sint dicta.

11. *Vocationes duæ ex Judæis; his apostoli optant gloriæ suæ consortium.* — Cæterum ut ratio spiritalis intelligentiæ plena esset, pro duobus Dominum omnibus sanctis soli Moyses et Elias cum Christo transfigurato adstiterunt, respondet primo hoc ita factum ut doceret Christus legis, cujus Moyses erat lator, nec non prophetarum, quorum typum gerebat Elias, testimoniis Israelem esse judicandum. Tum alteram facti ejusdem rationem reddit, nimirum *ut et humanis corporibus decreta esse resurrectionis gloria doceretur, cum quando Moyses conspicabilis adstitisset* Quid, quæso, Moyses conspectus ad resurrectionis veritatem demonstrandam prodest, nisi mors ipsius tamquam res nota et comperta ponatur? cur in hac altera ratione solum Hilarius Moysen, non Eliam memorat, cum utroque pariter quæstionem instituisset, nisi quia hunc translatum, illum autem vere mortuum crederet? Neque vero hic illius aut mortem aut sepulturam negat, sed *mortis et sepulturæ conditionem* singulari consideratione dignam observat : eaque ita in Scripturis tractata, quasi nos præparare voluissent, ut eum jam videri potuisse crederemus. Ex eo autem quod Moysen unum opinatur ex duobus testibus esse, quos Johannes ab antichristo perimendos dicit; non sequitur illum Moysi mortem negasse, sed tantum eam illi resurrectionem nondum indultam, quæ morti amplius obnoxia non esset. Quod etiam de Jeremia senserint necesse est, qui illum ex illis testibus alterum esse volunt. Nemo enim est, qui de illius morte umquam dubitavit. Denique his verbis, *licet variæ vel de Enoch vel de Jeremia plurimorum exstiterint opiniones, quod alterum eorum sicut Eliam mori oporteat;* satis indicat se solos Enoch et Eliam a nobis sine morte translatos existimasse.

(*a*) Sola editio Par. *legi*. Aliquot mss. *in lege*. Tum Colb. et Carn. *esse scandalizantibus*. Ex *esse* quis conficiendum putaret *sese*, nisi verbum *scandalizantibus*, et si active sonans, passive tamen ab Hilario intellectum constaret vel ex hoc capitis 30, n. 3 : *Petrus pro fidei suæ calore respondit, cæteris licet scandalizantibus, numquam se scandalizaturum.* Solemnis autem ei est idem hujus verbi usus.

(*b*) Par. cum tribus mss., *ut lævæ ejus ac dexteræ assiderent.*

(*c*) In mss. Rom., Colb. et Car. *quin duodecim* : ac deinde *considet et*, pro *considentes.*

(*d*) Vocabulum *sepulturæ* hic adjecimus auctoritate quatuor mss. Dubitant nonnulli propter hunc locum an Hilarius Moysen vere mortuum crediderit. Indubitanter Scultetus inter illius nævos ponit : *Moysen mortuum negat contra ipsissima Scripturæ verba.* Legislatoris ejusdem mortem disertioribus verbis negasse videtur Ambrosius, lib. I de Cain et Abel, c. 2, n. 8. ubi ait : *Non legimus de eo, sicut de cæteris quia deficiens mortuus est, sed, per verbum Dei mortuus est.... Unde et addidit Scriptura, quia nemo scit sepulturam ejus usque in hodiernum diem, ut translationem magis, quam interitum ejus intelligas.... Mortuus igitur est per verbum Dei, ut ait Scriptura, non secundum verbum.... Quis enim in terrenis reliquias ejus potuit deprehendere, quem secum esse Dei filius in Evangelio demonstravit?* Ubi in novissima Ambrosii editione animadversum est, illum Philonis sententiam exprimere voluisse, quem de Moysi morte sensu spiritali disseruisse constat, de litterali minus sollicitum. Longe facilius a prædicta opinione purgatur Hilarius ex dictis capitis 17, n. 2, ubi cum quæsisset, cur ex

ter oravit. Duæ enim sunt vocationes ex Israel : una discipulorum Joannis, (*a*) altera per apostolos pharisæorum. Namque post passionem Joannis superius legimus discipulos ejus ad Dominum transisse. Ideo igitur pro duobus oratur, quia Evangelio Christi hæ vocationes geminæ crediderunt. Post hæc igitur decem discipuli contristati sunt de fratribus duobus : verum ipsorum duorum discipulorum nulla mœstitia est. Hoc ratio non patitur, ut alterius (*b*) contumelia alius fiat mœstus. Certe etiam pro se decem mœsti esse potuissent; sub duorum enim nominibus negatum hoc omnibus videbatur; sed typicus ordo servatus est. Apostoli de se certi erant : ideo solum mœsti sunt de duobus, quia etiam his duabus vocationibus, quæ ex lege sunt, consortium gloriæ hujus optabant. Ita enim rationem et futuri et præsentis sermo moderatur, ut non de se neque decem, **770** neque duo solliciti scriberentur, et in decem sollicitudine de duobus, præsentis negotii efficientiæ obtemperaretur.

12. *Ad gloriam humilitate pervenitur.*—Volens igitur Dominus proprietatem nobis istius præfigurationis ostendere, atque (*c*) hanc præsumptionem eos, qui erant ex lege venturi, de prærogativa israelitici nominis velle præsumere; docet principatum ab his non modo gentium capessendum, sed ministros et servientes, et non quibus ministratum sit, ad gloriam honoris maximi advocandos (*Ibid.* 25) : exemplo scilicet patriarcharum et prophetarum qui servierint, exemplo etiam apostolorum qui ministraverint, exemplo etiam Domini qui animam suam pro redemptione nostræ salutis impenderit. Ad gloriam autem humilitatis istius, cœnæ eos (*d*) et convivii modo instruit (*Luc.* XIV, 8) : monens in locis eminentioribus accubari non oportere, ne forte eo adveniente qui clarior est, per dominum cœnæ occupato loco (*e*) cum decenti contumelia admonitus decedat. Porro autem si in humilibus accubuerit; advenientibus humilioribus, ad gloriam loci celsioris accedet. Atque ita non præsumere aliquid honoris decet, sed humilitatis operibus promereri.

13. *Cæci duo, gentes ex Cham et Japhet. Deum prædicant Christum.* — *Et egredientibus illis ab Jericho, secuta est eum turba multa : et ecce duo cæci sedentes super viam audierunt quod Jesus transit*, etc. (*Matth.* XX, 30). Superius per figuram duorum filiorum Zebedæi, de Israelitico populo tractatum est, qui ex semine Sem erat ortus. Competenter igitur cæci duo viam (*f*) adsident : populi videlicet gentium duo ex Cham et Japhet procreati egressus et iter ejus observant, sibique cæcis visum reddi deprecantur. Denique eos turba objurgat cur clament, et ut sileant increpat : non quod silentium causa honoris exigerent, sed acerbe a cæcis audiunt quod negabant, Dominum esse David filium. Illuminatis enim cæcorum mentibus Deus in homine prædicabatur, ut verum esset quod a Domino dictum est : *In judicio mundi hujus veni, ut qui vident non videant, cæci vero respiciant* (*Joan.* IX, 39). *At illi magis clamant* : et demorante legis populo, vehementiorem fidei suæ protestantur calorem. Sed Dominus miseretur, et quid volunt requirit. Illi vero aperiri oculos suos precantur. Quibus misertus oculos contigit, et visum cognoscendi Dei reddidit (*Matth.* XX, 34). Atque ut typus crediturarum gentium expleretur, cœlestis gratiæ cognitione percepta, qui cæci fuerant, videntes Dominum suum sunt secuti.

771 CAPUT XXI.

De asina et pullo ejus, de ejectis a templo nummulariis, de ficu maledicta, de duobus filiis ad vineam missis, de publicanis et meretricibus.

1. *Superiori cap. duæ vocationes ex Israel, nunc totidem ex gentibus præsignantur.* — *Tunc Jesus misit duos ex discipulis suis dicens : Ite in castellum quod contra vos est*, etc. (*Matth.* XXI, 1 *et* 2). Duo discipuli ad vicum mittuntur, ut asinam ligatam cum pullo ejus absolvant, atque ad eum perducant : et si quis interroget cur ita fiat, respondeant Domino necessarios, ac statim (*g*) remittendos. Post superiorem sermonem, quo in duobus filiis Zebedæi duplicem ex Israel vocationem significatam meminimus, competenter nunc duo discipuli ad solvendam asinam et pullum destinantur : quia duplex erat ex gentibus plebis vocatio consecutura. Erant enim atque sunt Samaritæ, profecti quondam per secessionem ex lege, et sub quadam observantiæ suæ consuetudine servientes : erant etiam gentes indomitæ et feroces. Igitur duo mittuntur, ut solvant ligatos et obstrictos et erroris atque ignorantiæ vinculis præpeditos : et mittuntur extra Jerusalem; extra eam enim hæ duæ vocationes habebantur. Cæterum mater filiorum Zebedæi intra Jerusalem Dominum oravit : duabus enim vocationibus Israel vel per apostolos vel per Joannem ex lege salvatur. Verum (*h*) æque per nomine duarum vocationum gentis suæ perpessos sunt.

(*a*) Ita omnes mss. Editi vero, *altera apostolorum et pharisæorum :* cui lectioni repugnat quod post pauca subjicitur, *Apostoli de se certi erant; ideo solum mœsti sunt de duobus; quia etiam his duabus vocationibus quæ ex lege sunt, consortium gloriæ hujus optabant;* necnon hoc cap. 21, n. 1 : *Duabus enim vocationibus Israel vel per apostolos vel per Joannem ex lege salvatur.*

(*b*) Beccensis codex, *mœstitia :* prave. Non enim hic, quod diligenter advertendum, mœstos vult Hilarius apostolos, quod quædam privilegia sibi arrogaverint Zebedæi filii, sed quod postulata non impetraverint. Mœstos dicit ob contumeliam, qua duo ipsorum fratres affecti sunt per repulsam : neque ob repulsam quam illi in se et suo nomine, sed quam

(*c*) Hic supplendum, *volens ostendere.* Mox, *non modo gentium*, id est, non more gentium.

(*d*) Bad., *et communi modo;* Par., *et convicii modo :* mendose. Hanc autem parabolam, quam apud Lucam dumtaxat legere est, hic forte Hilarius in suo exemplari subnexam habuerit.

(*e*) Apud Par. *concedenti.* In aliis edit. *concedendi.* In sex mss. *cœnandi.* Ex cæteris restituimus *cum decenti.*

(*f*) Editi, *obsident :* renitentibus mss.

(*g*) Sic mss. hic et infra. At editi inferius, *emittendos*, quod etiam hic habet Par.

(*h*) In vulgatis, *adæque.* Retinemus cum mss. Rom.,

Philippum Samaria credidit (*Act.* VIII, 5); per Petrum autem Cornelius Christo tamquam primitiæ gentium adductus est (*Act.* X, 5). Quod autem instruuntur, ut quærenti respondeant Domino necessarios et mox remittendos, id est, eos ipsos genti suæ prædicatores fidei evangelicæ esse reddendos. Impleta igitur est prophetia, quæ invectum asina et pullo novo Dominum venturum in Jerusalem nuntiabat (*Zach.* IX, 9). Sed gestorum effectibus prophetatur. Asina namque, quæ de vico solvitur, atque exhibetur, Samaria videlicet alieno et peregrino obsessa dominatu, per apostolos solvitur, et Domino suo redditur. Pullum vero idem Dominus adscendit, novellum, contumacem, durum : atque hæc omnia gentilis ignorantiæ vitia (*a*) dominantur, et tot animarum ferocitates (*b*) vectio Deo factæ sunt.

2. *Vestimenta Domino a patriarchis et prophetis qui substrata. Rami ab apostolis excisi, quid.* — Omnis autem hæc species futuri ordinem tenet : et parabolicis significationibus, rerumque præsentium conditionibus, futuris forma præmittitur. (*c*) Erit enim Dominus in claritatis 772 suæ adventu gentes possidens : earumque mentibus tamquam (*d*) vector insidens, toto comitatus sui agmine prædicabitur, patriarcharum, prophetarum atque apostolorum. Nam gloriam suam in vestimentis patriarchæ Domino substernunt : eorum enim et generationibus et nominibus et insectationibus est Dominus prophetatus. Eique (*e*) omni dignitatis suæ ornatu concedentes, seque sedili ejus substernentes, docent omnem gloriam suam præparationi dominici adventus fuisse substratam (*Ibid.* 8). Illic etiam Prophetæ vestimenta sua incedentis itineri substernunt; hanc enim viam gentium (*f*) vecturarum Deum prædicaverunt : quique sæculi amore postposito, mortibus se et lapidationibus offerendo, ipsis se quodam modo corporibus exuerunt, ad ingressum viæ talis oblatis. Apostoli quoque excisarum arborum ramos post vestimenta substernunt : sed nulla in hoc est humani officii reverentia. Rami enim incedentem impedirent, et implicitum iter facerent properantis ingressui : verum explicatur omnis ratio prophetiæ, et futuri forma servatur. Igitur infructuosarum gentium rami, id est infidelium quondam gentium fructus, per apostolos itineri Domini substernuntur, et Salvatoris justificantur ingressu : et per eos incedit, et gratissimum fit incedenti Deo ex ramis infecundæ radicis officium.

3. *Populi in Christum compugnantes affectus.* — *Turba autem et præcedens et consequens clamabat : Hosanna* (*g*) *fili David, benedictus qui venit in nomine Domini* (*Ibid.* 9). Sed crucifigendum quomodo turba collaudat, aut quomodo odium meruit ex favore? Verum laudationis verba, redemptionis in eo exprimunt potestatem. Nam *hosanna* hebraico sermone significatur redemptio domus David. Deinde David filium nuncupant, in quo agnoscerent regni æterni hæreditatem. Postremo benedictum qui venit in nomine Domini confitentur. Atquin acclamandum ab his erat crucifige blasphemum. Sed peragunt formam futuri gesta præsentia ; et compugnantibus licet eorum inter quos hæc gerebantur affectibus, quamvis mox diversa essent consecutura, rerum tamen cœlestium fidem etiam invitorum meditatur operatio. Commoyetur deinde Jerosolyma; rerum enim novitas motum attonitis afferebat.

4. *Vendentes columbas, hoc est, Spiritus sancti dona, de templo ejiciuntur.* — Templum vero introiit, id est, ecclesiam traditæ a se prædicationis (*h*) ingressu (*Ibid.* 12). A qua primum omnia sacerdotalis ministerii vitia jure potestatis expellit : reddenda enim ab omnibus 773 gratuita tradiderat, quæ gratuita fuerant consecuti (*Matth.*, X, 8) : quia neque emi aliquid per corruptelam sacerdotis aut vendi, libertas doni debebat admittere. Cathedras autem, præcipue vendentium columbas, evertit. Quæ porro dignitas est in nundinis columbarum? aut quod privilegium in avium istarum commerciis reservatum est, ut vendentes eas honorem sibi arrogent cathedrarum? Sed in omni loco (*i*) admonemus, altius verborum virtutes in istius modi significationibus contuendas. In columba, secundum prophetiæ exempla, sanctum Spiritum intelligimus : in cathedra, sacerdotii sedes est. Ergo eorum, qui sancti Spiritus donum venale habent, cathedras evertit, quibus ministerium a Deo commissum negotiatio est; admo-

Colb., Vatic. et Carn. *æque*, licet hujus adverbii loco maxime arrideat *extra eam*, quod in sex mss. habetur ; sed hæc lectio suppositionis magis est suspecta, quam altera. Utraque tamen potest simul retineri in hunc modum : *Verum æque extra eam per Philippum*, etc.

(*a*) Editi *vitia edomantur*, vel *domantur* : quod secundis curis habet ms. Turon. In Colb. et Carn., *vitiis edomantur*. In cæteris, *vitia dominantur*, scil. *gentilis ignorantiæ*.

(*b*) Sic magno consensu mss. Editi vero, *vecto Deo fractæ sunt*.

(*c*) Par. cum quatuor mss. *Aderit enim*.

(*d*) Apud Bad., Er. et Lips. *victor*. Verius mss. cum Par. *vector*, vel *advector*, quod passive intelligendum, ut supra cap. 7, n. 9. Sic et Ambrosius, lib. IX, in Luc. n. 9 : *Felices illos, qui talem internis venibus recepere vectorem*. Qua etiam ratione verbum hoc Tullio aliisque est usitatum.

(*e*) Quidam mss. cum Par., *omnes*. At hæc sola editio deinde habet, *dignitatis suæ ornatus*.

(*f*) Prima editio Par., *vecturam Dominum*. Postrema post Er. et Lips. *vecturatum Dominum* : emendantur ex Bad. et mss.

(*g*) In septem mss. *filio David*. Verbi *hosanna* interpretationem, quam, uti plura alia, ex Hilario expressit Ambrosius in Luc. lib. IX, n. 15, non probat Hieronymus initio epist. CXLV, quam videsis.

(*h*) Sic mss. plerique. At editi, *ingressus*, vel, *est ingressus*.

(*i*) Ita codex Carn. cum Colb. Alii vero *admonemur*. Ad Hilarii imitationem Ambrosius, lib. IX in Luc., n. 19 : *Cathedras autem vendentium columbas, cur everterit, secundum litteram non intelligo : neque enim nundinatores avium vindicare sibi poterant alicujus in nundinis solii dignitatem*, etc.

nitionis ejus commemorans auctoritatem, quæ in propheta teneatur. Nam scriptum est : *Domus mea domus orationis vocabitur ; vos autem fecistis illam speluncam latronum* (*Esai.* LVI, 7 ; *Matth.* XXI, 13). Sed neque emere Judæos in Synagoga, neque vendere Spiritum sanctum posse existimandum est. Non enim habebant ut (*a*) venire possent, neque erat quod emere quis posset : sed præfiguratio futurorum dictis præsentibus continetur, Ecclesiæ vitia in ipso adventu dominicæ claritatis esse purganda.

5. Infirmitates quoque cæcorum et claudorum curavit in templo (*Ibid.* 14) : et publicas ejus operationes favor populi consecutus est. Invident autem pueroruin clamoribus principes sacerdotum, eumque admonent cur ista audiat (*Ibid.* 15) ; in redemptionem enim venisse domus David prædicabatur. Quibus respondit, non legisse eos : *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem* (*Ibid.* 16 ; *Psal.* VIII, 3) : cessantibus enim prudentum judiciis, hanc sibi a pueris atque infantibus, quorum sit regnum cœlorum, confessionis gloriam præparatam ; quia prudentes et principes sæculi sapientiam Dei reprobaverint, Christum autem (*b*) regenerationis parvuli lactentesque sint prædicaturi : *Et his dictis civitatem egressus reliquit eos, atque in Bethania mansit* (*Ibid.* 17). Infidelem videlicet Synagogam deserens in Ecclesia gentium demoratur.

6. *Ficus fructu non foliis carens. Synagoga.* — *Mane autem transiens in civitatem, esuriit : et videns arborem fici unam secus viam, venit ad eam*, et reliqua (*Ibid.* 18, 19). Idem (*c*) etiamnum rerum cœlestium ordo præmittitur. Nam in ficu Synagogæ positum exemplum est. Dato enim pœnitentiæ spatio, eo videlicet tempore quod inter passionem et reditum claritatis est medium, veniet esuriens plebis hujus salutem, et inveniet infecundam, foliis tantummodo vestitam, **774** id est, verbis inanibus gloriantem, sed fructibus vacuam, operibus quippe bonis sterilem, et exspectatis proventibus nudam. Et quia pœnitendi tempus excesserit, in perpetuum sententia judicii cœlestis arescet. Et in eo quidem bonitatis dominicæ argumentum reperiemus (*d*). Nam ubi afferre voluit procuratæ per se salutis exemplum, virtutis suæ potestatem in humanis corporibus exercuit, spem futurorum et animæ salutem curis præsentium ægritudinum commendans. Nunc vero ubi (*e*) in contumaces formam severitatis constituebat, futuri speciem damno arboris indicavit, ut infidelitatis periculum sine detrimento eorum, in quorum redemptionem venerat, doceretur.

7. *Sterilitati damnatio est æterna. Fidei jus.*—Admirantur vero discipuli arborem in momento dicti ipsius aruisse (*Ibid.* 20) : quia præsentis facti efficacia futuri imaginem præferebat. Cum enim in regno cœlesti advenerit, in tempore ipso adventus ejus infidelitatis Judaicæ sterilitatem æternæ damnationis sententia consequetur. Quos (*discipulos*) Dominus, si fidem habuerint non solum hæc, sed et majora horum eos posse confirmat. Illi quidem judicaturi erant Israel, secundum antecedentes sponsiones : sed etiam jus omne in diabolum, quem montem nuncupat, essent consecuturi. Ait enim ita : *Si fidem habueritis, non solum de ficulnea facietis, sed et si monti huic dixeritis : Tolle et jacta te in mari, fiet* (*Ibid.* 21). O ingens fidei præmium, cujus merito in tantum potestas credentium extollitur, ut judicaturi universos, pari severitatis sententia in damnationem sæculi diaboli celsitudinem molemque demergant !

8. *Synagoga qua ratione ficui comparetur.* — Contuendum autem est, qua ratione Synagoga ficus arbori comparetur. Hæc namque arbor dissimiliter a cæterarum arborum et natura et conditione florescit. Nam flos ei primus in pomis est, sed non in his (*pomis*), quæ maturitatem ut emerserint consequantur. Grossa enim hæc et communis usus et prophetica auctoritas nuncupavit. Verum postea internæ fecunditatis virtute exuberante, ejusdem speciei atque formæ poma prorumpunt, quibus prorumpentibus ista truduntur, et dissolutis quibus continebantur radicibus decidunt, aliaque illa exeuntia usque ad maturitatem fructuum provehuntur. Sed de superioribus illis si quando inciderit, ut in sinu virgularum ex ramulo eodem prodeuntium emerserint ; manent semper, et non sicut grossa cætera decidunt, sed hærent sola tantum, pomaque cætera maturitate præveniunt. Et hos pulcherrimos fructus arbor illa ex se dabit, qui cum grossis cæteris promergentes, de medio utrarumque virgularum claviculo proferentur. Igitur ex conditione arboris propria et competens Synagogæ similitudo proposita est.

9. *Apostoli primi ex Synagoga fructus. Aliorum infidelitas in Adam et Eva præsignata.* — Primos enim populi fructus, quos ab exordio protulerat, grossorum amisit exemplo : **775** quia plebem ejus inutilem, fidelis et pertinax et usque ad consummationem temporum manens populus gentium protrusit. Verumtamen credentes primi ex Israel Apostoli, et inter Legem et Evangelia grossorum modo inhærentes cæteros resurrectionis gloria et tempore anteibunt. Et quidem jam in exordio Genesis (III, 7), in hujus rei formam, pudorem suum Adam atque Eva hujus arboris foliis texerunt, cum se ipsos ad adventum Domini vocantis occulerent : quia Synagoga infidelis, et legis mandata transgrediens, impudentiæ suæ fœ-

(*a*) Sic Bad. cum sincerioribus mss. In aliis edit. *vendere possent*. In aliis mss. *venire posset*. In utrisque hæc mutatio minime facta esset, si cap. 10, n. 18, observatum fuisset, verbo *veneo* apud Hilarium inesse vim activam. Judæis autem non fuisse Spiritum sanctum hic dicitur juxta Joannem, VII, 30.

(*b*) In sex mss. *generationes parvulæ lactentesque sint prædicaturæ* : minus bene. Quid sibi velit *regenerationis* vocabulum, explicatur, cap. 20, n. 4.

(*c*) Sic. Bad., Er. et Lips. Mendose in mss. Colb. et Carn., *etiam numerorum cœlestium*. Pessime autem in plerisque aliis. *etiam numerus cœlestium ordinum*. Nec melius apud Par., *etiam munerum cœlestium ordo*.

(*d*) Bonitatis Dei argumentum fusius pertractatum videsis in Psal. CXLIV, n. 9.

(*e*) Par. *ubi in contumacis formam severitatis constituebat, futuræ speciem damno arboris judicavit* : depravate.

ditates, et turpitudinum confusionem infructuosis esset verborum velamentis tamquam ficus foliis contectura. Atque hæc quidem de natura arboris hujus interjecta sunt, ut comparationis proprietas intelligi posset. Reliquus itaque gestorum ordo est contuendus.

10. *Pharisæorum de Joannis baptismo responsum qui verum.* — Pharisæi multa exinde viderant (*a*) ingentibus magis digna miraculis: sed nunc maxime solliciti sunt, et interrogant, in qua hæc faciat potestate (*Matth.*, XXI, 23). Res enim, sub præsentium gestorum effectibus, ingens futurorum complectebatur arcanum. Atque idcirco ex eo specialiter interrogandi reperitur instinctus, sub quo totius periculi præformatio proferebatur. Dominus respondet dicturum esse se in qua hæc faceret potestate, si modo illi interroganti sibi respondissent, Joannis baptisma utrum de cœlo, aut ex hominibus putarent esse (*Ibid.* 24). At illi responsionis suæ periculo cunctantur, cogitantes, si de cœlo professi essent, confessione sua se reos deprehendendos, cur cœlestis testimonii auctoritati non credidissent : si ex hominibus dixissent, turbas verebantur, plures enim prophetam Joannem habebant (*Ibid.* 26). Responderunt itaque, nescire se (*Ibid.* 27). Non utique de cœlo nesciebant, cum convinci veritate professionis suæ metuunt. Sed verum de se etiam cum fallendi voluntate dixerunt. Per infidelitatem enim suam de cœlo esse Joannis baptisma nescierunt. Quod autem ex hominibus esset, idcirco non potuerunt scire, quia non erat.

11. *Difficultas prima, quis filius senior, quis junior.* — *Homo quidam habebat duos filios,* et reliqua (*Ibid.* 28). Multa et gravia sunt, quæ confundere intelligentiam possunt, nisi prioris et posterioris sensus ordinem tenuerimus. Quis enim hic existimari poterit filius senior, qui iturum se ad opus negaverit, et per pœnitentiam emendatus eo rursum profectus sit? Atquin Israel non pœnituit, sed in Dominum manus intulit, et universitas ejus Deum suum impio ore crucifixit. Juniorem autem quem sentiemus, qui iturum se spoponderit, et non abierit? Sed gentium peccatorumque plebs id quod spopondit effecit. Abiit enim, et ad opus ad quod vocabatur egressa est: quomodo ergo (*b*) ea esse quæ non abiit, sentietur?

12. *Difficultas altera, qui junior obediens.* — Deinde ipsa Pharisæorum responsio quid momenti habeat, quærendum est. Dicunt voluntati **776** (*c*) juniorem obedisse. Hoc rerum ratio non patitur, ut simulata professio meritum perfectæ veritatis obtineat; ut plus sit fefellisse spondentem, quam perfecisse omnia non pollicentem. Quis autem non malit negari sibi id quod poscat, dummodo id quod poposcerit fiat, quam non fieri quod spondeatur ut fiat; cum facti effectus ex desperatione sit gratior, spes autem destituta plus doleat? Nisi forte poscentium voluntas sola sibi adulatione spondentium blandiatur.

13. *Filius prior, qui ex Pharisæis crediderunt.* — Recordandum igitur est, propositionem comparationis istius ex eo sermone descendere, qui initus sit de Joanne, ut infidelitatis cunctationem, (*d*) et ex ea silentii necessitatem istiusmodi positum objurgaret exemplum. Sed sicut in cæteris admonuimus, hic quoque meminisse nos oportet, rationi rerum præsentium aliquid interdum ea conditione deesse, ut futurorum species sine damno aliquo (*e*) præfiguratæ efficientiæ expleatur. Primus est filius, populus ex Pharisæis in præsens a Deo per Joannis prophetiam ut præceptis suis obtemperaret admonitus. Hic insolens et inobediens et dictis præsentibus contumax fuit, habens in lege fiduciam, et pœnitentiam peccatorum gloria prærogativæ ex Abraham nobilitatis adspernans : qui deinceps operum miraculis post Domini resurrectionem pœnitens sub apostolis credidit, facti fide ad voluntatem evangelicæ operationis regressus, anterioris insolentiæ culpam pœnitendo confessus est.

14. *Filius junior, publicani et peccatores.* — Filius autem minor, plebs est publicanorum et peccatorum, ipsa peccati in qua tum demorabatur conditione posterior, cui præceptum sit per Joannem ut a Christo exspectaret salutem, (*f*) et ab eo baptizata crediderit. Sed quod ait, spopondisse eam ituram se, et non isse; ostendit credidisse eam quidem Joanni, sed quia evangelicam accipere doctrinam non nisi post passionem Domini per apostolos potuit (tum enim erant humanæ salutis sacramenta peragenda); non isse eam significat. Denique non ait noluisse, sed non abisse. Res extra culpam infidelitatis est, quia in facti erat difficultate ne fieret. Non igitur ire statim ad opus quod præceptum est noluit; sed quia **777** ire (*g*) non poterat, non iit. In eo enim necessitatis mora sine crimine voluntatis ostenditur.

(*a*) Verbum hoc ab Erasmo in duo divisum, puta *in gentibus*, sic deinceps obtinuit, ac præterea apud Par. *miraculo* pro *miraculis* substitutum est. Observare est *miraculum* Hilario usitatum esse pro actu admirandi, et contra *admirationem* pro re mirabili.

(*b*) Aliquot mss. *ea isse, quæ non abiit :* ex quibus Par., *eo isse, quo non abiit.* Castigantur ex Bad., Er., Lips. et potioribus mss.

(*c*) Pharisæos hoc de seniore responsum dedisse nunc legimus. At non Hilarii modo, sed et Hieronymi temporibus vulgata erat lectio, eos juniori seu novissimo obedientiæ palmam dedisse. Illam tamen ita recipit Hieronymus, eique interpretationem accommodatam subjicit, ut et admoneat, *in veris exemplaribus non haberi novissimum, sed primum.*

(*d*) Par. expuncta particula *et*, cum aliis editis subjiciebat, *ex ea silentii necessitate.* Rectius in mss. *necessitatem*, puta silendi unde Joannis esset baptisma.

(*e*) Carnut. ms. cum Colb. *præfigurata efficientia.* Mallemus *præfigurantis efficientiæ.*

(*f*) Post particulam *et* reticetur *quæ :* tum *ab eo* ad Joannem, non ad Christum refertur. Quocirca non recipiendum quod in ms. Vindocin. ut in Turon. a prima manu, *et ab eo baptizata, crederet.*

(*g*) Bad. cum mss. Colb. et Carn., *iri non poterat.* Totus ille locus, ne cui errandi occasio sit, nonnihil est expendendus. Non enim hic negat Hilarius potestatem absolutam, sed ex conditione, qua Deus decreverat, ut fides gentibus non prædicaretur nisi post passionem Domini. Quo spectat illud Pauli, *Quomodo*

15. *Hi quomodo obedientes.* — Et in responsione quidem Pharisæorum quædam est necessitas prophetiæ. Nam inviti licet, confitentur quis obsecutus sit voluntati, junior scilicet filius, obediens professione, licet non efficiens in tempore; quia fides sola justificat. Atque ideo publicani et meretrices in regno erunt priores (*Ibid.* 5), quia Joanni crediderint, et in remissionem peccatorum baptizati (*a*) in adventum Christi confessi sint, curationum opera laudaverint, sacramentum passionis acceperint, virtutem resurrectionis agnoverint. Principes autem sacerdotum et Pharisæi videntes hæc (*b*), et contemnentes, qui justificati per fidem non erant, nec per pœnitentiam regressi sunt ad salutem : atque ideo in perpetuum fructus eorum sub maledictione ea, quæ in arbore ficu præformabatur, arescit.

A

CAPUT XXII.

De vinitoribus qui missos ad se ob repetendos fructus interficiunt, de invitatis promiscuis et veste nuptiali.

1. *Paterfamilias Deus. Vinea, Israelitæ. Torcularia, prophetæ. — Aliam parabolam audite. Homo erat paterfamilias, et plantavit vineam, et sepem circumdedit ei, et fodit in ea torcular, et turrem ædificavit,* et reliqua (*Ibid.* 33). Quæstio omnis in absoluto est. Nam etiam ipsi principes sacerdotum et Pharisæi de se dici hæc intelligentes, in iram accensi sunt. Sed personarum proprietas, et rerum comparationes sunt proferendæ. Patremfamilias hic patrem Deum intelligimus, qui populum Israel in proventus optimorum fructuum plantaverit, quique eos sanctificatione paterni nominis, id est, nobilitate Abrahæ et Isaac et Jacob intra fines suos, tamquam septo aliquo custodiæ peculiaris, incluserit; prophetas quoque quædam quasi torcularia aptaverit, in quos (*c*) musti modo quædam ubertas sancti Spiritus ferventis **778** influeret : in turri autem eminentiam legis exstruxerit, quæ et in cœlum ex solo egressa proveheret, et ex qua Christi speculari posset adventus. In colonis vero, principum sacerdotum et Pharisæorum est species, quibus in plebem potestas est (*d*) permissa doctrinæ.

B

2. *Servi missi. Filius occisus. Sceleris spes. Patrisfamilias reditus. Lapis angularis.* — In servis vero, qui missi sunt ut fructus perciperent (ỳ 34), varius et sæpe repetitus progressus est prophetarum. Missi autem rursum plures prioribus (ỳ 36), tempus illud est, quo post singulorum prædicationem, plurimus in unum prophetantium numerus emissus est; qui variis temporibus verberati et lapidati et occisi sunt, fructus institutæ plebis edoctæque repetentes. In filio vero ad ultimum misso (ỳ 37), Domini nostri et adventus et passio est : qui extra Jerusalem, tamquam extra vineam, in sententiam damnationis abjectus est. Consilium vero colonorum et hæreditatis occiso hærede præsumptio (ỳ 38), spes inanis est gloriam legis, perempto Christo, posse retineri. In (*e*) patrisfamilias reditu (ỳ 40), tempore judicii gloria est in Filio paternæ majestatis assistens. In responsione autem ipsorum principum et pharisæorum, redditur dignius apostolis legis hæreditas. Sed hic filius lapis est ab ædificantibus improbatus, et in fastigium angularis erectus, et in oculis omnium mirabilis, et inter legem atque gentes lateris et ædificii utriusque conjunctio.

3. *Nuptiæ quid : cur a Patre factæ. — Simile est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo, et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias,* etc. (*Matth.* XXII, 2). Et hæc quidem parabola distinguenda temporibus est, et dignoscenda personis. Et de persona regis et filii absoluta intelligentia est. Fecisse autem patrem nuptias filio, et sic invitasse, nova ratio est. Nam nuptias facere, et auctoris et temporis est nuptiarum. Verum hic nuptiæ, vitæ cœlestis et in resurrectione suscipiendæ æternæ gloriæ sacramentum est. Merito igitur a Patre sunt factæ; quia æternitatis hujus societas, et novi corporis (*f*) desponsa conjunctio, jam perfecta habeba-

C

---

credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? etc. Ex hac Dei ordinatione proficiscitur illa quæ mox memoratur *necessitatis mora*, seu necessitas moræ ad credendum. Ea enim vocum inversio Hilario valde est familiaris. Sed et cum ait : *In facti erat difficultate ne fieret;* tantum indicat factum difficile, non quod omnino fieri non possit. Neque etiam movere debet illud, quod hæc proxime præcedit : *Res extra culpam infidelitatis.* Hac quippe sententia gentes, quæ Christi fidem nondum professæ erant, non excusat ab omni culpa, sed a culpa dumtaxat *infidelitatis*, ea nimirum, cui Christus asserit minime obnoxios futuros fuisse Judæos, si ipse non venisset. Illas vult *sine crimine voluntatis*, hoc est, ejus voluntatis, quæ prædicatæ sibi fidei pertinaciter resistit. Hoc enim apud Hilarium sonat *crimen voluntatis*, voluntatem in malo obstinatam, et quæ compertæ veritati nequaquam cedit. Juverit hæc Augustini verbis illustrare et confirmare. Sic autem habet epist. CXCXIV, n. 27 : *Secundum hanc excusationem inexcusabiles dicit Scriptura divina quoscumque scientes peccare convincit. Dei tamen justum judicium nec illis parcit qui non audierunt. Quicumque sine lege peccaverunt, sine lege peribunt... quia et ipsa ignorantia in eis, qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est, in eis autem qui non potuerunt, pœna peccati.* Aut certe Hilarius eatenus hic gentes excusat, quatenus Joanni jam crediderint, et ad credendum Christo professione et animi propensione paratæ sint.

D

(*a*) Sex mss. *in adventu*. Magis placeret *adventum* sine præpositione *in*. Commendantur gentes, quod post passionem Christi prædicatis divinis mysteriis, Unigeniti Dei adventum crediderint atque confessæ sint, miracula laudaverint, etc.

(*b*) Puta, virtutem resurrectionis, curationum opera. Tum in mss. Rom., Colb. et Carn., *et condemnantes, qui justificati non erant.* omissis vocabulis *per fidem.*

(*c*) In ms. Rom., *multimoda.* In Colb. et Carn., *multimode.*

(*d*) Male apud Par. *promissa.*

(*e*) Mss. hic magno consensu, *patrisfamiliæ.*

(*f*) Editio Par. cum aliquot mss., *desponsata.* Præferimus *desponsa* cum aliis edit. et mss. Ita in Psal. CXXXVII, n. 8, Christum ideo sponsum cognominari enarratur, quia Ecclesia ei per assumptionem corporis nostri *desponsa sit.* Tum in mss. Colb. et Carn., *conjunctione*, non *conjunctio.* Exinde prædicta editio sola, *jam perfecta habetur.* Non displiceret *habeatur*, si cum auctoritate liceret. Quamquam etiam infra

tur in Christo. Et in hoc quidem loco admonebimus A lendis hominibus plurimum artis habere soleat simulatio, quæ si nos vel secreto mentis alienæ, vel simplicitate judicii nostri fefellerit, tamen Deum latere non possit : ideo ingressus Deus felicis resurrectionis istius cœtum, et hominem accumbentem sine nuptiali veste conspiciens, interrogat quomodo sit ingressus (ỳ 11). Numquid invitandorum habitum designaverat? Deinde cum invitari quoscumque jussisset; quomodo unus omnibus poterat esse vestitus? Aut si certus ex consuetudine convivantium in nuptiis habitus esse soleret; et ab invitantibus ac ministris potuisset inhiberi. Sed quia malos intelligere non omnium est, et humana simplicitas difficile fraudulentiam simulatæ mentis intelligit; idcirco hunc malum et indignum cœtu nuptiali Deus solus invenit. B 780 Vestitus autem nuptialis est gloria Spiritus sancti, et candor habitus cœlestis : qui bonæ interrogationis confessione susceptus, usque in cœtum regni cœlorum immaculatus et integer reservetur. Hic itaque tollitur, et in exteriores tenebras mittitur, quia multi vocati sunt, et pauci electi (*Ibid.* 13 *et* 14). Non est igitur paucitas in invitatis, sed raritas in electis : quia in invitante sine exceptione publicæ bonitatis humanitas est; in invitatis vero de judicii merito probitatis electio est.

CAPUT XXIII.

De tributo et imagine Cæsaris, de eadem septem fratrum uxore, de mandatis maximis, de David filio.

1. *Tunc abierunt Pharisæi, et consilium fecerunt, ut eum caperent in verbo*, etc. (*Matth.* XXII, 16). Frequenter Pharisæi commoventur, et occasionem insimulandi eum habere ex præteritis non possunt : cadere enim vitium in gesta ejus et dicta non poterat. Sed de malitiæ affectu in omnem se inquisitionem reperiendæ accusationis extendunt. Namque a sæculi vitiis atque a superstitionibus humanarum religionum universos ad spem regni cœlestis vocabat. Igitur an violaret sæculi potestatem, de propositæ interrogationis conditione pertentant : an videlicet reddi tributum Cæsari oporteret (ỳ 17)? Qui interna cogitationum secreta cognoscens (Deus enim nihil non eorum quæ intra homines sunt absconsa speculatur), afferri sibi denarium jussit, et quæsivit cujus et inscriptio esset et forma (ỳ 18 et 19). Pharisæi

apostoli sunt : eorum enim erat proprium, commonefacere eos quos 779 invitaverant prophetæ. Qui vero iterum cum præceptorum conditione mittuntur, apostolici sunt (*a*) viri et successores apostolorum. Tauri autem saginati, gloriosa martyrum species est, qui confessioni Dei, tamquam hostia electa, sint immolati. Saginata vero (*supple*, hostia), sunt homines spirituales, tamquam cœlesti pane ad evolandum (*b*) aves pastæ, cæteros accepti cibi ubertate expleturæ. His enim omnibus jam paratis, et in numerum complacitæ Deo multitudinis collectis, regni cœlestis gloria tamquam nuptiæ nuntiantur.

5. *Quomodo excepti ac vindicandi.* — Sed eorum quoque admonitionem ita neglexerunt, ut aliqui eorum ambitione sæculi tamquam agro occuparentur : plures vero ob pecuniæ cupiditatem negotiatione detinerentur (*Ibid.* 5). Cæteri autem missos servos, quod in ipsis apostolis expletum est, affectos injuriis occiderunt (ỳ 6). Sed tam immanis facti scelus ultio digna consequitur. Missi exercitus cœlestes omnem C eorum congregationem judicio Dei urent, et flammis æterni ignis succendent (ỳ 7); quia contra (*c*) humanitatis affectum, homicidarum odiis sæverunt.

6. *Gentium vocatio. Vocatio bonos efficit quantum ex se est.* — Quoniam vero de judicii tempore et resurrectionis ista loquitur, sermonem eumdem ad congregationem gentium retulit. Indignis enim repertis his, qui primi invitati fuerant, jubet iri ad exitus viarum (ỳ 9). Dono enim gratiæ, vitæ anterioris crimina (*d*) omittuntur. Nam sæpissime viam tempus sæculi intelligendam monuimus. Atque ideo ad exitus viarum jubentur ire; quia omnibus retroacta donantur. Vocari deinde omnes sine aliqua exceptione ad nuptias jubet, (*e*) et mali simul cum bonis veniunt (ỳ 10). Vocatio quidem bonos efficere debue- D rat, quia sancta est, et ex optimo affectu invitantis profecta est : sed per vitium inemendatæ voluntatis discrimen est vocatorum.

7. *Non omnium est nosse malos.* — Et quia in fal-

cap. XXVII, n. 4, ubi res eadem rursum tractatur, legere est : *Erant enim ambo unum*, non; *sunt enim*. Quo ex loco magis liquet, sermonem hic esse de conjunctione, quam cum Deo habet caro Christi per indultam gloriam, neque hic speciari unitatem subsistentiæ quam homini suo dedit Verbum carnem assumens, sed unitatem gloriæ quam eidem homini suo impertivit post resurrectionis gloriam.

(*a*) In omnibus mss., *Apostolici sunt successores apostolorum*.

(*b*) Ita cum sex mss. Editi vero et aliquot mss. *aves paratæ*.

(*c*) Par. *humilitatis*.

(*d*) Ms. Rom., *amittuntur*. Plures alii cum editis, *remittuntur*. Præferimus cum sincerioribus *omittuntur*. Vim hujus verbi intelligere est ex tract. Ps. CXXXVII, n. 17, ubi legitur, *Opera manuum tuarum non omittas*.

(*e*) Plures mss. hic præposita particula *ut*, subjiciunt *veniant*. Non sunt probandi, cum non jusserit rex ut mali veniant, qui etiam ingressos repulit.

perfectam dicti cœlestis absolutionem! Ita omnia inter contemptum sæculi, et contumeliam lædendi Cæsaris temperavit, ut curis omnibus et officiis humanis devotas Deo mentes absolveret, (*a*) cum Cæsari, quæ ejus essent, redhibenda decernit. Si enim nihil ejus penes nos resederit, conditione reddendi ei quæ sua sunt non tenebimur. Porro autem si rebus illius (*b*) incubamus, si jure potestatis suæ utimur, et nos tamquam mercenarios alieni patrimonii procurationi subjicimus; extra querelam injuriæ est, **781** Cæsari redhiberi quod Cæsaris est, Deo autem quæ ejus sunt propria reddere nos oportere, corpus, animam, voluntatem. Ab eo enim hæc (*c*) profecta atque aucta retinemus: et proinde condignum est, ut ei se totum reddant, cui debere se recolunt et originem et profectum.

3. *In illa die accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem*, et reliqua (*Ibid.* 25). Sadducæi extra fidem resurrectionis sunt. Et quia eam Dominus prædicaret, calumniam divinis rebus (*d*) ex efficiendi voluntate proponunt, septem videlicet fratrum eamdem conjugem, cujusnam eorum in resurrectione futuram esse respondeat.

4. *Scripturæ auctoritas. In qua forma muliebris sexus resurgat.* — Atque ita quidem publica opinio accipit, de resurrectionis conditionibus nihil scripturis (*e*) prophetalibus contineri. Sed Dominus ait: *Erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei* (*Ibid.* 29). Ergo scriptum est; et cessare debet ambiguitas, quam auctoritas tanta condemnat. Hanc enim eamdem calumniam afferre plures solent, in quam formam muliebris sexus resurgat, et an rursum cum ipsis naturæ suæ et corporis officiis reformetur? Nos quidem temere locum hunc a cunctis ferme præteritum contingimus: sed admonemus id tantum Domino fuisse propositum, cujus uxor sit deputanda de septem; Dominum autem objurgasse, cur errarent nescientes Scripturas Deique virtutem, quia *non nubent neque nubentur* (℣ 30). Et quidem sufficerat adversus Sadducæos ita sentientes, opinionem corporeæ illecebræ recidisse, et officiis cessantibus inania hæc corporum (*f*) gaudia sustulisse: sed adjecit: *Erunt similes angelis Dei.* Quia igitur eas angelis similes sacramentum Scripturarum et divinæ virtutis (*g*) potestas futuras esse demonstrat; qualis in Scripturis auctoritas est de angelis opinandi, talem in resurrectione spei nostræ sensum oportet esse de feminis. Et hæc quidem de resurrectionis conditionibus propositæ reddidit quæstioni.

5. *Resurrectionis æternæ veritas ex Lege.* — De ipsa vero resurrectione adversum infidelitatem eorum ita locutus est: *Non legistis quod dictum est vobis a Deo dicente, Ego sum Deus Abrahæ, Deus Isaac, et Deus Jacob; non est Deus mortuorum, sed viventium* (*Ibid.* 31 et 32). Sermo enim hic ad Moysen sanctis istis patriarchis jam pridem quiescentibus exstiterat. Ergo quorum erat Deus, (*h*) hi Deum habebant. Nihil autem poterant habere, si non erant; quia in natura rei est, ut esse id necesse sit, cujus sit alterum. Atque ita Deum habere viventium est; **782** cum Deus æternitas sit, et non sit eorum quæ mortua sunt, habere id quod æternum est. Et quomodo esse illi futurique semper negabuntur, quorum se esse profiteatur æternitas?

6. *Pharisæi scientia legis elati. Officium Christi proprium.* — *Pharisæi autem audientes quod silentium imposuisset Sadducæis, congregati sunt adversus eum, et interrogavit eum unus ex his legis doctor*, et reliqua (*Ibid.* 34 et 35). Succedunt Sadducæis tentantibus Pharisæi. Et illis quidem congruenter fuerat de resurrectione responsum, ut in lege ipsa, ex qua erant profecti, contineri sperandæ resurrectionis fidem convincerentur. Pharisæi vero habere se scientiam legis gloriabantur, quæ ad futurorum speciem prælata, imaginem consecuturæ veritatis continebat. Quæruntur autem, quod mandatum esset potissimum in lege (℣ 36): non contuentes (*i*) meditationem

(*a*) In sex mss. *et*, loco *cum*, et postea *decerneret*, pro *decernit*: lectio non spernenda.

(*b*) Ita Lips. cum mss. Aliæ autem editiones, *incumbamus*.

(*c*) Apud Par. hic immissum est *recte*: nescio qua auctoritate.

(*d*) Id est, ex iis quæ sese efficere velle declaravit. Adversus hujusmodi calumniatores jam supra legimus: *In dictis Dei veritas est, et rerum creandarum efficientia omnis in verbo est. Ita nec quod spopondit* (de resurrectione) *ambiguum est, nec inefficax quod locutus est.*

(*e*) In prima editione Par., *Scripturis probabilibus*: male. Resurrectionis autem conditiones ex intelliguntur, de quibus mox, *Neque nubent*, etc. Qua de re Origenes ex editione Huetii p. 496: *Quonam in loco vel legis vel prophetarum discimus similes Angelis cœli futuros, qui resurgunt? Id enim in veteri Scriptura aperte non reperimus.* Hoc in illa *tropologice contineri* post pauca respondet.

(*f*) Mss. Rom. Colb. et Carnut. omittunt *gaudia*; ac deinde pro *sustulisse*, habent Colb. et Carn. *esse*, Rom. *negasse*.

(*g*) In vulg. *potestates futuras*: corrupte. Duplici ex capite probari putat Hilarius, feminas angelis similes post resurrectionem futuras, ex Scripturis scilicet, et ex divina virtute, qua præstare potest Deus, quidquid in Scripturis declaravit. Atque hic assentiri videtur Tertulliano lib. I de Cultu femin. c. 2, Origeni in Matth. ex edit. Huetii, p. 487, aliisque Patribus, qui propter eadem Christi verba feminas in muliebri sexu non resurrecturas existimarunt. Quam opinionem etiam Hieronymo exprobrat Ruffinus ex dictis ipsius lib. III in cap. V, Epist. ad Ephes. Ille tamen sese ab ea purgat Apolog. c. 6, et Epist. XXVII ad Eustoch. c. 11. Augustinus autem lib. II de Civ. Dei c. 17: *Corporibus*, inquit, *vitia detrahentur, natura servabitur.*

(*h*) Ab omnibus mss. abest *hi Deum habebant*. Sed in sex duntaxat antea habetur, *jam pridem fuerat quiescentibus. Exstiterant ergo.*

(*i*) Male apud Par. *meditationem legis*. Porro *meditari* apud Hilarium eamdem fere vim habet ac aliquid futurum præformare. Sic cap. 21, n. 3: *Rerum cœlestium fidem invitorum meditatur operatio.* Clarius cap. 24, n. 1: *In omnibus* (lex) *Christi meditabatur adventum*; et num. 5: *quia in lege meditationem ejus quæ in Christo est veritatis occultent.* In his ac similibus locis meditatio est res futura gestis præsentibus

legis in Christo fuisse perfectam. Et quidem insolentium ignorantiæ legis ipsius verbis responsum est: quæ responsio omnem in se veritatis est complexa doctrinam. Proprium enim Domini nostri Jesu Christi officium est, cognitionem Dei afferre, et intelligentiam nominis ejus potestatisque præstare (*V. lib.* II *de Trin. n.* 22). Missus enim venerat, et ex æternitate deductus, his quæ erant Deo placita perfungebatur. Respondit itaque primum esse mandatum: *Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua* (℣ 37). Non enim aliud ille efficiebat, quam quod lex continebat; quia præcepta legis, eorum quæ gesturus ipse erat, formam complectebantur. Admonet igitur cognitionis ejus, quam habere se gloriabantur in lege, Deum omnipotentem omni affectu mentis, cordis, animæ diligendum, ut admonitionem suam præmissa legis mandata firmarent.

7. *Proximi nomine Christus diligendus jubetur.* — Deinde adjecit: *Hoc est magnum et primum mandatum. Secundum vero simile huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum* (*Ibid.* 38 et 39). Sed mandatum sequens et simile significat idem esse et officii et meriti in utroque (*Sic cap.* 4, n. 7, idem pœnæ). Neque enim aut Dei sine Christo, aut Christi sine Deo potest utilis esse dilectio. Alterum igitur sine altero nullum ad salutem nostram affert profectum. Et ideo *in his duobus mandatis tota lex pendet et prophetæ* (℣ 40); quia lex et prophetia omnis Christi deputabatur adventui, et adventus ejus per supplementum eorum cognoscendi Dei intelligentiam præstabat. Nam de proximo frequenter admonuimus, non alium intelligendum esse quam Christum. Cum enim patrem, matrem, filios charitati Dei præponere inhibeamur, quomodo dilectio proximi diligendi Deum simile mandatum est? Aut relinquetur aliquid, quod amori Dei possit æquari? nisi quia similitudo præcepti parem charitatem diligendi Patrem et Filium exigebat.

8. *Christus qui filius David secundum carnem, Dominus est David.* — Atque ut legis ipsius verbis argui possent, et **783** de proximo manifestior intelligentia panderetur; requirit quid illis videretur Christus, cujusnam filius futurus esset. Qui responderunt, David. Quibus ait, quomodo in spiritu Dominus a David nuncuparetur, qui ejus filius futurus esset; et quomodo ab eo dictum esset: *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (*Ibid.* 42-44). Erat quidem verum, Christum ex David semine procreandum: sed similitudo nominis, qua Dominus Domino dicebat, et qua a dextris collocabat, donec omnes inimicos subderet pedibus ipsius, significabat et de consortio nominis substantiæ unitatem, et assidendi invitatione judicium, et de universorum subjectione virtutem; ut (*al.* et) meminissent in eo, qui ex David oriebatur, æternæ virtutis et potestatis et originis substantiam contineri, et Deum in homine mansurum.

CAPUT XXIV.

De cathedra Moysi super quam sederunt Scribæ et pharisæi, de clauso ab iisdem regno cœlorum, et ab iisdem comedi domos viduarum, circumeuntibus mare et aridam, et dicentibus: Quicumque juraverit in templo, nihil est, *et decimantibus mentham et anethum, et ædificantibus sepulcra prophetarum, et de Jerusalem quæ interficit prophetas, et lapidat eos qui ad se missi sunt.*

1. *Legis doctrina commendatur. Pharisæorum iniquitas, ignorantia, ac superbia.* — *Tunc Jesus locutus est turbis et discipulis suis, dicens: Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi*, et reliqua (*Matth.* XXIII, 1 et 2). Legis de se testantis gloriam prætulit, quæ imaginem in se futuræ veritatis expresserat. In omnibus enim Christi (*a*) meditabatur adventum. Quidquid enim in ea continebatur, in profectum manifestandæ ejus cognitionis assumptum est. Jubet igitur præceptis Pharisæorum obtemperari, quia in Moysi cathedra sederint: jubet legis mandatis omnibus obediri, sed a factis eorum atque operibus abstineri; ut mores hominum atque infidelitas, non legis doctrina vitetur. Ipsi enim subdito sibi populo gravissima legis onera imponunt, ne digitum quidem suum contingendis ipsis admoventes (*Ibid.* 4). Quin etiam præcipiunt Dominum ex toto corde diligi, et proximum tamquam se amari, ipsi adversum legis sibi latæ testimonium, (*b*) Deum in Christo passionibus persequentes. Verborum quoque suorum gloriam tamquam philacteria **784** dilatantes (℣ 5), quibus vitæ æternæ auctor Deus non sit intellectus in Christo, seseque ex honore legis emissos tamquam fimbrias ex veste magnificent, qui totius legis ignari, neque opera neque virtutem ejus ipsius legis agnoverint: amantes primos accubitus in conviviis, qui igni æterno (convivantibus potius cum Abraham gentibus) deputantur: et primas cathedras in synagogis, ipsi doctorem suum secundum legis et prophetarum testimonia nescientes (℣ 6): sed et salutationes in foro, quibus humilitas cordis et ministerium in omnes est imperatum. Vocari etiam ab hominibus magistri volunt (℣ 7), doctrinæ legis ignari, et magistrum salutis perpetuæ respuentes. Quæ quia omnia profana atque perversa essent, factorum imitatione damnantur. Legis autem audientia, et dictorum obedientia, quia Christum loquebantur, exigitur.

præsignata, cujus intelligentiam non assequimur nisi meditatione. V. lit. 2, Ps. CXVIII, n. 11.

(*a*) In sex mss. *meditabatur adventus:* minus vere, cum verbum *meditabatur* referendum sit ad tacitum nomen legis, cujus auctor Spiritus sanctus in omnibus illius gestis Christum unum prospiciebat ac meditabatur: *ut ex quacumque licet persona prophetiæ Spiritus sit locutus, sit tamen totum illud ad cognitionem adventus Domini nostri*, etc., ut habetur prologo in lib. Ps. n. 5.

(*b*) Sic Par. cum potioribus mss. Alii vero libri, *Deum in Christi passionibus.*

2. *Charitatis et humilitatis præcepta.* — Verum in contrarium discipulis jam se scientibus totius humilitatis præcepta consummat, ut meminerint omnes fratres esse se, id est, filios parentis unius, et per novæ nativitatis generationem terreni ortus excessisse primordia, et unum sibi esse omnibus cœlestis doctrinæ magistrum, et gloriam honoris æterni humilitatis conscientia capessendam; quia insolentiam Deus humilem effecturus sit, et humilitatem elaturus in gloriam (*Ibid.* 8-12).

5. *Pharisæi Christum respuendo claudunt cœlum.* — *Væ vobis Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui* (*a*) *claditis regnum cœlorum* (ỳ 13). Simulationem eorum pœnæ significatione condemnat. *Væ* enim vox dolentis est. Claudere autem eos regnum cœlorum ideo ait, quia in lege meditationem ejus quæ in Christo est veritatis occultent, et corporeum adventum a prophetis prædicatum doctrinæ simulatione abscondant; ipsique non adeuntes viam æternitatis in Christo, adire quoque cæteros non sinant.

4. *Qui imponant aliis.* — *Væ vobis Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui comeditis domos viduarum* (ỳ 14). Hinc illæ sunt veritatis inficiæ, hinc adeundæ cæteris salutis inhibitio, et regni cœlestis obseratio, ut in obeundis viduarum domibus retineatur ambitio, ut longæ orationis dignatione spolientur, ut ab his cœlestis cognitio tamquam a thesauro repositæ opulentiæ expetatur, ut legis dignitas gratiæ silentio perseveret. Et ideo accipient amplius judicium, quia et pœnam proprii peccati, et reatum alienæ ignorantiæ debebunt.

5. *Eorum odium in Evangelium. Qui pœna duplici plectendi.* — *Væ vobis Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui circuitis mare et aridam* (ỳ 15). Maris et terræ peragratione significat, in totis orbis finibus eos esse Christi Evangelio obtrectaturos, et legis jugo contra justificationem fidei aliquos subdituros: proselyti enim sunt ex gentibus in Synagogam recepti. Quorum futurorum raritas in uno (*b*) indicatur: neque enim post Christi prædicationem doctrinæ eorum fides relicta est. Sed quisquis fuerit acquisitus ad plebem, filius fit gehennæ, pœnæ soboles, et æterni judicii **785** hæreditas: quia adoptio ex gentibus Abrahæ familiam factura sit. Ideo autem pœnæ duplicatæ erit filius, quia neque remissionem peccatorum sit gentilium consecutus, et societatem eorum qui Christum persecuti sunt sit secutus.

6. *Lex futurorum forma, sedes est et thronus Christi. Christo adveniente cur inutilis.* — *Væ vobis duces cæci, qui dicitis: Quicumque juraverit in templum, nihil est* (*Ibid.* 16). Reverentiam humanarum observationum, et contumeliam propheticæ traditionis exprobrat, quod inanibus honorem darent, et detraherent honorandis. Legem namque ipse dederat, et lex non efficientiam continebat, sed meditabatur effectus. Nam ornatus altarii atque templi non dignitatem de cultu conciliabat, sed futurorum speciem de decore fingebat. Nam aurum, argentum, æs, aurichalcum, margaritæ, crystallus propriam significantiam pro natura uniuscujusque metalli complectuntur. Igitur redarguit, quod aurum templi et dona altaris pro sacramentorum religione venerarentur; cum honor potior esset et altaris et templi, quia ad futurorum speciem et aurum templo et donum dedicaretur altari. Et ideo adveniente Christo inutilem esse fiduciam legis: quia non in lege Christus, sed lex sanctificaretur in Christo, in qua veluti sedes thronusque (*c*) sibi positus sit. Qui quia religiosus habeatur, religionem ab eo necesse est qui in illo considat acceperit: atque ita stulti cæcique sint, sanctificante præterito, sanctificata venerantes (ỳ 17).

7. *Opera externa, etsi non omittenda, internis tamen virtutibus posthabenda.* — *Væ vobis Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham et anethum, et omne olus*, et reliqua (*Ibid.* 23). Mentis occulta et obscuram voluntatum iniquitatem redarguit: quod ea quæ in decimis menthæ atque anethi lex præscribit efficiant, ut implere legem ab hominibus existimentur; misericordiam vero atque justitiam et fidem et omnem benevolentiæ affectum reliquerint, quod proprium hominis officium est. Quia decimatio illa oleris, quæ in præformationem futurorum erat utilis, non debebat omitti: effici autem hoc oportebat, ut fidei et justitiæ et misericordiæ partibus functi, non imitatione fingendæ, sed veritate retinendæ voluntatis operibus placeremus. Et quia minus piaculi esset, decimationem oleris potius quam benevolentiæ officium præterire; irridet eorum in colandis culicibus diligentiam, quorum in glutiendis camelis esset incuria, peccata videlicet levia vitantium, et gravia (*mss.* grandia) devorantium (ỳ 24). Par quoque in eos pœnæ denuntiatio est, qui calices et paropsides extrinsecus eluentes, eorum interiora non mundent (ỳ 25): et jactantiam inutilis studii sequentes, utilitatis perfectæ ministerium derelinquant. Calicis namque usus interior est: qui si obsorduerit, quid proficiet lotus exterius? Atque ideo interioris conscientiæ nitor est obtinendus, ut ea quæ corporis sunt forinsecus eluantur (ỳ 26). Sepulcris quoque eos comparavit, quæ humano opere cultuque **786** splendentia, mortuorum ossibus et cadaverum immunditiis interius sordescant (ỳ 27): præferant scilicet inanibus verbis justitiæ speciositatem, habeant vero intra se conscientiæ suæ mentisque fœtorem.

8. *Judæi prophetas in odium veritatis occisos non nesciunt.* — *Væ vobis Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulcra prophetarum*, et reliqua (ỳ 29).

(*a*) Mss. *Cluditis..... cludere.*

(*b*) In vulgatis *judicatur*. Rectius in mss. *indicatur*.

(*c*) Id est, Christo *positus sit*. *Qui* Christus *quia religiosus*, seu religione ac veneratione dignus *habeatur* (minus bene apud Lips. et Par. *habebatur*), *religionem necesse est acceperit* lex *ab eo, qui in illo* legis throno *considat*. Ita emendamus ex sex mss. Nec sensu dissident cæteri, in quibus exstat *consederat*. At male in prius vulgatis, *confidat*.

Judicii forma in absoluto est, et uniciuique nostrum ex natura sensus (*a*) atque opinio æquitatis imponitur : ut minus ex eo veniæ iniquitatis opus habeat, quo magis æquitas ignorata non fuerit. Prophetas namque omnes legis populus occidit. In odium enim eorum, amaritudine objurgationis, accensi sunt : nam voce publica furta, cædes, adulteria, sacrilegia ejus coarguebant. Et quia indignum eum cœlesti regno ob hæc opera denuntiabant, et hæredes testamenti Dei gentes futuras prædicabant ; vario pœnarum genere confecti sunt. Sed parentum facta posteritas ita detestata est, ut prophetiæ libros veneretur, memorias adornet, sepulcra restauret : talique reverentia extra culpam se esse paterni sceleris testetur.

9. *Tanto magis sunt rei de nece Christi, qui prophetarum opus. Apostolorum elogia.* — Qui ergo prophetas cum gravissimo piaculo occisos fatentur, qua venia Christum, qui prophetarum (*b*) opus est, condemnabunt ; cum ea, quæ detestentur, etiam multiplicato facinore perficiant? Atque ideo et serpentes et viperina generatio sunt, quia mensuram paternæ voluntatis implebunt (ỳ 35). Et quomodo effugient judicium, detestantes cædem prophetarum, (*c*) eorumque ad crucis mortem Dominum persequentes? A quibus propter apostolos, qui de futurorum revelatione prophetæ sunt, de Christi agnitione sapientes, de legis intelligentia scribæ, cæsos, lapidatos, crucifixos, et a civitatibus in civitates fugatos, omnis sanguis justorum ab Abel usque ad Zachariam redundavit (*Ibid.* 34 *et* 35) : (*d*) ut quibus obeditum si fuisset, propriorum criminum (*e*) esset venia præstanda, ob hos eosdem interemptos pœna in eos, qui peremerint, paternorum quoque facinorum congereretur.

10. *Christi in Judæos affectus. — Jerusalem, Jerusalem, quæ interficis prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt*, etc. (ỳ 37). Inter multa objurgationum genera semper misericordiæ suæ protestatur affectum : cujus hinc omnis querela est, quod regredi in salutem quam præstabat abnuerent. Occiderat enim prophetas, et ad se missos lapidaverat Jerusalem. In civitatis nuncupatione, habitantium facinus ostenditur. Et idcirco Abel sanguis et Zachariæ in hanc eorum posteritatem venturus ostenditur : 787 quia jam in his habitans Christus et prædicans erat passus. Quod si creditum ei fuisset ; non solum extra pœnam necis prophetarum, credentium fides (*f*) foret, sed ipsam illam dominicæ passionis sententiam esset venia consecuta. At vero cum nec post resurrectionem creditum ei fuerit ; etiam ultio ab his Abelis et Zachariæ sanguinis reposcetur.

11. *Gallinæ opus. Pullorum duplex generatio. Quid Judæis obtulit Christus. Eorum pœna.* — Quamvis enim corporeus hæc loquatur, et (*g*) opem universis homo repertus exhibeat, frequenter tamen congregare eos voluit prædicationibus prophetarum. Sed frustra hunc impendit affectum et in cassum. Tamquam gallina congregans pullos suos continere eos sub alis suis voluit : terrena videlicet nunc et domestica avis factus, quodam corporis sui tamquam alarum operimento, calorem ut pullis suis vitæ immortalis indulgens, et in volatum velut (*h*) nova generatione producens. Pullis enim alia nascendi ratio est, (*i*) alia volandi. Nam primum ovorum testis tamquam claustro corporis continentur : deinc postea parentis sedulitate confoti, exeunt in volatum. Hujus igitur familiaris ac pene terrenæ avis more, congregare eos intra se voluit : ut qui conditione nascendi editi jam fuissent, nunc alterius generationis ortu, et calore confoventis renati, in cœleste regnum tamquam pennatis corporibus evolarent. Quod quia noluerunt ; domus eorum deserta et vacua relinquetur (ỳ 38), id est, indigni habitatione sancti Spiritus erunt. Sua enim domus, non Dei esse cœperunt : et in contumacia infidelitatis manentes, usque in id tempus eum non videbunt, quo in Domini nomine revertentem, etiam invitæ infidelitatis confessione benedicent (ỳ 39).

CAPUT XXV.

De structura templi interrogantibus discipulis, et de his qui in tecto sunt, ne descendant tollere aliquid de domo ; et qui in agro sunt, ne revertantur tollere tunicam suam, et de prægnantibus et nutrientibus.

1. *Homo qui templum Dei æternum.* — *Et egressus de templo ibat : et accesserunt discipuli ejus, ut ostenderent ei structuram templi* (*Matth.* XXIV, 1). Post (*j*) comminationem deserendæ Jerusalem, tamquam com-

(*a*) Desideratur *atque* in pluribus mss. juxta quos vox *sensus* in secundo casu minus concinne intelligetur.

(*b*) Editi, *prophetarum scopus*, præter fidem mss. et Hilarianum loquendi morem. Jam supra legimus cap. I, n. 5 : *Conceptum ex Spiritu sancto, natum ex Maria Virgine, omnium opus prophetarum est* : et prologo in lib. psal. n. 5, de Pharisæis habetur : *Negantes enim Christum, cujus adventus opus est prophetarum, clavem scientiæ abstulerunt.*

(*c*) Editi, *et usque ad crucis mortem*. Elegantius mss. tres, *eorumque*, etc.

(*d*) Sex mss. *ut a quibus*. Illud *quibus* cum non modo ad *obeditum*, sed et ad *præstanda* referatur, et de apostolis prædicatur et de Judæis.

(*e*) Bad., Er. et Lips. *esset venia præstita*. Par. cum quatuor mss. *venia præstanda*, omisso prius verbo *esset*. Mox pro *congereretur*, Lipsius substituit *cogeretur* : faventibus ei mss. aliquot, in quibus exstat *congeretur*.

(*f*) Ita mss. potiores. Alii vero cum editis, *fuerat*. Superius post verba, *si creditum ei*, supple, prædicato ab apostolis proxime post passionem ac resurrectionem ipsius.

(*g*) Ms. Rom. *opera universis*. Colb. et Carn. *opera universa*. Antea *corporeus*, id est, carne assumpta factus homo. Videsis tract. psal. CXXXVIII, n. 10.

(*h*) In sex mss. *novam generationem* : potest et hæc lectio admitti, qua nova rerum species, ex ovo scilicet animal volatile, produci significetur.

(*i*) Editi cum tribus mss. *alia vivendi* : quod mutatur cæterorum mss. auctoritate, cum volatus potius quam vitæ ratio deinceps habeatur. Porro hic volare, et mox volatus, volandi proprietatem, non actum sonat.

(*j*) In sex mss. *post commonitionem*.

movendus ambitione templi esset, magnificentia ei exstructionis 788 ostenditur. Qui ait destruenda omnia esse, et dispersis totius substructionis lapidibus diruenda. Templum enim æternum ad habitationem sancti Spiritus consecrabatur : homo scilicet per agnitionem Filii et confessionem Patris et præceptorum obedientiam Deo fieri (*a*) dignus habitaculum.

2. *Eversionis Jerusalem tempus ac signa. Simon Samaritanus.*—Et cum secessisset in montem, adeuntes eum secreto discipuli interrogant quando hæc fierent, quodve signum adventus sui et consummationis sæculi nosceret (ỳ 3). Et quia tria hæc in unum quæsita sunt, distinctis et temporis et intelligentiæ significationibus separantur. Respondetur igitur primum de civitatis occasu : et confirmantur veritate doctrinæ, (*b*) ne quis fallax ignorantibus posset obrepere. Venturi enim etiam eorum tempore, qui se Christum essent nuncupaturi. Ut igitur fides pestifero mendacio detrahi posset, admonitio præcessit. Venit enim Samaritanus Simon diabolicis instructus et operibus et dictis : pluresque factorum miraculis depravavit. Et quia hoc in Apostolorum tempora conveniret ; ait : *Non est finis.* Sed ne tunc quidem (*supple*, erit finis) ; cum gentes adversus se mutuo et regna concurrent, et fames ac terræ motus erunt : quia in his non universitatis hujus (*c*) dissolutio est, sed dolorum initia, malis omnibus exinde cœpturis. Confirmat igitur eos ad tolerantiam passionum, fugæ, verberationis, interitus : et publicum in eos gentium odium propter nomen ejus. Atque his quidem vexationibus multi turbabuntur, et tantis insurgentibus malis scandalizabuntur, et usque in mutuum odium excitabuntur. Et falsi prophetæ erunt (ut Nicolaus unus ex septem diaconibus fuit), multosque mentita veritate pervertent : et abundante iniquitia charitas frigescet. Sed usque in finem perseverantibus salus reservata est : ac tum per omnes orbis partes viris apostolicis dispersis, Evangelii veritas prædicabitur (*Ibid.* 4-15). Et cum universis fuerit cognitio sacramenti cœlestis invecta, tum Jerusalem occasus et finis incumbet : ut prædicationis fidem, et infidelium pœna et metus civitatis erutæ consequatur. Hæc igitur in eam, ut fuerant prædicta, perfecta sunt : et lapidatis, fugatis, peremptis Apostolis, fame, bello, captivitate consumpta est. Ac tum fuit digna non esse, cum ejectis prædicatoribus Christi, indignam Dei prædicatione se præbuit.

3. *Adventus Christi indicium. Antichristus cur abominatio desolationis.* — Sequitur deinde et indicium adventus futuri, cum abominationem desolationis stantem in loco sancto videbunt, tunc claritatis redditum intelligendum. Et de hoc quidem, beatissimo Daniele et Paulo prædicantibus, superfluum nos puto habere sermonem (*Dan.* IX, 27 ; II *Thess.* II, 4) : de antichristi enim temporibus hæc locutus est. Abominatio ex eo dictus, quod adversus Deum veniens honorem 789 sibi Dei vindicet : desolationis autem abominatio, quia bellis et cædibus terram cum piaculo desolaturus sit. Atque ob id a Judæis susceptus loco sanctificationis (*d*) insistet ; ut ubi sanctorum precibus Deus invocabatur, illic ab infidelibus receptus Dei honore venerabilis sit.

4. *Judæa cur deserenda.* — Et quia proprius iste Judæorum erit error, ut qui veritatem respuerunt, suscipiant falsitatem ; Judæam deseri monet, et transfugere in montes (ỳ 16) ; ne admixtione plebis illius antichristo creditura (*e*) vis aut contagio afferatur ; sed omnibus, qui tunc fideles erunt, tutiora futura sint deserta montium, quam (*f*) frequentia Judææ.

5. *Qui in perfectionis apice, ne rerum terrenarum cupiditate descendat.* — Quod autem ait : *Et qui in tecto sunt ; non descendunt tollere aliquid de domo* (ỳ 17) : præceptum istud secundum humanam intelligentiam rationem dicti factique non recipit. Qui enim in tecto est, et Judæam sit relicturus, nisi descendens ex eo abire non poterit. Aut quæ utilitas est, consistere in tecto, et non in domo manere ? Sed frequenter admonuimus, proprietates verborum et locorum contuendas, ut momenta præceptorum cœlestium consequamur. Tectum est domus fastigium, et habitationis totius celsa perfectio. Domus enim nulla dici poterit vel esse sine tecto. Qui igitur in consummatione domus suæ, id est, in corporis sui perfectione constiterit ; regeneratione novus, spiritu celsus, et divini muneris absolutione perfectus, non descendere in humiliora rerum sæcularium cupiditate debebit, neque (*g*) inferioribus corporis illecebris provocatus de tecti sui sublimitate decedere. *Et qui in agro erit, non revertatur tollere tunicam suam* (ỳ 18). Scilicet positus in operatione præcepti, non ad curas pristinas revertatur : neque aliqua corporis indumenta desideret, ob quæ reversus, veterum exinde peccaminum, quibus antea contegebatur, erit tunicam relaturus.

6. *Nil homini nisi sua culpa malum. Prægnantes, animæ peccatis graves.* — *Væ prægnantibus et nutrientibus* (ỳ 19). Simpliciter quidem istud propter

(*a*) In sex mss. *dignum habitaculum.* Minus intricata erit lectio, si in hunc modum ordinetur : *homo scil. per agnitionem Filii*, etc., *dignus fieri habitaculum Deo* in dandi casu. Habes in ps. CXXXI, n. 6 : *Domino nostro hoc opus maximum fuit, ut hominem ad scientiam divinam eruditum, dignum habitaculo Dei redderet*, et n. 7 : *Ob id autem tantum obediens usque ad crucis mortem est, ut nos habitatione Dei dignos esse præstaret.*

(*b*) Colbert. cod. cum Carn. *ne aliqua fallacia* : ac deinde post *venturi enim*, subjiciunt *prædicantur*, Bad. autem, Er. et Lips., *erant.*

(*c*) Verbum *significat* hic exhibent plures mss. opera interpolatoris, qui antea substituit *dissolutionem*, pro *dissolutio est.*

(*d*) Aliquot mss. *institerit.*

(*e*) Apud Par. desideratur *vis.* In aliis autem edit. ea vox corrupte cum sequentibus sic copulatur ; *visa ut contagio.*

(*f*) Sic cum Colb. ms. Carnut. Alii vero, *frequentata mœnia Judææ.* Apud Par. *frequentata Judæa.* Non displiceret cum Bad., Er. et Lips., *frequentata Judææ*, subaud. *loca.*

(*g*) Editi ac tres mss. *interioribus.*

moram fugæ accipi potest : quia ventris onere impeditas, imminentem temporum ruinam effugere sit molestum. Sed quid conditio, sexus et generationis ordo commeruit? Nisi forte ætas illa mulierum, quæ in illa tempora inciderint, proprie sit futura maledicta. Sed absit istud, ut quidquam sit, quod homini nisi sua culpa malum fiat. Non igitur de fetarum onere Dominum admonuisse credendum est, cum dicit : *Væ prægnantibus :* sed animarum peccatis repletarum ostendisse gravitatem, quæ neque in tecto positæ, neque in agro manentes repositæ iræ tempestatem vitare possint. Dolor enim prægnantes ex natura consequitur : et partus sine totius corporis vexatione non funditur. Quæ ergo tales animæ reperientur, in suo et onere et dolore continebuntur.

790 Illis quoque væ erit quæ nutrientur. Est infantia lacte depulsa non minus ad fugam inutilis, quam ea quæ etiamnum lacte alatur. Et quomodo væ illi quæ nutriatur ; cum nihil intersit ætatis ac temporis, nutriri lacte, et decessisse de lacte? Sed perinde hic etiam infirmitatem animarum, quæ ad cognitionem Dei tamquam lacte adhuc alantur ostendit : quæ perfecti cibi virtute indigentes, tenui divinæ cognitionis infirmoque gustatu imbuantur. Et idcirco væ ipsis erit : quia et ad effugiendum antichristum graves, et ad sustinendum imperitæ, nec peccata effugerint, nec cibum veri panis acceperint.

7. *Fuga in hyeme aut sabbato, quid.* — Atque idcirco orare admonemur, ne vel hyeme fuga nostra vel sabbato sit, id est, ne aut in peccatum frigore, aut in otio bonorum operum reperiamur : quia gravis vexatio incumbet et intolerabilis cunctis, nisi quod causa electorum Dei diebus illis sit brevitas afferenda, ut vim incumbentium malorum coarctatum digrassandi tempus exsuperet (*Ibid.* 20 et 21).

8. *Pseudoprophetarum conatus. Aquilæ, sancti. Adventus Christi locus ibi, ubi passionis.* — Et quia in magna vexatione positis pseudoprophetæ, tamquam præsentem in Christo opem sint indicaturi, multis in locis Christum esse atque haberi mentientur, ut in antichristi famulatum depressos vexatosque deducant ; nunc in desertis esse dicentes, ut errore depravent ; nunc in penetralibus asserentes, ut (*a*) dominantis potestate concludant : sed se Dominus non loco occulendum, nec a singulis contuendum esse profitetur; sed ubicumque et in conspectu omnium præsentem futurum modo fulguris, quod ab oriente elatum, lumen suum usque ad occidentis plagas spargit, et undecumque micans ubicumque cernitur (*Ibid.* 22-27). Ac ne vel loci quidem ejus, in quo futurus esset, essemus ignari, ait : *Ubicumque fuerit corpus, ibi congregabuntur aquilæ* (*Ibid.* 28). Sanctos de volatu spiritalis corporis aquilas nuncupavit : quorum, congregantibus angelis, conventum futurum in loco (*b*) passionis ostendit. Et digne illic claritatis adventus exspectabitur, ubi nobis gloriam æternitatis passione corporeæ humilitatis operatus est.

791 CAPUT XXVI.

De sole obscurato, luna et stellis. (*De signo ficus, de diei adventus Domini incertitudine, de assumendis et relinquendis, et de vigilantia servanda.* Hæc absunt a mss.)

1. *Gloriosus Christi adventus quando et qualis.* — Statim *autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur*, et reliqua (*Matth.* XXIV, 29). Gloriam adventus sui et claritatis reditum indicat obscuritate solis, defectione lunæ, casu stellarum, virtutum cœlestium motu, ostensione signi salutaris, lamentatione gentium cognoscentium filium hominis in Dei gloria, et ad collectionem sanctorum destinatione angelorum cum tubæ, id est, jam publicæ libertatis hortatu (℣ 30 et 31). Sic erit de grano sinapis arbor ingens (*Matth.* XIII, 31) : sic de lapide montis contrita imagine orbem terræ mons occupans (*Dan.* II, 34) : sic civitas omnibus contemplabilis (*Matth.* V, 14 et 15) : sic lucens universis lumen (*c*) in ligno : sic ex humilitate mortis (*d*) Dei gloria. Quarum omnium rerum indicio, scire nos voluit tempus nostræ redemptionis, quo ex corruptione corporum in honorem spiritalis substantiæ transferemur.

2. *Ramus ficus antichristus. Qui frondescat.* — Cognoscendi autem temporis signum in similitudine ficus arboris posuit (*Matth.* XXIV, 32) : cujus cum ramus tener fuerit atque fronduerit, tum prope esse æstas intelligitur. Sed longe alia natura et æstatis et arboris est. In veris (verni temporis) enim initiis intumescit : et non exiguum tempus est medium, inter id quod æstas ingruit, et arboris ramus tenerescit in frondes. Ex quo, non de arbore hoc dictum esse noscendum est. Et quidem jam superius de arboris istius proprietate tractavimus (*c.* 21, *n.* 8). Hujus etiam foliis Adam legimus indutum, et pudorem conscientiæ texisse, id est, tamquam peccati veste sub lege circumdatum. Ramus igitur ficus antichristus esse intelligitur, diaboli filius, peccati portio, legis assertor. Qui cum tenerescere cœperit atque

(*a*) Editi, *dominantes*. Rectius mss. *dominantis*, puta antichristi. Mox *nec a singulis*, id est ; nec a privatis et seorsim positis, quibus deinde opponitur *in conspectu omnium*.

(*b*) Huic Hilarii interpretationi lucem mutuari est ex his Hieronymi in eumdem locum verbis : *Possumus autem corpus, id est,* πτῶμα, *quod significantius latine dicitur cadaver, ab eo quod per mortem cadat, passionem Christi intelligere.*

(*c*) Bad. et Er. *in lino*. Par. *in lychno*, quod primum Lipsius de suo posuerat. Nam omnes mss. habent *in ligno* : quo nomine commode intelligitur lignum crucis, in quo tamquam in candelabro Christus lux vera omnibus se spectabilem præbuit. Hinc supra cap. 4, n. 13 : *Jam lucerna Christi.... in ligni passione suspensa, lumen æternum est in Ecclesia habitantibus præbitura.*

(*d*) Editi cum pluribus mss. *Deus gloriæ*. Præferimus cum Colb. et Carn. *Dei gloria*. Haud dubie enim alluditur ad verba Pauli Phil. II, quibus Christus in gloria Dei prædicatur eo quod se humiliavit usque ad mortem crucis.

frondescere, tunc proxima esse æstas, id est, dies judicii sentietur. Frondescere autem quadam peccatorum exsultantium viriditate noscetur : erit enim tum flos criminosorum, et honor facinorosorum, et gratia profanorum : quibus tamen æstas, id est, calor æterni ignis in proximo est.

3. Atque ut fides certa esset futurorum, *amen* dicendo professione veritatis, adjecit generationem nostram præterire non posse, nisi universa ista transcurrerent, eaque quæ firma existimantur, cœlum videlicet et terram, non futura; verba autem sua non posse non esse : **792** quia illa ex conditione creationis suæ, id est, profecta (*mss.* perfecta) de nihilo, habeant id in se necessitatis ut non sint; hæc autem ex æternitate deducta, id in se contineant virtutis ut maneant (*Ibid.* 34 et 35).

4. *Finis temporum cur non definitus.* — De fine autem temporum curam sollicitudinis nostræ ademit, diem illum dicens esse nemini cognitum, et non solum angelis, sed etiam sibi ignoratum (*Ibid.* 36). O divinæ bonitatis inæstimabilem misericordiam! Numquid Deus pater cognitionem diei, celandi Filium proposito, abnegavit; cum dictum ab eo sit : *Omnia mihi a patre meo tradita sunt* (*Matth.* XI, 27) ? Ergo non omnia sunt, si est aliquid quod negatur. Sed quia ad nos omnia a Patre accepta deveheret, Deique Verbum non tam futuri in se fidem contineat, quam facti; ideo extra definitionem dies posita est, ut largum licet Deus pœnitentiæ nobis tempus indulgens, incerti tamen metu semper nos sollicitos detineret; et ipse, nulli loquendo voluntatem (*a*) dandi hujus diei, nulla dicti sui definitione cohiberet, quia secundum diluvii tempus, in ipso vitæ nostræ cursu omnia agentibus (*b*) ac patientibus, magnus ille dies aderit (*Matth.* XXIV, 38).

5. *Discretio fidelium et infidelium. Judæorum credituronum et non credituronum, hæreticorum et catholicorum.* — Quin etiam in assumendis fidelibus futurum esse discrimen ostendit, cum duobus in agro positis, assumatur unus, et alius relinquatur; et duabus molentibus, improbetur altera, et altera eligatur; et ex duobus qui in lecto erunt, adhæreat unus, alter deseratur. Infidelium enim et fidelium discrimen in relinquendis aliis et aliis assumendis docet. Dei enim ira ingravescente sancti (ut propheta ait) in promptuariis recondentur; perfidi vero ad cœlestis ignis materiem relinquentur (*Matth.* III, 12). Duos igitur in agro, duos populos, fidelium et infidelium, in sæculo tamquam in vitæ hujus opere dies Domini deprehendet; separabuntur tamen, relicto alio, et alio assumpto. De molentibus quoque par ratio est. Mola, opus legis est. Sed quia pars Judæorum ut per apostolos credidit, ita per Eliam est creditura, et justificanda per fidem : ideo una per eamdem fidem boni operis apprehendetur, alia vero (*c*) in infructuoso legis opere relinquetur, molens in cassum, et non factura cœlestis cibi panem. Duo autem sunt in lecto, eamdem passionis dominicæ requiem prædicantes : circa quam et hæreticorum et catholicorum eadem atque una confessio est. Sed quia unitatem Patris et Filii, (*d*) et communem eorum theotetam, quam deitatem nuncupamus, catholicorum veritas prædicabit, et eamdem rursum plurimis contumeliis hæreticorum falsitas impugnabit; idcirco ex duobus in lecto alius relinquetur, et alius assumetur : quia fidem confessionis utriusque in uno assumendo, et alio relinquendo, divini arbitrii judicium comprobabit.

793 6. *Vigilantiæ necessitas.* — Atque ut ignorantiam illam diei omnibus taciti, non sine utilis silentii ratione esse sciremus; vigilare nos propter adventum furis admonuit, et orationum assiduitate detentos omnibus præceptorum suorum operibus inhærere (*Matth.* XXIV, 43). Furem enim esse ostendit diabolum, ad detrahenda ex nobis spolia pervigilem, et corporum nostrorum domibus insidiantem ut ea, incuriosis nobis et somno deditis, consiliorum suorum atque illecebrarum jaculis perfodiat. Paratos igitur esse nos convenit : quia diei ignoratio intentam sollicitudinem suspensæ exspectationis exagitet.

CAPUT XXVII.

De servo fideli quem constituit dominus super familiam suam, de decem virginibus, de homine in peregre profecto, qui tradidit substantiam suam servis suis.

1. *Præpositis præsertim vigilandum. Præpositi diligentis opus ac merces.* — *Quis namque est fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?* etc. (*Matth.* XXIV, 45). Quamquam in commune nos ad indefessam vigilantiæ curam adhortetur; specialem tamen populi principibus, id est, episcopis, in exspectatione adventuque suo sollicitudinem mandat. Hunc enim servum fidelem atque prudentem, præpositum familiæ significat, commoda atque utilitates commissi sibi populi curantem. Qui si dicto audiens et præceptis obediens erit, id est, si doctrinæ opportunitate et veritate infirma confirmet, disrupta consolidet, depravata convertat, et verbum vitæ in æternitatis cibum alendæ familiæ dispendat, atque hæc agens hisque immorans depre-

(*a*) Verbum *dandi* desideratur in ms. Beccensi. Vult Hilarius tempus, quo Deus hunc diem decrevit ideo a Christo non declaratum, ut nullius pœnitentiam cohiberet. Quocirca interpunctionem mutavimus, qua in prius vulgatis verba, *voluntatem dandi hujus diei*, non ad *loquendo*, sed ad *cohiberet* referebantur. Hunc locum fusius atque apertius explicatum videsis lib. IX de Trinit. n. 57, etc.

(*b*) Editi et aliquot mss. *ac pœnitentibus*. At Rom., Colb., Carn. et Vat., *ac patientibus*. Apud Hincmarum lib. de Prædest. c. 19, ubi hæc et sequentia inseruntur, *ac facientibus*.

(*c*) Carnutensis codex cum Colb. *alia vero infructuosa*.

(*d*) Par. cum aliquot mss. *et communionem* : ac deinde absque auctoritate, *eorum theoletem* : ubi Sirmondus apud Hincmarum de Prædest. c. 19, posuit *theoteiam*, quæ vox neque græca, neque latina. Vide quæ ad cap. 16, n. 4, observata sunt.

hendatur; gloriam a Domino tamquam dispensator fidelis et villicus utilis consequetur, et super omnia bona constituetur, id est, in Dei gloria collocabitur, (*a*) quia nihil sit ultra quod melius sit (℣ 47).

2. *Negligentis vitia ac vindicta.* — Quod si contuens longam Dei patientiam, quæ in profectum humanæ salutis extenditur; adversum conservos insolescet, et sæculi malis vitiisque se tradet, præsentium tantum curam in cultu ventris exercens : desperata (*b*) die Dominus adveniet, eumque a bonis quæ spoponderat dividet, portionemque ejus cum hypocritis in pœnæ æternitate constituet, quia adventum desperaverit, quia mandatis non obtemperaverit, quia præsentibus studuerit, quia vita gentium vixerit, quia desperatione judicii commissam sibi familiam fame, siti, cæde vexaverit (*Ibid.* 48—51).

794 3. *Cur Moyses Decalogum duabus tabulis accepit.* — *Tunc similabitur regnum cœlorum decem virginibus*, et reliqua (*Matth.* XXV, 1). Ex dictis superioribus ratio quoque hujus sermonis intelligi potest. De die enim magno Domini omnis est sermo, quo occulta humanarum cogitationum divini judicii cognitione prodentur, et vera exspectati Dei fides non ambiguæ spei meritum consequetur. Absolute enim in quinque prudentibus et in quinque fatuis, fidelium atque infidelium est constituta divisio : quo exemplo Moyses decem verba duabus tabulis conscripta acceperat. Necesse enim erat, omnia ea in utraque conscribi : et duplex pagina, inter proprietatem dexteræ ac sinistræ, divisionem sub uno licet testamento bonorum malorumque signabat.

4. *Parabolæ virginum brevis et acuta expositio.* — Sponsus atque sponsa, Dominus noster est in corpore Deus. Nam ut Spiritus carni (*supple*, sponsus), ita Spiritui caro sponsa est. Denique tuba excitante, sponso tantum obviam (*c*) proditur; erant enim jam ambo unum; quia in gloriam spiritalem humilitas carnis excesserat. Primo autem progressu, vitæ hujus officiis, occurrere in resurrectionem quæ est a mortuis præparamur. Lampades igitur, animarum splendentium lumen est, quæ sacramento baptismi splenduerunt. Oleum, boni operis est fructus. Vasa, humana sunt corpora, intra quorum viscera thesaurus bonæ conscientiæ recondendus est. Vendentes sunt hi, qui misericordia fidelium indigentes, reddunt ex se petita commercia, indigentiæ suæ scilicet satietate, boni operis nostri conscientiam (*d*) veneuntes. Hæc enim indefessi luminis copiosa materies est, quæ misericordiæ fructibus et emenda est et recondenda. Nuptiæ, immortalitatis assumptio est, et inter corruptionem atque incorruptionem ex nova societate conjunctio. Mora sponsi, pœnitentiæ tempus est. Exspectantium somnus, credentium quies est, et in pœnitentiæ tempore mors temporaria universorum. Nocte media clamor, cunctis ignorantibus tubæ vox est, Domini præcedentis adventum, et universos ut obviam **795** sponso exeant excitantis. Lampadum assumptio, animarum est reditus in corpora : earumque lux, conscientia boni operis elucens, quæ vasculis corporum continetur.

5. *In adventu Christi neminem juvabunt aliena merita. Jam pœnitentiæ nullum tempus.* — Prudentes virgines hæ sunt, quæ opportunum in corporibus operandi tempus amplexæ, in primum se occursum adventus dominici præparaverint. Fatuæ autem, quæ dissolutæ ac negligentes, præsentium tantum sollicitudinem habuerint; et immemores promissorum Dei, in nullam se spem resurrectionis extenderint. Et quia prodire obviam fatuæ exstinctis lampadibus non possunt? deprecantur eas quæ prudentes erant, ut oleum mutuentur (℣ 8). Quibus responderunt, non posse se dare, quia non sit forte quod omnibus satis sit (℣ 9) : alienis scilicet operibus ac meritis (*e*) neminem adjuvandum, quia unicuique lampadi suæ

(*a*) Plures mss. *qua*, non *quia*, haud male. Hic redditur ratio cur in gloria collocatus super omnia bona constitutus dicatur, quia nimirum ea gloria bonum omne superet, eaque nihil melius sit.

(*b*) In aliquot mss. *desperata dies Domini*, minus bene. Porro *desperata*, id est, insperata, seu inexspectata atque improvisa.

(*c*) In aliquot mss. *proceditur* : eodem sensu. Tum in excusis, *erunt enim* : præter fidem omnium mss. atque Hilarii sententiam, qua vult sponso tantum, non etiam sponsæ, obviam prodiri, quia in Christo caro, quæ sponsa est, post glorificationem ita cum Spiritu ac deitate unita est, ut illius distinctio jam non appareat. Hoc tamen salva carnis veritate dictum esse, non semel demonstratum : et manifestum est vel ex hoc tract. psal. LXV, n. 12 : *In æternam gloriam ejus assumptæ ex Virgine carnis natura transfertur.* Neque ambiguum quod in psal CXXXVIII, n. 27, ait Christum *in eodem corpore* post resurrectionem conspici in quo mortuus erat : et post pauca : *in eo quo elevatus est corpore a dextris Dei sedere.* V. tract. ps. CXXXI, n. 16, not.

(*d*) Bad., Er. et Lips. *ementes* : renitentibus omnibus mss. Hoc tamen in prima editione Par. bene mutatum, perperam restitutum est in postrema. Vendentes vocat Hilarius pauperes, qui fidelium eleemosyna indigent, et qui pro stipe, qua ipsorum indigentia expletur, vendunt seu reddunt operis boni conscientiam. Nam *veneo* active jam vidimus cap. 21, n. 4; et c. 10, n. 18. Ita quoddam fit commercium cum dat dives pecuniam, et a paupere accipit operis boni conscientiam.

(*e*) Hunc locum qui inconsiderate legent, existimabunt forsitan favere heterodoxis sanctorum suffragia et intercessionem exsufflantibus. Eum reipsa catholicis objicit Bodius in Collectaneis suis. Sed quid illos juvet, non vident prudentes. Non enim hic sermo est utrum sancti nobis prospiciant, sed utrum Sancti possint ita merita sua partiri, ut alii propriis meritis destituti ex hac vita migrantes, meritorum alienorum subsidio valeant cum sponso in æternam gloriam ingressum obtinere. Quis autem catholicus neget hæc merita unicuique ita propria esse, ut in alium refundi nequeant? hac ratione unicuique oleum lampadi suæ emere necesse est : et cui deest, non potest ullus alius sufficere. Nam secundum ea, quæ quisque gessit, aut salus obtinget, aut damnatio. Verum etiamsi sanctis non detur ut meritorum inopes ex suis ditent; datur tamen ut nos quamdiu hic vivimus adjuvent, unde recte operari et merita comparare valeamus. Imo etiam hic Hilarius nomine virginum prudentum, quæ fatuas bene consulendo et ad pœnitentiam hortando adjuvant, sanctos demonstrat de nostra salute sollicitos. Disertius hoc ipsum docet in psal. CXXIV, n. 5, ubi ait : *Sed neque desunt stare volentibus Sanctorum custodiæ, neque An-*

emere oleum sit necesse. Quas hortantur ut redeant ad emendum : si vel sero præceptis Dei obsequendo, cum lampadum luce sponsi dignæ efficiantur occursu. Quibus morantibus, sponsus ingressus est; atque una cum eo in nuptias sapientes, quæ comparato lampadum lumine operiebantur, introeunt, id est, in cœlestem gloriam sub ipso statim adventu dominicæ claritatis incedunt (ŷ 10). Et quia jam pœnitentiæ nullum est tempus, fatuæ accurrunt, aperiri sibi aditum rogant. Quibus respondetur a sponso, quia *nescio vos* (ŷ 12). Non enim in officio advenientis adfuerant, neque ad vocem tubæ excitantis occurrerant, neque introeuntium comitatui adhæserant : sed morantes et indignæ, introeundi ad nuptias tempus amiserant.

6. *Talenta secundum fidei mensuram distributa.* — *Sicut enim homo peregre proficiscens, vocavit servos suos, et tradidit illis substantiam suam*, et reliqua (ŷ 14). Divisio pecuniæ inæqualis est : sed non ad dividentem referenda diversitas est ; ait enim, unumquemque secundum virtutem suam accepisse. Ergo in quantum quis capax esset accepit : et extra moderantis arbitrium est, quod erat in jure sumentis. Patremfamilias, **796** se ipsum esse significat. Peregrinationis tempus pœnitentiæ spatium est : quo in cœlis a dextris Dei assidens, potestatem universo generi humano fidei atque operationis evangelicæ permisit. Igitur unusquisque secundum fidei suæ mensuram talentum, id est, Evangelii prædicationem a prædicante suscepit. Hæc enim incorrupta substantia est, hoc Christi patrimonium æternis hæredibus reservatum.

7. *Cui quinque talenta.* — Sed servus ille, qui quinque talenta accepit (ŷ 20), populus ex lege credentium est : ex qua profectus, meritum ipsius recte probeque (*a*) perfuncta evangelicæ fidei operatione duplicavit. In ratione autem ponenda judicii examen est, quo cœlestis verbi usus, et reditus dispensati talenti postulatur. Igitur cui erant quinque commissa, Domino reverso de quinque decem obtulit : talis scilicet in fide repertus, qualis in lege, qui decem verborum quinque libris Moysi præceptorum obedientiam per gratiam evangelicæ justificationis expleverit. Igitur jubetur in gaudium Domini introire, id est, in honorem gloriæ Christi recipitur (ŷ 21).

8. *Cui duo.* — Ille vero servus, cui duo talenta commissa sunt (ŷ 22), gentium populus est, fide atque confessione et Filii justificatus et Patris, (*b*) et Dominum nostrum Jesum Christum Deum atque hominem et Spiritu et carne confessus. Nam et corde fides, et ore confessio est. Hæc ergo huic sunt duo talenta commissa. Sed ut prior ille omne sacramentum in quinque talentis, id est, in lege cognoverat, idque ipsum fide Evangelii duplicaverat : ita iste incremento duum talentorum, (*c*) idque operatione promeruit. Ratione ac reditu dissimili, par tamen a Domino munus amborum est ; ut gentium fidem exæquatam credentium ex lege scientiæ nosceremus. Nam collaudatione eadem jubetur in gaudium Domini introire (ŷ 23). Est autem duplicatio sumptæ pecuniæ, operationem fidei addidisse, et quæ opinione crediderant, rebus factisque gessisse.

9. *Cui unum talentum.* — Qui vero unum talentum accepit, et in terra recondidit (ŷ 24), populus est in lege persistens, totus carnalis et stupidus, et nihil spiritale intelligens, et quem virtus prædicationis evangelicæ non subeat, sed propter invidiam salvandarum gentium, in terra acceptum talentum absconderit ; neque ipse utens, neque utendum aliis dispenset, sed sufficere sibi legem existimet ad salutem. Atque ideo cum ab eo ratio expostularetur, ita ait : *Timui te* (ŷ 25), tamquam per reverentiam ac metum veterum præceptorum, usu evangelicæ libertatis abstineat dicatque : *Ecce quod tuum est*, velut in his quæ a Domino præcepta sunt fuerit immoratus.

10. *In terra abscondere quid.* — In terra vero talentum abscondere hoc **797** est, novæ prædicationis gloriam sub obtrectatione corporeæ passionis occulere. Qui cum Christum Dominum ad salutem gentium missum fuisse non possit abnuere (nam et adventus et passio ejus ex lege est), obtemperare tamen Evangeliis ipse noluerit. Ait enim : *Scio quia*

---

gelorum munitiones : et num 6 : *Ac ne leve præsidium in apostolis, vel patriarchis ac prophetis, vel potius in angelis, qui Ecclesiam quadam custodia circumsepiant crederemus*, etc., et post pauca : *Sed forte apostolorum vel angelorum custodia sufficiens existimetur. Verum id quidem est.* Si autem nobis prospiciunt Sancti, quid æquius quam ut animum ad illos intendamus, ne nobis desint precemur, ac demum aliquam pro acceptis beneficiis gratiam eis habeamus? In his non videtur cur, uti Scultetus vult, pudore afficiendus sit Bellarminus, qui Hilarium citet invocationis sanctorum patronum. Ridendum potius ipse se præbet, ubi primum negat Hilarium hujus sententiæ patronum ; tum propositionis suæ oblitus affirmat enim *non nisi ex allegoria* docere Sanctos defunctos fidelium esse custodes. *Nulla autem*, inquit, *allegoria firmat fidem.* Quid sibi vult *ex allegoria?* An non claris, perspicuis, ac nullatenus allegoricis verbis hoc asserit? Non enim hic agitur utrum ea de sanctis doctrina in Scripturis aliquo modo contineatur, sed utrum patronus illius fuerit Hilarius. Qua de re longe minor est dubitandi ratio, cum eam e Scripturis allegorice intellectis prædicat. Cum enim hoc interpretandi genere soleat veritas alias cognita et aperta ad obscuros quosdam Scripturæ locos accommodari ; sequitur hoc Hilarium existimasse omnibus notum, quod in Scripturis allegorice intellectis contineri ostendit.

(*a*) Editi, *perfunctus*. Potiores mss. *perfuncta*, et in aliis *perfunctæ*.

(*b*) Particulam *et* adjicimus auctoritate mss. Colb. et Carn. Hac distinctius exprimuntur duo talenta, quorum primum sit in fide mysterii sanctæ Trinitatis, alterum in fide Incarnationis.

(*c*) Excusi, *atque operatione*. Sex mss. *intellectum atque operationem*. Præferimus cum potioribus, *idque* (subauditur *ipsum*) *operatione*. Hæc lectio ob brevitatem obscura, sic potest explicari, *ita iste* populus gentium *incremento duorum talentorum* intelligendus est duplicasse quod fide perceperat ; *et id ipsum*, nimirum illa duo talenta, *promeruisse operatione*, eorum scilicet quæ fides jubet. Uno verbo sicut populus legis fide Evangelii accedente duplicat talenta sua ; ita et duplicat populus fidelis, ubi quod corde credit et confitetur ore, operatione testatum facit.

homo durus es, metis ubi non seminasti, et colligis ubi non sparsisti (ỳ 24). Rerum præsentium natura non fert messem esse sine semine, et colligi quæ sparsa non fuerint : sed totus spiritalis hic sermo est. Diximus enim hunc populum esse de lege, non ignorantem Domini adventum et gentium salutem ; sed infidelem : quippe cum sciat metendos illic justitiæ fructus, ubi lex sata non sit, et colligendos ex gentibus, qui non ex Abrahæ sint stirpe dispersi : et idcirco durus hic homo sit, scilicet sine lege justificaturus, sine dispersione collecturus, et sine satione messurus.

11. *Quanta culpa. Quæ hujus culpæ vindicta.* — Atque ideo hoc magis sine venia erit, cur prædicationem occuluerit, et commissum sibi talentum suffoderit, cum scire messurum esse sine semine, et collecturum esse quæ non sparsisset : sed potius oportuisse eum nummulariis dare, id est, universo generi hominum, quod sæculi negotiis occupetur, usum crediti sibi talenti communicare, Domino reditus ejus a singulis postulaturo. Ob quam culpam talentum ab eo non tam Evangelii, quod suffoderat, quam legis aufertur, eique qui quinque duplicaverit datur, Domino dicente : *Omni enim habenti dabitur, et abundabit : qui autem non habet, etiam quod habet auferetur ab eo* (ỳ 29). Potest quidem habens abundare ; quia facile est, per incrementum vel munificentiæ vel laboris, opulentum posse ditescere : sed quo modo non habens habebit ad damnum ? Hoc ideo, quia habentibus usum evangeliorum, etiam legis honor redditur : non habenti autem fidem Christi, etiam quod ex lege habere sibi videbatur honoris, aufertur.

CAPUT XXVIII.

De adventu filii hominis venientis in majestate sua.

1. *Malorum et bonorum discretio in judicio.*— *Cum autem venerit filius hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo*, et reliqua (*Matth.* xxv, 31). Omnem ipse sermonis hujus rationem absolvit. De judicii enim tempore adventuque commemorat, quo fideles ab infidelibus separabit, atque ab infructuosis fructuosa discernet, hædos videlicet ab agnis, et in dextera ac sinistra collocans unumquemque, digna aut bonitatis aut malitiæ suæ sede constituet : (*a*) indicans se in minimis suis, id est, iis qui sibi cum humilitatis suæ exspectatione famulentur, et esurientibus ali, et sitientibus potari, et peregrinantibus confoveri, et nudis contegi, et infirmis visitari, et sollicitis consolari (ỳ 40). Ita enim in universorum fidelium corporibus mentibusque transfunditur, ut hæc (*b*) humanitatis officia, aut gratiam suam impensa mereantur, aut offensam negata commoveant.

2. Post quem sermonem, quo se venturum in reditu claritatis ostenderat, nunc passurum esse se admonet (*Matth.* xxvi, 1) : ut sacramentum crucis admixtum esse gloriæ æternitatis agnoscerent. Sumitur inter hæc perimendi ejus a Judæis consilium : et congregatis principibus sacerdotum, occasio tanti facinoris exspectatur (ỳ 4).

CAPUT XXIX.

De muliere, quæ accessit ad Jesum in domum Simonis leprosi habens alabastrum unguenti pretiosi.

1. *Cum autem esset Jesus in Bethania in domo Simonis leprosi, accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi*, et reliqua (*Matth.* xxvi, 6 *et* 7). Sub ipso tempore passionis non ex nihilo est, ut mulier unguentum pretiosum recumbentis Domini capiti infuderit : dehinc ut discipuli irascerentur, et dicerent vendi istud potius in usum pauperum debuisse (ỳ 8 *et* 9) : tum ut Dominus et mulieris factum comprobaret, et æternam cum prædicatione Evangelii operis hujus esse memoriam sponderet : postremo ut post id Judas ad vendendam salutem ejus erumperet.

2. *Mulier ungens Christum, plebs gentium. Discipulorum pro Israel favor. Pauperes, Judæi fidei indigi.* — Mulier hæc in præfiguratione gentium (*c*) plebis est, quæ in passione Christi gloriam Deo reddidit. Caput enim ejus perunxit : caput autem Christi Deus est. Nam (*d*) unguentum boni operis est fructus. Et propter corporis curam mulierum sexui maxime gratum est. Igitur omnem curam corporis sui, et totum pretiosæ mentis affectum in honorem Dei laudemque transfudit. Sed discipuli favore salvandi Israelis, ut sæpe numero, commoventur : vendi hoc in usum pauperum (*e*) debuisse. Sed neque mulier hæc venale unguentum circumferebat. Et pauperes, fidei indigos instinctu prophetico (*f*) nuncupaverunt. Atque hanc gentium fidem emi potius ad salutem egeni hujus populi debuisse. Quibus Dominus ait, plurimum esse temporis, quo habere curam pauperum possent ; cæterum non nisi ex præcepto suo salutem gentibus posse præstari, quæ secum infuso mulieris hujus unguento sint consepultæ (ỳ 11 *et* 12) : quia regeneratio non nisi commortuis in baptismi professione redhibetur. **799** Et idcirco ubi prædicabitur hoc Evangelium, narrabitur opus ejus (ỳ 13) : quia cessante Israel, Evangelii gloria fide gentium prædicatur. Qua

(*a*) Editi, *judicans* : corriguntur ex mss. Deinde, *qui sibi cum humilitatis suæ exspectatione famulentur*, id est, qui famulentur Deo omnibus humilitatis officiis, quorum retributionem ab eo exspectent. Ita in Psal. cxxxviii, n. 31, explicantur verba psalmi : *Et substantia mea in inferioribus terræ*, scil. *Christum esse in pauperibus spiritu, in tribulatis corde, in humilibus terræ, in purgamentis mundi, in Ecclesiæ infirmis. Infirmum enim Ecclesiæ id est omni humilitate summissum.*

(*b*) Sola editio Par. *humilitatis*. Beccensis codex, *unanimitatis*. Melius alii, *humanitatis*.

(*c*) Editi, *plebes est* : emendantur ex mss.

(*d*) Mss. Carn. et Colb. *in unguentum*. Forte, *in unguento*.

(*e*) In pluribus mss. hic adjicitur *dicunt*. Potius intelligitur tacitum verbum *dicentes*.

(*f*) In mss. *nuncupant*, vel *nuncupaverint*. Tum post particulam *atque*, supple verbum *obtestantur*, aut quid simile.

æmulatione in Judæ persona Israel profanus accensus, omni odio ad exstinguendum nomen Domini incitatur.

CAPUT XXX.

De die prima azymorum, in qua accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes : Ubi vis paremus tibi comedere pascha?

1. *Christianum nomen quando indultum.* — *Prima autem* (*a*) *die azymorum accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes : Ubi vis paremus tibi pascha manducare?* et reliqua (*Matth.* XXVI, 17). Discipuli ire ad quemdam hominem jubentur, et ei dicere quod cum eo Dominus pascha cum discipulis facere vellet. Qui præceptis obtemperaverunt, et pascha paraverunt (ŷ 19). Sed oportuerat eos scire quo pergerent, et de hominis nomine edoceri. Alioquin incerti ad quem mitterentur, quomodo missi quæ præcepta fuerant, exsequerentur? Verum sermo prophetiæ, rerum præsentium effectibus admiscetur. Hominem enim, cum quo pascha celebraturus esset, non nominat. Nondum enim Christiani nominis honor credentibus erat præstitus, qui vere sunt Deum mentis ac fidei oculis contuentes : ut cum eo pascha Domini Apostolos præparare sciremus, cui in tempore Domini novum nomen esset addendum.

2. *Judas corpus Christi non sumpsit.* — Post quæ Judas proditor indicatur, (*b*) sine quo pascha accepto calice et fracto pane conficitur : dignus enim æternorum sacramentorum communione non fuerat. Nam discessisse statim hinc intelligitur, quod cum turbis reversus ostenditur. Neque sane bibere cum Domino poterat, qui non erat bibiturus in regno : cum universos, tunc bibentes ex vitis istius fructu, bibituros secum postea polliceretur (ŷ 29). *Hymnoque dicto, in montem reversi sunt* (ŷ 30). Consummatis scilicet universis divinorum mysteriorum virtutibus, gaudio et exsultatione communi in cœlestem gloriam efferuntur.

3. *Petri in Christum affectus.* — Futuræ quoque eos infirmitatis admonuit, et nocte eadem omnes metu atque infidelitate turbandos (ŷ 31). Cujus rei fides etiam auctoritate prophetiæ veteris continebatur, percusso pastore oves esse spargendas (*Zach.* XIII, 7) : se tamen resurgentem in Galilæam præcessurum esse, ut infirmitatem eorum sponsione réditus sui consolaretur (*Matth.* XXVI, 32). Sed Petrus pro fidei suæ calore respondit, cæteris licet scandalizantibus (*passive*), numquam se scandalizaturum. In tantum enim et affectu et charitate Christi efferebatur (ŷ 33), ut et imbecillitatem **800** carnis suæ, et fidem verborum Domini non contueretur : quasi vero dicta ejus efficienda non essent. Cui ait : *Priusquam gallus cantet, ter me negabis* (ŷ 34). Sed tam ille, quam cæteri ne mortis quidem metu decessuros se de confessione nominis sui pollicentur : ad omnem enim se ministerii constantiam, intrepida fidei voluntate firmaverant.

CAPUT XXXI.

Cum venit Jesus in agrum qui dicitur Gethsemani, et dicit discipulis suis, Sedete donec eam illuc orare, *et de tristi anima sua usque ad mortem, de calice si possibile est transire a se, de spiritu prompto et carne infirma ; et rursum*, Pater, non potest hic calix transire nisi illum bibam? fiat voluntas tua.

1. *Tunc venit cum illis Jesus in agrum, qui dicitur Gethsemani, et dicit discipulis suis, Sedete hic donec eam illuc orare*, et reliqua (*Matth.* XXVI, 36). Fidem discipulorum, et constantiam devotæ sibi voluntatis acceperat : sed et turbandos et diffisuros sciebat. Quos considere in loco jubet, dum progrederetur orare. Et assumpsit Petrum, Jacobum et Joannem Zebedæi filios. Quibus assumptis, tristis esse mœstusque cœpit : et ait tristem animam suam usque ad mortem esse (ŷ 37, 38).

2. *Divinitati Christi tristitiam, metum*, etc., *tribuentium opinio confutatur.* — Aliquorum (*c*) ea opinio est, quod cadere propter se mœstitudo in Deum potuerit, eumque futuræ passionis metus fregerit : quia dixerit, *Tristis est anima mea usque ad mortem* (ŷ 38) ; et illud, *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste* (ŷ 39) ; et rursum, *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma* (ŷ 41) ; et (*d*) ad postremum bis idipsum, *Pater, si non potest hic calix transire, nisi illum bibam, fiat voluntas tua* (ŷ 42). Volunt enim ex infirmitate corporis ærumnam Spiritui adhærere : ac si virtutem illam incorruptæ substantiæ, imbecillitatis suæ sorte assumptio carnis infecerit, et æternitas naturam fragilitatis acceperit. Quæ si ad metum tristis est, si ad dolorem infirma, si ad mortem trepida ; jam et corruptioni subdita erit, et incidet in eam totius infirmitatis affectio. Erit ergo quod non erat, de angore mœsta, de timore sollicita, de dolore perterrita : ac sic æternitas demutata in metum, si potest esse quod non erat, potuit (*e*) perinde hoc **801** quod in ea est aliquando non esse. Deus autem sine mensura temporum semper est : et qualis est, talis æternus est. Æternitas autem in infinito manens, ut in his quæ fuerant, ita in illis quæ consequentur extenditur : semper integra, incorrupta, perfecta, præter quam nihil, quod esse possit, extrinsecus sit relictum. Non ipsa in aliquo, sed intra eam cuncta : potens ita largiri nobis ipsa quod suum est, ut sibi nihil de eo quod sit largita decedat.

3. *Quinam opinionis hujus auctores.* — Sed eorum

(*a*) Abest *die* a mss. Colb. et Carn. consentiente græco. Mox in iisdem mss. omittitur verbum *dicentes* : et post pauca non habetur, *et pascha paraverunt.*

(*b*) Etiam præsente Juda verum Pascha confectum esse colligitur ex Lucæ XXII, 19, etc., ut merito dixerit Augustinus Serm. 71, n. 17 : *Numquid et Judas magistri venditor et proditor impius, quamvis primum ipsum manibus ejus confectum sacramentum carnis et sanguinis ejus cum cæteris discipulis, sicut apertius Lucas Evangelista declarat, manducaret et biberet, mansit in Christo, aut Christus in eo?*

(*c*) Puta Arianorum, qui, ut testes sunt Gregorius Naz. Or. 51, n. 13, Augustinus de Hæres. c. 19; Theodoretus sub initium Dialogi II, ac noster Hilarius, lib. X de Trin. n. 50, prædicabant Verbum in Christo vices animæ supplevisse : adeoque mœstitudinem, tristitiam, anxietatem, dolorem, quibus animam Christi affectam esse fideles credunt, in Verbum ipsum cecidisse contendebant.

(*d*) Prima ed. Par. *et ad ipsum* : postr. *et idipsum.*

(*e*) Sic mss. Editi vero, *proinde hoc quod erat aliquando non esse.*

omnis hic sensus est, ut opinentur metum mortis in Dei filium incidisse qui asserunt non de æternitate esse prolatum neque de infinitate paternæ substantiæ exstitisse, (*a*) sed ex nullo per eum qui omnia creavit effectum : ut assumptus ex nihilo sit, et cœptus ex opere, et confirmatus ex tempore. Et ideo in eo doloris anxietas, ideo (*b*) Spiritus passio cum corporis passione, ideo metus mortis : ut qui mortem timere potuit, et mori possit; qui vero mori potuit, licet in futurum erit (*subaud.* æternus), non tamen per eum qui se genuit ex præterito sit æternus. Qui (*c*) si per fidem vitæque probitatem capaces Evangeliorum esse potuissent, scirent Verbum in principio Deum, et hoc a principio apud Deum, et natum esse ex eo qui erat, et hoc in eo esse qui natus est, quod is ipse est penes quem erat (*d*) ante quam nasceretur : eamdem scilicet æternitatem esse et gignentis et geniti. Mori igitur nihil in Deo potuit, neque ex se metus Deo ullus est. In Christo enim Deus erat mundum reconcilians sibi (II *Cor.* v, 19).

4. *Tristitia Christi non de se, sed de discipulis orta est.* — Sed introspiciendus omnis hic sermo est, ut quia mœstum fuisse Dominum legimus, causas mœstitudinis reperiamus. Admonuerat superius, omnes scandalizaturos. Petrus de se confidens responderat, etiamsi cæteri perturbarentur, se non commovendum : quem Dominus etiam ter negaturum esse respondit. Sed et ille et cæteri omnes discipuli, ne si in ipsa quidem morte positi sint, pollicentur sese negaturos. Et procedens, jussit discipulos suos considere dum oraret. Assumptisque Petro et Jacobo et Joanne cœpit tristis esse. Ergo non ante tristis est quam assumit, et omnis (*e*) metus illis esse cœpit assumptis : atque ita non de se orta est, sed de his quos assumpserat, mœstitudo. Et quidem recordandum est, non alios hic assumptos fuisse, quam ipsos illos, quibus venturus in regno suo filius hominis ostensus est, tum cum assistentibus in monte Moyse et Elia, toto æternæ gloriæ suæ honore circumdatus est (*Matth.* XVII, 1 *et seqq.*). Sed **802** quæ tunc assumendorum eorum, eadem et nunc fuit causa.

5. *Tristitia Christi usque, non ob mortem. Blasphemiam in Spiritum Christus timet suis.* — Denique et ait, *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Numquid ait, Tristis est anima mea propter mortem (*V. lib.* X *de Trinit. num.* 36)? Certe non ita. Nam si de morte erat metus, ad eam utique referri per quam erat debuit. Sed aliud est usque in id, aliud ob id metuere. Et causam non facit quidquid in fine est, quia usque in id quod ab altero cœptum sit differatur. Superius igitur dixerat, *Scandalum patiemini in me in ista nocte* (*Matth.* XXVI, 31). Sciebat exterrendos, fugandos, negaturos : sed quia Spiritus blasphemia nec hic nec in æternum remittitur, metuebat ne se Deum abnegarent, quem cæsum et conspulum et crucifixum essent contemplaturi. Quæ ratio servata in Petro est, qui cum negaturus esset, ita negavit : *Non novi hominem* (*Ibid.*, 72) : quia dictum aliquid in filium hominis remittetur. Tristis ergo est *usque ad mortem.* Non itaque mors, sed tempus mortis in metu est : quia post eam resurrectionis virtute fides esset firmanda credentium.

6. Sequitur illud : *Sustinete et vigilate mecum. Et progressus procidit in faciem suam orans* (*Ibid.*, 38, 39). Manere secum pervigiles admonet. Sciebat enim ingravante diabolo fidem eorum consopiendam : et parem secum vigilantiam imperat, quibus eadem passio immineat.

7. *Transitum calicis non sibi, sed suis deprecatur.* — Deinde orat : *Pater meus, si possibile est, transeat a me calix iste : sed tamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis.* Transire a se calicem rogat. Numquid ait, Transeat me calix iste? hæc enim futura erat pro se timentis oratio. Sed aliud est, ut se transeat, aliud ut a se transeat deprecari. In eo enim quod se transit, ipse ille a molestia (*f*) transeuntis excipitur : qui autem ut a se transeat rogat, non ut ipse prætereatur orat, sed ut in alterum id quod a se transit excedat. (*g*) Numquid possibile erat non pati Christum? Atquin jam a constitutione mundi sacramentum hoc in eo erat nostræ salutis ostensum. Numquid pati ipse nolebat? Atquin superius fundendum in remissionem peccatorum corporis sui sanguinem consecraverat (*Ibid.*, 28). Quomodo ergo ait, *Pater, si possibile est?* et quomodo, *Non sicut ego volo, sed sicut tu vis?* Totus igitur super his qui passuri erant metus conatur, quæ hominem Deum non dedeceat. Hunc imitati sunt Ambrosius et Hieronymus : ille quidem lib. X in Luc. n. 57, ubi ait : *Doles ergo, Domine, non tua, sed mea vulnera; non tuam mortem, sed nostram infirmitatem*, etc. Hic vero in Matth. c. XXVI, ubi habet, *Contristabatur autem, non timore patiendi; quia ad hoc venerat, et Petrum timiditatis arguerat : sed propter infelicissimum Judam, et dispersionem apostolorum*, etc.

(*a*) Sola editio Par. *sed ex nihilo :* tum cum mss. Rom., Colb. et Carn., *per eum qui eum creavit.*

(*b*) Id est, Christi etiam secundum eam naturam quæ corpus assumpsit.

(*c*) In vulgatis, *quod si.* Elegantius in mss. *qui*, scil. Ariani, quorum est sententia prius memorata.

(*d*) Vindocinensis codex, *ante quam nascitur.* Non satis caute hæc videntur dicta, quasi cogitari posset aliquod tempus, quo nondum natus Filius penes Patrem tantum exstitisset. At hunc pravum sensum refellunt subnexa *eamdem scilicet æternitatem esse et gignentis et geniti.* Neque hic repetendum quod in Admonitione de hoc loco præfati sumus. Cur autem de Verbi generatione disserentibus non sit admittendum, illud *antequam nascitur*, pluribus docet Hilarius ipse lib. XII de Trin. instructior jam factus, et in verbis cautior.

(*e*) Romanus codex cum Colb. et Carn., *mœstus illi esse.* In his non negat Hilarius, sed affirmat veram in Christo, tristitiam, ubi illam ea ratione explicare

(*f*) Excusi, *transeunte.* Magis placet cum mss. *transeuntis*, puta pœnæ aut cujuslibet rei.

(*g*) Beccensis codex, *numquid non possibile pati Christum :* interpolatoris opera præfert particulam negantem. Non enim obscure hic docet Hilarius fieri minime potuisse ut non Christus pateretur. Sed valet hic explicatio S. Thomæ, p. III, q. 46, a. 2, ad 2, præsulis nostri verba sibi objicientis, et ad ea respondentis hoc fieri non potuisse *supposita præscientia et præordinatione Dei de passione Christi.* Ea quippe una hypothesi tota Hilarii assertio nititur.

est : atque ideo, quia non est possibile se non pati pro his rogat qui passuri post se erant, dicens, *Transeat calix a me*, id est, quomodo a me bibitur, ita ab his bibatur, sine spei diffidentia, sine sensu doloris, sine metu mortis.

8. *Patiendi virtutem eis flagitat.* — Ideo autem *si possibile est ;* quia et carni et sanguini horum gravis terror est, et difficile est eorum acerbitate corpora humana non vinci. **803** Quod autem ait, *Non sicut ego volo, sed sicut tu vis :* vellet quidem eos non pati, ne forte in passione diffidant, sed cohæreditatis suæ gloriam sine passionis difficultate mereantur. Non ergo (*a*) ut non patiantur rogat, dicens, *Non ut ego volo :* sed ut, ait, quod Pater vult, bibendi calicis in eos ex se transeat firmitudo : quia ex voluntate ejus non tam per Christum (*b*) vinci diabolum, quam etiam per ejus discipulos oportebat.

9. *Metus Christi causa, infirmitas nostra.* — Post quæ ad discipulos redit, et dormientes deprehendit : et Petrum coarguit cur secum una saltem hora non (*c*) vigilet (ỳ 41). Petrum ideo ex tribus, quia præ cæteris non se scandalizaturum fuerat gloriatus. Superioris autem metus sui indicat causas, dicens, *Orate ne intretis in tentationem* (ỳ 41). Hoc erat igitur quod volebat; et ideo in oratione tradiderat, Non inducas nos in tentationem, ne quid in nos infirmitati carnis liceret (*Matth.* VI, 13). Cur autem ne in tentationem venirent orare eos admonuisset, ostendit dicens, *Spiritus quidem promptus, caro autem infirma*, non utique de se : ad eos enim hic sermo conversus est. Aut quomodo nunc de se spiritus promptus, si superius tristis est anima usque ad mortem ? Sed vigilari præcipit et orari, ne in tentationem incidant, ne infirmitati corporis succumbant : et idcirco si possibile est ut a se transeat calix orat, quia bibendi ejus caro omnis infirma sit.

10. *Passio Christi virtutem nobis contulit patiendi.* — Rursum vero discedens oravit, dicens, *Pater*, (*d*) *non potest transire calix iste nisi illum bibam ? fiat voluntas tua* (*Ibid.*, 42). Passuris discipulis per fidei justificationem, omnem in se corporis nostri infirmitatem assumpsit : crucique secum universa ea quibus (*e*) infirmabamur affixit. Ideo peccata nostra portat, et pro nobis dolet : quia fidei in nobis calore fervente, cum adversum diabolum passionis bello sit decertandum, omnes imbecillitatum nostrarum dolores cum corpore ejus et passione moriuntur. Et ideo transire ab eo calix non potest, nisi illum bibat : (*f*) quia pati nisi ex ejus passione non possumus.

11. *Discipulorum somnus et variæ Christi allocutiones quid significent.* — Verum quod iterum reversus reperit dormientes ; ostendit absentiæ suæ tempore plures quodam fidei somno detinendos. Sed rursum oravit, idem repetens : reversusque, qui vigilare jusserat, qui consopitos objurgaverat, ait, *Dormite jam et requiescite* (ỳ 45). Post orationem frequentem, post discursus recursusque multiplices, metum demit, securitatem reddit, in requiem adhortatur, voluntatem Patris jam de nobis securus exspectat, dicens, *Fiat voluntas tua :* quia transiturum in nos calicem bibens, infirmitatem corporis nostri, et timoris sollicitudinem, et ipsum dolorem mortis absorberet. Quod autem ad eos revertens, dormientesque **804** reperiens, primum reversus objurgat, secundo silet, tertio quiescere jubet : ratio ista est, quod primum post resurrectionem dispersos eos et diffidentes ac trepidos (*g*) reprehendet : secundo misso Spiritu paracleto, gravatis ad contuendam Evangelii libertatem oculis, visitabit. Nam aliquandiu legis amore detenti, quodam fidei somno occupati sunt. Tertio vero, id est claritatis suæ reditu, securitati eos quietique restituet.

CAPUT XXXII.

De Juda, qui erat unus de duodecim discipulis, veniente ad Jesum cum plurima turba ut eum traderet ; de gladio quem jussit Petro convertere in locum suum.

1. *In Christum nulla potestas nisi quam dederit.* — *Et adhuc eo loquente* (*h*) *ecce Judas unus de duodecim venit, et cum eo plurima turba* (*Matth.*, XXVI, 47-49). In his omnibus passionis est ordo. Sed in osculo Judæ hæc fuit (*i*) ratio : ut doceremur inimicos omnes, eosque quos sciremus desævituros in nos esse, diligere. Osculum enim ejus Dominus non respuit. Quod autem ait Judæ, *fac quod facis* (*j*) traditionis suæ potestatem sub verbi hujus conditione permittit. Nam qui juris sui habebat adversum traditores advocare (*k*) duodecim millia legionum angelorum, longe facilius unius hominis et consiliis et artibus potuisset occurrere (ỳ 55). Denique Pilato ait : *Non haberes in me potestatem, nisi data tibi esset* (*Joh.* XIX, 11). Dat igitur in se potestatem dicendo : *Fac quod facis* (*Joan.* XIII, 27) : scilicet quia voluntatis crimen pro facti pensatur invidia, re perageret quod voluntate (*l*) jam faceret.

2. *Qui gladio utens gladio peribit.* — *Unus autem*

(*a*) Mss. Rom., Colb. et Carn. *non ut patiatur.* Par. *ut non patiatur.* Præferendum videtur cum aliis libris, *ut non patiantur :* cum non amplius de Christo sermo sit, sed de discipulis, quos cum nolit Pater a passione liberos, eis saltem tribui Christus rogat, ut in passione fortes sint atque constantes.

(*b*) In sex mss. *vi vinci :* abundat vocula *vi.*

(*c*) Plures mss. *non vigilent.*

(*d*) Hic expunximus *si* auctoritate trium mss. cum eadem particula etiam, lib. X de Trin. n. 37, absit a mss.

(*e*) Ms. Rom. *infirmabatur.* Alii sex, *infirmamur.*

(*f*) S. Thomas III p., q. 46, ad 2, hæc verba sic aliter commemorat : *quia reparari nisi ex ejus passione non possumus :* minus ad rem.

(*g*) Ita ms. Carn. cum Colb. Alii vero libri, *deprehendit*, et mox. *visitavit.*

(*h*) Adjecimus *ecce* auctoritate mss.

(*i*) Par. cum mss. Colb. Carn. et Rom., *hæc fuit traditio.*

(*j*) Editi hic subjiciunt *cito :* refragantibus mss.

(*k*) Editi *plus quam duodecim legiones angelorum.* Abest *plus quam* ab omnibus mss. In tribus exstat, *duodecim millia legiones.* Vide tract. ps. LIV, n. 6.

(*l*) In pluribus mss. *jam fecerat :* rectius in aliis libris, *quod faceret*, hoc est quod jam facere significatur his verbis, *quod facis.*

ex his, qui erant cum eo gladium exserens, servo principis sacerdotum aurem abscidit : eique Dominus ait : Converte gladium tuum in locum suum. Omnes enim, qui gladio utuntur, gladio peribunt (*Matth.* XXVI, 51, 52). Ergo hic ipse jam judicatus est, quia gladio utens gladio interibit? Sed non omnibus gladio utentibus mors solet esse per gladium. Nam plures aut febris aut alius accedens casus absumit, qui gladio aut judicii officio aut resistendi latronibus necessitate sint usi. Igitur ab apostolo servo principis sacerdotum auricula desecatur : populo videlicet sacerdotio servienti, per Christi discipulum inobediens auditus exciditur, et ad capacitatem veritatis hoc quod erat inaudiens amputatur. **805** Turba autem omnis adversus Dominum gladiis armata processerat. Recondi gladium præcepit : quia eos non humano, sed oris sui gladio esset perempturus. Cæterum si secundum sententiam ejus omnis gladio utens, gladio perimeretur ; recte ad necem eorum gladius exserebatur, qui eodem utebantur ad facinus.

3. *Sacerdotis confessio. Vestis discissio.* — Reliqua vero gestorum ordinem habent. Falsi testes conquisiti : sacerdos ejus ipsius, in qua gloriabatur, legis ignarus, etiam sacramento an ipse Christus esset fidem quærens : quasi occulte de eo lex prophetæque loquerentur. Quin etiam is ipse Christum est confessus invitus, Domino dicente : *Tu dixisti*. Cujus majestate audita vestem sibi discidit, ipsum videlicet quo contegebatur velamentum legis abrumpens. In palmis vero atque sputis, ad consummandam hominis humilitatem, universa in eum contumeliarum genera exercebantur (*Ibid.*, 59-67).

4. *Petri negatio.* —Diligenter autem contuendum est, qua conditione Petrus negaverit : quanquam de hoc superius tractatum est. Nam primo ait, non se intelligere quid diceret : sequenti, non se ei adhæsisse : tertio vero, se hominem non nosse. Et vere (*a*) prope jam sine piaculo hominem negabat, quem Dei filium primus agnoverat : tamen quia ex infirmitate carnis vel ambiguus extitisset, amarissime flevit, recolens trepidationis istius culpam se nec admonitum potuisse vitare (*Ibid.*, 70-75).

5. *Judæ pœnitentia ementium arguit infidelitatem.* — Traditur deinde Pilato gentium judici. Non enim judicari reus poterat ex lege, ipse sine dolo atque peccato. *Tunc videns Judas, qui eum tradidit, quoniam damnatus est*, et cætera (*Matth.*, XXVII). Judas agens pœnitentiam, pretium sanguinis Christi reddidit sacerdotibus : ut licet ipse venditi sanguinis justi auctor esset, tamen ementium infidelitatem ipsa professio vendentis argueret. *Qui responderunt, quid ad nos ? Tu videris* (℣ 4). Professio audax atque cæca est. Emisse se justi sanguinem audiunt, et extra judicii reatum futuros esse se credunt : cum tamen dicendo : *Tu videris*, facinus ipsum in vendente constituant, contra autem vendentis testimonio scelus ementium confirmetur. Secedens itaque suspendit se damnato Christo (℣ 5). Ita mortis Judæ tempus est comparatum ut sub passione Domini commotis infernis supernisque omnibus et revulsis, et in oblivionem officii sui universorum elementorum procuratione stupefacta, nec inter mortuos visitaretur, nec inter vivos post resurrectionem haberet pœnitentiæ facultatem.

6. *Emptio agri figuli de pretio Christi plena mysteriis.* —De argenteis vero redditis (*Ibid.*, 6), quia pretium **806** sanguinis esset, neque in (*b*) corbanan, id est, in oblationum pecunia admisceri liceret, consilio inito emitur ager figuli, et in sepulturam peregrinorum deputatur. Magnum in hoc prophetiæ sacramentum (*c*) et in factis iniquitatis miraculi plena meditatio. Figuli opus est de luto vasa formare : cujus in manu sit, ex luto eodem vas aut idipsum aut pulchrius reformare. Agrum autem sæculum nuncupari, ipsis Domini nostri verbis continetur (*Matth.* XIII, 38). Christi ergo pretio sæculum emitur, id est, universitas ejus acquiritur, et in sepulturam peregrinorum atque inopum deputatur. Nihil hinc pertinet ad Israel, et totus hic sæculi empti usus alienis est : his videlicet, qui in pretio Christi sanguinis sepelientur, quo universa sunt empta. Omnia enim a Patre accepit, quæ in cœlis et quæ in terra sunt (*Matth.* XXVIII, 18) : et ideo hic ager figuli est, quia Dei omnia sunt, cujus in manu sit, nos ut velit tamquam figulus reformare. In hoc igitur agro Christo commortui et consepulti, hujus peregrinationis nostræ æternam requiem sortiemur. In cujus rei fidem Jeremiæ prophetia subditur, ut in facti istius opere tanto ante divinæ vocis auctoritas ostenderetur (*Matth.* XXVII, 9).

7. *Cur sacerdoti :* Tu dixisti, *Pilato :* Tu dicis, *responsum est.*— Interroganti autem Pilato, an ipse esset rex Judæorum, respondit : *Tu dicis*. Sed quam diversus sermo est, qui fuerat ad sacerdotem ? Illi enim quærenti, an ipse Christus esset, dixerat : *Tu dixisti* (*Matth.* XXVI, 64). Hoc ideo, quia lex omnis venturum Christum prædicaverat, respondetur tamquam de præteritis sacerdoti, quia semper venturum Christum ex lege (*d*) ipse dixisset. Huic vero legis ignaro, interroganti an ipse esset rex Judæorum, dicitur : *Tu dicis :* quia per fidem præsentis confessionis salus gentium est, et quod hoc de se ille qui antea ignorabat loquatur, quod hi negent qui antea loquebantur.

CAPUT XXXIII.

De Pilato : cum sederet pro tribunali, misit ad illum uxor sua, dicens : Nihil tibi sit et justo isti. *De transeuntibus juxta crucem qui movebant capita sua, et dicebant :* Hic est qui destruebat templum, et in triduum illud reædificabat.

1. *Pilati uxor, gentium plebs. Lotio manuum Pilati.*— *Sedente autem Pilato pro tribunali, misit ad illum uxor sua, dicens : Nihil tibi sit et justo isti* (*Matth.* XXVII, 19). Species in ea gentium plebis est : quæ jam fidelis eum, cum quo conversabatur, incredulum populum ad Christi fidem **807** advocat. Quæ quia ipsa multum sit passa pro Christo, in eamdem gloriam futuræ spei illum cum quo conversabatur invitat. Denique Pilatus et manus lavit, et populo Judaico innocentem se a Domini sanguine esse testatus est (℣ 24) : quia Judæis suscipientibus in se ac filios suos fusi dominici sanguinis crimen, quotidie in confessionem fidei ablutus gentium populus demigrat (℣ 25).

(*a*) Ita Ambrosius, l. x in Luc., n. 82 : *Et bene*, inquit, *negavit hominem, quia sciebat Deum.* Hujusmodi interpretationem notare videtur Hieronymus in Matth. c. XXVI : *Scio*, inquit, *quosdam pio affectu erga apostolum Petrum, locum hunc ita interpretatos, ut dicerent Petrum non Deum negasse, sed hominem : et esse sensum : Nescio hominem, quia scio Deum. Hoc quam frivolum sit, prudens lector intelligit : sic defendunt Apostolum, ut Deum reum faciant.* Ambigi tamen potest an in Hilarium cadat Hieronymi reprehensio. Dicens quippe Christum a Petro, qui primus eum confessus erat Deum, hominem jam quodam modo negari potuisse, non tam illum excusat, quam excusandi affectum demonstrat. Non vult illum sine piaculo, sed tantum negandi rationem specie veritatis non carere asserit. Deinde Christum non facit mendacii reum, qui Petrum vere negasse, ac negando culpam incurrisse non diffitetur. Vide quæ observavimus ad tract. ps. LII, n. 12. Ad Ambrosium vero quod attinet, fatetur loco prædicto, n. 87, se Petrum quidem benigne voluisse excusare, sed ipsummet Petrum se minime excusare, immo peccatum ultro confiteri ac flere.

(*b*) Sic mss. juxta græcum κορβανᾶν, ubi in vulgatis *corbanam*.

(*c*) Editi, *et in factis et in dictis miraculi*, etc., reluctantibus mss.

(*d*) Editi, *ipse didicisset*. Verius mss. *ipsa dixisset*, nimirum in persona legis, quæ retroactis temporibus Christum constanter prædixit.

2. *Barabbas quid.*—Offerenti vero Pilato, ut, secundum solemnis diei privilegium, quo unum ex reis, poscentibus dimitti oportebat, Jesum absolveret (*Ibid.*, 17) : Barabban potius hortantibus sacerdotibus populus elegit (ỳ 20, 21). Interpretatio autem nominis Barabbæ est patris filius. Jam itaque arcanum futuræ infidelitatis ostenditur, Christo patris filium præferendo, antichristum scilicet hominem peccati et diaboli filium : potiusque adhortantibus principibus suis eligunt damnationi reservatum, quam salutis auctorem.

3. *Chlamys coccinea et purpurea. Corona spinea. Calamus in manu. In capite.*— Cæso deinde Domino imponitur chlamys coccinea, et vestis purpurea, et corona spinea, et arundo dexteræ, et genu posito adoratus illuditur. Susceptis videlicet omnibus corporis nostri infirmitatibus, omnium deinde martyrum, quibus regnum secum erat debitum, sanguine in cocci colore perfunditur; pretiosoque prophetarum ac patriarcharum, in purpura, honore vestitur. Spinis quoque, id est, compungentium quondam peccatis gentium coronatur: ut ex rebus perniciosis atque inutilibus, quæ capiti ejus, id est, Deo circumdata moliuntur (*a*), gloria quæreretur peccatorum. Est enim aculeus in spinis, ex quibus Christo victoriæ corona contexitur. In calamo vero earumdem gentium infirmitas atque inanitas manu comprehensa firmatur. Quin etiam capiti ejus (*b*) illiditur. Capiti, ut opinor, de ictu calami non grandis injuria est : sed typica in eo ratio servatur, ut infirmitas gentilium corporum manu Christi antea comprehensa, etiam in Deum patrem, quod caput ejus est, acquiescat. In his autem omnibus Christus dum illuditur adoratur (*Ibid.*, 28-30).

4. Procedentes autem, homini quidam Cyrenensi lignum passionis imponunt. Indignus enim Judæus erat Christi crucem ferre : quia fidei gentium erat relictum, et crucem accipere et compati. Locus deinde crucis talis est, ut positus in medio terræ, et tamquam in vertice hujus universitatis insistens; ad capessendam Dei cognitionem universis gentibus esset æqualis. Oblatum quoque vinum felli (*c*) admixtum bibere recusavit : non enim æternæ gloriæ incorruptioni peccatorum amaritudo miscetur. Vestis vero ejus sorte potius divisa quam scissa, mansuram incorruptionem corporis indicabat (*Ibid.*, 32-35).

5. *Latronum situs quid repræsentet.* — Atque ita in ligno vitæ, cunctorum salus et vita suspenditur : cui duo latrones, lævæ ac dexteræ affiguntur, ((*d*) et ideo cum eo, ut intelligi posset mors hominum a morte Unigeniti discrepare : ille enim reddidit spiritum sponte cum voluit, istis crura sunt comminuta (*Lucæ* XXIII, 33) omnem humani generis universitatem vocari ad sacramentum passionis Domini ostendentes. Sed quia per diversitatem fidelium atque infidelium fit omnium secundum dexteram sinistramque divisio : unus ex duobus ad dexteram situs, fidei justificatione salvatur (*Ibid.*, 43). Additur etiam illud opprobrium, quo se ipse Israel infidelitatis argueret, cum dicitur : *Hic est qui destruebat templum Dei, et in triduum illud reædificabat*, et reliqua (*Matth.* XXVII, 40). (*e*) Non erat difficile de cruce descendere : sed sacramentum erat (*f*) paternæ voluntatis explendum. Sed majora opera in cruce positus agebat, totius commotione naturæ : hoc igitur maximum omnium, et veluti difficillimum ponitur? Quid ergo veniæ erit, cum post triduum reædificatum Dei templum in corporis resurrectione cernetur? Quod autem latrones ambo conditionem ei passionis exprobrant (ỳ 44); universis etiam fidelibus scandalum crucis futurum esse significat.

6. *Triduum mortis Christi. Derelictio Christi a Deo. Aceti potati mysterium.* — Nox autem ex die, divisio temporum est. Ita enim tertius dierum trium totidemque noctium numerus expletur : et occultum divinæ operationis mysterium totius creationis stupore sentitur. (*g*) Clamor vero ad Deum, corporis n. 11, acriter contendat, quod caro spoliata, et carne se spolians, et corpus a mortuis excitans, unus et idem Christus sit; cum denique lib. x, n. 59, etc., non minori contentione disputet adversus Christi divisores, unum et eumdem esse Christum qui et in sepulcro jaceat, et in cœlo regnet; æquius est ut hæc eum illæsa substantiali Verbi cum carne conjunctione dixisse existimemus. Hoc igitur ita dixerit, ut cum Verbum virtute sua valeret corpus a morte protegere, illud dereliquerit, cui non adfuit, ut mortem ab eo arceret. Sic supra, c. 3, n. 2. Christus ut esuriret, *hominem naturæ suæ dereliquisse* prædicatur : quod de substantiali Verbi separatione ac derelictione nemo dictum intellexerit. Deinde sententia, a qua Hilarium stetisse quidam opinantur, hoc fidem pulsat, quod non vere mortuus sit Dei filius, si a carne ante mortem secesserit. At quam integra sit ea illius fides, planum est ex his lib. III de Trin., n. 15 : *Dei Filius crucifigitur : sed in cruce hominis mortem Deus vincit. Christus Dei filius moritur : sed omnis caro vivificatur in Christo. Dei filius in inferis est : sed homo refertur ad cœlum.* Ex quibus patet eum sensisse, Dei Filium neque in morte a carne, neque in inferis ab anima fuisse separatum. Porro in his, *Clamor vero ad Deum, corporis vox est*, etc., *corporis* nomine totus homo potest intelligi : quemadmodum, lib. III de Trin. num. 16, cum de verbis Christi : *Clarifica me, Pater, apud temetipsum*, etc., subjicitur : *Hæc carnis deprecatio est*, vocabulum *carnis* ad totum hominem refertur. Si autem totus homo etiam secundum animam a Filio Dei ante mortem desertus fuit, in inferis non fuit Filius Dei. Notatu dignum est, quod in ps. CXLI, n. 6, hæc verba, *Deus meus*, non de Christo homine ad Verbum, sed de Filio ad Patrem interpretetur in hunc modum : *Cum proclamat, Deus meus, quare me dereliquisti? in his non est infirmitatis suæ confessio, sed paternæ virtutis prædicatio.* Qui plura vo-

(*a*) In pluribus mss. *molliuntur* : quæ lectio sibi magis cohærere primum videbatur. In mentem etiam venerat, *moriuntur*. At postmodum duximus retinendum *moliuntur*, hoc est, peccata spinis repræsentata, non jam fiunt perniciosa et inutilia, sed operantur, nimirum gloriam. Tum apud Lips. et Par. vocabulum *peccatorum* a verbo *quæreretur* puncto discretum, cum subsequentibus *est enim* copulabatur, renitentibus Bad., Er. et mss. in quorum nonnullis exstat, *est autem aculeus*. Nonnihil perplexum hunc Hilarii locum illustrat Ambrosius, lib. x in Luc., n. 105 : *Corona quoque de spinis capiti ejus adnexa, quid aliud quam divini operis munus ostendit, quod de peccatoribus mundi, tamquam sæculi spinis, triumphalis gloria Deo quæreretur?*

(*b*) Par cum mss. Rom., Colb. et Carn. *inditur*. Ex aliis libris revocamus *illiditur* : maxime cum in ps. CXLIII, n. 16, legatur : *Iniqua dextera est, cum palmis cædit, cum virgis laniat, cum calamo collidit.*

(*c*) In duobus mss. *felle* : et paulo post, *incorruptio* non *incorruptioni*. Tum *peccatorum amaritudo*, id est, amaritudo quæ peccatorum pœna est. Unde Ambrosius, lib. x in Luc., n. 124, ad mentem Hilarii, *Sinceritati*, inquit, *non debuit amaritudo misceri, ut ostenderetur sine amaritudine immortalitas resurgentium futura.*

(*d*) Apud Bad. Er. Lips. et in quinque mss. desunt, quæ intra parenthesim comprehenduntur.

(*e*) Rursum in iisdem editis et scriptis quatuor versus sequentes desiderantur, ab hinc scilicet usque ad verba, *hoc igitur maximum*, ubi habent, *hic igitur maximum.*

(*f*) Apud Par. *patientiæ voluntatis* : reluctantibus mss., ex quibus hi versus primum vulgati sunt.

(*g*) Multi ob hunc locum existimant Hilarium sensisse, carnem Christi morientis a Verbi divinitate fuisse separatam. At cum lib. VIII de Trin., n. 15, de Christo affirmet : *Naturam nostræ carnis jam inseparabilem sibi homo natus assumpsit*; cum etiam lib. IX,

vox est, recedentis a se Verbi Dei contestata dissidium. Denique cur relinquatur exclamat, dicens : *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti* (ỳ. 46)? Sed relinquitur; quia erat homo etiam morte peragendus. Quin etiam hoc, quod per calamum datum in spongia acetum cum potasset, proclamans spiritum reddidit, diligenter est contuendum (*Ibid.*, 48-50). Vinum et honor est immortalitatis et virtus, quod per vitium aut incuriæ aut 809 vasis inacescit. Hoc igitur cum in Adam coacuisset, ipse accepit et potavit ex gentibus. In calamo enim ex spongia ut potaret offertur, id est, ex corporibus gentium vitia corruptæ æternitatis accepit; et in se atque immortalitatis (*a*) communionem ea quæ in nobis erant vitia transfudit. Denique in Joanne, post quam perpotaverat, dixit : *Consummatum est* (*Joan.* XIX, 30) : quia (*b*) omne vitium humanæ corruptionis hausisset. Et quia nihil agendum esset extrinsecus (*c*), spiritum cum clamore et voce magna emisit (*Matth.* XXVII, 50); dolens non omnium se peccata (*d*) portare.

7. *Quæ Christi mortem consecuta sunt.* — Et deinceps velum templi scinditur : quia exinde populus est divisus in partes, et veli honor cum custodia Angeli protegentis aufertur. *Movetur terra :* capax enim hujus mortui esse non poterat. *Petræ scissæ sunt :* omnia enim tum valida et fortia penetrans Dei verbum et potestas æternæ virtutis irruperat. *Et monumenta aperta sunt :* erant enim mortis claustra (*e*) reserata. *Et multa corpora sanctorum dormientium surrexerunt :* illuminans enim mortis tenebras, et infernorum obscura collustrans, in sanctorum ad præsens conspicatorum resurrectione mortis ipsius spolia detrahebat. Ut autem infidelitatis facinus Israeli accumularetur; centurio et custodes hanc totius naturæ perturbationem contuentes, Dei filium confitentur (*Ibid.* 51-54).

8. *Sepultura Christi.* — Quod autem a Joseph rogato Pilato ut corpus redderet, et sindone involvitur, et in monumento novo in petra excisa reponitur et saxum monumenti ostio advolvitur (*Ibid.*, 58-60) : quamquam sit ordo gestorum, et sepeliri eum esset necesse, qui resurrecturus esset ex mortuis; tamen non sine rerum aliquarum momento expressa sunt singula. Joseph apostolorum habet speciem : et idcirco quamquam in duodecim apostolorum numero non fuerit, discipulus Domini nuncupatur. Hic munda sindone corpus involvit. Et quidem in hoc eodem linteo reperimus de cœlo ad Petrum universorum 810 animantium genera summissa (*Act.* X, 12). Ex quo forte non superflue intelligitur, sub lintei hujus nomine consepeliri Christo ecclesiam : quia tum in eo, ut in confusione ecclesiæ, mundorum atque immundorum animalium fuerit congesta diversitas. Domini igitur corpus tamquam per apostolorum doctrinam infertur in vacuam et in novam requiem lapidis excisi : scilicet in pectus duritiæ gentilis quodam doctrinæ opere excisum Christus infertur, rude scilicet ac novum, et nullo antea ingressu timoris Dei pervium. Et quia nihil præter eum oporteat in pectora nostra penetrare, lapis ostio advolvitur : ut quia nullus antea in nos divinæ cognitionis auctor fuerat illatus, nullus absque eo postea inferatur. Metus deinde furandi corporis et sepulcri custodia atque obsignatio, stultitiæ atque infidelitatis testimonium est : quod signare sepulcrum ejus voluerint, cujus præcepto conspexissent de sepulcro mortuum suscitatum.

9. *Resurrectio die Dominica. Angelus ejus index primus cur. Cur primum mulierculæ ejus consciæ.* — Motus vero terræ tempore matutino (*Matth.* XXVIII, 2), diei dominici resurrectionis est virtus : cum contuso mortis aculeo, et illuminatis illius tenebris, resurgente Virtutum cœlestium Domino, infernorum trepidatio commovetur. Angelus autem Domini de cœlo descendens, et lapidem revolvens, et sepulcro adsidens, misericordiæ Dei patris insigne est, resurgenti filio ab inferis Virtutum cœlestium ministeria mittentis. Atque ideo prior ipse resurrectionis est index, ut quodam famulatu paternæ voluntatis resurrectio nuntiaretur. Sed confestim Dominus mulierculis per angelum adhortatis occurrit, et consalutat (*Ibid.*, 9) : ut nuntiaturæ exspectantibus discipulis resurrectionem, non angeli potius quam Christi ore loquerentur. Quod vero primum mulierculæ Dominum vident, salutantur, genibus advolvuntur, nuntiare apostolis jubentur; ordo in contrarium causæ principalis est redditus : ut quia a sexu isto cœpta mors esset, ipsi primum resurrectionis gloria et visus et fructus et nuntius redderetur. Emitur vero a custodibus, qui omnia hæc viderant 811 argento resurrectionis (*f*) Christi silentium, et mendacium furti honore scilicet sæculi et cupiditate, (*g*) quia in pecunia honor ejus est, Christi gloria denegatur (*Ibid.*, 12, 13).

1. (*h*) *Principes vero sacerdotum, qui debuerant converti ad pœnitentiam, et Jesum quærere resurgentem, perseverant in malitia : et pecuniam, quæ ad usus templi data fuerat, vertunt in redemptionem mendacii, sicut ante triginta argenteos Judæi* (*Hieron.* Judæ) *dederant proditori. Omnes igitur, qui stipe templi, et his quæ conferuntur ad usus Ecclesiæ, abutuntur in aliis rebus, quibus suam expleant voluntatem, similes sunt Scribarum et sacerdotum, redimentium mendacium et sanguinem Salvatoris.*

2. Undecim autem discipuli ejus abierunt in Gali-

let, adeat specialem ea de re dissertationem in generali præfatione, § 4.

(*a*) Ita mss. Rom. Colb. et Carn. Clarius repeteretur præpositio *in* ante *immortalitatis.* Alii vero libri, *communione ea quæ in nobis erant vitiata.* In eadem verba Ambrosius loco laudato, n. 124 : *Vitium corruptæ per Adam immortalitatis aboletur in calamo, ut de corpore absorberetur humano. Nos quoque vitia nostra per incuriam mentis corporisque concreta transfundamus in Christum.*

(*b*) Vocabulum *omne* non exstat in quinque mss. Retinemus tamen cum sincerioribus, hoc postulante verbo *consummatum est*, et Ambrosio consentiente, num. 125, ubi habet : *Consummata sunt omnia, eo quod assumptæ mortalitatis impletum esset omne mysterium, et exhaustis omnibus vitiis, immortalitatis sola lætitia remansisset.*

(*c*) Quo nimirum invitus amitteret spiritum, quem quia nulla vi externa potuit amittere, volens emisit. *Quod enim emittitur, voluntarium est; quod amittitur, necessarium*, inquit Ambrosius, lib. X, in Luc., n. 127. Subinde apud Bad., Er., Lips. et in quinque ms. *cum clamore vocis magnæ.*

(*d*) Editi, *potare :* renitentibus mss.

(*e*) Par. cum mss. Colb., Carnut. et Rom. *reseranda.* De resurrectione sanctorum, qui tum Jerosolymis visi sunt, vide observata col. 275 hujus editionis, not. *d.*

(*f*) In sola edit. Par. *resurrectionis Christi. Principes vero*, omissis intermediis. His similia sunt illa Tract. ps. LXVIII, n. 25 : *Quatenus silentium resurrectionis pecunia emerint... cognitum est :* et in ps. II, n. 12 : *Qui resurrectionis silentium a militibus, et famam furati corporis emerant*, etc.

(*g*) In mss. Colb. et Carn. desiderantur sequentia hujus num. verba.

(*h*) Quod sequitur, primum vulgatum est in editione Parisiensi an. 1605, et ut quidem conjectamus, ex ms. nunc Colb. quem unum tunc recensitum fuisse, facile intelligere est. Exstat etiam ad calcem ms. Carnut., sed altero et recentiore charactere. Hic adsutum est ex commentario Hieronymi, primis dumtaxat verbis mutatis; adeo ut positum sit : *Principes vero sacerdotum*, ubi apud Hieronymum est, *Illi vero.* Nec latet voluisse quempiam hunc Hilarii commentarium ad postrema usque Matthæi verba perducere.

læam, in montem ubi constituerat illis Jesus (ỳ 16). *Post resurrectionem Jesus in monte et Galilæa conspicitur, ibique adoratur, licet quidam dubitent, et dubitatio eorum nostram augeat fidem.*

3. *Tum manifestius ostenditur Thomæ : et latus lancea vulneratum, et manus fixas demonstrat clavis.* Accedens Jesus locutus est eis dicens : Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra (ỳ 18). *Illi potestas data est, qui paulo ante crucifixus, qui sepultus in tumulo, qui mortuus jacuerat, qui postea resurrexit. In cœlo autem et in terra potestas data est : ut qui ante regnabat in cœlo, per fidem credentium regnet in terris.* Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti (ỳ 19). *Primum docent omnes gentes, deinde doctas intinguunt aqua. Non enim fieri potest, ut corpus baptismi recipiat sacramentum, nisi ante anima fidei susceperit veritatem. Baptizantur autem* in nomine Patris A et Filii et Spiritus sancti : *ut quorum est una divinitas, sit una largitio; nomenque Trinitatis unus Deus est.*

4. Docentes eos servare omnia quæcumque mando vobis (ỳ 20). *Ordo præcipuus : jussit apostolis, ut primum universas docerent gentes, deinde fidei tingerent sacramento, et post fidem ac baptisma, quæ essent observanda præciperent. Ac ne putemus levia esse quæ jussa sunt et pauca, addidit* : Omnia quæcumque mandavi vobis : *ut qui crediderint, qui in Trinitate fuerint baptizati, omnia faciant quæ præcepta sunt.* Et ecce ego vobiscum sum (*mss. addunt*, omnibus diebus) usque ad consummationem sæculi. *Qui usque ad consummationem sæculi cum discipulis se futurum esse promittit, et illos ostendit semper esse victuros, et se numquam a credentibus recessurum. Qui autem usque ad consummationem mundi sui præsentiam pollicetur, non ignorat illam diem, in qua scit se futurum cum apostolis.*

INDEX RERUM QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

Epistola nuncupatoria editionis benedictinæ eminentissimi DD. Cæsari S. R. E. cardinali. 8

PRÆFATIO GENERALIS. 11

I. De Variis operum S. Hilarii editionibus. 14
II. De codicibus mss. 17
III. De Hilarii operibus quæ exciderunt. 19
IV. Unde obscurus sit Hilarii sermo. Quid in hac editione præstitum. 26
§ I. *De conceptione Christi sana sancti Hilarii fides demonstratur.* 30
I. Carnem Christi ex Mariæ carne susceptam passim Hilarius docuit. 31
II. Spiritus sancti vocabulo quid dixerit Hilarius a censoribus suis non intellectum est. 55
III. Aliquot loci in quibus Hilarius Christi carnem ex Matre sumptam negare visus est explanantur. 40
§ II. *De naturali unitate cum Christo, eoque mediante, cum Patre ; ubi et vera Hilarii de Eucharistiæ sacramento fides a falsis Sculteti interpretationibus vindicatur.* 45
I. Unitas hominum cum Christo ob naturam illorum ab eo assumptam. 44
II. Hominum cum Christo unitas ob carnem illius in Eucharistia perceptam. 46
III. Unitas Christi et hominum. Qui Christus nos cum Patre unum esse efficiat. 51
§ III. *An Hilarius Christum esuriendi, timendi, dolendi, aliisque humanis affectibus obnoxium negarit.* 52
I. Præcipui Hilarii in hac causa reprehensores ac defensores. 53
II. Quam multa Hilarius docuerit objecto sibi errori adversa. 54
III. In libris Hilarii de Trinitate multa sunt Christi indolentiæ contraria. 57
IV. De hæresi quæ Christi divinitatem passam esse asserebat. 60
V. Hilarius de Christi tristitia, metu, dolore, etc., contra hæreticos qui ea Verbo tribuebant, disputat. Qui eis resistat. 65
VI. Quid Hilario sit passio seu pati, quid Christus, quid Christi natura aut virtus. 69
VII. Synopsis argumentorum quibus Hilarius de passione Christi recte sensisse probatur. 76
§ IV. *An Hilarius, moriente Christo, Verbum a carne secessisse senserit.* 78
I. Qui e veteribus videantur Verbum a carne Christi mortua separatum sensisse. Qua ratione ab hæreticis dissideant. 79
II. Qui verba Hilarii de Christi derelictione fidei sint consentanea. 81
III. Hilarius Christum nunquam dividendum esse acerrime propugnat. 84
§ V. *De gloria Christi hominumve aliorum post resurrectionem singulares locutiones explicantur.* 87
§ VI. *De regno Christi a regno Dei Patris distincto.* 95
I. Quando Hilarius regnum Christi a regno Dei distinguat. 96
II. Hilarius a Millenariorum aliorumque eis affinium errore vindicatur. 98
III. In quo Hilarius situm velit regnum Dei, in quo regnum Christi. 100
§ VII. *De judicio novissimo : an aliquos Hilarius ab eo excluserit.* 106
§ VIII. *De igne judicii.* 111
§ IX. *An Hilarium fugerit rerum spiritalium notitia. Quid de gratia senserit.* 115
Vita sancti Hilarii Pictaviensis episcopi ex ipsius scriptis ac veterum monumentis nunc primum concinnata. 125
Caput primum. Hilarii ortus ; an ex Christianis parentibus sit. *Ibid.*
Cap. II. Hilarii eruditio, fides et vivendi ratio donec ad clerum adsciscatur. 128
Cap. III. Episcopatum suscipit ; quid de ejus munere sentiat ; qui eo fungatur. 133
Cap. IV. Hilarii a Mediol. syn. ad Biterrensem gesta. 136
Cap. V. Biterrensi synodo Hilarii gesta et exilium. 140
Cap. VI. Hilarii in exilio studia ac gesta ad fin. an. 358. 143
Cap. VII. Quid Hilarius a fine anni 358 ad concilium seleuciense egerit. 148
Cap. VIII. Qui Hilarius Seleuciæ se gesserit. 151
Cap. IX. Quid Hilarius Constantinopoli agat. 155
Cap. X. Reliqui Hilarii pro Ecclesia labores, dum Constantinopoli versatur. 158
Cap. XI. Hilarii ab exilio reditus ac labores ad Gallias ab hæresi purgandas. 162
Cap. XII. De Hilarii in Italia laboribus, et Luciferi schismate. 165
Cap. XIII. Hilarii cum Auxentio congressus. 177
Cap. XIV. Hilarii acta reliqua et mors. 170
Cap. XV. S. Hilarii miracula, reliquiæ, discipuli. 175
Vita S. Hilarii, auctore Hieronymo. 188
Vita S. Hilarii a Fortunato scripta. 184
Admonitio. *Ibid.*
Præfatio auctoris in librum primum. 185
Liber primus. 186
In librum secundum Fortunati prologus. 194
Liber II. — De miraculis S. Hilarii. 195
De translatione S. Hilarii Petri Damiani sermo. 199
Selecta veterum testimonia de S. Hilario. 205
Notitia litter. in S. Hilarium, auctore Schœnemann. 207
§ I. *Vita. Ibid.* — § II. *Scripta.* 209. — § III. *Editiones.* 210
Syllabus manuscriptorum, necnon editorum codicum ad quos exacta et emendata sunt S. Hilarii opera. 219
Admonitio in tractatum Hilarii super Psalmos. 221
Sancti Hilarii Pictav. episc. tract. super Psalmos. 231
In librum Psalmorum prologus. *Ibid.*
Psalmus primus. *Ibid.*
Clavis sive introitus in primum psalmum. 247
Tractatus psalmi primi, 250. — Psalmus II, 261. — Tractatus psalmi II, 262. — Psalmus XIII, 294. — Tractatus psalmi XIII, *ibid.* — Psalmus XIV, 297. — Tractatus psalmi XIV, 299. — Psalmus LI, 308. — Tractatus psalmi LI, 309. — Psalmus LII, 324. — Tractatus psalmi LII, 325. — Psalmus LIII, 337. — Tractatus psalmi LIII, *ibid.* — Psalmus LIV, 346. — Tractatus psalmi LIV, 347. — Psalmus LV, 357. — Tractatus psalmi LV, *ibid.* — Psalmus LVI, 362. — Tractatus psalmi LVI, *ibid.* — Psalmus LVII, 368. — Tractatus psalmi LVII, *ibid.* — Psalmus LVIII, 373. — Tractatus psalmi LVIII, 374. — Psalmus LIX, 382. — Tractatus psalmi LIX, *ibid.* — Psalmus LX, 391. — Tractatus psalmi LX, *ibid.* — Psalmus LXI, 394. — Tractatus Psalmi LXI, 395 — Psalmus

LXII, 400.—Tractatus psalmi LXII, 401.—Psalmus LXII, 407. — Tractatus psalmi LXIII, *ibid.* — Psalmus LXIV. 415. — Tractatus psalmi LXIV, *ibid.* — Psalmus LXV, 425. — Tractatus psalmi LXV, 424. —Psalmus LXVI, 457, Tractatus psalmi LXVI, *ibid.* — Psalmus LXVII, 441. — Tractatus psalmi LXVII, 445. — Psalmus LXVIII, 469. — Tractatus psalmi LXVIII, 470. — Psalmus LXIX, 490. — Tractatus psalmi LXIX, *ibid.* — Tractatus de titulo psalmi XCI, 493. — Tractatus psalmi CXVIII. Prologus. 500

Prima littera, א Aleph, 505. — Littera II, ב Beth, 511. —Littera III, ג Ghimel 516.—Littera IV, ד Daleth, 527. — Littera V, ה He, 532. — Littera VI, ו Vau, 542. — Littera VII, ז Zain, 548. — Littera VIII, ח Heth, 551. — Littera IX, Teth, ט 560. — Littera X, י Jod, 563. — Littera XI, כ Caph, 571. — Littera XII, ל Lamed, 576. — Littera XIII, מ Mem, 584. — Littera XIV, נ Nun, 589. — Littera XV, ס Samech, 599. — Littera XVI, ע Ain, 605, — Littera XVII, פ Phe, 618. — Littera XVIII, צ Zade. 620.— Littera XIX, ק Koph, 625.— Littera XX, ר Resch, 651. — Littera XXI, ש Sin, 657. — Littera XXII, ת Tau, 641. — Prologus in Cantica quindecim graduum, 644. — Psalmus CXIX, 647. — Tractatus psalmi CXIX, *ibid.* — Psalmus CXX, 656. — Tractatus psalmi CXX, *ibid.* — Psalmus CXXI, 662. — Tractatus psalmi CXXI, 665. — Psalmus CXXII, 669. — Tractatus psalmi CXXII, 670. — Psalmus CXXIII, 676. — Tractatus psalmi CXXIII, 677. — Psalmus CXXIV, 681. — Tractatus psalmi CXXIV, *ibid.* — Psalmus CXXV, 686. — Tractatus psalmi CXXV. 687

Admonitio in quinque tractatus subsequentes, 693. — Psalmus CXXVI, 694. — Tractatus psalmi CXXVI, 695. — Psalmus CXXVII, 705.—Tractatus psalmi CXXVII, *ibid.* — Psalmus CXXVIII, 712. — Tractatus psalmi CXXVIII, 713. — Psalmus CXXIX, 720. — Tractatus psalmi CXXIX, *ibid.* — Psalmus CXXX, 727. — Tractatus psalmi CXXX, *ibid.* — Psalmus CXXXI, 729. — Tractatus psalmi CXXXI, 750. —Psalmus CXXXII, 740. — Tractatus psalmi CXXXII, *ib.* —Psalmus CXXXIII, 750.—Tractatus psalmi CXXXIII, *ibid.* — Psalmus CXXXIV, 752. — Tractatus psalmi CXXXIV, 753. — Psalmus CXXXV, 767. —Tractatus psalmi CXXXV, 768.—Psalmus CXXXIX, 815.—Tractatus psalmi CXXXIX, 816. — Psalmus CXL, 824. — Tractatus psalmi CXL, *ibid.* — Psalmus CXLI, 853. — Tractatus psalmi CXLI, *ibid.* — Psalmus CXLII, 857. — Tractatus psalmi CXLII, *ibid.* — Psalmus CXLIII, 843. — Tractatus psalmi CXLIII, *ibid.* — Psalmus CXLIV, 854. — Tractatus psalmi CXLIV, *ibid.* — Psalmus CXLV, 865. — Tractatus psalmi CXLV, *ibid.* — Psalmus CXLVI, 868. — Tractatus psalmi CXLVI, *ibid.* — Psalmus CXLVII, 875.—Tractatus psalmi CXLVII, *ibid.* — Psalmus CXLVIII, 878. — Tractatus psalmi CXLVIII, 879. — Psalmus CXLIX, 884. — Tractatus psalmi CXLIX, *ibid.* Psalmus CL, 888. — Tractatus psalmi CL, *ibid.*

Monitum de Comment. in psalm. XV, XXXI, XLI, 890

Sancti Hilarii psalm. XV, XXX et XLI interpretatio. 891

Tractatus de psalmo XV, *ibid.* — Tractatus de psalmo XXXI, 897. — Tractatus de psalmo XLI. 901

Admonitio de Commentario in Evang. S. Matthæi. 909

Capitula Commentarii S. Hilarii in Evang. Matthæi. 915

Sancti Hilarii in Evang. Matthæi commentarius. 917

Caput primum. De Nativitate Christi et de Magis cum muneribus, ac de infantibus occisis.

Cap. II. De Jesu regresso ex Ægypto, et de prædicatione Joannis et baptismo ipsius, et de Domino baptizato. 924

Cap. III. De tentatore diabolo, et de jejunio Jesu quadraginta diebus, de Petro et Andrea piscatoribus. 928

Cap. IV. De beatitudine et præceptis, de reconciliatione fratrum, de adulterio, de oculo et manu eruenda, de juramentis et eleemosyna. 931

Cap. V. De oratione et jejunio, de thesauro in cœlo, de lucerna corporis, de duobus dominis, de cibo et vestitu, de volatilibus et liliis agri et fœno, de sollicitudine diei, de festuca et trabe in oculo. 942

Cap. VI. De margaritis ante porcos, de pseudo-propheta, de domo ædificata supra petram. 951

Cap. VII. De leproso quem curavit, de puero tribuni paralytico, de socru Petri, de plurimis et diversis curis. 954

Cap. VIII. De discipulis in navi excitantibus Jesum, de duobus dæmoniacis in terra Gerasenorum, de paralytico curato et lectum auferente. 958

Cap. IX. De Matthæo publicano, de Pharisæorum et discipulorum Joannis jejunio, de assuto panno rudi, de profluvio mulieris, de filia principis excitata a mortuis, de duobus cæcis, de surdo et muto. 962

Cap. X. Ubi duodecim discip. præmittit cum doctrina. 966

Cap. XI. Joannes de carcere ad Jesum mittit, et Jesus de Joanne ad turbas loquitur. Item confessio Jesu ad Patr. 879

Cap. XII. Discipuli spicas vellunt. Manus aridæ hominem sabbato curavit Jesus. Cæcum et dæmoniacum curavit. De blasphemia Spiritus, de fructu arboris bonæ et malæ, de omni verbo otioso, de Ninivitis et regina Austri, de septem spiritibus et octavo, de matre Jesu et fratribus. 984

Cap. XIII. Sedens in navicula Jesus turbis parabolas loquitur de seminante bonum semen, de zizania et tritico, de grano sinapis, de fermento absconso in farina, et expositio zizaniæ, de thesauro in agro, de bona margarita, de rete misso in mare. 995

Cap. XIV. De scriba in regno cœlorum, fratribus et sororibus Domini; de Joannis capite in disco, de quinque panibus et duobus piscibus, ubi supra mare ambulat, et petrum mersum erexit. 996

Cap. XV. De lavandis manibus, et non ea quæ in os intrant, sed ea quæ ex ore exeunt inquinare, de filia Chananææ mulieris, de septem panibus et paucis piscibus. 1003

Cap. XVI. De Jonæ prophetæ signo, et de fermento Pharisæorum, de confessione Petri et benedictione Domini, et de se abnegando qui Christum sequi voluerit. 1007

Cap. XVII. Ubi in monte cum Moyse et Elia videtur, et vox de cœlo auditur, ubi puerum lunaticum solvit, de credentium fide, de didrachma postulata, et statere in ore piscis. 1013

Cap. XVII. De infantibus inhibitis, et de humilitate eorum assumenda, de manu et pede et oculo eruendo, de ove perdita, de corripiendis fratribus secreto primum, tum duobus testibus, postremo Ecclesia præsente. Semper ignoscendum. Qui conservum, remisso sibi a domino debito suffocat. 1018

Cap. XIX. Uxorem non debere dimittere, de eunuchis, de infantibus inhibitis. Divitem difficile introire in regnum cœlorum. 1023

Cap. XX. De spe apostolorum, de novissimis primis efficiendis. Ubi conducuntur operarii ad vineam. De filiis Zebedæi, de primo accubitu, de duobus cæcis secus viam sedentibus. 1027

Cap. XXI. De asina et pullo ejus, de ejectis a templo nummulariis, de ficu maledicta, de duobus filiis ad vineam missis, de publicanis et meretricibus. 1034

Cap. XXII. De vinitoribus qui missos ad se ob repetendos fructus interficiunt, de invitatis promiscuis et veste nuptiali. 1041

Cap. XXIII. De tributo et imagine Cæsaris, de eadem septem fratrum uxore, de mandatis maximis de David filio. 1044

Cap. XXIV. De cathedra Moysi super quam sederunt Scribæ et Pharisæi, de clauso ab iisdem regno cœlorum, et ab iisdem comedi domos viduarum, circumeuntibus mare et aridam, et dicentibus: *Quicumque juraverit in templo, nihil est*, et decimantibus mentham et anethum, et ædificantibus sepulcra prophetarum, et de Jerusalem quæ interficit prophetas et lapidat eos qui ad se missi sunt. 1048

Cap. XXV. De structura templi interrogantibus discipulis, et de his qui in tecto sunt, ne descendant tollere aliquid de domo, et qui in agro sunt, ne revertantur tollere tunicam suam, et de prægnantibus et nutrientibus. 1052

Cap. XXVI. De sole obscurato, luna et stellis. De signo ficus, de diei adventus Domini incertudine, de assumendis et relinquendis, et de vigilantia servanda). 1056

Cap. XXVII. De servo fideli quem constituit dominus super familiam suam, de decem virginibus, de homine peregre profecto, qui tradidit substantiam suam servis suis. 1058

Cap. XXVIII. De adventu Filii hominis venientis in majestate sua. 1065

Cap. XXIX. De muliere quæ accessit ad Jesum in domum Simonis leprosi habens alabastrum unguenti pretiosi. 1064

Cap. XXX. De die prima azymorum, in qua accesserunt discipuli ad Jesum dicentes: *Ubi vis paremus tibi comedere pascha?* 1065

Cap. XXXI. Cum venit Jesus in agrum qui dicitur Gethsemani, et dicit discipulis suis: *Sedete, donec eam illuc orare*, et de tristi anima ejus usque ad mortem: de calice, si possibile est transire a se; de Spiritu prompto et carne infirma; et rursum. *Pater, si non potest hic calix transire, nisi illum bibam? Fiat voluntas tua.* 1066

Cap. XXXII. De Juda, qui erat unus de duodecim discipulis, veniente ad Jesum cum plurima turba ut eum traderet; de gladio quem jussit Petro convertere in locum suum. 1070

Cap. XXXIII. De Pilato: cum sederet pro tribunali, misit ad illum uxor sua dicens: *Nihil tibi sit et justo isti.* De transeuntibus juxta crucem qui movebant capita sua et dicebant: *Hic est qui destruebat templum, et in triduum illud reædificabat.* 1073

FINIS INDICIS TOMI NONI.

ELENCHUS OPERUM QUAE IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

Praefatio editionis Maffei
Epistola nuncupatoria
Praefatio generalis
Vita S. Hilarii ex ipsius scriptis potissimum collecta
Vita ejusdem auctore S. Hieronymo
Vita ejusdem a Fortunato scripta
De translatione S. Hilarii Petri Damiani sermo
Selecta veterum testimonia de S. Hilario
Notitia litteraria in S. Hilarium
Syllabus manuscriptorum necnon editorum codicum ad quos exacta et emendata sunt S. Hilarii opera
Admonitio in commentarium subsequentem
Sancti Hilarii tractatus super psalmos
Commentarius in psalmos XV, XXI, XLI
Commentarius in Evangelium Matthaei

INDEX RERUM QUAE IN HOC TOMO CONTINENTUR.

Epistola nuncupatoria editionis benedictinae eminentissimi DD. Caesari S. R. E. cardinali.
PRAEFATIO GENERALIS.
I. De Variis operum S. Hilarii editionibus.
II. De codicibus mss.
III. De Hilarii operibus quae exciderunt.
IV. Unde obscurus sit Hilarii sermo. Quid in hac editione praestitum.
§ I. *De conceptione Christi sana sancti Hilarii fides demonstratur.*
I. Carnem Christi ex Mariae carne susceptam passim Hilarius docuit.
II. Spiritus sancti vocabulo quid dixerit Hilarius a censoribus suis non intellectum est.
III. Aliquot loci in quibus Hilarius Christi carnem ex Matre sumptam negare visus est explanantur.
§ II. *De naturali unitate cum Christo, coque mediante, cum Patre; ubi et vera Hilarii de Eucharistiae sacramento fides a falsis Sculteti interpretationibus vindicatur.*
I. Unitas hominum cum Christo ob naturam illorum ab eo assumptam.
II. Hominum cum Christo unitas ob carnem illius in Eucharistia perceptam.
III. Unitas Christi et hominum. Qui Christus nos cum Patre unum esse efficiat.
§ III. *An Hilarius Christum esuriendi, timendi, dolendi, aliisque humanis affectibus obnoxium negarit.*
I. Praecipui Hilarii in hac causa reprehensores ac defensores.
II. Quam multa Hilarius docuerit objecto sibi errori adversa.
III. In libris Hilarii de Trinitate multa sunt Christi indolentiae contraria.
IV. De haeresi quae Christi divinitatem passam esse asserebat.
V. Hilarius de Christi tristitia, metu, dolore, etc., contra haereticos qui ea Verbo tribuebant, disputat. Qui eis resistat.
VI. Quid Hilario sit passio seu pati, quid Christus, quid Christi natura aut virtus.
VII. Synopsis argumentorum quibus Hilarius de passione Christi recte sensisse probatur.
§ IV. *An Hilarius, moriente Christo, Verbum a carne secessisse senserit.*
I. Qui e veteribus videantur Verbum a carne Christi mortua separatum sensisse. Qua ratione ab haereticis dissideant.
II. Qui verba Hilarii de Christi derelictione fidei sint consentanea.
III. Hilarius Christum nunquam dividendum esse acerrime propugnat.
§ V. *De gloria Christi hominumve aliorum post resurrectionem singulares locutiones explicantur.*
§ VI. *De regno Christi a regno Dei Patris distincto.*
I. Quando Hilarius regnum Christi a regno Dei distinguat.
II. Hilarius a Millenariorum aliorumque eis affinium errore vindicatur.
III. In quo Hilarius situm velit regnum Dei, in quo regnum Christi.
§ VII. *De judicio novissimo: an aliquos Hilarius ab eo excluserit.*
§ VIII. *De igne judicii.*
§ IX. *An Hilarium fugerit rerum spiritalium notitia. Quid de gratia senserit.*
Vita sancti Hilarii Pictaviensis episcopi ex ipsius scriptis ac veterum monumentis nune primum concinnata.
Caput primum. Hilarii ortus; an ex Christianis parentibus sit.
Cap. II. Hilarii eruditio, fides et vivendi ratio donec ad clerum adsciscatur.
Cap. III. Episcopatum suscipit; quid de ejus munere senliat; qui eo fungatur.
Cap. IV. Hilarii a Mediol. syn. ad Biterrensem gesta.
Cap. V. Biterrensi synodo Hilarii gesta et exilium.
Cap. VI. Hilarii in exilio studia ac gesta ad fin. an. 358.
Cap. VII. Quid Hilarius a fine anni 358 ad concilium seleuciense egerit.
Cap. VIII. Qui Hilarius Seleuciae se gesserit.
Cap. IX. Quid Hilarius Constantinopoli agat.
Cap. X. Reliqui Hilarii pro Ecclesia labores, dum Constantinopoli versatur.
Cap. XI. Hilarii ab exilio reditus ac labores ad Gallias ab haeresi purgandas.
Cap. XII. De Hilarii in Italia laboribus, et Luciferi schismate.
Cap. XIII. Hilarii cum Auxentio congressus.
Cap. XIV. Hilarii acta reliqua et mors.
Cap. XV. S. Hilarii miracula, reliquiae, discipuli.
Vita S. Hilarii, auctore Hieronymo.
Vita S. Hilarii a Fortunato scripta.
Admonitio.
Praefatio auctoris [...] in librum primum.
Liber primus.
In librum secundum Fortunati [...] prologus.
Liber II. - De miraculis S. Hilarii.
De translatione S. Hilarii Petri Damiani sermo.
Selecta veterum testimonia de S. Hilario.
Notitia litter in S. Hilarium, auctore Schoenemann.
§ I. *Vita.*
- § II. *Scripta.*
- § III. *Editiones.*
Syllabus manuscriptorum, necnon editorum codicum ad quos exacta et emendata sunt S. Hilarii opera.
Admonitio in tractatum Hilarii super Psalmos.
Sancti Hilarii Pictav. episc. tract. super Psalmos.
In librum Psalmorum prologus.
Psalmus primus
Clavis sive introitus in primum psalmum.
Tractatus psalmi primi, 250. - Psalmus II,
- Tractatus psalmi II,
- Psalmus XIII,
- Tractatus psalmi XIII,
- Psalmus XIV,

- Tractatus psalmi XIV,
- Psalmus LI,
- Tractatus psalmi LI,
- Psalmus LII,
- Tractatus psalmi LII,
- Psalmus LIII,
- Tractatus psalmi LIII,
- Psalmus LIV,
- Tractatus psalmi LIV,
- Psalmus LV,
- Tractatus psalmi LV,
- Psalmus LVI,
- Tractatus psalmi LVI,
- Psalmus LVII,
- Tractatus psalmi LVII,
- Psalmus LVIII,
- Tractatus psalmi LVIII,
- Psalmus LIX,
- Tractatus psalmi LIX,
- Psalmus LX,
- Tractatus psalmi LX,
- Psalmus LXI,
- Tractatus Psalmi LXI,
- Psalmus LXII,
- Tractatus psalmi LXII,
- Psalmus LXII,
- Tractatus psalmi LXIII,
- Psalmus LXIV.
- Tractatus psalmi LXIV,
- Psalmus LXV,
- Tractatus psalmi LXV,
- Psalmus LXVI,
Tractatus psalmi LXVI,
- Psalmus LXVII,
- Tractatus psalmi LXVII,
- Psalmus LXVIII,
- Tractatus psalmi LXVIII,
- Psalmus LXIX,
- Tractatus psalmi LXIX,
- Tractatus de titulo psalmiXCI,
- Tractatus psalmi CXVIII. Prologus.
Prima littera, [...] Aleph,
- Littera II, [...] Beth,
- Littera III, [...] Ghimel
- Littera IV, [...] Daleth,
- Littera V, [...] He,
- Littera VI, [...] Vau,
- Littera VII, [...] Zain,
- Littera VIII, [...] Heth,
- Littera IX, Teth,
- Littera X, [...] Jod,
- Littero XI, [...] Caph,
- Littera XII, [...] Lamed,
- Littera XIII, [...] Mem,
- Littera XIV, [...] Nun,
- Littera XV, [...] Samech,
- Littera XVI, [...] Ain,
- Littera XVII, [...] Plie,
- Littera XVIII, [...] Zade.
- Littera XIX, [...] Koph,
- Littera XX, [...] Resch,
- Littera XXI, [...] Sin,
- Littera XXII, [...] Tau,
- Prologus in Cantica quindecim graduum,
- Psalmus CXIX,
- Tractatus psalmi CXIX,
- Psalmus CXX,
- Tractatus psalmi CXX,
- Psalmus CXXI,
- Tractatus psalmi CXXI,
- Psalmus CXXII,
- Tractatus psalmi CXXII,
- Psalmus CXXIII,
- Tractatus psalmi CXXIII,
- Psalmus CXXIV,
- Tractatus psalmi CXXIV,
- Psalmus CXXV,
- Tractatus psalmi CXXV.
Admonitio in quinque tractatus subsequentes,
- Psalmus CXXVI,
- Tractatus psalmi CXXVI,
- Psalmus CXXVII,
- Tractatus psalmi CXXVII,
- Psalmus CXXVIII,
- Tractatus psalmi CXXVIII,
- Psalmus CXXIX,
- Tractatus psalmi CXXIX,
- Psalmus CXXX,
- Tractatus psalmi CXXX,
- Psalmus CXXXI,

- Tractatus psalmi CXXXI,
- Psalmus CXXXII,
- Tractatus psalmi CXXXII,
- Psalmus CXXXIII,
- Tractatus psalmi CXXXIII,
- Psalmus CXXXIV,
- Tractatus psalmi CXXXIV,
- Psalmus CXXXV,
- Tractatus psalmi CXXXV,
- Psalmus CXXXIX,
- Tractatus psalmi CXXXIX,
- Psalmus CXL,
- Tractatus psalmi CXL,
- Psalmus CXLI,
- Tractatus psalmi CXLI,
- Psalmus CXLII,
- Tractatus psalmi CXLII,
- Psalmus CXLIII,
- Tractatus psalmi CXLIII,
- Psalmus CXLIV,
- Tractatus psalmi CXLIV.
- Psalmus CXLV,
- Tractatus psalmi CXLV,
- Psalmus CXLVI,
- Tractatus psalmi CXLVI,
- Psalmus CXLVII,
- Tractatus psalmi CXLVII,
- Psalmus CXLVIII,
- Tractatus psalmi CXLVIII,
- Psalmus CXLIX,
- Tractatus psalmi CXLIX,
Psalmus CL,
- Tractatus psalmi CL,
Monitum de Comment. in psalm. XV, XXXI, XLI,
Sancti Hilarii psalm. XV, XXX et XLI interpretatio.
Tractatus de psalmo XV,
- Tractatus de psalmo XXXI,
- Tractatus de psalmo XLI.
Admonitio de Commentario in Evang. S. Matthaei.
Capitula Commentarii S. Hilarii in Evang. Matthaei.
Sancti Hilarii in Evang. Matthaei commentarius.
Caput primum. De Nativitate Christi et de Magis cum muneribus, ac de infantibus occisis.
Cap. II. De Jesu regresso ex AEgypto, et de praedicatione Joannis et baptismo ipsius, et de Domino baptizato.
Cap. III. De tentatore diabolo, et de jejunio Jesu quadraginta diebus, de Petro et Andrea piscatoribus.
Cap. IV. De beatitudine et praeceptis, de reconciliatione fratrum, de adulterio, de oculo et manu eruenda, de juramentis et eleemosyna.
Cap. V. De oratione et jejunio, de thesauro in coelo, de lucerna corporis, de duobus dominis, de cibo et vestitu, de volatilibus et liliis agri et foeno, de sollicitudine diei, de festuca et trabe in oculo.
Cap. VI. De margaritis ante porcos, de pseudo-propheta, de domo aedificata supra petram.
Cap. VII. De leproso quem curavit, de puero tribuni paralytico, de socru Petri, de pluriunis et diversis curis.
Cap. VIII. De discipulis in navi excitantibus Jesum, de duobus daemoniacis in terra Gerasenorum, de paralytico curato et lectum auferente.
Cap. IX. De Matthaeo publicano, de Pharisaeorum et discipulorum Joannis jejunio, de assuto panno rudi, de profluvio mulieris, de filia principis excitata a mortuis, de duobus caecis, de surdo et muto.
Cap. X. Ubi duodecim discip. praemittit cum doctrina.
Joanne ad turbas loquitur. Item confessio Jesu ad Patr.
Cap. XII. Discipuli spicas vellunt. Manus aridae hominem sabbato curavit Jesus. Caecum et daemoniacum curavit. De blasphemia Spiritus, de fructu arboris bonae et malae, de omni verbe otios [...] , de Ninivitis et regina Austri, de septem spiritibus et octavo, de matre Jesu et fratribus.
Cap. XIII. Sedens in navicula Jesus turbis parabolas loquitur de seminante bonum semen, de zizania et , de grano sinapis, de fermento absconso in farina, et expositio zizaniae, de thesauro in agro, de bona margarita, de rete misso in mare.
Cap. XIV. De scriba in regno coelorum, fratribus et Domini; de Joannis capite in disco, de quinque panibus et duobus piscibus, ubi supra mare ambulat, et petrum mersum erexit.
Cap. XV. De lavandis manibus, et non ea quae in os intrant, sed ea quae ex ore exeunt inquinare, de filia Chananaeae mulieris, de septem panibus et paucis piscibus.
Cap. XVI. De Jonae prophetae signo, et de fermento Pharisaeorum, de confessione Petri et benedictione Domini, et de se abnegando qui Christum sequi voluerit.
Cap. XVII. Ubi in monte cum Moyse et Elia videtur, et vox de coelo auditur, ubi puerum lunaticum solvit, de credentium fide, e didrachma postulata, et statere in ore piscis.
Cap. XV [...] . De infantibus inhibitis, et de humilitate eorum assumenda, de manu et pede et oculo eruendo, de oye perdita, de corripiendis fratribus secreto primum, tum duobus testibus, postremo Ecclesia praesente. Semper ignoscendum. Qui conservum, remisso sibi a domino debito suffocat.
Cap. XIX. Uxorem non debere dimittere, de eunuchis, de infantibus inhibitis. Divitem difficile introire iu regnum coelorum.
Cap. XX. De spe apostolorum, de novissimis primis efficiendis. Ubi conducuntur operarii ad vineam. De filiis Zebedaei, de primo accubitu, de duobus caecis secus viam sedentibus.
Cap. XXI. De asina et pullo ejus, de ejectis a templo nummulariis, de ficu maledicta, de duobus filiis ad vineam missis, de publicanis et meretricibus,
Cap. XXII. De vinitoribus qui missos ad se ob repetendos fructus interficiunt, de invitatis promiscuis et veste nuptiali.
Cap. XXIII. De tributo et imagine Caesaris, de eadem septem fratrum uxore, de mandatis maximis de David filio.
Cap. XXIV. De cathedra Moysi super quain sederunt Scribae et Pharisaei, de clauso ab iisdem regno coelorum, et ab iisdem comedi domos viduarum, circumeuntibus mare et aridam, et dicentibus: *Quicumque juraverit in templo, nihil est,* et decimantibus mentham et anethum, et aedificantibus sepulcra prophetarum, et de Jerusalem quae interficit prophetas et lapidat eosqui ad se missi sunt.
Cap. XXV. De structura templi interrogantibus discipulis, et de his qui in tecto sunt, ne descendant tollere aliquid de domo, et qui in agro sunt, ne revertantur tollere tunicam suam, et de praegnantibus et nutrientibus.
Cap. XXVI. De sole obscurato, luna et stellis. De signo ficus, de diei adventus Domini incertudine, de assumendis et relinquendis, et de vigilantia servanda).
Cap. XXVII. De servo fideli quem constituit dominus super familiam suam, de decem virginibus, de homine peregre profecto, qui tradidit substantiam suam servis suis.
Cap. XXVIII. De adventu Filii hominis venientis in majestate sua.
Cap. XXIX. De muliere quae accessit ad Jesum in domum Simonis leprosi habens alabastrum unguenti pretiosi.
Cap. XXX. De die prima azymorum, in qua accesserunt discipuli ad Jesum dicentes: *Ubi vis paremus tibi comedere pascha?*
Cap. XXXI. Cum venit Jesus in agrum qui dicitur Gethsemani, et dicit discipulis suis: *Sedete, donec eam illuc orare,* et de tristi anima ejus usque ad mortem: de calice, si possibile est transire a se; de Spiritu prompto et carne infirma; et rursum. *Pater, si non potest hic calix transire, nisi illum bibam?* Fiat voluntas tua.
Cap. XXXII. De Juda, qui erat unus de duodecim discipulis, veniente ad Jesum cum plurima turba ut eum traderet; de gladio quem jussit Petro convertere in locumsuum.
Cap. XXXIII. De Pilato: cum sederet pro tribunali, misit ad illum uxor sua dicens: *Nihit tibi sit et justo isti.* De transeuntibus juxta crucem qui movebant capita sua et dicebant: *Hic est qui destruebat templum, et in triduum illud reoedificabat.*
FINIS INDICIS TOMI NONI.